PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.



SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR

PATROLOGIÆ TOMUS CXLIII.

HERMANNUS CONTRACTUS MONACHUS AUGIÆ DIVITIS, HUMBERTUS S. R. E. CARDINALIS, S. LEO IX, VICTOR II, STEPHANUS IX, NICOLAUS II, RR. PP.; STEPHANUS CARDINALIS, B. MAURILIUS ROTHOMAGENSIS, GERVASIUS REMENSIS, RAIMBALDUS ARELATENSIS, LEODEGARIUS VIENNENSIS, S. ANNO COLONIENSIS, ARCHIEPISCOPI; DROGO BELLOVACENSIS, JOANNES SABINENSIS, ADELMANNUS BRIXIENSIS, HUGO II NIVERNENSIS, FROLLANDUS SYLVANECTENSIS, LEO ATINENSIS, EPISCOPI; BOVO ABBAS S. BERTINI, WIDRICUS ABBAS S. GHISLENI, AVESCOTUS ABBAS S. PETRI CULTURÆ CENOMANENSIS, THEUZO EREMITA ET MONACHUS, ODO MONACHUS FOSSATENSIS, ANSELMUS CANONICUS LEODIENSIS, GOZECHINUS SCHOLASTICUS, FRANCO SCHOLASTICUS LEODIENSIS, SS. ARIALDUS ET HERLEMBALDUS, BERENGARIUS VICECOMES NARBONENSIS.

TOMUS UNICUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1853

Digitized by Google

Digitized by Google

SÆCULUM XI

HERMANNI

CONTRACTI

MONACHI AUGIÆ DIVITIS

HUMBERTI S. R. E. CARDINALIS

SILVÆ CANDIDÆ EPISCOPI

OPERA OMNIA

ACCEDUNT

S. LEONIS IX, VICTORIS II, STEPHANI IX, NICOLAI II,

SUMMORUM PONTIFICUM

OPUSCULA, EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA

Interniscentur

STEPHANI CARDINALIS, B. MAURILII ROTHOMAGENSIS, GERVASII REMENSIS, RAIMBALDI ARELATENSIS, LEODEGARII VIENNENSIS, S. ANNONIS COLONIENSIS, ARCHIEPISCOPORUM; DROGONIS BELLOVACENSIS, JOANNIS SABINENSIS, ADELMANNI BRIXIENSIS, HUGONIS II NIVERNENSIS, FROLLANDI SYLVANECTENSIS, LEONIS ATINENSIS, EPISCOPORUM; BOVONIS ABBATIS S. BERTINI, WIDRICI ABBATIS S. GHISLENI, AVESGOTI ABBATIS S. PETRI CULTURÆ CENOMANENSIS, THEUZONIS EREMITÆ ET MONACHI, ODONIS MONACHI FOSSATENSIS, ANSELMI CANONICI LEODIENSIS, GOZECHINI SCHOLASTICI, FRANCONIS SCHOLASTICI LEODIENSIS, SS. ARIALDI ET HERLEMBALDI, BERENGARII VICECOMITIS NARBONENSIS,

SCRIPTA VEL SCRIPTORUM FRAGMENTA QUÆ EXSTANT.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

TOMUS UNICUS.

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1853

Digitized by Google

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXLIII CONTINENTUR.

HERMANNUS CONTRACTUS MONACHUS AUGIÆ DIVITIS.

Chronicon cum auctariis, *col.* 55. — De mensura astrolabii, *col.* 379. — De utilitatibus astrolabii, *col.* 389. — De musica, *col.* 413. — Sequentia de beata Maria virgine, *col.* 443. — Carmen de conflictu ovis et lini, *col.* 445.

S. LEO IX PONTIFEX ROMANUS.

Libellus de conflictu vitiorum atque virtutum, *col.* 559. — Oratio ad Adelbertum comitem, *col.* 577.— Notitia de cœnobio S. Apri, *col.* 581. — Diplomata data cum adhuc episcopus Tullensis ageret, *col.* 583. Epistolæ et decreta pontificia, *col.* 591.

VICTOR II PONTIFEX ROMANUS.

Epistolæ et decreta, *col.* 803.

BERENGARIUS VICECOMES NARBONENSIS.

Querimonia adversus Guitfredum Narbonensem archiep., *col.* 837.

THEUZO EREMITA ET MONACHUS S. MARIÆ DE FLORENTIA.

Prologus expositionis regulæ S. P. N. Benedicti, *col.* 845.

ODO MONACHUS FOSSATENSIS.

Vita Burchardi comitis, *col.* 847.

ANSELMUS CANONICUS LEODIENSIS.

Historia episcoporum Leodiensium, *col.* 861.

DROGO BELLOVACENSIS EPISCOPUS.

Epistola ad W. coepiscopum suum, *col.* 863.

STEPHANUS X (*corr.* IX) PAPA.

Epistolæ et privilegia, *col.* 869.

GOZECHINUS SCHOLASTICUS.

Epistola ad Valcherum, *col.* 885.

JOANNES SABINENSIS EPISCOPUS.

Querimonia contra Farfenses monachos, *col.* 909.

HUMBERTUS CARDINALIS, EPISCOPUS SILVÆ CANDIDÆ.

Contra Græcorum calumnias, *col.* 929. — Adversus Simoniacos, *col.* 1005. — APPENDIX. — Fragmentum disputationis contra Græcos, *col.* 1213.— Domni J. Mabillonii Dissertatio de pane eucharistico azymo ac fermentato, *col.* 1219.

ADELMANNUS BRIXIENSIS EPISCOPUS.

Epistola ad Berengarium, *col.* 1289. — Rhythmi alphabetici de viris illustribus sui temporis, *col.* 1295.

NICOLAUS II PAPA.

Epistolæ et privilegia, *col.* 1301.

HUGO II NIVERNENSIS EPISCOPUS.

Epistola ad Bartholomæum Turonensem archiepiscopum, *col.* 1367.

BOVO ABBAS S. BERTINI.

De inventione et elevatione corporis S. Bertini, *col.* 1369.

FROLLANDUS SYLVANECTENSIS EPISCOPUS.

Epistola ad Berengarium, *col.* 1369.

WIDRICUS ABBAS S. GHISLENI IN HANNONIA.

Epistola ad Henricum imp. cognomine *Nigrum*, *col.* 1371.

FRANCO SCHOLASTICUS LEODIENSIS.

Specimen ejus operis de quadratura circuli, *col.* 1373.

B. MAURILIUS ARCHIEPISCOPUS ROTHOMAGENSIS.

Epistola ad episcopum Ebroicensem, *col.* 1387. — Professio fidei de sacramento corporis et sanguinis Christi, *col.* 1389. — Epitaphia Rollonis et Guillelmi Longæ Spathæ, Northmanniæ ducum, *col.* 1589.

RAIMBALDUS ARELATENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS.

Diplomata, *col.* 1393.

GERVASIUS REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Epistolæ ad Nicolaum II et Alexandrum II, *col.* 1399. — Diplomata, *col.* 1401.

LEODEGARIUS VIENNENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS.

Chartæ, *col.* 1403.

STEPHANUS SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS.

Canones concilii Turonensis, *col.* 1409. — Epistola ad Joannem Dolensem episcopum, *col.* 1411. — Diploma pro monachis Vindocinensibus, *col.* 1413.

LEO ATINENSIS EPISCOPUS.

De inventione corporis B. Marci martyris, *col.* 1415. — Privilegium pro canonicis et clericis Atinensibus, *col.* 1423. — Sermo de passione B. Marci, *col.* 1423. — Sermo in octava ejusdem, *col.* 1427.

AVESGOTUS S. PETRI CULTURÆ CENOMANENSIS ABBAS.

Epistola ad Anselmum, postmodum Cantuariensem archiep. *col.* 1431.

SS. ARIALDUS ET HERLEMBALDUS.

Acta, *col.* 1433. — S. Arialdi conciones tres, *col.* 1515.

S. ANNO COLONIENSIS ARCHIEPISCOPUS

Diplomata, *col.* 1585.

ERRATA. — *Col.* 869 : Stephanus X *leg.* Stephanus IX.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MLIV.

HERMANNUS CONTRACTUS

MONACHUS AUGIÆ DIVITIS.

NOTITIA HISTORICA IN HERMANNUM CONTRACTUM.

(Ex Joanne Egone, lib. *De viris illustribus Augiæ Divitis*, apud Pez, *Thesaur.* I, III, 688.)

Hermannus Contractus (sic a membrorum debilitate vocatus), Augiensis cœnobii singulare decus et totius Benedictini ordinis lucidissimum jubar, anno Christi 1013, XV Kal. Augusti, patre natus est Wolferado, comite Veringensi, matre autem Hiltrude. Hic puer in Augiam ductus, cum bonæ quidem indolis esset, ingenium tamen rudius, litterisque addiscendis minus idoneum expertus est. Quare beatæ Virginis opem, cujus singulari patrocinio jam se pridem devoverat, inclamare cœpit, quæ felicius ingenium illi quantocius impetravit. Hinc brevi tempore linguam Latinam, Græcam Arabicamque ita perfecte addidicit, ut quamlibet earum veluti vernaculam pronuntiaret. Poeta sui temporis fuit præclarus, historicus excellens, musicus insignis, philosophus theologusque præstans, mathematicus doctissimus æque ac ingeniosissimus, ita ut laudem illi tunc nemo præripuisse videatur. Tanta enim ingenii dexteritate de astrolabio scripsit, ut a multis ipsius astrolabii inventor haberetur. Composuit primo magna cum diligentia Chronicon succinctum et valde apertum, quod ab exordio mundi ad ævum usque suum, ad annum nempe Christi 1054, perduxit, quod sæpius impressum auctius ab Henrico Canisio tom. I Antiq. Lect. editum est, insertumque tom. XI Biblioth. Patrum; de musica lib. I; De monochordo lib. I; De eclipsibus lib. I; De quadratura circuli lib. I; De computo lib. I; De physiognomia lib. I; De conflictu rhythmomachiæ lib. I; De astronomia commentarius, et de compositione astrolabii lib. III; De utilitate astrolabii lib. I; De Vitis plurium sanctorum lib. I; Historias sive officia Annuntiationis B. Virginis et S. Mariæ Magdalenæ; Historiam etiam de SS. angelis, sequentias de ascensione Domini, *Rex omnipotens*, etc.; De Assumptione B. Virginis, *Ave, præclara maris Stella*, etc.; De Spiritu sancto: *Veni, sancte Spiritus, et emitte cœlitus*. Responsorium, *Simon Barjona*, etc.; sequentias præterea, responsorias cantilenasque plurimas dictavit, quas inter celeberrimæ et toti Ecclesiæ utiles juxta et gratæ sunt antiphonæ; *Salve, Regina*, etc., *Alma Redemptoris*, etc. Præter ista etiam omnia rhetoricam et poesin Aristotelis ex lingua Arabica in Latinam vertit, multaque alia innumera luculenter scripsit; et demum posteaquam virtutibus quidem omnibus egregie invaluit, corpore tamen vix debilia membra sustentans animam Creatori suo, cui unice in hac vita placere studuit, reddidit post partum Virginis anno 1054, et in prædio parentum suorum Adelshusen translatus est.

Tametsi vero hic prolubium mihi esset supersedere concertationibus non necessariis, quia tamen quotidie alii atque alii historias novas semper scribunt, quibus pro arbitratu suo sententias quasvis etiam manifeste falsas ad rumusculos populi captandos venditant, existimo satius futurum si ea saltem, quæ de Hermanno nostro ab iis falso asserta sunt, etiam quam brevissime refutarem, ne, si tacerem, nullum argumenta nostra robur, quo nosmet cum Contracto tueremur, credi possent habere.

Trithemius proinde, monachis Augiensibus immerito iniquior, pluribus locis scripsit Hermannum nostrum San-Gallensem fuisse, quem ejus errorem alii secuti in turpiores etiam lapsi sunt. Nam ut conceptam semel animo falsam opinionem tuerentur, asserere ausi sunt Helpericum S. Galli, cæteroqui eruditissimum monachum, Hermanni præceptorem fuisse ac magistrum; eique e vita abeunti in San-Gallensi gymnasio Hermannum substitutum, ut nimirum, si omnia tam belle convenirent atque cohærerent, nemo amplius Hermanni monachatum San-Gallensem in dubium revocare, nedum impugnare tentaret. Ne autem videar nullum hujusce commenti auctorem citare posse, jubeo lectorem Jacobi Meckii libellum De episcopis Constantiensibus Germanico idiomate editum adire, ubi ille hanc fabulam rotunde, deque veritate ejus nihil sollicitus enarrat, tamque certam et notam existimat, ut etiam nullum pro se neque argumentum neque auctorem adducat. Unde vero hunc errorem hauserit, mihi nondum liquet. Optarem vero ut scriptores et historiculi tales quæ sibi incomperta sunt silentio præterirent, nec cum tanto aliorum præjudicio magnam vani honoris existimationem et apud ignaros homines plausum mercari studerent. Quare enim primulum citatus scriptor Helpericum San-Gallensem ait Hermanni fuisse magistrum, nullo antiquitatis allato argumento? Nam hoc elicuit ex scriptis aliquibus Helpe-

Digitized by Google

rici, aut ipsius Hermanni, aut ex scriptura alia veteri et authentica? Ostendat, si quod ejusmodi reperit, et veritatis radium nobis non invideat, ut et ipsi, quod æquum est, credamus; si autem, quod autumo, nihil tale invenit, quid tam audacter quod nescit affirmat? Sed quid acerbius in hominem invehor, quem opinor errore suo nihil nobis incommodaturum, sed profuturum plurimum? Si enim ego demonstraro Helpericum longe antequam Hermannus in lucem natus sit, mortem obiisse, nunquid non concidet totum ejus fundamentum? Et cum falsum esse probavero Hermannum Helperici discipulum fuisse, annon languescet quoque, si non exstinguatur, opinio, quod putat Hermannum in S. Galli cœnobio monachum fuisse? Ita profecto continget: quo enim fragilior infirmiorque isthæc opinio reddita fuerit, eo nostra fortior certiorque evadet. Siquidem cum falsum apparuerit Hermannum Helperico in schola San-Gallensi successisse, minus dein etiam verum apparebit illum in S. Galli monasterio cœnobitam fuisse. Ut ergo errorem hunc citius deprehendamus, necessarium est pervestigare prius quo ævo uterque, tam Helpericus quam etiam Hermannus, floruerit. De Helperici quidem ætate nihil certius possum scribere quam quod San-Gallenses ipsi scriptores tradunt; maxime vero R. P. Jodocus Mezlerus, antiquitatum sui monasterii scriptor et illustrator egregius, qui in libro De viris illustribus monasterii S. Galli, ubi de Walafrido Strabo tractat, sic ait: *Nostros certe Patres Helpericum et Werembertum fuisse discipulos ejusdem Rabani scimus*, etc. Si ergo Helpericus discipulus Rabani fuit, necesse est fuisse ante annum 847, quo Rabanum archidiœcesi præfectum esse docent Contractus in Chronico, Baronius Annal. tom. X, ad prædictum Christi annum. Hinc vero ulterius colligere licet Helpericum natum fuisse ante annum 828, cum probabile sit, quando Fuldam e S. Gallo studiorum causa missus est, ad minimum septemdecim annorum fuisse, et duobus aut tribus circiter annis ibidem Rabanum sacras litteras exponentem audivisse, quod, ut dixi, ante annum 847 oportuit fieri. Nam credibile non est Rabanum, jam archiepiscopum gravissimisque curis distentum, scholas habuisse. Hoc ergo veluti fundamento supposito, videbimus præterea quo tempore Helpericus, si Hermanni magister fuit, docere debuerit. Imprimis enim ipse Hermannus in Chronico scribit se natum anno 1013; litteris vero septennem traditum anno 1020. Ergo post annum 1020 adhuc vixit Helpericus, imo diutius, quandoquidem a prædicto scriptore dicitur Hermannus in schola S. Galli Helperico succenturiatus; neque enim Hermannus, septennis adhuc puer gymnasio eidem præfui potuit, sed cum jam prudentia valeret, et maturus satis esset, quod ante vicesimum quartum ætatis annum vix contigisse credendum est. Si demus ergo Hermanno 24 annos antequam ludimagister San-Gallensis constitutus sit, reperiemus hoc non potuisse fieri ante annum Christi 1037. Cum igitur, quod meminisse potest lector, supra probaverimus Helpericum natum circa annum Christi 827, sequetur illum ultra 200 annos vitam suam produxisse, ut jam Germania etiam novum se habere Nestora gloriari possit, neque suum Græciæ invidere debeat.

Et licet sæpe citatus scriptor ætatem Hilperico satis longam attribuat, dicatque illum ad nonagesimum septimum usque annum pervenisse, ut forte, quod de Hermanni sub Helperico discipulatu finxit, vero similius appareat; non tamen satis finxit. Si enim vult ut fabulosa ejus opinio subsistat, necesse est ut ad nonaginta sex annos centum et quatuordecim alios adjiciat. Perpendant ergo in quantos errores contrariæ opinionis auctores labantur, dum quam semel de Hermanni professione arripuere sententiam, mordicus connituntur. Neque verosimile est quod aliquis opinari posset, fuisse forte duos Helpericos apud S. Gallum, quorum unus sub Rabano, alter cum Hermanno floruerit ejusque magister esse potuerit. Dico enim me neminem adhuc legisse qui duos hujusce nominis doctores faciat. Trithemius etiam, cujus ab adversariis fides hic mirope extollitur, unum solummodo Helpericum nominat, quem plerumque Hermanno ætate facit parem, aut etiam supparem et juniorem, præsertim in Catalogo de scriptoribus ecclesiasticis, quem post libros De viris illustribus ordinis nostri scripsit. Ibi enim ait Hermannum vixisse sub Henrico II imperatore, circa annum Domini 1040; Helpericum vero circa annum 1069, sub Henrico III imperatore. Ecce ergo quod neque secundum Trithemii opinionem (quam ipsi alias de Hermanni monachatu libenter ut verissimam amplectuntur), Helperico ille in schola San-Gallensi substitui potuerit. Sed quid istis figmentis jam sufficienter improbatis diutius immoror? Prodamus aliquando jam nos quare nobis Hermanni monachatum ascribamus, et cur San-Gallensibus abnegemus. Quod ad nos spectat, dicimus solidiora argumenta ad ejus professionem in Augia emissam probandam non posse produci quam quæ hactenus Arnoldus Wion et Christianus, Urstisius aliique veritatis amantes ex ipsomet Hermanno protulere, qualia sunt quæ habet in Chronico ad annum Christi 1048, ubi sic dicit: *Imperator* (Henricus II) *Ratisponæ, ubi Pascha egit, digressus, Alemanniam repetit, et in Augiam nostram ingressus octavo Kal. Maii, novam S. Marci evangelistæ patroni nostri basilicam, a domino Bernone abbate constructam, se præsente a Theodorico Constantiensi episcopo dedicari fecit, et ejusdem sancti festo apud nos octo, Ascensionem Domini Turegi, Pentecostem Solodurо celebravit*, etc. Hactenus Hermannus, quem fusius de Augia sermocinantem eo libentius audivimus, quo majus hic nobis suæ professionis locum inveniendi lumen præbuit. Tam luculenter enim hic scripsit, ut ea quæ attulimus non indigeant nostris scholiis illustrari, clarioraque sint quam ut ullo alio interprete opus habeant. Quid enim expressius dicere potuisset, quo se Augiensem

Digitized by Google

assereret, quam quando dixit : *Imperator Augiam nostram ingressus, S. Marci patroni nostri basilicam dedicari fecit. Festum S. Marci in Augia apud nos egit?* Rectene San-Gallenses, dum narrare vellent imperatorem in Augia festum S. Marci evangelistæ, ejus loci patroni, celebrasse, dicerent : Imperator apud nos festum S. Marci patroni nostri peregit? Si enim ita dicerent, quis, obsecro, non existimaret imperatorem festum S. Marci apud S. Gallum celebrasse, cum econtra Hermannus dicat in Augia hoc factum! Quis etiam non inde colligeret S. Marcum evangelistam apud San-Gallenses esse patronum, ejusdemque sacras reliquias ab iis asservari; cum tamen Hermannus ad annum 830 referat solummodo ad Augiense monasterium delatas? Quoniam vero hæc omnia sunt valde absurda et a veritate alienissima, sequitur a nemine alio istud Chronicon potuisse scribi quam a monacho Augiensi. Cum autem constet Hermannum hujus Chronici esse auctorem, sequitur etiam evidenter illum fuisse Augiæ monachum. Nihilominus tamen, etiamsi ista sint verissima, audiamus quid contra respondeat, qualiterque verba ex Hermanno adducta explicet R. P. Jodocus Mezlerus, qui cap. 26 lib. De viris illustribus S. Galli, ubi de Hermanno tractat, sic disserit: *Allucinantur vero qui putant Hermannum S. Galli monachum non fuisse. Enim vero ex eo quod Hermannus, cum Augiam nominet suam, « Augia nostra, » « imperator Augiam nostram ingressus, S. Marcum nobiscum egit, » similibusque utitur, non plus elicitur quam Hermannum in Augia eo quo imperator advenit tempore fuisse, vel summum illud, Hermannum jam tum in Augiam receptum, stabilitatem suam in ea fortasse firmasse. Bene enim potuit Hermannus in S. Gallo religionem in principio profiteri et dein in Augiam transmeasse*, etc. Hactenus ille. Videsne, lector, quomodo nodum hunc duplici telo conetur perstringere. Posteaquam enim animadvertit primum infirmius esse, etiam secundum adhibuit. Ratus est enim primo Hermannum forte tum in Augia hospitatum illi dedicationi cum aliis extraneis interfuisse. Sed etiamsi fingamus hoc factum, non tamen statim hanc ob causam Hermannus Augiam debuit vocare *nostram*, neque S. Marcum *patronum nostrum*. Nullus enim hospes et advena, dum vix alterius monasterii limen salutasset, mox ad illud acquireret jus ut, jam proprii monasterii oblitus, illud in quo hospitaretur vocaret *suum*. Quis ergo non videt Hermannum, dum talibus Augium verbis descripsit, se quoque inter Augiæ monachos numerasse? Cum proinde Mezlerus perspexisset hac prima sua responsione argumenti vim nondum labefactari, adjecit alteram, divinavitque Hermannum potuisse prius apud San-Gallenses professionem emittere, et dein, quando in Augiam transmeavit, ibidem professionem renovasse stabilitatemque firmasse. At cum hoc probationibus careat, gratis asseritur. Licet vero a latis exemplis conetur probare ante et post Hermannum Augienses quosdam ad S. Gallum transiisse, ibique de novo professos esse, non tamen ideo mox asserendum etiam Hermannum quoque et alios id factitasse, cum rationes cur denuo hoc affirmemus possint dari, pro alio non item. Sed si etiam concederemus hoc factum, nihilominus Hermannus magis ad Augienses quam ad San-Gallenses pertineret. Certum est enim illum, si e S. Gallo in Augiam transiit, ibique stabilitatem firmavit, juri suo, quod ad illud monasterium habuit, prius renuntiasse, vicissimque abbatem San-Gallensem cum conventu eumdem ab obedientia sua absolvisse liberumque dimisisse. Si ergo res ita sese habeat, cur San-Gallenses, qui Hermannum tunc sponte dimiserunt, nunc repetunt et ad se nolentem revocant? Annon Mezlerus paulo supra concedere jussus est Hermannum, postquam in Augiam e S. Gallo transmeavit, ibi stabilitatem suam firmasse? Quomodo autem revocari potest, qui stabilem se in Augia futurum juravit? Noster est ergo, et frustra post tam longam multorum temporum usucapionem repetitur, qui etiam sponte sua ante sexcentos annos indissolubili nexu cum licentia quoque San-Gallensium Augiæ se alligavit. At tandem Mezlerus, ubi neque secundam hanc responsionem animadvertit pro San-Gallensibus stare, in eam denique opinionem inductus est, ut diceret Hermannum in Augia quidem, quando ita scripsit, fuisse, potuisse tamen ad S. Gallum redire, constareque ex Trithemio monachos olim pro pleniore scientia assequenda ad diversa monasteria missos; cumque hoc de discipulis sit certum, de magistris longe fuisse certissimum.

Opinatur tertio Hermannum e S. Gallo in Augiam jam missum, ut juventutem bonis litteris imbueret Verum et hæc improbabilis responsio prorsus et veritati consentanea minime est. Nam præterquam quod tantum ad vim argumenti nostri declinandam sit excogitata, probarique aliquo testimonio nequeat, incredibile etiam est hoc contigisse tum quod Augiense monasterium tunc adventitio magistro opus non habebat, cum sub Bernone abbate, editis libris celeberrimo, viris doctissimis ita floruerit, ut omnium scientiarum culmen fastigiumque transcenderet; tum etiam, si demus aliquem a S. Gallo magistrum scholæ Augiensi in subsidium missum, non tamen videtur Hermannus potuisse mitti, qui corpore semper et valetudine infirmus, omniumque membrorum ferme destitutus est usu, sed alius corpore vegetior, et iis omnibus sufferendis accommodatior; tum denique etiam, quod non existimem, Hermannum sui ævi facile scientissimum, eruditissimumque, e suo monasterio alio fuisse ablegatum, cum sciamus hodieque thesauros pretiosos et raros diligentius custodiri. Sed attendat lector quod ultimo denique contra argumenta nostra abjiciat Mezlerus. Hic cum pensiculatius robur eorumdem examinasset, sensissetque humeros suos graviter premere, neque ostium quo erumperet patere, in omnes se partes anxius versavit, ut grave jugum scapulis suis excuteret. Occasionem demum certam elabendi se invenisse

Digitized by Google

ratus negare incipit, quæ ex Chronico prædicto adduximus, verba esse ab Hermanno scripta, sed esse ab aliquo alio appendicis loco adjecta, dicitque se in Annalibus suis, a me nec visis nec lectis, hoc demonstrasse.

At si huc tandem veniendum erat, poteram omittere ea quæ hactenus probavimus, poterat et Mezlerus tres a se magno studio excogitatas responsiones præterire, et unico neganti verbo totum argumenti robur dejicere, omnemque litem componere. Verum est enim, si ea verba Hermanni non sunt, nos hactenus parum probasse; si autem sint, ut nullus ambigo, verum quoque est nos Hermannum nobis evidenter asseruisse. Licet vero ille dicat se in suis Annalibus hoc demonstrasse, miror tamen certe unde probet. Etenim, si divinare liceat, suspicor illum inde velle colligere quod in Chronico auctiori, ab Henrico Canisio edito, multa reperiantur quæ sint ab aliis interjecta. Et tametsi non ignorem hoc verissimum esse, verba tamen illa quæ supra posuimus, certum est esse Hermanni; siquidem in omnibus, quas quidem me videre contigit, editionibus, et antiquis et recentioribus, tam auctioribus quam diminutioribus, reperiuntur, ut nihil etiam de manuscriptis aliis dicam. In nostro certe pervetusto exemplari (quod penes me habeo, quodque ab aliquibus ipsum autographum credebatur, etc.) licet a recentiore manu plura sint apposita, quæ etiam in editionem Canisii irrepsere, verba tamen suprascripta continuato et veteri simillimo charactere in ordine suo posita cernuntur. Ostendant adversarii, si tale aliquod vetus manuscriptum habent, ubi hæc verba non inveniantur. Et licet etiam tale haberent, et ostendere possent, non tamen probabunt supradicta verba ab alio esse superaddita, cum vero simile sit Hermannum Chronicon suum non semel duntaxat composuisse, sed post aliquos annos correxisse, et rebus aliis etiam auxisse, prout aperte etiam indicant Urstisius et Canisius, affirmantque illam tam multarum editionum varietatem diversitatemque inde solum oriri. Atque de his fusius hucusque disputavimus, ut scilicet ostenderemus locum quo Hermannus in Chronico Augiensem se insinuavit, non adeo segniter tanquam obscurum, aut Chronico noviter affictum et adulterinum esse prætereundum, sed veluti clarum imprimis, luculentum et genuinum esse notandum, ut merito, si etiam aliud argumentum non suppetat, Hermannum nobis astruxisse constare possit. Unde mirum est Mezlerum asserere ex eo loco nihil contra San-Gallenses probari. Ut enim præteream, quod supra uberius pertractavi, unum hoc, quod Hermannus *S. Marcum patronum nostrum* dixerit, ad persuadendum in Augia illum cœnobitam fuisse, sufficere Mezlero poterat. Meminisse enim debebat, se supra persimili argumento probasse, Walafridum sub disciplina abbatis S. Galli vixisse, quod videlicet in prologo Vitæ S. Galli eumdem vocitaverit *patronum nostrum*. Si ergo Mezlero subinferre licuit neminem S. Gallum *patronum nostrum* potuisse dicere, qui patrimonii ejus portio nulla unquam fuerit, cur et mihi non liceat asserere neminem quoque potuisse S. Marcum *patronum nostrum* nominare, qui patrimonii ejus etiam portio nulla fuerit unquam. Et revera inde sequi debuit, quod tamen cap. 12 supra refutavimus, Walafridum San-Gallensem fuisse, multo magis sequi debet Hermannum Augiensem fuisse, cum pluribus et diversis vocabulis uno eodemque loco tam luculenter hoc indicet. Jam vero producant etiam adversarii locum aliquem ex Chronico, quo San-Gallensem illum probent. Forte sicut S. Marcum, ita et S. Gallum vocat *patronum nostrum*, aut ex verbis aliis forsan colligitur fuisse San-Gallensis? Verum ego nuspiam quid tale invenio, imo vero potius contrarium non obscure colligo ex eo quod ad annum Christi 977 scribat: *Apud S. Gallum Ymmo abbas præfuit annis octo, qui templum patroni sui adornare studuit*, etc. Quis, amabo, credat Hermannum fuisse San-Gallensem, cum hic consueto abstineat S. Gallum nominare *patronum nostrum*, cum tamen si San-Gallensis fuisset, hic minime oporteret? Cur S. Gallum Ymmonis abbatis solum patronum dixit, et suum præteriit? Certe non aliam ob causam quam quod non ignoravit Augiensem se esse monachum et S. Marci filium.

Hactenus ergo evidenter ex ipso Hermanno probavimus eum Augiensem non San-Gallensem fuisse. Frustra igitur nobis Trithemii dissentientis auctoritas obtruditur, qui historiarum diversissimarum varietate obrutus, particularibus istis quæstionibus examinandis minus insudare potuit. Etenim præter ipsummet Hermannum opponimus Bellarminum De scriptoribus ecclesiasticis; Antoninm Possevinum in Apparatu sacro; Antonium de Yepes Hispanum in Chronico generali ord. S. Bened.; Arnoldum Wion in Lig. Vitæ; Henricum Canisium, Carolum Stengelium, Christianum Urstisium, alicsque innumeros, qui omnes concorditer asserunt, Hermannum Augiæ fuisse monachum; pluresque eorum inde suspicantur Trithemii errorem fuisse ortum, quod forte prima illa et vulgata Hermanni editio ex codice San-Gallensi fuerit transcripta. Hinc etiam non subticendum existimo Hermannum ubique in veteribus manuscriptis exemplaribus vocari monachum Augiensem, nunquam San-Gallensem, quod Arnoldus Wion diserte testatur. Unde longe aberrant a vero qui nostram de Hermanni monachatu Augiensi sententiam vocant novam, putantque primum ab eo qui Francofordianam editionem promovit inventam. Hoc enim melius refelli non potest quam si vetera inspiciantur exemplaria, quæ aliquot centenis annis ante Francofordianam editionem scripta sunt, quæque Hermanni monachi Augiensis nomen in fronte exaratum gestant. Tale exemplar reperitur Augustæ apud S. Udalricum, ex quo Henricus Canisius suam editionem exscripsit. Tale etiam fuit illud quo Urstisius fuit usus, talia fuerunt ea quæ Arnoldus Wion se vidisse aut legisse asserit; talia sunt mul.a

Digitized by Google

hinc inde in variis bibliothecis asservata. Quomodo ergo (quod quidam dixit) nemo unquam dubitavit Hermannum fuisse S. Galli monachum antequam ejus Chronicon Francoforti prodiret? Verius proinde dixerim ego ante Trithemii tempora neminem exstitisse qui non crederet Hermannum fuisse Augiensem, quod antiqua exemplaria, de quibus modo dixi, docere possunt. Porro ut tandem controversiam hanc finiamus, audire etiam ultimo liberet quæ San-Gallenses argumenta, quas rationes quosque antiquos codices pro se abducant, quibus Hermannum sibi ascribant. Hactenus enim nihil allatum est quo San-Gallensis probaretur. Quare si etiam sciretur non fuisse Augiensis, nondum tamen constaret esse San-Gallensem. Unde præposteram esse censes eam disputandi rationem, quando audacter quidem alienæ sententiæ, quantumvis munitæ, insultatur, propria vero negligitur, nullisque argumentis obfirmatur. Si ergo San-Gallensium rationes nostris aliquando efficaciores perspexerimus, nemo ambigat nos veritati libenter locum daturos, litemque mox omnem sepulturos. Verumtamen donec ab iis certiora inveniantur, noster maneat tantisper Hermannus, et cum speremus fore ut vix certiora inveniant, nobiscum etiam perennabit.

APPENDIX.

Jam a me isthæc controversa de Hermanni professione concertatio finita erat, et sæpius memorato R. P. Mezlero San-Gallensi transmissa, ut, si quid minus in ea videretur firmum et solidum, annotaret, ac contrariis, si robustiora haberet, argumentis refelleret. At nihil ille, præter antiquam illam suam toties repetitam crambem recoxit, asserens verba illa Chronici, quibus supra fusius relatis probaveramus Hermannum Augiensem esse, non esse fetum Hermanni, addiditque totam reliquam Chronici partem quæ est ab anno 1040 esse suppositiliam, et auctarii loco ab aliquo alio superadjectam; quod evidenter ratus est inde se demonstrasse quod videlicet in antiquiori Chronico mors et laudes Hermanni ad annum Christi 1054 descriptæ inveniantur. Hoc autem certe Hermannum præstare nequaquam potuisse, sed necessum esse ab alio factum; de quo ego plane non ambigo, et libenter ipse fateor mortem ejus ab alio esse descriptam, sicut et alia quæ ejus obitum secuta sunt. At intelligere ego nulla ratione possum cur statim etiam ea omnia quæ mortem ejus præcedunt, ab anno scilicet 1040 usque ad annum 1054, in quem obitus ejus incidit, Hermanno adjudicanda sint. Equidem suspicor non aliam ob causam hoc excogitatum quam ut verba illa anno Christi 1048 posita, quibus Hermannum Augiensem fuisse aperte conviceramus, spuria et incerta redderentur. Unde si nihil aliud superesset, totum sententiæ nostræ fundamentum rueret, et per consequens San-Gallensium opinio fortior evaderet. Si dicas diversitatem styli et methodi diversum etiam auctorem loqui, dicam ego stylum et methodum eumdem, eumdem auctorem clamare, quod certissimum est, et in Chronico auctiori per Canisium edito, et nunc etiam tom. IX Biblioth. Patrum inserto manifeste apparet, prout æqui et sapientes rerum censores, quorum arbitrio judicium nostrum libenter subjicimus, dispicere possunt. Verum quidem est ordinem in antiquiori illo Chronico ab anno 1040 ad finem usque longe videri diversum, tum quod multo fusior et longior hic sit, tum etiam quod in antecedentibus singulos etiam annos regiminis Romanorum imperatorum apposuerit, qui in posteriori parte omissi sunt, Christi annis solummodo notatis. At revera Chronicon novum et auctius nunc evulgatum, quod pro genuino et legitimo Hermanni fetu habendum est, ubique sibi simile prorsus est. Causa vero quare in posteriori parte prolixior sit, sine dubio illa est, quod ea quæ recentiora fuerunt, et ætate sua evenerunt, explicatius et majori cura sibi duxerit scribenda, quam ea quæ ab orbe creato ad sua usque tempora contigere, quæ, ut opus suum chronologicum omni ex parte perfectum appareret, compendiosissime potius attingere quam exponere studuit, quod nimirum sciret ab aliis antiquioribus hoc uberius præstitum, illud vero minime. Ad hæc non possum non mirari cur Hermannus, qui ad usque sua tempora succincte quidem, sed accurate historiam suam perduxit, ea, quæ suo ævo accidere, prætermisisse dicatur. Quis enim sibi persuadeat hominem laboris cupidum et historiæ amantem totis 14 annis, quibus ab anno Christi 1040 inter vivos adhuc fuit, a scribendo cessasse et otiatum fuisse? At vero, ut conjecturas alias intactas relinquamus, aliud inseparabile argumenti robur se nobis offert, quo adversariorum male fultam opinionem facillimo negotio subruamus, quod credo illos dissimulasse potius quam non advertisse. Tam enim perspicuum est, ut etiam a modice in historia versato non possit non deprehendi. Et quodnam, inquies, illud? Hoc certe quod in illa, quam negant Hermanni telam esse, Chronici posteriore parte ad annum Christi 1052 mors Hiltrudis comitissæ, Hermanni matris, talibus verbis describatur qualibus nemo alius præter Hermannum, utpote ejus filium, uti potuit. Ex quibus proinde clarissimum fiat eam Chronici partem nemini nisi Hermanno posse ascribi. Verba autem sunt ista: *Eodem tempore* v *Idus Januarii mater mea Hiltrudis, Wolferadi comitis uxor admodum pia, diem ultimum clausit*, etc.; *cui ut pro epitaphio hos scribere versus libuit:*

Mater egenorum, spes auxiliumque suorum, etc.

Hæc ille.

Fateantur ergo necesse est istud epitaphium Hermanni esse fetum, sicut et dicta verba ad Christi annum 1052 de Hiltrudis obitu dicta. Hoc cum ita se habere fateri adversarii velint nolint cogantur, quis non videt optime sequi verba quoque superius sæpius inculcata, quibus illum Augiensem fecerimus, Hermanno esse attribuenda, cum ea quæ sequuntur, quæque antecedunt, absque ulla controversia

Digitized by Google

ab omnibus Hermanni esse censeantur? Quo vero Hermannus loco historiam suam terminaverit, meum non est definire, cum hoc ad tricam nostram exterminandam nihil momenti afferre possit. Nihilominus tamen certum esse debet eum adhuc annum 1052 inchoasse, quod ex obitu Hiltrudis ibi descripto liquere potest, annum vero 1054 non complesse; quod itidem inde constare potest quod eo anno mortuus scribatur. A quo vero mors ejus fuerit adnotata, et reliqua deinceps appendix adnexa, me fugit. Modo scire sufficit ea omnia, quæ annum 1054 præcedunt, germanam Hermanni telam esse, quæ auctorem ipsa suum Augiensem fuisse monachum manifeste prodat. Restaret nunc porro novum alium cujusdam Crispiniani errorem propulsare, nisi ipsa sui absurditate ab omni peritorum historicorum schola exploderetur. Fabulatur enim iste auctor Hermannum nostrum non modo cœnobitam San-Gallensem fuisse, sed præterea somniat illum ejusdem S. Galli monasterii abbatem et dein præsulem Constantiensem factum, prout Augustinus Wickman Antuerpiensis, canonicus Norbertinus, in suo Sabbatismo Mariano, nuperrime typis evulgato, eum refert et sequitur. Siccine quæ nocturnis somniis objiciuntur, aut anus commentatione confinguntur, historicorum etiam mox pro pura puta veritate et indubitatis oraculis venditare? Hæcne bonorum consuetudo auctorum, ut quæ triviali cujusdam stipitis cerebello efficta circumferuntur, mox calculo quoque suo soleant approbare et per omnium ora promulgare? Nequaquam bonis viris est hoc in more A positum; sed solent illi quæ sunt incerta examinare; quæ vera, approbare; quæ falsa, e suis scriptis eliminare ac exturbare. Sed pudet næniis ac deliramentis istis diuturnius inhærere quæ ratione et fundamento omni carent, veterumque scriptorum nemo unquam quid simile vel scripsit vel dictavit. Legantur qui de rebus San-Gallensibus scripserunt, perlustrentur accuratissime qui antistitum Constantiensium aut catalogos aut historias composuere; evolvantur exquisitissime a capite ad calcem usque, et mentiar ego si sententiam, si verbum, si litteram hoc super commento dixerint aut scripserint. Quare cum ipsi San-Gallenses rerum suarum scientissimi de præsulatu San-Gallensi Constantiensique per Hermannum administrato nihil memorent, et ex albo B suorum abbatum eum excludant, quis exterus adeo sit stupidus qui se hoc melius scire profiteri audeat?

Manet ergo firmum, ut tandem rem totam finiamus, Hermannum neque abbatem, neque episcopum fuisse creatum unquam, sed monachum Augiæ duntaxat permansisse. Quod si quis allatis in medium argumentis probet eum aliquandiu in cœnobio quoque San-Gallensi degisse, ut quosdam cum Martino Crusio in Annalibus Suevicis scio sensisse, non habebit me veritati contradicentem, sed maxime sibi astipulantem. Quoniam autem hucusque, ut etiam supra monui, nihil quod eorum sententiam stabiliret, inveniri aut excogitari potuit, remanebit Hermannus alumnus et filius S. Marci Augiensium tutelaris, ut quem patronum ipse suum agnoscit, nominat, et supplex veneratur.

NOTITIA LITTERARIA.

(Apud Fabricium, *Bioblioth. med. et inf. Lat.*)

Hermannus, a debilitate membrorum qua laboravit C ab infantia dictus *Contractus*, filius comitis Voringensis et Sulgoviensis in Suevia, monachus S. Galli primum, deinde Augiæ Majoris sive Divitis, ord. Bened., præstans ingenio, Latinæ, Græcæ et Arabicæ peritus linguæ, et qui variis scientiis animum excoluisset. Diem obiit an. 1054 in prædio suo Aleshusano (1). De eo Trithemius cap. 321 de S. E., et II, 84, illustr. Benedictin. et De scriptoribus Germ. cap. 41; et ex recentioribus, ut innumeros notissimosque præteream, Nic. Hieron. Gundlingius in Gundlingianis tom. I, pag. 51 sq., et B. Joannes Hubnerus noster in Bibliothecæ Historicæ centuria III, pag. 71 seq. Inter opera ejus præcipuum est *Chronicon de sex mundi ætatibus*, quod ab rerum originibus perduxit ad annum Christi 1054. Ejus D variæ et aliæ aliis locupletiores exstant editiones, quoniam auctor ipse intercedente tempore videtur opus suum repastinasse vel locupletasse. Prima editio ex codice S. Galli lucem vidit edente Joan. Sichardo Basileæ 1529-1536, cum Chronico Eusebii et Hieronymi quod Hermannus, sicut Prosperi, Jornandis et Bedæ quoque in A. C. 726 desinentis diligenter est secutus. Deinde in tomo uno Joannis Pistorii Francof. 1583-1613 (et curante V. C. Burchardo Gotthelf Struvio, Ratisbonæ 1726 fol.) cum continuatione ab anno 1054 usque ad annum 1065. Ex meliori hinc codice cœnobii S. Georgii prope Rothwilam, Christianus Urstisius inter scriptores rerum Germanicarum, Francof. 1584 et 1670. Tomo priore Chronicon Hermanni locupletius edidit veteri editione per columnas ex adverso posita, subjunctaque præter continuationem Anonymi ab anno 1054 ad 1065, etiam alia Bertholdi presbyteri Constantiensis ab anno 1053 usque ad annum 1100. Denique Henricus Canisius ex codice biblioth. S. Afræ et Udalrici Augustano Chronicon hoc melius atque locupletius edidit Ingolstad. 1601 4°, tom. I Lectionum antiquar. (tom. III editionis novæ, pag. 193) cum continuatione priore usque ad annum 1066. Canisii

(1) Vide Pagium ad annum 1054, n. 10.

Digitized by Google

editionem secuti sunt Bibliothecæ Patrum curatores, Coloniensis tom. XI, et Lugdunensis tom. XVIII. Daniel quoque Nesselius promisit ex Cæsareo codice continuationem hujus Chronici usque ad annum 1347. Continuationem ab anno 1279 ad 1310 Wicardo de Polheim, archiepiscopo Saltzburgensi, tribui, Lambecius tom. II, p. 3, adnotavit, qui et continuationis usque ad annum 1347 meminit pag. 70. Cætera Hermanni scripta apud Anonymum Mellicensem cap. 91 memorantur hæc :

1. *Gesta Chunradi et Henrici.*

2. Carmen *De conflictu ovis et lini*, et aliud in modum *Theoduli*. Aliud item *De contemptu mundi*. Ex carmine *De virtutibus* vide Eccardi tom. II Corporis medii ævi, pag. 6.

3. Liber *De principalibus computi regulis.*

His a Trithemio adduntur : 4. *Vitæ plurium sanctorum.*

5. *De Physiognomia.*

6. *De compositione* sive *mensura astrolabii* et *de ejus utilitate*, quæ duo scripta primus edidit Bernardus Pez tom. III Thesauri Anecdotorum, parte II, pag. 95 et 109. Hos propter libros Hermannus inventor astrolabii habitus fuit a Guilelmo Durando, IV, 22, aliisque. Vide laudati Pezii prolegomena, pag. IX. Sed notum est ante Ptolemæi tempora usum astrolabii jam frequentatum fuisse.

7. *De eclipsibus.*

8. *De quadratura circuli.*

9. *De conflictu rhythmomachiæ.*

10. Honorius, IV, 12, scribit *dulcisonum cantum* composuisse. Anonymus Mellicensis : *in musica pene modernis omnibus subtiliorem, cantilenas plurimas de musica, cantusque de sanctis, satis auctorabiles* edisse. Trithemius : præter scriptum *De musica* et aliud *De monochordo* ait *dulci et regulari melodia eum cantus et prosas pulcherrimas composuisse. E quibus est illa de beata Virgine dulcissima*, Salve, Regina (2) *et* Alma Redemptoris Mater, *et cæteræ quarum copiosus est numerus.* Sequentia quoque, *Veni, sancte Spiritus et emitte cœlitus lucis tuæ radium* ad Hermannum auctorem refertur. Vide Joannem Egonem de Viris illustribus Augiæ Divitis, cap. 28, pag 689, tom. I Anecdotorum Bernhardi Pezii parte III, pag. 68, et Possevinum in Apparatu. Longe plura adduntur tum ab eodem Egone, tum a Joanne Metzlero cap. 47 De viris illustribus Sangallensibus tom. I ejusdem Pezii parte III, pag. 582. *Ave, præclara maris Stella.* Historiæ sive Officia Annuntiationis et S. Mariæ Magdalenæ responsorium, *Simon Barjona.* Et sequentia : *Rex omnipotens* de Ascensione Domini : et Historia de angelis. Denique, Trithemio teste, *transtulit nonnulla Græcorum philosophorum et Arabum astrologorum volumina in Latinum;* e quibus Joannes Metzlerus nominat rhetoricam et poesin Aristotelis ex Arabico. * Scripsit etiam hymnum seu rhythmum applaudens gloriæ Henrici II imperatoris, cum, Obbone regni Ungariæ invasore pulso, Petrum legitimum principem restituit. Incipit hæc cantilena : *Vox hæc melos pangat.* Vide Albericum in Chronico ad an. 1045. Hermanni hujus elogium historicum ab ejus familiari anno forte 1054 conscriptum e ms. codice Vindobonensi dedit Muratorius Antiq. tom. III, pag. 933. In eo vero, præter opera Contracti hic recensita, commemoratur libellus *De octo viciis capitalibus jocundulus metrica diversitate liricum poetice* (sic).

(2) Hanc alii minus verisimiliter Ademaro Podiensi episcopo tribuerunt, unde *Antiphona de Podio* apud Albericum in Chronico ad an. 1130, pag. 263; alii Petro de Monsoncio, episcopo circa an. 960 Compostellano. Vide Nicolaum Antonium, VI, 14, Biblioth. Vet. Hispan., pag. 579; S. Bernardi Opera, tom. II, edit. novæ Mabillonianæ Paris. 1719 fol., p. 738, 749.

AD VITAM HERMANNI CONTRACTI

PROLOGUS USSERMANNI.

(*Germaniæ sacræ Prodromus*, tom. I, ad calcem Chronici Hermanni.)

Hermanni Chronici continuationem præfati nostri codices auspicantur ab ejusdem Vita, scripta a Bertholdo, ejus discipulo, ut testatur Anonymus Mellicensis (libro *De Script. eccl.*, c. 92), ac Murensis codex, qui ad calcem Chronici Hermanni notat : *Abhinc Bertholdus*, ac mox Vitam Hermanni orditur. De quo quidem Bertholdo diximus jam in dissertatione operis prævia.

Vitam igitur hanc continuationi isti ex codicibus nostris præmittendam censuimus, tum ut Bertholdi hujus scripta, quæ quidem Mellicensis Anonymus indicat, integra habeamus, cum etiam ut nihil quod Hermannum spectat, hic desideretur. Edidit quidem illam, a nostra parum diversam, et a cl. Garellio sibi e Cæsarea Vindobonensi bibliotheca communicatam, Lud. Ant. Muratorius Antiquit. Ital. tom. III, p. 953, sub nomine *Elogii Hermanni Contracti ab ejus familiari conscripti.* Sed in paucorum manibus sunt ista volumina.

Equidem brevis elogii nomen aptius meretur hæc Vita, quippe quæ præter paucas admodum vitæ ejusdem circumstantias, virtutum ejus encomia, ac operum illius indiculum nihil fere complectitur eorum quæ aliorum Vitæ scriptores particularia

Digitized by Google

adnotare plerumque solent. Quæ quidem ex ipsius Chronico hic in compendio sistere haud abs re duximus.

Natales suos ac progeniem ipse prodit Hermannus variis in locis. Memoratis ad an. 1009 Wolferadi comitis junioris nuptiis cum Hiltrude se eorum filium, ac aliorum quatuordecim liberorum fratrem profitetur. Mox anno sequente 1010 Wolferadi senioris comitis, paterni sui avi, obitum refert, omisso tamen familiæ nomine; quam vero omnes ex Veringensibus comitibus repetunt, quos inter apud plerosque scriptores supplendus est Wolferadus hic senior. Comitatum istum in Suevia olim amplissimum Crusius (*Annal. Suev.* p. II, l. VI, c. 9) ab Alpibus Suevicis ultra Danubium usque extendit, qui deficiente priore stirpe partim dapiferis de Walpurg, partim Zolleranis cessit.

Wolferadi hujus senioris conjux et avia Hermanni fuit Bertha, cujus ipse obitum ad an. 1032 consignat. Berthæ patruum fuisse Reginbaldum seu Reginboldum, in pugna contra Ungaros apud Augustam occisum ad ann. 955 scribit. Matrem illi tribuit S. Udalrici Augustani episcopi sororem, quam ad an. 971 Luitgardam appellat, matrem quoque Adalberonis avunculo suo Udalrico in episcopatu successoris destinati. Tertius ejus filius, qui et Berthæ pater, ex Vita S. Udalrici c. 15 apud Velserum eruitur, Manegoldus frater prædicti Adalberonis. Hos igitur omnes Luitgardæ S. Udalrici sorori, qualem ex stemmate genealogico apud eumdem Velserum, p. 589, unicam habuit, tribuendos esse extra dubium est.

At major est in eorum patre seu Luitgardæ marito statuendo difficultas. Vocatur equidem in laudato stemmate Luitgarda hæc prima uxor Burchardi II, seu junioris, Sueviæ sive Alemanniæ ducis, qui ducatum ab an. 957 usque ad an. 973 tenuit, uti ad istos annos scribit Hermannus. Verum nulli dictæ Luitgardæ ex eo filii suscepti fuisse memorantur in tota Vita S. Udalrici, nec apud Stumpfium (Chron. Helvet. L. IV, c. 38). Crusius quidem (*Annal. Suev.* p. II, l. III, c. 11) Adalberonem et Reginboldum cum aliis Burchardo ex Luitgarda filios tribuit, satis tamen fabulose, dum Reginboldum primum monasterii S. Afræ Augustæ an. 1012 abbatem facit, qui tamen jam an. 955 in prælio occubuit. Nec alibi Burchardi hujus filios me legisse memini · imo in nova editione operis *l'Art de vérifier les dates* t. III, p. 67, an. 973, prorsus sine mascula prole decessisse scribitur, uti et in Chronico Petershusano infra edendo. Huic ipsi Burchardo, si Witichindo Corbeiensi (*Annal.* l. III, Meibom. t. I *Script.*, p. 656) fides, jam anno saltem 955 *nupserat filia fratris regis*, Hadwigis scilicet, Heinrici Bavariæ ducis, fratris Ottonis I regis, filia, quam passim alteram Burchardi ducis conjugem statuunt scriptores. Jam tum ergo Luitgarda prima uxor obierat, quam ipse jam viduam et dictorum filiorum ex alio priore conjugio matrem duxisse videtur. Atque hunc quidem primum ejus maritum ad an. 971 pandit Hermannus, parentelæ suæ, si quis alius, certe optime gnarus, dum Adalberonem, juniorem ut videtur, priorum ipsius filiorum fratrem, Luitgardæ sororis S. Udalrici, et Peiere comitis filium vocat. Sed quisnam hic Peiere comes? altum certe illius apud omnes istius temporis genealogos est silentium. Notatur quidem in antiquissimo catalogo nominum propriorum in Alamannia Teutonica olim usitatorum (Goldast. *Script.* t. II, p. 105) etiam nomen Peir, quod huic satis affine est, Latina tamen ejus nomenclatura haud additur. Vix non Peringerum seu Peringerium hic latere suspicor, quem inter comites Zurichgoviæ, quæ ducatus Alemannici pars erat, ex chartis traditionum S. Galli producit Herrgottus (*Geneal. Habsburg.* t. II) ad annos 942, 948 et 950, et ultimo quidem loco una cum ipso duce Burchardo, qui nescio qua ratione jam tum dux dici potuerit, ducatum adhuc ad an. 954 saltem tenente Ludolfo Ottonis regis filio, nisi id de Suevia tantum aut alia ducatus Alemannici parte sit intelligendum, maxime in Zurichgovia, ubi ceu ducis Burchardi senioris filius titulum forte et potestatem una cum patris sui bonis obtinuit. Verum hæc alio spectant. Quod si, ut conjicimus, Peringerus iste, Zurichgoviæ comes, primus Luitgardæ maritus fuerit, breve admodum dicendum est hujus cum Burchardo matrimonium, quippe ex dictis intra annos 951 et 955 subsistens. Sed hæc conjecturæ limites haud excedant: grates habebimus illi qui certiora nos de isto Peiere comite edocuerit.

His igitur missis, cætera ex Hermanno prosequamur. Ex tribus supra memoratis Luitgardæ liberis Adalbero clericus et cælebs, nec adeo Berthæ pater esse potuit. Reginbaldus jam an. 955 in prælio occumbens, qui patruus Berthæ dicitur, alium fratrem habere debuit, Berthæ patrem. Hunc adeo Manegoldum eorum fratrem fuisse necesse est. Frequens in familia Dilingensi Manegoldi nomen Luitgardæ inde descendens aliis quoque familiis per filium suum Manegoldum induxisse videtur, quod saltem in Veringensi passim deinceps occurrit.

De hoc ipso autem Manegoldo, ut ut certo Luitgardæ filio, et Berthæ aviæ Hermanni patre, parum aut nihil in monumentis recurrit. Manegoldus et Wolfradus inter comites recensentur in diplomate Ottonis I pro ecclesia Curiensi an. 972, apud Herrgott l. c., n. 141, ex quibus Wolfradus facile avus Hermanni, et Manegoldus Berthæ pater, ac Wolfradi deinceps gener esse potuit. Hujus porro, ut videtur, Manegoldi comitatum *in pago Zurichgewe* prodit alterum ejusdem Ottonis diploma pro cella Meginradi an. 975 (Herrgott *l. c.*, n. 143). Ex quo adeo genitam esse putamus Bertham an. 1032 defunctam, haud utique repugnante temporum ratione; quæ enim jam 1009 filium nubilem habuit, circa hæc tempora nasci debuit. Quo magis etiam nostram de Peringerio pariter Zurichgoviæ comite, Manegoldi patre, conjecturam firmari arbitramur. Quid vero

Digitized by Google

conjectatus sit interpolator codicis Augiensis sæc. xiv, dum Luitgardam una cum filiis Helfensteinianæ familiæ adnumeravit, nos saltem haud assequimur, nisi illorum quoque patrem ex eadem familia, utique his temporibus posteriore, fuisse putaverit, aut posteriores originem suam inde traxisse. Id vero disquirere instituti nostri haud est.

Hucusque de paterna Hermanni nostri prosapia, quæ ex ejus Chronico habemus, illustravimus. Tantumdem vero lucis inde haud accipimus, ut genus quoque ejus maternum in apricum deducamus. De illo id unum prodit filius, dum ad an. 1009 matrem suam vocat Hiltrudem, nescio cujus Piligrini et Berthradæ filiam, quam anno 1052, ætatis circiter sexagesimo primo, mortuam plangit ex generosa stirpe prognatam. Bucelinus in Menologio Benedictino ad d. 19 Maii maternam hanc prosapiam a comitibus de Thierstein repetit, nullo tamen, ut solet, asserti sui vade producto; nec etiam familiæ hujus originem ad usque sæculum x, quo nata est Hiltrudis, referre permittunt eruta hucusque documenta. Sed in tantopere incertis diutius hariolari haud vacat.

Hujus vero Hiltrudis cum Wolferado juniore matrimonium satis fuisse fecundum discimus pariter ex Hermanno, qui ad eumdem an. 1009 scribit se connumerato quindecim ex eo liberos prodiisse, e quibus tamen ipse unicum Werinharium an. 1021 tum et an. 1053 in Palæstina ante se defunctum memorat. Ex omnibus autem an. 1052 defuncta matre nonnisi septem fuisse superstites ibidem dicuntur. Hos inter recensendi sunt Wolferadus III, Isnen- A sis in Allgoia monasterii fundator, et frater ejus Manegoldus cum sorore vidua Irmengarde, de quibus Chronicon Isnense (apud P. Hess. in *Prodr. Monum. Guelph.*, p. 275). Unde simul discimus Wolferadum II, Hermanni patrem, anno primum 1065, v Kal. April., satis concessisse, quamvis alii ejus obitum ad an. 1069, v Kal. Nov., differant.

Inter germanos vero Hermanni maxime refulsit memoratus jam Manegoldus, qui in funesto schismate inter sacerdotium et imperium anno 1077 a regni principibus legatus ad Gregorium VII papam directus, etiam Forcheimensi conventui interfuit, *magnus* propterea *amator veritatis* dictus Paulo Bernriedensi in Vita Gregorii VII, qui eum amplissimo elogio honorat (*ibid*, n. 81) tanquam *fidelem apostolicæ institutionis sectatorem et propagatorem*: qui, inquit, *ex generosa et religiosa B. Udalrici Augustensis episcopi genealogia procreatus, et a sapientissimo fratre suo, Hermanno videlicet Contracto, in omni observantia Christianæ religionis ad unguem informatus in tantum projecit, ut ante finem suum, quem senex et plenus dierum attigit, quibusdam virtutum signis effulserit, et prophetiæ, quemadmodum in occisione filii patuit, dono venerabiliter claruerit*; prius enim de eo scripserat, quod filiorum suorum *alterum in cœlibatu occisum, imo ipsius occisionis ejus diem longo locorum intervallo remotus per Spiritum mirabiliter* agnoverit.

Tantum de Hermanni parentela ex ipso plerumque Hermanno proloqui visum; cætera lectores adjiciant, et nonnulla adhuc nos in sequentibus notis dabimus.

HERMANNI CONTRACTI

VITA SEU ELOGIUM

A BERTHOLDO EJUS DISCIPULO SCRIPTA.

(Apud Usserman. *ubi supra*, p. 145.)

Hermannus, qui et heros magnus, religiosi comitis Wolferadi filius, ab incunte ætate in exteriori homine passione paralytica omnibus membris dissolutorie contractus, in interiori autem ingenii vena præcunctis sui sæculi viris mirabiliter dilatatus, artium omnium perplexitates metrorumque subtilitates per semetipsum suo sensu fere comprehendit. Totus semper a primis (3) annis [*Murat.* hujus studio et otiis vacanter traditus, et vitam plenaria divina- D rum et sæcularium litterarum peritia magnus effectus est, ut ab omnibus ad magisterium et doctrinam ejus undique confluentibus stupori et admirationi haberetur]. Ea autem per omnes artuum compages immanitate dissolutus erat, ut nec se loco in quo ponebatur absque juvante quolibet aliquorsum se movere, neve saltem in aliud latus vertere posset; sed in sella quadam gestatoria a ministro suo depositus, vix curvatim ad agendum quilibet sedere potesaltem consentit scriptor Chronici Mellicensis (Pez. *Script. Austr.* t. I, p. 224) hæc ad annum 1044 referens: *Hermannus Contractus fuit filius nobilissimi comitis de Weringen, et fuit in studio in monasterio S. Galli primo.* Unde haud immerito censet Gundlingius Hermannum in S. Galli cœnobio primum fuisse eruditum, exinde autem in Augiam delatum, ibique monachum factum. Ac talem se, non vero San-Gallensem passim ipse prodit in Chronico, præcipue ad an. 1048. Vide notam (5) sequentem.

(3) Natus est Hermannus, se ipso teste, die 18 Junii an. 1013, et 15 Sept. an 1020, septennis, litteris traditus; locum vero haud exprimit, qui tamen alterutter fuit, Augiense scilicet vel San-Gallense monasterium, utrumque id temporis ob scholas suas celeberrimum. Postremum adoptat Trithemius (*Annal. Hirs.* t. I, p. 148), manifesto tamen anachronismo, dum Hermannum nostrum post Helpericum scholasticum, magistrum suum, anno 1005 defunctum, docendi munus ibi suscepisse tradit, quo utique necdum natus erat. Trithemio quoad locum

Digitized by Google

rat. In qua utilis ille et sanctæ operationis alumnus, quamvis ore, lingua labiisque dissolutis fractos et vix intelligibiles verborum sonos quomodocunque tractim formaverit, tamen auditoribus suis eloquens et sedulus dogmatistes, tota alacritate festivus, et in disputando promptissimus, et ad inquisita illorum respondendo morigerus minime defuit, sive aliquid novi vix digitis itidem dissolutis scriptitabat (4), sive sibi vel aliis lectitabat, vel aliquibus utilitatis aut justæ necessitatis sese exercitiis intentissimus semper occupavit.

Homo revera sine querela nihil humani a se alienum putavit. Enim vero humillimæ charitatis et charitativæ humilitatis exsecutor industrius, miræ custos patientiæ [*ed.*, cultor sapientiæ], apparitor obedientiæ præsentissimus, castitatis amator, virgineæ incorruptionis conservator, misericordiæ [*al.*, Mariæ] cultor hilarissimus, veræ [*ed.*, integerrimæ fidei orator vere catholicus, veritatis assertor, etc.] catholicæ veritatis assertor et defensor invictissimus, probatissimus religionis Christianæ pædagogus, non parvæ vir modestiæ, sobrietatis et continentiæ, utpote qui ab infantia nunquam carnes manducaret. Psalmodiæ, orationi et divinis laudibus officialiter satis devotus, et ante et post clericatum susceptum, quem Bern abbate Augiensi (5) viro sancto et sapiente adhortante circa annum tricesimum (6) subierat, et totius sanctæ et honestæ vitæ exstitit administrator orthodoxus. Miræ benevolentiæ, affabilitatis, jucunditatis et humanitatis omnifariæ conatu sese omnibus morigerum et aptum exhibens, utpote omnibus omnia factus, ab omnibus amabatur. Iniquitatis autem, injustitiæ et totius pravitatis et malitiæ, vel quidquid contra Deum fit, aversator et impugnator indefessus ad usque finem vitæ feliciter perduravit.

A

STUDIUM HERMANNI.

Computi igitur rationem, regulas et nonnulla argumenta, in quo prioribus cunctis non parum præcelluit, satis luculenter composuit et ordinavit; et præter cætera de naturali lunæ incensione regulares experientissimos ordinavit [*ed.*, adinvenit], per quos evidentissime sciatur in qualibet hora diei sive noctis a sole incendatur.

B Ad inveniendum quoque lunæ eclipsin regulas experientissimas excogitavit, geometriam quamdam non parvæ profecto, quantum ad artem illam, utilitatis, sicut in hac nemo majorum tanta scientia et subtilitate præditus fuit, ipse quoque naturali ratione et ordine per numeros et figuras conscripsit.

Cantus item historiales plenarios, (7) utpote quo musicus peritior non erat, de S. Georgio, S. Gordiano et Epimacho, S. Afra martyre, S. Magno confessore, et de S. Wolfgango episcopo mira suavitate et elegantia euphonicos, præter alia hujusmodi perplura, neumatizavit et composuit.

Libellum (8) hunc Chronicorum ab incarnatione Domini usque ad annum suum undecunque labo-

(4) Ergo non usquequaque adeo contractus fuit Hermannus, quin manuum ministerio ad scribendum aliquatenus saltem uti potuerit; quamvis ejus Chronicon, et forte alia quoque, discipulorum illius opera ex tabulis Hermanni descripta esse videantur.

(5) Vel sola hac Bernonis seu Bernhardi abbatis Augiæ mentione Augiensis Hermanni monachatus abunde comprobatur; quod ipse in Chronico satis quoque declarat, inter alia ad annum 1048 ita scribens : *imperator in* AUGIAM NOSTRAM *ingressus* VIII *Kal. Maii novam S. Marci* PATRONI NOSTRI *basilicam consecrari fecit . . . et ejus sancti festo in Litania majore* APUD NOS *acto*, etc. Quæ vero de clericatu Hermanni hic scribit Bertholdus, homini tantopere contracto, et ad ministerium altaris prorsus inepto convenire haud posse suapte videntur. Unde potius crediderim illa de monachatu ab ipso suscepto esse accipienda, quem sub *clericatus* nomine ob tonsuram sæpe venire Mabillonius in Annalibus et Actis sanctorum passim ostendit : ediditque Cels. Gerbertus Liturg. Aleman. t. II, p. 93 ex ms. rituali Rhenaugiensi huic tempori coævo ordinem *ad clericum vel monachum faciendum*. Inde etiam facile erroris arguuntur, qui Hermannum canonicum fuisse scripserunt, quales certe in Augia Divite nunquam fuerant. Vid. Pagium in Critica Baronii ad an. 1054.

(6) Muratorius habet annum *tricesimum octavum*, quod quidem ad annum ætatis referri nequit; Berno quippe jam an. 1048 obiit, quo Hermannus, an. 1013 natus, 35 tantum annos numerabat: igitur de anno Christi 1038 intelligi debet. Utra vero hic sit genuina lectio determinare haud licet.

(7) Intelliguntur hic rhythmi, prosæ aut etiam sequentiæ in horum sanctorum honorem concinnatæ, quas, teste Trithemio ad an. 1005, *sine certo numero plures edidit*. Ejus vero librum de monochordo, quem citat idem Trithemius libro de Scriptor. eccles. c. 321, inter Scriptores musicos t. II, p. 124, ex ms. Vindob. vulgavit cels. Gerbertus.

C

(8) Agimus de hoc in Dissertatione prævia, infra. Cum vero *hunc librum* dicat, jure conjicimus Chronicon istud ab Hermanno quidem fuisse ex aliis scriptoribus collectum, a Bertholdo autem ex ejus tabulis conscriptum usque ad annum ejus emortualem 1054, cui dein Vitam hanc cum ejus continuatione de suo adjecerit. Cæterum hunc Operum Hermanni catalogum haud esse completum ipse ejus scriptor indicat, dum alia adhuc *perplura* ab eo composita dicit. Plura certe enumerat Trithemius locis mox not. præced. citatis. Nonnulla etiam addit scriptor Chronici Mellicensis apud Pezium (*Script. Austr.* t. I, ad an. 1044). P. Bern. Pez (t. III *Thes. Anecdot.* p. II, p. 951) edidit librum ab Hermanno Contracto scriptum *De mensura astrolabii*, in bibliotheca S. Petri Salisburgi repertum, atque ex initio is ipsus dignoscitur, quem indicat Trithemius c. 321 De script. eccles., ubi tamen Hermanno tres libros *De compositione astrolabii*, et unum tantum *De utilitate astrolabii* tribuit, de qua vero duos habet Pezius l. c., p. 107, uti etiam Trithemius in Annal. ad an. 1035 se correxit. Priorem *De mensura astrolabii* Hermannus cuidam amicorum suorum inscripsit, sola initiali littera B. indicato, qui haud dubie is ipse est Bertholdus, quem ibi pariter, ut mox infra, *animum suum* compellat. Idem porro Pezius in præfatione tomi I ejusdem operis, fol. xxxvm, alium se codicem in S. Emmerami monasterio Ratisbonæ vidisse affirmat, qui libellum carminum Hermanni (Contracti procul dubio) ad sanctimoniales contineat, quem forte in genere tantum de carminibus indicat. Credibile autem admodum est communi eruditorum fato plura ipsi opuscula fuisse supposita quorum tamen auctor minime fuerit, utpote jam quadragesimo primo vitæ suæ anno defunctus, ac insuper tantopere contractus.

D

Digitized by Google

riosa diligentia collegit. Gesta quoque Chuonradi et Heinrici imperatorum (9) pulcherrime descripsit. Libellum ad hæc de octo vitiis principalibus jucundulum, metrica diversitate lyricum, poetice satis elaboravit. In horologicis et musicis instrumentis et mechanicis nulli non par erat componendis. In his igitur et in hujusmodi perpluribus, quæ memorari non brevis est temporis, quantum ad imbecillitatem suam totus semper continuus studuerat.

Tandem vero cum de ergastulo mundi hujus fastidioso sanctam ejus animam Dei pietas dignaretur liberare, pleuritica arreptus passione decem contabescens dies incessabiliter fere et immaniter laboravit lethali hac invasione. Tum quadam die summo mane, cum, matutina synaxi celebrata, ego, quem quidem familiarem præ cæteris habebat, ad lectum ægrotantis accessissem, et, an se aliquantulum melius habuerit, ab eo inquisissem, respondit : « Noli, inquam, de hoc, noli me interrogare, quin potius hoc quod tibi, in quo non parum confido, enarrem, diligenter attende. Moriar procul dubio in brevi, et non vivam, nec reconvalescam; ideoque tibi meisque omnibus unice nimis commendo peccatricem animam meam. Per totam quippe noctem hanc in extasi qualam raptus fueram, et videbar mihi ea memoria et scientia, qua orationem solemnis Dominicam, Hortensium Tullii Ciceronis lectitando et mox relectitando vigilanter percursitare, et remanentis adhuc sensum et scripturam materiæ, quam proposui de vitiis dictandam quasi jam perscripserim, similiter lectitare, et id genus multa. Cujus nimirum instinctu et hortatu lectionis tanto mihi totus hic præsens mundus cum suis omnibus, et ipsa hæc vita mortalis contemptui et tædio est, et e contrario tam ineffabili desiderio et dilectioni futurus Hic et non transitorius mundus, et æterna illa et immortalis vita, ut quasi nihili et inane cuncta transitoria hæc omnino reputentur, et floccipendantur a me. Tædet quidem me vivere. »

Ego autem visionis hujus et sermonis non parum stupefactus oraculo, et ut pro tanti amici talisque magistri abscessu oportuerat, totus fluens in lacrymis et commotus ejulatu memet satis indecenter vix continui. Mox ille sic me quasi zelando corripuit, quam stupido in mo obliquans tremebundus intuitu : « Noli, anime mi, noli super me plorare, quin potius mihi tripudiando congratulare. Accipe, quæso, tabulas meas, et quæcunque adhuc scribenda restant in eis, imprimis tu diligenter emenda, demum scripta eis, qui ea dignentur, commenda. Ipse autem lete quotidie cogitans moriturum, præpara te semper toto nisu et meditatu in idipsum iter, quia nescis quolibet die vel hora me tuum amicissimum prosequeris. » Et in hæc verba cessavit.

Dehinc in dies, ut fit, languore semper ingravescente, eheu! ad extrema perductus est. Et totus jam jamque ad cœlestia suspensus, post confessionem peccatorum ex toto corde purissimam, et communicatam devotissime Christi eucharistiam, pluribus, qui ad eum visitandum confluebant, fratribus, amicis et familiaribus in unum psallentibus, orantibus et conflentibus, felici, quod solum semper præ omnibus exoptavit, consummatione felix ille et incomparabilis homo Dei VIII Kal. Octobris (10) feliciter omnino exspiravit, et suis omnibus planctum relinquens non modicum in prædio suo apud Alleshusan (11) officiose lamentabilibus exsequiis tumulatus in pace requievit.

(9) Idem testatur Anonymus Mellicensis et Otto Frisingensis in Chronico, l. VI, c. 33 : *Cæterum tam ejus* (Henrici III) *quam patris sui* (Conradi II) *actus et virtutes Hermannus Contractus in libello quodam, quem ipsi destinavit, luculenter satis disseruit.* Ex quo sumpta sunt quæ idem Otto, l. c., cap. 32, habet : *unde est ille rhythmus Hermanni Contracti de præfato triumpho* (Henrici III contra Ungaros) *qui sic incipit :* Vox hæc melos pangat. Utinam illum aliquando in suis scriniis diligenter perquisitum pro historiæ patriæ bono publica luce donaret solers quidam bibliothecarius.

(10) Dies hæc est 24 Septembris, qua memoriam Hermanni inter sanctos prætermissos fecium Bollandiani, uti et die 19 Julii, seu postridie nativitatis ejus, ad quam Bucelinus eum in Menologio Benedictino cum *beati* titulo consignat, quamvis nullibi hucusque ecclesiasticum cultum obtinuerit. Emortualem annum 1054 haud expressit scriptor, id adnotasse contentus, illum Chronicon ad annum mortis suæ perduxisse, quod ex dictis in Dissertatione an. 1054 indicat. Quod vero ad an. 1043 scribit Trithemius (*Annal.* t. I, p. 181) : *Anno prænotato Hermannus Contractus ex comitibus de Veringen monachus nostri ordinis cœnobii S. Galli in Suevia, homo in omni litteratura doctissimus, non sine opinione sanctitatis moritur..... qui scholæ monachorum in eodem loco plus quam* XXXVII *annis gloriose præfuit;* ex hucusque dictis tam quoad habitationis locum, quam tempus obitus, et annos præfecturæ scholarum perperam scripta convincuntur, maxime cum Hermannus nonnisi 41 annos natus obierit in suo Augiensi cœnobio, dein majorum suorum monumento in Alleshausen illatus. Cæterum Augiensem Hermanni monachatum contra Trithemium egregie vindicavit Joannes Ego libro De viris illustribus Augiensibus, cap. 28, apud Pezium Thes. Anecd. t. I, p. III, p. 683, ubi plura de ejus Chronico referuntur.

(11) Villam Aleshusin nominat ipse Hermannus ad an. 1052, matrem suam ibi *sub capella S. Udalrici a se constructa in sepulcro quod ipsa sibi præparaverat*, conditam scribens. Qui adeo locus ejus, uti hic Hermanni, prædium fuit, haud dubie in Veringensi comitatu situs. Quod si de antiquis latissimi olim hujus comitatus limitibus certo constaret, de hujus quoque loci situ ambigere haud liceret. Duæ namque ejusdem fere nominis villæ in eodem Sueviæ tractu occurrunt, una Alschausen seu Altzuhausen nunc dicta, sedes est commendatoris provincialis Balliviæ Alsatiæ et Burgundiæ, quæ an. 1264 ordini Teutonico cessit, ac lacum Bodamicum propius respicit, in rurali capitulo Sulgaviensi sita. Altera est Aleshausen prope lacum Plumarium seu Buchaugiensem in capitulo rurali Biberacensi. Hæc ipsa forte nominum similitudo scriptores in transversum egerit, ut unam alteri substituerent. Bruschius utrumque locum distinguit, dum de episcopatibus Germaniæ scribens, priorem quidem locum Hermanni sepulturæ tribuit, ac in Lamberto Constant. episcopo ibidem tenerrima et in cineres jam resolvi incipientia ossa sibi an. 1548 ostensa fuisse testatur. Con-

Digitized by Google

USSERMANNI DISSERTATIO PRÆVIA

DE CHRONICO

HERMANNI CONTRACTI

EJUS EDITIONIBUS, MSS. CODICIBUS, ET NOVÆ HUJUS EDITIONIS RATIONE.

(*Germaniæ sacræ Prodromus*, tom. I, pag. 10.)

Hermannum, a membrorum fere omnium paralysi *Contractum* vulgo dictum, notiorem esse quam ut multa commendatione indigeat, in confesso est inter eruditos, quorum passim encomiis prædicatur. Ex his Joan. Trithemius, in Annalibus Hirsaug. ad an. 1005, illum inter omnes Germaniæ doctores sui temporis philosophum, rhetorem, astronomum, poetam, musicum et theologum celeberrimum appellat. In ejus lem Catalogo virorum illustrium Hermannus vir audit *in divinis Scripturis eruditissimus, et in sæcularibus litteris omnium doctorum sui temporis doctissimus, trium linguarum, Græcæ, Latinæ et Arabicæ peritissimus, atque Hebraicæ non ignarus, vita quoque et conversatione devotissimus.* In neutro tamen loco inter opera ab ipso composita Chronicon quoddam recenset, bene vero in libro De scriptoribus ecclesiasticis, ubi Hermanno librum De sex mundi ætatibus ascribit, quo nempe titulo illud adhuc in editis prænotatur, quamvis perperam, ut deinceps dicemus.

Jam ante Trithemium Chronici Augustensis scriptor exeunte sæculo XI, quo mediante obiit Hermannus, illum sui sæculi miraculum cunctisque in acumine ingenii præeminentem vocat ad an. 1054. Anonymus vero Mellicensis, ejusdem ferme temporis auctor, cap. 91 De scriptoribus ecclesiasticis : *Hermannus*, inquit, *Contractus, Suevigena, philosophus in computatione subtilissimus exstitit.* Enumeratis dein aliquot ipsius lucubrationibus subdit : *Chronicam quoque et gesta Chonradi et Heinrici* (Cæsarum) *composuit, in quibus omnibus virtus illius satis enituit.*

Atque hoc quidem Chronicon, uti reliquis ejus operibus ob suam in patria, medii præsertim ævi, historia utilitatem merito præcellit, sic solum fere ex omnibus, si pauca excipias, ætatem tulit, subsequis dein historicis, maximeque chronographis, basin quasi et veluti fontem præbens eorum annalibus; unde temporibus suis antiquiora ut plurimum hauserunt, ac sua quoque sibi magis nota pro locorum et temporum diversitate aut eidem inseruerunt, aut particularia regionibus suis minus congrua omiserunt. Cujusmodi chronica Hermanno quasi superstructa hic recensere, immensum foret æque ac superfluum, cum id passim in chronicorum collectionibus observare liceat. Nempe uti Hermanno anteriores plerumque Bedæ Venerabilis librum De sex mundi ætatibus fundamenti loco posuerunt, sic illo posteriores, in nostris saltem partibus, sua chronica Hermanno superstruenda sibi sumpserunt. Et jure quidem, ut videtur : sive enim facta ætati suæ vicinora aut coæva spectemus, plura sane ignota nobis hodie forent, nisi ejus industria posterorum memoriæ fuissent conservata; sive temporum supputationem attendamus, illa plerumque cæteris accuratior est, nisi quando aberrans scribarum calamus falsam temporis seu annorum notam præposuit. Succincta denique narratione paucis multa complexus genuini

sultus hac de re D. Ignatius Depra nobilis de Plain, dictæ commendæ consiliarius id, nobis in responsis dedit, se præter communem de Hermanno ibi sepulto traditionem in illius scriniis nil reperisse, nisi duo translatarum quarumdam ejus reliquiarum apographa instrumenta, vi quorum an. 1631, *ossa tria corporis B. Hermanni Contracti ex ejusdem loculo, qui in Altschausen asservatur*, translata perhibentur ad Ochsenhusanum monasterium, uti et a 1626, 18 Maii alia ad Weingartense, quæ Bucelinus in suo Menologio recenset, *sacrum* scilicet *capitis verticem cum brachio et aliis aliquot sacris ossibus.* Unde de loculo seu sepultura B. Hermanni apud Altschausen haud dubitari posse videtur. Hiltrudem vero matrem Hermanni in Alleshausen conditam scribit idem Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ in historia Marchtallensis canonicorum Præmonstratensium cœnobii, in qua Jodocus abbas an. 1461 electus *Alleshusium ad lacum Buchoviensem* seu Plumarium emisse legitur, *ubi Hermanni Contracti mater cubat.* Idipsum quoque Bucelinus in margine ad Hermannum an. 1052 sua manu notat, Alleshausen sub ditione abbatis Marchtallensis, ubi condita sit Hiltrudis, ab Altschausen equestri distinguens. Verum illuc quoque datis litteris nullum hujus sepulcri, aut capellæ S. Udalrici, sub qua condita sit, vestigium, aut ullam saltem facti hujus memoriam reperiri didici. Quanquam alias locus iste certe ad Veringensem comitatum pertinuerit, a principali ejus cognomine oppido haud adeo dissitus, uti Altschausen in Algovia. Stet tamen interim sua dictis scriptoribus fides; nobis saltem persuadere haud possumus Hermannum, in Augia defunctum, in alio extra eam loco sepeliri voluisse quam ubi matrem suam humatam noverat, quive utrobique Alleshusan dicitur, unde facile dein Allshusen et denique Altschusen efformari potuit; quem quidem locum ceu celebriorem alteri ignobili, et filiali tantum ecclesiæ sub parochia Seekirch hic pro utriusque et matris et filii sepultura præferendum censemus. Sed de Hermanno hucusque satis.

Digitized by Google

chronographi patres, si quis alius, Hermannus præprimis sustinuit. Verum de his alii judicent; nostrum interim est ut de Chronici hujus editionibus, mss. codicibus, ac nostræ hujus editionis ratione pauca prævie disseramus.

§ I. — *Editiones Chronici Hermanni.*

I. Celebratissimi hujus Hermanniani Chronici plures hucusque prodierunt editiones, adeo tamen inter se diversæ, interpolatæ aut truncatæ, ut quænam illarum genuinum Hermanni partum exhibeat, incertum plane sit ac dubium. Quæ quidem tanta diversitas unde potissimum provenerit, postea indicabimus, cum prius de ipsis editionibus nonnulla dixerimus.

II. Primus Hermannum cum aliis scriptoribus publici juris fecit Joannes Sichardus Basileæ an. 1529, ex codice, ut videtur, San-Gallensi, quem vero alteratum fuisse et subin interpolatum multa evincunt. Incipit enim a mundi creatione, totumque opus, De sex mundi ætatibus inscriptum, ad verbum fere ex Venerabili Beda transumptum est usque ad Christi nascentis tempora, unde Chronicon suum auspicatus dicitur Hermannus in ejus Vita; quod vel exinde quoque eruitur, cum ab eo tempore plurimum a Beda discordet. Unde multum a vero aberrant qui Hermannum Bedæ tantum compilatorem existimant, ut postea videbimus. Ut ut vero deinceps Sichardi editio cum codice Augiensi in plerisque conveniat, multa tamen interpolata continet, facta aliis annis recenset, et plura subinde omittit usque ad annum 1040, ubi rursus cum Augiensi concordat.

III. Primam hanc Sichardi editionem ad verbum expressit Joannes Pistorius in sua Scriptorum Collectione, item Basileæ an. 1536, ac rursum an. 1613 Francofurti procusa, et ipse tamen alicujus mss. codicis subsidio destitutus: unde par de utraque judicium ferendum est; cui recte adeo Gundlingius parvum pretium statuit. In eo quoque ambæ conveniunt quod Chronicon Hermanni a condito mundo usque ad an. 1066 nati Christi perducant, Bertholdi nimirum continuationem absque ulla ejus mentione immediate subjungentes Hermanno, qui tamen jam an. 1054 scribere ac vivere desiit.

IV. Pistorii Hermannum novis curis emendatum, et ex Urstisii ac Canisii editionibus auctum. Burch. Gotth. Struvius postea Ratisbonæ an. 1726 vulgavit, cujus pretium ex citatis et mox indicandis editionibus æstimandum est. Porro et hæc, uti prior Pistorii, a condito orbe usque ad an. 1066 decurrit, nulla prorsus alicujus continuationis mentione facta.

V. Tertia, eaque melior, et hucusque optima Hermanni editio debetur Christ. Urstisio, quam tomo I Scriptorum Germanicorum, Francofurti an. 1587 et 1670 vulgato, inseruit, ubi Hermannum sistit a Sichardo excusum *ex antiquo exemplari cœnobii San-Gallensis*, ut ipse quidem existimavit, inductus haud dubie a Sichardo, qui in præfatione sua Hermanni ephemerides in D. Galli cœnobio exaratas fuisse, quamvis perperam, asseruit. Id vero singulare præstitit Urstisius, quod priori textui ab anno Christi 378 in altera columna diversum adjungat, desumptum ex sæc. XII codice mss. monasterii S. Georgii, quod nunc Villingæ est, quive an. 1768 cum nostro D. Blasii monasterio in cineres abiit. Atque hunc quidem codicem, ceu jam impressis multo copiosiorem, magisque emendatum, simul edendum censuit Urstisius; in hoc tamen suo judicio haud parum deceptus, cum Hermanni genuini nonnisi quoddam compendium sit, idque nec integrum, nec cum ipso Chronico satis hinc inde concordans, prout infra de codicibus acturi demonstrabimus. In hoc vero præstat Urstisiana editio quod duplicem pariter Hermanni continuationem subjungat, ab anno 1054 deductam, unam quidem breviorem ad annum usque 1066, ampliorem vero alteram usque ad annum 1100, de quibus in sequentibus acturi sumus.

VI. Mancum igitur hucusque, aut minus saltem exactum in editis videri poterat Hermanni nostri Chronicon, dum illud subito auctius multo magisque completum dedit Henricus Canisius tomo I Antiquarum Lectionum vet. edit. anno 1601, etc., ex cujus editione postea in Bibliothecas Patrum Coloniensem tom. XI, et Lugdunensem tom. XVIII, transiit, recusum a Jac. Basnagio, tom. III novæ editionis an. 1725, unde excerpta nuper dedit P. Bouquet sodalis Maurianus in amplissima sua Collectione scriptorum rerum Francicarum, tom. III et seqq. Ipse autem Canisius illud suum Chronicon deprompserat ex ms. codice Augustano monasterii SS. Udalrici et Afræ, quod ipse in ejus fronte asserit esse ab Urstisiano longe diversissimum et locupletius: quæ etiam causa fuit quod primo quidem communi eruditorum applausu fuerit exceptum. Nec id sane immerito, quippe quod plurima contineret quæ in hucusque impressis desiderabantur. Verum brevi post adverterunt sagaciores molem illam tantopere dilaudatam excrevisse ut plurimum ex interpolationibus codici Augustano absque omni delectu insertis, et sine crisi exinde vulgatis, ac vel Hermanno posterioribus, vel ab ejus saltem manu alienis. Atque hinc factum est ut viri docti non pauci, interque eos Bollandiani agiographi tom. I Sept., pag. 540, et tom. VI Junii in appendice, p. 89, Canisianæ editioni, innumeris insuper mendis respersæ, minus fidendum rati, eidem priores editiones, etsi minus amplas, præferendas censuerint, utpote magis sinceras nec tot erroribus obnoxias. Hæc porro magis dilucidabit codicum manuscriptorum recensio, quam hic instituimus.

§ II. — *Codices Manuscripti.*

VII. Omisso hic codice Schardiano, de quo jam diximus, alios examinabimus, præprimis San-Georgianum breviorem, unde Urstisius ex parte, et Augustanum prolixiorem, unde Canisius integram suam editionem adornarunt. Atque de primo quidem, utpote jam deperdito, nec ab Urstisio satis curate de-

Digitized by Google

scripto, judicium ferre haud liceret, nisi ex instituta Urstisianæ editionis collatione cum alio, qui nunc in electorali bibliotheca Monacensi asservatur, priori per omnia fere simili codice, certiora edocereamur. Hunc describit cl. Œfelius (t. I *Script. Boic.*, p. 652) codicem esse membranaceum in forma quarta, *qui præter Hermanni Chronicon, continuatoris quoque ejusdem Bertholdi* Constantiensis (*qui in codice* Bernoldus *vocatur*) *continuationem ab anno* 1053 *ad annum usque* 1100 *complectitur. Est autem ille auctoribus suis coævus, ab ipsoque Bernoldo exaratus : id quod ipsa scriptura liturœque, nec non rasa subinde membrana, omnia quidem ab eadem manu, atramento tamen et tempore diverso aucta, mutata et correcta non obscure videntur innuere.* Est hoc ipsum de Bernoldi codice judicium, quod de suo San-Georgiano tulit Urstisius : *auctorem hunc fetum illum primo utcunque formatum lambendo deinceps magis politum et exactum reddidisse.*

Pergit porro Œfelius de codice suo disserens: *Titulus miniatus codicis magis etiam conjecturam firmat, qui ita habet :* Hæc sunt Chronica Bernoldi, quæ contradidit monasterio Domini Salvatoris, Schafhusensi nimirum. Quæ vero sint illa Chronica a Bernoldo exarata, satis declarant quæ ibidem in margine litteris valde minutis expressa leguntur: *Insunt auctores chronicorum Eusebius, Hieronymus, Prosper, Dionysius, Jordanes, Beda, et nostri temporis* (sæculi nempe XI) *Hermannus, et deinceps* noster (adeoque ipsius Bernoldi manu exaratus) *liber, sui temporis descriptores.* Hæc quidem omnia sub Chronicorum Bernoldi nomine in autographo isto codice veniunt, partim quod ab ipso in uno volumine sint conscripta, partim vero ac præcipue quod ab eodem in compendium velut redacta ex Hermanno; non enim ipsum Hermanni Chronicon dedit Bernoldus, sed ejus epitomen duntaxat, cui suam dein continuationem, aut proprium potius Chronicon sub uno narrationis filo annexuit, quod hic sub denominatione nostri libri indicat. De quo plura in disquisitionibus ad Bernoldum prævis occurrent, ubi is monachis S. Blasii vindicabitur.

VIII. Ex hoc vero Monacensi codice Œfelius l. c. variantes dedit lectiones ad San-Georgianum Urstisii, scilicet ab an. 378, a quo hic illum exorsus est, motus haud dubie illis quæ in codice Bernoldi autographo post annum 377 leguntur, et forte in San-Georgiano habebantur, verbis : *Hucusque chronica Eusebii Hieronymus perduxit. Hinc autem usque ad millesimum LIV annum ab incarnatione Domini dominus* Heremannus *sua Chronica perduxit.*

At vero, cum Hermannus, teste Vitæ scriptore, Chronicon suum ab incarnatione Domini ordiatur, etsi ex Eusebio et Hieronymo potissimam partem depromptum, illa etiam quæ inde usque ad annum 378 decurrunt, ad Chronicon istud pertinere dubium nullum est, eo videlicet modo quo anno illo posteriora Hermanno tribuuntur, quamvis ex Prospero aliisque Chronicorum scriptoribus desumpta. Ut igitur Hermannum breviorem ex Bernoldo integrum haberemus, variantes quoque dictum annum præcedentes nancisci curæ fuit. Has vero summa diligentia a se excerptas, et ad antiquum Urstisii codicem exactas, humanissime submisit plur. rev. et cl. D. Hart, eruditissimus electoralis bibliothecæ Monacensis præfecti vices gerens, cui grates hic publico nomine persolvimus. Ex ejus insuper litteris discimus, Bernoldi codicem perinde ac illum Sichardi a sex mundi ætatibus, quæ Venerabilis Bedæ sunt, ordiri, a nativitate Domini autem usque ad annum 378 plurimum ab eo discrepare, prout ex nostra editione legenti patebit.

In eodem codice San-Georgiano continebatur aliud parvum Chronicon a nato Christo usque ad an. 1155, eadem prima manu descriptum, abinde autem a variis usque ad an. 1627 continuatum. Prior ejus pars, a sequioribus subin interpolata, nonnisi summarium quoddam seu compendium erat; Hermanni Contracti præcipue, ex qua nonnulla adhuc fragmenta in adversariis nostris collecta reperimus, quæ quantum ad historiam patriam pertinent, sub titulo Chronici Georgiani suis locis inserentur.

IX. Detecto jam fonte San-Georgiani codicis, qui præter paucas interpolationes ipsissimus est Bernoldus a nobis edendus, simul etiam Murensis et Engelbergensis codicum natales deprehendisse nobis videmur. Celeberrima ista duo Helveto-Benedictinæ congregationis monasteria jure inter religiosas suas colonias recenset nostrum D. Blasii monasterium, quod de Murensi quidem principali ipsa ejusdem acta haud diffitentur (*Hist. Nigræ Silvæ*, t. I, p. 247) juxta quæ sub Gisilberto S. Blasii abbate Luitfridus, ejusdem cœnobii monachus, abbas Murensis constitutus est, referente Bernoldo in Chronico ad an. 1096, defunctus. Sub hoc vero in S. Blasio descriptus videtur iste codex, indeque fratribus Murensibus directus; finit quippe ad annum 1091, circa quæ tempora Colonia e S. Blasio istuc deducta est, nec ulla prorsus in eo dicti Murensis cœnobii mentio recurrit, quam profecto haud omisisset scriptor si illum in loco isto exarasset.

Ut tamen, quod res est, dicamus, Chronicon in codice isto contentum non tam Hermanni censendum est quam compilatio quædam ex variis chronographis collecta. Bernoldum quidem arguere videtur ejus initium ab anno 144 post natum Christum (priores enim anni desunt usque ad annum 378), quocum ab illo tempore exacte plerumque congruit adeo, ut quæ in Bernoldo Monacensi ad marginem subinde notantur, Murensis ut plurimum ipsi textui inserat, ac ad illum annum allegata etiam Bernoldi verba notet : *Hucusque chronica Eusebii Hieronymus perduxit ; hinc autem usque ad millesimum LIV annum ab incarnatione Domini dominus Heremannus sua Chronica perduxit.*

Quis abhinc non exspectasset textum Hermanni,

Digitized by Google

sive breviorem ex Bernoldo, uti hucusque; vel prolixiorem et genuinum ex Augiensi, uti ab anno 1045 ad finem usque factum est? Et tamen exinde Hermannus vel maxime interpolatus est, præcipue ex Reginone Prumiensi, atque subin aliunde etiam, et quidem a diversis, ut videtur, scriptoribus; sæpe enim unum idemque factum aliis verbis diversisque annis illigatur, nulla prorsus habita gestorum seriei aut temporum ratione. Notatur equidem post annum 906 litteris miniatis: *Hucusque Chronica Reginonis, et sequuntur Chronicæ Hermanni;* verum eodem inani promisso: quæ enim ab illo anno sequuntur, tam parum Hermanni sunt ac priora, sed anonymi illius scriptoris, quem ceu Reginonis continuatorem eidem subjungit Pistorius. Sed nec ipsum integrum exhibet; nam ad annum 939 in medio textu filum abrumpit, ac deinceps ab anno 940 Hermannum sistit, prout in Gottwicensi codice mox describendo magis adhuc contractus habetur.

Eadem prorsus codicis Engelbergensis ratio est, qui cum Murensi in omnibus congruit, ex eodem ipso, ut videtur, descriptus. Neuter adeo usibus nostris in hac editione inservire potuit, nisi in ultimo Hermanni decennio, quocum tunc primum conveniunt, et sic Hermannum ad ultimum triennium nobis integrum conservarunt, qui in Augiensi codice cæterisque ex illo transumptis, illo tempore mancus est.

X. Notari vero merentur quæ in utroque hoc codice ad an. 741 leguntur, ex Pagio tamen ad an. 725 spectant: *Hucusque Beda venerabilis presbyter Chronicam suam in majori de Temporibus libro perduxit... Sed multa intermista sunt de chronicis cujusdam Reginonis Bremensis* (leg. *Prumiensis*) *abbatis, qui descripsit ab incarnatione Domini incipiens, et pertingens usque ad DCCCCVI. Abhinc* (scil. an. 727) *autem quæ sequuntur, sumpta sunt ex apicibus* QUATUOR AUCTORUM, *videlicet prænominati Bremonis* (Prumiensis) *abbatis, domni Hermanni Contracti, et discipuli ejus Bertholdi atque domni Bernoldi presbyteri* S. Blasii. Hic fontes simul indicantur unde sua hauserunt codicis istius compilatores, simulque aperte notatur distinctio inter ambos Hermanni continuatores, Bertholdum scilicet ejus discipulum, et Bernoldum S. Blasii presbyterum, ambos in unum Bertholdum Constantiensem presbyterum hucusque perperam confusos.

XI. His demum codices isti subjiciunt quæ in fine libri primi chronici Reginonis leguntur ad annum 741: *Hucusque regnum Romanorum, ex hinc Francorum supputatur;* quæ utique rectius ad hunc annum pertinere videntur, quo patre Carolo mortuo Pippinus secundæ stirpis regum Francorum parens primum potestate, dein an. 752 nomine quoque regio Francis imperare cœpit, quam ad annum 726, quo in plerisque etiam editis notantur, tempore prorsus incompetente, Caroli scilicet Martelli, dum adhuc Merovingici primæ stirpis reges præerant. Quamvis alias Romanorum regnum finem jam an. 484 in Galliis acceperit, devicto per Clodoveum Siagrio, regnoque ad Merovingos inde translato.

Porro a fronte Murensis hujus codicis compactum est aliud breve Chronicon a diversa manu ejusdem tamen sæculi XII charactere exaratum, et decurrens ab anno 398 usque 1175, ita quidem ut velut epitomen contineat primo quidem Hermanni Contracti usque ad an. 1054, abinde vero Bernoldi usque 1100, quem dein usque ad annum 1175 prosequitur.

Insertum vero est tabulis chronologicis epactarum; unde sæpe contigit ut, deficiente ad annum assignatum spatio, reliqua ad alios annos vacuos ante vel retro adnotantur: quæ adeo inde extracta suis locis posuimus. Illud Chronicon inscripsimus *Chronicon S. Blasii*, ob ea quæ de monasterii hujus rebus maxime post Hermanni ætatem sæpius refert, tacito plerumque ejus nomine, quo ipso scriptorem dicti cœnobii fuisse alumnum, suumque Chronicon ibidem exarasse satis evincitur; de cæteris enim monasteriis agens, suis ea nominibus indicat.

Multa de eo disserit cels. Gerbertus in Historia Nigræ Silvæ, tom. I, p. 390 seq., et clar. P. Mauritium Van der Meer Rhenoviensis cœnobii historiographum secutus, auctorem illius conjicit B. Frowinum ex monacho Blasiano ad abbatiam Engelbergensem circa annum 1147 assumptum, ubi etiam, ut ibid., p. 421, notatur, an. 1178 decessit, relictis ibi codicibus sua manu scriptis, quam in Chronico quoque sibi deprehendisse visus est laudatus vir doctissimus.

Ut ut vero Frowinum istum sibi vindicent Einsidlense et San-Blasianum monasteria, utriusque forte successive alumnum, illum tamen Chronici hujus fuisse scriptorem dubium adhuc remanere potest. Quid enim causæ sit cur ipse nullam prorsus sui monasterii, cujus abbas postulatus fuerit, sed unius duntaxat sui *San-Blasiani* mentionem fecerit? Occurrit ibi quidem ad an. 1120, sed recentiore manu adjecta hæc nota: *Eodem anno incepta est hæc cella ab abbate Adschelino*, seu verius ab Adelhelmo, qui an. 1124, Non. April., a Callisto II privilegium confirmationis accepit, itemque an. 1125 ab Heinrico V imp. (HERRGOTT *Genea. Habsb.*, tom. II, p. 143), in cujus diplomate regulare hoc monasterium tempore Henrici quarti regis Romanorum honorifice constructum dicitur. Cum ergo ille jam an. 1106 obierit, jam tum hæc cella constructa esse debuit, nec adeo primum an. 1120 incœpta, ut male fert dicta interpolatio, quæ etiam deest in ipso hujus Chronici exemplari Engelbergensi: ubi tamen alia a secunda manu inseruntur, uti, an. 1125 obitus Conradi de Seldenburen fundatoris; an. 1131, obitus B. Adelhelmi; an. 1178, domnus Frowinus venerabilis abbas noster II decessit; item an. 1197, obitus B. Bertholdi; an. 1125, Heinrici I; an. 1241, Heinrici II, et an. 1250, Wernheri abbatum celebris istius monasterii. Quæ igitur postea addita fuisse videntur huic San-Blasiani scriptoris Chronico a quodam Engelbergensi monacho, sive defuncto jam, sive ad

Digitized by Google

insulas Angelomontanas assumpto Frowino. Certe in memorato Chronico ultima S. Blasii mentio occurrit ad annum 1143, quo illum Engelbergensis monasterii regimen susceptisse ex domesticis suis monumentis conjiciunt Einsidlenses nostri eruditissimi sodales, Necrologio maxime, in quo ad dictum annum 1143 Frowiniana seu prior manus desinat.

XII. Recensitis hucusque Chronici Hermanniani codicibus, ut ita dicam, domesticis, adnumerandus quoque venit Gottwicensis, in celeberrimo hujus nominis Austriæ inferioris monasterio repertus, in quod pariter e D. Blasio prima fratrum colonia immissa est, ductore Hartmanno abbate, uti Bernoldus in Chronico ad annum 1094 enarrat. Id vero peculiare habet codex iste, quod primum an. 726 incipiat, atque Bernoldo multum adhuc brevius Hermanni compendium sistat, ab anno autem 940 usque 1052, quo finit, cum Murensi ac Engelbergensi fere ad verbum concordet. Fallor, aut hinc transumptus est codex Mellicensis, quem edidit P. Hier. Pez tom. I Script. Austr., p. 163, quo Hermanni Chronicon pariter continetur ab incarnatione Domini. Hic enim cum Gottwicensi ab anno 726 usque 1040, ubi hic fusior esse incipit, idem ad apicem est, exceptis duntaxat particularibus quibusdam, Augiæ et S. Galli cœnobia spectantibus, quæ sæpius omittit Mellicensis, eorumque loco specialia quædam Austriæ suæ gesta interserit, salvo interim manente reliquo textu. De altero Gottwicensi codice, qui Bernoldum auctiorem complectitur, dicetur alias.

XIII. Dum vero cuncti, quos hucusque recensuimus, Hermanni codices tam apte non in generalibus modo, sed vel maxime in particularibus Constantiensis diœceseos rebus enarrandis inter sese consentiunt, omnino in eadem quoque diœcesi exarati videntur, et quidem, ut ex jam dictis haud immerito conjicimus, in nostro D. Blasii monasterio, et a pluribus scriptoribus, agmen tamen ducente Bernoldo, chronicon Hermanni in compendium quoddam redigente, quod dein aut magis adhuc contraxerunt, aut ex aliis chronicis plus minus interpolarunt, aut, prout a Bernoldo contractum erat, descripserunt. Eo enim tempore describendis libris et maxime chronicis unice fere vacabant monachi, unde etiam tanta chronicorum, a monachis plerumque concinnatorum, farrago. Ex hac jam litteraria penu fratres ad extera monasteria instituenda dimissi præter cætera necessaria codicibus quoque instruebantur, quos secum ad novas istas colonias detulerunt. Quales cum e D. Blasio fuerint prædicta monasteria, codices quoque illos exinde accepisse censenda sunt, maxime quod omnes ætatem præferant qua illa fundata sunt. Inde factum ut quod mater sinistris temporum fatis crebrisque incendiis perdidit, filiarum industria conservaret, ac postliminio eidem liberaliter communicaret.

XIV. Domesticis hisce codicibus et brevibus quasi Hermanni compendiis succedit Augustanus fusior, quem sibi evulgandum sumpsit Canisius. Papyraceus is est, et ex Augiensi codice descriptus sæculo demum XIV jam ad finem vergente. Constat id partim ex ipso charactere, partim et præcipue ex frequentissimis interpolationibus, Hermanno multum posterioribus, quæ successive in codicem Augiensem tam in margine quam reliquis spatiis vacuis irrepserunt, atque ex hinc una omnes in Augustanum quoque, et inde sine omni crisi in Canisium migrarunt. Sed et ab ipso suo prototypo Augiensi sæpius discrepat ectypon Augustanum, in quo facta crebro ad alium annum referuntur, aliquando integra commata omittuntur, aut perperam etiam exarantur. Rem uno exemplo declarare sufficiat, uti saltem in Basnagii editione legitur. Augiensis ad an. 1021 scribit : *Irmentrudis Buochaugiensis abbatissa venerabilis decessit, eique Abarhild abbatissa successit;* cujus loco ms. Augustanum, et ex eo Canisius sensu plane contrario ponit : *Irmentrudis Rrdchaugiensis abbas obiit, eique Abarhild abbas successit.* Quod quidem Mabillonium, et quantum virum? eo usque in transversum egit, ut tom. IV Annal. Bened., p. 279, nescio quod ignotum monasterium exinde conjeceri, cujus memoria jam exciderit. Nec semel idem peccatum peccasse contentus, ad an. 1027, loco *Hiltegart Buochaugiæ abbatissa efficitur*, quod habet Augiensis, rursus crassa negligentia ponit *Hiltigart Buchaugiæ abbas efficitur.* Plures ejusmodi haud tolerandi errores notantur infra § III, n. 19, qui tamen omnes a lectoribus facile deprehendentur. Accessit ad errorum et deceptionis cumulum, quod Canisius codicem suum, aliunde sat depravatum, majoribus adhuc a se mendis respersum vulgaverit, et sic majoris quidem molis, minoris tamen fidei Hermannum orbi litterario obtruserit.

XV. Codici Augustano, si sphalmata excipias, magis quam cæteris editionibus convenit antiquissimus codex San-Emmeramensis principalis Ratisbonæ monasterii, sæculo XI haud diu post Hermanni tempora scriptus ibidem, ut patet ex iis quæ de S. Emmeramo et Ratisbona occurrunt, omissis nonnunquam illis quæ Constantiensem Hermanni diœcesim concernunt. Orditur autem ab anno 378, ut Urstisii San-Georgianus, et ad annum 1054 desinit.

XVI. Ex eodem quo Augustanus fonte Augiensi profluxit etiam Einsidlensis codex, mediante sæculo XIV in Fabariensi monasterio scriptus, prout in ejus fronte alia manu notatur : *Istum librum fieri procuravit Hermannus, genere de Arbona, abbas hujus monasterii Fabariensis, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto scriptum in eodem monasterio.* Hermannus hic ex Eremo abbas a Fabariensibus postulatus, codicem Augiensem, qui tunc, incertum quo fato, apud Einsidlenses erat, describendum ab illis expetiit, quibus dein transumptum apographum remisit, codice sibi retento, uti ibidem distincto charactere legitur : *Ego frater Heinricus de Ligritia humilis thesaurarius monasterii Heremitani eodem anno* (*scilicet* 1356), *accommodaveram eidem venerabili abbati* (Hermanno) *exemplar istius libri ad rescriben-*

Digitized by Google

dum, et retinuit ipse vetustissimum nostrum librum, et dedit nobis istum novum. Nec diu tamen Fabariæ hæsisse videtur Augiensis codex, jam tum vetustissimus habitus, ad locum originis suæ forte jam an. 1361 reversus, quo flammis periit Fabaria. Ante finem saltem sæculi XIV jam Augiæ fuisse restitutum, argumento sunt interpolationes ab eo tempore Augiæ in codice illo factæ, quæ non habentur in Einsidlensi Fabariæ exarato, bene vero in Augustano, qui adeo Einsidlensi posterior est. Sic, exempli gratia, ante annum 882 in superiori margine vacuo hæc notata sunt in Augiensi : Nota : *Burkardus episcopus de Hewen fuit introductus Constantiam quarta feria ante Assumptionem beatæ Virginis anno* [*MCCC*] *LXXXVIII ab incarnatione Domini; et ante proxima tertia feria conferebat mihi Heinrico Leman et.... Johanni Casper Ulrico feoda, quæ vulgo dicuntur* des Mantelars lehen : *et pater noster Heinricus Leman piæ memoriæ moriebatur LXXXVIII in jejunio, ubi cantatur* Sitientes, *qui emit prædicta feoda pro Willhelmo Gochan.* Alia adhuc in vacuis annorum 988 et seq. spatiis ab eadem manu apposita continetur hæc *Nota, quod* [*MCCC*] *LXXXVIII fuit valde mirabilis ab incarnatione Domini. In Alamannia fuerunt multæ rixæ. Primo Liga traxit ad Bavariam, et destruxit ibi multas villas. Secundo de Wirtembery habuit bellum cum Liga. Eodem anno duo etiam duces Bavariæ Dominica die ante Bartholomæi apostoli et victoriam habuerunt, et de Liga occisi fuerunt quatuor millia hominum. De Constantia evasit unus, de Lindaugia nullus, de S. Gallo unus, de Basilea duo. Et est illud bellum factum penes Richenwil.* Studio hæc apponenda censuimus, quod etiam lacinias subinde ad historiam patriæ illustrandam conferant. Cæterum Einsidlense istud apographum in membrana formæ quartæ descriptum Augustano multo emendatius est, nec tamen sine erratis chronicis et additamentis Hermanni genuini ætatem minime ferentibus. Singulari autem prorsus fato accidit ut eodem ferme tempore uterque, quem hic edimus, Hermanni codex ad Fabariense monasterium devenerit, Augiensis nimirum, ut mox vidimus, et Monacensis Bernoldi; quod ipsum argumento est litteras inibi adhuc sæculo XIV egregie fuisse excultas.

XVII. Ex his porro codicum Hermanniani Chronici descriptionibus facile jam erit dijudicare unde tanta in editis diversitas suam traxerit originem, ex una nempe codicum, quibus usi sunt editores, varietate. Hanc vero diversis ex causis repetendam arbitramur : partim ex nimium scrupulosa scriptorum diligentia, qua permoti, quæ prius exararant, identitem retractare et emendatiora magis magisque reddere allaborarunt, quod Oefelii et Urstisii de Bernoldi codice judicium est, quo ipso priora ex iis apographa a posterioribus et ipso fonte jam correcto discrepare debuerunt; partim quod eruditi qui chronicis his utebantur, ad proprium usum vel aliorum notitiam plura illis adjecerint aut immutarint; quod Basnagius in præfatione ad suum Canisium sentit : partim denique et potissimum quod descriptores variis in locis existentes, factis generalibus, aut quæ sibi magis arridebant, retentis aut contractis, et omissis particularibus, aliena loca seu regiones spectantibus, eorum loco inseruerint illa quæ provinciis ubi scribebant magis propria videbantur; cujus rei exemplum vel solus Bernoldus cum Hermanno collatus luculentissimum præbet. Atque hinc dum alii vel ex propria notitia nonnulla suis exemplaribus apposuerunt, vel ut scriptum suum augerent, ex diversorum chronicis plura adoptarunt, nova quasi compilatio chronica prodire debuit, uni tamen eidemque sæpe auctori ascripta, ut supra in Murensi codice observavimus.

Auxere malum et confusionem editores, aut sæpius amanuenses, qui quæcunque in suis codicibus undecunque demum assuta legebant, notas etiam marginales, et quascunque interpolationes, ac si primi auctoris forent cujus nomen præferebant, nullo aut parvo habito delectu, nulla adhibita sobria crisi, sub ejus nomine vulgarunt, de mole potius quam de veritate et sinceritate solliciti; quod sinistrum fatum Hermanno nostro præcipue obtigit. Ast cui demum bono hæc omnia? Nempe ut frustra Hermannus in Hermanno quæratur, et genuinus a spurio discerni minime possit, ac, quod historiæ patriæ haud parum officit, in varios errores inducantur aut perturbentur saltem sagacissimi alias ejusdem investigatores. Id supra in Mabillonio et Bollandianis hagiographis testatum dedimus, aliudque exemplum in Hartmanni Annalibus Eremi habemus, quem interpolationes Canisianæ editionis ad an. 947 de Thietlando abbate, et ad an. 949 : *Gregorius II Pater*, etc., mire torquebant, cum tamen in Augiensi legatur : *Gregorius sanctus Pater.*

Sed satis jam de factis hucusque Hermanni Chronici editionibus æque ac mss. codicibus actum, unde simul novæ editionis ex genuino codice adornandæ necessitas patet, de qua jam pluribus dicendum.

§ III. — *Novæ editionis consilium et fontes.*

XVIII. Hic vero inprimis mirari subit cur nullus eorum qui Hermannum sibi vulgandum sumpserunt, de Augiensi primario fonte cogitarit, sed omnes derivatis duntaxat ex eo rivulis fuerint contenti, qui quo longius a sua scaturigine abeunt, eo amplius alieno eoque subinde lutulento affluxu excrescunt. Primus hac in re eruditorum votis, pro indefesso suo in patriam historiam studio, deferre in se suscepit cl. P. Mauritius Van der Meer de Hochenbaum Rhenaugiensis monasterii polyhistor solertissimus, qui plura jam eum in finem subsidia paraverat. Cum autem a pluribus jam annis in eo esset cels. Martinus Gerbertus, S. Blasii princeps abbas, ut excussis undique scriniis litterariis nova Bernoldi nostri, seu Bertholdi vulgo Constantiensis presbyri Operum, et maxime Chronici illius editio adornaretur, etiam Hermannum continuatori suo præmittendum nobis concessit idem humanissimus P.

Digitized by Google

Mauritius, aliis insuper laboribus ab illo edendo nonnihil præpeditus. Opportune id quidem accidit, ut simul et Hermannus ex codice Augiensi, ceu primævo quasi nativitatis suæ solo, ac Bernoldus ejusdem epitomator ac continuator ex ipsius autographo Monacensi amico quodam nexu conjuncti in lucem denuo prodire possent. De quo ultimo cum in superioribus plura jam dixerimus, restat ut de priori nonnulla hic disseramus, quantum quidem ex diligenti ejusdem perlustratione deprehendere licuit.

Est vero hic ipse Augiensis codex membranaceus in folio, ut vocant, minore, nitido et eleganti charactere exaratus, qui omnino sæculum XI et ætatem Hermanni refert. Hunc quidem sunt qui manu ipsius Hermanni scriptum existiment; dubium tamen de eo haud leve movent imprimis multa calami sphalmata, et orthographia passim neglecta, tum eadem nomina propria alio atque alio modo sæpe expressa, ac vel maxime voces inepte sæpius conjunctæ aut divisæ: quæ omnia e perito Hermanni calamo fluxisse ægre quis sibi persuadeat. Nobis certe id admodum verosimile videtur, codicem quidem sive ex schedis sive ex ipso Hermanni autographo, si unquam exstitit, fuisse desumptum; id enim satis innuunt illa: *Ego Herimannus natus sum*, et quæ alia de seipso narrat: non tamen ex visu, sed ex auditu descriptum, dictante scilicet alio, pro more in cœnobiis tunc recepto, ut, ob codicum raritatem et monachorum, numerum unus dictando præiret, pluresque amanuenses plura simul hoc modo apographa conficerent. Cumque inter tot scribas nonnulli imperitiores haud dubie numerarentur, multa ab illis male intellecta perperam quoque notari pronum fuit. Unde etiam originem petendam esse judicamus tot mendorum quæ scriptorum illorum incuria aut imperitia codices primum ac demum editiones quoque contaminarunt, cum cuncta in codicibus contenta religiose sibi retinenda esse duxerint eorum editores.

Accedit in Hermanno alia ratio, haud satis interim observata. Dum enim Bertholdus Hermanni discipulus in eius Vita NUNC *libellum Chronicorum* a magistro suo undique collectum dicat, is ipse ex ejus tabulis, non autem Hermannus illum conscripsisse videtur. Neque Hermanno tantopere contracto, ut *vix digitis itidem dissolutis* novi aliquid scriptitare posset, elegans adeo codicis istius character tribui potest; unde de existentia alicujus Hermanni autographi, excepto illo a discipulo ejus exarato, dubitare quis merito possit.

XIX. Præter indicata vero superius codicis hujus menda, interpolationibus quoque minime caret, a diversis diverso tempore et locis insertis, idque partim in marginibus, partim in spatiis, quæ sive ad annos facto aliquo haud notatos, aut inter annum et annum duarum plerumque aut plurium linearum vacua relinquuntur, a diversa tamen manu seu charactere facile cognoscendis. Has vero dum ab editionis nostræ contextu abesse volumus, insiguiores, præter superius notatas, pro notitia historica hic separatim adjicere visum est.

An. 838, erasis quæ primæva manu scripta erant, alia sæc. XIV substituit: *Sanctus Meginradus venit ad locum Augiensem.*

An. 861, ad eumdem Meginradum in margine recentius notatur: *Sanctus Meginradus patronus noster, comes de Sulgen, filius comitis de Sulgen.*

An. 871, post *Salomon episcopus obiit*, ad oram marginis sæc. XIV additur: *Cui Pateon successit, præfuit annis* III; de quo eodem modo ad an. 875 in margine inferiore: *Constantiæ Patecho episcopus obiit anno 875 pro quo Gebehardus annis* X *præfuit.*

An. 911, post *ducatum invasit*, recens sæc. XV in margine additur: *Burckard ipse fuit comes de Veringen.*

Post an. 924, inferius quædam inseruntur de campanis an. 1393 Augiæ fusis; quorsum adeo codex iste ex Fabaria reversus tum erat.

An. 934, ad *Eberhardus*, etc., in margine sæc. XIV *sanctus Eberhardus Pater noster;* quod indicio est reliqua in textu non esse interpolata.

An. 941, in vacuo anni istius hiatu hæc quoad tempus falsa ponuntur: *Nota quod dux Lutpoldus Austriæ occisus fuit cum multis militibus anno ab incarnatione Domini* [*MCCC*] *LXXXV, quarto Kal. Junii, et fecerunt civitates silvestres, quæ dicuntur Walstet: postea anno LXXXVIII multæ gentes volebant destruxisse illam provinciam, quæ dicitur Glarus, et venerunt per portus; postea illi Glarenses venerunt cum octoginta viris, et occiserunt bene trecentos, qui turpiter dederunt fugam.* Hæc non leguntur in Einsidlensi, bene vero primæva manu in Augustano. Quis autem ferat a Canisio suæ editioni ad an. 941 fuisse inserta?

An. 945 sæc. XIII vel XIV additur: *Thietlandus Pater venit* (Canisius misere *Tietlandus Patuen.*) *primus abbas hujus loci;* et in margine: *Tiethlandus abbas monasterii Heremitarum, qui fecit glossam super Epistolas sancti Pauli.* Quod Canisius ad an. 947 in sua editione habet, uti et illa quæ in Augiensi an. 947 in inferiore folii parte notantur, et ne quidem in Einsidlensi codice reperiuntur: *Nota anno ab incarnatione Domini* 1390 *proxima quarta feria post Nativitatem Domini fuerunt fulgura et tonitrua circa mediam noctem;* ubi insuper male legit *tetra* pro *circa*. Proh! qualem Hermanni editorem, qui talia ejus Chronico inspergere audeat! Sed necdum finis.

An. 949, manu sæc. XIII vel seq., *Gregorius sanctus Pater ac nobilissimus venit*, ad Einsidlen scilicet. Ubi Canisius rursus vel contra proprii codicis Augustani fidem habet: *Gregorius II Pater.*

An. 950, eadem priore manu, *Vigilius scriptor obiit*, quod in reliquis codicibus plane deest.

An. 955, ad *Reginbaldum* in margine sæc. XV notatur *de Helfenstein.*

An. 960, ex sæc. XIII circ., *Gregorius abbas effi-*

Digitized by Google

ciur, in Einsidlen nempe, Canisianæ editioni inser- A tum.

An 971, *Adalberoni* ad oram sæc. xv ascribitur *von Helfenstein.*

An. 972, textui alia sed fere coæva manu additur : *Ratisbonæ S. Wolfgangus episcopus factus est ;* et alia recentiore sæc. xv : *Hic comes de Pfulingen natus : nobilis de Ridenfels prope Schwebeswerd natus ;* et in inferiore margine : *matre a Veringen.*

An. 973, manu sæc. xv aut seq. additur : *Nota : ille Burghardus fuit fundator monasterii montis Duelli ; deinde anno* 1005 *illud monasterium a divo Hainrico Rom. imperatore ad Stain nuncupatum translatum est.* Vid. infra Chronicon Petershusanum.

An. 979, ad *Gebehardum*, sæc. xv ad oram notatur, *comes de Zeringen* : falso, cum fuerit *de Bre-* B *gens.*

An. 987, m. sæc. xiii, *Ecclesia cellæ S. Meginradi aucta est.* In reliquis codicibus inde desumptis hæc a prima manu sunt, uti et illa an. 996 : *Gregorius sanctus abbas obiit*, quibus in Einsidlensi recentior manus adjecit *scilicet monasterii Heremitarum.*

An. 997, post *filias reliquit* manu sæc. xv ad oram *una Gisela.*

An. 1008, ad *Augiense* cœnobium sæc. xiv notatur : *Annus retributionis nequam abbatis venit*, Immonis scilicet tunc depositi, quod etiam in Einsidlensi a prima manu habetur.

An. 1009, Ad *Wolferadum Hermanni patrem* in margine sæc. xv *comes de Veringen ;* ubi rursus nescio quid commentus est Canisius, pro *Piligrini* C *et Berthradæ filiam* legens *Piligrim et Bernhardi filiam ;* qui item anno sequente loco *paternus avus meus Clemens* intolerando errore ponit *paternus avus in censibus clemens.*

An. 1031, ad marginem ex sæc. xiii, *primi lapides ecclesiæ cellæ S. Meginradi* vi *Idus Maii positi sunt.* In cæteris codicibus primæva manu exarata Canisius detruncata exhibet.

An. 1032, manu sæc. xv, ad *Bertham* notatur *de Helfenstain nata.* Ibidem in margine sæc. xiv additur : *Warmannus episcopus Constantiensis, quondam monachus hujus loci, Eremitani* scilicet, quamvis Einsidlenses inter et Augienses de eo adhuc lis sit. Lacunam quæ hoc anno in Augiensi transumptisque inde codicibus observatur, ex Bernoldo Monacensi D supplevimus.

An. 1034, ab Augiensi aberrat Augustanus et Canisius, qui pro *Brun patruelis imperatoris, filius scilicet ex Mathilde*, legunt : *Brun patruelis imperatoris filius filiæque ;* et mox postea : *Episcopatum die Paschæ accepit apud sanctum eciam. Theobaldo*, etc. pro : *uccepit. Apud sanctum Gallum etiam Theobaldo*, etc.

An. 1039, manu sæc. xiii ascriptum : *Ecclesia cellæ S. Meginradi* iii *Idus Octobris dedicatur, et reliquiæ corporis S. Meginradi ab Augiensibus hactenus retentæ redditæ sunt.* Ita etiam in Einsidlensi primæva manu ; in Augiensi tamen vox *ab* studiose erasa est, quod controversiam indicat jam tum inter utrumque cœnobium motam de possessione corporis S. Meinradi. Similia ex Augustano profert Canisius in fine sic depravata et mutilata : *Et reliquiæ corpus S. Meginradi.* Plura deprædicatæ alias hujus editionis errorum monstra producere nimiæ molis foret ; sed vel hæc pauca abunde sufficiunt, ut de ejus pretio sincerum quis judicium ferre possit.

Additamenta vero ista, quantum quidem Einsidlense monasterium concernunt, Augiensi codici pleraque inserta fuere sæc. xiv, quo ibidem asservabatur, prout prodit tam character multo recentior, et fere semper idem, quam nomen loci sæpius omissum : quod Hermannus genuinus semper exprimit, etiam ubi de ipsa Augia, in qua scribebat, agit. Alia ratio est de iis quæ ibidem ad an. 948 et 964 de divina consecratione capellæ B. V. facta et confirmata leguntur, non in margine, sed in ipso contextu. Hæc enim majorem ætatem præferunt, nec adeo a primæva codicis manu discrepant. Character ad similitudinem reliqui textus efformatus est, ut illo tamen aliquantulum compressior appareat, ac nullum insuper spatium inter utrumque annum, prout alias plerumque observatur, vacuum relinquat. Atramentum quoque nonnihil recentius magisque nigrum est. Nec vero inde interpolationem certo evincere audemus ; quæ si etiam foret, satis antiqua et codici vix non coæva esset. Idem judicium ferendum censemus de iis quæ ad an. 931 et 958 notantur de Eberhardo : quæ ideo suis locis C intacta reliquimus ; non item ad an. 949, 960 et 996 de Gregorio abbate, quæ etsi antiqui nonnihil characteris, interpolationem tamen sapiunt, quod ibi nomen loci, seu cella Meginradi expressum haud sit, quæ omnia scriptori Einsidlensi tribuenda videntur, uti illa quibus illud additur, adhuc in Augia ascripta censemus, nisi recentior character aliud prodat.

XX. Initium ducit Augiensis codex a Nativitate Domini absque ulteriore titulo, nisi qui a manu sæculi xiv additus est, prout illum in nostra editione notavimus. Pertingit autem continuata serie usque ad an. 1051, quo desinit ; non quod Hermannus ibi finem scribendi fecerit, sed quia tunc ipse codex, rescissis aliquot foliis quibus anni posteriores continebantur, mancus est : qui idem defectus in descriptis quoque exinde Einsidlensi et Augustano codicibus habetur ; unde sinistrum hoc fatum Augiensi codici saltem jam sæculo xiv obtigisse necesse est, quo illi ex eo fuere transumpti. Dolendum id erat, nisi ex Murensi et Engelbergensi mss., qui jam ab annis prioribus cum Augiensi concordarunt, suppleri potuisset hæc trium annorum lacuna usque ad an. 1054, quousque nempe perductum est Hermanni chronicon, uti Bertholdus, ejus discipulus, in Vita superius data testatur, quocum etiam faciunt codices Bernoldi et Murensis ad annum 378.

Etsi vero Murensis deficiente Augiensi per annos 1052, 1053 et 1054 decurrat, istis tamen tribus an-

Digitized by Google

nis ab edito Urstisii nonnihil discrepat. Utrumque igitur edendum censuimus, dubii utra genuina sit Hermanni lectio; maxime cum post an. 1052 finem habeat San-Georgianus Urstisii codex, quocum etiam tunc Bernoldo finem imponimus, illum ab anno 1053 in tom. II prosecuturi.

XXI. Neque vero exinde firmatur Gundlingii et Vossii (*De hist. lat.* l. II, c. 44, § 19) conjectura, Hermannum suum Chronicon duntaxat ad an. 1053 perduxisse, eo quod Bertholdus Constantiensis jam ab illo anno continuationem suam fuerit exorsus. Facit id quidem Urstisius in sua editione; at in autographo Bernoldus tam priora quam posteriora illo anno 1053 una serie narrare pergit, nulla facta alicujus continuationis mentione, quæ adeo a quo anno incipienda sit, determinari hinc nequit; de quo suo loco plura. Hermanni vero adhuc esse annum 1053, ipse prodit scribens : *Werinharius frater meus*, quod saltem Urstisius habet.

Enormius autem aberravit Trithemius, qui (*Annal. Hirsaug.* tom. I) obitum Hermanni jam ad an. 1043 consignat. Falluntur et illi qui sibi persuadent, quæ a illo Chronico ab anno 1040 sequuntur, ab alio scriptore fuisse addita, utpote fusius exarata; quasi vero gesta tempori quo scribebat viciniora ceu melius sibi cognita prolixiore quoque calamo describere haud potuerit. Imo illius temporis gesta ipsum magis scriptorem produnt, quo primum clericus seu monachus in Augia factus est circa annum trice imum ætatis, ut testis est Vitæ scriptor; unde et adhuc matris suæ Hiltrudis epitaphium scripsit ad annum 1052, ut cætera jam allata testimonia taceamus. Id unum modo superesse posset dubium num annus 1054, ad quem Chronicon suum perduxisse scribitur, in hunc calculum computandus veniat, an ab eo sit excludendus, partim ob codices qui contrarium suadere videntur, de quibus tamen mox diximus, partim quod miracula Leonis IX papæ, eodem anno, die 19 Aprilis, defuncti, vix pervenire potuerint in notitiam Hermanni post quinque menses et longam ægritudinem defuncti, ut ea ipse adhuc scribere potuerit. Ex quo autem illud tantum forte quis conjiciat, priora hujus anni 1054 gesta ab Hermanno adnotata, ab ejus discipulo postea fuisse suppleta, ut tamen integer is annus Hermanno tribueretur : id quod disertis verbis facit Murensis codex, quem nobis hac in re sequendum censuimus.

XXII. Discimus porro ex dictis quo tempore Chronicon suum exorsus sit Hermannus quove illud terminarit. Unde Veteris Testamenti Chronicon, eidem in cæteris codicibus, excepto Augiensi, præmissum, non ipsi, sed ejus descriptoribus tribuendum est, qui pro mediæ ætatis genio chronica se scribere posse nequaquam putarunt, nisi venerabile Bedæ nomen, ejus ue De sex mundi ætatibus librum illis præfigerent, forte ut codicum raritati consulerent. Quod etsi scriptoribus, neutiquam tamen eorum editoribus ignoscendum arbitramur, qui toties recoctum Bedæ Chronicon identidem publico sine causa obtruserunt.

XXIII. Id vero speciale habet codex Augiens s, quod facta quæ narrat non juxta annos regiminis imperatorum aut regum supputet, uti cæteris codicibus et Monacensi quoque familiare est. Quo ipso id facile contigit ut, dum unus primum cujusdam regis annum ab obitu prædec ssoris, alter demum ab anno sequente numeravit, in ipsis regiminis annis sibi haud constarent, adeoque et in assignandis cuilibet anno gestis et temporum computo a se invicem discreparent. Hermannus autem res cum incarnationis Dominicæ annis copulare aggressus est. *Verum*, ut notat Bouquet, tom. III Script. rer. Franc., p. 319, *infelici conatu, saltem quantum attinet ad res quæ sub prima regum Francorum stirpe gestæ sunt*; imo sæpe alibi quoque, inductus utique ab auctoribus antiquioribus quos secutus est. Quod autem addit idem Bouquet : *Veros annos, quoad ejus fieri potuerit, adnotabimus, nullo habito respectu ad annos ab Hermanno notatos, quos tamen cuique articulo præmit emus*, nostrum quoque ex parte facimus in hac editione, ut scilicet, ordine Hermanni retento, genuinum cujuslibet facti tempus alio charactere subjiciamus, quantum quidem ex recentioribus et accuratioribus chronologis statuere licuit.

Hos inter imprimis numeramus P. Stephanum Clement, insigne congregationis Benedictino-Maurianæ in Gallia decus, qui in præstantissimo opere l'*Art de vérifier les dates*, tertiis typis Parisiis an. 1783 seqq. tribus hucusque tomis majoribus excuso et aucto, exacte, si quis alius, temporum seriem digessit, cui tamen æque ac nobis nonnunquam ab aliis accini possit: *Quandoque bonus dormitat Homerus.*

Qui celebratissimos hucusque chronologos Scaligerum, Petavium, Calmetum aliosque evolverunt, oppido noverint quantæ vel nunc operæ et difficultatis sit ordinatam semper curatamque temporum rationem inire. Tanto magis indulgendum est medii ævi scriptoribus, si in supputandis subinde aberraverint, rebus enarrandis sæpe magis quam discutiendæ chronologiæ intenti, unde, ne filum narrationis abrumperent, plurium simul annorum gesta in unum congesserunt. Adde quod unus idemque auctor etiam ex antiquis in statuenda chronologia sibi semper haud constet, quod vel ex Eusebio liquet, qui aliter in Chronico, aliter in Historia tempora digessit : quanto minus inter tot tamque diversos auctores exacta semper concordia exspectanda est? Quod præcipue in Hermanno nostro evenit, qui Chronicon suum ex diversis adeo scriptoribus collegit.

Accedit alia tam diversæ temporum supputationis ratio ex negligentia seu imperitia amanuensium, qui sæpe annum aut prænotare neglexerunt, aut loco incongruo adnotarunt; quo ipso plura diversorum temporum facta ad unum annum conjunguntur, vel ejusdem anni in plures dispertiuntur, unde error semel admissus plures deinceps annos pervagatur, uti in nostro Chronico haud una vice advertimus. Id enim tam in Bernoldi quam in Hermanni codicibus

Digitized by Google

sæpius evenisse eorum collatio monstrabit, et amplius ex Canisiana editione evincitur, quæ, etsi ex codice ab Augiensi descripto adornata sit, in adnotandis tamen annis sæpius ab eo discordat. Cum igitur discrepantias illas conciliare ac genuinum calculum a scriptoribus depravatum restituere difficillimum fuisset, ne dicam impossibile, consultius annos, prout in codicibus nostris habentur, retinendos, quam temere mutandos esse duximus, ut tamen errorem, ubi manifestus est, notare haud omittamus.

Id denique semel monuisse sufficiat, Hermannum peræque ac cæteros ejus temporis Germaniæ chronographos anni initium non a prima Januarii die, sed a præcedentis Dominicæ Nativitatis festo repetere, unde sæpe contingit ut res circa Natale Domini gestæ modo ad præcedentem, modo ad subsequentem annum referantur, uti Caroli Magni imperatoris coronatio tunc facta ad annum 800, nunc ad annum 801 refertur.

XXIV. Chronica porro non ex proprio auctorum ingenio, sed ex priorum scriptorum testimonio concinnari posse, res ipsa loquitur. Id unum hic refert quo fonte hibatur, et qua fide res gestæ enarrentur. De Hermanno Vitæ ejus scriptor testatur quod *libellum Chronicorum undecunque laboriosa diligentia* collegerit. Fontes illos, præcipuos saltem, Monacensis Bernoldi codex his verbis indicat : *Insunt auctores Chronicorum Eusebius, Hieronymus, Prosper, Dionysius, Jordanes, Beda.* Unde etiam caute per decursum adnotatur quo anno quisque illorum Chronicon suum absolverit. Præter hos vero plures adhuc esse unde sua deprompsit Hermannus, tam inferius quam in Chronico suis quosque locis adnotatos videbimus. De præcipuis nunc pauca. Primus est Eusebius Cæsariensis, scilicet ejus Chronicon a Christo nato usque ad annum 327, unde illud Latine a se redditum prosecutus est S. Hieronymus usque ad annum 379, uti habetur in Scaligeri Thesauro temporum, ed. Lugd. Bat. an. 1606. Nec vero illud simpliciter descripsit Hermannus, sed potiora tantum quæ sibi videbantur excerpsit, ac nonnulla subinde alia ex Bedæ præ primis Chronico, inseruit. Eusebii tamen chronologia sæpius hic alterata est, et uno alterove anno sive promota sive postposita ; qua de re legendus Petavius De doctrina temporum, l. IX, cap. 1. Præter Chronicon Eusebii, illius quoque Historiam ecclesiasticam Hermanno inserviisse pluribus ex locis liquet. Prodiit ex recensione Henr. Valesii Augustæ Taurinorum an. 1746.

Alter est Prosper Aquitanus, qui Chronicon ab anno 379, quo desiit Hieronymus, usque ad annum 455 perduxit. Habetur id in eodem Scaligero, et apud du Chesne Script. Franc., tom. I, p. 196, nec non in Grævii Thesauro Antiq. Roman., tom. XI, p. 312, maxime in Prosperi Operibus, edit. Venet. an. 1744.

Continuatorem is habuit usque ad annum 565 Victorem episcopum Tununensem in *Africa*, qui una cum continuatione Joannis Biclariensis abbatis usque 590 exstat in eodem Scaligero. Item Marius Aventicensis seu Lausannensis episcopus ab anno 455 usque 591 apud du Chesne l. c. p. 210 et in P. Bouquet novissima Collectione Scriptorum Francicorum, tom. II, p. 12.

Ad Hieronymi continuatores quoque spectat Idacius Lemicensis in Gallæcia episcopus, cujus Chronicon ab anno 379 usque 467 locis citatis continetur. Item Marcellinus comes Illyrici, ab an. 379 usque 566 in Scaligero et Bouquet. Nec prætereundus Cassiodorus, cujus Chronicon usque ad annum 519 legitur inter ejus Opera, tom. II, p. 354, edit. Venet. an. 1729. Exstant hi fere omnes etiam in nova chronicorum editione Patav. an. 1787 a Roncallio adornata.

Quibus quidem cunctis usum fuisse Hermannum haud semel notavimus, præ primis autem Marcellino, ex quo integra commata ad verbum Chronico suo inseruit.

Tertius in Bernoldo memoratur Dionysius cognomento *Exiguus*, qui annos a Nativitate Christi computare cœpit æræ vulgatæ auctor, ordiens cyclum suum paschalem ab anno 531. Scripsit etiam an. 527 codicem canonum ecclesiasticorum e Græco in Latinum translatum, qui habetur in Justelli Bibliotheca Juris canonici, tom. I, p. 97. Chronicon autem scripsisse non reperio, nec ipse Hermannus aliud nisi ejus Cyclum notat.

Quartus est Jordanes, aliis Jornandes, episcopus, ut volunt, Ravennatensis, qui scripsit De regnorum ac temporum successione usque ad an. 560 ; itemque Historiam de Gothorum origine usque ad annum 540. Quæ opera exstant in Muratorii Scriptori us Rerum Italicarum, tom. I, p. 187 et 202.

Beda denique Venerabilis præter opus De sex mundi ætatibus usque ad annum nati Christi 624 (Opp. t. II) scripsit et Historiam ecclesiasticam gentis Anglorum (Opp. t. III) sub cujus nomine habetur quoque breve Chronicon usque ad an. 810 apud du Chesne l. c., tom. III, p. 125.

Neque tamen omnes scriptores indicavit Bernoldus unde depromptum est Hermanni Chronicon. Alios enim adhuc deteximus, quorum opera est usus. Ex his sequentes potissimum notamus.

Gregorii Turonensis Historia Francica, quam ab anno 458 usque ad annum 591 excurrentem Parisiis an. 1699 edidit Theodoricus Ruinart ; cui subjecit ejus epitomen per Fredegarium Scolasticum factam, hujusque et aliorum continuationes usque ad annum 768, quæ omnia in Bouqueti quoque citata Collectione, tom. II, p. 74 seqq., habentur, temporum tamen ratione aliter nonnihil subducta.

Isidori Hispalensis Chronicon usque ad annum 626 exstat inter ejus opera, tom. I edit. Madrit. an. 1778.

Procopii Cæsariensis Historia De bello Gothico ab anno 489 usque 552 habetur in Muratorii Scriptoribus Rer. Ital., tom. I, p. 143, uti et Pauli Diaconi libri VI De gestis Longobardorum ab an. 568 usque

Digitized by Google

714, l. c., p. 396, et quæ sub ejus nomine circumfertur Historia Miscella usque ad annum 813, *ibid.* pag. 1.

Anastasius S. R. E. Bibliothecarius sæculo IX Vitas Romanorum pontificum scripsisse creditur, quæ sæpius quidem, optime tamen Romæ an. 1718 a Franc. Bianchini editæ prodierunt.

Hepidanni San-Gallensis monachi Annales ab anno 709 usque 1041, si non inter fontes, certe inter subsidia Hermanni connumerandi videntur, cum proxime ad ejus tempora et locorum vicinium accedant, etsi hunc Hepidannus supervixerit. Hos exhibet du Chesne tom. III et Goldstatus l. 1 Scriptorum rer. Alemannicarum, cum aliis ejusdem monasterii scriptoribus qui pro Hermanno illustrando seu confirmando faciunt.

Principem vero Hermannlani Chronici fontem ab anno 614 usque ad an. 900 facile constituunt Annales Fuldenses, ab anonymo eorum scriptore Fuldensi monacho ita nuncupati; quos ipse presso pede sequitur, et mutato interdum stylo contrahit. Atque ubi isti deficiunt aut desinunt, brevior quoque rursus incipit esse Hermannus, et Reginonis continuatorem usque ad an. 972 passim ita exprimit, ut dubium vix non suboriri possit an non sub hoc continuatore ipse Hermannus lateat; pleraque enim particularia viciniam nostram diœcesimque Constantiensem concernunt.

Quod ipsum etiam fecit Hermannus, ubi Annales Fuldenses excerpsit, quibus seriem Romanorum pontificum et Constantiensium episcoporum, nec non Augiensium et San-Gallensium abbatum aut de suo aut aliunde haustum addidit. Ediderunt hosce Annales Freherus, Pitthœus, du Chesne, et omnium optime P. Martinus Bouquet in sæpe laudata Collectione per partes, tom. II, V, VI et VII, ubi etiam depravatam sæpe chronologiam emendavit.

§ IV. — *Novæ editionis ratio.*

XXV. Ex his jam satis patere arbitramur novæ a nobis susceptæ editionis rationem. Hanc ex Augiensi codice, si non Hermanni ipsius autographo (quod, deficiente aliquo ejus operum propria illius manu descripto, unde de characterum similitudine judicari posset, affirmare haud licet), primario saltem et omnium, quod hucusque detectum sit, antiquissimo apographo, ac, quod caput est, hucusque inedito, adornandam suscepimus, aliorum quoque coævorum fere codicum suffulti subsidio.

Hunc quidem primum fundamenti loco posuimus, resectis inde quibuslibet additionibus sive interpolationibus a posteriore manu indubitato factis, retentis duntaxat illis quæ dubiæ adhuc sunt, de quibus jam superius actum. Cuilibet anno seu facto, quoad ejus fieri licuit, addimus fontes unde Hermannus hausisse deprehendi potuit. Eum in superiore pagina verbis CODEX AUGIENSIS indicamus. Huic alio charactere subjicimus Hermanni compendium ex autographo Monacensi codice Bernoldi ejus nomine prænotatum, quod quasi lectionum variantium loco inservire possit; in quo insuper anni omissi aut idem habent quod Augiensis, aut ut plurimum vacui sunt. Cæteros vero mss. codices supra indicatos notandos haud censuimus, quod partim innumeris interpolationibus scateant, partim cum illis quos edimus in præcipuis saltem conveniant. Solum ad ultimum Hermanni decennium, quo cum Augiensi concordant, aut mancum supplent, Gottwicensem et Murensem codices primis suis litteris notamus.

Chronologiam porro in codicibus observatam ex supra jam dictis intactam ubique servamus, subnotato, sicubi certo aberraverit, genuino gestorum anno. Orthographiam vero, in nominibus præcipue propriis, nostro tempori congruam adoptavimus, non illam in variis codicibus tantopere diversam, et ex scriptorum sæpe imperitorum genio profectam, ne lectoribus fastidium ex tot solœcismis textui alias inserendis, ac dein per subjunctas variantes corrigendis ingeramus. Quæ ipsa quoque ratio est quod variationes in hucusque editis occurrentes omiserimus, quippe quæ lectores aut gravant aut impediunt, ac insuper libri molem frustra adaugent: editis siquidem exemplaribus instructi, eas ex collata nostra editione facile detegent; qui autem illis destituuntur, earum jacturam haud gravate ferent, quos genuina factorum narratio ex puro fonte magis juvabit quam lectionum tantopere discrepantium, et errorum sæpe ex variis editionibus accumulata farrago. Cunctis his demum notæ subinde ad calcem adduntur, ubi eis sive ad corrigendum sive ad illustrandum Hermannum opus fuerit, eæque potissimum strictæ duntaxat, ne observationibus textum nimis augendo non tam alterius Chronicon edere quam novum ex variis condere videamur. Utiles tantum esse nostra hac editione optamus, quod quidem si obtinuerimus, et nostris et eruditorum votis factum erit satis.

§ V. — *De Bertholdo, Hermanni continuatore et discipulo.*

XXVI. Hic jam de ipso Hermanno Chronici auctore pluribus disserendum foret, quod tamen, ne eadem sæpe repetere necesse sit, ad Vitam ejus differenda censemus, quam supra dedimus, a Bertholdo illius discipulo et primo continuatore descriptam, cujus etiam continuatio ab anno 1054 usque 1066 in editis immediate subjicitur Hermanno, omissa tamen ejus Vita, cujus loco parvum elogium ponitur. Solus Urstisius, finito Hermanni Chronico post annum 1054, in sua editione sequentem continuationem distinguit, in eo tamen deceptus quod eam subdubitando tribuat Bertholdo Constantiensi, cujus tamen mox ab initio diversum Chronicon addidit tom. I Scriptor. German., p. 339. Ast miramur virum alias sat perspicaci hoc subrepere potuisse ut, cum duas adeo inter se diversas continuationes præ manibus habuerit, eumdem tamen utriusque auctorem vel dubitando existimaverit. Auctores vero fuisse diversos præterquam quod alia fere quilibet facta usque ad an. 1066 enarrat, vel id unum extra omne

Digitized by Google

dubium ponit quod prior ad an. 1061 Alexandrum II papam sedis apostolicæ usurpatorem nominet, Honorium vero seu Cadolaum ceu legitimum papam habeat. Haud tamen inde Bertholdum hunc schismaticis accensemus, quippe qui ex fama rei tunc in vicina sibi Basilea et suo tempore gestæ scripserit, alterius sane mentis futurus si continuationem suam usque ad annum 1067 produxisset, quo Alexander legitimus papa in synodo Mantuana agnitus est. Quod ipsum manifesto argumento est quod anno 1066 scribere desierit hic Bertholdus, cum perperam prius scripta emendare amplius haud potuerit.

Bernoldo autem, etsi eodem tempore, posterius tamen scribenti, rei veritas ex eventu magis patuit; unde etiam eumdem Alexandrum tanquam verum pontificem dilaudat, seque per totum Chronici sui seriem juratum schismaticorum hostem declarat. Quis vero sanus tam diversarum partium studium uni eidemque auctori ascribat? Equidem Bertholdo primam illam et breviorem continuationem tribuit Murensis codex, ita ad calcem Hermanni an. 1054 scribens : *Hucusque chronica Hermanni. Abhinc Bertholdus.* Quis vero iste? Haud certe alius ac ille ex quo Vitam Hermanni cum dicta breviore ejus continuatione subjungit, et unde præter cæteros sua hausisse ad annum 741 fatetur codicis illius scriptor, Bertholdus scilicet, Hermanni discipulus; quem ibidem a Bertholdo, S. Blasii presbytero, fusioris scilicet continuationis auctore, nominatim distinguit, quos vero ambos cæteri scriptores hucusque in unum Bertholdum Constantiensem presbyterum perperam conflarunt, vel ex solis mox dictis contrarium edocendi, præter ea quibus idipsum ad Bertholdum tom. II pluribus declarabitur.

Eumdem quoque Bertholdum satis aperte indicat Anonymus Mellicensis De script. eccles. c. 92 (Miræi *Biblioth. eccles.*, p. 155) ita scribens : *Bertholdus, qui ejusdem* (Hermanni) *auditor et discipulus exstitit, Vitam magistri et Chronicam scribit,* unde etiam Vitæ illius scriptor innotescit, cujus nomen in illa haud legitur. Vitam porro illam Murensis codex subjungit mox post verba : *Abhinc Bertholdus,* quæ etiam in Gottwicensi habetur; quam in dictis codicibus mox excipiunt quæ in Urstisio sub continuationis nomine post Hermannum sequuntur, atque eadem ferme sunt, nisi quod quædam subinde ex altera quoque Bernoldi continuatione inserantur; quæ ambæ ibidem in unam confunduntur, prout inter alia exinde quoque apparet quod illorum codicum scriptores ad annum 1061 Alexandro II papæ faveant, adeoque Bernoldum in eo, non Bertholdum sequantur.

XXVII. Ex iis autem quæ in ista Vita de seipso narrat Bertholdus, monachus Augiensis fuisse facile conficitur, Hermanno præ cæteris familiaris; quem insuper in extremo morbo assiduum sibi adjutorem assistere voluit, eique moriturus tabulas suas consignavit, ut *quæcunque adhuc scribenda restant in eis,* diligenter emendet, et scripta aliis commendet; quæ fortassis continuandi illius Chronici occasio fuit. Dum vero Hermannum magistrum suum vocat, non de magistro puerorum, sed virorum in altioribus disciplinis, quibus præfulgebat Hermannus, eruditorum intelligendus est. Virum certe, non juvenem Bertholdum arguunt, quæ mox memoravimus. Nec adhuc juvenem illum prodit quod Hermannus librum suum *De mensura astrolabii* apud Pez, Thes. Anecd., tom. III, p. II, p. 95, eidem inscripserit, quemque ejus potissimum instantia motus composuit. Et quidem ex illis jam tum presbyter fuisse videri posset, siquidem talis unquam fuerit, cum presbyteri titulum eidem nec Mellicensis Anonymus, nec citati codices, nec ipse Hermannus tribuant, prout tamen Bernoldo faciunt. Quæ hic alii comminiscuntur, infra ad Bernoldum examinantur.

XXVIII. Quousque vero continuationem suam perduxerit Bertholdus iste, ex codicibus certo statui haud potest. Qui unicum Hermanni continuatorem agnoscunt, illud ad annum 1100 deductum fateri debent, ut ut inter alia obitus ejus in Bernoldi Chronico ad annum 1088 memoratus illis adversetur; hunc enim ipsum esse judicamus, de quo ille l. c. : *Bertholdus, doctor egregius, in sacris litteris apprime eruditus, in senectute bona plenus dierum, migravit ad Dominum IV Idus Martii;* quæ cum superius dictis optime convenire videntur. Editi, quoscunque habemus, ultra annum 1066 haud progrediuntur; ac post illum annum codices nostri cum altera Bernoldi continuatione conveniunt.

Ut adeo non vana sit conjectura, editorum quoque codices in Bertholdo ultra dictum annum 1066 haud processisse; quod etiam ex supra (n. 26) allegata utriusque auctoris sentiendi diversitate magis firmatur. Demus enim Bertholdum postea sententiam suam mutasse, correxisset saltem postea quæ ad annum illum 1061 contra legitimum papam scripserat, si ad ulteriora schismatis tempora continuationem suam perduxisset.

Tantum de Hermanni Chronico disseruisse sufficiat. Plura desideranti satis abunde faciet Joannes Ego in suo tractatu De viris illustribus monasterii Augiæ Divitis an. 1650 conscripto, cap. 28, in Pezii Thesauro Anecd. tom. I, p. III, p. 688.

Digitized by Google

HERMANNI CONTRACTI CHRONICON[12]

EX INEDITO HUCUSQUE CODICE AUGIENSI, UNA CUM EJUS VITA ET CONTINUATIONE A BERTHOLDO, EJUS DISCIPULO, SCRIPTA.

SUBJICITUR

CHRONICON PETERSHUSANUM

INEDITUM.

Ex mss. codicibus collegit, notis et observationibus illustravit,

P. ÆMILIANUS USSERMANN

Congregationis S. Blasii monachus et bibliothecarius.

(*Germaniæ sacræ Prodromus*, tom. I.)

CODEX AUGIENSIS.

1 Anno XLII Augusti Cæsaris; ex quo autem Ægyptus in provinciam redacta est, et Cleopatra cum Antonio victa XXVIII anno; ab urbe vero condita DCCLII, olympiadis CXCIII anno tertio, Dominus noster Jesus Christus in Bethlehem Judæ nascitur, transactis ab initio mundi secundum **2** Hebraicam veritatem annis tribus millibus DCCCCLII, secundum septuaginta Interpretes vero quinque millibus CXCIX (12').

2 Codices vacant (13).

3 Infantes pro Domino trucidantur ab Herode (13'). *Euseb.*

5 Asinius Pollio orator moritur. *Eus.*

6 Herodes rex Judææ cum magno cruciatu moritur, pro quo Archelaus regnavit annis IX (14).

7 Fames magna Romæ facta est. *Eus.*

9 Tiberius Cæsar Dalmatas Sarmatasque subegit. *Eus.*, *Dio.*

12 Jani portæ, duodecim annis jam ab Augusto clausæ, aperiuntur. *Suet.*; *Oros.*

13 Messala Corvinus orator moritur. *Eus.*

14 Eclipsis solis facta est (14').

15 (*In marg.* Tiberius privignus Augusti regn. annis XXIII.) Archelaus in Viennam Galliæ urbem ab Augusto relegatur, et Augustus moritur anno ætatis LXXVI, imperii LVI; pro quo Tiberius regnat annis XXIII. *Eus. a. præc.*

16 Herodes tetrarcha Judæorum regnum tenuit annis XXIV. *Eus. a.* 14.

17 Mathematici urbe pelluntur. *Dio.*

18 Livius historiographus moritur. Ovidius poeta in exsilio moritur. *Eus. a.* 17.

19 Germanicus a Tiberio missus Germanos vicit. *Tac. a.* 16.

20 Tredecim urbes terræmotu corruerunt. *Eus. a. pr.*; *Dio. a.* 17.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

15 *Archelaus in Viennam Galliæ urbem ab Augusto relegatur, et Judæa tetrarchis committitur, et Augustus moritur anno ætatis* LXXVI. *Tiberius secundus, privignus Augusti, regnavit annis* XXIII.

20 Addit : *Germanicus Cæsar moritur.* Tac. a. 16.

NOTÆ.

(12) Titulum, quo caret Augiensis codex, recentior sæc. XIV manus istum apposuit : *Chronica Hermanni, viri nobilis, comitis de Veringen ac Augiensis monasterii monachi religiosissimi : et scripsit ad tempora papæ Victoris II et Heinrici imperatoris ad annum ab incarnatione MLIII, et obiit anno ætatis XLIV, VIII Idus Octobris.* Similem fere titulum editioni suæ, a creatione mundi deductæ, præfixit Canisius; ubi tamen perperam legitur *Victoris XXI*, loco *Victoris II*, uti et utrobique dies emortualis Hermanni, qui in Vita ejus VIII Kal. Oct., anno ætatis XLII, obiisse notatur.

(12') Chronologiæ hic et deinceps accuratius discutiendæ in tanta auctorum discrepantia diutius immorari operosum nimis foret. Lectores igitur ad subnotatos cuilibet facto, quoad ejus fieri licuit, auctores remittimus, annos quibus illud consignant adnotasse contenti.

(13) Ad evitanda spatia vacua, annos illos deinceps omittimus, nullo facto insignitos.

(13') Canisius hoc infanticidium ad annum priorem refert, contra fidem codicis Augustani, uti in sequentibus sæpius.

(14) Eusebius mortem Herodis ad annum quartum, regnum vero Archelai ad hunc annum consignat. Vid. Petav. l. XI, cap. 2 seqq.

(14') Contigit hæc die 18 Aprilis.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

3 21 Fenestella historiographus et poeta moritur. *Eus. a. pr.*

22 Tiberius multos reges ad se vocatos dolo nunquam remisit. *Eus. a. pr.*

23 Pompeii theatrum incensum est. *Eus. a. pr.*

24 Tiberius Drusum consortem regni fecit, qui eodem anno veneno periit. *Eus. a. pr.*

27 Pilatus præses Judææ a Tiberio mittitur. *Eus.*

30 Dominus Jesus Christus a Joanne baptizatur trigesimo anno ætatis suæ secundum carnem inchoante, et prædicare cœpit.

31 Joannes Baptista ab Herode tetrarcha decollatur.

33 Dominus in Hierosolyma passus est et resurrexit. Eclipsis solis (15) et maximi terræmotus facti sunt. *Eus.*

34 Jacobus frater Domini Hierosolymorum episcopus ab apostolis ordinatus, sedit annis xxx. *Eus.*

35 Pilatus imaginem Cæsaris in templo statuens seditionem excitavit. *Eus. a.* 32.

36 Pilatus Romam venit, et de miraculis Domini Cæsari nuntiavit. *Eus.*

37 Tiberius ea, quæ a Pilato audierat, senatui nuntiavit, sed senatus contempsit. *Eus. a. pr.*

38 Tiberius populum Romanum graviter afflixit, et ipse veneno periit. *Eus. a. pr. In marg.* Gaius ann. III, mens. X, dies VIII. Vir scelestissimus.

39 Herodes Agrippa rex Judææ a Gaio constitutus, regnavit annis VII. *Eus. a. pr.*

40 Judæi apud Alexandriam profligantur, pro quibus Philo clarissimus scriptor Gaium interpellans nihil profuit. *Eus. a.* 38; *Joseph.* XVIII, 9.

41 Pilatus semetipsum interfecit, magnis a Gaio calamitatibus oppressus. *Eus. chr.*

42 Matthæus Evangelium Hebraice scripsit. Gaius occiditur a suis. *In marg.* Claudius ann. XIII, mens. VIII, dies XXVIII. *al. a. pr.*

4 44 Petrus apostolus Romam venit, ibique per XXV annos prædicans episcopatum tenuit. *Eus. a. pr.*

45 Herodes Agrippa ab angelo percussus exspiravit, pro quo filius ejus Agrippa regnavit annis XXVI. *Eus.; Jos. a.* 40. Marcus evangelista in Ægypto prædicavit.

46 Claudius Britanniam subegit, *Eus. a. pr.; Dio. a.* 43. — Fames magna facta est. *Act.* XI, 28.; *Dio. a.* 42.

47 Nova insula triginta stadiorum in mari apparuit. *Eus. a.* 45.

48 Cives Romani, a Claudio numerati, inventi sunt sexagies novies centena et quadraginta quatuor millia. *Eus. a.* 46; *Tac.*

49 Judæorum in seditione triginta millia necantur in diebus azymorum. *Eus. a. pr.*

51 Claudius Judæos urbe expulit. *Beda a.* 49; *Vid. Act.* XVIII, 2.

52 Magna fames Romæ facta est. *Eus.* a. pr.

53 Claudius Felicem procuratorem Judææ fecit. *Eus. a pr.*

54 His temporibus Simon Magus Simoniacæ hæreseos auctor exstitit.

55 Ægyptius quidam pseudopropheta Judæorum plures seducens a Felice opprimitur. *Eus. a. pr.; Vid. Act.* XXI, 38.

56 Claudius veneno mortuus est anno ætatis LXIV. *Eus. a pr.*

57 (*In marg.* Nero ann. XIII, Mens. VII, dies XXVIII.) — Nero flagitiosus primam in Christianos persecutionem exercuit. Seditio in Cæsarea orta plures Judæorum perdidit. *Beda.*

58 Paulus apostolus Romam a Festo præside mittitur. *Eus. chr. a.* 56.

59 Hucusque librum Actus apostolorum Lucas evangelista perduxit, continentem annos a passione Domini XXVII.

60 Statius poeta clarus erat. *Eus. a.* 58.

61 Nero Agrippinam matrem suam, et sororem patris interficit. *Eus. a. pr.*

62 Nero infinita luxuria, et lascivia ignaviaque bacchatur. *Eus. a. pr.*

5 63 Jacobus frater Domini a Judæis lapidatur. *Eus. chr. a.* 61.

64 Marcus evangelista apud Alexandriam passus est. *Eus. a. pr.*

65 Neronianæ thermæ a Nerone ædificantur. *Eus. a.* 65.

66 Nero ut similitudinem Trojæ ardentis videret, magnam partem Urbis incendit. *Eus. a. pr.; Tac. a.* 64.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

29 *Dominus Jesus Christus*, etc., ut Aug. ann. 6 q.

34 Addit : *Stephanus lapidatur. Paulus convertitur.*

38 Addit : *Gaius Caligula tertius, annos* IV, *menses* VI, *dies* VIII. *Vir scelestissimus.*

43 *Marcus*, etc., hoc deest in B.

56 Addit : *Nero V, annos* XIII, *menses* VII, *dies* XXVIII. *Iste flagitiosus in cunctis, primam in Christianos persecutionem exercuit.*

57 *Seditio in Cæsarea*, etc., ut Aug.

59 *Hucusque liber Actus apostolorum continens annos a passione Domini* XXVII.

NOTÆ.

(15) Unica notatur die 12 Sept. Illam enim in morte Domini præter naturam in plenilunio contigisse, ad Lib. 2. Eusebius ex Phlegonte narrat.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

67 Nero Senecam magistrum suum interfecit. *Eus. a. pr.*

68 Vespasianus adversus Judæos rebellantes a Nerone mittitur. *Eus. a. seq.; Jos. a.* 66.

69 Petrus et Paulus a Nerone propter Simonem Magum trucidantur, et pestilentia Romæ facta est, Neroque seipsum interfecit. *Suet. a.* 68; *al. a.* 66.— Linus primus a B. Petro sedit annis XII. — Antiochiæ secundus (15*) episcopus ordinatus Ignatius; *al. a.* 68.

70 Galba menses VII. Otho menses III. Vitellius menses VIII. Vespasianus **6** in Judæa pugnans, imperator ab exercitu constituitur, vir militari virtute præcipuus. *Eus.; Suet. a. pr.*

71 (*In marg.* Vespasianus ann. IX, mens. XI, dies XXII.) Titus Judæos inenarrabili fame cruciatos obsedit. *Eus.*

72 Hierusalem a Tito expugnata destruitur, anno a passione Domini XL, a prima vero conditione templi sub Salomone MLXXXIX. *Beda.; al. a.* 70.

75 Hoc tempore Josephus historiographus clarus habetur.

77 Colossus erectus est habens altitudinis pedes centum et septem. *Dio a.* 75.

79 Pestilentia Romæ facta est, et terræmotus tres civitates Cypri subvertit. *Eus. a. pr.*

80 Vespasianus profluvio ventris in villa circa Sabinos obiit. *Eus. a. pr. In marg.* Titus ann. II mens. II.

81 Titus vir erat omnium genere virtutum mirabilis, ita ut divitiæ et amor humani generis diceretur. Hic amphitheatrum Romæ construxit, in cujus dedicatione quinque millia ferarum occidit. *Eus.; Dio a. pr.*

82 Cletus papa secundus annis XII. *Eus. a. pr.; al. a.* 78. — Titus in eadem villa, qua et pater, obiit anno ætatis XLII. *Eus. a. pr.* — (*In marg.* Domitianus frater Titi ann. XV, mens. V.)

7 83 Domitianus infectus omnibus sceleribus secundo persequitur Christianos. *Eus. a. pr.* — Idem etiam eunuchos fieri prohibuit. *Eus. a. seq.*

84 Decreto senatus Titus inter deos refertur. *Eus. a. pr.*

85 Tres virgines Vestæ ob stuprum damnantur. *Suet. a* 85.

86 Anianus primus post Marcum evangelistam episcopus Alexandriæ post annos XXII obiit, pro quo Abilius sedit annis XIII. *Eus. a. pr.*

88 Domitianus se Deum et Dominum appellari jussit. *Eus. a. pr.*

90 Quintilianus rhetor Romæ clarus habetur. *Eus. a. pr.*

91 His temporibus hæresis Menandri magi, et Ebionitarum, et Cerinthiorum et Nicolaitarum exoritur.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

67 *Nero*, etc., ut Aug. *In margine primæva manu hæc notantur : Hieronymus in libro De viris illustribus* (cap. 12) : « *Lucius Annæus Seneca Cordubensis Sotini* (16) *stoici discipulus, patruus Lucani poetæ, multas epistolas scripsit ad Paulum apostolum, et Paulus ad illum : qui se talem inter suos esse optavit, qualis Paulus haberetur inter Christianos.* » Opp. t. IV, p. II, p. 106 nov. ed. Maur.

68 *Vespasianus dux exercitus adversus*, etc., ut Aug.

69 *Petrus et Paulus... trucidantur* III *Kal. Jul.* cætera ut Aug. *Linus I. a B. Petro sedit annis* XII, *passus est* VI *Kal. Dec. Antiochiæ*, etc., ut Aug. *Galba VI, menses* VII. *Otho, menses* III. *Vitellius, menses* VIII. Nota marginalis Bernoldi : *Hæc chronica in successione Romanorum pontificum sequitur Eusebium, non pontificalem librum, cui tamen magis in hac descriptione esset credendum, ut puta quem Damasus papa rogatu S. Hieronymi diligentissime descripsit* (16*).

70 *Vespasianus... constituitur. Vespasianus VII, regnat annos* IX, *menses* XI, *dies* XXII. *Vir militari virtute præcipuus.*

71 *Titus Judæos*, etc., ut Aug.

72 *Hierusalem... a passione Domini* XLII, *a prima*, etc., ut Aug.

80 *Vespasianus profluvio*, etc., ut Aug. — *Titus VIII, Vespasiani filius annos duos, menses duos, vir omnium genere virtutum mirabilis, ita ut deliciæ* (17) *et amor humani generis diceretur.*

81 *Titus amphitheatrum*, etc., ut Aug

82 *Anacletus papa II, sedit annis* XII, *passus* VI *Kal. Maii.* — *Titus in eadem villa*, etc., ut Aug. — *Domitianus IX, frater Titi, annis* XV, *mensibus* V. *Hic, omnibus infectus sceleribus, secundo persequitur Christianos.* — Nota marginalis Ber..oldi : *Post Linum papam quidam libri habent Cletum, et post Clementem Anacletum ; sed historia Eusebii Cletum papam omnino prætermit* (17*).

83 *Domitianus eunuchos fieri prohibuit.*

NOTÆ.

(15*) Scilicet post Petrum, alias tertius, Evodii successor.

(16) Seneca epist. 49 magistrum suum Sotionem vocat, uti et Eusebius in Chronico. Cæterum Hieronymus hic indicat epistolam undecimam Senecæ, quæ est sexta ad Paulum, quem ita alloquitur : *Qui meus, tuus apud te locus, qui tuus, velim ut meus.* Vid. Fabricii cod. apocryph. Nov. Test. p II, p. 880, et p. III, p. 710.

(16*) Longe aliter sentiunt critici. Vid. Pagium in Damaso.

(17) Ita ex editis legendum, quamvis codices habeant *divitiæ*.

(17*) Nempe quod ex ejus et Græcorum sententia idem fuerit cum Anacleto, quos tamen Epiphanius et plerique Latinorum distinguunt.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

92 Romani plurima mala a Cæsare et ab hostibus pertulerunt, *Eus. a.* 89.

93 Domitianus de Dacis et Germanis triumphat. *Eus. a. pr.*

94 Clemens papa III, sedit annis IX. *Eus. a.* 91. —Cornelia virgo Vestalis ob stuprum viva defossa est. *Eus. a.* 92; *al. a.* 91.

95 Domitianus multos nobilium occidit.(18) *Eus. a. pr.*

96 Hoc tempore Joannes apostolus in Pathmos insulam a Domitiano in exsilium missus Apocalypsin scripsit. *Eus. a. pr.*

97 Domitianus Flaviam Domitillam cum multis aliis in exsilium pro fide Christi relegavit. *Eus. chr. h. a.*

98 Domitianus cum multa mala egisset. a suis crudeliter interfectus est, anno ætatis XXXV. (18*) *Eus. a.* 97; *vid. Pag. crit.*

8 99 (*In marg.* Nerva ann. I, mens. IV, dies VIII.) —Nerva primo edicto suo omnes exsules revocavit. Sanctus Joannes apostolus ab exsilio rediens Evangelium scripsit. *Iren. a.* 97. — Nerva confectus morbo obiit, pro quo Trajanus regnavit. *Eus. a. pr.*

100 (*In marg.* Trajanus ann. XIX, mens. VI, dies XV.) —Trajanus genere Hispanus, vir reipublicæ utilis, sed errore deceptus, tertius persequitur Christianos. *Beda.* —Alexandriæ Cerdo tertius episcopus sedit annis XII. *Eus. a.* 97.—Joannes apostolus apud Ephesum dormivit in pace, anno a passione Domini LXVIII. *Bed.; Eus. a. seq.; Hier. a. pr.*

103 Evarestus papa sedit annis VIII. *Eus. a.* 100. —Trajanus de Dacis et Scythis triumphat. *Eus.*

104 Trajanus multas gentes Romano subjecit imperio. *Eus. a. pr.*

106 Aurea domus Neronis incendio conflagravit. *Eus. a. pr.*

107 Terræmotu multæ urbes subversæ sunt. *Eus. a. pr.*

9 108 Alexandrinæ Ecclesiæ quartus episcopus ordinatur, nomine Primus. *Eus. a. pr.; al. a.* 109; *Pag. h. a.*

109 Simon, filius Cleophæ, qui in Hierosolymis episcopatum tenebat, crucifigitur anno ætatis CXX; pro quo Justus. *Eus. a.* 107, *Pag. a.* 116.

110 Ignatius, Antiochiæ episcopus, Romam perductus, bestiis traditur, pro quo constituitur episcopus Oron.(19) tertius. *Eus. a.* 108; *Pag. a.* 116.

111 Alexander papa V sedit annis X. *Eus. a.* 109.

112 Pantheum Romæ fulmine concrematum. *Eus. a.* 111.

113 Post Justum Hierosolymæ episcopum Zacchæus (19*) sedit quartus. *Eus. a. pr., al.* 110.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

92 *Hoc tempore Romani mala plurima*, etc., ut Aug.

94 Ut Aug. In margine nota Bernoldi: *Repugnantia videntur, Clementem papam trigesimo secundo anno post mortem Jacobi fratris Domini inthronizari apostolicæ sedi, et ad eumdem aliqua decreta constituisse* (20).

98 Addit: *Nerva X, senex anno uno, mensibus* IV, *diebus* VIII. *Hic primo edicto suo omnes exsules revocavit.*

99 *Sanctus Joannes*, etc., ut Aug. *Nerva confectus morbo obiit.—Trajanus XI, genere Hispanus, annis* XIX, *mensibus* VI, *diebus* XV. *Vir reipublicæ utilis, sed errore deceptus tertio persequitur Christianos* (20*).

100 *Alexandriæ tertius*, etc., ut A.

101 *Joannes apostolus apud*, etc., ut. A. an. pr.

102 *Liber S. Hieronymi de viris illustribus* (21) *asserit Clementem papam hic obiisse* VIII *Kal. Dec. et quartum a B. Petro fuisse.* Eus. a. 100.

103 *Evaristus papa IV, sedit annis* VIII, *passus* VI, *Kal. Nov. Trajanus*, etc., ut Aug.

105 *Hoc tempore Simeon Cleophæ filius Hierosolymis episcopus crucifigitur*, (21*) *pro quo Justus ordinatur* Eus. a. 107.—*Ignatius Antiochiæ episcopus clarus doctor habetur.*

107 *Terræmotus magnus. Adhuc floruit Polycarpus Smyrnæ episcopus, apostolorum discipulus.*

108 *Hoc tempore Plinius secundus philosophus clarus pro Christianis Trajanum mitigat;* al. a. 102 (22).

109 *Terræmotus multas urbes subvertit, et aurea domus Neronis incendio perit, et Pantheum fulmine concrematum*, Eus. a. 111.

111 Addit: *Qui quinto Nonas Maii martyrio coronatus est.*

112 *Alexandriæ Primus, quartus, episcopus sedit annis* XII; al. a. 109.

NOTÆ.

(18) Ad hunc annum Eusebius revocat secundam persecutionem, cujus vero initium Pagius in critica ad ann. 93 statuit, id simul (ad an. 90) monens, *in chronico Eusebii res sæpe aliis, quam contigerint, annis consignatas esse.*

(18*) Ex Suetonio hoc contigit anno 96, anno ætatis XLV.

(19) Oron Eusebio et aliis dicitur Heron, seu Heros, uti et in Martyrologio Romano d. 17 Oct.

(19*) Epiphanio dicitur Zacharias.

(20) Decretalis *Clementis* intelligitur, quæ ab illo ad Jacobum scripta fertur. Exstat in Labb. collect. concil. t. I, p. 82.

(20*) Idacius in fastis ad an. 112; Eusebius ad an. 108.

(21) Scilicet cap. 15, ubi tertio Trajani seu hoc anno obiisse memoratur, die tamen haud expresso. Quotus a S. Petro fuerit Clemens, præter alios disquirit Cotelerius ad constitut. apost., l. VII, c. 46, t. I, p. 383. *Vid. Pag. crit. an.* 100.

(21*) Pagius in critica Baronii, an. 107, Simeonis martyrium ad an. 116 referendum censet.

(22) Vid. ejus epist. 98. l. X, conf. Pag. crit. an. 102.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

114 Terræmotus pene totam Antiochiam subruit. *Eus. h. a.*

115 Trajanus Assyriam, Armeniam et Mesopotamiam provincias facit. *Eus. a.* 113.

117 Judæi commoti magnas cædes hominum faciunt, sed, in Alexandria victi, ab omnibus ubique trucidantur. *Eus. a.* 115.

118 Trajanus apud Seleuciam profluvio ventris moritur anno ætatis LXIV. *Eus. a. pr.*

119 Adrianus ann. XXI. Hic per Quadratum discipulum apostolo um, et Aristidem virum sapientem libris apologeticis edoctus, mitis efficitur Christianis. *Hier.* — Adrianus Alexandriam publicis restauravit expensis. *Eus. a. pr.*

120 Adrianus iterum Judæos profligat. *Eus. a. pr.*

10 121 Xistus papa VI sedit annos XII. *Eus. a.* B *pr.; al. a.* 119.

122 Adrianus bellum in Sauromatas gessit. *Eus. a.* 120. — Terræmotus factus est. *Eus. a. pr.*

123 Adrianus in Libyam, quæ a Judæis vastata fuerat, colonias deducit. *Eus. a. pr.*

124 Justinus (22*), episcopus Alexandriæ, sedit annis XI; *al. a.* 122. — Adrianus legem dedit Atheniensibus. *Eus. a. pr.; def. in B.*

125 Hierosolymis post Philippum (23) Seneca decimus constituitur. *Eus. h. a.*

126. Hoc tempore Aquila interpres habetur. *Hier. a.* 128.

127 Adrianus, apologeticis nostrorum acceptis, litteras pro Christianis misit. *Eus. h. a.*

129 His temporibus Saturninus, et Basilides, et C Carpocrates hæresin condiderunt. *Eus. a.* 123.

130 Adrianus pater patriæ primus appellatur. *Eus. a.* 127.

131 Antiochiæ ordinatur Cornelius episcopus. *Eus. a.* 129; *al. a.* 136. — Nicopolis et Cæsarea terræmotu corruerunt. *Eus. a.* 129.

133 Thelesphorus papa VII sedit annis VII. *Eus. a.* 129; *al. a.* 127.

134 Judæi in arma versi Palæstinam depopulantur. *Eus. a. pr.*

135 Alexandriæ Eumenes (24) episcopus sedit annis XIII.

136 Judæi iterum commoti magnis ubique cædibus enecantur; *al. a.* 132 *et* 133.

137 Hierusalem ab Ælio Adriano reparata est, et ex ejus nomine Ælia nuncupata, et Judæis ne introirent interdicta. *Eus. a.* 135 *et h. a.*

138 Primus ex gentibus Hierosolymis episcopus Marcus ordinatur, cum jam quindecim de Judaica gente obiissent. *Eus. a.* 125 *et* 136.

11 139 Adrianus morbo intercutis aquæ moritur, major sexagenario. *Eus. a pr.*

140 (*In marg.* Antoninus ann. XXV, mens. III.) — Antoninus, cognomento Pius, per apologeticum Justini, Christiani philosophi et postea martyris, edoctus, clemens efficitur nostris. *Beda. Epiph.* Hyginus papa VIII sedit annis IV. *Eus. h. a; al. a.* 139.

141 Antoninus pater patriæ appellatur. *Eus. a pr.*

142 Valentinus et Cerdo, et post Marcion et Marcus Ecclesiam hæresi impugnant. *Eus. a pr.*

143 Justinus philosophus pro Christianis apologeticon Antonino scripsit. *Eus. a pr.*

144 Pius papa IX sedit annis XV. *Eus. a pr.; al.* 142.

145 Antiochiæ constituitur episcopus Heros (25). *Eus. a.* 143.

148 Alexandriæ Marcus VII episcopus sedit annis X. *Eus. a.* 144.

149 Valentinus hæreticus agnoscitur. *Eus. a.* 144.

152 Apollonius et Basilides philosophi illustres habentur. *Eus. a.* 147.

156 Crescens cynicus philosophus Justino nostro persecutionem commovit, in qua ille gloriose pro Christo sanguinem fudit. *Eus. a.* 151; *al.* 167.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

116 *Ignatius Antiochiæ episcopus martyrizatur.* Pag. h. a.

118 Addit: *Ælius Adrianus XII, annis* XXI. *Hic per Quadratum*, etc., ut A. an. seq.

121 *Adrianus plurima tributa relaxat.* Eus. a. 119.

D 132 *Sixtus papa sub Adriano imperatore passus est* VIII *Idus Aprilis;* al. a. 127.

133 Addit: *juxta Eusebii historiam annis* XI. *Passus est* VI *Non. Januarii.*

139 Addit. *Antoninus XIII, cognomento Pius, annis* XXII, *mensibus* III. *Iste per Apologeticum*, etc., ut A. an. seq.

140 *Hyginus papa VIII sedit annis* IV. *Hic discessit* IV *Idus Jan.*

144 Addit: *obiit* IV *Idus Julii.*

149 *Pius papa juxta baptisterium S. Praxedis consecravit titulum S. Hermæ, de quo Apostolus ad Romanos:* Salutate Phlegontam (et) Hermen, *cujus creditur esse liber ille Pastoris, licet apocryphus, qui apud Græcos multum usitatur* (26).

NOTÆ.

(22*) Eusebius *Justum* eum appellat. ad an. 120.

(23) Zachæum secuti sunt Tobias, Benjamin, Joannes, Mathias, Philippus, Seneca, hunc Justus II. Levi, Ephrem, Joseph, Judas II, omnes ex Judæis.

(24) Eusebio ad an. 131 dicitur Hymenæus.

(25) Heros seu Heron notatur supra a. 110, mortuus an. 136. Unde hic alter est ejus nominis prioris post Cornelium circa an. 150 successor.

(26) Vid. de hoc libro Cotelerii judicium p. III. cod. apocryph. N. T. Fabricii p. 763, ubi etiam habetur editus.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

157 Alexandriæ Celadion octavus episcopus sedit annis XIV. *Eus. a.* 150; *al. a.* 154.

158 Anicetus papa decimus sedit annis XIII *Eus. a.* 154; *al. a.* 157.

12 159 Hierosolymis post Marcum factus est episcopus Cassianus XVII. *Eus. a.* 157.

160 Antoninus Pius apud Lorium obiit anno ætatis LXXVII. *Eus. a. seq.*

161 Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio Aurelio Commodo æquo jure administraverunt imperium. *Eus. a. seq.* (*In marg.* Marcus et Lucius ann. XIX, mens. I.)

162 Lucio Cæsari Athenis sacrificanti ignis ab Oriente in Occidentem in cœlo ferri visus est. *Eus. a. seq.*

163 Fronto orator insignis habetur. *Eus. a seq.*

164 Cæsares de Parthis triumphant. *Eus. a.* 166.

165 Quarta persecutio, orta apud Asiam, Polycarpum cum plurimis, et in Gallia (27) multos sanctorum coronavit. *Eus. a.* 168.

167 Lues maxima multas vastavit provincias, et exercitum Romanorum pene delevit. *Eus. a.* 169; *Capitol a.* 168.

168 Soter papa XI sedit annis VIII. *Eus. a.* 169, *an. h. a.*

169 Antiochiæ Theophilus episcopus ordinatur, vir sapiens. *Eus. h. a; al. a.* 176.

170 Lucius Cæsar apoplexi exstinctus est. *Eus. h. a.* — Alexandriæ Agrippinus episcopus sedit annis XII. *Eus. a.* 167.

13 171 His temporibus Hegesippus, Dionysius Corinthi episcopus, et Pynitus Cretæ episcopus clari habentur. *Eus. a.* 172.

173 Cataphrygarum hæresis oritur. *Eus. a.* 172.

174 Hoc tempore Tatianus hæresin Encraticarum (28) condit. *Eus. a.* 172.

175 Maxima per totum orbem pestilentia fuit. *Eus. a.* 173.

176 Antoninus multa bella per se et per duces suos faciebat. *Eus. a.* 174. — Eleutherius XII papa annis XV. *Eus. a.* 177.

177 Antoninus Commodum filium consortem regni fecit. *Eus. a.* 178.

178 Imperatores dona largiti sunt, debita relaxant et severiores leges temperant. *Eus. a.* 179. — Lucius Britanniæ rex ab Eleutherio papa Christianus efficitur. *Beda.*

179 Antoninus in Pannonia morbo periit, et Commodus a senatu Augustus appellatur. *Eus. a.* 180.

180 Commodus post mortem patris Germanos feliciter vicit. Hic obscenus et pravus fuit. *Eus. a.* 181. — (*In marg.* Commodus XV, ann. XIII.)

181 Alexandriæ templum Serapis incensum est. *Eus. a.* 182. — **14** Julianus X Alexandriæ episcopus sedit annis X. *Eus. a.* 180.

182 Irenæus Lugdunensis episcopus insignis habetur. *Eus.* 183. — Panthenus et Clemens Alexandriæ clari habentur. *Eus. a.* 195.

183 Commodianæ thermæ Romæ factæ sunt. *Eus. a.* 184.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

158 *Anicetus papa decimus sedit annis* XI, *martyrio coronatus est* XVI *Kal. Maii, cujus temporibus memorat Hegesippus se Romam venisse, ibique ad Eleutherium papam permansisse.* Eus. hist.

160 *Hierosolymis*, etc., ut Aug. a. pr.

161 *Antoninus Pius*, etc., ut A. an. præc.

162 *Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio Aurelio Commodo annis* XIX, *mense uno.*

163 *Hi primum æquo jure administraverunt imperium.*

164 *Lucio Cæsari*, etc., ut Aug. a. 162.

165 *Fronto orator*, etc., ut A. an. 163.

166 *Cæsares*, etc., ut Aug. an. 164.

167 *Sub his principibus quarta persecutio*, etc., ut A. an. 165.

169 *Hoc tempore lues maxima*, etc., ut A. an. 167.

170 *Soter papa XI sedit annis* VIII. *Hic discessit* XI *Kal. Maii*, a. 177.

171 *Antiochiæ Theophilus episcopus vir sapiens ordinatur.*

172 *Alexandriæ Agrippinus episcopus nonus sedit annis* X. *Lucius Cæsar*, etc., ut, an. 170.

173 *His temporibus Hegesippus, Dionysius Corinthi episcopus, Modestus, Melito, Pynetus Cretæ episcopus, Theophilus Antiochiæ episcopus, Apollinaris et alii plurimi doctores clari habentur.*

176 *Hoc tempore Tatianus Encratitarum hæresin condit. Antoninus imperator multa prælia per se et per duces suos contra Romanos inimicos exegit. Antiochiæ VII episcopus Maximus* (29) *constituitur.* al. 186.

177 addit : *Eleutherius papa XII sedit annis* XIII.

178 *Imperatores de hostibus triumphant, et debita plebi relaxant.*

179 *Lucius Britanniæ rex ab Eleutherio papa, ut Christianus efficiatur, impetrat.*

180 *Antoninus in Pannonia moritur.*

181 *L. Antoninus Commodus XV, post mortem patris, annos* XIII *regnavit. Hic Germanos feliciter vicit. Cæterum obscenus et pravus fuit.*

182 *Alexandriæ Julianus X episcopus sedit annis* X.

183 *Templum Serapis*, etc., ut. A. an. 181.

NOTÆ.

(27) Teste Sulpitio Severo, l. II, Hist. sacr. c. 46, primum an. 177 intra Gallias martyria visa sunt; cui consentit Paulus Orosius hist. l. VII, c. 15.

(28) *Leg.* Encratitarum.

(29) Hic aliis Maximinus dicitur

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

184 Commodus Septembrem mensem nomine suo appellavit. *Eus. a.* 185.

185 Hierosolymis XXVI ordinatur Maximus episcopus. *Eus. a.* 186. — Origenes apud Alexandriam nascitur. *Def. in B., h. a.*

186 Montanus quidam hæresin Cataphrygarum condit. *Eus. a.* 172.

188 Capitolium Romæ et bibliotheca fulmine cremantur. *Eus. a.* 189.

189 Alexandriæ Demetrius episcopus sedit annis XLIII. *Eus. a. seq.* — Commodus colossi capite sublato suæ imaginis caput jussit imponi. *Eus. a.* 190.

190 Commodus multos nobilium interfecit. *Eus. a.* 191. — Serapio VIII Antiochiæ episcopus ordinatur. *Eus. h. a.; al. a.* 199.

191 Quæstio de Pascha oritur, et in Dominica die celebrari jubetur. *Eus. a.* 197 (30).

192 Commodus cunctis incommodus in domo Vestali strangulatur. *Eus. a.* 193; *sed legit :* Vestiliani.

193 Pertinax major septuagenario ex senatus consulto jussus est imperare. *Eus. h. a.* (*In marg.* Pertinax, XVI, mens. VII.) Victor XIII papa sedit **15** annis X. *Eus. h. a.* — Pertinacem occidit in palatio Julianus jurisperitus, et regnavit pro eo VII menses. *Eus. h. a.*

194 Severus genere Afer Julianum apud Molvium pontem interfecit, et in honorem Pertinacis, quem idem Julianus occiderat, Pertinacem se cognominari jussit. *Eus. h. a. In marg.* Severus XVII ann. XVII.

196 Hoc tempore Narcissus Hierosolymorum episcopus, et Theophilus Cæsariensis, Polycarpus (31)

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

184 *Hoc tempore Panthenus*, ut. A. an. 182.

186 *Commodianæ*, etc., ut. A. an. 183.

187 *Origenes*, etc., ut. A. an. 185.

188 *Hoc tempore Montanus*, etc., ut. A. an. 186.

189 *Irenæus Lugdunensis episcopus et alii doctores claruerunt.*

190 *Capitolium*, ut. A. an. 188.

191 *Commodus Colossi*, etc., ut A. a. 189. — *Victor papa XIII sedit annis* XI. — *Alexandriæ Demetrius XI episcopus annis* XLIII.

193 *Magna quæstio de pascha*, etc., ut Aug. a. 191.

194 *Commodus cunctis*, etc., ut in Aug. a. 192. — *Ælius Pertinax XVI menses* VI. *Hunc Julianus jurisperitus occidens regnavit menses septem.* — *Severus XVII, genere Afer, annis* XVII. *Hic Julianum civili bello vicit, et se Pertinacem appellavit.*

197 *Hoc tempore Narcissus Hierosolymitanus*, etc., ut Aug. a. pr.

A quoque et Bachilus Asiani, et alii episcopi insignes habentur. *Eus. h. a.*

198 Judaicum et Samariticum bellum motum est. *Eus. h. a.*

199 Severus Parthos et Adiabenos, Arabasque superavit. *Eus. a. seq.*

201 Thermæ Severianæ apud Antiochiam factæ sunt. *Eus. h. a.*

202 Zephyrinus papa XIV sedit annis XVIII. *Eus. h. a.*

203 Severus quinta persecutione plurimos sanctorum coronavit, inter quos pater Origenis Leonides cum multis aliis martyrizatur. *Eus. h. a.*

205 Perpetua et Felicitas hac persecutione bestiis deputantur apud Carthaginem.

B 206 Symmachus et Theodotion interpretes habentur his temporibus.

16 207 Severus vallum apud Britannos per CXXXII millia passuum a mari ad mare fecit. *Eus. h. a.; Spart. a.* 209.

208 Tertullianus Afer clarissimus habetur. *Eus. h. a.*

209 Origenes Alexandriæ studiis eruditur. *Eus. h. a.*

210 Severus in Britannia moritur. *Eus. a.* 211.

211 Antiochiæ Asclepiades IX episcopus ordinatur. *Eus. a.* 212. (*In marg.* Antoninus XVIII ann. VII.)

212 Alexander XXXV Hierosolymorum episcopus ordinatur vivente Narcisso, Deo per visum jubente (32). *Eus. a.* 213.

C 213 Antoninus Caracalla propter genus vestis, quod Romæ erogabat, cognominatur (33). *Eus. a.* 214; *Sext. Aur. Vict. a. pr.*

199 *Judaicum*, etc., ut Aug. a. pr.

200 *Severus Parthos*, etc., ut Aug. a pr.

202 *Thermæ Severianæ*, etc., ut Aug. a. pr. — *Victor papa martyrizatus est* XII *Kal. Maii.*

203 *Zephyrinus papa XIV, sedit annis* XVIII ; *qui discessit* VII *Kal. Sept.*

204 *Severus quinta persecutione*, etc., ut Aug. a. pr.

206 *Perpetua*, etc., ut Aug. a. pr.

D 207 *Hoc tempore Symmachus*, etc., ut Aug. a. pr.

208 *Severus vallum*, etc., ut Aug. a. pr.

210 *Tertullianus*, etc., ut Aug. a. 208.

211 *Severus in Britannia moritur. Antoninus Caracalla XVIII, annis septem.*

212 *Antiochiæ nonus episcopus Asclepiades ordinatur.*

213 *Hoc tempore Alexander episcopus Cappadociæ a Narcisso Hierosolymitano episcopo constituitur.* Vid. Aug. a. 212.

NOTÆ.

(30) Non una est omnium de tempore hujus concilii Romani sententia, quod plerique ad annum 196, aut sequentem reponunt. *Pag.*

(31) Eus. Chr. Polycarpum melius Polycratem vocat.

(32) Alexander hic antea fuerat episcopus Cappadociæ, anno 212. Narcisso Hierosolymitano successor datus, de quo vid. Bolland. 18 Mart., t. II. Narcissus vero colitur 29 Oct.

(33) Caracalla indumenti genus erat, ad talos usque demissum. Vid. Sext. Aurel. in Antonino.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

214 Antonianæ thermæ dictæ sunt Caracallæ ex nomine Antonini.

215 Antoninus Romæ thermas sui nominis ædificavit. *Eus. a.* 216.

216 Antoninus impatientia libidinis novercam suam Juliam duxit uxorem. *Eus. a.* 217.

217 Antoninus interficitur anno vitæ XLIII. *Eus. h. a.*

218 (*In marg.* Macrinus ann. I.) Romæ amphitheatrum incensum. *Eus.* — Antiochiæ episcopus constituitur Philetus X. *Eus. h. a ; al. a. seq.* — Macrinus cum filio Diadumeno occiditur in Archelaide. *Eus. h. a.*

17 219 (*In marg.* Aurelius Antoninus ann. IV.) Aurelius Antoninus adeo impudice in imperio vixit, ut nullum genus obscenitatis omiserit. *Eus. h. a.* Callistus papa XV annis V. *Eus. a.* 220; *al. h. a.*

220 Hippolytus episcopus clarus habetur. *Beda.*

221 In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, condita est. *Eus. a. seq.*

222 Aurelius tumultu militari Romæ occiditur. *Eus. h. a.*

223 (*In marg.* Alexander XXI ann. XIII.) Alexander Xerxem regem Persarum vicit. *Eus. h. a.*

224 Hic militaris disciplinæ severus corrector fuit. *Eus. h. a.*

225 Urbanus papa XVI sedit annis IX. Hic multos nobilium ad fidem Christi convertit. *Eus. h. a. ; al. a.* 223

226 Ulpianus jurisconsultus insignis habetur. *Eus. h. a.*

227 Thermæ Alexandrinæ Romæ ædificatæ. *Eus. h. a.*

228 Geminus presbyter Antiochenus, et Hippolytus, et Beryllus episcopus Bostrenus clari scriptores habentur. *Eus. h. a.* (34).

229 Antiochiæ ordinatur episcopus Zebennus (35) XI. *Eus. h. a.*

230 Mammæa mater Alexandri Origenem celeberrimum doctorem ad se **18** vocatum audivit. *Eus. hist.* — Alexandriæ Heraclas episcopus annis XVI. *Eus. a. seq.*

231 Alexander in matrem Mammæam unice pius fuit, et ob id omnibus amabilis. *Eus. a. seq.*

232 Origenes de Alexandria ad Cæsaream Palæstinæ transit. *Eus. a. seq.*

233 Pontianus papa XVII sedit annis V. *Eus. a. seq.; al. a.* 230.

234 Alexander Romæ favorabilis fuit.

235 Alexander tumultu militari Mogontiaci occiditur. *Eus. h. a.; Paul. Oros.*

236 (*In marg.* Maximinus XXII ann. III.) Maximinus Christianos, et maxime rectores ecclesiæ, sextus post Neronem persequitur. *Eus. a. seq.*

237 Maximinus adversum Germanos bellum feliciter gessit.

238 Maximinus Aquilegiæ a Pupieno occiditur. *Eus. h. a.*

239 (*In marg.* Gordianus XXIII annis sex.) Anterus XVIII papa sedit mensem unum; post quem Fabianus XIX annis XIII. *Eus. h. a.; al. a.* 236.

240 Pupienus et Albinus, qui imperium arripuerant, in palatio a Gordiano occisi sunt. *Eus. h. a.*

241 Hoc tempore Julius Africanus chronographus clarus habetur.

242 His temporibus Origenes Theodorum (36) et Athenodorum fratres, postea episcopos nobiles, divina imbuit philosophia. *Eus. hist.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

214 *Antoninus Caracalla*, etc., ut Aug. a. pr.

216 *Antoninus Romæ*, etc., ut Aug. a. pr.

217 *Antoninus impatientia*, etc., ut Aug. a. pr.

218 *Antoninus interficitur anno vitæ XLIII. — Opilius Macrinus XIX, annum unum regnavit.*

219 *Macrinus cum filio Diadumeno occiditur. — M. Aurelius Antoninus XX, annis quatuor.*

220 *Callistus papa XV sedit annis* V. *Passus est sub Alexandro imperatore, secundo Idus Octobris.*

221 *Hippolytus episcopus clarus habetur.*

222 *In Palæstina*, etc., ut Aug. a. pr.

223 *Aurelius tumultu militari Romæ occiditur. — Aurelius Alexander XXI annis* XIII. *Hic in matrem suam unice pius fuit, et cunctis charus.*

224 *Alexander Xerxen regem Persarum vicit.*

225 *Urbanus papa XVI sedit annis* VIII. *Hic multos nobilium ad fidem Christi convertit ; octavo Kal.* (37) *Julii obiit.*

227 *Neronianæ thermæ Alexandrinæ vocantur.*

232 *Pontianus papa XVII sedit annis sex, passus est sub Maximino imperatore* XII *Kal. Dec.*

233 *Alexandriæ Heraclas XII episcopus, vir sapiens, sedit* XIII.

235 addit : *Maximinus XXII, annis tribus. Hic Christianos, et maxime rectores Ecclesiæ, sexto post Neronem persequitur.*

236 *Alexander Hierosolymorum episcopus XXXV;* al. a. 212.

237 *Pontianus papa et successor ejus Anterus XVIII papa post primum mensem pontificatus martyrizantur, tertio Nonas Januarii.* (38) Eus. a. 239.

238 *Fabianus papa XIX sedit annis* XIV. *Maximinus Aquileiæ occiditur. Gordianus XXIII annis sex.*

NOTÆ.

(34) Hic Eusebio Geminianus dicitur.

(35) Aliis Zibenus dicitur ad an. 230.

(36) Murensis codex addit *cognomento Gregorium*, Neocæsariensem scilicet postea episcopum. Vid. an. 266.

(37) Pro Julii legendum Junii ; colitur enim 23 Maii.

(38) Pontianus sedit ab a. 230 usque 235, et Anterus uno mense.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

19 243 Gordianus, cum victor Parthis reverteretur, haud longe a Romano solo interficitur. *Eus. a. seq.*

244 Milites Gordiano tumulum ædificant, et ossa ejus Romam reportant. *Eus. h. a.* (*In marg.* Philippus XXIV, cum filio ann. VII.)

245 Philippus primus omnium imperatorum Christianus fuit. Hic filium suum Philippum consortem regni fecit. *Eus. h. a.*

246 Regnantibus Philippis millesimus annus Romanæ urbis expletus est. *Eus. h. a.*

247 Millesimus annus a Christiano imperatore variis ludis celebratus est. *Eus. h. a.*

248 Theatrum Pompeii Romæ incensum. *Eus. a.* 246.

249 Philippus urbem nominis sui in Thracia construxit. *Eus. a. pr.* — His temporibus Origenes multa scripsit.

250 Alexandriæ Dionysius XIII episcopus sedit annis XVII. *Eus. a. pr.*

251 Philippus senior Veronæ, Romæ vero junior occiditur. *Eus. h. a.* (*In marg.* Decius ann. I, mens. III; *al. a.* 249.)

20 252 Decius, cum Philippos patrem et filium interfecisset, ob eorum odium in Christianos persecutionem movet. — Antonius in Ægypto nascitur. Decius cum filio occiditur. *Eus. h. a.* — Fabianus martyrizatur, pro quo Cornelius papa sedit annis III (41), qui et ipse martyrio coronatur. *Eus. h. a; al. a. pr.*

253 (*In marg.* Gallus cum Volusiano ann. II, mens. III.) Origenes anno ætatis LXX, moritur. Novatus presbyter auctor hæreseos exstit. Maxima pestilentia facta est. *Eus. h. a.*

254 Lucius papa XXI, mensibus VIII; post quem Stephanus annis II. Gallus cum filio interficitur, *Eus. h. a.*

255 (*In marg.* Valerianus et Gallienus ann. XV.) Valerianus octavam persecutionem in Christianos exercuit. *Eus. a* 257.

257 Cyprianus doctor eximius, Carthaginensis episcopus, martyrio coronatur. *Eus. h. a; alii an. seq.*

258 Valerianus a Sapore Persarum rege capitur. *Eus. h. a.* **21** Xistus papa sedit annis VII. *Eus. a.* 256, *annis* VIII.

259 Valeriano in Persas ducto, et oculis privato, Gallienus pacem reddit nostris. *Eus. a seq.*

261 Gallienus in omnem lasciviam dissolvitur. *Eus. h. a.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

244 *Gordianus cum victor*, etc. ut Aug. a. pr. — *Philippus XXIV cum filio Philippo annis septem. Hic primus omnium imperatorum Christianus fuit.* Nota Bernoldi in margine superiore. *De hoc Philippo legitur in eccles. Hist. quod in ipsa die Paschæ cum communicare vellet, ab episcopo loci non permitteretur, usque dum præmissa confessione peccatorum inter pœnitentes satisfaceret* (39).

245 *Philippus Philippum filium suum consortem regni sui fecit.*

247 *Alexandriæ XIII Dionysius episcopus clarus doctor sedit annis* XIX, *qui suo tempore Sabellianam hæresin apud Ptolemaidam asserit exortam.* Eus. a. 249.

248 *Millesimus annus ab urbe condita festive celebratur.*

249 *Origenes presbyter his temporibus tanta scripsit, ut Hieronymus quodam loco* (40) *quinque millia librorum ejus se legisse dicat*

251. *Philippus Senior Veronæ, Junior vero Romæ occiditur. Decius XXV, anno uno, mensibus tribus. Iste septimus in Christianos persecutionem excitavit.*

252 *Fabianus* XIII *Kal. Feb. martyrizatur, pro quo Cornelius papa XX sedit annis tribus. Decius cum filio suo in Thracia a Gothis occiditur Gallus XXVI cum Volusiano filio annis duobus, mensibus* III. al. a. 251.

253. *Origenes anno ætatis*, etc., (42) ut Aug. *Novatus presbyter Romanæ Ecclesiæ* (43) *hæresis Novatianorum auctor : qui se Catharos dixerunt.* in margine nota Bernoldi : *Novatiani in crimine lapsis veniam denegant, et si digne pœniteant.*

254 *Gallus et Volusianus interfecti sunt Interamnæ. Valerianus XXVII cum Gallieno annis* XV. *Iste octavus persecutionem in Christianos exercuit.*

255 *Cornelius papa martyr efficitur* XVIII *Kal. Oct. Lucius papa XXI sedit menses* VIII, *passus* IV *Non. Martii.*

256 *Stephanus papa XXII sedit annis duobus. Martyrio coronatus est* IV *Non. Augusti.*

258 *Sixtus papa XXIII sedit annis undecim, qui pro Christo decollatus est* VIII *Idus Aug. — Valerianus commota persecutione, a Sapore rege Persarum captus et oculis privatus, in servitute miserabili consenescit, et Gallienus territus pacem Christianus reddidit.*

NOTÆ.

(39) Eusebius duos tantum annos Cornelio tribuit.

(40) Factum id a S. Babyla episcopo Antiocheno refert Eusebius, Hist. eccles. l. VI, c. 27; quo tamen testimonio non obstante, Pagius in Critica Baronii, ad an. 244., n. IV, Philippum Christianum fuisse negat cum aliis eruditis.

(41) Forte in epistola ad Paulam, in qua se operum Origenis catalogum textuisse testatur cap. 54 de Viris illustr. quæ tamen intercidit.

(42) Murensis addit : *et in Tyro sepelitur*, notamque marginalem textui inserit.

(43) Novatus erat presbyter Carthaginensis Ecclesiæ, qui cum Novatiano Romano presbytero prædictam hæresin conflavit.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

262 Germani Italiam, Alamanni Gallias et Italiam populantur. *Eus. h. a; Eutrop. a.* 264.

263 Macedonia, Græcia, Pontus, Asia et aliæ provinciæ depopulantur per Gothos. *Eus. a. pr.*

265 Dionysius papa sedit annis IX. *Eus. a. seq., al. a.* 259.

266 Hoc tempore Theodorus, qui et Gregorius, Neocæsareæ episcopus virtutibus claruit.

267 Hierosolymis Hymenæus episcopus ordinatur. *Eus. h. a.*

269 Gallienus Mediolani occiditur. *Eus. h. a.*

270 (*In marg.* Claudius ann. I, mens. IX). Claudius Gothos jam per annos XV Illyricum Macedoniamque vastantes superat *Eus. a. seq.* — Paulus Samosatenus Antiochiæ episcopus hæreticus esse convincitur. *Eus. a.* 267. **22** Claudius Sirmio moritur, pro quo frater ejus Quintillus regnavit dies XVII, et Aquileiæ occiditur. *Eus. a. seq.*

271. (*In marg.* Aurelianus ann. V, mens. VI.) Aurelianus publicæ rei utilis, primo clemens Christianis, postea persecutor fuit. *Trebel. a. pr.*

272 Zenobia regina Orientis vincitur. Eusebius Laodicensis episcopus insignis habetur. *Eus. a. seq.*

273 Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus et Zenobia captivi præcesserunt. *Eus. a. seq.*

274 Imperator soli templum ædificat, et nonus Christianos persequitur. *Eus. a. seq.*

275 (*In marg.* Tacitus mens. VI.) Aurelianus divino fulmine territus, interficitur a militibus, pro quo regnavit Tacitus mensibus VI. Quo apud Pontum occiso, Florianus regnavit dies LXXXVIII, et occiditur. *Eus. a. seq.*

276 Felix papa XXV, sedit annis V. *Eus. a. seq., al. a.* 269.

277 (*In marg.* Probus ann. VI, mens. IV.) Probus Gallias a barbaris occupatas ingenti virtute restituit. *Eutrop.*

278 Anatolius Laodiciæ episcopus clarus habetur. *Eus. a. seq.*

279 Manes quidam, genere Persa, insanam Manichæorum hæresim condit. *Eus. a. pr.*

23 280 Antiochiæ episcopus constituitur Quirillus XVIII. *Eus. h. a. vocat Cyrillum.*

281 Eutychianus papa sedit menses VIII (44). Cui successit Gaius papa annis XVI. *Eus. h. a.*

282 Probus apud Sirmium tumultu militari occiditur. Alexandriæ episcopus Theonas annis XIX. *Eus. h. a.*

283 (*In marg.* Carus cum filiis Carino et Numeriano ann. II.) Carus, victor de Parthis, super Tigridem fulmine ictus interiit. *Eus. h. a.*

284 Numerianus insidiis Apri soceri sui occisus est. *Eus. h. a.* — Carinus, apud Margum a Diocletiano prælio victus, interficitur. *Eus. a. seq.* — Hucusque ab incarnatione Domini supputantur secundum Dionysium anni CCLXXXIV.

285 (*In marg.* Diocletianus ann. XX.) Ab hoc anno Græci paschales circulos inchoabant (45).

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

265 *Alexandriæ Maximus XIV episcopus sedit annis* XVIII, al. a. 264.

268 *Dionysius papa XXIV sedit annis* IX. *Discessit* VI *Kal Jan. Paulo Samosateno hæretico deposito, Domnus XVI Antiochiæ episcopus ordinatur*, al. a. 270, Eus. a. 267.

269 Addit : *Claudius XXVIII, anno uno, mensibus* IX. *Iste Gothos*, etc., ut A. an. seq.

270 *Paulus de Samosata Antiochenus episcopus hæreticus esse convincitur.* Nota marginalis Bernoldi : *Hic Antiochiæ episcopus feminarum consortio delectabatur, quod et clericis suis concessit, ne sibi hoc crimen possent imputare, quippe astricti eodem crimine. Hic etiam Christum hominem communis naturæ esse asseruit. Hic cum damnatus nollet ab ecclesia discedere, ad cumulum sui dedecoris publica manu expellitur ab ecclesia, ut narrat ecclesiastica Historia* (46).

271 *Claudius Sirmio moritur, pro quo frater Quintillus regnavit dies* XVII, *et Aquileiæ occiditur. Aurelianus XXIX annis quinque, mensibus sex. Hic reipublicæ utilis, primo*, etc., ut Aug.

273 *Zenobia regina Orientis vincitur.*

274 *Aurelianum Romæ*, etc., ut Aug. a. pr.

275 *Aurelianus templum soli ædificat, et nonam persecutionem in Christianos excitat.*

276 *Aurelianus divino fulmine territus, inter Byzantium et Heracleam a militibus occiditur. Tacitus XXX mensibus* VI. *Quo apud Pontum occiso, Florianus regnavit dies* LXXXVIII, *et apud Tharsum occiditur.*

277 *Felix papa XXV sedit annis quinque; martyrio coronatus est* III *Kal. Junii. — Probus XXXI annis sex, mensibus quatuor.*

278 *Galliæ a barbaris vastatæ a Probo Romano restituuntur imperio.*

279 *Anatolius*, etc., ut A. a. pr.

280 *Manes quidam... condidit*, ut Aug. a. pr.

281 *Antiochiæ*, ut. A. an. pr.

282 *Eutychianus papa XXVI sedit mensibus* X, *passus pro Christo* VIII *Kal. Aug.* Vid. not. an. præc.

283 *Gaius papa XXVII, sedit annis* XV. *Alexandriæ Theonas episcopus XV, annis* XVIII. — *Probus apud Sirmium tumultu militum occiditur. — Carus XXXII cum filiis Carino et Numeriano annis duobus.*

284 *Carus victor*, ut A. a. pr.

285 *Numerianus occiditur. Carinus apud Margum a Diocletiano interficitur. Hucusque*, etc., ut Aug. a. pr. — *Diocletianus XXXIII annis viginti.*

NOTÆ.

(44) Sedit annis VIII, mens. XI; Gaius vero annis XII, mens. IV.

(45) Est hæc celebris Æra Diocletiana seu Martyrum, cujus initium repetitur a 29 Aug. anni 284.

(46) Eus. l. VII, c. 23, 24. Murensis cod. hanc notam in contextum reposuit.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

286 Diocletianus Herculianum Maximianum in consortium regni assumit. *Eus. a.* 288.

287 Maximianus in Gallia Amandum cum rusticis vicit. *Eus. a. seq.*

24 288 Hoc tempore Carus [*Eus.* Carausius] Britanniam, Narseus rex Persarum Orientem, Achilleus Ægyptum, Quinquegentiani Africam infestaverunt; ob quæ Constantinus [*leg.* Constantius], Galerius et Maximianus in regnum assumuntur. *Eus. a. seq.*

290 Diocletianus Constantium Constantini patrem Cæsarem fecit, qui regnavit annis XVI. *Eus. a. pr.*

291 Imperator Galerium Maximianum Cæsarem fecit. *Eus. a.* 289.

292 Hoc tempore Phierius presbyter, et Achillas et Melitus Alexandriæ claruerunt.

293 His temporibus diversis et multis prœliis hostes diversi vincuntur. *Eus.*

295 Diocletianus se ut deum adorari jussit. *Eus. h. a., al. a.* 293.

296 Gaio papæ per martyrium coronato Marcellinus XXVIII successit. *Eus. a. seq.*

297 Diocletianus victo Achilleo Alexandriam et Ægyptum recepit. *Eus. a. seq.*

298 Idem plurimos per totam Ægyptum proscriptionibus et exsiliis damnavit. *Eus. h. a.*

299 Constantius sexaginta millia Alamannorum juxta Lingonas occidit. *Eus. a.* 301. *Eutr. a.* 297.

25 300 Galerius Maximianus, victus a Narseo, ante carpentum Diocletiani purpuratus cucurrit. *Eus. a.* 301.

301 Maximianus Narseum superavit, et uxorem ejus ac liberos captivavit. *Eus. a.* 303. *Eutr. a.* 297.

302 Diocletianus et Maximianus insigni pompa de hostibus triumphant. *Eus. a. seq.*

303 Diocletianus et Maximianus ecclesias subvertunt, libros divinos incendunt, et Christianos cruciant. *Eus. a. seq.*

304 Diocletianus Nicomediæ, et Maximianus Mediolani purpuram et regnum deponunt. *Eus. a. seq.* — Eusebius papa sedit menses VIII, post quem Miltiades annos IV (47). *Eus. a. seq.*

305 Maximinus et Severus Cæsares facti sunt. *Eus. a. seq.* — Constantius Augustus obiit, post quem Constantinus filius ejus. *Eus. a.* 307. — Constantinus Constantii ex concubina Helena filius primus imperator, excepto Philippo, Christianus fuit, et ab hoc Christiani imperatores esse cœperunt. *Eus. a.* 307.

306 (*In marg.* Constantinus ann. XXX, mens. X.) Maxentius Maximiani Herculii filius Augustus appellatur. *Eus. a.* 308.

26 307 Maximianus apud Massiliam turpiter interficitur. *Eutrop. a.* 310.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

286 *Ab hoc anno*, ut A. a. pr.

287 *Diocletianus Herculium Maximianum in consortium regni assumit*, al. a. 285.

288 *Maximianus*, etc., ut a. pr.

289 *Hoc tempore Carausius... vastaverunt*, ut A. a. pr.

291 *Diocletianus Constantium*, etc., ut in Aug. a. pr.

292 *Diocletianus*, ut A. a. pr.

293 *Hoc tempore Phierius*, ut A. a. pr.

294 *His temporibus*, ut A. a. pr.

296 *Diocletianus se*, ut A. an. pr.

298 *Gaio papæ* X *Kal. Maii martyrizato Marcellinus* XXVIII *successit annis novem, qui item pro Christo passus est* VI *Kal. Maii.* Nota marginalis Bernoldi : *Hucusque ecclesiastica Historia Eusebii successiones præsulum Romanorum, sive Alexandrinorum apte describit, sicut et hic descriptæ habentur* (48).

299 *Diocletianus victo Achilleo*, etc., ut A. an. 297.

300 *Constantius sexaginta millia Alamannorum occidit.*

301 *Alexandriæ XVI Petrus episcopus sedit annis* XII. Eus. a. 303, al. a. 300.

302 *Galerius Maximianus Narseum*, etc., ut A. an. præc.

303 *Diocletianus... triumphant*, ut A. an. præc.

304 *Diocletianus in Oriente, et Herculius Maximianus in Occidente ecclesias subvertunt, libros divinos incendunt, et Christianos decima persecutione post Neronem cruciaverunt.*

305 *Diocletianus Nicomediæ et Maximianus Mediolani purpuras et regnum, ob senectutis defectum, sponte deponunt. — Galerius et Constantius Augusti. — Maximinus persecutor Christianorum et Severus Cæsares eliguntur.*

306 *Constantius augustus vir mansuetus in Britannia Eboraci obiit.* Paul. Oros. h. a. — *Constantinus Constantii* XXXIV *ex concubina Helena filius, annis triginta, mensibus decem. Hic primus imperator... cœperunt*, ut A. an. præc.

307 *Maxentius, Maximiani Herculii filius, Augustus appellatur. — Marcellus* XXIX (49) *papa sedit annis quinque, passus est* XVII *Kal. Febr.*

NOTÆ.

(47) Marcellinus quidem hoc anno obiit, cui non Eusebius, sed Marcellus post trium annorum interpontificium a. 308 successit. *Pag.*

(48) In coJ. Muremi hæc nota textui inserta legitur.

(49) Marcellus papa, a. 308 electus, altero post anno 310 defunctus successorem habuit Eusebium quatuor tantum mensium pontificem.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

308 Occiso Severo, Licinius Cæsar efficitur. A *Eus. a. seq.* — Galerius Maximianus moritur. *Eus. a.* 311.

309 Silvester papa sedit annis XXV (50). *Eus. a.* 312. — Maximinus Christianos persequitur et apud Tharsum moritur. *Eus. a.* 312.

311 Maxentius juxta Molvium pontem a Constantino superatus occiditur. *Eus. a.* 313.

312 Persecutio tandem post decem annos finita est.

314 Diocletianus in prædio suo moritur et solus omnium privatus inter deos refertur. *Eus. a.* 317, *al. a.* 313.

315 Plurimi persecutorum et magorum trucidantur.

318 Licinius Christianos de palatio suo pellit et B eos persequitur. *Eus a.* 321.

27 319 Hoc tempore Arius Alexandriæ presbyter nefandam Arianorum hæresim condit. *Epiph. a.* 361.

320 Alexandriæ ordinatur episcopus Alexander (51). *Eus. a.* 322.

321 Arius presbyter, ab ecclesia a suo episcopo Alexandro ejectus, multos suæ impietati sociat. *Eus. a. seq.*

322 Concilium in Nicæa congregatur CCCXVIII episcoporum sub Silvestro papa (52).

323 Constantinus (53), filius Constantini, Cæsar efficitur. — Licinius occiditur. *Eus. a. seq.*

324 Hoc tempore crux Dominica ab Helena, Constantini matre, Hierosolymis reperitur sub Macario ejusdem urbis episcopo. *S. Paulin. epist.* 11, *al. a.* 326.—Nazarius rhetor insignis habetur. *Eus. a. seq.*

325 Vicennalia Constantini Nicomediæ acta, et sequenti anno Romæ edita. *Eus. a.* 327.

326 Hucusque historiam scribit Eusebius. Hinc Hieronymus, *al. an. seq.*

327. **28** Constantinus Drepanam Bithyniæ civitatem instaurans, in honorem matris suæ Helenopolim appellavit. *Hier. a. seq.*

328 Ariani episcopi ecclesiam obtinuerunt, quorum tempora non digeruntur, quia hostes Christi judicantur. *Hier. an. seq.*

329 Juvencus presbyter claruit. Porphyrius hæreticus a Constantino de exsilio liberatur. *Hier. a. seq.*

330 Alexandriæ ordinatur episcopus Athanasius. Dedicatur Constantinopolis. *Hier. a. seq.*

331 Edicto Constantini gentilium templa subversa sunt. *Hier. a. seq.*

332 His temporibus Eusebius Cæsariensis episcopus, et alii multi doctores claruerunt.

333. Antonius monachus clarus habetur.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

308 *Maximianus Herculius*, etc., ut A. an. præc. C

309 *Occiso Severo*, etc., ut A. an. præc.

310 *Galerius Maximianus Christianorum persecutor, divina ultione tactus, parcere Christianis jussit.*

311 *Maximinus Cæsar persecutionem restaurat et ipse moritur.*

312 *Petrus Alexandriæ episcopus martyrio coronatur, pro quo Achillas* XVII *sedit*, al. a. 311. *Magna fames et lues in persecutores facta est.*

313 *Persecutio*, ut A. an. præc.

314 *Constantinus Maxentium civili bello, Deo juvante, apud pontem Molvium vicit.*

315 *Maximinus Cæsar cum magno cruciatu miserabiliter et digne moritur*, al. a. 313.

316 *Plurimi*, etc., ut A. an. pr.

318 *Licinius Cæsar primo bonus Christianorum* D *ultor, prava contra Constantinum machinans, et Christianos persequens, victus bello interiit* (54). *Melchiades papa XXXI sedit annis* IV, *obiit* IV *Idus Januarii* (55).

320 *Hoc tempore Alexandriæ presbyter Arius nefandam hæresim Arianorum condit sub Alexandro episcopo qui Achillæ successit.*

321 *Silvester papa XXXII* (56) *sedit annos* XXIII, *menses* X, *qui discessit pridie Kal. Jan.*

322 *Concilium in Nicæa congregatur* CCCXVIII *episcoporum sub Silvestro papa, in quo Arius condemnatur, et septuaginta capitula constituuntur, sicut Athanasius dicit, qui eidem synodo interfuit.* Nota marginalis Bernoldi : *Sunt ex Nicæo decies septena statuta, sicut Athanasius scribit simul et papa Marcus.*

325 *Vicennalia Constantini Romæ acta.*

327 *Constantinus Sarmatas, Gothos et multas nationes Romano subdit imperio*, al. a. 332.

328 *Constantinus Byzantium urbem reparavit, et ex suo nomine Constantinopolim appellavit et sedem Romani regni eam esse voluit*, al. an. 329.

329 *Alexandriæ Athanasius episcopus ordinatur*, al. a. 328.

330 *Hoc tempore Indi et Iberi efficiuntur Christiani.* Socr. a. 327

331 *His temporibus Eusebius Cæsariensis episcopus et Juvencus poeta et plurimi doctores claruerunt.*

332 *Antonius*, ut A. an. seq.

333 *Constantia, Constantini soror, uxor Licinii moritur.*

NOTÆ.

(50) Initium pontificatus Silvestri spectat ad an. 314, quo Melchiadi seu Miltiadi successit. *Pag.*

(51) Alexander an. 312 pontificatum cœpit.

(52) Concilium istud omnium consensu an. 325 fuit celebratum.

(53) Eusebius rectius habet *Constantius*. Constantinus enim junior jam an. 318 Cæsar fuit renuntiatus.

(54) Initium persecutionis Licinii hoc anno fuit, sed interitus anno 324.

(55) Melchiades a. 311 electus obiit a. 314.

(56) Jam a. 314 papa factus.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

334 Constantinus cum liberis suis honorificas ad A Antonium litteras mittit. *Hier. a.* 337.

335 Tricennalibus Constantini Dalmatius Cæsar appellatur. *Hier. a.* 337.

29 336 Constantinus, dum bellum in Persas pararet, apud Nicomediam obiit anno ætatis LXVI *al. an.* 337.

337 (*In marg.* Constantius XXXV, Constantinus et Constans ann. XXIV, mens. V, dies XIII.) Dalmatius Cæsar factione Constantii patruelis, et tumultu militari interficitur. *Hier. a.* 339.

338 Constantius Ariana hæresi per Arianum presbyterum, et Eusebium Nicomediensem pollutus, Athanasium episcopum, et omnes non suæ partis episcopos persequitur. *Hier. a.* 340.

339 Constantinus bellum fratri Constantio inferens, juxta Aquileiam occiditur. *Hier. a.* 341, *al. a.* 340. B

340 Terræ motus multas urbes subvertit. *Hier. a.* 342.

341 Franci a Constante perdomiti in pacem recepti sunt. *Hier. a. seq.*

342 Constantinopoli ejecto ab Arianis Paulo episcopo, Macedonius hæresiarches in locum ejus substituitur. *Hier. a.* 343.

343 Hoc tempore Maximinus Trevirorum episcopus claruit, a quo Athanasius a Constantio profugus suscipitur. *Hier. a. seq.*

344 Athanasius ad Constantis litteras Alexandriam regreditur. *Hier. a.* 346.

345 Eclipsis solis facta est, et terræ motus multas urbes subvertit. *Hier. a. seq. et* 348.

30 346 Tribus diebus ac noctibus Roma natavit, et Campaniæ urbes vexatæ. *Hier. h. a. habet* natavit.

347 Bellum contra Persas geritur gravi Romanorum damno. *Hier. a.* 349.

348 Romæ ordinatur Liberius, quo ab Arianis expulso Felix in ejus locum substituitur (57). *Hier. a.* 350.

349 Constans interficitur anno ætatis XXX. Magnentius et alii multi conturbant rempublicam. *Hier. a.* 351.

350 His temporibus ossa Timothei et S. Andreæ apostolorum, et Lucæ evangelistæ Constantinopolim B invecta sunt. *Hier. a.* 357, 359.

351 Gallus Constantii patruelis Cæsar factus. Magnentius seipsum occidit. *Hier. h. a.*

352 Antonius monachus CV ætatis suæ anno in eremo moritur. Multi eremitæ claruerunt, *al. a.* 356.

353 Gallus Cæsar occiditur. Victorinus rhetor et Donatus grammaticus insignes habentur. *Hier. a.* 355.

354 Julianus Cæsar efficitur a Constantio. Eusebius Vercellensis et Dionysius Mediolanensis cum aliis exsulantur. *Hier. a.* 356.

355 Magnæ Alamannorum copiæ apud Argentarium (58) deletæ sunt a Juliano Cæsare. *Zos. a.* 357.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

334 *Constantinus in Arianum dogma labitur* (59). C

335 *Constantinus, dum bellum in Persas pararet, apud Nicomediam obiit, anno ætatis* 66. Hier. a. 338. — *Constantius filius Constantini cum Constantino et Constante fratribus annis* XXIV, *mensibus* V, *diebus* XIII *regnaverunt.*

336 *Constantius per Arianum presbyterum et Eusebium Nicomediensem fit Arianus et catholicos persequitur.*

337 *Jacobus Nisibinus virtutibus claruit.* Hier. a. 339. — *Dalmatius Cæsar occiditur.*

339 *Terræ motus multas urbes diruit.*

340 *Franci*, etc., ut Aug. a. seq.

341 *Constantinopoli... substituitur*, ut A. an. seq.

342 *Hoc tempore Maximinus Trevirorum episcopus clarus habetur, a quo Athanasius, Alexandriæ episco-* D *pus, a Constantio profugus honorifice suscipitur.*

343 *Marcus papa XXXIII* (60) *sedit annis duobus, discessit Nonis Octobris.*

345 Addit : *Julius XXXIV papa annis quindecim*, al. a. 337.

346 *Bellum*, etc., ut A. an. seq.

347 *Constans haud longe ab Hispania interficitur anno ætatis* XXX, al. a. 350.

349 *His temporibus ossa... illata sunt*, ut Aug. a. seq.

351 *Antonius monachus centesimo quinto suæ ætatis anno in eremo moritur; quo tempore multi eremitæ virtutibus claruerunt.* Hier. a. 358.

352 *Victorinus rhetor et Donatus grammaticus Romæ insignes habentur.* Hier. a. 355.

353 *Julianus*, etc., ut A. an. seq.

354 *Magnæ*, etc., ut Aug. an. seq.

355 *Julianus Rheno Germanos vicit.*

NOTÆ.

(57) Ordinatio Liberii contigit an. 352, et substitutio Felicis *a.* 355. *Pag.*

(58) Id hodiernum est Argentoratum. Vid. Ammian. Marcell. l. XVI, c. 12; *Eutrop.* l. X.

(59) Ab hac hæreseos labe, quam Constantino S. Hieronymus in Chronico ob susceptum extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Ariano baptisma perperam inussit, illum egregie vindicat Pagius in Critica Baronii ad an. 324, n. 14, alique.

(60) Marcus Silvestro an. 336 suffectus, post septem menses Julium habuit successorem an. 337.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

31 356 Julianus Rheno-Germanos vicit. *Amm* Hilarius Pictaviensis et Athanasius Alexandrinus ab Arianis multa mala passi sunt.

357 Apud Ariminum synodus Arianorum contra fidem facta est. *Hier. a.* 360. — Paulinus Trevirensis episcopus in exsilio moritur. *Hier. a.* 359.

358 Julianus Augusti nomen usu pat. Constantius in Parthos bellum parat. *Amm. a.* 360.

359 Constantius Parthico bello dimisso contra Julianum arma sumit. *Ammian.*

360 Constantius moritur anno ætatis XLV. *Hier. a.* 362.

361 (*In marg.* Julianus XXXVI, ann. I, mens. VIII.) Julianus ex Christiano lectore paganus factus persequitur Christianos. Athanasius, Eusebius, et Lucifer de exsilio revertuntur. *Hier. a.* 363. — Pagani apud Sebasten sepulcrum S. Joannis Baptistæ invadunt.

32 362 Julianus, ad bellum Parthicum profectus et Christianorum sanguinem diis suis vovens, Dei judicio a quodam hoste occisus interiit anno ætatis XXXII. Post quem Jovianus imperator factus, cum omni exercitu ad Christianitatem redit. *Amm. a.* 363. — Antiochiæ synodus hæresiaca collecta est. *Hier. a.* 365, *al. a.* 361.

363 Jovianus, in nova domo recubans suffocatus odore prunarum et calcis, moritur; pro quo Valentinianus regnat, qui ob fidem Christi tribunatu militum a Juliano privatus fuit. *Hier. an.* 365. — (*In marg.* Jovianus XXXVII, mens. VIII.)

364 (*In marg.* Valentinianus XXXVIII, ann. XI.) Valentinianus Valenti fratri suo Orientis imperium dedit. *Hier. a.* 365.

365 Romæ Damasus papa ordinatur (61). *Hier. a.* 367. — Valens ab Eudoxio Arianorum episcopo baptizatus Christianos persequitur. *Hier. a.* 368.

366 Gratianus, Valentiniani filius, imperator efficitur. Vera lana pluviæ mista de nubibus fluxit. *Hier. a.* 368.

367 Athanaricus rex Gothorum Christianos persequitur (62). Hilarius episcopus Pictaviensis moritur. *Hier. a. seq.* Nicæa terræ motu corruit. *Hier. a.* 369.

33 368 Eusebius Vercellensis moritur. *Hier. a.* 371. — Hoc tempore Apollinaris episcopus hæresim condit. *Hier. a.* 376.

369 Magna fames in Phrygia. *Hier. a.* 371.

370. His diebus post Auxentii Ariani mortem Ambrosius episcopus Mediolanensium ordinatur (63). *Hier. a.* 376.

371 Didymus Alexandriæ cæcus claruit. *Hier. a.* 373. — Valentinianus Saxones cæde perdomuit. *Hier. a.* 374; *Ammian. a.* 370.

372 Eunomius agnoscitur, a quo hæresis Eunomiana. *Hier a.* 373. — Burgundiones juxta Rhenum consederunt.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

356 *Hoc tempore Hilarius Pictaviensis episcopus, et Athanasius Alexandrinus et omnes catholici episcopi multa ab Arianis mala perpessi sunt.* Hier. a. seq.

357 *Apud Ariminum synodus* 400 *episcoporum Arianorum contra fidem facta est*, al. a. 359.

358 *Julianus, bellorum successu elatus, Augusti nomen usurpat. Constantius in Parthos bellum parat.* — Nota marginalis Bernoldi: *Liberius papa XXXV sedit annos sex. Quo expulso locum ejus Felix papa XXXVI uno anno occupavit, et iterum Liberius suæ sedi restituitur.* Hier. a. pr. — *Sanctus autem Felix Constantium imperatorem hæreticum esse declarans, martyrizatus est* IV *Kal. Aug.* (64).

359 *Constantius..... sumens moritur.* Hier. a. 362. — *Julianus XXXVI apostata anno uno, menses octo. Hic ex Christiano lectore paganus factus persequitur Christianos.*

360 *Pagani..... invadunt*, ut Aug. an. seq.

361 *Julianus ad bellum..... anno ætatis* XXXII, ut Aug. a. seq. — *Jovianus XXXVII, menses* VIII. *Iste iterum cum omni exercitu ad Christianitatem rediit.* Hier. a. 364.

362 *Synodus hæretica Antiochiæ facta est. — Jovianus... moritur*, ut Aug. an. seq. — *Valentinianus XXXVIII regnavit annis undecim. Hic*, etc., ut A. an. seq.

363 *Valentinianus Valenti*, ut A. an. seq.

364 *Valens ab Eudoxio Arianorum episcopo seductus et baptizatus, post mortem fratris orthodoxos persequitur.*

365 *Gratianus, Valentiniani filius, Ambianis imperator efficitur. Vera lana*, etc., ut A. an. seq.

366 *Athanaricus, rex Gothorum, Christianos in sua gente persequitur.* Hier. a. 370. *Damasus papa XXXVII sedit annis* XVIII.

367 *Hoc tempore Apollinaris Laodiceæ episcopus plura scripsit, sed postea hæresin condidit.*

368 *Magna fames in Phrygia.*

369 *His diebus post Auxentii*, etc., ut Aug. a. seq.

379 *Valentinianus Saxones in regione Francorum cæde perdomuit.*

371 *Burgundionum octoginta fere millia juxta Rhenum consederunt.* Amm. a. 372; Hier. a. 374.

372 *Post Auxentium Arianum Ambrosio ordinato Italia ad rectam fidem redit.*

NOTÆ.

(61) Factum id a. 366. *Pag.*

(62) Persecutio Athanarici, qui primum a. 369 regnare cœpit, posterior est.

(63) Ambrosii ordinatio pertinet ad an. 374.

(64) De hac damnatione, uti et de martyrio Felicis II, vid. Pagius in Brev. Rom. Pont. et Bollandiani tom. VII Julii, ad diem XXIV; de Liberio autem tom. VI Sept., ad diem XXIII.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

373 Hoc tempore docente Ambrosio Italia ad A Christi fidem convertitur. *Hier. a.* 376.

374 Valentinianus subita sanguinis eruptione moritur, pro quo Gratianus filius eum patruo Valente regnavit. *Hier. a.* 376.

375 (*In marg.* Valens cum Gratiano et Valentiniano ann. IV.) Gratianus XXX millia Alamannorum delevit. *Ammian. a.* 378. *Oros.*

376 Valens legem dedit, ut monachi militarent, nolentes fustibus jussit interfici. *Soz. a.* 375; *Hier. h. a.*

377 Gothi, datis a Valente Arianis doctoribus, Ariani efficiuntur. *Chron. Goth.*

34 378 Valens, Arianus imperator, post multa mala sua, in Thracia trucidato a Gothis Romano exercitu, ipse sagitta sauciatus, fugiens, et in vilem B casam, cum sæpe equo laberetur, deductus, insequentibusque hostibus vivus in ipsa casa incensus, sepultura etiam caruit. Post quem Gratianus XXXIX, fratris ejus filius, cum fratre suo Valentiniano regnavit annos VI. *Hier. a.* 379; *al. h. a.* — *Hucusque Chronica Eusebii Hieronymus perduxit. Hinc Heimannus* (65).

379 Gratianus imperator ob perturbatum imperii statum Theodosium, genere Hispanum, armis, fide et religione præcipuum, Orienti imperatorem præfecit; qui XVII annis regnans Gothos, Hunnos, Alanosque et alias gentes plures coercuit deque tyrannis Romanorum sæpe imperium vindicavit. *Idat.* — Priscillianus de Galliis (66) episcopus hoc tempore sui nominis hæresim condit. *Oros. Prosp.*

380 Ab hoc anno Theophilus Alexandrinus episcopus paschales cyclos inchoat (67). Ambrosius Mediolanensis archiepiscopus multa hoc tempore sublimiter scripsit. *Prosp. h. a.*

35 381 Synodus secunda universalis (68) CL episcoporum Constantinopoli agitur contra Macedonium hæresiarcham, ipsius urbis episcopum, sub Theodosio Augusto et Damaso papa. *Prosp. Idat.*

382 Athanaricus, rex Gothorum persecutorque Christianorum, Constantinopoli receptus a Theodosio, moritur (69).

383 Arcadius, filius Theodosii Augusti, a patre in consortium regni assumptus, regnavit annis XXVI. *Prosp.*

384 Theodosio Augusto nunc Honorius nascitur. Romæ post Damasum papam Siricius, qui in Chronicis Prosperi Ursinus (70) dicitur, papa XL sedit annis XIV. *Prosp. Cassiod.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

373 *Valentinianus bellum in Sarmatas parans* C *apoplexi moritur. Valens XXXIX post mortem fratris cum Gratiano et Valentiniano annis quatuor regnavit*, al. a. 375.

374 *Gratianus triginta millia Alamannorum delevit.* Hier. a. 378.

375 *Valens legem dedit*, etc., ut Aug. a. seq. — *Gothi datis*, etc., ut Aug. a. 377.

377 *Valens a Gothis, occiso exercitu, fugiens, in domo quadam vivus crematur*, al. a. seq.

378 *Post mortem Valentis Ariani imperatoris Gratianus cum Valentiniano fratre suo annis sex regnarit.* — Hucusque Chronica Eusebii Hieronymus perduxit. Hinc autem usque ad annum millesimum quinquagesimum quartum ab incarnatione Domini dominus Heremannus sua Chronica perduxit (71).

379 *Gratianus imp. Theodosium Orienti imperatorem præficit. Priscillianus*, etc., ut Aug.

380 *Ab hoc tempore... paschales circulos inchoat.*

381 *Synodus secunda... Damaso papa: et post damnationem prædicti hæretici tres canones constituuntur.*

384 *Maximus sibi regnum usurpans Gratianum Lugduni occidit* (72).

NOTÆ.

(65) Abhinc orditur codex novus Urstisianæ editionis, seu San-Georgianus, qui cum Bavarico Bernoldi autographo ad verbum concordat. Initium hic pariter ponit codex San-Emmeramensis, ad Augiensem magis exactus. Quod vero hinc potissimum exordiantur memorati codices, haud alia videtur ratio, quam quod Hermannus abhinc Chronicon suum auspicatus memoretur, quamvis priora æque ac sequentia ex aliorum scriptorum Chronicis collegerit.

(66) Ita quidem codices, sed Prosper melius habet de Gallæcia; Priscillianus enim non Gallus, sed Hispanus fuit.

(67) Vid. Leo M. epist. XLIV.

(68) Nova æque ac antiqua Prosperi editio CLXXX eos opos numerat; cæteri communiter cum nostro faciunt. Vid. Labbei collect. Concil. tom. II, p. 911.

(69) Prosper habet *occiditur*. Idatius et Marcellinus id ad annum superiorem referunt, ac posterior naturali cum morte periisse scribit.

(70) Ast hoc in quibusdam tantum codicibus; in nova enim operum ejusdem editione pariter Siricius appellatur. Discrepans vero codicum lectio inde orta videtur, quod una cum Siricio Ursinus vel Ursicinus sedem Romanam occupare tentarit; quos adeo ambos in unam personam conflarunt. Siricius præfuit a die 22 Dec. an. 384 usque 25 Nov. an. 398, adeoque annis fere XIV, quamvis Prosper XV pontificatus annos eidem tribuat. Cæterum optime hic notat codex Murensis: seriem præsulum Romanorum, et eorum annos diversissime scriptos in quibusdam libris inveniri.

(71) Hæc clausula in Bavarico codice post annum 377 habetur, conformiter nempe prioribus annis, ubi plerumque integro anno Augiensem subsequitur, ut tamen ab anno 379 in computo rursus cum eo concordet. Vel inde tamen discimus, quousque Hermannus suum Chronicon scripserit.

(72) Ita pariter ad hunc annum Socrates et Prosper, sed Marcellinus et cæteri id anno priore referunt.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

385 Maximus in Britannia a militibus imperator creatus, ad Gallias transfretans, Gratianum Augustum, a suis proditum, bello victum fugavit, et Lugduni captum occidit; Valentinianumque Augustum fratrem ejus de Italia ad Theodosium in Orientem pepulit, Victoremque filium suum imperii consortem fecit (73). *Marcellin. a.* 383.

36 388 Maximus tyrannus a Theodosio et Valentiniano Augustis victus et captus, juxta Aquileiam purpura privatus capite plectitur, et Victor filius ejus ab Arbogaste magistro militum in Galliis peremptus est, et Valentinianus imperio restitutus. *Prosp. Idat.*

389 Ithacius et Ursacius episcopi ob necem Priscilliani, quem accusaverant, Ecclesiæ communione privantur. *Prosp. Isid. De Viris illust.*

392 Valentinianus Augustus, nimia, ut aiunt, Arbogastis austeritate vitæ pertæsus, apud Viennam laqueo vitam finivit. Pro quo Arbogastes insimulatus Eugenium in Gallia imperatorem creat. *Prosp.* — Hieronymus librum, quem de viris illustribus Ecclesiæ scripsit, hucusque perduxit. *Marcell.*

393 Theodosius imperator cum filiis Arcadio et Honorio tribus amis regnavit. *Prosp.*

394 Joannes anachoreta, cujus Vitam Hieronymus edidit (74), Theodosium **37** imperatorem contra Eugenium tyrannum victorem fore prædixit. *Prosp.*

395 Theodosius imperator divinitus adjutus Eugenium tyrannum pugna victum peremit; et ipse eodem anno Mediolani vita decessit, et apud S. Laurentium sepultus est; pro quo filius ejus Arcadius cum fratre Honorio annos tredecim regnavit. *Prosp.* — Augustinus Ecclesiæ propugnator facundissimus a Maximo veterano episcopo Hippone-regionis Africæ, adhuc vivente, ipsius urbis episcopus, quamvis invitus, ordinatur (75). *Possid.* Claudianus poeta clarus habetur. Joannes eremita migravit ad Dominum. — Hucusque Ruffinus ecclesiasticam Historiam Eusebii Cæsariensis episcopi, a se translatam, perduxit.

396 Gildo comes Africæ tyrannidem inibi invasit, eam sibi usurpare præsumens. *Zos.*

397 Concilio Carthagini habito Hipponiense concilium roboratur. Sanctus Martinus Turonorum episcopus post multas virtutes migravit ad Dominum anno ætatis LXXXI, episcopatus vero XXVI, cujus vitam et virtutes Sulpitius Severus egregio edidit stylo (76). *Greg. Tur.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

385 *Hieronymus presbyter, jam in Bethlehem habitans, clarus habetur.* Prosp. h. a. — *Priscillianus hæreticus in synodo Burdegalensi damnandus fugit, sed Treviris ab Evodio præfecto interficitur* (77). Prosp. h. a.

386 *Hoc tempore Siricius papa scripsit decretalia quindecim capitula Himerio Tarraconensi episcopo* (78).

388 *Theodosius Augustus Maximum tyrannum Aquileiæ occidit.*

389 Ut Aug.

390 *Hoc tempore S. Martinus, Ambrosius episcopi, Hieronymus presbyter, Joannes Chrysostomus, Augustinus et Severus aliique quam plures doctores claruerunt.*

392 *Valentinianus dolo Arbogastis laqueo vitam finivit* (79). *Hieronymus*, etc., ut Aug.

393 Ut Aug.

394 *Joannes... Hieronymus descripsit*, etc., ut Aug.

395 *Theodosius imp. Eugenium tyrannum vicit, et ipse eodem anno Mediolani in pace quievit : pro quo Arcadius et Honorius filii ejus annis* XIII. *Augustinus Hippone ordinatur episcopus. Joannes eremita migravit ad Dominum.*

396 *Gildo comes Africam sibi tyrannice usurpavit.*

397 *Sanctus Martinus Turonorum... Severus egregie composuit.*

NOTÆ.

(73) Marcellinus et Socrates necem Gratiani an. 383 consignant : Valentiniani autem expulsio ad annum 387 spectat.

(74) Vid. S. August. l. v de Civit., c. 26, et Ruffinus, l. II hist., c. 19 et 32. Vitam vero hic indicatam in operibus S. Hieronymi haud reperio. Baronius equidem in notis ad Martyrologium Rom., die 27 Mart. factum, id ait in epistola ad Ctesiphontem (Opp. t. IV, p. 476.) verum Joannem ibi laudatum, Chrysostomum esse, contendit editor Martianæus. Conf., t. III, Mart. Bolland., die 27.

(75) Hæc in mendo cubant; quamvis enim S. Augustinus hoc anno sit ordinatus episcopus, id tamen haudquaquam a Maximo, sed a Megalio Numidiæ primate factum, ipse prodit Augustinus in breviculo collationis diei tertii cap. 7, Opp., t. IX, p. 558.

(76) Vid. Petav. l. XI, c. 47. Pagius vero in peculiari dissertatione Martinum an. 400 obiisse contendit.

(77) S. Hieronymus de Script. eccles., Sulpitius et Prosper Priscillianum ab Evodio quidem auditum, sed a Maximo gladio addictum scribunt.

(78) Scripta est hæc decretalis epistola V Idus Februarii, Arcadio et Bautone coss., adeoque ad annum priorem pertinet. Hanc primam authenticam decretalem statuunt vulgo eruditi, quibus tamen haud consentit P. Constant, antiquiores adhuc genuinas jam inde a S. Clemente proferens in sua collectione, edita Parisiis an. 1721.

(79) Incertum est hoc mortis genus, quod aliter narrat Zosimus, aliter Epiphanius, cæteri. Vid. S. Ambrosii epist. 34 et oratio funebris in Valentinianum, unde mors ei violenter illata habetur.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

398 Sanctus Ambrosius Mediolanensis archiepiscopus, doctor Ecclesiæ mirificus, ad Dominum migravit. *Marcell.* — Romæ Anastasius papa XLI sedit annis IV. *Idem.* — **38** In Africa Gildo comes a fratre Mascezele, Deo juvante, pugna victus interiit. *Marcell. Jorn.*

399 Templa idolorum jussu imperatorum in diversis partibus orbis destruuntur, et ludi gladiatorum tolluntur. *Aug., l.* XVIII *de Civ., capite ult.* Eutropius eunuchus, qui hoc anno cum Theodoro consulatum invaserat, honore et vita privatus interiit. *Prosp. Marcell.*

400 Gothi Alarico et Radagaiso regibus Italiam ingredientes devastant. *Prosp. Cass.* — Hoc tempore Anastasius papa sua etiam decreta constituit, inventes in Urbe Manichæos damnavit, et basilicam, quæ Crescentiana dicitur, via Mamurtina construxit. *Anast.*

401 Joannes Constantinopolitanus et Theophilus episcopi clarissimi habentur, sed adeo inter se discordes, ut molimine Theophili Joannes in Pontum exsilio relegatus sit. *Prosp.*

402 Pollentiæ Romani, Stilicone duce contra Gothos gravi utrorumque clade pugnantes, tandem victi terga vertunt (80). *Cass. Jorn. Oros.* — Romæ Innocentius papa XLII sedit annis XIV.

403 Carthagini concilium contra Donatistas habitum.

39 404 His temporibus Innocentius papa plurima in Ecclesia constituit decreta, et ecclesiam SS. Protasii et Gervasii martyrum Romæ constructam dedicavit, et titulum in Urbe constituit. *Anast. Bed.*

405 Romanis duce Stilicone in Thuscia pugnantibus Radagaistis (81) cum CC militibus Gothorum facili victoria, Deo donante, victus et captus est. *Marcell. Prosp.*

406 Wandali, Snevi et Alani trajecto Rheno III Kal. Januarii (82) Gallias hostiliter ingressi. *Chron. Goth.*

407 Constantinus in Britannia, tyrannide invasa, ad Gallias transit. *Prosp.*

408 Arcadius imperator Constantinopoli moritur, relicto pro se filio Theodosio, cum quo dehinc patruus Honorius annos XV regnavit. *Cass. Prosp.* — Stilico dux fortis una cum filio Eucherio ab Honorio Augusto occiditur. *Oros. Marcell.*

409 Wandali, Alani et Suevi in die Oct. (83) Hispanias occupant. *Idat.* Attalus, imperator Romæ per tyrannidem factus et mox pulsus, Gothis cohæsit. *Prosp.*

40 410 Alaricus rex Gothorum Romam obsedit multasque cædes ibi et prædas faciens, locis tantum sacris et ad ea profugis, quia Christianus erat, pepercit anno ab Urbe condita MCLXIV. Placidia, soror Honorii Augusti, a Gothis in Urbe inter alios capta. *Idat.* Gothorum pars Venetiam captam possedit, qui postea Ostrogothi vocati et cum Romanis confœderati sunt. *Jorn. a.* 409.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

398 *Sanctus Ambrosius Mediolanensis archiepiscopus, docior egregius, migravit ad Dominum* V *K. Maii* (84). — *Romæ Anastasius*, etc., ut Aug. — *Gildo comes pugna victus interiit.*

399 *Templa idolorum destruuntur, et ludi gladiatorum tolluntur.*

400. *Gothi Italiam devastant. Hoc tempore Anastasius papa sua decreta constituit, et inventos in Urbe Manichæos damnavit. Corpora prophetarum Habacuc et Michææ a Domino revelantur* (85).

401 *Joannes. . Theophilus clarissimi habentur, sed adeo discordes, ut*, etc., ut Aug

402 *Gothi Stiliconem ducem cum Romano exercitu fugaverunt. Innocentius papa XLII sedit an.* XIV (86), *qui* LVII *capitula decretalia scripsit.* Prosp. Marc.

403. *Carthagini... habetur.* Cod. eccl. Afr.

404 *His temporibus Innocentius papa multa decreta fecit. Orosius presbyter clarus habetur.* Prosp. a. 396.

405 *Hoc tempore Radagaisus cum* CC *millibus Gothorum, Deo donante, est victus.*

406 *Wandali... ingressi sunt.*

407 *Innocentius papa Arcadium imperatorem excommunicat, qui consensit ut expelleretur Joannes Chrysostomus* (87).

408 *Arcadius... annis* XV *regnavit. — Stilico dux fortis ab Honorio Aug. occiditur.*

409 *Wandali, Alani, Suevi tertio die Octobris*, etc., ut Aug.

NOTÆ.

(80) Claudianus de sexto consulatu Honorii, et Clarius l. IV de bello Getico, Gothos fuisse a Stilicone fugatos scribunt. Facta est autem hæc pugna 29 Mart. a. 403, quamvis Prosper et alii nonnulli eam hoc anno referant.

(81) Restituenda est ex Bavarico depravata Augiensis codicis lectio *Radagaisus* et *millibus*.

(82) Prosper *pridie Kal. Jan.* et Suevos omittit, perinde ac Cassiodorus.

(83) In codice pro *in* legendum videtur III, ut eadem lectio prodeat, quæ habetur in Bernoldo, quæve ex ipso Idatio genuina est, qui hanc invasionem *feria tertia* factam scribit, qualis nec IV Kal. nec III Id. Oct. ab ipso assignati fuere hoc anno 409; bene vero tertia dies ejusdem mensis.

(84) Marcell., XV *Kal. Maii*; sed leg. *pridie Non. Aprilis*; qui dies fuit Sabbatum sanctum in quo juxta Paulinum obiit S. Ambrosius, quæ nota chronica annum priorem indicat. *Vid. Vita, t. II Opp., edit. Maur.*

(85) Teste Sozomeno, Hist. l. VII, cap. ult., contigit hoc sub Theodosio Seniore, perperam adeo hoc anno notatur. *Vid. Bolland.*, 15 *Jan.*, t. I.

(86) Pagius Innocentii ordinationem ad d. 21 Dec. an. 401 rejicit.

(87) Epistola Innocentii ad Eudoxiam, et dnæ Arcadii ad Innocentium, unde hæc hausit Bernoldus, ab eruditis spuriæ censentur. Vid. Pagius in Vita hujus pontificis Brev. Rom. pontif., t. I, n. 28.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

411 Constantinus tyrannus apud Arelatum victus ab Honorio captus est, filiusque ejus Constans in Hispania a Gerontio comite peremptus, et Maximus ab eo in regnum levatus est. *Prosp. Marcell.* — Constantius dux ab Honorio constitutus est. Alarico rege Gothorum mortuo Ataulfus successit, qui Placidiam captivam uxorem accepit. Pestilentia, fames, bestiæ, et gladius barbaricus miserum late vastant et comprimunt orbem. *Zos. Idat., al. a.* 414.

412 Maximo in Hispania regno ablato vita concessa est. Gothorum pars maxima rege Ataulfo Gallias ingressa. *Prosp.* — Heros S. Martini discipulus, Arelatensis episcopus sanctus, innocens sede sua pulsus est, et pro eo Patroclus ordinatus. *Prosp.* — Wandali et Suevi Gallæciam, Alani Lusitaniam et Carthaginensem provincias, Silingi Bæticas sortiuntur. *Idat. a.* 411.

413 Herodianus, hujus anni cum Lucio consul, novarum rerum in Africa reus, honore et vita privatur. *Prosp. sed consulem vocat Heraclianum.* Burgundiones partem Galliæ Rheno contiguam obtinuerunt (88). *Prosp.* Jovinus et Sebastianus fratres, Galliæ tyranni, Narbonæ ab Honorio perempti sunt. *Prosp. Idat.* — His temporibus Pelagius Brito, adnitentibus Cœlestio et Juliano, liberum **41** arbitrium plus justo extollens, et hominem sine gratiæ Dei auxilio proprio nisu perfectum fieri posse asserens, fidem Ecclesiæ turbat. Ejus hæresim S. Augustinus singulariter præ cæteris expugnat, et papa Innocentius cum aliis hæreticis condemnat. *Prosp.*

414 Attalus Gothis auctoribus in Gallia tyrannidem invasit. *Prosp.*

415 Gothi Hispanias petunt, quorum præsidio Attalus destitutus, a Romanis captus est (89). *Marcell.* — Ataulfus rex Gothorum a quodam sociorum vulneratus interiit, et pro eo Wallia regium nomen invasit. *Prosp.* — Hierosolymis corpora SS. Stephani protomartyris, Gamalielis et Nicodemi Luciano presbytero divinitus revelata, inveniuntur, et innumeris miraculis glorificantur. *Idat.*

416 Wallia, rex Gothorum, pacem cupiens, viduam Ataulfi Placidiam fratri Honorio Augusto reddidit. Ejus nuptias dux Constantius promeruit (90). *Prosp. Marcell.* — Romæ Zosimus papa XLIII sedit annis tribus, qui sua etiam ad Ecclesiæ statum decreta promulgavit. *Anast., al. a.* 417.

417 Honorius Augustus Romam triumphans ingreditur, Attalo currum ejus præcedente et post in exsilium misso. *Prosp.* — Quæstio et dissensio de hujus anni Pascha (91) oritur sub Zosimo papa Romano. **42** Constantius Fredibalum regem Wandalorum sine bello arte captum Honorio imperatori misit. *Idat. a.* 415.

418 Carthagini concilio episcoporum CCXVII collecto et a Zosimo papa confirmato, Pelagius aliique hæretici damnantur. *Prosp.* — Eclipsis solis XIV Kal. Augusti (92) facta, et cometa abhinc usque ad mensem Septembrem visa. *Marcell.* — Pugna inter Gundericum Wandalorum regem et Ermenricum [*al.*, Hermericum] Suevorum regem facta. *Idat. a. seq.*

419 Honorius Augustus Constantium ducem in consortium imperii assumit. *Idat. a.* 421. — Romæ Bonifacius papa XLIV sedit annis IV, cum quo ab aliis papa ordinatur Eulalius. Quo ab Augustis dejecto, Bonifacius in sede firmatus sua etiam decreta constituit, et ecclesiam S. Felicitatis et S. Silvani in Urbe construxit (93). *Anast. Prosp.* — Constantius imperator pacem cum Wallia rege Gothorum

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

410 *Alaricus rex Gothorum Romam obsedit et irrupit, anno ab Urbe condita* MCLXIV, *et quia Christianus erat, locis sacratis et ad ea profugis tantum pepercit.*

411 *Pestilentia, fames et gladius barbaricus miserum late devastant orbem.*

412 *Gothorum maxima pars Gallias ingressa.* — *Heros... ordinatur*, ut Aug.

413 *His temporibus Pelagius*, etc., ut Aug. — *Burgundiones... obtinuerunt*, ut Aug.

414 Ut Aug.

415 *Gothi... est captus*, ut Aug. — *Corpora SS... Hierosolymis inventa sunt.*

416 *Romæ Zosimus* (94) *papa XLIII sedit annis tribus, qui etiam sua ad Ecclesiæ statum decreta promulgavit Ysicio episcopo sub quatuor capitulis.*

417 *Honorius... et in exsilium postea misso.* — *Quæstio... sub Zosimo papa*, ut Aug.

418 *Carthagini... damnantur*, ut Aug. — *Eclipsis solis* XIV *Kal. Augusti facta est*

419 *Honorius Aug. Constantium ducem consortem facit imperii. Romæ Bonifacius papa XLIV sedit annis quatuor, qui etiam quatuor decreta fecit : cum quo ab aliis papa ordinatur Eulalius, qui tamen ab Augusto deponitur.*

NOTÆ.

(38) Ex Olympiodoro hæc Burgundionum irruptio in Germaniam primam jam an. 411 facta colligitur.

(89) Philostorgius id rectius ad annum sequentem refert.

(90) Et hoc Olympiodorus primum anno seq. habet.

(91) Zosimus ex Marcellino primum, anno sequente die 18 Mart., Innocentio die 12 ejusdem mensis defuncto successit, cui unus duntaxat regiminis annus cum novem mensibus totidemque diebus tribuitur. Ysicius vero hic nominatus Hesychius est Salonitanus episcopus. Vid. Labbei Collect. concil. t. II, p. 1556.

(92) Idatius male ad annum 417 quo 19 Jul. erat feria V, sed juxta Chronicon Alexandrinum eclipsis accidit feria VI, igitur hoc anno 418.

(93) Bonifacius ordinatus est a. 418, die 29. Dec.

(94) Vid. Paschasini episcopi Lilybetani epistola ad Leonem papam inter hujus Opera ad an. 443.

Digitized by Google

firmat, data ei cum aliquot urbibus ad inhabitandum Aquitania secunda. *Prosp. Idat.*

420 Wallia rege Gothorum mortuo Theodericus successit. *Isid. a.* 419. — Bethlehem Hieronymus presbyter, doctor et interpres incomparabilis Scripturarum anno ætatis XCI obiit. *Prosp. Bed.* — Alani a Gothis adeo cæde domiti ut, regio nomine neglecto, Gunderico regi Wandalorum se tuendos submitterent. *Greg. Tur., Idat. a.* 418.

43 421 Constantius imperator Ravennæ moritur. *Idat. Prosper.* — Bellum inter Wandalos et Gothos oritur. *Idat.*

422 Exercitus contra Wandalos duce Castino ad Hispanias Gothis auxilium mittitur; a quo offensus Bonifacius, vir bellicosus, secedens ad Africam se contulit. Wandali vero ad desperationem coacti, Castino incaute manum conserente, victores effecti sunt. *Prosp. Idat.*

423 Placidia Augusta, a fratre Honorio pulsa, cum filio Valentiniano ad Theodosium Augustum in Orientem proficiscitur. *Prosp.* — Romæ Cœlestinus papa XLV sedit annis novem, qui plurima in Ecclesia fecit statuta, et basilicam Julii in Urbe constructam dedicavit. *Anast. Marcell. mel. a.* 421. — Honorius imperator Occidentis Ravennæ moritur, et Joannes tyrannus regnum ejus occupat. Theodosius imperator Orientis post mortem patrui sui Honorii regnavit annos XXVI. *Prosp. an.* XXVII.

424 Theodosius Valentinianum amitæ suæ Placidiæ filium Cæsarem faciens, ad regnum Occidentis cum matre possidendum remittit. *Prosp. Cass.* — Joannes tyrannus Africam contra Bonifacium petiit. *Idat.*

425 Valentinianus cum matre Joannem a suis exstinctum oppressit, regnum Occidentis recepit, Castinum Joanni favente exsilio damnavit, Aetio patricio, quia Hunnos evocatos reverti fecerat, veniam dedit. *Prosp. Marcell.*

426 Patroclus Arelatensis episcopus a tribuno quodam barbaro innocens trucidatus est. *Prosp.* — A Gundericus rex Wandalorum Dei judicio percussus moritur, eique Geisericus [*al.*, Gensericus] tyrannus Arianusque hæreticus et catholicorum crudelis persecutor successit. *Idat. a.* 428.

44 427 Bonifacius in Africa pollens duces quosdam contra se dimicantes occidit; contra quem evocatis barbaris mare ad id tempus ignotum pervium efficitur. Unde gens effera Wandalorum, de Hispaniis exclusa a Gothis, freto trajecto Africam invadens, gladio, præda et igne miserabiliter debacchatur, interfecto prius Ermengario [*Idatio* Hermigarius] rege Suevorum, postquam in Hispania XIX annis debacchati sunt. *Idat.*, *al. a.* 429.

428 Nestorius, episcopus Constantinopolitanus, duas in Christo personas prædicans hominemque purum ex Virgine natum deitatem postea accepisse affirmans, a Cyrillo Alexandrino episcopo et papa Cœlestino hæreseos arguitur. *Prosp.* — Aetius comes Romanus, multis Francorum cæsis, partem Galliarum, quam pervasam tenuerant, recepit. *Prosp. Idat.*

429 Aetius magister militum et patricius factus est. *Prosp.* — Agricola hæreticus Pelagianista Britannias suo inficit errore; unde S. Germanus Antissiodorensis episcopus, a Cœlestino papa illo missus hæresim expugnavit plurimisque saluti fuit. *Prosp. Bed. hist. Angl.*

430 S. Augustinus Hypponensis episcopus, Ecclesiæ Christi et catholicæ fidei propugnator et defensor invictissimus, in civitate sua a barbaris obsessus, cum inter ipsas obsidionis angustias pro Ecclesia sollicitus Juliani argutiis pro gratia Dei oppugnans respondisset, ipsa Dei gratia, ne ruinam suorum videret, subtractus, V Kal. Sept. migravit ad Dominum anno ætatis LXXVI, episcopatus vero seu presbyteratus XL. *Prosp. Bed. chr.*

431 Tertia synodus universalis CC episcoporum apud Ephesum congregatur sub Cœlestino papa, ubi inter alias hæreses Nestorius cum secta sua damnatur.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

420 *Bethlehem Hieronymus presbyter, egregius interpres, anno ætatis* XCI *obiit* (95).

421 *Constantius imp. Ravennæ moritur.*

423 *Romæ Cœlestinus papa XLV sedit annis* IX, *qui* XXII *capitula decretalia episcopis Galliarum scripsit. — Placidia Augusta a fratre Honorio pulsa, ad Theodosium in Orientem proficiscitur. Honorius imperator Occidentis moritur, et Joannes tyrannus regnum ejus occupavit.*

424 *Theodosius... remittit*, ut Aug.

425 *Valentinianus cum matre Joannem tyrannum Ravennæ oppressit.*

426 *Patroclus... trucidatur*, ut Aug.

427 *Bonifacius... pervium efficitur*, ut Aug.; cætera desunt.

428 *Nestorius... arguitur*, ut Aug.

429 *Agricola... inficit errore.*

430 *S. Augustinus Hipponensis episcopus, in civitate sua a barbaris obsessus, cum intra ipsas angustias obsidionis pro Ecclesia sollicitus, Juliani argutiis pro gratia Dei pugnans*, etc., ut Aug

431 *Tertia synodus... damnatur, et duodecim capita contra eumdem scribuntur.*

NOTÆ.

(95) De ætate S. Hieronymi discrepant scriptores, quos inter Baronius in Hist. eccles. ad an. 372 et 420 ei solummodo LXXVIII. Fleurius vero, Pagius aliique passim XC circiter vitæ annos tribuunt. Cæterum ad hunc annum Prosper in Chronico a Pithœo edito revocat initium regni Francorum sub Pharamundo primo eorum rege.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

45 Pallad'us ad Scotos, Christo credentes, a Cœlestino papa primus episcopus mittitur (96). *Prosp. Beda. hist. Angl.*

432 Romæ Xistus papa XLVI sedit annis VIII; qui accusatus a Basso quodam, ventilata in synodo causa, ab episcopis LVI purgatus et Bassus damnatus est. Bonifacius, de Africa reversus et magister militum factus, cum Aetio pugnavit et vicit, et post paucos dies morbo absumptus est. Aetius vero inimicos fugiens Dalmatias Pannoniasque petiit et Hunnorum auxilio gratiam principum pristinamque dignitatem recepit. *Prosp. Marcell.*

433 Burgundiones ab Aetio pugna victi sunt. *Idat. a.* 436. — Hoc tempore Xistus papa ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ Liberii dicebatur, et ecclesiam sancti Laurentii in Urbe construxit, confessionem B sancti Petri itemque sancti Laurentii adornavit. Valentinianus quoque Augustus multa ecclesiis dona dedit et confessionem sancti Pauli construxit. Petrus etiam episcopus sanctæ Salinæ ecclesiam fecit. *Beda. chr. Anast.*

434 Wandali jam nono anno Africam infestantes, pactum a Romanis postulant. *Prosp.*

435 Pax cum Wandalis facta, data eis ad habitandum Africæ portione Aetius Gundicharium regem Burgundionum bello obtinuit, supplicantique pacem concessit, qua tamen non diu potitus ab Hunnis cum gente sua peremptus est. *Prosp.*

436 Gothi pacem turbantes inter alia mala Narbonam obsessam fame premunt; sed Litorius dux C Romanus superveniens, et hostes vi repulit et civitatem advecto frumento fame liberavit. *Prosp.*

437 Bellum a Romanis contra Gothos Hunnis A auxiliatoribus geritur. Geisericus, rex Wandalorum, Arianus, catholicos in Africa persequens, quosdam **46** Ecclesiis suis pepulit, quosdam exsilio damnavit, quosdam etiam variis pœnis affectos martyrio coronavit. Barbari piraticam exercere aggressi. *Prosp.*— Valentinianus Augustus, ad Theodosium Augustum avunculi sui filium Constantinopolim veniens, filiam ejus accepit uxorem. *Prosp.* — Ermenricus rex Suevorum, morbo oppressus, Richilam filium pro se regem constituit. *Idat. a.* 438.

438 Gothi Richilam regem Suevorum, pugna victum, thesauris spoliaverunt. *Idat.*

439 Julianus Atelenensis episcopus Pelagianista jactantissimus, ecclesiæ communioni subripere (97) tentans, a Xisto papa denuo damnatur. Romani Hunnis auxiliatoribus adversum Gothos et regem Theodoricum infausta pugna confligunt in Gallia, et Litorius dux Romanus vulneratur, et post ab eis capitur et occiditur. Quibus tamen non multo post suppliciter petentibus pax cum eis a Romanis pacta est. *Prosp.* — Ipso anno Aetio et (98) Romanis contra Gothos intento, Geisericus rex Wandalorum, qui fidus et amicus Romani populi putabatur, dolo sub specie pacis, XIV Kal. Novemb., Carthaginem cepit, cives et maxime nobiles trucidavit, opes omnes diripuit sacerdotibus cæsis et pulsis, ecclesias in usus suorum vertit, omniaque divina et humana jura confudit, ibique XXXVII annis regnum obtinuit, sub quo plurimi sanctorum martyrio ob fidem catholicam coronati sunt. *Prosp.*

47 440 Romæ defuncto Xisto, Leo, vir doctrina insignis et moribus, papa XLVII, sedit annis XXII, qui plurima ad utilitatem Ecclesiæ sublimiter scripsit

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

432 *Romæ Xistus papa XLVI sedit annis* VIII.

433 *Valentinianus Aug. multa ecclesiis dona dedit.*

434 *Wandali jam novem annos Africam*, etc., ut Aug.

435 *Pax cum Wandalis facta.*

436 *Gothi Narbonam obsessam fame premunt.*

437 *Bellum a Romanis contra Gothos geritur.*

438 *His temporibus S. Prosper, Regiensis episcopus, contra librum Cassiani de Protectione Dei scripsit, in quo eumdem liberum arbitrium nimis extulisse probavit* (99). Marcell.

439 *Julianus Arelatensis* (100) *episcopus, Pelagianista jactantissimus, Ecclesiæ communioni subrepere tentans, a Xisto papa denuo damnatur.* Prosp.

440 *Romæ defuncto Xisto, Leo, vir doctrina et moribus insignis, papa* LXVII *sedit annis* XXII, *qui Eutychianam et Nestorianam hæreses condemnavit et* XLIX *decreta conscripsit.*

NOTÆ.

(96) Beda hist. Angl. l. I, c. 13, i l anno octavo Theodosii Junioris ascribit, quod a morte patris Honorii intelligendum. Alii Palladium ad Hibernos missum fuisse contendunt. Qua de re legendus Usserius de Britann. Eccl. primordiis, cap. 16, aliique scriptores Anglici.

(97) Canisiana editio *subrepere.*

(98) Pro *et*, leg. *cum.*

(99) Confunditur hic S. Prosper Regiensis in Lombardia episcopus cum S. Prospero Aquitanico, qui episcopus nunquam fuit, cujusque liber contra Cassianum exstat in ejus Operibus edit. Venet. a. 1744. Vid. ibid. præf., p. XXI.

(100) Nullus tunc erat Arelatensis episcopus Julianus. Novissimi Operum S. Prosperi editores ponunt Eclanensis, uti eum quoque vocat Card. Norisius in sua Pelagianismi Historia. Vid. Baronius ad annos 439 et 444, nec non Ughellus Ital: Sac. t. VI, p. 502. Præplacet tamen lectio codicis Augiensis, ut hic intelligatur Atellanensis, veteris scilicet in Campania Felice sedis episcopalis antistes, cujus aliquot præsules exhibet idem Ughellus l. c. t. X, p. 16, quibus et hic Julianus post S. Elpidium annumerandus videtur.

Digitized by Google

et constituit; Eutychianam et Nestorianam hæreses condemnavit. Ejus tempore, Demetrias, ancilla Christi, Romæ S. Stephani ecclesiam fecit. — Geisericus Siciliam pervasam graviter affligens, timore Sebastiani ducis ad Carthaginem tuendam rediit. Richila rex Suevorum Æticam provinciam et Carthaginensem Hispaniam cepit. *Prosp. Marcell. Anast. Idat.*

441 Theodosius imperator contra Geisericum et Wandalos per duces suos bellum movet; sed ipsi negotium cunctando differentes, Siciliæ magis oneri, quam præsidio fuere. *Prosp. Cass.*

442 Hunnis Thracias et Illyricum sæva populatione vastantibus, exercitus contra Wandalos missus, ad tuitionem Orientalium revocatur. Valentinianus imperator cum Geiserico rege Wandalorum pacem firmat, Africa inter utrumque certis spatiis divisa. *Prosp. Cass.*

443 Sanctus Brictius Turonorum episcopus decessit, cui S. Eustochius successit. *Greg. Tur.* Leo papa multos in urbe Manichæos invenicus publicavit et libros eorum incendit. *Prosp.*

444 Attila rex Hunnorum Bledam regem fratrem suum regnique consortem interemit, et ejus regnum populumque sibi subjecit. De hujus anni Pascha Proterius et Paschasinus (101) Leoni papæ scribunt. *Prosp.*

48 445 His temporibus, Leo papa inter alia bona basilicas apostolorum Petri et Pauli renovavit, et ecclesiam S. Cornelii papæ et martyris via Appia construxit. *Anast.*

446 Britanni ab Aetio et Romanis contra Scotos et Pictos auxilium implorant, nec impetrant. *Bed. hist. Angl.* — Apud Ephesum Septem Dormientes, qui sub Decio multa pro Christo tormenta passi in spelunca quadam obdormierunt, post annos CXCVI expergefacti sunt, et confirmata fide resurrectionis mortuorum iterum obdormierunt (102).

447 Eutyches presbyter et abbas Constantinopolitanus, confusa in Christo divinitatis et humanitatis substantia, unam in eo naturam dogmatizans, adnitente Theodosio Augusto et Dioscoro Alexandrino episcopo, resistentem sibi Flavianum Constantinopolitanum archiepiscopum expulsum usque ad mortem persequuntur. Contra quam hæresim Leo papa legatos misit. *Prosp. a.* 449. — Richila rex Suevorum moritur, cique Richarius (103) filius successit.

448 Theodosius imperator Leonem papam pro defensione Eutychetis ad se vocat, qui a populo Romano venire prohibitus, legatos pro se misit. Richarius rex Suevorum, ducta in conjugium Theodori (104) regis Gothorum filia, Wasconiam devastavit. *Idat. a. seq.* — Hoc tempore Angli-Saxones, a Britannis contra Pictos et Scotos auxilio asciti, insulam petunt et hostibus fugatis in socios arma convertunt, et post multa bella magna ex parte insula subacta potiti sunt. *Beda hist. Angl.*

449 Iterum catholici ab imperatore Theodosio ad audientiam evocati. **49** Attila rex Hunnorum Gallias aliasque circum provincias vastat, et arte Aetii magno inter eum et Gothos prælio concitato, Theodorus rex Gothorum cecidit eique Torismodo [*al.*, Thorismund] filius ejus successit. *Idat. a.* 451. *Jorn.*

450 Leo papa legatos ad confutandam hæresin mittere curavit. Theodosius imperator moritur, et a Placidia Augusta, et Leone totoque senatu ingenti pompa deductus in Mausoleo apud S. Petrum sepelitur; pro quo Martianus Orientis imperium adeptus,

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

441 *Theodosius imp. contra Wandalos per duces suos bellum movet.*

443 *Sanctus... successit. Leo papa multos in urbe Manichæos publicavit, et libros eorum incendit. Idem constituit ut monacha velamen capitis ab episcopo benedictum nullatenus acciperet, nisi prius virginitas illius probata foret. Unde et Augustinus asserit, nec illam inter virgines consecrandam fore, si qua esset et ante baptismum corrupta.* Anast.

444 *Attila rex Hunnorum Bledam fratrem suum regnique consortem interemit. De hujus anni Pascha,* etc., ut Aug.

445 *His temporibus Leo papa inter alia bona basilicas SS. Petri et Pauli renovavit.*

446 *Apud Ephesum Septem Dormientes,* etc., ut Aug.

447 *Eutyches... Theodosio Juniore Aug... legatos misit,* ut Aug.

448 *Theodosius imp..., pro se misit.*

449 *Iterum catholici ab imperatore Theodosio ad audientiam vocati.*

450 *Leo papa... curavit. Theodosius imperator moritur, pro quo Martianus Orientis imperium adeptus et septem annis regnans, Eutychetem cum suis sequacibus damnat. Placidia Augusta obiit. Romani Aetio duce Gothis auxiliatoribus Attilam vicerunt regem Hunnorum.*

NOTÆ.

(101) Exstat hæc epistola inter illas S. Leonis scripta anno priore de Paschate hujus anni 444 die 23 Aprilis celebrando.

(102) Hæc ex Gregorio Tur. de Gloria martyrum, c 95, desumpta habent quoque Græci; Nicephorus hist. l. XIV, c. 45; Cedrenus in compendio, anno XXIII Theodosii; quæ tamen vero similius de inventione illorum corporum sunt intelligenda. Vid. Bolland. ad diem 27 Julii t. VI.

(103) Idat. a. 448 Rechiarium vocat, aliis Richiarius dicitur.

(104) Idatii quædam exemplaria habent *Theodoris regis*, alia *Theodora, regis Gothorum filia*; sed verior codicis lectio, ut tamen pro Theodoro substituendus sit Theodoricus, quamvis et hic subinde Theodorus appelletur.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

et VII annis regnans Eutychetem cum suis damnat sequacibus. Placidia Augusta moritur. — *Prosp.* Romani (105), Aetio duce Gothis auxiliatoribus, contra Attilam regem Hunnorum grandi utrinque cæde pugnantes, in campo Catalaunico acie victum in superiorem Galliam fugere compellunt. Qui in regnum timide reversus non multo post arma commovit in Italiam. *Prosp. Cass. Idat. Jorn. an. seq.*

451 Attila recollectis viribus Aquileiam vi magna diu obsessam cepit et circumquaque prædis et cædibus furibundus bacchatur. Ad quem Valentinianus imperator, Leonem papam mittens, pacem cum eo fecit, exercitusque ejus fame, peste, morbo cædibusque insuper ab Aetio attritus eum reverti fecit. *Prosp. Marcell. an. seq.*

452 Attila rex Hunnorum in sedibus suis moritur. Torismodo regi Gothorum peremptо Theodoricus frater successit. *Prosp. Idat. a seq.* — Hoc tempore quarta synodus universalis DCXXX episcoporum in Chalcedone contra Eutychen et omnes hæreticos congregatur (106). *Prosp. a. seq.*

50 453 Valentinianus imperator in palatio Aetium patricium, qui multa pro republica laboraverat, manu sua fraudulenter occidit, et a circumstantibus Boetius præfectus, amicus ejus, interemptus est. *Prosp. et cæteri a. seq.*

454 Valentinianus imperator in campo Martio ab amicis Aetii peremptus interiit; pro quo Maximus invadens imperium, infra II menses a militibus interemptus et in Tiberim projectus est. *Prosp. a. seq.* — Post quem Avitus in Galliis, auxilio fidens Gothorum, item imperium arripuit. Ipso anno, Geisericus rex Wandalorum, de Africa trajiciens, Romam quia sine imperatore erat, invasit, eamque opibus cunctis exspoliavit. Hucusque Prosper chronica sua perduxit. *Idat. Marcell. an. seq.*

455 Richario rege Suevorum in Hispaniis vastationibus instante, consilio Aviti Theodericus rex Gothorum, contra eum veniens, inita pugna graviter cæde protrivit vulneratumque fugavit, et postea captum occidit, vastataque impie et crudeliter Hispania et ipsa quam possederant provincia. Suevos sibi subjugavit. *Idat. a. seq.* — Avitus Gothorum auxilio destitutus, jubente Martiano Augusto, Placentiæ imperium deposuit. *Marius Av. a. seq.* — Hoc tempore apud Francos, mortuo Meroveo (107) rege, filius ejus Childericus regnavit annis XXIV. Qui ob luxuriam regno pulsus, in Thuringiam fugit, sed astu Viomadi amici revocatus est. *Greg. Tur. a. seq. Gesta reg. Franc.*

456 Ab hoc anno Victorius paschales cyclos inchoat, jubente papa **51** Hilario (108). *Bed. chr.* — Martiano imperatore defuncto in Oriente Leo imperator annis XVII Romæque Majorianus imperator annis IV regnaverunt. *Cass. a. seq.* — Theodericus rex Gothorum, multis in Hispania ecclesiis et civitatibus vastatis, Emeritam obsidet urbem. Suevi Maldram sibi statuunt regem. *Idat.*

457 Majorianus imperator contra Wandalos in Africam movit procinctum. *Cass. a. seq.* — Theodericus nuntiis territus, relicta Emerita, Gallias repetit, et pace fugata (109), cæde furens, ecclesias, urbes, villas vastavit et incendit. *Jorn. a. seq. Idat. h. a.*

458 Suevi Galliciam, et Gothi Bæticam provincias vastant. *Idat. h.*

459 Item Suevorum alii cum Maldra rege Lusitaniam, alii cum Richmundo (110) Galliciam depræ-dantur. Hæruli Bæticam invadunt. Majorianus imperator, facta cum Theoderico et Gothis pace, contra Wandalos et Suevos suo eos ascivit auxilio. *Idat. a. seq.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

451 *Attila rex collectis viribus Aquileiam magna vi cepit; ad quem Valentinianus imperator, Leonem papam mittens, pacem cum eo fecit.*

452 *Attila rex Hunnorum in suis sedibus moritur. Hoc tempore quarta synodus... congregatur, ibique damnatis hæreticis* XXVII *canones statuerunt.*

453 *Valentinianus imp. Aetium patricium manu sua in palatio fraudulenter occidit.*

454 *Valentinianus imp. in campo Martio ab amicis Aetii interimitur; pro quo Maximus invadens imperium, infra duos menses a militibus occiditur. Post quem Avitus sumpsit imperium. — Ipso anno Genericus rex Wandalorum Romam cunctis opibus exspoliat.*

455 *Avitus imperium Placentiæ deposuit, pro quo Majorianus regnavit annis quatuor.*

456 *Martianus imp. Orientis obiit, pro quo Leo imp. annis* XVII *regnat. Ab hoc anno Victorius paschales cyclos, sed errore plenos, inchoat, jubente papa Hilario.*

457 *Majorianus imp. Occidentis in Africam contra Wandalos movit procinctum.*

NOTÆ

(105) Editi pugnam hanc ad an. 451 consignant, uti et plura subsequentium annorum facta integro anno promovent. Forte hic notandus fuisset an. 451 et sic porro, quod tamen contra codices mutare noluimus.

(106) Evagrius aliique hoc Chalcedonense concilium recte ad annum 451 revocant.

(107) Prima hic mentio regni Francorum occurrit in Hermanno, a Meroveo scilicet, qui primæ stirpis regnis nomen dedit. *Fredeg.* Hos deinceps in margine notabimus.

(108) Pagius hic Baronium notat, qui hoc ad an. 463 refert, cum factum sit Constantino et Rufo coss., ut liquet ex præfatione Victorii, adeoque an. 457, quo Hilarius adhuc archidiaconus erat.

(109) Idatius ad h. a. habet *pace facta.*

(110) Idatius *Remismundum* appellat.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

460 Maldras rex Suevorum occiditur. Suevi a Gothis prædati pacem postulant. Majorianus imperator, Hispanias petens, classem contra Wandalos paravit; quæ tamen ab ipsis invasa et direpta est. Rursum cum ad Africam contra eos trajicere moliretur, Geisericus territus pacem postulat. Majorianus Romam reversus, cum rempublicam disponeret, fraude Richmeris [Ricimeris] patricii, Suevorum, ut aiunt, consilio fulti peremptus est. *Cass. Idat. h. a. et seq.*

461 Severus Ravennæ a Richmere imperator effectus IV annis regnavit. *Cass. Idat.* Atrabenus (111) in Gallia comes, Theoderico regi Gothorum confœderatus, Narbonam ei tradidit. *Idat.* — **52** Turonis beatus Perpetuus episcopus factus est, qui basilica sancti Martini adaucta, corporis ejus translationem fecit. *Greg. Tur. a.* 460. — In Gallicia villæ, homines et greges mirum in modum fulmine tacti comburuntur, et duo juvenes concretis in unum adustione cadaveribus inveniuntur.

462 Romæ Hilarius (112) papa XLVIII sedit annis VI, mensibus III; qui pro statu Ecclesiæ nonnulla decrevit et constituit; hæreses Eutychianam et Nestorianam damnavit, et multis metallis plures in Urbe basilicas ornavit oratoriaque construxit; monasterium S. Laurentii ad balneas (113) fecit, itemque aliud ad Lunam et duas bibliothecas in Urbe condidit. *Anast.*

463 Rex Alanorum Beorgor, Italiam petens, apud Pergamum a Richmere patricio pugna victus interiit. *Cass. a. seq. Jorn.*

464 Severus imperator fraude, ut aiunt, Richmeris Romæ in palatio veneno interiit. *Cass. a. seq. Jorn.*

465 Wandali per Marcellinum in Sicilia victi, cæsique sunt et fugati. *Idat.*

466 Leo imperator Anthemium de Constantinopoli ad regendum Occidentis imperium Romam misit, qui suscepto imperio regnavit annis VI. *Marcell. a. seq.*; *Idat. an. pr.*

467 Marcellinus in Sicilia occiditur. Tolosæ, ubi sedes regni Gothorum erat, in medio civitatis sanguis e terra prorumpens tota die una fluxit. *Idat. Fred. a. seq.*

53 468 Arabundus (114) imperium tentans, jussu Anthemii imperatoris exsilio deportatur. *Cassiodorus.* — Romæ Simplicius papa XLIX sedit annis XV, mensibus III. Qui basilicam S. Stephani in Celio monte dedicavit. Item basilicam S. Andreæ juxta S. Mariam construxit. Item basilicam S. Fibianæ (115) juxta palatium Licinianum. *Anast.*

469 Romanus patricius imperium affectans capitaliter punitus est. *Cass. a. seq.*

470 Constantinopoli Aspar, affectata tyrannide, a Leone imperatore occidi jussus est. *Marcell. a. seq.* — In Gallia S. Remigius cœlitus, antequam nasceretur, prænuntiatus a cella, in quam se adolescentulus, Deo militans, incluserat, vi abstractus, Remorum archiepiscopus ordinatur (116).

471 Romæ Richmer patricius, Olybrium faciens imperatorem, Anthemium imperatorem contra jus affinitatis (117) et imperii cum gravi clade Urbis occidit. Sed non diu scelere lætatus ipse XL post die, et Olybrius VII mense, vitam exegerunt. *Marcell. a. seq. Jorn.*

472 Gundebadq hortante Glycerius Ravennæ sumpsit imperium. *Jorn. a. seq.* — Constantinopoli Leo imperator Leonem nepotem suum imperii consortem fecit. *Cass. a. seq.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

460 *Majorianus imperator a Richimere patricio fraudulenter perimitur.*

461 *Severus Ravennæ... regnavit. — Turonis B. Perpetuus episcopus factus corpus S. Martini transtulit.*

462 *Romæ Hilarius papa XLVIII sedit annis* VI, *mensibus* III; *qui hæreses Eutychianam et Nestorianam damnavit, et inter alia bona etiam duas bibliothecas in Urbe condidit et sex synodica capitula constituit.*

463 *Rex Alanorum Italiam petens apud Pergamum a Richimere patricio pugna interiit.*

464 *Severus imp. fraude, ut aiunt, Richimeris veneno periit.*

466 *Leo imp. Anthemium... misit, qui regnavit annis quinque.*

467 *Tolosæ... tota die profluxit.*

468 *Arabundus... deportatur. Romæ Simplicius... mensibus tribus, qui duo decreta promulgavit.*

469 *Romanus patricius imperium affectans decollatur.*

470 *In Gallia S. Remigius... archiepiscopus fit.*

471 *Richimer Anthemium imperatorem cum magna clade urbis Romæ occidit, et Olybrium imperatorem constituit ipseque periit.* Jorn.

472 *Ravennæ Glycerius sumpsit imperium. Constantinopoli Leo Leonem consortem regni fecit, quippe nepotem suum.*

NOTÆ.

(111) Idem, a. 463, Atrepennum, seu Agrippinum vocat.

(112) Hilarius sive Hilarus jam anno præcedente, die 22 Nov., ordinatus est papa.

(113) In libro Pontificali, unde hæc desumpta sunt, legitur: *Fecit monasteria ad S. Laurentium, et balneum*, etc.

(114) Cassiodoro *Ardaburius* dicitur.

(115) Liber Pontif. *B. martyris Bibianæ.*

(116) Hoc Gallia Christiana, t. X, p. 10, jam ad annum 459 consignat, et quidem ætatis anno XXII, ut habet codex Murensis.

(117) Fuerat enim ejusdem gener, juxta Marcellinum.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

473 Constantinopoli Leo senior imperator obiit; post quem Leo junior **54** paucis regnans mensibus, et ipse decessit; et post hunc Zeno imperator factus regnavit annis XVII. Romæ quoque Glycerio Nepos in imperio successit. *Marcell. a. seq.*

474 Romæ Orestes patricius, Nepote imperatore in Dalmatias fugato, filium suum Augustulum imperatorem constituit. *Cass. a. seq. Jorn.*

475 Odoacer rex Torcilingorum et Rugorum cum multis Barbarorum auxiliis pervasa Italia, Romam obtinuit anno a conditione ejus MCCXXX. Orestem, et Paulum fratres patricios occidit, Augustulum imperatorem exsilio damnavit, et pro eo regis nomen arripuit; cum tamen nec purpura, nec regni insignibus uteretur. *Cassæ et alii a. seq.*

476 Odoacer possessa Roma maximam Italiæ partem sibi subjugavit.

477 Geisericus rex Wandalorum, post XXXVII et paulo plus invasæ Carthaginis annos, tandem moriens tyrannidi suæ finem fecit. Post quem non melior filius Hunnericus regnavit annis fere VIII. *Procop. Vict. a. præc.*

478 Hujus tempore Zenonis imperatoris corpus Barnabæ apostoli, et Evangelium Matthæi evangelistæ, stylo ipsius scriptum, ipso revelante inventa sunt (118).

479 His temporibus (119) Simplicius papa Petrum Alexandrinum episcopum hæreticum Eutychianum, ab Acatio Constantinopolitano accusatum damnat. *Anast.*

480 Hoc tempore mortuo Childerico rege Francorum, Ludovicus filius ejus, quem Clodoveum dicunt, regnavit annis XXX. *Greg. Tur.* **55** *an. seq.* — Ipso anno Odoacer Romæ regnans in Dalmatia Odivam regem vicit et peremit. *Cassiod. Jorn.*

482 Theodoricus Theodmari filius (120) rex Ostrogothorum, id est, qui olim in Italia remanserant, Gothorum, Zenoni Augusto familiaris effectus, cum suis ei Gothis militavit. *Marcell. a. seq.*

483 Zeno Augustus Theodoricum hujus anni consulem (121), et magistrum militum fecit. *Cass. a. seq.* — Romæ Felix III papa L sedit annis fere IX, qui basilicam beati Agapiti juxta S. Laurentium construxit. *Anast.* — Cyrola Arianus episcopus in Africa, adversus Eugenium Carthaginensem archiepiscopum aliosque catholicos miraculis claros zelo ductus, quemdam e suis pecunia corruptum cæcitatem simulare jussit, ut eum coram rege se invocantem, quasi per fidem suam illuminaret; cui cum coram omnibus manus imposuisset, vera mox divinitus cæcitate percussus, dolum aperuit, conversusque a sanctis episcopis Eugenio, Vindemiale et Longuino [*al.*, Longino] rursum illuminari promeruit. Ab hoc Cyrola Hunnericus rex instigatus, catholicos persequitur, et plurimis martyrio coronatis, ipsum Eugenium cum CCCXXIV episcopis exsilio relegavit, et catholicas ecclesias clausit. *Greg. Tur. a. seq. Marcell.*

484 Hunnericus, rex Wandalorum, divinitus percussus, scatens vermibus exspiravit. Post quem fratris ejus filius Gundamundus regnavit annis fere XII, qui non multo post Eugenium episcopum revocavit. *Jorn.* — Ludovicus rex Francorum juvante Raganhario [*al.*, Ragnachario] cognato suo, Siagrium regem Galliæ Ægidii filium bello victum ad Alaricum regem Gothorum fugere compulit sibique redditum occidit, et totum regnum illius ac thesauros sibi subjecit. *Greg. Tur. a.* 486.

485 Hoc tempore Acatius Constantinopolitanus, hæresi favens, Petrum **56** Alexandrinum revocat: quo audito Felix papa utrumque cum sequacibus erroris condemnat (122). *Felicis epist.* 5.

486 Odoacer Fœbam [*al.*, Phœbam *seu* Fevam] qui et Feletheus (123), regem Rugorum vicit et apprehendit. *Cassiod. a. seq.*

487 Gundamnundus rex Wandalorum Carthagini ecclesiam sancti Agilei catholicis reddidit, petente sancto Eugenio episcopo. *Prosp. append.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

473 *Leo senior imperator obiit, post quem Leo junior paucis mensibus regnans et ipse moritur. Post hunc Zeno imp. regnavit annis* XVII. *Romæ Glycerio successit Nepos in imperio.*

474 *Orestes patricius Nepotem imperatorem fugavit filioque suo Augustulo imperium dedit.*

475 *Odoacer rex Torcilingorum et Rugorum pervasa Italia... et Paulum patricios occidit, Augustulum imp. exsilio damnavit.*

476 *Odoacer Romæ invito Zenone regnat.*

477 *Tempore Zenonis... ipso revelante reperta sunt*, ut Aug. an. seq.

478 *Simplicius papa Petrum... damnat*, ut Aug. a. seq.

480 *Hilderico rege Francorum mortuo... regnavit* XXX *annis.*

482 *Theodoricus... familiaris efficitur, et cum suis ei Gothis militavit. Zeno Augustus Theodoricum..... fecit*, ut Aug. a. seq.

483 *Romæ Felix tertius, papa L, sedit annis fere novem et canonum* XXVII *capitula constituit.*

485 *Hoc tempore... revocat, quem quondam accusabat; quo audito*, etc., ut Aug.

NOTÆ.

(118) Hac de re agit Baronius ad an. 485, Cedrenus vero ad an. 477.

(119) Pagius cum Bernoldo hoc refert ad annum præcedentem.

(120) Ex Jornande et Paulo Diac. Theodoricus iste erat Triarii nobilis Gothi filius.

(121) Theodoricus ann. 484 consul fuit, unde hæc ad annum sequentem spectant.

(122) Factum hoc est in concilio Romano an. 484. *Pag.*

(123) De hoc pluribus agit Eugippius in Vita S. Severini Noricorum apostoli apud Bolland., t. I,

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

488 Theodoricus rex Ostrogothorum permissu Zenonis Augusti Italiam petiit, cui apud Isoncium Odoacer occurrens bello conflixit et victus aufugit; et iterum recollectis viribus Veronæ acie congressus, denuo victus et fugatus est. *Jorn. a. seq. Marius.*

489 Theodoricus ad flavium Adduam Odoacrum tertio certamine vicit fugientemque apud Ravennam obsedit. *Jorn. a. seq. Mar.* — Ludovicus rex Francorum, Thuringos petens, gravi eos cæde prostravit ipsosque cum terra eorum sibi subjecit. *Greg. Tur. a.* 491.

490 Odoacer, noctu a Ravenna cum Herulis egressus, collectis viribus quarto cum Theodorico conflixit, et itidem victus ab eo captusque est (124). *Citati ad a. seq.* — Ipso anno Gundamundus rex Wandalorum pacem cum Romanis fecit. Constantinopoli Zenon imperator moritur; post quem Anastasius imperium Orientis XXVIII annis tenuit. *Cassiod. a. seq.* — Hoc tempore Ludovicus rex Francorum intercurrente Aureliano legato suo de Burgundia Hrudhildem [*al.*, Chlotildem *seu* Crotildem] uxorem Christianam accepit, filiam scilicet Hilperici (125), quem frater suus Gundobaldus cum uxore et filiis trucidaverat. *Greg. Tur. a.* 493.

57 491 Romæ defuncto Felice papa concilium a presbyteris et diaconibus actum (126).

492 Theodoricus Ravennæ Odoacrum insidias sibi molientem peremit, ac ipse Occidentis imperium XXX annis obtinuit. *Cass. Marius a. seq.* — Romæ Gelasius papa LI sedit annis IV, mensibus VII, vir doctus, et pius, qui pro Ecclesiæ statu nonnulla decreta fecit, multa sublimiter scripsit, hæreticos damnavit, clerum Romanum auxit, pauperes dilexit. Ipse dedicavit ecclesiam S. Euphemiæ Tiburtina urbe, aliasque basilicas sanctorum Nicandri, Eleutherii, et S. Andreæ via Lavicana. Fecit etiam basilicam sanctæ Mariæ via Laurentina. *Anast.*

493 His temporibus in Africa beatus Fulgentius episcopus, qui Ruspensem XXVI annis rexit Ecclesiam, doctrina, et actibus clarus effulsit; qui et ipse plurima inter alios catholicos mala, et exsilia perpessus est. *Victor Vit. Isid.* — Hac etiam tempestate Ludovicus rex Francorum Gallias usque Sequanam, et deinde usque Ligerim fluvios suo regno subegit. Hunc multa instantia Chrodhild uxor sua ad fidem Christi cohortatur. *Greg. Tur. an. seq.*

494 Gundamundus rex Wandalorum, persuadente Eugenio archiepiscopo, tandem post X annos omnes catholicos episcopos de exsilio revocavit et diu clausas ecclesias pace reddita aperuit. *Procop. a. seq.* — Ludovicus rex Francorum contra Alamannos pugnans, cum exercitus ejus periclitaretur, Deum cœli invocans, et fidem suam Christo vovens, ipso juvante victor Alamannos subjugavit. *Greg. Tur. a.* 496.

495 Ludovicus, seu Clodoveus rex Francorum instante Hrodhilde (127) **58** conjuge sua, a sancto Remigio Remensi archiepiscopo fide Christi imbutus, cum gente sua baptizatur. *Greg. Tur. a. seq.*

496 Gundamundo rege Wandalorum defuncto, Trasamundus XXVI paulo plus annis pro eo regnavit. Qui item catholicis infestus ecclesias post aliquot annos clausit, et inter alios persecutionis labores CCXL episcopos exsilio in Sardinia et aliis insulis afflixit. *Hist. miscell. Procop. ad ann. seq.*

497 Boetius, patricius et consul, multa his temporibus ingenii sui monimenta in sæculari philo-

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

488 *Theodoricus rex... petiit : cui Odoacer occurrens bello conflixit, sed victus aufugit.*

489 *Theodoricus Odoacrum jam tertio devicit eumque fugatum Ravennæ obsedit.*

490 *Odoacer quarto confligens cum Theodorico victus et captus est. Constantinopoli Zenon imp. moritur, post quem Anastasius imperium Orientis* XXVIII *annis rexit.*

491 *Romæ defuncto . . . et diaconis agitur.*

492 *Theodoricus Ravennæ Odoacrum sibi insidiantem peremit . . . obtinuit. Romæ Gelasius papa LI sedit annos* IV, *menses* VII, *vir doctus et pius, qui omnes hæreticos damnavit clerum Romanum auxit, multa decreta fecit.*

493 *Hoc tempore in Africa beatus Fulgentius episcopus claruit doctrina et moratis actibus.*

494 *Ludovicus rex Francorum Alamannos bello vicit, Deo juvante, cui, cum in eodem bello periclitaretur, se creditum promisit.*

495 *Ludovicus . . . conjuge sua Christiana . . . baptizatur.*

496 *Trasamundus rex Wandalorum in Africa, catholicis infestus, ecclesias clausit et* CCXL *episcopos in Sardinia exsilio afflixit.*

497 *Boetius patricius... edidit. Romæ Anastasius... annis fere duobus, et capita decretalia octo fecit.*

NOTÆ.

Jan. die VIII, et Paulus Diac. in Historia Longobardorum, l. I.

(124) Rem fusius describit Cassiodorus Variar. l. IV, ep. 2; it. Histor. Miscell. l. XV, et Ammianus.

(125) Chilperici, scilicet regis Burgundiæ, a fratre et successore suo Gundebaldo occisi circa an. 491.

(126) Felix anno 492 defunctus est, ex Anastasio; de hoc autem concilio seu constituto vid. *Baronius* ad annum 492.

(127) Vid. Vita S. Chlotildis apud Mabill., sæc. I, Bened. p. 98, et Bolland. t. I Junii, ad diem 3.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

sophia excellenter edidit. Romæ Anastasius papa LII (128) sedit annis fere II. Hic confessionem S. Laurentii exornavit; et, quia quibusdam hæreticis communionem olim reddere velle videbatur, quidam se ab ejus communione sequestrant. *Anast. a.* 496.

498 Isauri, occiso Lilingo duce suo, ab Anastasio imperatore victi trucidati sunt. *Marcell.* — Hoc tempore Ludovicus rex Francorum Gundebaldum et Condegiselum fratres, Burgundionum reges, pugna [vicit] et fugavit, et Gundebaldum Avenione obsessum tributarium fecit, et cum magna præda redit. *Greg. Tur. Marius. a.* 500.

499 Theodoricus rex Romæ et alibi multa per hæc tempora mirifica construxit ædificia. *Cassiod. a. seq.* — Romæ Symmachus papa LIII sedit annis xv, mensibus fere VIII, cum quo simul per nimiam dissensionem ordinatus est (129) Laurentius, et magna Romæ inter clerum et populum discordia facta, donec judicio Theodorici regis et majoris multitudinis Symmachus in sede confirmaretur. *Anast. Vict. Tun. an.* 498.

59 500 Symmachus papa, synodo Romæ acta, inter alia Laurentium æmulum suum Nuceriæ episcopum constituit. *Anast. Pag. h. a.*

501 Theodoricus rex aquæductum Ravennæ fecit. *Cassiod. a. seq.* — His temporibus sanctus Mammertus Viennensis archiepiscopus virtutibus claruit, qui, propter luporum et ursorum immanitatem, aliasque plagas triduanas ante Ascensionem Domini litanias primus instituens, Domini misericordiam plagarumque cessationem promeruit (130).

502 Theodoricus rex victis Vulgaribus, [*al.*, Bulgaribus] Sirmium regno Italiæ restituit. *Marcell. a.* 504.

503 Quidam ex Romanis, Symmachum papam falso criminantes et apud regem accusantes Laurentiumque revocantes, magnum Romæ schisma fecerunt, et Petrus Altinæ urbis episcopus permissu Theodorici sedem apostolicam invasit. *Anast. Pag.*

504 Synodo CXV episcoporum collecta, beatus papa Symmachus de illatis purgatur et sedi suæ cum gloria restituitur, et pervasores sedis ejus Laurentius Nucerinus et Petrus Altinas, condemnantur. *Anast. a. pr.* — Ludovicus rex Francorum, per suffragia sancti Petri sanctique Martini et aliorum sanctorum divinum implorans auxilium, Gothos petiit, eosque juxta Pictavis urbem in campo Voglensi (131) pugna vicit, et regem eorum Alaricum, qui jam XXII annis regnavit, occidit, regnumque ejus, quod in Galliis habebat, ac thesauros accepit. Amalricus [*al.*, Amalaricus] vero filius Alarici fugiens, regnum patris sui in Hispaniis recepit. *Procop. de bell. Goth. a.* 507. *Jorn.*

505 Ludovicus rex Francorum Parisius beati Petri basilicam ædificat. *Greg. Tur. a.* 508.

60 506 Hoc tempore Ludovicus rex Francorum Ragnacharium (132) cognatum suum regnique participem, ignavum et luxuriosum, a suis proditum, bello victum fugavit, et comprehensum sua manu cum fratre Richario occidit et ejus sibi populum subjecit. *Greg. Tur. a.* 509. — Theodoricus rex Italiæ contra Francos in Galliam exercitum misit. *Cassiod. a.* 508.

507 His temporibus, Romæ iterum dissensione contra Symmachum papam et Ecclesiam orta, nonnulli ex parte ejus fustibus et diversis plagis afflicti, nonnulli trucidati et necati, et multa indigna et nefaria contra Ecclesiam et religionem commissa sunt. *Anast.*

508 Hoc anno (133) Romæ Boetius vir eruditissimus consulatum administravit. *Cass.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

498 *Isauri, occiso Lilingo duce suo, ab Anastasio imperatore trucidantur.*

499 *Theodoricus rex... ædificia. Romæ Symmachus... donec judicio Theodorici regis Symmachus in sede confirmatur.*

500 *Symmachus papa, synodo Romæ acta, Laurentium æmulum suum Nuceriæ ordinavit episcopum.*

501 *Theodericus rex ... fecit. His temporibus... promeruit*, ut Aug.

503 *Quidam ex Romanis*, etc., ut Aug.

504 *Synodo* CXV *episcoporum*, etc. ut Aug.

505 *Ludovicus rex*, etc., ut Aug.

506 *Theodericus rex... exercitum movit.*

507 *Dissensio iterum inter Symmachum papam et Ecclesiam oritur.*

508 *Hoc anno Romæ*, etc., ut Aug. — *Hoc quoque tempore Avitus abbas Aurelianensis virtutibus et prophetiæ spiritu clarus effulsit.* Greg. Tur. de glor. conf. c. 99.

NOTÆ.

(128) Anastasius papa ordinatus est 24 Nov. anni 496.

(129) Symmachus, ordinatus 22 Nov. a. 498; æmulum habuit Laurentium, a Festo patricio subornatum. Vid. Pagius in ejus Vita.

(130) Ado Viennensis hoc jam ad an. 452 habet, communis vero sententia cum Sigeberto Gemblacensi ad an. 468 refert. Vid. Bollandiani ad XI Maii, et Baronius ad an. 475, nec non Mabillon. l. II de Liturg. Gallic.

(131) Gregorio Tur. l. II, c. 37 ad an. 507, campus Vogladensis dicitur.

(132) Ragnacharius Cameracensis regulus. Vid. an. 484, cujus frater erat Richiarius cum eo occisus.

(133) Boetius juxta Fastos consulares anno 510 consul fuit; ut adeo anni hic et in præcedentibus æque ac subsequentibus minus accurate sint notati

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

509 Ludovicus, qui et Clodoveus Magnus, Francorum rex post multas victorias totam pene Galliam possidens, Parisius, ubi sedem regni instituit, moritur, et in basilica S. Petri a se constructa sepelitur anno regni XXX, post transitum S. Martini, ut in gestis Francorum habetur, anno CXII (134). Post quem quatuor filii ejus diviso regno, Theodericus, Metis sedem habens annis XXIII, cum strenuo filio suo Theodeberto regnavit; Chlodomeris Aurelianis, Childebertus Parisius, et quartus Chlotarius Suessionis sedem statuens annis LI regnavit. Horum soror Hrodhildis, æquivoca matris, et æque religiosa, Amalrico regi Gothorum Ariano in Hispaniis nupsit, materque vidua apud S. Martinum Turonis in orationibus et eleemosynis permansit. *Greg. Tur. Aimoin. cæteri recte ad an.* 511.

61 510 His temporibus Symmachus papa inter alia bona Manichæos in urbe inventos damnavit, ecclesiam S. Andreæ ad S. Petrum construxit, oratorium S. Thomæ, confessionem S. Cassiani itemque sanctorum Proti et Hyacinthi, oratorium S. Apollinaris, itemque S. Sosii, item S. Crucis, item S. Joannis Baptistæ, item S. Joannis Evangelistæ, basilicam S. Petri, et porticum marmore stravit et multis modis ornavit. Xenodochia instituit, et singulis annis catholicos, a Trasamundo rege Wandalorum Ariano per exsilia dispersos, alimonia et vestibus juvit. Construxit etiam basilicam S. Agathæ via Aurelia, item S. Pancratii, item S. Silvestri, item S. Martini, item SS. Cosmæ et Damiani, et alias nonnullas struxit, renovavit et ornavit. *Anast. Bed. chron.*

511 Hoc tempore reges Francorum Chlodomeris, Childebertus, et Clotharius, Burgundionum reges Sigismundum et Godomarum petunt, et pugna victos fugant. E quibus Sigismundus rex religiosus ad sanctos Agaunenses (135) confugiens, insequente Chlodomere, ibidem captus et Aurelianis in carcerem missus una cum uxore ac filiis trucidatus est; et secuto tempore Chlodomeris iterum Burgundiones petens pugna fugavit, et ipse, inter hostes equo delatus, ab ipsis jugulatur, et Burgundia a Francis subjugatur. *Greg. Tur. Marius Av. a.* 515. *seq.*

512 Amalaricus in Hispaniis rex Gothorum Arianus Hrodhildem uxorem suam catholicam multis modis afflixit. Qui postea a fratre ejus Childeberto pugna victus et peremptus est; et pro eo Theuda regnavit (136). *Greg. Tur a.* 531.

513 Cassiodorus hujus anni consul fuit, qui postea conversus et monachus effectus cœnobium construxit, et in sæculari divinaque litteratura **62** clarus effulsit, Psalmos exposuit, Libros institutionum et chronica fecit. Romæ tandem, dissensione cessante inter clerum et populum, optata rediit concordia, et Symmachus papa beatus obiit (137). *Anast. Cass.*

514 Theodoricus rex Italiæ filiam suam Amalasuindam Eutharico Cillicæ in matrimonium junxit. *Cassiod. an. seq. Jornand.* — Romæ Hormisda papa LIV sedit annos IX, qui inter alia bona Eutychianos itemque Manichæos damnavit, clerum erudivit, bas licas adornavit. *Anast.*

515 Hoc tempore Vitalianus quidam servus dignitatibus elatus Anastasio imperatori rebellat, et Scythis adjunctus crebris præliis milites ejus victos fugans, magno reipublicæ dedecori et detrimento fuit. *Marcell.*

516 His diebus Hormisda papa, pro fide catholica ad imperatorem Anastasium Constantinopolim legatos mittens et nihil proficiens, alios itidem cum epistolis legatos mittit. Quos Anastasius cum corrumpere non posset, exsilio deputavit et inter alia domno papæ rescripsit dicens : *Nos jubere volumus, non nobis juberi. Anast*

517 His temporibus Theodoricus rex Francorum Danos se invadentes per filium Theodebertum una cum rege suo ad internecionem delevit. *Greg. Tur. a. pr.; al., circa an.* 515.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

509 *Ludovicus, qui et Clodoveus, Francorum rex Parisiis obiit, ubi sedem regni instituit.*

510 *His temporibus Symmachus papa inter alia bona Manichæos in urbe inventos damnavit; basilicam S. Petri et porticum marmore stravit et alia hujusmodi.*

513 *Cassiodorus hujus... chronica fecit, et tripartitam historiam ordinavit. Romæ tandem dissensione cessante, Symmachus papa obiit in pace.*

514 *Romæ Hormisda... adornavit, et quatuor decreta fecit.*

515 *Vitalianus quidam servus cum Scythis Anastasio imperatori rebellat.*

516 *Hormisda papa Anastasio imperatori pro fide catholica Constantinopolim legatos misit, cui imperator inter alia rescripsit ita :* Nos jubere volumus, non nobis juberi.

NOTÆ.

(134) Annus XXX regni Clodovei ab anno 481 est annus 511, quo etiam obiit, quamvis anni CXII a morte S. Martini a. 397 defuncti convenirent anno 509 hic notato.

(135) Hæc ex Gregorio Tur. et Mario Aventicensi desumpta posterioris sunt temporis; Agaunense siquidem monasterium constructum est anno 515 a Sigismundo, qui an. 516 pro defuncto patre Gundobaldo rex factus, an. 523 victus ac demum a. 524 occisus est a Chlodomere, qui et ipse in pugna interiit. Vid. t. I Maii Bolland., ad d. 1.

(136) Vid. Procopius de bello Gothico, et Jornandes de Getarum origine.

(137) Spectant hæc ad annum 514, quo etiam Cassiodorus consul fuit.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

518 Anastasius imperator, cum hæresi Eutychetis favisset et catholicos persequeretur, fulmine ictus interiit, major octogenario. Pro quo Justinus imperator catholicus Constantinopoli regnavit annis VIII; qui nonnullos imperio inhiantes occidit, et cum Vitaliano tyranno pace prius facta, eumdem postea peremit. *Marcell.*

63 519 Justinus Augustus legatos apostolicæ sedis, ab Hormisda papa Constantinopolim pro fide missos, summo honore suscepit, eisque in damnatione hæreseos per omnia consentaneus plurima per eos donaria Romam misit. *Anast.*

520 Hac tempestate Theodericus rex Francorum cum filio Theodeberto Thuringos petens, immensa eos cæde protrivit, et Ermenfridum regem eorum fugavit; quem postea fide data ad se venientem suscipiens e muro præcipitavit, et filios ejus occidi fecit. *Greg. Tur. an.* 530.

521 Justinus Augustus hæreticis infestus Arianos etiam Constantinopoli persequitur; unde iratus Theodoricus rex Italiæ Arianus exitium in Italia catholicis minatur. *Hist. miscell.*

522 In Africa mortuo tandem Trasamundo rege Wandalorum Ariano, Heldericus pro eo regnavit annis VIII; qui statim in principio regni ecclesias diu clausas aperuit, et omnes catholicos de exsiliis revocare studuit, et optatam Ecclesiæ pacem restituit. *Procop. Victor. Tun. an. seq.*

523 Romæ Joannes papa LV sedit annis II, mensibus IX; qui, cœmeteria in urbe restaurans et aliis bonis instans, a Theodorico Constantinopolim legatus mittitur, et summo honore et gaudio a Justino Augusto et cunctis civibus susceptus ad portam, quæ dicitur Aurea cæcum illuminat, et coronato a se Augusto Justino, et pro quibus venerat impetratis, donariis et muneribus donatus revertitur. *Marcell. an.* 525.

524 Theodoricus rex Gothorum et tyrannus Romanorum inter alia **64** mala Boetium patricium et philosophum diu carceratum occidit; nec multo post socerum ejus Symmachum patricium itidem peremit; Joannem quoque papam beatum de Constantinopoli reversum Ravennæ una cum comitibus carceris afflictione necavit XV Kal. Junii, qui non multo post Romam relatus, apud S. Petrum sepultus est (138). *Beda. Hist. miscell.*

525 Theodoricus tyrannus, post III menses ab obitu papæ Joannis, post multa mala sua Dei judicio subitanea morte Ravennæ interiit, et, sicut solitario cuidam revelatum est, a Joanne papa et Symmacho patricio in ollam Vulcani dejectus est anno regni Italici XXXII. Post quem nepos ejus Atharicus [Athalaricus] puer cum matre Amalsuinda regnavit annis VIII. *Hist. miscel. Procop. Jorn.*—Romæ Felix quartus papa LVI sedit annis IV, mensibus II; qui fecit basilicam sanctorum Cosmæ et Damiani via Sacra, et S. Saturnini via Salaria (139). *Anast.*

526 Constantinopoli Justinus imperator, Justinianum regni consortem et successorem faciens, obiit; pro quo Justinianus ex sorore nepos ejus imperavit annis XXXVIII multa pietate et prudentia conspicuus, nisi in quibusdam hæreticis favisset. *Marcell. an. seq.*

527 Justinianus Augustus Belesarium amicum suum principem militiæ fecit, per quem et de Parthis triumphavit et magna ex parte rempublicam recuperavit. *Hist. miscel.*—Gens Winilorum sive Longobardorum, rege Odwino, [*al.*, Audoinus] Pannoniam invasit, ibique habitare cœpit. *Paul. Diac. hist. Longob. Procop.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

518 *Anastasius imp., hæresi favens Eutychetis et catholicos persequens, ictus fulmine interiit, major octogenario; pro quo Justinus imperator catholicus. Constantinopoli regnavit annis octo, et cum Vitaliano tyranno pacem fecit, quem postea tamen peremit.*

519 *Justinus Augustus legatos Hormisdæ papæ pro fide missos honorifice suscepit, eisque in damnationem hæreseos consentiens, multa per eos donaria Romam misit.*

521 *Justinus Augustus... exitium catholicis in Italia minitatur.*

522 *In Africa mortuo Trasamundo rege Wandalorum Ariano, Hildericus pro eo regnavit annis octo; qui statim ecclesias diu clausas aperuit, et omnes catholicos de exsilio revocavit.*

523 *Romæ Joannes papa LV sedit annos duos, menses novem, qui a Theodorico Constantinopolim missus, et a Justino Aug. et cunctis civibus honorifice susceptus, ad portam quæ dicitur Aurea cæcum illuminat et, coronato a se Justino Augusto, cum multis muneribus rediit.*

524 *Theodoricus rex Gothorum et tyrannus Romanorum Boetium... itidem interemit. Joannem quoque papam beatum carceris afflictione necavit* XV *Kal. Junii.*

525 *Theodoricus... ab obitu Joannis papæ subito Ravennæ obiit, et sicut... dejectus est. Post quem nepos ejus, Athalaricus, puer cum matre regnavit annis octo.—Romæ Felix... mensibus* II.

526 *Constantinopoli Justinus imp. obiit; pro quo Justinianus nepos ejus imperavit annis* XXXVIII.

527 *Justinianus Aug... militiæ fecit. Gens Winilorum... invasit, et ibi habitavit.*

NOTÆ.

(138) Mortem Boetii pariter huic anno ascribit Marius Avent., Symmachi autem anno 525. Joannes papa primum anno 526 obiit.

(139) Cuncta hoc anno notata ad sequentem spectant.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

65 528 His temporibus beatus abbas Benedictus immensa virtutum gloria claruit. Priscianus quoque grammaticus his fuit temporibus. *Bed. chr.*

529 Exercitus Romanus sabbato Paschæ a Parthis superatur.

530 In Africa occiso male Helderico rege Wandalorum catholico, Geilamer regnum invadens tanta feritate in catholicos et in omnes debacchatur, ut nec parentibus suis parceret. *Procop. Vict. Tun.*—Romæ Bonifacius secundus papa LVII sedit annis II, mense ferme I, cum quo per dissensionem ordinatus est Dioscorus, et paucis post diebus mortuus; quem tamen Bonifacius collecta synodo damnare molitus est. *Anast.*

531 Bonifacius papa Vigilium diaconum in synodo post se papam eligi sub chirographo decrevit; quod tamen postea rescindens, quia contra canones erat, combussit. Ipse in periculo famis clerum et pauperes alimonia juvit. *Anast.*

532 Ab hoc anno, scilicet Justiniani imperatoris sexto, Dionysius Romanus abbas, utriusque linguæ peritissimus, cyclum magnum paschalem inchoat, qui jam semel ab incarnatione Domini in annis DXXXII exactus, totidem in se annos continet. Incipit autem a primo Diocletiani anno, unde Græci cyclos suos inchoabant, cyclis decennovennalibus XIII exactis, id est, an. CCXLVII. *Bed. chr.*—Romæ Joannes secundus, qui et Mercurius, papa LVIII sedit annis II, mensibus IV. Ad hunc Justinianus Augustus de fide sua litteras et donaria sancto Petro transmisit. *Anast. an.* 535.—Theodoricus rex Francorum anno regni XXIII moritur, et Metis sepelitur : pro quo filius ejus Theodebertus regnavit annis XIV. *Greg. Tur. an.* 534.

533 Romæ mortuo Athalarico rege Gothorum, Amalsuinda Theodatum **66** in consortium regni assumit; qui ipsam non multo post occidi jussit, et regnum sibi soli usurpavit. *Marcell. an. seq.*

534 Belisarius patricius a Justiniano imperatore missus Wandalorum gentem in Africa bello victam delevit, Geilamerum regem eorum captum Constantinopolim abduxit, et Carthaginem reipublicæ restituit post annos XCIV ex quo a Geiserico capta est. Geilamer quoque post aliquot annos a Justiniano Augusto comes effectus, et in terminos Parthorum ad eos arcendos constitutus est. *Marcell. Marius. Procop.*

535 Romæ Agapitus papa LIX sedit anno fere I. Hic a Theodato tyranno, pro gratia Justiniani Augusti, propter occisam Amalsuindam sibi infensi, Constantinopolim missus, constanter cum Augusto pro fide Christi decertavit; Anthemium ejusdem urbis episcopum hæreticum convictum damnavit, et in locum ejus favente Augusto Mœnam (*al.*, Mennam) ordinavit; ipseque ibidem morbo tactus obiit, et in loculo plumbeo Romam relatus ad Sanctum Petrum sepultus est. *Anast. Marcell. Vict. Tun.*

536 Romæ Silverius, Hormisdæ papæ dudum filius, contra voluntatem cleri a Theodato tyranno pecunia corrupto (140) LX papa violenter promotus, sedit anno I, mensibus V. *Marcell. Anast.*—Theodadatus tyrannus abhinc post II menses a Witigiso peremptus, et Witigis (*al.*, Witiges) rex Gothorum factus est. *Aimoin.*—Belisarius patricius a Justiniano Augusto in Italiam contra Gothos missus, per Siciliam transiens, et Sunderat ducem ejus vincens Africamque de tyrannis **67** eruens, Neapolim transfretavit ipsamque urbem sibi resistentem obsessam vi cepit, et tam cives quam Gothos, nulli parcens, trucidavit. Inde cum urbem Romam ingressus esset, Gothi omnes qui ibi fuerant, nocte egressi, Ravennam fugientes petierunt, quos insecutus, conserto prælio septem millia ex eis occidit. Witigis vero collecto grandi exercitu Belisarium urbemque Romam uno anno obsedit, omniaque circum devastans, urbem bello et fame graviter oppressit. Postea vero egresso Belisario, pugna commissa victus, Ravennam aufugit. *Procop. Mar. Jorn.*—Fames tanta facta est, ut in Liguria quædam mulieres parvulos suos comederent. *Marcell. h. a.*

CAMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

528 *His temporibus*, etc., ut Aug.

530 *In Africa occiso Hilderico... invadens, in catholicos et in omnes debacchatur. Romæ Bonifacius II, papa LVII, sedit annis* II, *mense ferme uno.*

531 *Bonifacius papa Vigilium... combussit.*

532 *Ab hoc anno... Romanus abbas cyclum... in se annos continet. Romæ Joannes... sedit annos duos, menses quatuor, cui Justinianus Aug. de fide sua litteras transmisit.*

533 *Romæ mortuo Athalarico rege Gothorum Amalsuinda mater ejus Theodatum in consortium regni sumit : qui tamen eam postea occidi jussit, et ipse solus regnavit.*

534 *Belisarius patricius a Justiniano imp. missus, gentem Wandalorum in Africa bello victam delevit, captoque rege eorum Gevamero (Gelimer) Carthaginem Romano populo resti uit.*

535 *Romæ Agapitus papa LIX sedit anno fere unc. Hic a Theodato tyranno pro gratia Justiniani Aug. missus Constantinopolim, Anthemium ejusdem urbis episcopum hæreticum damnavit, ordinatoque alio episcopo, id est, Menete catholico, ipse ibidem obiit, in ecclesiasticis regulis apprime eruditus.*

536 *Romæ Silverius, Hormisdæ dudum papæ filius, contra voluntatem cleri, a Theodato tyranno, pecunia corrupto, LX papa violenter promotus, sedit annum unum, menses quinque.*

NOTÆ.

(140) Pagius in Brev. Pont. Rom., tom. I, pag. 284, Silverium ab hac labe solide vindicavit.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

537 Silverius papa, cum in restitutione Anthemii et communione hæreticorum Augustis nollet parere, jussu ipsorum a Belisario patricio falso criminatus, et secreto positus monachique habitu indutus, indictione XV a Vigilio diacono exsilio afflictus, et, deficiens XII Kal. Julii, post obitum etiam miraculis claruit; ipseque Vigilius papa LXI ordinatus sedit annis XVII, mensibus VII. *Anast. Aimoin.* — Ipsis diebus Belisarius Theodebertum regem Francorum cum grandi exercitu Italiam ingressum vicit, et inde reverti coegit (141). Ipse Romæ S. Petro dona obtulit. *Marcell. Vict. Tun. Procop.*

538 Belisarius patricius, commissa cum Gothis pugna iterum victor, Witigisum regem eorum in ipsa fuga a Joanne Sanguinario magistro militum comprehensum et Romam adductum, ipse, et Vigilius papa Constantinopolim cum uxore et thesauris ad Justinianum Augustum perduxerunt; a quo patricius et comes factus, in Orientem contra Parthorum seu Persarum excursiones constitutus, ibidem vitam finivit. Gothi in Liguria **68** manentes Helebadum (*al.*, Heldebadum) sibi regem elevant, iterumque Romanis rebellant. *Procop. Mar. Hist. miscell. an.* 540.

539 Parthi rupta pace Antiochiam totamque Syriam invadentes devastant, donec a Belisario tandem repulsi ad terminos suos redierunt. Posteaque a Martino duce pax cum eis facta est, Belisario ad Italiam contra Totilam revocato. *Mar. an. seq.* — Gothi Helebado post unum annum perempto, Erarico cum regem faciunt. *Procop. an.* 541 *seq.*

540 In Italia occiso post unum annum Erarico rege, Gothi Totilam, qui et Baduilla dictus est, regem sibi statuunt; qui successibus bellorum fretus Romanum exercitum ducesque aliquoties superavit, et per multos annos Italiam totam ipsamque urbem Romam captam pluribus malis attrivit et vastavit. *Procop. an.* 541.

541 Totila per hæc tempora apud Faventinum Æmiliæ oppidum Romanum exercitum superat; nec multo post iterum Romanos duces fugans, partim vi, partim donis exercitum sibi consociat, et tyrannidi instans ipsam etiam Romam et Campaniam vastat. *Hist. miscell. Procop. Marcell. an.* 543.

542 Hujus Justiniani temporibus corpus S. Antonii monachi divinitus revelatum et Alexandriam translatum, in ecclesia S. Joannis Baptistæ tumulatum est. *Bed. chr. Vict. Tun.* — Hoc etiam tempore quinta synodus universalis Constantinopoli contra Theodorum et omnes hæreticos sub Vigilio papa collecta est (142).

543 Per hæc tempora, cum Belisarius a Parthorum finibus ad auxilium **69** Italiæ revocatus et diu impeditus, tandem cum modica classe Romam jam pene vastatam ingressus esset, Totilæ superirruentis exercitum commisso prælio fudit et in Tiberi mersit, ipsumque in Campaniam repulit. *Marcell. an.* 547. — Hoc tempore, cum Benedictus abbas discipulum suum Maurum ad Gallias transmisisset, migravit ipse post multas virtutes ad Dominum. *Leo. Ost., al. an.* 544.

544 Sanctus Remigius, Remorum archiepiscopus et gentis Francorum apostolus, anno episcopatus LXXIV, Idibus Januarii plenus virtutibus migravit ad Dominum (143). Arator subdiaconus Romanus librum suum, quem de Actibus apostolorum heroico metro edidit, Vigilio papæ oblatum publice cum magno favore recitavit (144). *Paul. Diac. hist. Longob. l.* I, *c.* 25.

545 Hoc tempore cum Belisarius a Sicilia jussu Augusti Constantinopolim revocatus esset, Totila jam securus iterum Romam invasit, et secuto tempore collectis viribus Siciliam etiam invasam cepit, totamque, insultans Romanis, qui diversis occasionibus subducti erant, devastat Italiam. *Procop. Marius an.* 547.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

537 *Silverius papa... falso criminatus, a Vigilio diacono afflictus exsilio, obiit* XII *Kal. Julii, et postea miraculis claruit. Ipseque Vigilius papa LXI ordinatus sedit annos* XVII, *menses* VII.

538 *Belisarius patricius et Vigilius papa Vitigisum regem Gothorum pugna victum, Constantinopolim perducunt ad Justinianum Augustum.*

539 *Belisarius patricius Parthos Antiochiam et Syriam vastantes redire coegit.*

541 *Totila rex Gothorum Romam Campaniamque devastat.*

542 *Hujus Justiniani tempore corpus S. Antonii monachi divinitus revelatum Alexandriam transfertur.*

Hoc tempore quinta synodus... collecta XIV *capitula constituit.*

543 *Hoc tempore Benedictus abbas, cum... migravit ad Dominum. S. Remigius... migravit ad Dominum*, ut Aug. an. seq.

544 *Arator subdiaconus... oblatum publice recitavit.*

545 *Totila rex iterum Romam invasit.*

NOTÆ.

(141) Gregorius Tur. an. 539, victoriam Theodeberto tribuit, uti et Procopius, ut tamen tertia exercitus pars dysenteria interiret, et sic reverti cogeretur.

(142) Concilium hoc perperam huc locatur, utpote anno demum 553 celebratum; quamvis causa trium capitulorum circa hæc tempora fuerit incœpta. Vid. Norisius in dissert. de quinta synodo cap. 3, et Pagius in Brev. t. I, p. 292.

(143) Recte quidem, juxta computum Hermanni, qui Remigium an. 470 episcopum ordinatum scribit: at juxta calculum Galliæ Christianæ, in qua jam an. 459 ordinatus legitur, obitus ejus circa an. 533 aut 530 consignandus est.

(144) De hoc egit Gallandius in nova sua Patrum Bibliotheca t. XII, cap. 5 in prolegomenis, et pag. 93 ipsum Opus in duos libros divisum sistit.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

546 Theodebertus rex Francorum strenuus et fortis moritur, et filius Theodpaldus, multum patre nequior et ignavior, pro eo regnavit annis VII. *Mar. Greg. Tur. an. seq.*

547 His temporibus Vigilius papa, cum ad consensum hæreseos et **70** restitutionem Anthemii episcopi nullatenus adduci posset, jussu imperiali Romæ vi captus et Constantinopolim perductus, cum constanter in incepto perstitisset, nec Augusto cessisset, cum comitibus affectus[injuriis] et exsilio addictus, per annos aliquot graviter afflictus est (145). *Marcell.*

548 Per hæc tempora Justinianus Augustus inter alia magnifica basilicam Salvatoris, quæ Agiæ Sophiæ dicitur, incomparabili opere Constantinopoli construxit. Ipse leges Romanas infinitas abbreviatas collegit et leges, quæ Justinianæ dicuntur, composuit. *Paul. Diac. hist. Longob. l.* I, *c.* 25.

549 Hoc tempore gens Gepidorum [Gepidarum] a rege Alboino et Longobardis, qui in Pannonia tunc habitabant, prælio victa et pene deleta est, et Chunimundus rex eorum occisus est, de cujus capite auro incluso Alboin sibi Praciam (146) fecit, filiamque ejus Rosmodam [Rosamundam] inter alios multos captivam, postea, defuncta conjuge Lotharii regis Francorum filia, in sui perniciem duxit uxorem. *Al. an.* 547; *alii an.* 568.

550 Victor episcopus (147) Capuanus de hujus anni Pascha scribens, erroneos Victorii cyclos arguit. *Bed. chr.* — Hoc tempore Totila rex Gothorum iterum Romam obsessam et fame nimis oppressam cepit, et quibusdam senatoribus Constantinopolim fugientibus securus urbem possedit. *Procop. an.* 549.

551 Hucusque Jordanis episcopus Chronica sua de Gestis Romanorum abbreviata perduxit (148). His temporibus in Africa Mauri per Joannem patricium domiti sunt. *Marcellin.*

71 552 Hoc tempore, Justinianus Augustus Narsetem eunuchum, chartularium et cubicularium suum, principem militiæ fecit et in Italiam misit, qui commissa pugna Dei gratia victor Totilam regem occidit, et gentem Gothorum auxiliantibus etiam Longobardis in Italia exterminavit. *Marcell. an. app.* Per hæc etiam tempora cum Buccelinus comes, cum sociis a Theodeberto rege Francorum dudum missus, per annos aliquot Italiam Siciliamque infestaret et Romanum sæpe exercitum superaret, tandem exercitus ejus, profluvio ventris attritus et attenuatus, a Narsete pugna victus et profligatus, ipse dux occisus est; nec multo post socius ejus Ammingus (149) dux cum reliquis Gothorum, quibus se junxit, peremptus est. *Marcell. app. ann. seq.*

553 Theodpaldus rex Francorum moritur, et regnum ejus uxoremque Wanderadam [*al.*, Vuldetradam] Clotharius rex, patris ejus Theodeberti patruus accepit, qui jam XLIV anno regnabat. Ipso anno, Clotharius ipse Saxones rebellantes juxta Wiseram fluvium magna cæde domuit, et Thuringiam pervasam devastavit. *Marcell. app.*

554 Vigilius papa, tandem impetrantibus Romanis et Narsete, de exsilio relaxatus, cum Romam redire cœpisset, in Sicilia morbo calculi tactus decessit (150): sed tamen Romam relatus apud S. Marcellum via Salaria sepultus est. Pro quo ordinatus

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

546 *Hoc tempore fuit S. Liberatus* (151) *Carthaginensis archidiaconus, qui de auctoritate Chalcedonensis concilii multa utilia conscripsit, et Vigilium papam aliquando hæreticis favisse monstravit.*

547 *Vigilius papa cum ad consensum hæreseos et restitutionem Anthemii episcopi nullatenus adduci posset, Constantinopolim vi perductus, exsilio graviter est afflictus.*

548 *Justinianus Aug. basilicam Salvatoris, quæ Sanctæ Sophiæ dicitur, incomparabili opere Constantinopoli construxit. Ipse leges, quæ Justinianæ dicuntur, composuit.*

550 *Victor... cyclos arguit.*

551 *Hucusque Jornandes episcopus... perduxit.*

552 *Hoc tempore Justinianus Augustus Narsetem eunuchum principem militiæ faciens in Italiam misit.*

554 *Vigilius.... in Sicilia morbo calculi decessit. Pro quo Pelagius.... contra Vigilium culpatus, ascenso apud S. Petrum ambone et Evangelio super caput ejus posito, juramento se a crimine illato purgavit* (152). *Hic ordinatus est a Perusino et Ferentino episcopis, et Andrea Ostiensi archipresbytero. Nam hoc est privilegium Ostiensis Ecclesiæ ut episcopus ejus et archipresbyter (si episcopus ejus non adfuerit) Romani pontificis ordinationi perpetuo interesse debeant. Et episcopus, si adfuerit, deinceps privilegium pallii portandi habebit, quod nulli alii cardinali episcopo licebit.* Anast.

NOTÆ.

(145) Hæc quidem de Vigilii captivitate habet Anastasius, sed falsa esse monstrant Baronius et Pagius : exsilium vero ejus ad an. 553 referendum.

(146) Paulus Diac. Hist. Longob. l. I, c. 27, pocalum habet, quod *scala* unde germ. *Schalen*, seu patera dicitur. Vid Muratorii Script. rer. Ital., t. I, p. II, p. 424.

(147) Deperiit hoc Victoris opus, cujus meminit Beda de Ratione temporum, ad finem cap. 49, de controverso Paschate anni 550.

(148) Egimus de Jordane vel Jornande in dissertatione prævia.

(149) Omnirugus dicitur Marcellino, ex quo Hermannus sua usque ad an. 558 ad verbum fere desumpsit.

(150) Vigilius, die 10 Jan. a. 555, apud Syracusas obiit

(151) Liberati Breviarium de causa Nestorianorum et Eutychianorum idem Gallandius l. VI, p. 119, edidit, de quo in proleg. cap. 7, pluribus disserit.

(152) Ad ann. seq. spectant.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

Pelagius papa LXII sedit annis XI, mensibus X; qui, a populo Romano factionis contra Vigilium incusatus, celebratis una cum Narsete litaniis apud S. Petrum, ambone ascenso Evangelioque super **72** caput suum posito, juramento se crimine purgavit. *Marcellin. app.*

555 Hoc tempore, Saxones iterum Clothario rebellantes, cum ab eo peterentur hostiliter eique pro satisfactione dimidium rerum suarum offerrent, idque exercitus Francorum refutans eo invito pugnam iniisset, magna ab eis cæde protritus fugæ præsidium petiit. *Marcell. app.*

556 His diebus, Chramnus patri suo Clothario, adnitente patruo Childeberto, rebellans, regnum Francorum domestica seditione perturbat. Saxones factione Childeberti in Francia prædas egerunt. Childebertus Remensem Campaniam populatur. *Marcell. app.*

557 In Britannia Bridius [*al.*, Bridus] rex Pictorum efficitur. Childebertus rex Francorum circa hæc tempora moritur, et Parisius in basilica S. Vincentii a se constructa sepelitur; regnumque ejus Clotharius frater assumens totam paterni regni monarchiam obtinuit. *Marcell. app., al. a. seq.*

558 Chramnus patrem Clotharium, quem multis offenderat, hoc tempore in Britanniam fugiens, insequente eo ibidem cum Conobro rege, pugna victus et captus, cum uxore et filiabus vivus incensus est (153). Quo etiam tempore, Turonis basilica S. Martini, rebellibus ad eam fugientibus, igne crematur. *Marcell. app.*

559 Clotharius rex, de sceleribus et peccatis suis pœnitentiam agens, basilicam S. Martini hoc tempore studiose reparans stanno texit. *Greg. Tur. a. seq.* Sanctus Medardus episcopus plenus virtutibus migravit ad Dominum, et a Clothario rege Francorum Suessionis magna cum gloria sepultus est. *Greg. Tur. a. seq.*

73 560 Clotharius major, filius Clodovei Magni, rex Francorum, anno regni LI Compendii moritur, et A Suessionis apud S. Medardum sepelitur. Post quem quatuor filii ejus, diviso regno, Sigebertus Metis et Remis sedem habens, annis XIV, Charibertus Parisius, Hilpericus Suessionis XXV annis, Guntrammus Aurelianis et in Burgundia XXIII annis regnavit. *Marius Greg. Tur. an. seq.*

561 In Britannia Edilbertus rex Anglorum regnavit annis LVI. *Bed. hist. Ang. a.* 560. Hunni cum rege suo Chagano Gallias petentes, a Sigeberto rege pugna victi et humiliati, vix impetrata pace, fœdere pacto redierunt. *Greg. an. seq.*

562 Chilpericus rex regnum fratris sui Sigeberti et urbem Remensem invasit, Campaniamque vastavit. Quo audito Sigebertus a Hunnis reversus, econtra Suessionis urbem cepit, Theodebertum filium Hilperici ibidem captum in exsilium misit, ipsumque Chilpericum pugna victum fugavit, et civitates suas recepit. Postea vero, accepto ab eo pacis sacramento, filium ei reddidit, pacemque cum eo firmavit. *Greg. Tur. an.* 563, *l.* IV, *c.* 23.

563 Charibertus rex libidini deditus, cum, Ingoberga uxore sua repudiata, duas ancillas germanas sibi in matrimonio junxisset, a sancto Germano Parisiorum episcopo excommunicatus, non multo post interiit (154). Quo etiam tempore, Sigebertus rex Brunam, quæ et Brunihildis, filiam Athanagildi regis Gothorum de Hispania uxorem accepit (155), et secuto tempore Chilpericus frater ejus Gielswindam [*al.*, Gailesuintha] sororem Brunæ conjugem accepit, quam postea suasu Fridegundis concubinæ noctu strangulavit; cujus etiam astu Audoveram reginam, commatrem suam factam, repudiavit, et multa mala fecit. *Greg. Tur. a.* 566, *seq.*

74 564 Constantinopoli Justinianus imperator anno imperii XXXVIII decessit; pro quo Justinus minor annis XI regnavit, homo iniquus et avaritiæ ultra modum deditus. *Evagr. l.* V, *c.* 1, *a. seq.* His temporibus immensa pestilentia et mortalitas totam Italiam et maxime Liguriam incredibiliter vastavit. *Paul. Diac. hist. Longob.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

557 *Hildebertus rex Francorum moritur et Parisiis in basilica S. Vincentii sepelitur.... obtinuit.*

558 *Hoc tempore Turonis basilica S. Martini, rebellibus ad eam fugientibus, igne crematur;* al., a. 560.

559 *Lotharius rex, de malis suis pœnitentiam agens, basilicam S. Martini reparans, stanno texit. S. Medardus.... cum magna gloria sepelitur.* Fortunat. in Vita.

560 *Clotharius rex, filius Clodovei Magni, Compendii moritur anno regni* LI.

563 *Charibertus rex, libidini deditus, a S Germano Parisiorum episcopo excommunicatus obiit.* Greg. Tur. a. 557.

564 *Constantinopoli... Justinianus minor LI, homo iniquus et avarus, annis undecim regnavit.*

NOTÆ.

(153) Hæc ex Gregorio, l. IV, c. 20, contigerunt uno ante mortuum patrem anno, adeoque a. 560.

(154) Mortem Chariberti Gregorius Tur. ad an. 567 consignat, de qua etiam agit cap. 19, De gloria confessorum.

(155) Factum id an. 566, uti posterius matrimonium an. 567.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

565 Sanctus Columba presbyter et abbas, de Hibernia veniens, Brittannis verbum Dei prædicat. *Bedæ epit.* His temporibus Narses patricius Sindwaldum regem de reliquiis Herulorum in Italia sibi rebellantem pugna vicit et captum alta trabe suspendit. *Mar. Av. a. seq.* Qui divitiis auctus magnam a Romanis passus invidiam, apud Augustum criminatus, et ad id adductus est ut relicta Roma in Campaniam subsecuti (156) secederet, eique Longinus successor in Italiam mitteretur. *Paul. Diac. Mar. a.* 568.

566 Romæ Joannes tertius papa LXIII sedit annis ere XIV. Qui ecclesiam Philippi et Jacobi apostolorum, quam decessor ejus Pelagius cœperat, perfecit et dedicavit (157). *Anast. Bed.*

567 Narses eunuchus et patricius, qui Italiam a Gothis aliisque hostibus liberaverat, et multum pro republica laboraverat, a Justino Augusto et Sophia uxore ejus injuriis lacessitus, Longobardos, qui in Pannonils habitabant, ad vastandam et possidendam Italiam invitavit, missis eis de ubertate Italiæ fructibus terræ atque muneribus. *Paul. Diac. l.* II, *c.* 5. — Multa prodigia, et præcipue igneæ acies in cœlo visæ, sanguisque coruscans Italiam terrent. *Greg. M. l.* III, *Dial.*, c. 38.

75 568 Longobardi rege Alboino mense Aprili Venetiam et fines ejus ingressi sunt, eamque, paucis civitatibus exceptis, captam subjicientes, apud Aquilegiam, seu Forum Julii, electam partem copiarum cum duce Gisulfo relinquentes, ad totam Italiam capiendam animos intendunt. *Paul. Diac. l.* II, *c.* 7. — Ingens hoc anno nix cecidit, et insolita frugum copia subsecuta est. *Paul. Diac.*

569 Hoc tempore Hunni rupta pace iterum Franciam petentes, dolis instructi Sigebertum regem cum Francis acie victum fugant. *Greg. Tur.* 566. — Alboinus rex cum Longobardis Liguriam invasit, Mediolanum et alias plerasque urbes cepit, et circumquaque prædis et cædibus furibundus, Papiam plus triennio obsedit. *Paul. Diac.*

570 Alboinus plerasque in Tuscia citraque civitates, exceptis Roma, Ravennaque et paucis castris, cepit. Ingens etiam fames post ubertatem Italiam pestilentia attritam invasit. *Mar.* — Sanctus Vedastus episcopus decessit. *Paul. Diac.*

571 Papienses cives, ultra resistere non valentes, regi Alboino se tradunt: qui, civitatem ingressus, corruente et jacente intra portam equo suo, divinitus mitigatus, contra votum quo omnes se puniturum minitabatur, civibus pepercit, et, sedem ibi regni statuens, tres annos et VI menses in Italia regnavit. Quo etiam tempore Narses patricius, cum e Campania Romam reversus esset, non multo post mortuus et in loculo plumbeo cum thesauris suis Constantinopolim relatus est (158). *Paul. Diac.*

572 Hoc tempore Chilpericus rex Clodoveum filium suum hostiliter in regnum Sigeberti fratris sui misit; qui cum juxta Burdegalensem resideret urbem, Sigulfus dux ex parte Sigeberti super eum irruit, fugientemque, **76** cum tubis et buccinis vociferando, quasi cervum Parisius usque, ubi pater ejus fuerat, persequitur. *Greg. Tur.*

573 His diebus Chilpericus filium suum Theodebertum item ad vastandum Sigeberti regnum trans Ligerim misit; qui cum vastationibus crudelissime insteret, et civitates nonnullas cepisset, tandem cum ducibus Sigeberti pugna incaute conserta, decisus interiit. *Greg. Tur. a.* 575.

574 Alboinus rex Longobardorum apud Veronam insidiis Rosmodæ conjugis suæ a Helmichiso armigero suo peremptus est: ipseque Helmichis frustra regnum attentans, cum ad mortem quæreretur, cum eadem Rosmoda conjuge sua et thesauris filiaque regia Albswinda Ravennam fugit, ibique venenum ab ipsa acceptum, ipsam quoque bibere cogens, cum ipsa pariter interiit. *Paul. Diac. l.* II, *c.* 29. — Sigebertus rex Francorum, cum, suas ulciscens injurias, fratris Chilperici regnum invasisset, eumque contra vetitum S. Germani Parisiorum episcopi mortifero odio fugientem persequeretur, missis dolo

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

565 *His temporibus, immensa pestilentia et mortalitas totam Italiam, maxime Liguriam, devastavit. Narses patricius divitiis auctus, et ob id a Romanis invidiam passus et apud Augustum criminatus, Roma in Campaniam discessit eique successor Longinus in Italiam mittitur. S. Columba.... prædicat.*

566 *Romæ Joannes*, etc., ut Aug.

567 *Narses patricius, qui multum pro republica laboraverat, a Justino Aug. injuriis lacessitus, Longobardos in Pannoniis habitantes ad vastandam et possidendam Italiam invitavit.*

Multa prodigia, et præcipue igneæ acies in cœlo visæ sunt.

568 *Longobardi, rege Alboino, mense Aprili Venetiam ingressi, eam, paucis civitatibus exceptis, sibi subjiciunt.*

569 *Alboinus rex cum Longobardis Liguriam invasit, Mediolanum et alias plerasque urbes cepit, Papiam plus triennio obsedit.*

570 *Alboinus plerasque in Tuscia urbes cepit. S. Vedastus episcopus obiit.*

571 *Papienses regi Alboino ad deditionem veniunt.*

572 *Narses patricius obiit.*

574 *Alboinus rex Longobardorum per insidias conjugis suæ ab armigero suo occiditur.*

NOTÆ.

(156) *Leg.* subsecuto tempore.

(157) Joannes hic jam a. 560 Pelagio substitutus est.

(158) Narsetis obitum ad an. 569 spectare multis probat Muratorius, in notis ad Paulum Diaconum, t. I, Script. Ital. p. 430.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

Fridegundis jam reginæ duobus adolescentibus, ab A e s peremptus interlit, ipsique pariter exstincti sunt; e: Brunihild uxor ejus cum filio Childeberto capta et custodiæ mancipata est. Sed Childebertus puer clanculo a suis ereptus, et rex pro patre promotus, regnavit annis XXIII, rex admodum fortis et strenuus. Hujus soror Ingundis Hirmingildo regi Gothorum filio Leovigildi nupsit. *Greg. Tur., l.* IV, *c.* 46. *a.* 575.

575 Constantinopoli Justinus imperator post multa mala et cupiditates suas in amentiam versus moritur; pro quo Tiberius Constantinus, qui et ipso mente capto palatium rexerat, regnavit annis VII, vir Deo devotus et eleemosynis pauperum omnium largissimus, atque in acquirendis facile divitiis omnium fortunatissimus (159). In Italia Clep (Clepho) B Longobardorum rex, qui pro Alboino electus fuerat, cum anno et mense uno crudeliter regnasset, et multos Romanorum peremisset, a proprio servo suo interemptus est; post quem Longobardi sine regibus per annos X sub ducibus **77** militantes, pluribus per totam Italiam debacchantur sceleribus, Burgundiamque (sicut sanctus Hospitius (160) reclusus prædixerat) ingressi, Amatum (161) ducem Guntrammi regis pugna victum occidunt, et multa cæde facta prædis ditati in Italiam revertuntur. *Greg. Tur., Paul. Diac., Mar. a.* 576.

576 Hoc tempore Meroveus Chilperici filius, a patre contra Pictavos missus, et inde reverteus, Brunihildem accepit uxorem; a qua statim a patre separatus, cum suspectus haberetur, non multo C post attonsus et presbyter ordinari jussus est. *Greg. Tur. l.* V, *c.* 2, 3. — Per idem tempus S. Germanus Parisiorum episcopus migravit ad Dominum. Circa hoc tempus Longobardi iterum Burgundiam ingressi, a Mummulo patricio Guntrammi, qui Amato successerat, circumventi, pluribus trucidatis et captis vix refugerunt. *Greg. Tur., Paul. Diac.*

577 His diebus Chilpericus Clodoveum filium suum, et Desiderium ducem contra fratrem suum Guntrammum transmisit, sed a Mummulo patricio Guntrammi pugna victi terga verterunt. *Greg. Tur.*, *Paul. Diac. an.* 572. — Hoc item tempore Saxones, qui cum Alboino Italiam intraverant, Gallias invadunt; sed a Mummulo cæsi et humiliati impetrata pace redeunt; et post annum item patriam repetere volentes Gallias petunt, viso Mummulo territi, auro se redimunt. Postremo a Suevis, qui locum eorum possederant, pugna victi et pene deleti sunt. *Paul. Diac., l.* III, *c.* V., *al. a.* 572.

578 Romæ Benedictus papa LXIV sedit annis IV, mensibus II (162), a quo beatus Gregorius de monasterio ablatus et diaconus ordinatus, Constantinopolimque apocrisiarius missus, Eutychium ejusdem urbis episcopum in fide resurrectionis errasse, Tiberio Augusto præsente, convicit; ubi etiam **78** egregium opus *Moralia in Job*, venientibus ad eum B monachis suis, scribere compulsus est. *Beda.* — Hoc tempore Guntrammus (163) rex Dracolenum ducem superbe sibi vincula minitantem pugna victum occidit. *Greg. Tur.*

579 Chilpericus rex Francorum inauditis exactionibus populum suum et descriptionibus afflixit; sed exactor ejus occisus, et pictacia census incensa sunt. *Greg. Tur. a. seq.* — Magna aquarum inundatio et illuvies, fulmina, et terræmotus, et prodigia sequens pestilentia Gallias aliasque provincias afflixere. — Tres filii Chilperici dysenteria periere, quartus, ab ipso in custodia positus, molimine novercæ Fridegundis cultro fixus interiit. *Greg. Tur., Hist. epit. a. seq.* — In Hispaniis Leovigildus rex Gothorum Arianus, instigante Goesinda uxore, C catholicos persequitur. His diebus magnæ Longobardorum copiæ cum tribus ducibus Galliam ingressæ, diversis modis et præliis a Mummulo attritæ, vix tandem in Italiam refugerunt. *Paul. Diac. l.* III, *c.* 8., *al. a.* 576.

580 Cometa in die Paschæ visus. Suessionis cœlum ardere visum est. Parisius sanguis de nubibus fluxit. Pestilentia et mortalitas ingens facta. *Greg. Tur. a.* 582. — Leovigildus rex Herminigildum filium catholicum cum exercitu persequitur. *Idem. h. a.* — Rodinus [*al.*, Chrodinus] dux Childeberti pius et religiosus obiit. *Aim. a.* 582.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

575 *Constantinopoli Justinus imperator post multa* D *mala sua in amentiam versus obiit. Pro quo Tiberius Constantinus, qui et ipso mente capto palatium rexerat, regnavit annis septem, vir Deo devotus.*

576 *S. Germanus Parisiorum episcopus migravit ad Dominum.*

578 *Romæ Benedictus papa LXIV sedet annos* IV, *menses duos... præsente convicit : ubi etiam ab episcopis* Moralia in Job, *venientibus... compulsus est.*

579 *Magna aquarum inundatio et illuvies, fulmina, terræmotus homines terruere.* Mar. Greg. Tur. a. seq.

580 *Cometa die Paschæ visus. Suessionis cœlum ardere visum est. Pestilentia ingens fit.*

NOTÆ.

(159) Justinus a. 574, amens effectus Tiberium Cæsarem creavit, ipse primum an. 578 mortuus. *Paul. Diac. hist. Longob. l.* III, *Evagr. l.* V, *c.* 13.

(160) Colitur die 21 Maii. Vid. Gregorius Turon. hist. Franc. l. VI, c. 6.

(161) Amatus dux regis Guntrammi jam ab anno 570, aut seq. a Longobardis fuerat occisus vivente adhuc Clephone rege.

(162) Benedictus papa hoc anno obiit, electus an. 574. Quæ vero hic de ordinatione Gregorii habentur, non Benedicto tribuenda sunt, sed Pelagio ejusdem hoc anno successori.

(163) Guntrammnus iste non rex Francorum fuit, sed Guntrammus Boso ex proceribus Chilperici regis. *Aimoin.*

Digitized by Google

531 Hoc tempore exercitus Tiberii imperatoris missus Persas potenter superavit, et inter innumerabilem prædæ copiam XX elephantos imperatori reddit. Ipse imperator, cum Italia et ipsa Roma bello Longobardorum, pestilentia et insuper fame graviter laboraret, naves frumento onustas Romam misit, et annonæ copiam populo subministravit. *Paul. Diac. l.* III, *c.* 12.

79 582 Constantinopoli Tiberius imperator omni laude dignissimus, morbo tactus, filiam suam et imperium Mauricio tradidit, et ipse ex hac vita feliciter discessit. Pro quo idem Mauricius genere Cappadox regnavit annis XXI. *Greg. Tur.* — Romæ Pelagius secundus (164) papa LXV sedit annis X, mensibus II. Hic templum S. Petri tabulis argenteis deauratis texit, domum suam xenodochium fecit, basilicam S. Laurentii construxit, et sepulcrum ejus tabulis argenteis ornavit. *Anast.*

583. Childebertus rex Francorum cum hoc tempore L millia solidos auri a Mauricio imperatore accepisset, quatenus Longobardos ex Italia pelleret, valido cum exercitu Italiam petiit; sed Longobardis petentibus, et munera offerentibus, pacem cum eis pactumque confirmans, sine bello rediit, Mauricioque pecuniam repetenti nec responsum dedit. *Greg. Tur.; Paul. Diac. a.* 584.

584 Guntrammus rex, in suburbano Cavillonensi summo studio monasterium S. Marcelli construens, ad exemplum Agaunensis instituit. *Greg. Tur.* — Guadoaldus (165) quidam, cum auxilio Mummuli et Desiderii regnum affectans, contra Guntrammum tyrannidem invasit. Sed a ducibus ejus Leudiselo et Egilano fugatus, cum latebram Cambanis (166) urbe foveret, a Bosone de rupe præcipitatus interiit, *Greg. Tur.*

80 585 Chilperico rege Francorum, post multa scelera et mala sua, insidiis peremptо (167) et Parisius in basilica S. Vincentii sepulto, Clotharius puer filius ejus a Guntrammo rege patruo suo baptizari jussus (168) et de sacro fonte susceptus, inque regno patris sublimatus, regente matre Fridegunde et Landerico majore domus, regnavit annis XLV. *Greg. Tur. a. pr.* Mummulus patricius, reus majestatis convictus, jussu Guntrammi regis interficitur, et thesauri ejus in fiscum rediguntur. *Greg. h. a.*

586 In Italia Longobardi post X annos, quibus duces præerant, Autharium Flavum Clephonis filium regem statuunt; qui bellica clarus virtute regnavit annis VI, qui inter alia Brexillam urbem diruit, et totam pene Italiam secuto tempore bello peragravit. *Paul. Diac.* Leovigildus, rex Gothorum in Hispania Arianus, Herminigildum regem filium suum die sancto Paschæ XVIII Kal. Maii (169) securi jussit interfici. Guntrammus rex exercitum in Hispanias misit, qui infirmatus statim redit. *Greg. Tur. a.* 585.

587 Leudisolus [Leudegiselus] a Guntrammo patricius promovetur. *Greg. Tur. a.* 586. — Magna aquarum inundatio facta. Globus igneus scintillans et quasi rugiens de cœlo in terram cecidit. *Id. h. a.* — In Hispania Leovigildus rex Gothorum moritur, et Reccaredus filius ejus rex pro eo efficitur; qui, instante Leandro Hispalitano episcopo, a quo frater ejus Herminigildus conversus fuerat, cum tota gente Gothorum non multo post ad catholicam fidem convertitur. *Greg. Tur. a.* 586 *et* 588.

588 Guntrammus, et Childebertus reges inter se pacem et pactum mutuo confirmant, regnumque Guntrammi post obitum ejus Childeberto **81** promittitur. Nonnulli principum et ducum Childeberti, conjurationis contra eum convicti, puniti sunt. *Fredeg. a.* 587. — In Hispania hæresis destructa et synodus Toletana collecta est industria Leandri præ-

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

581 *Hoc tempore exercitus Tiberii imperatoris Persas potenter superavit.*

582 *Constantinopoli Tiberius omni laude dignissimus obiit, pro quo Mauricius regnavit annis* XXI. *Romæ Pelagius secundus papa LXV sedit annis* X, *mensibus* II. *Hic templum S. Petri tabulis argenteis deauratis texit, aliaque multa bona fecit.*

583 *Childebertus rex Francorum, acceptis* L *millibus solidorum auri a Mauricio imp. ut Longobardos de Italia pelleret, cum eisdem pactum firmavit, et imperatori pecuniam requirenti nec responsum dedit.*

584 *Guntrammus rex in suburbano Cabillonensi monasterium S. Marcelli construxit.*

585 *Chilpericus rex Francorum, per insidias interemptus, Parisius sepelitur.*

586 *Longobardi Autharium regem sibi constituunt.*

587 *Globus igneus... cecidit. In Hispania Richaredus, Levigildi regis Gothorum Ariani filius, post mortem patris effectus rex, a Leandro Hispalitano episcopo cum tota gente Gothorum ad catholicam fidem convertitur.*

588 *In Hispania hæresis Ariana... regis. Cæsara regina, uxor Aunulfi regis Persarum, occulte baptizata, postmodum etiam maritum suum cum tota gente apud Antiochiam baptizari persuasit.*

NOTÆ.

(164) Pelagius II jam a. 578 papa fuit electus.

(165) Hic erat Gundobaldus prætensus Clotharii regis filius, de quo pluribus agit Gregorius Tur., Hist. Franc., l. VI, c. 24 et 26, l. VII, c. 36, 38, etc., nec non Aimoinus in Histor. Francor., et alii.

(166) Urbem Convenarum habet Gregorius Turon., qui etiam Guntrammi duces Leudegisilum et Ægilam vocat, et pro Bosone Ollonem ponit, l. VII, c. 38.

(167) Mors Chilperici a Gregorio ad an. 584 revocatur.

(168) Clotharius primum a. 590 baptizatus est. *Greg. Tur., l.* X, *c.* 28.

(169) Hæ notæ chronicæ annum 586 indicant, quanquam alii priorem statuant.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

sulis et Reccaredi regis (170). — Cæsara regina, uxor Aunulfi regis Persarum, Constantinopolim dissimulato nomine regio profuga veniens, se baptizari impetravit. Postea a marito inventa, ipsum quoque cum multis de gente sua Antiochiam venientem baptizari et Christianitatem aggredi effecit (171) *Fredeg.*

589 Exercitus Guntrammi, ad Hispanias missus, negligentia Bosonis ducis graviter a Gothis trucidatus est. *Fredeg.* — Hoc tempore Childebertus rex sororem suam, quam Authario regi Longobardorum promiserat, regi Gothorum (172), qui nuper catholicus factus fuerat, in matrimonium tradidit. *Paul. Diac., l.* III, *c.* 27; *al. a.* 588.

590 Tunica Domini Salvatoris a Simone quodam Judæo tormentis coacto monstrata, a Gregorio Antiocheno, Joanne Constantinopolitano, et Thoma (173) Jerosolymitano et aliis episcopis multis, jejunio triduano celebrato, in arca marmorea in oppido Zaphad (174) inventa, summo cum honore Hierosolymam allata est. *Greg. Tur. Fred.* — **82** Inter Francos et Britannos pugna commissa est. *Fred.* — Hoc quoque tempore Childebertus petitione Mauricii imperatoris iterum Longobardos in Italia cum exercitu petiit; sed, victo ab Authario rege cæsoque graviter exercitu suo, cum paucis rediit. *Paul. Diac. Greg. Tur.; al. a.* 588.

591 His diebus rex Longobardorum (175) Theodelindam filiam Garibaldi regis Bajoariorum pulchram, prudentem et piam accepit uxorem. *Paul. Diac. a.* 590; *al. a.* 589.— Quo tempore magnus Francorum exercitus, cum XX ducibus a Childeberto rege contra Longobardos missus, diversis casibus, præcipue morbo afflictus, parumque hostibus intra munitiones septis nocere prævalens, parvo effectu fame afflictus, ægre tandem revertitur. *Paul. Diac., Greg. Tur. a.* 590.

592 Immensa pluviarum inundatio et illuvies facta, ingensque mortalitas subsecuta est. *al., a.* 590. — In qua primo Pelagius (176) papa, dein innumeri catervatim exstincti sunt. Et beatus Gregorius tunc Romanæ Ecclesiæ archidiaconus, constitutis litaniis et plaga cessante, papa LXVI ordinatus, doctrina et actibus cunctis merito præferendus apostolicis, sedit annis XIII, mensibus VI, diebus X. Qui statim inter alia bona librum Pastoralem egregio edidit stylo. Hic quoque super corpus beati Petri ciborium fecit et missas celebrare instituit; itemque sancti Pauli similiter. *Paul. Diac. Anast.* In Italia cum Autharius rex ad Francos pro pace petenda misisset, veneno, ut aiunt, mortuus est; et Theodelinda regina ejus vidua Agonem ducem, qui et Agilolfus, [al., Agilulfus] maritum et regem elegit; qui, rex Longobardorum factus, regnavit annis XXII. Longobardi pacem cum Francis peragunt. *Fredeg. a.* 591. *Paul. Diac.*

593 Guntrammus rex Burgundiæ in omni bonitate præcipuus anno regni **83** XXXIII, V Kal. April. obiit, et in monasterio Sancti Marcelli a se constructo sepultus est, regnumque Childebertus fratris ejus Sigeberti filius accepit, et post eum IV annis tenuit. *Fredeg.* — In Britannia Edilfridus rex super Anglorum partem constitutus est. Siccitas magna et fames facta est, et insolita locustarum magnarum multitudo. *Paul. Diac., l.* IV, *c.* 2.

594 Quintrio dux Galliciæ Campaniæ, regnum Clotharii regis filii Chilperici hostiliter ingressus, ab ipso Clothario cruenta utrinque pugna victus aufugit. *Fred. a.* 593. — Item locustarum multitudo frugibus nocuit. *Paul. Diac.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

589 *Childebertus rex sororem suam, Authario regi Longobardorum promissam, regi Gothorum, qui nuper catholicus factus est, in matrimonium tradidit.*

590 *Tunica... et aliis pluribus episcopis... allata est.*

591 *Rex Longobardorum Theodelindam, regis Bajoariorum filiam, pulchram et piam duxit uxorem.*

592 *Ingens mortalitas facta est, in qua primo... diebus* X, *qui statim inter alia multa librum... itemque S. Pauli, et sex capitula synodica scripsit.*

593 *Siccitas magna*, etc., ut Aug.

594 *Item locustarum*, etc., ut Aug.

NOTÆ.

(170) Synodus hæc habita est æra Hispanica DCXXVII, seu an. 589.

(171) Factum hoc, ex Historia miscella et Pauli Diac. Hist. Longob. l. IV, c. 52, depromptum, Muratorius (t. I Script. Ital., p. 474.) fabulis adnumerat. Vid. notæ Ruinarti ad hunc Fredegarii locum.

(172) Reccaredo scilicet in Hispania, qui Clodosuindam sororem a rege petiit, teste Greg. Tur., l. IX, c. 16 et 25. Ast vel breve fuit hoc matrimonium, vel nullum; hoc ipso enim anno Baddo regina subscribitur in Reccaredi professione fidei; nisi cum Mariana Rer. Hisp., l. VI, c. 1, dicamus Clodosuindam primum Baddone hac defuncta regi fuisse nuptam.

(173) Nullus hoc tempore Thomas Jerosolymi episcopus erat, sed Joannes IV ab an. 574 usque 594, ut probat le Quien in Oriente Christiano, t. III, p. 242, adducta quoque hac ipsa narratione. *Vid. Pag. ad. an.* 593.

(174) Aliis Saphad, quæ nunc est Jafa, olim Joppe.

(175) Autharis rex, a. 590 defunctus, prius jam nuptias inire debuit. Vid. Paul. Diac., l. III, c. 34. De ejus morte exstat epistola S. Gregorii, p., indict. IX, sive a. 591 data.

(176) Pelagius peste sublatus est 8 Febr. a. 590, cui Gregorius, 3 Sept. eodem anno, suffectus est, ad quem adeo hæc spectant, uti et obitus Autharici seu Autharis regis.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

595 Gregorius papa synodum XXIV episcoporum pro utilitate Ecclesiæ ad Sanctum Petrum collegit indictione XIV (177). Franci et Britanni gravi utrinque cæde pugna confligunt. His diebus Tassilo rex Bajoariorum a Childeberto constituitur, qui mox Sclavis superatis, magnam exinde prædam deportavit. *Paul. Diac. l.* IV, *c.* 4, 7, 12.

596 Sanctus Columba presbyter et abbas, post multa miracula in insula Hii juxta Hiberniam, migravit ad Dominum anno ætatis LXXIII. *Beda hist. Angl.* — Hoc tempore beatus papa Gregorius, missis doctoribus Augustino, Mellito, Joanne et aliis servis Dei, Anglorum genti in Britannia verbum vitæ prædicare jussit eamque cooperante Dei gratia ad fidem Christi per eosdem convertit. *Ibid.* — Cometa et multa signa apparuerunt in cœlo. Exercitus Childeberti Varnos rebellantes pugna victos pene delevit. *Fred. a.* 595.

597 Childebertus rex Francorum fortis et strenuus, filius Sigeberti, XXIII regni anno, ætatis vero XXV (178) veneno, ut aiunt, a conjuge **84** accepto moritur (179); pro quo duo filii ejus, Theodebertus in Austrifrancia annis XVII et Theodericus in Burgundia cum avia Brunihilde XVIII annis regnaverunt; ipsoque anno Fridegundis cum filio Clotharlo regnum eorum invasit, et eos cum exercitu resistentes, gravi cæde protritos fugavit. *Fredeg. a.* 596, *Paul. Diac.*

598 Fridegundis regina mater Clotharii regis moritur. *Fredeg. a. pr.* — His temporibus cum Romanus patricius aliquot urbes a Longobardis dudum captas, uti cum deditione recepisset, idque Agilolfus rex ultum ire molitus, Italiæ ipsique Romæ infesto cum exercitu immineret, studio sancti papæ Gregorii et suffragio Theodelindæ religiosæ reginæ pax utrinque effecta est. *Paul. Diac. l.* IV, *c.* 8, *seq.*

599 Quintrio (Wintrio) dux instigante Brunihilde A peremptus est. *Fredeg. a pr.* — Per hæc tempora Agilolphus rex nonnullos duces Longobardorum sibi rebelles, alios occidit, alios aliis modis perdomuit: ipse etiam perpetuam cum Theoderico rege Francorum pacem fecit. *Paul. Diac. Fred. a.* 598. — Circa hæc etiam tempora monasterium Sancti Benedicti in castro Cassino situm, fugientibus ex eo monachis, a Longobardis omnino destructum et desolatum est (180). *Paul. Diac. c.* 18.

600 Gregorius papa Lindunæ et Eboraci episcopos in Britannia, misso pallio, metropolitanos esse decernit indictione IV. *Greg. epist.* LXV, *ad an.* 601. — Clades glandularia Massiliam aliasque partium illarum civitates et Italiam graviter attrivit; *al. a.* 599. — In lacu Dunensi aqua repente bullicns et fervens B magnam piscium partem decoxit. Warinharius [*al.*, Warnharius] major domus Theoderici, omni substantia sua distributa, obiit. *Fredeg. a. pr.*

85 601 Brunihildis de regno Theodeberti ob scelera sua depulsa, a quodam paupere sola inventa, et ad Theodericum regem, ut rogabat, perducta benigneque suscepta eidem pauperi episcopatum Autisiodorensem impetravit (181). *Aimon. l.* III, *c.* 87, *al. a.* 599.

602 Mauritius imperator Phocam, reipublicæ utilem, principem militiæ faciens, eumque cum exercitu mittens, de Persis et aliis nonnullis gentibus triumphavit. *Hist. miscel.* — Globi ignei, et alia signa in cœlo visa. *Fredeg. a.* 600. — Theodebertus et Theodericus fratres, ingenti pugna Clotharlo rege superato et exercitu ejus trucidato atque fugato, regnum C ejus diripiunt et inter se dividunt; modica tantum parte illi, id est, XII comitatibus juxta littus Oceani, cum pacto pacis relicta. *Fred. a.* 600; *Paul Diac.*

603 Constantinopoli Phocas victor de Persis reversus Mauricium imperatorem, peccata sua in præsenti, ut ipse semper orasse fertur, exsolventem,

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

595 *Gregorius synodum* XXIV *episcoporum ad S. Petrum collegit indictione* XIV.

596 *S. Columbanus presbyter et abbas, post multa* D *mirabilia... ætatis* LXXII. *Hoc tempore B. Gregorius papa, missis... Joanne et aliis, Anglorum gentem in Britannia ad fidem Christi convertit.*

597 *Childebertus rex Francorum obiit.*

598 *His temporibus, cum Romanus... captas per deditionem recepisset, et ob id Agilolfus rex Italiæ et ipsi Romæ... pax utrinque facta est.*

599 *His temporibus monasterium*, etc., ut Aug.

600 *Gregorius papa Lundoniæ... indictione* IV. *Clades glandularia multas civitates afflixit.*

602 *Mauricius imp. Phocam, reipublicæ utilem, principem militiæ fecit. Globi ignei in cœlo visi.*

603 *Constantinopoli Phocas Mauricium imp. iterfecit, et ipse pro eo annis* VIII *regnavit. Corpus S. Victoris... et miraculis declaratur.*

NOTÆ.

(177) Beda in Chronico melius habet indictione XIII, quæ mensi Julio hujus anni concordat.

(178) Alii anno regni XX, ætatis XXVI, id factum scribunt, ipsumque cum conjuge, non vero ab illa veneno fuisse interfectum. *Paul. Diac. l.* IV, *c.* 12.

(179) Laudes eius prosequitur Greg. M. Epist. l. VI, ep. 6.

(180) Missas hic facimus auctorum de tempore hujus destructionis sententias, de quibus fuse agit Muratorius in suis ad Paulum Diaconum notis. Mabillonius Annal. Ben. t. I, p. 176, illam circa an. 580 statuendam probat, quamvis communior hucusque opinio annum 589 adoptarit.

(181) Hæc ex Fredegario ad an. 599 desumpta in nova Bibliotheca Msc. P. Labbe ad Desiderium episcopum Autisiodorensem referuntur, qui tamen in Gallia Christiana, t. XII, p. 168, nobilissimus et Brunihildis propinquus dicitur; unde et a Cointio ad an. 599 narratio hæc ceu commentitia rejicitur.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

turpiter interfecit, et ipse imperium arripiens VIII annis tenuit. *Fredeg. a.* 602. — Egilan [*al.* Ægila] dux, Brunihilde instigante, sine causa propter divitias tantum suas occisus est. *Fred. a.* 602. — Theodebertus et Theodoricus misso exercitu Wascones victos subjiciunt. *Ibid.* — Corpus sancti Victoris (182) martyris, qui cum beato Urso Solodori passus est, apud Genuensem [*seu* Genavensem] urbem divina revelatione in loculo argenteo invenitur, et multis miraculis declaratur. *Fredeg. a.* 602. — Filius Agilolfi regis Adaloaldus baptizatur, et a servo Dei Secundo (183) Tridentino episcopo de fonte suscipitur. *Paul. Diac. l.* 4, *c.* 28.

86 604. In Britannia Edilfridus, rex Anglorum, Edanum regem Scotorum, insulam petentem, forti profligato exercitu pugna vicit. *Bed. hist. Angl.* — Etherius Lugdunensis episcopus obiit eique Secundinus successit, ipsique Aridius (184). *Fred. a.* 602. — Agilolphus rex Cremonam et Mantuam captas diruit, aliasque urbes et provincias vastavit; et Romani, reddita illi, quæ prius capta erat, filia ejus, pacem ab eo ad tempus acceperunt. *Paul. Diac.*

605 Beatus papa Gregorius et doctor sanctissimus migravit ad Dominum indictione VIII (185) post quem, cessante episcopatu mensibus plus V, Fabianus [*leg.* Sabinianus] papa LXVII ordinatus, sedit anno I, mensibus V. Et post hunc item cessavit episcopatus anno ferme uno, quia de Constantinopoli legatio imperialis exspectabatur. *Anast.* — Et hoc anno synodus nefaria Cavillonis (186) congregata, et beatus Desiderius Viennensis archiepiscopus, machinante Brunihilde, quia scelera ejus arguebat, depositus et exsilio deputatus, et in locum ejus Domnulus subrogatus est. Sol obscuratus est. Hiems sæva magnam vinearum partem perdidit. *Fred. a.* 603.

606 Fames Romæ facta, et pax cum Longobardis in annum unum pro XII millibus solidorum condita est. *Paul. Diac.* — Protadius, qui cum Brunihilde inter alios plures concubuerat, dux effectus est. Clotharii exercitus, contra pactum, regnum Theodorici invasit, et Berthoaldum, majorem domus, virum strenuum et pium, fugatum Aurelianis obsedit. *Fred. a.* 604. — Filius Agilolfi Adaloaldus coram patre rex a Longobardis electus, et, desponsata ei filia Theodeberti, pax perpetua cum Francis facta est. *Paul. Diac. a.* 604. — Mense Aprili et Maio, cometa visus est.

87 607 Theodoricus exercitum Clotharii pugna inita victum fugavit; in qua tamen Berthoaldus, major domus, audacius inter hostes progressus occubuit, pro quo Protadius molimine Brunihildis promovetur. Theodebertus et Clotharius cum exercitibus collectis hostiliter convenirent, facta invicem pace digressi sunt. *Fred. a.* 605. — Theodoricus, instigante Brunihilde et Protadio, contra fratrem Theodebertum arma movit; cumque infestis exercitibus concurrere pararent, cæterisque pacem suadentibus solus obsisteret Protadius, eo impetu militum in tentorio regis trucidato, fratres ab invicem facta pace discedunt. *Fred. a.* 605.

608 Romæ Bonifacius tertius papa LXVIII sedit mensibus fere IX. Post quem item cessavit episcopatus mensibus X. Hic, quia Constantinopolitana Ecclesia primam se scribebat, apud Phocam Augustum obtinuit ut Romana Ecclesia omnium caput Ecclesiarum decerneretur. Hic quoque synodum LXXII episcoporum Romæ collegit. *Bed. chr. Paul. diac. a.* 607. In regno Theoderici Claudius, vir prudens et pius, pro Protadio efficitur major domus. *Fred. a.* 606.

609 Romæ Bonifacius quartus papa LXIX sedit annis VI, mensibus VIII; et post hunc episcopatus cessavit mensibus VII. Hic apud Phocam Augustum templum omnium idolorum, quod Pantheon vocabatur,

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

604 *Etherius Lugdunensis archiepiscopus obiit, eique Secundinus successit.*

605 *Beatus papa... mensibus. Sabinianus papa LXVII sedit anno... exspectabatur. Hoc anno synodus nefaria Cabillonis congregata, et B. Desiderius Viennensis archiepiscopus injuste deponitur, et exsilio damnatur.*

606 *Fames Romæ facta, et inducie cum Longobardis ad annum unum; mense Aprili et Maio cometa videtur.*

607 *Romæ Bonifacius tertius papa LXVIII sedit menses ferme novem. Post quem item cessavit episcopatus mensibus decem.* Al. a. 606.

608 *Bonifacius papa, quia Constantinopolitana.... Romæ collegit.*

609 *Romæ Bonifacius... post hunc cessavit episcopatus mensibus ferme septem. Hic apud... et in honore S. Mariæ... constituit. — B. Desiderius Viennensis archiepiscopus, de exsilio revocatus, factione Brunihildis et Theodorici lapidatus, post obitum miraculis claruit.*

NOTÆ.

(182) De hac inventione fuse disquirunt Bollandiani, t. VIII Sept., die 30 a pag. 272.

(183) Secundus vel Secundinus, testimonio S. Gregorii M. celebris, nullibi alias inter episcopos Tridentinos legitur, sed tantum servus Christi de Tridento appellatur. Vid. Muratorius, t. I Script. Ital., p. 461, in notis ad Paulum Diaconum. Alii abbatem fuisse dicunt.

(184) Etherius sive Ætherius obiit a. 602; Secundinus a. 603, cui eodem anno Aridius vel Aredius successit. *Fredeg.*

(185) Ex Anastasio, Pagio aliisque certum est Gregorium obiisse d. 12 Mart., a. 604, quo adhuc currebat indictio VII, adeoque hæc ad annum priorem referenda.

(186) Cabillonensis synodus ex Fredegario et Aimoino an. 603 collecta est ab Aridio Lugdunensi contra S. Desiderium.

Digitized by Google

obtinuit, et in honore (*suppl.* S. Mariæ) et omnium Sanctorum dedicavit III Id. Mai, et S. Mariæ ad Martyres illud appellavit, festivitatemque omnium sanctorum Kal. Nov. celebrari constituit (187). Cujus tempore fames, et pestilentiæ et inundatio aquarum immensa acciderunt. *Anast. al. a.* 608. Uncilenus (188) dux ob mortem Protadii, instigante Brunihilde, a Theodorico pede truncatus et facultatibus spoliatus ; itemque Volfus patricius occisus est.

88 *Fred. a.* 607.—Ipse Theodoricus Ermenbergam de Hispaniis, filiam Betterici [*al.*, Vittericus] regis Gothorum, conjugem sibi adductam, ejusdem Brunihildis suasu, ne honor suus vilesceret timentis, non uxorem accepit ; sed repudiatam et exspoliatam post annum remisit. *Fred. a.* 607. Beatus Desiderius Viennensis archiepiscopus de exsilio revocatus, factione Brunihildis, et Theodorici et Aridii (189) Lugdunensis lapidatus et martyrio coronatus, plurimis post mortem claruit miraculis. *Ibid.*

610 Bettericus rex Gothorum, aliis tribus regibus auxilio sibi ascitis, contra Theodoricum bellum parat. *Fred. a.* — 608. His temporibus Persæ bello furentes multas provincias Romanis abstulerunt ; inter quas ipsam Hierosolymam auferentes, et loca sancta destruentes, inter alia ornamenta et thesauros ecclesiarum crucem Dominicam abstulerunt. *Paul. Diac. sed Theophanes a.* 614.

611 Heraclianus, qui Africæ præerat, Phocæ Augusto rebellans, et cum exercitu veniens, regno eum vitaque privavit, et filium Heraclium imperatorem promovit ; qui accepto imperio regnavit annis XXVI. *Paul. Diac. a.* 610. Beatus abbas Columbanus, qui cum discipulis suis sancto Gallo aliisque, temporibus Sigeberti regis de Hibernia veniens, Luxoviense cœnobium multis coruscans virtutibus construebat, cum sæpe Theodericum, pro sceleribus suis et maxime adulteriis increpans, ad legitimum hortaretur conjugium, molimine Brunihildis reginas ambitiose exsecrantis, jussu Theoderici regis exinde pulsus sanctum ibi Eustasium pro se reliquit abbatem (190). *Fred. a.* 609, *Mar. Avent.*

89 612 Circa hæc tempora beatus Augustinus, Anglorum apostolus, et archiepiscopus, et doctor mirificus migravit ad Dominum (191).—Sanctus Columbanus de Luxovio propulsus ad Clotharium regem, inde ad Theodebertum venit, eoque optionem manendi in regno suo dante, tandem in Alamannia Brigantium (192) venit, ibique triennio mansit.—Contentione inter Theodebertum et Theodericum de regno exorta, Theodebertus Alsatiam violenter accepit. Alamanni Aventicum (193) pagum et ultra Juranum petentes, victores cum præda reversi sunt. Theodebertus conjugem suam peremit, et aliam duxit. *Fred. an.* 610.

613 In Hispania mortuo Betterico (194) Sisebodus rex Gothorum factus est, vir fortis et pius, qui sæpe Romanis militibus congressus victor pepercit, et captis plerisque urbibus regnum Gothorum nobiliter ampliavit. *Fred. a.* 607, *al.* 613.—Theodoricus contra fratrem Theodebertum bellum parans Clotharium regem patruelem suum promissa quadam provincia ab auxilio ejus avocare satagit. *Fred. a.* 611.—Circa hæc tempora Hunni, qui et Avares, Venetiam petunt, et, totam provinciam ferro, igne prædaque vastantes, ipsum Forum-Julii, a Romhilda Gisulfi vidua proditum, evertunt, et depopulata provincia redeunt. *Paul. Diac. l.* IV, *c.* 38, *al. a.* 610.

614 Heraclius imperator Constantinum filium imperii consortem fecit. **90** *Al. a.* 613.—Theodericus et Theodebertus cum infestis exercitibus apud Tullense territorium forti pugna confligunt, et magna utrinque cæde patrata Theodebertus victus Coloniam

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

610 *His temporibus Persæ, multas provincias Romanis auferentes, Hierusalem cruce Domini spoliaverunt.*

611 *Heraclianus Phocam Aug. regno privavit, filioque suo Heraclio illud concessit, qui regnavit annis* XXVI. — *B. abbas Columbanus, S. Galli magister, a Luxoviensi cœnobio a se constructo, molimine Brunihildis pulsus, sanctum ibi Eustasium pro se reliquit abbatem.*

612 *B. Augustinus Anglorum archiepiscopus migravit ad Dominum. S. Columbanus, a Luxovio pulsus, concessu Theodeberti regis Brigantium venit, ibique triennio mansit.*

613 *In Hispania, mortuo Betterico, Sisebodus rex efficitur Gothorum.*

614 *Heraclius.... consortem fecit. B. Columbanus de Brigantio... rege susceptus, cœnobium... incolere cœpit.*

NOTÆ.

(187) Sed id Romæ tantum ; in Ecclesia enim universali hoc festum sub Gregorio IV fuit institutum. Vid. Sigebertus in Chron. ad an. 835.

(188) Uncilenus hic confundi haud debet cum illo qui a. 588 dux Alamannorum a Childeberto rege constitutus est, ex Fredegario cap. 8.

(189) Nihil Jonas de Aridio, unde eum Cointius ab hoc facinore purgat, quamvis longe aliter sentiant scriptores coævi aut suppares, Fredegarius et Aimoinus, supra a. 603. Vid. Gall. Christ., t. IV, p. 40. De S. Desiderio autem, t. V. Maii Bolland. die 23.

(190) Factum id an. 610. Vid. Vita S Columbani ; Act. SS. ord. S. Bened., sec. II, p. 22.

(191) Mabillonius in notis ad ejus Vitam, sæc. I Bened. p. 532, illius obitum circa a. 607 reponit ; alii ad an. 609.

(192) Brigantia ceu statio militaris ad Rheni fluminis caput notatur in itinerario Antonini Pii, nec non apud Strabonem et Ptolemæum.

(193) De celebri olim hoc Helvetiorum pago, juxta Guillimanum nunc Uchtlandia, vid. Paulini comment. de Pagis Germaniæ antiquæ.

(194) Vitterico regi an. 910 occiso successit Gondemar, et huic a. 612 Sisebutus.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

aufugit. Quem cum Theodericus odio, et insuper venerabilis viri Leunisii (195) Mogontiacensis episcopi instigatione persequeretur, ille denuo collectis undique viribus, apud Tulbiacum occurrens conflixit, et immensa hominum strage facta iterum victus fugit. Theodericus vero Coloniam ingressus thesauros ejus ac regnum rapuit, filiumque ejus parvulum necari jussit, et ipsum comprehensum ac detonsum Cavillonis misit, nec multo post suspectum habens instigante Brunihilde occidi præcepit. *Fredeg. a.* 612, *Mar. Av.*— Quibus diebus beatus Columbanus de Brigantio pulsus, febricitantem Gallum ibi reliquit, ipseque in Italiam veniens, et benigne ab Agilolfo rege et Theodelinda susceptus, cœnobium Bobiense construxit. *Jonas in Vita, Mabill. sæc.* II *Bened.; al. a.* 612. — Sanctus quoque Gallus solitudinem cellæ suæ (196) incolere cœpit. *Ratpert. Strabo.*

615 Theodericus contra Clotharium arma parans, profluvio ventris, et, ut quidam aiunt, fraude Brunihildis veneno Metis interiit; et Sigebertus, ex concubina filius ejus, a Brunihilde et principibus rex pro eo factus est. Nec multo post Clotharius rex regnum ejus invasit anno regni sui XXX. *Fredeg. a.* 613, *Mar. Av. Paul. Diac.*

616 In Britannia Edilbertus, primus Anglorum regum Christianus, anno regni LVI obiit; pro quo Eatpolt [*al.*, Ebaldus] regnavit annis XXIV. *Bed. hist. Angl. a.* 613.—Hoc tempore Isidorus Hispalensis episcopus clarus in Hispaniis habetur, qui hucusque (197) temporum abbreviationem perduxit, et multa egregia **91** opuscula edidit. In Italia Agilolfus rex Longobardorum moritur, pro quo filius Adaloaldus cum matre Theodelinda regnavit annis X. *Paul. Diac. l.* IV, *c.* 93.—Apud Francos Sigebertus rex, cum contra Clotharium exercitum collegisset, a suis desertus et ab hostibus captus, una cum fratribus jussu Clotharii peremptus est; a quo etiam ipsa Brunihildis indomitis equis alligari jussa et ab eis discerpta, digna tandem morte periit, et Clotharius monarchiam regni accepit. *Fred. a.* 613. *Mar. Avent.*

617 Romæ Deusdedit (198) papa LXX sedit annis III, mense fere I; qui clerum et sacerdotes dilexit eisque sumptus auxit; cujus tempore Eleutherius patricius, Ravennam veniens, Joannis patricii peremptores occidit. Item Neapoli et in aliis locis tyrannis occisis pacem Italiæ reddidit. *Anast. a.* 615. — In Britannia Ediwinus occiso Edilfrido, et filiis ejus in Hiberniam fugatis, regnum illius per annos XVII egregie rexit. *Beda hist. Angl.*

618 Terræmotus magnus factus est, et clades scabiosa subsecuta populum fœda morte attrivit, ita ut mortui non possent agnosci. *Anast.* — Hierosolyma inter alias Palestinæ urbes a Chosroe rege Persarum capta, et crux Dominica in Persidem abducta est (199).

619 Clotharius rex Warnharium [*al.*, Warnacharium], cui aliquantum infensus erat, suffragantibus multis, in gratiam recipiens, in principatu majoris domus confirmavit. *Fredeg. a.* 613.

620 Romæ Bonifacius quintus papa LXXI sedit annis V, vir valde **92** mitis et pius. *Anast a.* 618, *recte.* — Eleutherius patricius tyrannidem et regnum affectans in Italia a militibus peremptus est, et caput ejus Constantinopolim missum. *al. a.* 619. — In Britannia defuncto archiepiscopo Laurentio Mellitus successit. *Bed. hist. Angl.* — Magundat magus, genere Persa, ad fidem Christi conversus et Anastasius dictus, Hierosolymis miræ sanctitatis monachus effectus est.

621 Clotharius rex, acceptis amplis muneribus, Longobardis petentibus, XII millia solidorum auri, quos annuatim pro invasa quondam Burgundia Francis persolvebant sub nomine tributi, quibusdam consiliantibus, dimisit. *Fred. chr. a.* 618.

622 Berthrudis regina, uxor Clotharii regis, ipsi et omnibus pro pietatis et morum excellentia nimium amabilis, obiit. *Fred. Chr. a.* 619.

625 His temporibus beatus Attala et post hunc Bertolfus, Bobienses abbates, in Alamannia quoque beatissimus Gallus virtutibus claruerunt. *Jonas.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

616 *Isidorus hoc tempore Hispalensis episcopus clarus habetur. Brunihildis iniquissima, equis indomitis alligata, jussu Sigeberti* (200) *regis Francorum digna morte periit. Prædictus Isidorus hucusque abbreviationem temporum perduxit.*

617 *Romæ Deusdedit papa LXX sedit annis tribus, mense fere uno.*

618 *His temporibus Hierosolyma... abducta.*

620 *Romæ Bonifacius*, etc., ut Aug. — *In Britannia*, etc., ut Aug. — *Magundat magus... monachus efficitur.*

622 *Gertrudis* (201) *regina, uxor Lotharii piissima, bonæ memoriæ, obiit.*

625 *His temporibus... abbates, et S. Gallus claruerunt.*

NOTÆ.

(195) Hic aliis *Leonisius* dicitur, quem Trithemius virum in Christo magnarum virtutum appellat, de cujus facto hic narrato consulendus Aimoinus hist. Francor. l. III, c. 98.

(196) Scilicet in saltu Rhæticas Alpes inter et lacum Brigantinum sitæ, quæ postea in celeberrimum sui nominis monasterium excrevit.

(197) Nempe usque ad annum quintum Heraclii et æram Hispanicam 654, qui est annus Christi 616. Exstat sub nomine Chronici Isidori in nova Operum ejus editione Madrit. a. 1778, t. I, p. II, p. 121.

(198) Deusdedit ad minimum jam an. 615 Bonifacio IV papæ successit.

(199) Vid. ann. 610, sed ad neutrum annum hoc spectat; contigit enim juxta Chronicon Alexandrinum indictione II seu ann. 614.

(200) Non a Sigeberto id factum, sed a Clothario, ut recte habet Aug.

(201) Ita etiam Canisiana editio, sed omnino legendum Bertrudis.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

624 In Britannia defuncto Mellito archiepiscopo Justus substitutus est; qui sequenti anno beatum Paulinum [ordinans episcopum, Anglis illis qui adhuc pagani erant prædicatorem et doctorem misit. *Beda. hist. Angl.* Clotharius rex Francorum anno regni sui XXXIX Dagobertum filium consortem (regni) fecit, et, beato viro Arnolfo (202) Pippinoque duci commendatum, ad regendum Austrifranciæ dirigit regnum. *Fred. chr. a.* 622.

625 Romæ Honorius papa LXXII sedit annis XIII, qui multis bonis studens ecclesias plures adornavit, renovavit, exstruxit. Fecit basilicam S. Agnetis via Numentana. Item S. Apollinaris in porticu S. Petri. Item S. 93 Quiriaci via Ostiensi. Item quatuor Coronatorum. Item S. Severini Tyburtina urbe. Item S. Pancratii via Aurelia. Item S. Luciæ. Item S. Adriani et alia multa laudabilia patravit. *Anast.*

626 Samo quidam, Francus negotiator, dum cum aliis ad Sclavos venisset, eisque contra Hunnos, qui et Avares, bellum moventes fortissime pugnans adjuvasset, ipsi victoriam nacti super se regem illum eligunt; ubi multis clarus victoriis XXXV annis feliciter regnum tenuit. Hic ibi XII uxores, et ex eis filios XXII filiasque XV accepit. *Fred. chr. a.* 623. — In Italia Adaloaldus, rex Longobardorum, cum in amentiam, Græci cujusdam legati malefico unguento, versus nonnullos principum peremisset, depositus de regno nec multo post veneno exstinctus est; post quem Harialdus [*al.*, Arioaldus] rex factus annis VII regnavit. Hic Gundabergam filiam Agilolfi habuit uxorem. *Paul. Diac. a.* 625 *al. a.* 623.

627 In Britannia Edwinus rex Anglorum a Paulino episcopo conversus, cum gente sua baptizatur anno adventus Anglorum in Britanniam circiter CLXXX. *Bed. hist. Angl.* — Discordia inter Clotharium regem et filium ejus Dagobertum incœpta, beato Arnolfo aliisque principibus mediantibus sedatur. *Fred. chr. a.* 625.

628 Beatus Anastasius monachus, multa pro Christo tormenta passus, tandem in Perside, a rege Chosdroe cum aliis LXX strangulatus, martyrium complevit. *Bed. chr.* — Ipso anno Heraclius imperator Persidem petiit, victoque et occiso Chosdroe, A cum infinita præda crucem Dominicam triumphans Hierosolymam revexit. *Theophan. h. a.* — Apud Francos Warnharius [*seu* Warnacharius] major domus moritur, et Godinus filius ejus novercam suam uxorem accipiens, Clothario persequente per diversa fugitans, postremo peremptus est. *Fred. a.* 626

629 Clotharius rex magnum de toto regno suo Clippiaci habuit conventum; ubi magna dissensio et tumultus exortus vix tandem studio regis sedatur. *Fred. chr. a.* 627.

630 Clotharius rex Francorum fortis, pius et religiosus anno regni 94 XLV defunctus, et Parisius in basilica S. Vincentii sepultus est; cujus regnum Dagobertus filius accipiens, cum jam VI annis regnaret, X annis postea rexit, modica tantum parte B juxta Wascones et Pirenæum fratri Chariberto concessa. *Fred. chr, a.* 628.

631 Dagobertus rex sancto Arnolfo Metense episcopo, et Pippino duce, majore domus, Chunibe.o que Coloniense archiepiscopo utens consiliariis, nimio amore justitiæ flagravit, et rex per omnia laudabilis exstitit. Postea vero, propria secutus consilia, multum ad deteriora defluere cœpit, uxoreque Gomatruda repudiata, Nanthildem quamdam de monasterio (203) puellam accepit uxorem. *Fredeg. ch*. a 629.

632 Charibertus regulus, frater Dagoberti, Wasconiam invadens suo eam regno adjecit. Dagobertus ex quadam concubina (204) Sigebertum filium genuit. *Fred. chr. a.* 630. — Pax perpetua inter Heraclium C imperatorem et Dagobertum, legatis mediantibus, pacta est; et, petitione imperatoris, qui imperium suum a gente circumcisa vastandum præcognoverat, Judæi multi in regno Francorum, sicut et alibi in Romano imperio, profligati sunt (205). Nec multo post secutis temporibus crudelissima gens Sarracenorum, et ipsa circumcisa, multas provincias inundans vastavit, et Romanum exercitum crebris prœliis trucidatum vehementer attrivit. *Fred. chr. a.* 630.

633 In Britannia Edwinus, rex Anglorum pacificus et pius, a Ceadwalda, [*al.*, Cedowalla] et Penda paganis regibus victus et peremptus est. Post cujus mortem filii Edilfridi de Scotis reversi, regnum

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

624 *In Britannia defuncto Mellito archiepiscopo successit Justus*, etc., ut Aug.

625 *Romæ Honorius papa LXXII sedit annis* XIII, *qui multis bonis operibus abundavit.*

627 *In Britannia... in Britanniam pene centesimo octogesimo.*

628 *B. Anastasius multa... martyr efficitur. Ipso anno Heraclius... victo et occiso Chosdroe, Dominicam crucem Hierosolymam revexit.*

D 630 *Lotharius rex Francorum fortis, pius et religiosus obiit an. regni* XLV.

631 *Dagobertus rex Francorum S. Arnolfo Metense episcopo, et Pippino majore domus utens consiliariis, nimio amore justitiæ flagravit.*

632 *Pax perpetua inter Heraclium imperatorem et Dagobertum, legatis mediantibus, pacta est.*

633 *In Britannia Eduinus, rex Anglorum pacificus et pius, a paganis regibus interimitur.*

[NOTÆ.

(202) S. Arnulfi Metensis episcopi genealogiam Hermanno jam præmisimus. Pippinus vero dux Austrasiæ et major domus erat, Laudensis cognominatus.

(203) Fredegarius in Chronico cap. 58, melius habet de *ministerio*, aulæ scilicet, seu reginæ.

(204) Ragintrudem vocat Fredegarius.

(205) Idem Judæos ad baptismum a Dagoberto adactos scribit.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

quondam patris sui arripiunt; e quibus duo a fide Christi, quam apud Scotos didicerant, apostatantes, intra unum annum pereunt. *Beda, hist. Angl.* — **95** Apud Francos Charibertus regulus, frater Dagoberti, moritur, et regnum ejus ac thesauros Dagobertus frater accepit. *Fredeg. chr. a.* 631. Tres exercitus a Dagoberto contra Samonem et Sclavos diversis partibus missi, unus Francorum victus, duo Suevorum et Longobardorum victores redierunt. *Fred. chr. a.* 631.

634 Calamitosus iste annus fuit Anglis tam regum apostasia et perditione quam barbarica et crudeli, quam a Ceadwalda pertulerant, vastatione. Sed statim Oswald tertius filius Edilfridi christianissimus, paucis collectis in Domino confisus, et adorata, quam erexerat, lignea cruce, audacter cum Ceadwalda pugnam iniit; eoque victo, provincia et fratribus vindicatis, paternum regnum VIII annis plenus pietate nobiliter rexit. *Beda, hist. Angl.* — Samo cum Sclavis Thuringiam vastat. Saxones, Sclavis se resistere pollicentes, tributo D vaccarum, quas Francis annuatim solvebant, a Dagoberto, absolvuntur. *Fred. chr. a.* 631. — In Italia mortuo Harialdo, rege Longobardorum, Rotharius [*al.*, Rotharis], a Gundeberga maritus assumptus et rex electus, regnavit annis XIII. *Paul. Diac. a.* 636.

635 Per hæc tempora, cum Sergius Constantinopolitanus, admittente Cyro Alexandrino hæresim Acephalorum instaurans, unam in Christo divinitatis et humanitatis voluntatem et operationem dogmatizasset, ipsumque imperatorem seduxisset, ab apostolica sede damnatus est. *Bed. chr., al. a.* 634. — Sclavis cum Samone Thuringiam et confines pagos incursantibus, Dagobertus filium suum parvulum Sigebertum, Pippino et Adalgiso ducibus, et Chuniberto archiepiscopo Coloniensi commendatum, Austrifranciæ regem fecit, eique sedem Metis dedit, principibusque ut terminos regni Orientalis deinceps tuerentur persuasit. *Fred. chr. a.* 633.

636. Dagoberto regi Clodoveus, seu Ludovicus filius ex Nanthilde regina nascitur; cui non multo post regnum suum occidentale destinavit et confirmavit. *Fred. chr. a.* 633. — Ratolfus [*al.*, Radulfus] dux Thuringiæ **96**, Sclavis sæpe congrediens, victor eos fugabat. Unde elatus, ut regi suo rebellare tentaret, sensim animos attollebat. *Fred. chr. a.* 633.

637 Constantinopoli Heraclius imperator, a Sergio Constantinopolitano episcopo in hæresim, ut aiunt, prius inductus, moritur. Pro quo filius ejus Heraclonas [*al.*, Heracleonas] cum matre Martina annis II imperat. *Theoph.*; *al. a.* 641; *vid. a.* 639. — Per hæc tempora Rotharius rex Longobardorum quamvis Arianus, justitiæ tamen amator leges Longobardorum scripsit. Ipse etiam nonnullas Romanorum urbes cepit, et Ravennatibus pugna confligens, VIII ex eis millia occidit, reliquosque fugavit. *Paul. Diac. a.* 643.

638 Romæ defuncto papa Honorio, cessavit sedes apostolica annum I, menses VII, dies XIV, quia Constantinopoli auctoritas imperialis morte principum nutabat (206). *Anast.* — Quo tempore Lateranensis thesaurus a Mauricio chartulario, et Hisacio [*al.*, Isaacio] patricio exarcho Italiæ direptus et distractus est. — Wascones rebellare tentantes, misso a Dagoberto exercitu, perdomiti sunt. Britonum rex ad Dagobertum veniens humiliter ei satisfecit, et pace impetrata rediit. *Fred. chr. a.* 635.

639 Constantinopoli mortuo Heraclona imperatore, frater ejus Constantinus regnavit menses VI (207). *Paul. Diac.* In Britannia Eadbald rex Cantuariorum Anglorum decessit, eique filius Erchanbertus successit annis XXV. *Beda, hist. Ang.* — Wascones a Dagoberto pro rebellione sua veniam precantur et impetrant. *Fred. a.* 636.

97 640 Constantinopoli post mortem Constantini imperatoris filius ipsius Constantinus, qui et Constans, regnavit an. XXVIII *a. seq.* — Romæ Severinus papa LXXIII sedit mensibus II, diebus IV, vir sanctus, mitis et pius; post quem cessavit episco-

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

634 *Oswaldus filius Edilfridi Christianissimus, paucis collectis, et adorata cruce quam erexerat, interfectores Eduini regis superavit ixseaue octo annos regnavit.*

635 *His temporibus cum Sergius... damnatus est.*

637 *Constantinopoli Heraclius... episcopo in hæresin Acephalorum inductus obiit, pro quo Heraclonas cum matre Martina annis regnavit duobus.*

638 *Romæ defuncto Honorio... nutabat. Quo tempore Lateranensis thesaurus distractus est.*

639 *Constantinopoli... menses sex.*

640 *Constantinopoli ... annis* XXVIII. *Romæ Severinus papa... diebus quatuor, post quem cessavit episcopatus mensibus quinque.*

NOTÆ.

(206) Cum Honorius triennio fere ante Heraclium obierit, causa dilatæ tandiu consecrationis non in morte principum, sed in eo reponenda videtur, quod electus Severinus Heraclii Ecthesin probare nollet, ut habet Anastasius in collectaneis a Sirmondo editis.

(207) Hæc quidem Hermannus ex fide Pauli Diac. Hist. Longob. l. IV, c. 41, sed ab eo deceptus; ex Nicephoro enim habemus, mortuo 11 Febr. a. 641 Heraclio, Constantinum filium ejus seniorem successisse, qui tamen post centum ac tres dies, seu 25 Maii, mortuus locum fecit fratri suo Heracleonæ ex Martina Heraclii filio. Hic post sex regiminis menses in exsilium cum matre actus successorem accepit Constantem, suum ex prædicto fratre Constantino nepotem. Hinc etiam corrigenda sunt quæ supra ad an. 657 habentur, et quæ mox sequuntur.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

patus mensibus v. *Anast.* — Dagobertus rex anno regni XVI moritur, et in suburbano Parisiaco in monasterio S. Dionysii summo studio a se constructo, ornato et ditato, et ad institutionem Agaunensis monasterii ordinato sepelitur; cum quo pariter regni Francorum virtus et dignitas collapsa paulatim deficiebat, et pro eo duo filii ejus Sigebertus et Ludovicus regnum patris obtinuerunt. *Fred. chr. a.* 638.

641 Romæ Joannes quartus (208), papa LXXIV, sedit anno I, mensibus fere X, qui missa multa pecunia multos captivos in Histria et Dalmatia a barbaris redemit, et basilicam sanctorum martyrum Venantii, Anastasii et Mauri construxit et ornavit. *Anast.* — Ludovicus, seu Clodoveus infans, regnante matre Nanthilde, regno occidentali præponitur. *Fred. a.* 638. — In Hispania Sentila [*al.*, Chintila] rex Gothorum moritur, pro quo Tolga puer regnum accepit. Quo non post multum deposito et detonso, Chindasindus [*al.*, Chindasuindus] regnum assumens, superbiam Gothorum, trucidatis primoribus, nimis humiliavit. *Fred. a.* 640 *et seq.*

642 Romæ Theodorus papa LXXV sedit annis VI, mensibus fere VI. Hic corpora sanctorum Primi et Feliciani levavit et in basilica S. Stephani protomartyris sepelivit; ecclesiam sancti Valentini via Flaminia, oratorium sancti Sebastiani Lateranis, oratorium S. Eupli ante portam S. Pauli fecit et inter alia bona constans in fide hæreticos damnavit. *Anast.* — 98 In Britannia Oswald rex Anglorum piissimus pro patria contra Pendanum regem Merciorum paganum pugnans occubuit, et plurimis post mortem miraculis claruit; pro quo frater ejus Oswi regnavit annis XXVIII. *Beda, hist. Angl.*

643 Hoc tempore Mauricius chartularius tyrannidem affectans, missis ab Hisacio [*al.*, Isaacio] patricio militibus, Romæ comprehensus et abductus juxta Ravennam decollatus est. Nec multo post ipse Hisacius morte apud Ravennam periit, et pro eo Theodorus Italiæ exarchus ab imperatore missus est (209). Æga, major domus Ludovici, vir strenuus et religiosus, obiit, post quem Erchonaldus [*al.*, Erchinoaldus, item vir laudabilis major], domus efficitur. *Fred. chr. a.* 640.

644 Sanctus Paulinus Eboracensis episcopus, et doctor Anglorum, anno episcopatus XX migravit ad Dominum VI Id octob. *Beda, hist. Angl.* — Pippinus (210), major domus, et dux Sigeberti, justitiæ et pietatis amator eximius obiit, post quem filius ejus Grimoaldus major domus effectus est. *Fred. chr. a.* 639.

645 Hoc tempore Pyrrhus Constantinopolitanus, Sergii et in sede et in hæresi successor, cum a Theodoro papa dudum damnatus ex Africa Romam venisset, et fictam pœnitentiam satisfactionemque simulasset, benigne susceptus et reconciliatus est. Postea vero domum reversus et errorem repetens, denuo ab ipso papa depositus, damnatus et anathematizatus est (211). *Beda, chr. Paul. Diac.*

646 His temporibus beata virgo Gertrudis, filia Pippini, soror Grimoaldi majoris domus, Nivalensis [*al.*, Nivialensis] cœnobii mater, virtutibus 99 claruit. Hujus soror Begga, et ipsa femina religiosa, Ansgiso sancti Arnolfi filio nupsit, cui etiam Pippinum juniorem (212) peperit. *Vita S. Sigeberti tom. II Script. Franc.; al. an. seq.*

647 His temporibus cum Paulus Constantinopolitanus Pyrrhi successor hæresim non solum non dimitteret, sed augmentaret, ipsumque imperatorem cum aliis seduceret, nec, a domno papa admonitus et increpatus, resipisceret, et ipse identidem damnatus est. *Bed. chr. Anast. a.* 648. — In Italia, mortuo Rothario rege Longobardorum, Rodoaldus filius ejus regnavit annis V (213) *Paul. Diac.*

648 His Constantis imperatoris temporibus (214) gens Sarracenorum crudelissima Palæstinam ipsam-

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

641 *Romæ Joannes quartus papa, LXXIV, sedit annum unum, menses fere decem, qui missa pecunia multos captivos in Histria et Dalmatia a barbaris redemit.*

642 *Romæ Theodorus papa LXXV sedit annos sex, menses fere sex. Hic corpora SS. Primi et Feliciani levavit, et hæreticos damnavit. In Britannia, Oswaldus rex Anglorum piissimus, contra Pendanum regem paganum*, etc., ut Aug.

644. *S. Paulinus. . . VI Idus Octobris.*

645 *Hoc tempore Pyrrhus. . . depositus et anathematizatus est.*

646 *His temporibus. . . et ipsa religiosa Angiso. . . peperit.*

647 *His temporibus cum Paulus . . . damnatus est.*

648 *Tempore Constantis imp. gens Sarracenorum crudelissima multas provincias vastavit.*

NOTÆ.

(208) Ordinatus est Joannes 24 Dec. a. 640.

(209) Juxta seriem exarchorum Ravennatensium Isaac a. 638 obiit, cui Plato suffectus est, et huic ad an. 648 Theodorus Calliopa, qui mox infra redibit.

(210) Scilicet Landensis, pater S. Gertrudis, de qua anno 646, qui inter sanctos colitur. Vid. Bollandi t. III, Febr. die 21.

(211) Abjuratio Pyrrhi ad annum 646; ejus vero condemnatio, Romæ in synodo facta, ad an. 648 spectat.

(212) Cognomento Heristallum, Caroli Martelli patrem. Vid. Vita S. Gertrudis, sæc. II Bened. p. 462, et Bolland., t. II, Mart. die 17; S. Begga colitur 17 Dec.

(213) Rotharius nonnisi a. 652 obiit, filiusque ejus Rodoaldus quinque tantum mensibus, non annis, regnavit, uti habet antiquum Chronicon Longobardorum, a Muratorio, t. II Script. Ital., p. I, p. 270, editum.

(214) Imo jam sub Heraclio a. 637 Jerusalem ab ipsis capta est.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

que Hierosolymam, utramque Ægyptum, Alexandriam urbem et magnam Africæ partem aliasque plures provincias Romani imperii vastavit atque diripuit. *Fred. chr. a.* 639.

649 Romæ Martinus papa LXXVI sedit annis VI, mensibus fere II. Quo tempore Paulus Constantinopolitanus, ipso imperatore Constante seducto, legatos apostolicæ sedis se pro hæresi arguentes carceribus, exsiliis et diversis modis affixit, catholicisque, ubicunque potuit, non modicam persecutionem concitavit. *Anast.*

650 Martinus papa indictione IX (215) synodum Romæ CV episcoporum colligit, in qua Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum cum sequacibus erroris condemnat. *Bed. a.* 649.

651 In Britannia Oswi rex pius ab Oswi rege pugna fugatus, ad quemdam **100** suorum, cui fidem habebat, venit, a quo statim proditus, ab Oswi rege cognato interfici jussus est. Ipso anno beatus Aidanus Scotigena, episcopus et doctor Anglorum, II Kal. Septemb. decessit. *Beda, hist. Angl.* — In Italia, mortuo Rodoaldo rege Longobardorum, Haribertus [*al.*, Aripertus], filius Gundoaldi fratris Theodelindæ reginæ, regnavit annis IX. *Paul. Diac., al. a.* 653.

652 Hoc tempore Olympius exarchus, a Constante imperatore in Italiam missus, cum domnum papam et cæteros in fide catholica unanimes depravare eisque nocere non posset, frustraque ipsi papæ divinitus protecto insidias paravisset, cum eo tandem pacificatus, collecto exercitu Siciliam contra Saracenos ingreditur; ubi, victo cæsoque ab ipsis exercitu Romano, tædio morboque confectus moritur. *Anast. Paul. Diac.*

653 In Britannia Honorius Anglorum archiepiscopus obiit, pro quo Deusdedit annis X præfuit. *Beda. hist. Angl.*

654 In Britannia mediterrone (216) Angli ad fidem Christi conversi sunt. Beatus papa Martinus jussu Constantis hæretici imperatoris a Theodoro exarcho ad hoc misso, Romæ in basilica Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, comprehensus et Constantinopolim adductus, cum flecti nullatenus posset, exsilio in Chersonam damnatus est. *Bed. chr. Anast. al. a.* 653.

655 Martinus papa in exsilio migravit ad Dominum, ibique sepultus multis postea miraculis claruit; pro quo Romæ Eugenius papa LXXVII ordinatus (217) sedit annis II, mensibus fere X, vir benignus et mitis et pius. *Anast.* — In Britannia Pendan rex Merciorum paganus ab Oswi rege sancti Oswaldi fratre pugna victus interiit, et gens Merciorum Christi fidem accepit. *Beda, hist. Angl.*

101 656 Petrus Constantinopolitanus, quasi satisfaciens pro fide sua, misit Romam synodicam epistolam valde obscuram et dubiam, sed a domno papa et Ecclesia Romana non est accepta. *Anast.*

657 Romæ Eugenio papa defuncto cessavit episcopatus mensibus II. *Anast.*

658 Romæ Vitalianus papa LXXVIII sedit annis XIV, mensibus VI; qui, litteris ex more Constantinopolim missis in sede confirmatus, Ecclesiam Romanam insigniter rexit. *Anast. a.* 657.

659 In Britannia Vulfhere [*al.*, Wolpher], filius Pendani, rex Merciorum effectus regnavit annis XVII. Constantinus, qui et Constans imperator, sancto Petro donaria pretiosa Romam misit. *Anast.*

660 In Italia, defuncto Hariberto rege Longobardorum, duo filii ejus Godabertus et Pertharich regnum inter se dividebant; Godabertus Ticini, et Pertharich Mediolani regnum statuentes. Sed non multo post, factione pravorum odio infando alterutrum regno pellere cupientes, dissentiunt; et Godabertus misso Gunbaldo duce (218) perfidissimo, Grimoaldum virum strenuum, qui jam XXV annis dux Beneventi erat, auxilio sibi contra fratrem ascivit; qui ab ipso Gunbaldo instigatus Godabertum occidit, et Pertharich ipso terrore fugatus ad Hunnos secessit post unum annum et III menses regni

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

649 *Romæ Martinus papa . . . pro hæresi eum arguentes carceribus et exsiliis afflixit, et catholicis, ubicunque potuit, persecutionem excitavit.*

650 *Martinus . . . collegit, in qua . . . damnavit.*

651 *Beatus Aidanus . . . decessit.*

652 *Hoc tempore Olympius . . . nocere non posset, tandem cum papa pacificatur.*

653 *In Britannia . . . decem annos præfuit.*

654 *Beatus papa Martinus jussu Constantis hæretici imperatoris in basilica . . . perductus cum flecti . . . in Cersona damnatus est.*

655 *Martinus papa . . . sepultus miraculis claruit . . . sedit annos duos, menses ferme decem, vir benignus et pius. In Britannia . . . fratre victus interiit. . . . accepit.*

656 *Petrus*, etc., ut Aug.

657 *Romæ . . . mensibus sex*, perperam ex Anastasio.

658 *Romæ*, etc., ut Aug.

659 *Constantinus*, etc., ut Aug.

660 *In Italia defuncto rege Longobardorum Haribertо duo filii ejus Godabertus et Pertarich regnum inter se dividebant, quorum uno occiso, id est, Godaberto, alteroque fugato ad Hunnos, Grimoaldus dux Beneventanus regnum eorumdem obtinuit.*

NOTÆ.

(215) In Beda notatur indictio VIII, adeoque annus præcedens.

(216) Ita codex, sed legendum *Mediterranei.*

(217) Factum id 8 Sept. a. 654, cum prius jam absente Martino Ecclesiam rexisset.

(218) Is erat Garibaldus, dux Taurinensis

Digitized by Google

sui, Grimoaldusque arrepto Longobardorum regno annis IX strenue regnavit. *Paul. Diac. a.* 661. *seq.*

661 Hoc tempore Pertharich, dudum rex Longobardorum, cum de exsilio reversus Grimoaldi regis gratiam petiisset, benigneque susceptus esset, factione pravorum proxima nocte ab ipso rege observari jussus est, sequenti **102** die perimendus. Sed astu, imo fide Hunoldi amici sui et cujusdam fidelis vestiarii sui eductus ex urbe Ticinensi, ad Francos confugit ibique latuit. *Paul. Diac. a.* 664. — Hac etiam tempestate Francorum exercitus Italiam ingressus, cum in castris Grimoaldi regis, simulata ab ipso fuga relictis, epularetur, ipso irruente ad internecionem deletus est. *Idem. al. a.* 665.

662 Constantinus, qui et Constans imperator, Italiam contra Longobardos petiit, et, aliquot oppidis eorum captis, Rumoaldum ducem filium Grimoaldi regis apud Beneventum obsedit. Sed, adventante cum exercitu Grimoaldo, territus Neapolim repetit, magnaque exercitus sui parte, duce Saburro, cum Rumoaldo pugna confligente et victa trucidataque, nihil contra Longobardos profecit. *Paul. Diac. a.* 663.

663 Constantinus imperator Romam venit, et, a Vitaliano papa honorifice susceptus, toto exercitu cum cereis ecclesiam intrante, beato Petro pallium auro textile obtulit; et, actis ibi XII diebus, cuncta pene Urbis ornamenta abstulit. Inter quæ etiam tegulas æreas quibus basilica sanctæ Mariæ ad Martyres, quæ Pantheon antiquitus vocabatur, tecta fuerat, diripiens in Siciliam præmisit, ipseque [cum] suis in Italia deprædatis ipsam insulam VII indictione (219) intravit, ibique quinquennio multa infamis avaritia et nequitia mansit. *Bed. chr. Angl.*

664 Eclipsis solis V Non. Maii facta est hora quasi decima, VII indictione (220). *Bed. chr.* In Britannia conventu ab Anglis et Scotis acto quæstio de Pascha ventilata, et Scoti a Wilfrido presbytero rationabiliter victi sunt. **103** Sæva lues et pestilentia Britanniam et Hiberniam nimium vastat. Deusdedit archiepiscopus Anglorum obiit. Ceidla [*al.*, Ceadda] et Wilfridus Nordanumbrorum episcopi ordinantur. *Bed. hist. Angl.*

665 In Britannia, Erchanberto rege Cantuariorum mortuo, Egbertus filius ejus regnavit annis IX. Angli ad Vitalianum papam pro episcopo et doctore postulatum Romam mittunt. *Beda, hist. Ang.* — His diebus apud Francos Clodoveus, seu Ludovicus rex, iners et infamis filius Dagoberti, frater Sigeberti, cum Parisius manens brachium sancti Dionysii auferre ausus esset, in amentiam versus est. *Fred. chr. a.* 654.

666 Hoc tempore cum Lupus, dux Forojulianus, regi Grimoaldo rebellaret, Hunni, qui et Avares, ab ipso rege invitati Venetiam petunt, et ter pugna victi quartoque certamine victores, ipso Lupo cum suis occiso, Provinciam vastant, donec arte Grimoaldi territi, tandem redire coacti sunt. *Paul. Diac. a.* 665

667 Circa hoc tempus Sclavi de Carunto, quol Carentanum (221) dicimus, cum exercitu Venetiam vastantes, duce Nuectario cum XXV suorum super eos irruente, pauci ex quinque millibus effugere vix potuere. *Paul. Diac.*

668 In Sicilia Constantinus imperator, qui et Constans, post multas exactiones et deprædationes per provincias actas, tandem a suis in balneo occisus interiit indictione XII (222). Post quem Mezecius [*al.*, Mizizius], imperium ipsi arripiens, ab Italico exercitu cum complicibus suis peremptus est, et Constantinus (223) filius Constantis, Constantinopoli imperator factus, regnavit annis XVII; imperator sane catholicus et pius. *Paul. Diac.* — Hoc anno Theodoricus [*leg.* Theodorus] archiepiscopus a Vitaliano papa **104** ordinatus, et cum Adriano abbate ad Anglos missus, multis et verbo profuit et exemplo. *Beda, hist. Angl.* — Apud Francos, mortuo Clodoveo (224) seu Ludovico, rege infami, filius ejus Clotharius puer regnavit annis IV. *Fred. a.* 656.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

661 *Hoc tempore Pertarich de exsilio reversus, iterum in exsilium ire compulsus est.*

662 *Constantinus, qui et Constans, Italiam contra Longobardos venit, sed nihil profecit.*

663 *Constantinus imperator Romam venit, et, a Vitaliano papa honorifice susceptus, S. Petro pallium auro textile obtulit; sed cuncta pene ornamenta Urbis abstulit*

664 *Eclipsis solis quinto Nonas Maii facta. In Britannia a Scotis et Anglis quæstio de Pascha ventilatur, et Scoti a Wilfrido presbytero rationabiliter victi sunt; qui postea episcopus ordinatur.*

665 *Angli ad Vitalianum papam pro episcopo et doctore postulatum Romam miserunt.*

668 *In Sicilia Constantinus imperator, qui et Constans, post multas deprædationes per provincias factas, tandem a suis in balneo peremptus est. Pro quo Constantinus ejus filius regnavit annis* XVII, *imperator sane catholicus et pius. Hoc anno Theodorus... et exemplo.*

NOTÆ.

(219) Hæc indictio annum 661 indicat.

(220) Indictio VII hunc quidem annum notat, in quo tamen ista eclipsis non tertia, sed prima die Maii contigit.

(221) Hodie Carinthia, veteris Norici provincia.

(222) Peremptus est ad finem Septembris, quo jam currebat indictio XII.

(223) Cognomento *Pogonatus.*

(224) Clodoveus II jam a. 656 obiit, succedente filio Clothario, tunc quatuor annorum, qui regnavit annis XIV.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

669 Sarraceni, qui jam multis depopulatis provinciis Ægyptum tenebant, Siciliam hoc tempore invadentes, magnas hominum strages faciunt, et, deprædata insula, hisque quæ Constans imperator ibi collegerat ablatis, Alexandriam redeunt. *Paul. Diac.*

670 In Britannia, Oswi rex Anglorum, frater sancti Oswaldi, obiit: pro quo Egfridus regnavit xv annis. *Beda, hist. Angl.* — In Italia, mortuo Grimoaldo Longobardorum rege, Pertharich, de exsilio reversus, regnum paternum magno Longobardorum favore recepit, et per annos xvii magna pietate insignis obtinuit. *Paul. Diac. a.* 671.

671 Per hæc tempora in Italia regnum Longobardorum Pertharich adeptus summa pace et probitate regebat. His temporibus Childericus, frater Clotharii regis, filius Ludovici, cum, ad Austrifranciæ regnum vocatus, leviter in eo et crudeliter ageret, a Francis una cum uxore et filiis trucidatur. *Fred. a.* 673.

672 Romæ, Vitaliano papa indictione xv defuncto, post II menses Adeodatus papa LXXIX sedit annis IV, mensibus II, vir valde mitis et pius; qui et ecclesias renovavit et ornavit, et ædificia nova construxit. *Anast.* — Apud Francos, post Clotharium puerum frater ejus Theodoricus regnavit annis XIX; sub quo Ebroinus, major domus, tyrannidem exercuit. *Fred. contin. an. seq.*

673 In Britannia, Egberto Cantuariorum rege mortuo, frater ejus Luthere [*al.*, Lotharius] regnavit annis XI, mensibus IV. Quo anno Theodorus archiepiscopus Anglorum synodum utilem collegit. *Beda, hist. Angl.*

105 674 Circa hæc tempora Alachis dux Tridentinus, de comite quodam Norico victoria nacta elatus, adversus Pertharich regem suum rebellat; sed per Chunibertum regis filium sæpius reconciliatus et honoribus auctus est. *Paul. Diac., al. a.* 680.

675 In Britannia, Vulfhere rex Merciorum obiit; pro quo frater ejus Edilred XXXV annis regnavit, qui sequente anno Cantiam vastavit. *Beda hist. Angl. a.* 677.

676 Romæ, defuncto Adeodato, post menses IV Donus papa LXXX sedit anno uno, mensibus V. Qui, inter alia bona studia, porticum sancti Petri marmore stravit. Qua æstate immensa vis tonitruorum et pluviarum homines afflixit; et legumina, quæ propter pluviam colligi non poterant, quibusdam in locis renata et ad maturitatem reducta sunt. Cometa per III menses visa, et magna hominum pestilentia in Oriente subsecuta est. *Anast. Beda, hist. Angl. a.* 678.

677 In Italia, Pertharich rex Longobardorum Chunibertum filium suum regni consortem fecit; cum quo X postea annis regnavit. *Paul. Diac.* — Ecclesia Ravennas, quæ Autocephaliam sibi usurpans a Romana desciverat, Dono papæ denuo se subjecit. *Anast.*

678 Romæ, defuncto Dono, post duos menses Agatho papa LXXXI **106** ordinatus, sedit annis II, mensibus VI, vir mansuetus et benignus. *Anast.* — Wilfridus Anglorum episcopus, ab Egberto rege sede sua pulsus, multos in peregrinatione sua ad Dominum prædicando convertit. *Beda hist. Angl.*

679 Constantinus Augustus legationem Romam misit, et ut pro confutandis hæreticis synodus apostolica auctoritate Constantinopoli fieret postulavit. Agatho papa synodum CXX episcoporum Romæ collegit, et hæreticos unam in Christo operationem dogmatizantes damnavit. *Bed. chron., al. a.* 680.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

669 *Sarraceni Siciliam vastant.*

670 *In Italia, mortuo Grimoaldo Longobardorum rege, Pertarich regnum paternum* XVII *annis obtinuit.*

672 *Romæ Vitaliano . . . mitis et pius, qui multa ædificia Romæ construxit.*

673 *Hoc anno Theodorus... collegit.*

674 *Dagobertus rex Francorum, præcipuus Ecclesiarum Dei venerator, obiit. Regnavit annos* XLIV. *Parisiis sepelitur* (225).

676 *Romæ, defuncto Adeodato papa post menses quatuor, Donus papa LXXX sedit annum unum, menses quinque; qui porticum S. Petri marmore stravit. Cometa per tres menses visa.*

677 *Ecclesia Ravennas... se iterum subjecit.*

678 *Romæ... LXXXI sedit annis* II, *mensibus* VI. *Hic papa apud imperatorem effecit ut quantitas relevaretur, quæ pro ordinatione pontificis solita erat dari, ita tamen ut decretum generale de electione prius ad imperatorem mitteretur, quam ille consecraretur* (226). Anast. — *Wilfridus Anglorum episcopus, a Guiberto* [al., *Ecberto*] *rege sede sua pulsus, multos in exsilio ad Dominum convertit.*

679 *Constantinus*, etc., ut Aug.

NOTÆ.

(225) Confusa hæc sunt, nec hujus anni; Dagobertus primus enim, de quo hic sermo, anno 638 post XVI regiminis annos obiit, Dagobertus autem II hoc anno 674 e Scotia revocatus regnare cœpit, anno 679 defunctus. Sed plurium veterum scriptorum hic error est, qui ambos hos Dagobertos in unum conflarunt.

(226) Hæc quidem codex Bernoldi in margine a. 676 Dono papæ adscribit; melius tamen ea ad Agathonem refert Urstisius.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

680 Eclipsis Lunæ (227) et magna mortalitas Romæ per æstivos menses facta. *Anast.* — Agatho papa legatos Constantinopolim misit indictione IX (228), qui, honorifice ab Augusto suscepti atque tractati, sextæ synodo universali CL episcoporum præfuerunt, et convictos rationabiliter hæreticos unam in Christo voluntatem et operationem asserentes damnaverunt. *Anast.*—Theodorus archiepiscopus Anglorum item synodum collegit (229). *Beda, hist. Angl.*

681 Constantinopoli, sexta synodus CL episcoporum, indictione IX, mense Febr., acta, et Macarius Antiochenus sequacesque erroris damnati sunt. Quibus damnatis, subito plurimæ aranearum telæ in basilica coram **107** omnibus ceciderant, hæreticas videlicet nugas dejectas esse portendentes. *Anast.*

682 Romæ, defuncto Agathone papa, cessavit episcopatus anno I, mensibus VII (230). *Anast.*

683 Romæ, Leo secundus, papa LXXXII, sedit mensibus fere XI, vir per omnia eruditissimus, eloquentissimus atque piissimus; qui aliquot ecclesias renovans dedicavit atque ornavit, sua decreta fecit, et plurima egregie scripsit, docuit atque constituit. *Anast.* — Hoc anno XVI (231), die Aprilis in Parasceve, tota pene nocte Luna eclipsin passa. Egfridus rex Anglorum, misso exercitu, Hiberniam insulam sine causa crudeliter vastat. Sanctus Cudberthus [*al.*, Cuthbertus] Lindufarnensis [*al.*, Lindisfarnensis] Ecclesiæ episcopus ordinatur, qui plurimis Britanniam virtutibus decorabat. *Beda, hist. Angl.*

684 Romæ, defuncto Leone, cessavit episcopatus anno fere I, post quem Benedictus secundus, papa LXXXIII, sedit mensibus X, vir doctus, et omnibus pius et beneficus, ecclesias restaurans et exornans, et bona jugiter studia sectans. *Anast.* — Cometæ apparent, et mons Campaniæ Bobius, ultra modum flammas eructans, circumposita exussit. *Paul. Diac.* — In Britannia, Egfridus rex, cum, dissuadente sancto Cudberto, Pictos incaute bello peteret, ab ipsis victus et peremptus interiit; pro quo Aldfridus rex pius et prudens regnavit annis XIX. *Beda, hist. Angl.*

685 Romæ, post Pascha defuncto Benedicto, exactis plus duobus mensibus, **108** Joannes V papa LXXXIV sedit anno uno, vir item eruditus et discretus; qui prius archidiaconus legatus in VI synodo apostolicæ sedis fuerat. *Anast.* — Constantinopoli, Constantino imperatore defuncto filius ejus Justinianus regnavit annis X, qui, hæresi pollutus, orthodoxis fuit infensus et pravus. Hic etiam cum Sarracenis, provincias plures devastantibus, data eis multa pecunia, pacem in decennium condixit. *Paul. Diac.* — In Britannia, Luthere rex Cantuariorum interiit. *Beda, hist. Angl.*

686 Romæ, defuncto Joanne, post III menses Conon papa LXXXV ordinatus sedit mensibus XI, vir provectæ ætatis, summæ innocentiæ sanctæque simplicitatis; qui, dissentiente in duorum presbyterorum electione clero et populo, tertius postremo ab utrisque electus est. *Anast.* — In Britannia, sanctus Joannes Hagustaldensis Ecclesiæ episcopus ordinatus multis claruit virtutibus. *Beda, hist. Angl.*

687 Romæ, defuncto Conone, exactis fere III mensibus, Sergius papa LXXXVI sedit annis XIII, mensibus fere IX. Hic quoque, dissentientibus in duorum electione partibus, tertius Dei volente electus est; qui in fide catholica fortis persecutionem ab Augusto Justiniano passus est, et ecclesias multas construxit, renovavit et exornavit atque ditavit; vir videlicet sanctus et omnibus bonis intentus. *Anast.* — In Italia,

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

680 *Eclipsis lunæ, et magna mortalitas Romæ facta. Agatho papa... suscepti sextæ... præfuerunt, et cunctos hæreticos... damnaverunt, et novem capitula conscripserunt. Theodorus*, etc., ut Aug.

681 *Constantinopoli sexta synodus... portendentes. Agatho papa decessit.* an. seq.

682 *Romæ defuncto Agathone*, etc., ut Aug.

683 *Romæ Leo secundus, papa LXXXII, sedit ferme mensibus* XI, *vir per omnia eruditissimus et piissimus, qui sua decreta fecit, plurima egregie scripsit, docuit et constituit. S. Cudbertus, Lindisfarnensis Ecclesiæ episcopus, Britanniam multis virtutibus decoravit.*

684 *Romæ defuncto.... annum fere unum... mensibus decem, vir satis laudabilis. Cometæ apparent.*

685 *Romæ post Pascha... sedit annum unum, qui prius archidiaconus, legatus in sexta synodo sedis apostolicæ fuerat. Constantinopoli, Constantino imp. defuncto, filius ejus Justinianus regnavit annis* X, *qui hæresi pollutus, orthodoxis est infestus.*

686 *Romæ defuncto... menses* XI, *vir item laudabilis. In Britannia S. Joannes Hagustaldensis episcopus clarus habetur.*

687 *Romæ defuncto... fere* IX, *qui in fide catholica fortis persecutionem ab Aug. Justiniano passus est, vir quippe sanctus et omnibus bonis intentus.*

NOTÆ.

(227) Scilicet 17 Jun. et 11 Dec.

(228) Legati apostolici die 10 Nov. Constantinopolim pervenerunt, ubi jam numerabatur indictio IX, qua durante, hoc et sequente anno celebrata est synodus.

(229) Capitula hujus synodi exhibet Labbeus in sua collectione, t. VI, p. 1875. Vid. Spelmannus Concil. Angl., t. I, p. 168.

(230) Pagius in Leone II sedem duntaxat septem mensibus vacasse probat, mortemque Agathonis et Leonis II ordinationem eidem anno 682 illigat.

(231) Pascha hoc anno evenit die 19 Aprilis, et Parasceve die 18 acciderat; igitur eclipsis illa nocte diem 17 sequente contigit, quanquam alias die 16 Aprilis facta notetur.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

defuncto Perthariche rege Longobardorum, Cunibertus filius ejus rex strenuus, mitis et bonus, regnavit annis XII. *Paul. Diac. a.* 686.

688 Ceadwald, rex occidentalium Saxonum, ad fidem Christi conversus, Romam venit, et in sabbato sancto Paschæ a Sergio papa baptizatus et Petrus vocatus, inibi in albis defunctus, ab ipso papa summo honore tumulatus et epitaphio decoratus est. *Bed. hist. Angl. a.* 689. — In regno Francorum, Pippinus, filius Ansgisi filii sancti Arnolfi, Theodericum **109** regem filium Ludovici in Testritio pugna vicit, et, potestatem regni Francorum adeptus, dux et major domus regnavit annis XXVII, interim tamen Ludovico, Childeberto et Dagoberto regale nomen, non dignitatem, habentibus. *Fred. cont. a.* 687. *Annal. Met.*

689 Circa hoc tempus in Italia Alachis dux tyrannidem invasit, et, Papia occupata, regeque Cuniberto in insula Comacina, quia copia militum impar erat, se communiente, cunctos et maxime clericos crudelis insequitur. *Paul. Diac. an.* 690.

690 Theodorus, venerabilis Anglorum archiepiscopus, anno adventus sui in Britanniam XXIII, ætatis vero LXXXVIII decessit; qui, inter alia bona, librum pœnitentialem magna discretione conscripsit. *Beda, hist. Angl.*

691 Apud Francos, Theodoricus rex anno regni XIX moritur; pro quo filius ejus Ludovicus puer, a Pippino et Francis rex solo nomine factus; regnavit annis II (232). *Fred. cont. Annal. Met.*

692 Hoc tempore Cunibertus rex Longobardorum, recepto Dei gratia regno, votis omnium pugna victo et perempto Alachiso tyranno, optata suis deinceps pace regnavit. *Paul. Diac. a.* 690.

693 Apud Francos, post Ludovicum frater ejus Childebertus, regis nomen adeptus, regnavit annis XVII. *Fredeg. cont. a.* 695. *An. Met.*

694 His diebus duo Angli presbyteri, niger et albus Hewaldi, studio divini verbi accensi, dum Saxonibus prædicarent, a quibusdam rusticis martyrio coronati, et divinis miraculis declarati, a Pippino Coloniæ tumulati sunt. *Beda, hist. Angl.*

695 Constantinopoli, Justinianus imperator hæreticus, a Leone et Tiberio aliisque conjuratoribus injuriis affectus, abscissis naribus regno pulsus, **110** exsul in Pontum secessit, et Leo arreptum imperium annis III obtinuit. *Paul. Diac.*—Vir sanctus Wilibrordus a Sergio papa archiepiscopus ordinatus, et Clemens vocatus, genti Fresonum verbum vitæ prædicans, plurimis saluti fuit. *Bed. hist. Angl. an.* 690, *Alcuinus.*

696 In Britannia provincia, Nordanumbrorum quidam Truthelinus corpore raptus, et horrendis jocundisque visis, vitæ redditus, districtissimam et sanctam deinceps duxit vitam. *Beda, hist. Angl.*— Hoc tempore Sergius papa, Domino revelante, capsam cum portione Dominicæ crucis invenit. *Anast. Bedæ chr.*

697 In Britannia, sanctus Cudbertus, ex anachoreta episcopus, post multas virtutes migravit ad Dominum; cujus vitam Beda presbyter et prosa et hexametris versibus edidit. *Bed. chr.*—Ipso anno Ostric [*al.*, Ostrida] regina a suis peremta est. *Beda, hist. Angl.*

698 Constantinopoli, Tiberius imperium invadens, Leonem imperatorem VII annis, quibus ipse post hunc regnabat, in carcere tenuit. *Paul. Diac.*

699 Hoc tempore synodus Aquileiensis facta, et quidam, qui concilium quintum universale noluerant recipere, a Sergio papa correcti sunt. *Bed. chr. Angl. an.* 698.

700 In Italia, Cunibertus rex Longobardorum fortis et pius, moriens filio parvulo Luitperto regnum reliquit, eique tutorem Asprandum, virum prudentem et strenuum, dedit; sed post VIII menses Raginbertus dux, Gotaberti [*al.*, Godeberti] dudum regis filius, Luitperto cum suis pugna victo, regnum sibi usurpavit, sed eodem anno mortuus est. Cujus filius Haribertus [*al.*, Aripertus] susceptum a patre regnum XII fere annis obtinuit. Qui denuo Luitpertum cum suis pugna vicit, fugavit, cepit atque peremit. *Paul. Diac.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

688 *Ceadwald.... decoratus est.*

689 *In Italia Alachis dux tyrannidem invasit, et maxime clericos insequitur.*

690 *Theodorus... decessit, qui librum pœnitentialem satis utilem conscripsit.*

694 *His diebus duo Angli presbyteri, cum Saxonibus prædicarent, martyrio coronati et miraculis declarati, a Pippino Coloniæ sunt tumulati.* Bolland. 3 Oct.

695 *Constantinopoli Justinianus imp. hæreticus, a Leone et Tiberio abscissis naribus, regno expulsus est, et ipse Leo regnum tres annos obtinuit. Vir S. Willibrordus... Fresonum prædicans, virtutibus claruit.* Vita apud Mabill. sæc. III Bened. p. I, p. 601.

696 *Sergius papa... invenit.*

697 *In Britannia... ad Dominum post multas virtutes, cujus vitam Beda presbyter descripsit.*

698 *Constantinopoli*, etc., ut Aug.

699 *Hoc tempore synodus Aquileiensis*, etc., ut Aug.

NOTÆ.

(232) Fredegarii contin. recte, *annis* IV; obiit enim an. 695.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

111 701 Romæ, defuncto Sergio, Joannes VI, papa LXXXVII, sedit annis III. mensibus II. *Anast.*

702 In Italia, his diebus, cum Haribertus, reliquis inimicis victis et subactis, Asprandum infestus sequeretur, ille, viribus impar, primo Ravennam, inde ad Theodebertum Bajoariæ ducem confugit, ibique IX annis mansit. *Paul. Diac. l.* VI, *c.* 22.

703 Beda presbyter Anglus, vir doctus, usque huc Chronica minoris libri De Temporibus (233) perduxit. — Hoc tempore cum Gisulfus dux Beneventi Campaniam vastaret et captivos abduceret, eique nullus resisteret, a Joanne papa pacem postulante donaria accipiens captivos reddidit pacemque fecit. *Paul. Diac. Anast.*

704 In Britannia, Edilred, rex Merciorum, regnum suum Coenredo tradidit, et ipse factus est monachus. *Beda, hist. Angl.*

705 Constantinopoli, Justinianus imperator, auxilio Terbelli regis Vulgarorum imperium recipiens, Leonem et Tiberium imperii pervasores cum aliis multis occidit. Gallicinum [Gallinicum] patriarcham excæcatum Romam misit, et in loco ejus Cyrum abbatem, qui se in Ponto exsulem alucrat, promovit. De hoc imperatore fertur quod quoties de truncis naribus profluvium terserit, pene toties aliquem de inimicis suis perimi jusserit. *Paul. Diac.*—Romæ, Joannes VII, papa LXXXVIII, sedit annis II, mensibus fere VIII, vir facundus et eruditus. *Anast.*—In Britannia, Aldfridus rex Nordanumbrorum, vir pius et prudens, obiit, et pro eo filius ejus Osredus annis **112** XI regnavit. Sanctus Heddi episcopus occidentalium Saxonum obiit; pro quo Daniel et Aldhelmus episcopi facti sunt. *Beda, hist. Angl.*

706 Joannes papa oratorium sanctæ Mariæ ad sanctum Petrum construxit et ornavit, et plures ad ecclesias ornatus impendit. *Bedæ chr. Angl.*

707 Hoc tempore Haribertus rex Longobardorum possessionem Alpium Cottiarum, dudum a Longobardis captam atque detentam, per privilegium aureis litteris scriptum sancto Petro Joannique papæ reddidit. *Paul. Diac.*

708 Romæ, Sisinnius papa LXXXIX ordinatus, ingravescente podagra, XX tantum diebus supervixit; post quem Constantinus papa XC effectus sedit annis VII, diebus XV, vir valde mitis et pius, et omnibus bonis studiis intentus et stabilis. *Anast.*—Aldhelmus episcopus, vir doctus et eloquens, prosa metroque facetus, obiit. *Mabill. sæc.* III, *Bened. p.* I; *Bolland.* 25 *Maii.*

709 Coenredus, rex Merciorum, et cum eo Offa regius juvenis, filius Sigiheri regis, relictis regnis Romam veniunt, ibique monachi effecti mortalem non multo post vitam finierunt. *Bed. epit.*—Wilfridus episcopus venerabilis, anno episcopatus XLV, post exsilia multosque labores obiit, eique Acca in Hagustaldensi episcopatu successit. *Beda, hist. Angl.*; *Mabill. l. c.*; *Bolland.* 24 *April.*

710 Adrianus, abbas venerabilis, anno, ex quo a Vitaliano papa in Britanniam cum Theodoro archiepiscopo missus est, XLI obiit. Childebertus rex Francorum, filius Theodorici, moritur anno regni XVII; pro quo Dagobertus filius annis V. *Fred. contin. Annal. Met. an. seq.*

113 711 Constantinopoli, Philippicus imperator factus Justinianum imperatorem occidit, et ipse annum I et VI menses regnavit, catholicos persequens et hæreticis favens. *Bed. chr. Paul. Diac.*

712 Haribertus rex Longobardorum moritur; post quem Luitprandus (234). *Paul. Diac.*

713 Constantinopoli Anastasius Philippicum oculis et regno privavit, et ipse annis III regnavit. *Paul. Diac.*

714 Anastasius imperator, missis Constantino papæ litteris, se catholicæ fidei fautorem declaravit. *Bed. chr.* — Pippinus filius Ansgisi, nepos sancti

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

701 *Romæ defuncto*, etc., ut Aug.

703 *Beda... perduxit. Hoc tempore... captivos abduceret, a Joanne papa pacem postulante dona accipiens captivos reddidit.*

704 *In Britannia Edilred rex Merciorum, relicto regno monachum se fecit.*

705 *Constantinopoli... regis Bulgarorum... pervasores occidit. Gallicinum patriarcham... quoties a detruncatis naribus profluvium terserit, toties aliquem... jusserit. Romæ Joannes... et eruditus. S. Heddi episcopus migravit ad Dominum.* Vita apud Mabill. sæc. III Bened., p. I, et Bolland. 7 Jul.

706 *S. Joannes papa... construxit et multas ecclesias ornavit.*

707 *Hoc tempore Haribertus*, etc., ut Aug.

708 *Romæ Sisinnius... diebus* XV.

709 *Coenredus rex... non multo post obierunt. Wilfridus Anglorum episcopus obiit, cui Acca successit.*

710 *Adrianus abbas... obiit.* In Vita S. Theodori, sæc. II, Bened.—*Hildebertus rex Francorum obiit, pro quo Dagobertus annis quinque.*

711 *Constantinopoli... favens; unde et a Constantino papa anathematizatur; quapropter, regni principibus eum pro excommunicato devitantibus, regium diadema deponere compellitur.*

712 *Haribertus*, etc., ut. Aug.

714 *Anastasius... se catholicum declaravit. Pippinus... Carolus regnavit annis* XXVII.

NOTÆ.

(233) Est ejus liber *De temporibus* inscriptus.

(234) Ex Paulo Diacono Hariberto successit Ansprandus, et huic eodem anno defuncto filius ejus Luitprandus.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

Arnolfi, major domus et dux Francorum, anno regni xxvii obiit (235); pro quo filius ejus Carolus, ex superducta uxore (236) Alpheide natus, regnat annis xxvii. *Annal. Fuld.* — Romæ defuncto Constantino papa Gregorius secundus sedit annos xv, menses ix (237). *Anast.*

715 Carolus e custodia, in quam eum Plectrudis vidua patris sui conjecerat, divino auxilio liberatus, contra Radpodum Fresonum regem cum sui damno exercitus pugnat. *Annal. Fuld. h. et seq. a.* — Dagobertus junior filius Childeberti rex Francorum moritur; pro quo Chilpericus, qui et Daniel (238). *Fred. cont. Annal. Met.*

114 716 Egbertus vir sanctus, natione Anglus, inter alia bona sua, Scotos legitime Pascha celebrare docuit. *Bedæ chr.* — Constantinopoli, Theodosius imperator factus annum unum regnavit; qui Anastasium imperatorem, pugna victum, presbyterum ordinari fecit. *Paul. Diac.* — Chilpericus rex et Reginfridus [*al.*, Raginfredus] major domus regiones Rheno contiguas vastantes, a Plectrude vidua Pippini muneri us avo antur. *Annal. Fuld.* — Apud Anglos, Osred Nordanumbrorum rex anno regni xi occubuit. *Beda, hist. Angl.*

717 Romæ, Tiberis supra modum inundans multa subvertit ædificia. *Paul. Diac.* — Carolus Chilpericum et Reginfredum apud Vinciacum Dominica Palmarum (239) pugna victos fugavit. *Annal. Fuld.* — Hoc tempore Winfridus, qui et postea Bonifacius, genere Anglus, Germaniæ gentibus verbum salutis prædicat auctoritate Gregorii papæ. *Annal. Fuld. Othlon. Pag. a.* 716.

718 Constantinopoli, Leo imperator annos ix regnavit; cujus tempore Sarraceni, qui jam multas pervaserant provincias, triennio urbem ipsam obsidentes, divino tandem auxilio fame, peste, ferro naufragioque repelluntur. *Paul. Diac., al. a.* 717. — Carolus, receptis a Plectrude patris sui thesauris, Clotharium quemdam sibi regem constituit (240), et, inita rursum pugna, Chilpericum et Reginfredum, una cum Eudone duce Aquitaniæ auxilium eis ferente, victos fugavit. *Fred. cont. Annal. Fuld. a.* 717.

115 719 Chilpericus ab Eudone, ad quem confugerat, Carolo reposcenti redditus, et Clotarius rex mortuus est. *Annal. Fuld. Met. an.* 719 *et* 720. — Sanctus Bonifacius, a Gregorio papa Moguntiæ archiepiscopus ordinatus (241), multis populis et gentibus verbo et exemplo profuit. *Annal. Fuld.*

720 Mortuo Chilperico, Theodericus filius Dagoberti rex a Carolo constituitur. *Annal. Fuld.* — Sanctus Othmarus, cellæ sancti Galli primus abbas constitutus, cœnobialem inibi vitam instituit, et xl per annos nobiliter rexit. *Hepidannus. Walafr. in Vita.*

721 Carolus item Reginfredum vicit, Andegavis urbem vi cepit, Saxones bello superavit. *Annal. Fuld. a.* 724. — Sanctus Joannes Hagustaldensis episcopus obiit. *Beda.*

722 Carolus Alamanniam et Bajoariam armis subegit. *An. Fuld. a.* 725.

723 Alamanni et Bajoarii item Carolo rebellant, *An. Fuld. Fred. a.* 728 *et* 730.

724 Carolus transito Ligere Aquitaniam vastat; Eudonem ducem pugna victum fugat. *Annal. Fuld.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

715 *Romæ, defuncto Constantino papa, Gregorius secundus, papa XCI, sedit annos* xv, *menses* ix, *qui* xvii *capitula conscripsit. Dagobertus, qui et Daniel.*

716 *Egbertus vir sanctus, natione Anglus, Scotos legitime Pascha celebrare docuit. Constantinopoli... ordinari fecit.*

717 *Romæ... ædificia subvertit. Hoc tempore Winfridus, qui et Bonifacius... Gregorii papæ.*

718 *Constantinopoli Leo imp. annis* ix *regnavit; cujus temporibus Sarraceni Constantinopolim obsidentes triennio, tandem divino auxilio fame, peste, ferro repelluntur.*

719 *S. Bonifacius... Moguntiaci... multis gentibus profuit verbis et exemplis.*

720 *Mortuo Chilperico... constituitur. S. Othmarus, cellæ S. Galli primus abbas constitutus,* xl *annos rexit.*

721 *Carolus... vi cepit. S. Joannes*, etc., ut Aug.

722 *Carolus Alemanniam et Bajoariam subegit.*

723 *Hoc tempore corpus S. Augustini de Sardinia Ticinum a Luitprando translatum est.* Bed. chr.

724 *Carolus transito Ligeri Aquitaniam vastat. S. Pirminius et chorepiscopus, a Carolo Augiæ insulæ præfectus, serpentes inde fugavit, et cœnobialem vitam ibi instituit anno tertio.*

NOTÆ.

(235) Hoc anno a Carolo Martello incipiunt Annales Fuldenses, unde plurima hausit Hermannus, quibus suæ etiam patriæ gesta inserit, multa quoque ex Hepidanno, qui breves suos Annales ab a. 708 orditur.

(236) Pippinus circa a. 688, repudiata Plectrude legitima conjuge, Alpaidem duxerat. *Fred. cont. Mabil. Annal. l.* xvii, *c.* 70.

(237) Constantinus anno sequente obiit, quo etiam ejus mortem refert Bernold.

(238) Filius is erat Childerici regis an. 672 occisi, in monasterio interim delitescens. *Mabill. sæc.* iii, *p.* ii, *v.* 564.

(239) Pugna hæc ex Fredegarii continuatione contigit *die Dominica in Quadragesima*, xii *Kal. April.* quæ illo anno non erat Dominica Palmarum, sed Passionis. *Annal. Petav.*

(240) Hoc anno 717 factum, victoria vero contra Hilpericum a. 719, Clotarius vero hic ex Dagoberti II stirpe prognatus dicitur. Vid. Breviar. Reg. Franc.

(241) Ordinationem hanc Mabillonius sæc. iii Bened. p. ii, ad annum 722. revocat; verum ex ipsius Gregorii litteris, indictione vi datis, liquet id anno 723 factum esse, ac Bonifacium tunc non pro Moguntina Ecclesia, sed veluti episcopum nulli adhuc sedi addictum fuisse ordinatum.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

51. — Sanctus Pirminius, abbas et chorepiscopus, (242) a Bertholdo et Nebi principibus **116** ad Carolum ductus, Augiæque insulæ (243) ab eo præfectus, serpentes inde fugavit, et cœnobialem inibi vitam instituit (244) *Hepid.*

725 Sarraceni, ab Eudone in auxilium evocati, Gallias præda et incendio vastant. *Annal. Fuld. a.* 732.

726 Carolus, inita pugna, magnam Sarracenorum multitudinem una cum rege eorum victor prostravit. *Annal. Fuld. a.* 732.

117 727 Carolus, Burgundiam petens, sibi eam subjecit. *An. Fuld. a.* 733. — Sanctus Pirminius, ob odium Caroli a Theodebaldo Gotifridi ducis filio ex Augia pulsus, Etonem pro se constituit abbatem, et ipse Alsatiam, alia instructurus cœnobia, petiit. *Fragment. incerti apud Urstis. p.* II, p. 76.

728 Eudo dux moritur, et Carolus Aquitaniam sine bello recipit. *Annal. Fuld. a.* 735.

729 Carolus Fresiam invadit, Poponem ducem pugna victum occidit, fana incendit et victor rediit. *Annal. Fuld. a.* 733 *seq.* — Sanctus Egbertus, presbyter Anglus, obiit ætatis anno xc, die Paschæ, id est, VIII Kal. Maii. *Vid. Vita sæc.* III *Bened. p.* I.

730 Sarraceni collecto exercitu Avinionem urbem capiunt, regionesque circumquaque devastant; *al. a.* 737. — Lantfridus (245) dux Alamanniæ moritur. *Annal. Nazar. h. a.*

731 Carolus Avinionem, victis et cæsis Sarracenis, vi expugnatam recipit. *Ann. Fuld.; al. a.* 739. — Beda presbyter et monachus, natione Anglus, doctor mirificus obiit. *Mabil. sæc.* III *Bened. p.* I. Romæ Gregorius III papa sedit annos X, menses IX. *Anast.* — Tria cœnobia, id est, Altaha, Morbach et Favarias, ex Augiensibus fratribus instructa sunt, duodenis ad singula fratribus deputatis, et totidem Augiæ remanentibus.

118 732 Carolus, Gothiam invadens, regem Sarracenorum Narbonæ inclusum obsidet. *Ann. Franc. al. a.* 737. — Eto Augiæ abbas, a Theodebaldo ob

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

725 *Sarraceni Gallias vastant vrœda et incendio* Hepid.

726 *Carolus Sarracenos una cum rege eorum prostravit* (246).

Carolus Pippini filius, cum jam principatum majoris domus XII *annis tenuisset, posthac eumdem principatum* XV *annis obtinuit, regibus tamen in Francia, sed parva dignitate regnantibus.*

727 *Carolus, Burgundiam petens, eam sibi subegit. S. Pirminius ex Augia pulsus, Etonem... petiit.* In Vita sæc. III Bened. p. II.

728 *Carolus Aquitaniam sine bello recipit.*

729 *S. Egbertus...* VIII *Kal. Maii.*

730 *Sarraceni Avinionem urbem capiunt, et circumquaque regiones devastant.*

731 *Carolus Avenionem, cæsis Sarracenis, vi expugnatam recipit. Beda presbyter et monachus, natione Anglus, doctor eximius, obiit* VII *Kal. Junii* (247). *Romæ Gregorius III papa sedit annis* X, *mens.* IX. *Tria cœnobia, id est, Altaha, Murbach, Favarias ex Augiensibus fratribus instructa sunt.*

732 *Carolus Gothiam invadit.*

NOTÆ.

(242) Scilicet Regionarius, *Meltensis* in Vita dictus a Castello *Melteshem* prope Gamundium in ducatu Bipontino, ubi ultimum vitæ exegit. *Gerberti disquisit. I in Liturg. Alem., t. I, p.* 37, *et Hist. Silv. N., t. I, p.* 75.

(243) Hæc prius *Sintlacis Augia* ex possessore, ac dein *Augia dives* ex amplis donationibus dicta.

(244) Recentior manus addidit *annis tribus*, pro quo Bernoldus habet *anno tertio*, scilicet ab introitu S. Pirminii in Alamanniam circa an. 722. Quanquam alias ex Hermanno certum sit illum tribus tantum annis, ab an. 724 usque 727, in Augia substitisse, exinde a Theodebaldo pulsum. Aliter sensisse videri posset Bouquet, qui in excerptis Hermanni (t. III collect. p. 330) ejus Chronologiam alteravit, Pirminii ejectioni annum 735 in margine apponendo. Sed illam annorum mutationem Caroli Martelli facta tantum concernere, præmissus huic tomo index chronologicus prodit, ubi, quæ Pirminium ejusque successorem Etonem seu Hettonem spectant, iisdem cum Hermanno annis adnotantur; quod haud advertit Cl. Grandidier, cui Bouquetius dicti Hettonis initium Argentoratensis episcopatus ad annum 739 reposuisse visus est (*Histoire de l'Eglise de Strasbourg*, t. I, p. 270), quamvis hic *Addas* dictus jam memoretur in epistola Gregorii III (Mabill. Act. SS. IV p. 42, an. 738). Theodebaldus vero hic notatus, Gothefridi ducis Alamannorum an. 709 mortui filius (non autem Luitfridi seu Lantfridi, ut scribit Hepidannus in Annal.) utrum propria, seu Landfridi tunc ducis, a. 730 juxta Hermannum defuncti, auctoritate, quod videtur Schœpflino, Pirminium Augia expulerit, variant scriptores. Cointius (Annal. Franc.) factum hoc ad an. 730 refert, quo Theodebaldus, mortuo Lantfrido in ducatu et odio contra Carolum Martellum successerit, unde et Pirminio sex regiminis annos tribuit, Ettoni vero quatuor tantum. Verum contra communem Hermanni aliorumque sententiam aliis argumentis agendum fuisset Cointio; potuit enim Theodebaldus cum Lantfrido tunc rebellante contra Carolum conspirasse, etiam si dux necdum fuerit, nisi ut ducis filius; quo forte sensu etiam hic ab Hermanno Bertholdus et Nebi, qui aliis perperam Vehi dicitur, principes appellantur, tanquam alicui districtui Alemanniæ dominantes. Bertholdus certe a Bernone in Vita S. Meginradi (Mabil. sæc. IV. p. II) nobilissimus Alamannorum dux appellatur. Nebi vero, quod testatur Theganus de Vita Ludovicii Pii, c. 2, filius erat Houchingi, qui patrem pariter habebat Gothefridum ducem, ut adeo Theodebaldi fratruelis fuerit Nebi, qui Pirminium in Augiam induxit, ille vero expulit. Nebi quoque dux appellatur a Walafrido de Mirac. S. Galli l. 2, c. II.

(245) Est hic is ipse Lantfridus a Carolo an. 725 et h. a. devictus, teste Alberico monacho in Chronico, in Leibnitii accession. hist. Aliis Luitfridus dicitur Adalberti ducis filius.

(246) Hic incipit codex Gottwicensis minor ab his verbis, quæ in editis quoque leguntur : *Hucusque regnum Romanorum, ex hinc Francorum supputatur*, secundæ scilicet stirpis.

(247) Gottwicensis addit : *indictione* XIV, quæ hunc annum indicat.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

odium Caroli in Uraniam (248) relegatus, sed eodem anno, pulso Theodebaldo, a Carolo restitutus est.

735 Exercitus Sarracenorum de Hispaniis Narbonam superveniens, a Carolo commissa pugna ad internecionem deletur. *Ann. Franc. a.* 737.

734 Sarraceni item a Carolo pugna victi fugientesque naufragio perierunt. *Ann. Franc. a.* 739. — Augiæ Eto (249) abbas post VII annos Kebam successorem relinquens, ipse Argentinæ Ecclesiæ episcopus a Carolo promotus, non longe post sui nominis, id est, Ethenheim (250) cœnobium construxit.

735 Carolus item, victis et protritis Sarracenis, cum præda magna et captivorum multitudine victor revertitur. *Ann. Franc. a.* 739.

736 Carolus Gothos petiit, et nonnullas urbes eorum et castella diruens victor rediit. *Ann. Franc. a.* 737. — Audoinus (251) episcopus obiit. Augiæ defuncto post II annos Keba, Ernfredus monachus, Augiæ abbas et Constantiæ episcopus factus, præfuit annis X.

737 Carolus Saxones victos tributarios facit. *Ann. Fuld. Metens. a.* 738.

119 738 Carolus Provinciam petens Maurontum ducem, qui Sarracenos invitaverat, fugavit. *Ann. Fuld. a.* 739.

739 Carolus totam Provinciam suæ subjicit ditioni. *Ann. Fuld. Nazar.*

740 Victis circumquaque hostibus, pax et quies regno Francorum per Carolum facta. *Ann. Fuld.*

741 Romæ Zacharias papa sedit annos X, menses IV. *Anast.* — Carolus post multa fortiter facta moritur Carisiaci, et apud Sanctum Dionysium sepelitur; pro quo filii ejus, diviso inter se regno Francorum, majores domus præfuerunt, Carlomannus annis VI, Pippinus annis X. *Ann. Fuld. Fred. cont. c.* 110.

742 Carlomannus et Pippinus rebellare molientem Hunaldum Aquitaniæ et Theodebaldum Sueviæ ducem celeriter comprimunt. *Ann. Fuld.*

743 Ipsi duces Odilonem Bajoariæ ducem, sibi rebellantem, prælio vincunt. *Ann. Fuld.*

744 Carlomannus cum Odilone duce pacem fecit. Fuldense cœnobium in saltu Bochonia a sancto Bonifacio archiepiscopo fundatum est. *An. Fuld.*

745 Carlomannus cum fratre Saxoniam rebellantem vastavit. Hoseburg (252) castrum cepit. *Ann. Fuld. al.* 743.

746 Carlomannus Alamannos iterum rebellare conantes comprimit. *Annal. Fuld. a.* 745. — Sanctus Bonifacius, annuente Carlomanno, auctoritate Zachariæ papæ duos in parochia sua episcopatus facit: Wirziburgensem scilicet, cui sanctum Burchardum, et Eichstetensem, cui sanctum Wilibaldum comprovinciales **120** suos primos episcopos ordinavit (253) *Ann. Fuld.* — Sidonius Augiæ monachus, quintus ei loco abbas, Constantiæque episcopus factus, præfuit annis XIII (254); qui, cellam quoque sancti Galli ambiens, iniquis principibus in damnatione sancti Othmari abbatis consensit. *Hepid.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

753 *Carolus exercitum Sarracenorum de Hispaniis tenientem delevit.* Roderic. hist. Arab. a. 732.

734 *Augiæ Eto abbas Kebam successorem relinquens, ipse Argentorati episcopus promotus, non longe post sui nominis Etinheim cœnobium constituit.*

735 *Carolus item deletis Saracenis victor rediit.*

736 *Carolus Gothos petiit, et inde victor rediit. Audoinus episcopus obiit. Augiæ defuncto post duos annos Keba, Ernfridus Augiæ abbas et Constantiæ episcopus effectus, decem annis præfuit.*

737 *Carolus Saxones victos fecit tributarios.*

739 *Carolus*, etc., ut Aug.

740 *Victis... facta est per Carolum.*

741 *Romæ Zacharias... menses* IV, *Carolus Carisiaci moritur... annis* X.

742 *Carlomannus et Pippinus duces Aquitaniæ et Sueviæ rebellantes cito comprimunt.*

744 *Fuldense cœnobium... fundatum est.*

745 *Carlomannus... vastavit.*

746 *Sanctus Bonifacius annuente... episcopos ordinavit. Sidonius Augiæ*, etc., ut Aug.

NOTÆ.

(248) Pagus seu vallis in majore Alemanniæ pago Durgaugiensi in Helvetia, hodie Canton *Uri*.

(249) Hic *Adda* vocatur in epistola Gregorii III inter Bonifacianas 129, et Eddanus in præfatione concilii Germanici an. 742 : Concil. Germ., tom I, p. 48.

(250) In marca Brisgoviæ et Ortenoviæ ad radices Nigræ silvæ. Hist. ejusdem silvæ, t. I, p. 56, seqq.

(251) Hic primo Hermannus episcoporum Constantiensium seriem orditur. In Gallia Christiana, t. V, p. 894, inter Audoinum et Ernfridum Radottus episcopus ponitur, in epistola Gregorii III an. 738 ad Bonifacium notatus.

(252) Varie castri hujus nomen exprimunt auctores, quod *Osnabrugam* esse plerique existimant, alii arcem *Hochsiburg* in *Mendensi* ad *Weseram* intelligunt. *Fabric. Orig. Sax.*, l. I.

(253) Antiquior nonnihil est horum episcopatuum erectio, cum ambo hi, Burchardus et Wilibaldus, jam episcopi interfuerint synodo Germanicæ a S. Bonifacio, XI Kal. Maii a. 742, celebratæ.

(254) Pistorius ex codice antiquo hoc ad an. 748 reponit, uti et Gottwicensis codex. Recte id quidem, si primum an. 738 Ratoldo Erinfridus successerit. Sed ubi tunc tredecim regiminis anni Sidonii, jam an. 759 defuncti? Verum recte se habent, si ejus obitus cum Gottwicensi ad an. 761 referatur.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

747 Carlomannus, divino amore tactus, mundo abrenuntiavit, et, Romam pergens, mutato habitu monachum se in castro Cassino (255) ad sanctum Benedictum fecit. *Ann. Fuld.*

748 Gripho ex concubina frater Pippini, tyrannidem affectans, ad Saxones se contulit, Pippinoque adveniente, pacificari cum eo nolens, in Bajoariam fugit. *Ann. Fuld.*

749 Pippinus, Bajoariam adiens, Tassilonem sororis suæ Hiltrudis filium ducem ibi constituit, Griphone et Lantfrido (256) inde abductis. *Annal. Fuld. Fredeg. cont.*

750 Pippinus Griphoni XII comitatus in partibus Neustriæ dedit; sed ille rursum diffidens ad Waifarium ducem Aquitaniæ transfugit. *Annal. Fuld. a.* 749.

751 Pippinus, missis Romam legatis (257), Zachariam papam de regno Francorum et ignavis regibus ejus Merowingis, nomine solo regnantibus, consuluit. *Ann. Fuld.* — Lantfridus moritur. *Annal. Naz.*

121 752 Auctoritate Zachariæ papæ et, non multo post, Stephani, qui eidem in pontificatu sex annos succedebat, deposito ac detonso rege Childerico Merovingorum ultimo, Pippinus rex Francorum electus, et Suessionis a sancto Bonifacio archiepiscopo unctus et consecratus, regnavit annis XVII. *Ann. Fuld. Gest. reg. Franc.* — Audogarius, primus Campidonensis cœnobii fundator et abbas, locum illum incolere cœpit (258).

753 Pippinus rex perfidam rursus Saxoniam vastat, ibique Hildigarius Coloniensis archiepiscopus occisus est. *Ann. Fuld.* — Gripho, cum Italiam petere moliretur, a comitibus Pippini in valle Maurienna interimitur. *It.* — Stephanus papa, pro auxilio contra Haistulfum Longobardorum regem pascendo, ad Pippinum regem in Franciam venit, et filios ejus Carolum et Carlomannum (259) Parisius reges unxit. *Ann. Fuld. Met.*

754 Sanctus Bonifacius Moguntiensis archiepiscopus, cum Fresonibus evangelizaret, martyrio ab eis coronatus est anno episcopatus XXXVI et apud Fuldense cœnobium sepultus; pro quo Lullus archiepiscopus præfuit annis XXXII. *Ann. Fuld. an.* 755. — Carlomannus frater Pippini, cum ad eum pro dissuadenda expeditione Italica venire vellet, Lugduno obiit. *Al. an.* 754. — Pippinus Italiam cum exercitu petit, et Haistulfum regem victum et Papiæ obsessum obsides dare, et res sancti Petri sacramento reddere compulit. *Anast. Fred. append.* — Stephanus papa duce Hieronymo Pipoini fratre Romam rediit. *Ann. Fuld.*

122 755 Haistulfus sacramentum contemnens Romam obsidet, omnia circum ferro et igne devastans; pro qua re papa legatos marino itinere ad Pippinum questum et denuo auxilium obsecratum mittit. *Annal. Fuld.*

756 Pippinus rex, iterum Italiam petens, Haistulfum Papiæ inclusum obsidet, et Ravennam cum Pentapoli, aliisque quæ pervaserat, sancto Petro et domno papæ per legatum suum Folradum reddere coarctat. *An. Fuld. Fredeg. cont. an. præc.*

757 Haistulfus rex, in venatu ex equo lapsus, interiit; pro quo Desiderius regnavit (260). Constantinus imperator inter alia munera Pippino regi etiam organum misit. *Ann. Fuld.*

758 Pippinus Saxonibus item superatis annuatim CCC equorum censum imponit. *Ann. Fuld.* — Romæ Stephano papæ Paulus successit annis X. *Anast. a.* 757; *sic et Gottwic.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

747 *Carolus pro Dei amore mundo abrenuntians, in castro Cassino monachum se fecit.*

750 *Pippinus Griphoni... Neustriæ dedit.*

751 *Pippinus, missis... ignavis ejus regibus, consuluit. Idem Pippinus, rex effectus,* XVII *annis regnavit.*

752 *Auctoritate... Childerico Pippinus... unctus, regnavit annis* XVII. *Audogarius... incolere cœpit*

753 *Pippinus rex Saxoniam... occisus est. Stephanus papa... reges unxit.*

754 *S. Bonifacius Moguntinensis... Fresonibus prædicaret, marturizatus est ab eis... annis* XXXII. *Carlomanus... Lugduni obiit. Pippinus Italiam cum exercitu petens Haistulfum regem Papiæ obsessum obsides dare, et res S. Petri sub sacramento reddere coegit. Stephanus .. rediit.*

755 *Haistulphus... vastans; pro qua re papa legatos per mare ad Pippinum pro auxilio misit.*

756 *Pippinus... Papiæ obsidet, et Ravennam aliasque urbes pervasas eum S. Petro et domino papæ per legatum reddere compulit.*

757 *Constantinus imp... misit.*

758 *Romæ... annis decem.*

NOTÆ.

(255) Gottwicensis id in monte Soracte factum scribit, uti etiam Regino, sed brevi post ex illo in Cassinum perrexit.

(256) Schœpflinus aliique Lantfridum hunc primi Lantfridi an. 730 mortui filium, et Alemanniæ ducem fuisse asserunt. Vid. Alsat. illustr. p. 751; Eccard. Rer. Franc. t. I, p. 487, Calles, Annal., t. II, p. 310.

(257) Legationem hanc ex Eginhardo parti suæ nimium addicto in alios annales derivatam gravibus ex causis de fide suspectam saltem habet Cointius Annal. eccles., t. V ad ann. 752, et Eccard. Rer. Franc., t. I, p. 497, uti et coronationem Pippini a S. Bonifacio factam. Vid. Pag. ad an. 751.

(258) Vid. Mabillon. Annal. Bened., t. II, p. 159, 229.

(259) Hæc coronatio anno sequente die 5 Aug. ad S. Dionysii facta. Anon. apud Henschen, Exeg. prælim., II, ad t. III Martii, c. 4, n. 35.

(260) Paulus Diac. obitum Haistulphi anno priore consignat, uti et codex Gottwicensis.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

759 Waifarius, tyrannidem in Aquitania exercens, pressuras ecclesiarum, prædas et incendia villarum facit. *Ann. Fuld. h. a.; al. a. seq.* — Sanctus Othmarus abbas, a Warino et Rudhardo (261), consensu Sidonii episcopi, inique damnatus et in insulam Rheni Stein relegatus, migravit ad Dominum (262). Cujus abbatiam cum Sidonius episcopus et abbas temerario ausu invasisset, ante altare sancti Galli profluvio ventris percussus interiit (263); pro quo Joannes, Augiensis item monachus, episcopatum **123** et utramque abbatiam accipiens, præfuit annis XXI; qui primum Romanæ sedis privilegium Augiæ ab Adriano papa impetravit. *Hepid. an.* 758; *Gottw. an.* 760.

760 Pippinus Aquitaniam, seu Wasconiam invadens, Waifarium, quæ injuste invaserat, sacramento reddere compulit. *Annal. Fuld.*

761 Waifarius, sacramenta postponens, cuncta quæ potuit usque Cavillonem ferro, præda, igne vastavit. *Annal. Fuld.*

762 Pippinus, cum filio Carolo Aquitaniam item petens, plurimas urbes capit, et plures sibi rebelles domuit. *Annal. Fuld.*

763 Tassilo dux, de exercitu se subducens, Bajoariam repetit. *An. Fuld.*

764 Hiems frigore sæva et ultra solitum prolixa hoc anno accidit. Pippinus magnum conventum Carisiaci habuit (264).

765 Rodgangus [*al.*, Hruodhgangus *seu* Chrodegangus], Metensis archiepiscopus (265), corpora sanctorum Gorgonii, Naboris et Nazarii a Paulo papa impetravit. *Annal. Fuld.*; *Not. in Martyr.*

766 Corpus sancti Gorgonii in Gorza [*al.*, Gorzia] cœnobio (266) sancti Naboris in Novacella, sancti Nazarii in Lauresham conditum est. *Annal. Fuld.*; *al. a. pr.*

767 Pippinus in Aquitania Lemovicam urbem expugnatam capit. *Annal.* **124** *Fuld.* — Romæ Paulus papa obiit, pro quo Stephanus sedit annis IV.

768 Pippinus, occiso Waifario et subacta Aquitania victor rediens, VIII Kal. Octob. Parisius obiit, ibique sepelitur anno ætatis LIV; pro quo filii ejus, diviso regno, Carolus Magnus annos XLVI, et Carlomannus IV annos regnavit. *Annal. Fuld.* (267).

769 Carolus et Carlomannus Hunoldum Aquitaniæ ducem bello victum capiunt. *Annal. Fuld.* — Corpus sancti Othmari abbatis, post X annos, in insula qua obiit, incorruptum repertum, ad monasterium sancti Galli translatum est. *Hepidan. an.* 768, *al. an.* 770; *Walafr. Strab.*

770 Carolus filiam Desiderii regis Longobarorum, adducente Bertha matre sua, uxorem duxit, sed statim eam repudiavit. *Annal. Fuld. Eginhard. in ejus Vita.*

771 Carlomannus rex obiit, et Remis sepelitur. Carolus synodum magnam colligit (268). *Eginh. Annal. Met. Franc.*

772 Carolus Saxones petit, Eresburg (269) castrum cepit, idolum eorum, Irminsul dictum, diruit, et laborantem siti exercitum, datis divinitus in sicco

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

759 *Waifarius tyrannidem in Aquitania exercuit. S. Othmarus... temerarie invasisset... ventris obiit*, etc., ut Aug.

760 *Pippinus... invasit, et Waifarium injuste usurpata sub sacramento reddere coegit.*

761 *Waifarius iterum tyrannidem exercuit.*

762 *Pippinus... petens multas urbes ibi cepit.*

764 *Pippinus... habuit.*

765 *Rudgangus Metensis episcopus*, etc., ut Aug.

766 *Corpus S. Gorgonii in Gorzia*, etc., ut Aug.

767 *Romæ Paulus... annis* IV (270).

768 *Pippinus, subacta Aquitania,* VII *Kal. Oct. obiit, anno ætatis* LIII...; IV *annis regnavit.*

769 *Corpus S. Othmari... inventum... translatum est.*

770 *Carolus... Longobardorum, uxorem duxit, sed postea repudiavit.*

771 *Carlomannus obiit... collegit.*

772 *Carolus Saxones petiit, unde acceptis obsidibus rediit. Romæ post Stephanum Adrianus primus papa sedit annis* XXIV.

NOTÆ.

(261) Hos cameræ nuntios fuisse scribit Goldstatus, ex Ekkehardo De casibus S. Galli, cap. 1, *qui*, teste Walafrido in Vita S. Othmari, *tunc temporis totius Alamanniæ curam administrabant.* Vid. Gerberti Hist. Nigr. Silv., t. I, p. 58 seqq.

(262) Vid. Iso De mirac. S. Othmari l. I, c. 5.

(263) Walafridus Sidonium quidem ita percussum scribit, non tamen ibi, sed in Augia defunctum an. 761; obitus autem S. Othmari ex Isone l. c. ad annum 760 pertinet. Vid. an. 720.

(264) Regino habet conventum Wormatiensem, qualis etiam fuit. Vid. Concil. Germ. t. I, p. 123, et Vita S. Chrodegangi.

(265) Talem jam an. 753 a Stephano II papa in Galliis præsente cum usu pallii fuisse ordinatum scribit Anastasius in Vita ejusdem papæ. De hac vero translatione vid. Baronius ad an. 764, et Pagius, qui eam ad hunc annum revocandam censet.

(266) Historiam hujus translationis in Gorziense Lotharingiæ olim monasterium scripsit anonymus quidam ejusdem monachus, quam legere est apud Mabillon. sæc. III. Bened. p. II, p. 204. Cæterum Novacella Hilariacense est monasterium ad Mosellam, a S. Fridolino conditum, quod etiam S. Naboris in antiquis documentis vocatur, uti et Laurishaimense S. Nazarii et Gorziense S. Gorgonii.

(267) Post annum 768 codices Murensis et Engelbergensis interserunt genealogiam S. Arnulfi, prout eam Hermanno præmisimus.

(268) Est is conventus principum Valentianensis.

(269) Aliis Herisburg in Westphalia. Vid. Meibom. de Irminsula Saxonica, t. III Rer. Germ.

(270) Electio Stephani contigit 5 Aug. a. 768.

Digitized by Google

quodam torrente aquis, reficere meruit, acceptisque pro pace XII obsidibus, rediit. *Ann. Fuld.* — Romæ post Stephanum Adrianus papa sedit annis XXIV.

773 Carolus, ab Adriano papa pro defensione rerum sancti Petri rogatus, Italiam petit, et, claustris Alpium vi potitus, Desiderium fugientem Papiæ **125** obsedit, et ipse Romam orandi gratia adiens, Pascha inibi celebravit (271). *Annal. Fuld.*

774 Longobardi cum Desiderio rege suo Carolo se tradunt, anno ex quo Italiam cum Alboino rege intraverant CCV, ipseque regno eorum et thesauris potitus, abducto secum rege cum conjuge, victor rediit. *Annal. Fuld. Met.*

Saxones pactum frangentes Hessios petunt; sed ecclesiam apud Friteslar, a sancto Bonifacio dedicatam, Deo prohibente incendere nequeunt. *Al. a pr.* — Corpora sanctorum Gordiani et Epimachi de Roma in Alamanniam translata sunt (272). — Ecclesia sancti Nazarii Lauresham dedicata est. *Annal. Fuld.*

775 Carolus late Saxonum terras vastat, et duobus eos præliis vasta strage superat. Roudgaudus (273) Longobardus Italiæ regnum affectat. *Annal. Fuld. Reg.*

776 Carolus item Italiam petit, et Roudgaudum victum occidit. Saxones item rebellantes Caroli præsidia bello petunt. *Annal. Fuld.*

777 Saxones multa tandem cæde perdomiti Carolo subduntur, et Christiani efficiuntur, se suaque omnia tradentes, si ultra fidem violarent. *Annal. Fuld.*

778 Carolus Hispanias bello petit, et, obsidibus acceptis, Wasconibusque et Narbaris (Navarris) subactis, rediit. *Annal. Lauresh.* — Interim **126** Saxones item rebelles duce Widikindo Francorum terminos usque ad Rhenum vastant; sed insequente regis exercitu magna ex parte cæsi fugiunt. *Annal. Fuld.*

779 Carolus item Saxonibus pugna victis et subactis, obsides accepit. Fuldis Sturm abbas obiit, et Bagolf [*al.*, Baugulfus] successit. *Annal. Fuld. Laurish.*

780 Carolus, habito in Saxonia conventu, et dispositis tam Saxonum quam Sclavorum rebus, ipse Romam orandi gratia adiit. *Annal. Fuld.*

781 Pippinus filius Caroli Romæ ab Adriano papa baptizatus est, et cum fratre Ludovico rex unctus. Tassilo, dux Bajoariæ, fidem subjectionis Carolo sacramento et obsidibus firmat. *Annal Fuld.* — Constantiæ episcopus et abbas Joannes obiit; pro quo Egino episcopus annos XXXII, et Petrus Augiæ abbas annos V, et apud sanctum Gallum Roudpertus abbas annum I præfuerunt. *Hepid.* — Inter alia prodigia, cruces multis in vestibus apparent. Sanguis e terra et aere fluxisse dicitur. *Annal. Fuld.*

782 Carolus item in Saxonia conventum habens, legatos Danorum et Hunnorum audivit. Quo reverso, Saxones legatos ejus, in Sclavos cum exercitu missos, persuadente Widikindo, commisso prælio, non sine magna clade sua interimunt; ob quorum vindictam Carolus Saxonum quatuor millia et quingentos decollare jussit. *Annal. Fuld. Met.* — Apud sanctum Gallum Waldo abbas præfuit annum I et dimidium. *Hepid.*

783 Hiltigard regina uxor Caroli II Kal. Maii (274), et Bertha mater ejus IV Id. Jul. obiit. Carolus item Saxones bis acie confligens magna **127** strage vicit, Fastradamque eo anno duxit uxorem. *Annal. Fuld. et Met.*

784 Junior Carolus a patre in Saxoniam missus Westfaldos prælio vicit, et domuit. *Annal. Fuld.* — Apud sanctum Gallum Werdo abbas præfuit annos XXV. *Hepid.*

785 Widikind Saxo, ad deditionem Carolo veniens, baptizatus est, et tota Saxonia subacta est. Conjuratio orientalium Francorum contra Carolum orta et compressa est. *Annal. Fuld. Eginh.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

773 *Carolus ab... petiit, et, Desiderio rege obsesso Papiæ, ipse Romam... ibi celebravit.*

774 *Longobardi cum Desiderio rege eorum Carolo se tradunt, anno* CCV *ex quo Italiam cum rege Alboino intraverant. Corpora SS... translata sunt.*

775 *Carolus Saxoniam iterum rebellantem vastat.*

776 *Carolus Rudgaudum regnum Italiæ affectantem occidit.*

777 *Saxones tandem multa... efficiuntur.*

778 *Carolus Hispanias petiit, quibus subactis redit. Saxones iterum rebellant.*

779 *Carolus iterum Saxones superavit.*

780 *Carolus dispositis rebus Saxonum et Sclavorum, ipse... adiit.*

781 *Pippinus filius Caroli Romæ ab Adriano papa baptizatur, et ab eodem a baptismo suscipitur, et cum fratre Ludovico rex ungitur. Constantiæ... præfuerunt. Hoc tempore cruces apparuerunt multis in vestibus. Sanguis... dicitur.*

782 *Carolus Saxonum* 4500 *decollare jussit. Apud S. Gallum Waldo abbas præfuit anno uno.*

783 *Hildigart... Julii obiit.*

784 *Junior Carolus... Westphalos bello domuit.*

785 *Widikind... baptizatus est.*

NOTÆ

(271) Hoc ultimum spectat ad annum sequentem.

(272) Locum indicat Gottwicensis codex, nempe *Campidonam*. Vid. Bolland., t. II, Maii ad diem 10, et Mabill. Annal. Bened., t. II, p. 228, seq.; it. t. IV, p. 448.

(273) Rotgaudus, seu Rotgausus, dux erat Foro-Juliensis. Vid. Cointii Annal. ad h. 2.

(274) Vid. Bolland. 30 April.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

786 Carolus misso per Autulfum [*al.*, Audulfum] A exercitu Britones domuit, et ipse Romam orandi gratia adiit. Auctores conjurationis contra Carolum diversis pœnis multantur. Lullo Moguntiensi archiepiscopo Richulfus successit annis [*suppl.* XXVII]. Augiæ post Petrum Waldo abbas octavus præfuit annis XX. *Annal. Fuld.*

787 Carolus, Beneventum petens, obsides accepit. Ruoddrud [*al.*, Rotrudis] filia ejus Constantino imperatori desponsatur. Eclipsis solis XV Kal. Octob. *Annal. Fuld.*

788 Tassilo dux Bajoariæ, infidelitatis et perjurii convictus, a Carolo ducatu privatur. Græcorum exercitus a Francis et Italis vincitur. Item Hunni, qui et Avares, a Caroli vincuntur exercitu. *Annal. Fuld. Naz.*

789 Carolus, valido undique collecto exercitu, Albiam fluvium transit, et Sclavos, qui Wilzi dicuntur, prœliis protritos subjugavit. *An. Fuld. Eginh.*

790 Hunc annum Carolus sine bello Wormatiæ quietus transegit. *Annal. Fuld.*

791 Carolus, trifariam diviso exercitu terras Hunnorum ingrediens, ferro et igne devastat. *Annal. Fuld. Loisel.*

128 792 Synodo Ratisponæ collecta, hæresis Feliciana damnata est. *Concil. Germ. t. I, p.* 287. — Conjuratio Pippini contra patrem Carolum detecta et supplicio auctorum punita est. *Annal. Fuld. Eginh.*

793 Pugna inter Sarracenos et Francos in Gothia, Sarracenis superioribus, commissa est. Saxones item more suo rebellant. *Annal. Fuld.*

794 Synodo magna in Francoforurt habita, hæresis item Feliciana damnata est. *Annal. Laureh.* — Fastrada regina mortua et Moguntiaci sepulta est. Pseudosynodus Græcorum (275), pro adorandis imaginibus habita, ab episcopis damnata est. Carolus item Saxonibus subactis tertiam virorum partem transtulit. His temporibus Alcwinus, qui et Albinus, apud regem cæterosque vita et doctrina clarus habetur. *Annal. Fuld. Eginh.*

795 Saxones, cum Witzam ducem Abodritarum ad regem Carolum venientem peremissent, vastata item regione sua puniti obsides tradunt. Hunni quoque missis legatis se cum terra sua ipsi tradunt; Christianitatem promittunt. *Annal. Fuld. Eginh.*

129 796 Romæ, defuncto (276) Adriano papa, B Leo III papa sedit annis XX. Principibus Hunnorum, Cagano et Jugurro, civili bello peremptis, terra eorum omnibusque thesauris Carolus, per Ehericum Forojuliensem ducem et Pippinum filium suum, potitus est. Tudun quoque princeps eorum, ad ipsum veniens, cum populo suo baptizatus est et honorifice ad sua remissus est. Saxonia etiam iterum rebellis ab ipso pervasa vastatur. *Annal. Fuld. Eginh.*

797 Barcinona urbs Hispaniæ Carolo reddita est. Constantinopoli Constantinus imperator a Græcis excæcatur. Saxonia item a Carolo usque ad Oceanum vastata, et in deditionem per obsides recepta. *An. Fuld. Theoph.*

798 Carolus in Saxonia cum exercitu hiemavit, et Transalbianos Saxones, qui legatos ejus comprehenderant, late vastavit, et per legatos suos conserto prælio quatuor millia ex eis occidit, reliquos

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

786 *Carolus iterum Romam ivit orandi gratia. Augiæ... annis viginti.* C

787 *Rudtrud filia Caroli... desponsatur.*

789 *Hoc anno Carolus* LXXXIII *pene canonum capitula totius regni sui episcopis transmisit, ut ejus auxilio corrigenda corrigere possent* (277).

790 *Hunc annum Carolus Wormatiæ quietus transegit*

791 *Carolus terram Hunnorum aevastat.*

792 *Synodo... damnata est.*

795 *Saxones... rebellant.*

794 *Synodo... Feliciana damnata est. Pseudosynodus... damnata est. His temporibus Alcwinus... habetur.*

795 *Hunni missis legatis se cum terra sua Carolo tradunt, et Christianitatem promittunt* (278).

796 *Romæ, defuncto... annis* XX.

797 *Constantinopoli... excæcatur.*

798 *Helena mater... pace misit.*

NOTÆ.

(275) Inte.igitur nic concilium Nicænum II, an. D 787, pro cultu SS. ~~imaginum~~ habitum, et a Patribus Francofordiensibus perperam intellectum. *Conc. Germ. t. I, p.* 288.

(276) Scilicet VIII Kal. Jan., cui altera mox die successit Leo; quod adeo adhuc ad finem prioris anni pertinet.

(277) Sunt hæc capitularia Aquisgranensia hujus anni, quæ exstant in editione Baluziana et passim in collectionibus conciliorum.

(278) Circa hæc tempora in margine codicis Bavarici legitur sequens nota, primæva, ut videtur, manu ascripta. « Sciendum Carolo magno Adrianum papam Romæ librum dedisse continentem Canones apostolorum cum conciliis Nicæno, Ancyrano, Neocæsariensi, Gangrensi, Antiocheno, Laodicensi, Constantinopolitano, Chalcedonensi, Sardicensi, et quoddam excerptum ex Africanis conciliis continentem cum decretis S. Romanorum pontificum Siricii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cœlestini, Leonis, Hilarii, Simplicii, Felicis, Gelasii, Anastasii, Symmachi, Hormisdæ, Gregorii. Hunc librum quidam Adrianum cognominant. » Codicem hunc Harzheim suæ collectioni Conciliorum Germaniæ, t. I, p. 191, inseruit; in quo tamen pontificum decreta non habentur, quæ vero exhibet inter epistolas pontificias ad Ecclesias Germaniæ destinatas. Pergit citata nota : « Idem Carolus duos libros ex tractatibus seu sermonibus SS. Patrum per Paulum Diaconem suum collegit, eo quod quælibet apocrypha nollet legi in ecclesia. Nam prædicti duo libri per circulum anni singulis festivitatibus pene sive jejuniis ad nocturnales lectiones sufficere possunt cum Bibliotheca. Perfecti sunt autem illi duo libri anno Domini 808. » Hoc Homiliarium Pauli Diaconi passim editum prostat.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

pacem postulare et obsides dare compulit. Hadefuns [*al.*, Alfonsus] rex Gallæciæ Carolo prius munera pretiosa itemque manubias suas pro munere misit. Helena [*al.* Irene] mater Constantini imperatoris cæci legatos Carolo pro pace misit. Mauri piraticam exercere incipiunt. *Annal. Fuld. Laureſh.*

799 Leo papa, ut fama est, in Litania majore a Romanis lingua præcisa excæcatur, sed per Wirundum abbatem et Winigisum Spoletanum ducem ereptus atque in Saxoniam ad Carolum perductus est. *Anast. Met.* — Ehericus dux Forojuliensis a Liburnis per insidias occisus est. *An. Mei. Eginh.* — Geroldus (279) quoque præfectus Bajoariæ, signifer et consiliarius Caroli pius et religiosus, contra Hunnos pugnans occubuit, Augiæque, **130** quam multis auxerat donis et prædiis, sepultus. — Baleares insulæ, victis auxilio Caroli Mauris et Saracenis, liberatæ sunt. Britannia cismarina minor per Widonem ducem Carolo subjicitur. Patriarcha Hierosolymitanus reliquias de sepulcro Domini, et Azan, præfectus civitatis quæ dicitur Osca, claves urbis et alia præclara munera Carolo mittunt. *Ann. Fuld. Eginh.*

A — Augiæ sancti Petri basilica ab Eginone Veronensi (280) episcopo constructa et dedicata est.

800 Carolus Hierosolymam ad sancta loca insignia dona transmisit. **131** Ipse, dispositis per Gallici maris littora contra piratas præsidiis, ad sanctum Martinum gratia orandi venit, ibique defunctam Luitgardam (281) conjugem sepelivit. Inde Romam petens, Leonem papam se de illatis, et non probatis, criminibus sacramento purgantem sedi suæ restituit, ibique hiemavit; Pippino filio in Campaniam prædatum misso. *Ann. Fuld. Eginh. Anast.*

801 Carolus, in die natalis Domini (282) a Leone papa corona imposita, primus regum Francorum Cæsar Augustus imperator, Romanis laudes succlamantibus, appellatus est. Qui postea juxta le-
B ges Romanas temeratores Leonis papæ capitali sententiæ addixit; sed, precibus ejusdem papæ vita concessa, in exsilium eos relegavit. Terræmotus magnus II Kal. Maii factus est. *Annal. Fuld.*

802 Helena [Irene] imperatrix de Constantinopoli legatos item ad Carolum imperatorem pro pace misit, et ille vicissim missis ad eam Jesse episcopo

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

799 *Leo papa... excæcatur, et per quosdam liberatus in Saxoniam ad Carolum est perductus. Geroldus præfectus... sepultus est. — Patriarcha... Domini mittit Carolo regi.*

800 *Carolus Hierosolymam insignia dona transmisit, et Romam petens, Leonem papam se de ei illatis... restituit.*

801 *Carolus... eos relegavit. Terræ motus factus est secundo Kal. Maii.*

802 *Aaron rex Persarum inter alia munera elephantem Carolo imperatori misit.*

NOTÆ.

(279) Codex Gottwicensis : *Gerolt Pussinius signifer Caroli in pugna occiditur ab Hunnis.* Suspicabar scriptorem, litterarum similitudine deceptum, *Pussinius* exarasse pro *piissimus*, quod habet Mellicensis : verum Martinierius in Lexico testatur Geroldum hunc Hildegardis reginæ fratrem, Bajoariæ ac Sueviæ præfectum, arcem in monte *Bussen* habuisse, atque se ab eo comitem *de Bussen* seu *Bussinium* nuncupasse.

Firmari id videtur ex qualicunque charta Caroli magni pro monasterio Augiensi data Wormatiæ an. 811, in qua memoratur Bertholdus comes *Bussensis*, Geroldi nostri filius, qui tenuerit præfecturas *Tirmendingensem, Effingensem, Unlingensem, Altheimensem et aliorum locorum ad eas pertinentium*, quive in illo montis *Bussen* tractu siti sunt. Hildegardis regina, Geroldi soror, abneptis erat Godefridi ducis Alemannorum, teste Thegano de vita Ludovici Pii c. 2. (Duchesne Script. Franc., t. II p. 274), filia scilicet Immæ, quam genuit Nebi princeps, de quo supra ad an. 724, qui patrem habebat Punchinum Gothefridi Alemanniæ ducis filium; unde ipsa ex nobilissimo genere Suevorum orta dicitur coævis scriptoribus, qui tamen ejus patrem haud nominant. Geroldum vero ejus fratrem fuisse constat ex visione Wetini Augiensis monachi a Walafrido Strabo an. 825 scripta (Canisii Lect. antiq., t. II, l. II, p. 75), ubi simul ejus epitaphium habetur, quod illum Kalendis Septembris peremptum memorat. Alium quoque Hildigardæ reginæ fratrem Uldaricum seu Puldericum sistit anonymus San-Gallensis monachus, l. II De gestis Caroli M. a. 14 (Duchesne, t. II, p. 107, et Bouquet, t. V, p. 104), quin tamen ejus dignitatem exprimat. Suevorum regulum appellat Adlzreitter, p. I, l. VIII, n. 23, plurimis, juxta citatum anonymum, in Oriente et Occidente opibus et honoribus auctum. Forte is ipse est *Odalrih comes* ad d. 3 Febr. notatus in Necrologio Augiensi. Geroldum quoque Pussenium comitem ex Augiensibus Annalibus nominat Raderus in Bavaria Sancta, p. 76. De eo plura affert Cointius, Annal. Franc., t. VI, p. 22. De patre vero Geroldi et Hildegardis altum apud scriptores silentium, ex quibus id unum constat, nobilissimum Suevum seu Alemannum fuisse, quem unus, quod sciam, Bruschius (Chronol. monast. Germ. p. 65) Hildebrandum potentissimum Suevorum ducem appellat, patrem Hildegardis conjugis Caroli M., et Adelindæ, quæ Bucchaugiense cœnobium condidit. Cum vero ex Hermanno, ad an. 902, hic parthenon ab Adelinda primum ineunte sæculo X sit fundatus, assertum istud a se ipso corruit.

(280) Mabillonius, annal. t. II, p. 390, exinde suspicatur Eginonem prius fuisse monachum Augiensem; de quo tamen præter nomen nil habet Ughellus, Ital. Sac. t. V, p. 740. Poterat facile a Carolo M. Longobardis tunc imperante ex dilecta sibi Augia Veronensibus episcopus dari Egino : qui utrum jam hoc anno episcopatu relicto in Augiam concesserit, ac cellam inferiorem ibi condiderit, ut asserit D. Wendenthal, Austr. Sac. p. 1, p. 106, incertum adhuc est; ipsum saltem a. 796 synodo Forojuliensi interfuisse testatur Cointius, Annal., t. VI, p. 546. Juxta Panvinium tamen circa ann. 800 jam episcopus erat Rataldus seu Ratoldus, quo procurante S. Zenonis basilicam si non ædificavit, restauravit saltem Pippinus Italiæ rex.

(281) Gottwicensis diem mortis addit *secundo Nonas Junii.*

(282) Qui ad priorem adhuc annum nostro computandi modo pertinebat.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

Albianense et Helingaudo comite pacem firmavit. Aaron rex Persarum inter alia munera elephantum imperatori Carolo misit. Franci Transalbianos Saxones vastant. Fuldis Baugolfo abbati Ratgarius successit. Paulinus patriarcha Forojuliensis, seu Aquileiensis obiit. *Ann. Fuld.* — Egino quoque Veronensis episcopus hac vita decessit Augiæque in basilica cellæ suæ sepultus est (283).

803 Constantinopoli deposita Helena Niciferus [*al.*, Nicephorus] imperator factus, legatos Caroli imperatoris suis adjunctis firmata pace remisit. Quos ille suscipiens, compacto pacis litteris mandato dimisit. *An. Fuld.* — Sanguis Domini Mantuæ inventus Carolo imperatori nuntiatur; cujus rei veritatem perquirendam Leoni papæ imperator demandavit. Qua occasione arrepto itinere papa ad imperatorem venit, et cum eo natalem Domini Carisiaci celebravit. *Annal. Fuld. a.* 804.

132 804 Dominus papa magnis ab imperatore muneribus donatus per Bajoariam rediit. Carolus imperator Transalbianos Saxones cum mulieribus et natis in Franciam transtulit, et pagos eorum Abodritis dedit. Richpoto Trevirensis archiepiscopus obiit. *Annal. Fuld.*

805 Carolus Junior a patre missus Boemiam, occiso rege Lechone, subjugavit. Imperator Cagano apud Hunnos priscum honorem reddidit. *Annal. Fuld.*

806 Carolus imperator inter tres filios suos regnum divisit (284). Carolus Junior Sorabos vastavit et Miliduch ducem eorum occidit. Item misso exercitu Boemia vastatur. Pippinus rex filius Caroli Mauros de Corsica insula pepulit. *Ann. Fuld.* — Angiæ, Waldone abbate ad regendum S. Dionysii cœnobium transposito, Hetto (285) nonus abbas præfuit annos XVII.

807 Aaron rex Persarum inter alia multa et pretiosa munera artificiosum satis Carolo imperatori misit horologium. Classis a Carolo imperatore missa Mauros item in Corsica commisso prælio multis cæsis, fugavit. *Annal. Fuld.*

808 Godafridus, rex Danorum et Nortmannorum, multo militum suorum damno cum Abodritis bello conflixit et vicit. Carolus Junior Linones et Smeldingos, qui ad Godafridum defecerant, vastavit. Eardolf, rex Nordanumbrorum, regno pulsus, primo ad Carolum imperatorem ac deinde Romam questum venit. *Annal. Fuld.*

809 Ludovicus filius imperatoris Hispaniam petiit. Eardolf in regnum **133** suum per legatos papæ et imperatoris remittitur. Quæstio de processione Spiritus sancti synodo habita (286) ventilatur. Imperator contra Godafridum castrum Esesfeld (287) trans Albiam ædificat. Trasico dux Abodritarum cum fortiter multa contra perfugas Godafridi sucque desertores fecisset, a militibus ejus dolo occisus est. *Annal. Fuld.* — Apud sanctum Gallum Wolfleo (288) abbas præfuit annos IV.

810 Ruoddrud filia imperatoris VIII Id. Junii obiit. Godafridus missa magna classe Fresonibus, ter prælio victis tributum imposuit: cui cum imperator Carolus jam cum exercitu occursaret, elephas quem Aaron miserat, subito moritur, classisque reversa, et Godafridus, qui se cum ipso imperatore acie conflicturum minitabatur, domi a suis peremptus nuntiatur. Castellum quoque Hochbuoch (289) super Albiam situm cum præsidio suo a Wilzis captum. Pippinum quoque Italiæ regem filium suum VIII idus Julii defunctum didicit. Hispani, itemque Græci per legatos cum illo pacem firmant. Maxima bonum pestilentia hoc anno facta. Hemmingus rex Danorum, filius Godafridi (290), pacem cum imperatore fecit. *Ann. Fuld.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

803 *Sanguis Domini... celebravit.*

804 *Dominus papa magnis muneribus ab imperatore donatus Romam rediit.*

805 *Carolus junior a patre missus Boemiam subjugavit.*

806 *Carolus imperator regnum inter tres filios divisit.*

807 *Aaron rex Persarum cum aliis muneribus artificiosum Carolo misit horologium.*

808 *Eardolf rex Nordanumbrorum regno pulsus ad Carolum imperatorem questum venit.*

809 *Quæstio de... ventilatur.*

810 *Hispani et Græci per legatos cum illo pacem firmant. Pippinum filium suum, regem Italiæ, mortuum esse didicit.*

NOTÆ.

(283) Sepulcrum ejus cum epitaphio adhuc visitur in ecclesia parochiali cellæ inferioris, quod cum ectypo sandaliorum ejus exhibetur in Cels. Gerberti itinerario. Obitus vero ejus in Necrologio Augiensi notatur IV Kal. Mart.

(284) Videnda Caroli charta divisionis regnorum apud Quercetanum et Baluzium.

(285) Ex Hepidanno ad an. 802. *Heitto episcopus in consilio Caroli clarus habetur.* Unde jam tum Basileensi cathedræ admotus fuisse videtur. Id saltem ex Walafrido eruunt Sammarthani, Gall. Christ. t. V, p. 983, Hettonem prius fuisse episcopum quam abbatem, uti etiam habet Gottwicensis. *Waldoni abbati Heito Basileo episcopus successit.*

(286) Synodus hæc est Aquisgranensis mense Novembri habita. *Conc. Germ. t. I, p.* 390

(287) Etiam Essenfeld dictum, quod nunc est Izehoe Holsatiæ oppidum

(288) In Raperto nullibi abbas vocatur Wolfleoz, quamvis factus post Eginonem episcopus abbatiæ hnic fuerit insidiatus, eamque sibi contra Gozbertum an. 816, defuncto Werdone electum per vim arrogarit, donec ei jussu Ludovici imp. renuntiare fuit coactus. (Goldast. Script. t. I, p. 5.)

(289) Apud Eginhardum *Hochbucki* et *Hochbochi* vocatur, ac hodiernum Hamburgum esse censetur, ubi Amalharius Trevirensis anno seq. ecclesiam dedicavit.

(290) In annalibus Fuld. et Metens. dicitur filius fratris ejus.

Digitized by Google

811 Heito abbas Augiæ et episcopus Basileæ, cum Hugone et Haicne, comitibus (291) Constantinopolim missus, Odoporicum [Hodœporicum] suum scripsit. Interim Niciforus [Nicephorus] imperator cum Vulgaribus pugnans occisus est. Tandem Michael imperator factus legatos Caroli imperatoris remittit. Tres exercitus fausto omine in Linones, in Pannonias, 134 in Britones ab imperatore mittuntur. Carolus rex filius imperatoris II Non. Decem. obiit. *Annal. Fuld.*

812 Hemmingo rege mortuo, orto inter Danos de regni primatu prælio, decem millia nongenti et quadraginta cecidisse feruntur. Michael imperator, legatis Caroli remissis, suos etiam pacem confirmatum misit. Beneventani viginti quinque millia solidorum auri tributum Carolo persolvunt. Classis Danorum Hiberniam invadens a Scotis victa est. *An. Fuld.*

813 Carolus imperator Amalharium Treverensem archiepiscopum et Petrum Nonantulanum abbatem item Constantinopolim misit, quorum Odoporicum item scriptum habetur (292). Ipse Ludovicum filium consortem imperii, Bernhardum (293) quoque Pippini filium, nepotem suum Italiæ regem fecit. *Thegan.* — Quina (294) permagna concilia Mogontiaci, Rhemis, Turonis, Cavillonis, Arelati pro statu Ecclesiarum fieri jussit. Pons Mogontiaci super Rhenum a Carolo structus incendio periit. *Annal. Fuld.* — Constantiæ Egino episcopus obiit. Post quem Wolfleoz episcopus factus est, qui cœnobium quoque S. Galli IV jam annis tenuit (295). Apud sanctum Gallum Gozpertus abbas præfuit annis XXVII.

814 Carolus imperator magnus, cum prius thesauros suos inter XXI archiepiscopatus regni sui cæterosque episcopatus et Ecclesias divisisset, febre et pleuresi pulsatus, V Kal. Febr. Aquisgrani obiit, ibique honorifice 135 sepultus est anno ætatis LXXI, regni XLVII, subjectæ Italiæ XLIV, imperii XIV, indictione VII. Pro quo filius ejus Ludovicus, cognomento Pius, regnavit annis XXVII. Qui statim auditis et absolutis gentium diversarum legatis, generale colloquium Aquisgrani habuit, et multa per totum regnum perperam gesta correxit. *Annal. Fuld., Eginh., Thegan.*

815 Exercitus Herioldo Danorum regi ad auxilium a Ludovico rege missus XL (296) obsides ab hostibus accipit. Quidam ex Romanis primoribus in necem Leonis papæ conjurantes puniuntur. *Ann. Fuld., Laurish.*

816 Sorabi, itemque Wascones rebellare molientes comprimuntur. Leone papa in VIII Kal. Junii (297) defuncto, Stephanus sedit mensibus VII. Qui ad Ludovicum regem in Franciam veniens, Remis eum imperatorem coronavit, muneribusque et amicitia mutuo illi junctus Romam rediit. Imperator synodo (298) collecta multa de statu et religione cœnobiorum bene disposuit. *Ann. Fuld.* — Augiæ basilica S. Mariæ, a Heitone abbate et episcopo constructa, dedicata est

817 Stephano papa IX. Kal. Febr. defuncto, Paschalis sedit annis VII. Eclipsis (299) solis Nonis Febr. facta, et cometa visa est. Legati Leonis imperatoris de Constantinopoli pro pace ad Ludovicum veniunt imperatorem. Ludovicus imperator Lotharium (300) primogenitum suum imperii consortem, Ludovicum et Pippinum filios suos Bajoariæ et Aquitaniæ reges præfecit. Sclaomir dux Abodritarum rebellat. Bernhardus rex Italiæ rebellare molitus, cum rebus suis desperaret, patruo imperatori ad

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

811 *Hetto abbas Augiæ et episcopus Basileæ, missus Constantinopolim, Hodœporicum suum scripsit.*

812 *Michael imp. legatis Caroli remissis, suos etiam pacem confirmatum misit. Beneventani* 25000 *solidorum auri tributum Carolo persolvunt.*

813 *Carolus imperator... misit, quorum liber itineratus, Hodœporicum item scriptum habetur. Ipse Ludovicum filium regni consortem fecit. Mortuo Pippino filio ejus rege Italiæ, filium ipsius Bernhardum, nepotem suum regem fecit Italiæ. Permagna concilia Moguntiaci, Rhemis, Turonis Cavillonis, Arelati pro statu Ecclesiarum fieri jussit*

814 *Carolus imperator... qui statim generale colloquium Aquisgrani habuit, et multa perperam gesta per regnum correxit.*

815 *Quidam ex Romanis primoribus... puniuntur.*

816 *Leone papa defuncto* VIII *Kal. Jun... coronavit, deinde Romam rediit. Imperator synodo... bene disposuit.*

817 *Stephano papa... annis* VII. *Legati Leonis... veniunt imperatorem.*

NOTÆ.

(291) Turonensi scilicet et Forojuliensi. Hetto subscribitur in testamento Caroli M. hoc anno condito. Testamentum hoc, ut perhibet Eginhardus (Baluz. Capit. t. I, p. 487), conscriptum est anno 811. Hettonis Hodœporicum interciit, Legatio Michaelis altero anno facta. *Eginh.*

(292) Nusquam editum legitur hoc Hodœporicum.

(293) Id jam anno priore factum.

(294) Cuncta hæc concilia una serie recenset Labbeus in sua collectione t. VII, p. 1239, et Moguntiacum Harzheim in conc. Germ. t. I, p. 404.

(295) Vid. ad an. 809. Juxta Ratpertum Gozbertus primum an. 816, abbas electus est, ex Hepidanno autem an. 815.

(296) Annales Fuld. LX obsides numerant.

(297) Annales Fuldenses habent VIII *Kal. Julii*, manifesto errore, cum Stephanus ejus successor jam 22 Jun. fuerit ordinatus, obiit autem Leo III Idus Junii.

(298) Est hæc synodus Aquisgranensis. Conc. Germ. t. I, p. 430.

(299) Eclipsis lunæ fuit hac die, illa autem solis contigit 19 Febr.

(300) Vid. charta divisionis apud Baluzium Capit t. I, p. 573.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

deditionem venit. Ratgarius Fuldensis abbas a fratribus accusatus et convictus deponitur. *An. Fuld.*

136 818 Bernardus rex, item rebellionis convictus, judicio Francorum excæcatus moritur, complicesque ejus diversis modis puniti episcopique depositi sunt. Ludovicus imperator Cismarinos Britannos rebellantes, exciso Mormanno duce eorum, domuit. Eclipsis solis VIII Id. Julii facta (301). Irmingard imperatrix obiit V Non. Octob. Fuldis Eigil abbas constituitur. *Annal. Fuld.*, *Thegan.*

819 Sclaomir dux Abodritarum exsilio damnatus et regnum ejus Ceaddrogo Trasconis filio datum. Synodo Aquisgrani (302) habita multa de statu Ecclesiarum et cœnobiorum tractata sunt. Imperator Judith filiam Welphi comitis duxit uxorem, ex qua Carolum genuit. Exercitus in Pannonias contra Liudwidum [*al.*, Liutwitus *et* Liutulfus] Sclavum rebellantem parvo effectu mittitur. Pippinus filius imperatoris Vascones rebellantes subjicit. Fuldis ecclesia sancti Bonifacii ab Heistolfo archiepiscopo dedicata est. *Annal. Fuld.*

820 Tres exercitus contra Luidwidum ex diversis partibus immissi Pannoniam magna ex parte devastant. Bera comes Barcinonæ, reus majestatis, duello convictus, exsilio damnatur. Ex inundatione pluviarum nimia pestilentia magna et fames facta. *Annal. Fuld.*

821 Ludovicus imperator regnum inter filios divisit, exsilia relaxavit, debita cunctis dimisit, possessiones in fiscum redactas restituit. Lotharius filius ejus uxorem duxit. *Thegan.*— Ceaddrago duce Abodritarum perfidiæ notato, Sclaomir, exsilio revocatus tactusque morbo, percepto baptismate obiit. *Ann. Fuld.*

822 In Thuringia cespes longitudine L pedum, latitudine XIV, altitudine XVIII, de loco suo XXV pedes translatus integer invenitur. In orientali Saxonia nocte quadam, juxta lacum Arnseo (303), tellus per spatium leucæ unius in modum aggeris intumuit.

137 Ludovicus imperator de publicis peccatis suis publicam pœnitentiam egit et quæque in regno suo corrigenda correxit. Lotharius in Italiam, Pippinus ducta uxore in Aquitaniam reges missi sunt. Fuldis Eigil abbas obiit, cui Rabanus, vir doctus et divinorum librorum tractator egregius, successit. *Annal. Fuld.* — Augiæ Hettone abbate et episcopo privatam et quietam vitam adoptante, Erlebaldus abbas X præfuit annis XIII. Ebbo Remorum archiepiscopus genti Nortmannorum verbum Dei prædicat. *Annal. Fuld.*

823 Lotharius rex Italiæ, rogante papa Paschale, imperator ab eo Romæ coronatur. Luidwidus Pannoniæ tyrannus, in Dalmatiam transfugiens, dolo ducis Provinciæ peremptus est. Inter alia prodigia terræmotus Aquense palatium concussit. In territorio Tullensi puella quædam duodennis triennio (304), fere sine cibo et potu sana et manibus suis laborans, permansit. In pago Saxoniæ Firihsazi (305) XXIII villæ, et in aliis provinciis ultra solitum plures fulmine crematæ. Fulgura crebro sereno cœlo cecidere, agri præter solitum multi grandine vastati, veris inter ipsam et magnis lapidibus quibusdam in locis decidentibus. Pestilentia quoque ingens facta. *An. Fuld.*

824 Rex Vulgarorum Omortag pro pace ad imperatorem Ludovicum misit. Romæ Eugenius papa post Paschalem sedit annis III. Hiems præter solitum frigida et prolixa. In territorio Augustodunensi glacies de aere cecidisse dicitur XV pedum longa, VII lata, II grossa. Ludovicus imperator filium Lotharium pro quibusdam corrigendis Romam misit. Ipse rebellantem Britanniam ferro et igne vastans domuit. *Annal. Fuld.* — **138** Augiæ Wetinus monachus, e corpore ductus et reductus, post triduum obiit; cujus visiones Hetto episcopus prosa, et Walahfridus heroico metro scripsit (306).

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

818 *Ludovicus imperator Cismarinos Britannos domuit.*

819 *Synodo Aquisgrani habita, multa de statu Ecclesiarum disposita sunt.*

820 *Ex inundatione pluviarum pestilentia magna facta est.*

821 *Ludovicus imp. regnum inter filios divisit, exsilia relaxavit, debita cunctis dimisit.*

822 *Ludovicus... egregius successit. Augiæ Hettone abbate et episcopo quietam vitam adoptante, Erlebaldus abbas decimus successit.*

823 *Lotharius rex... Romæ coronatur. Agri multi præter solitum grandine sunt vastati, magnis lapidibus alicubi decidentibus.*

824 *Romæ Eugenius papa post Paschalem sedit annis tribus. Augiæ Wettinus monachus e corpore ductus post triduum... Hetto... scripsit.*

NOTÆ.

(301) Eclipsis ista pertinet ad 7 Jul., non vero ad d. 8.

(302) Conc. Germ. t. II, p. 11.

(303) Inde nomen habet oppidum *Arntsee*, seu *Arensee* in veteri marchia Brandenburgica, lacui huic adjacens.

(304) Annales Fuldenses decem tantum menses habent, uti et Annales Eginhardi, sed ad ann. 825 triennium ponunt.

(305) Pagus hic aliis *Frisazi* dictus vulgo in Saxoniæ confinibus in Westphalia collocatur, de quo consulendum Chronicon Gottwicense, p. 600. Ex hoc autem loco erroris convincitur Paullinus, eumdem pagum in marchia Brandenburgica constituens.

(306) Hettonis descriptio prosaica desideratur; Walafridi autem carmen exstat in Canisii Lect. Antiq. t. II, p. II, p. 204, nov. ed. Vid. Coint., Annal. t. VII, p. 733.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS

825 Item rex Vulgarorum legatos pro terminis regnorum dirimendis imperatori mittit. Wiomarcus Britto, Francorum terminos infestans, a militibus Lantperti comitis in domo propria peremptus est. Imperator cum filiis Godofridi pacem fecit. *Annal. Fuld.*

826 Item Vulgarorum rex legatos insolentius pro terminis sine mora statuendis imperatori mittit; quos imperator negligentius remisit. Herioldus rex Danorum cum uxore et filiis et magna suorum multitudine Moguntiaci (307) baptizatus est. Georgius quidam presbyter Veneticus organum hydraulicum Aquisgrani fecit. Rizo Gothus de palatio ad Sarracenos se conferens rebellare tentavit. Hidowinus de S. Dionysio abba ab Eugenio papa ossa beati martyris Sebastiani impetravit, quæ, Suessionis in basilica sancti Medardi locata, variis et innumeris refulsere miraculis. *Annal. Fuld.*, *Laurish.*

827. Exercitus Sarracenorum Rizoni ad auxilium missus, Pippino rege tardius resistente, territoria Barcinonensium et Gerundensium vastavit. Vulgari turbata pace Pannoniam per Dravum fluvium navibus invadunt, vastant sibique subjiciunt. — Corpora sanctorum martyrum Marcellini, et Petri (308) in Franciam translata sunt mense Novembri. Romæ post Eugenium (309) Valentinus papa sedit diebus XL, et post hunc Gregorius IV papa sedit annis XVI. *Annal. Fuld.*

139 828 Reliquiæ sancti Marcellini Aquisgrani allatæ plurimis glorificantur miraculis. Imperator Lotharium filium ad terminos Hispaniæ contra Sarracenos, Ludovicum vero contra Vulgaros in Pannonias cum exercitu misit. Rupto incaute pacto cum Nortmannis fœdere, castra nostrorum ab ipsis direpta sunt. *Annal. Ful.*, *Laurish.*

829 Aquisgrani terræmotus Sabbato sancto Paschæ factus. Generalis conventus mense Augusto Wormatiæ ab imperatore habitus. Vulgari item navibus per Dravum invecti Pannoniam vastant. Lotharius filius imperatoris in Italiam proficiscitur. Bernardus comes Barcinonensis camerarius imperatoris contra voluntatem Francorum factus. *Annal. Fuld.*

830 Dissensio principum contra imperatorem propter Bernardum mota, ipso depulso, ad tempus modicum sedatur. *Annal. Fuld.*, *Vita Walæ.* — Corpus S. Marci evangelistæ sub nomine Valentis martyris Ratoldus Veronensis episcopus a duce Venetiæ impetravit, et cum corpore Genesii martyris in Augiam insulam attulit (310). Basilica sancti Galli a Gozperto abbate incœpta.

140 831 Imperator, conventu Noviomagi (311) ha-

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

826 *Herioldus... baptizatus est. Hildovinus abbas de S. Dionysio... Medardi collocavit.*

827 *Corpora... translata sunt. Hoc in anno Ansegisus abbas in quatuor libellos collegit tam sæculares quam ecclesiasticas leges, quas Carotus M. et Ludovicus atque Lotharius imperatores promulgaverunt* (312).

828 *Romæ post Eugenium Valentinus papa sedit dies* XL, *et post hunc Gregorius papa sedit annis* XVI *Reliquiæ... miraculis.*

829 *Aquisgrani terræmotus Sabbato sancto Paschæ factus.*

830 *Corpus S. Marci... insulam attulit.*

831 *Imperator omnes sibi contrarios honore privando animos tam filiorum quam cæterorum contra se irritavit.*

NOTÆ.

(307) Nigellus et Theganus hoc apud ingelnheim factum scribunt.

(308) Vid. Einhardi historia hujus translationis t. I Jun. Bolland. d. 2.

(309) Paschali a 823 defuncto, Eugenius a. 824 successit, huicque ann. 827 Valentinus et Gregorius. *Pag.*

(310) De interpolatione suspecta est hæc narratio, forte ex codice San Georgiano seu Bernoldo postea addita; certe character a primæva manu abire videtur. Antiquus codex apud Urstisium tantum habet : *Corpora SS. Valentis et Sinesii in Augiam insulam deferuntur*, seu, ut habet breve chronicon San Gallense (Duchesne, t. III), *corpora SS. Valentis et Sinesii Augiam devenerunt* : quod ad an. 829 jam refert Chronicon Augiense : *pretiosa corpora S. Valentini et S. Senesii in Augiam insulam venerunt* v *idus Aprilis.* Annalista vero Saxo ad an. 831 : *Corpora SS. Valentis, Sinesii et Theopontii in Augiam insulam delata sunt.* Quod Valentem spectat, potius mihi persuaserim illum esse episcopum Veronensem an. 531, 26 Jul. defunctum, quo die adhuc colitur. Cujus certe corpus, utpote Veronæ conditum, facilius obtinere et in Augiam mittere potuit Ratoldus ejusdem pariter urbis episcopus, quam illud S. Marci primum ante biennium Alexandria Venetias translatum (Pagius in Crit. ad an. 820), etsi illius partem Augiensibus concedat Cointius Annal. t. VIII, p. 164. seqq., ubi pluribus quoque agit de SS. Senesio et Theopompo, quorum pariter reliquiæ eadem occasione primum Augiæ, deinde Ratholdi cellæ fuerint illatæ. Has ex Oriente advectas et an. 807 in monasterio S. Fuscæ reconditas scribit, ubi Ratoldo quædam earum pars multo ante obtigerit, quam a. 911, exinde Nonantulam transferrentur, quod fuse describit Ughellus Ital. Sac. t. V, p. 491, seqq. Uterque in Martyrologio Rom. notatur 21 Maii, in Calendario autem Petershusano die 19 April., et in Rhenaugiensi die 20 ejusdem mensis. Vid. Gerberti Itin. Aleman. *Ratoldi cella.* et t. I Monum. Liturg. Alem., p. 404, 472. Tillemont, t. II Observat. eccl., p. 98 et 513.

(311) Juxta Theganum factum, id est in conventu Aquisgranensi.

(312) Hæc collectio libris VII comprehensa exstat in Capitularibus regum Francorum, ex editione Baluziana.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

hito, omnes qui sibi contrarii fuerant, honoribus privavit, quosdam etiam prædiis spoliavit, quosdam exsilio relegavit, animosque tam filiorum quam cæterorum contra se et Judith uxorem suam graviter irritavit. *Annal. Fuld.*

832 Imperator contra filium Ludovicum cum exercitu Augustam Vindelicam venit: quo resistente, contra Pippinum alterum filium ad Aquitaniam se convertit eumque regno privavit. Sed inde rediens, timore filiorum uxore abdicata (313), difficulter Aquense palatium repetiit. Eclipsis solis II (314) Non. Maii et Lunæ XIII Kal. Junii facta. *Annal. Fuld.*

833 Imperator, recepta uxore, contra filios ad se venire volentes, collecto exercitu in Alsatiam arma commovit: ubi veniente cum filiis Gregorio papa, imperator a suis proditus ac relictus in filiorum suorum potestatem devenit. *Annal. Fuld.*

834 Imperator judicio episcoporum armis depositis, ad agendam pœnitentiam includitur (315), et uxor ejus in Italiam relegatur; sed mox æstate recepta uxore, et armis Lotharium filium in Italiam repulit (316). *Nithard. Theg.* — Eodem anno pugna contra Matfredum et Lantpertum facta, in qua inter alios plures cecidit Odo comes Aurelianensis, et Theodo abbas Turonensis. *Ann. Fuld.*

835 Imperator cum filiis Pippino et Ludovico Lugduni (317) magnum habuit **141** conventum. Normanni Dorestatum (318) vastant. *Annal. Fuld.* — Basilica sancti Galli dedicata est. *Hepid.*

836 Imperator conventum apud Theodenhove (319) palatium habuit, ad quem Lotharius filius ejus gravi morbo detentus venire non potuit (320). Normanni Antwerpam urbem, et in ostiis Mosæ situm Witlam [*al.*, Witham] emporium incendunt, et a Fresonibus tributum accipiunt. *An. Fuld.* — Augiæ Heito Basileæ episcopus obiit et sepelitur (321).

837 Ticinum III Kal. Jan. octies noctu tremuisse dicitur. Multi principum Italiæ morbo absumpti. Cometa in signo Libræ visa (322). Normanni in Walcra [*al.*, Walacria] insula commissa pugna XV Kal. Julii multos interimunt; itemque Dorestatum vastantes tributum a Fresonibus accipiunt. *An. Fuld.*

838 Terræmotus XV Kal. Febr. vespere factus. Naves contra Normannos ædificatæ. Imperator optimam partem regni filio juniori Carolo dedit. *Annal. Bertin. an. pr.* — Lotharius et Ludovicus fratres in Tridentina valle inter se colloquium habuere. *Annal. Bertin. an. pr.* — Imperator, habito Noviomagi conventu, consilio quorumdam Ludovico filio regnum orientalium Francorum, quod ab eo acceperat, interdixit: quod ille invidia pravorum factum sciens, cum idem regnum invasisset, imperator collecto exercitu vi eum expellere statuit. Pippinus rex Aquitaniæ, filius imperatoris, mense Novembris (323) obiit. *Annal. Fuld.* — Apud sanctum Gallum Gozperto abbati Bernwicus successit. *Ratpert.* — Augiæ Erlebaldo abbate cedente, Ruodhelm abbas XI præfuit annis IV.

142 839 Ludovicus patri imperatori cedendum ratus, in Bajoariam rediit. Imperator celebrato juxta Brigantinum lacum (324) Pascha, postea habito Wormatiæ conventu, Lothario filio de Italia advenienti reconciliatur, ipsique et Carolo filio regnum partitur. *Annal. Bertin.* — Bajoaria tantum Ludovico quia eum offenderat relicta: Lotharioque Italiam repetente, ipse

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

832 *Imperator contra filios suos exercitum movit; uxorem timore filiorum abdicavit.*

833 *Imperator item contra filios in Alsatiam venit: ibi veniente Gregorio papa cum filiis imperator, a suis relictus, in filiorum potestatem devenit*

834 *Imperator judicio... includitur.*

835 *Imperator... magnum conventum habuit.*

837 *Ticinum tertio Kal. Januarii octies noctu tremuisse dicitur.*

838 *Imperator habito conventu Noviomagi Ludovico filio regnum Francorum interdixit. Puoto* [al., *Bodo*] *diaconus palatii in Judaismum lapsus.* Annal. Bertin. ad an. 839.

839 *Imperator filio suo Lothario repacificatur. Ebbo Remorum archiepiscopus degradatur* (325).

NOTÆ.

(313) Alii hoc ad annum 830 referunt. *Vit. Ludov. Pii.*

(314) Annales Fuldenses habent, V *Nonas Maii*, sed nulla hoc anno solis defectio contigit, et illa lunæ fuit 18 April.

(315) Facinus hoc anno priore patratum produnt gesta exauctorationis apud Duchesne, t. II, p. 332, ubi etiam legitur Ludovici Pii desuper conquestio.

(316) Fugiente Lothario Ludovicus jam in Quadragesima imperio restitutus est. *Astron. ad. an.* 834.

(317) Videtur hic indicari conventus Wormatiensis anno seq. habitus. Thegani append. Lambec. Bibl. Cæs. l. II, c. 5.

(318) Hodie *Wyck Duerstede*, Belgii urbs in Ultrajectina provincia.

(319) Est hæc *Theodonis villa*, aut *Totonis villa*, nunc *Diedenhofen* ducatus Luxemburgici civitas ad Mosellam. Pertinet vero hic conventus ad annum priorem. *Thegan.*, *Annal. Bertin.*—Substituendus hic est conventus Aquisgranensis. *Annal. Bertin.*

(320) Spectat id ad Wormatiensem conventum hoc anno celebratum.

(321) Sudanus in *Basilea sacra* illum jam a. 830 mortuum dicit.

(322) Astronom. ponit in signo Virginis.

(323) Alii obitum ejus mensi Junio ascribunt. Vid. Pagi Crit., a. 838, et Bunau., Reichshistorie t. III, p. 175 seq.

(324) Nempe in Bodoma palatio regio. *Annal. Bertin.*

(325) Pagius in Critica Baronii depositionem hanc ad an. 835 refert. Vid. Gallia Christ. t. IX, p. 36.

Digitized by Google

cum filio Carolo ad disponendam proficiscitur Aquitaniam. Cometa in signo Arietis, cœlum instar sanguinis rubeum igniculique per aera discurrere visi. *Annal. Fuld.*

840 Ludovicus se privatum dolens, multis sibi adunatis per Alamanniam, quasi debitum repetens regnum, Francofurt venit, contra quem pater imperator Ludovicus relicta Aquitania copias colligit eumque per Thuringiam ad barbaros pulsum per Sclavorum gentes laboriose Bajoariam repetere coegit. *Annal. Bert., Nith.*—Aer quasi sanguis coagulatus in Paschæ tempore rubeus apparuit. Eclipsis solis VII Idus Maii post sextam diei horam facta (326). — Imperator Ludovicus morbo correptus, et in quamdam Rheni insulam prope Ingelenheim ductus, designato in imperium Lothario filio, XII Kal. Julii B obiit, et Metis in ecclesia sancti Arnolfi sepultus est. Lotharius de Italia rediens regnum suscepit : quod fratribus ejus Ludovico et Carolo non ferentibus, primus ei Ludovicus cum copiis orientalium Francorum prope Moguntiaci occurrit; vixque pugna dilata, cum Lotharius contra Carolum Gallias peteret, Ludovicus sibi Francos orientales, Saxones, Thuringios, Alamannos Bajoariosque confœderat. *Annal. Fuld., Nithard.*

841 Ludovicus cum orientalem Rheni ripam præsidiis occupasset, Lothario **143** omissa Caroli insecutione redeunte, et mense Aprili juxta Wormatiam clam Rhenum cum exercitu transeunte, a quibusdam suis pene proditus et a fratre circumventus, in Bajoariam redire compulsus est, Lotharinsque relicta ad præsidium Rheni copiarum parte ad persequendum rediit Carolum. *Nithard., Annal. Bert.*— Interim Ludovicus ad auxilium Caroli per nuntios revocatus, occurrentibus in Rhætiensi territorio relictis Lotharii copiis, III Idus Maii pugna conflixit, et Adalbertum comitem cum multis aliis victor prostravit. Inde transito Rheno, adunatis cum fratre Carolo copiis, cum Lothario monarchiam appetente, de partitione regni concordare non possent, juxta Fontinatam (327) villam VII Kal. Julii acie confligunt, et innumera A strage facta Ludovicus et Carolus castris potiti sunt. Lotharius vero fugiens Aquense palatium petit, et recollectis undique copiis, digressos a se invicem fratres, primo Ludovicum autumno et hieme Carolum in Galliis frustra persequi laboravit. Cometa in signo Aquarii VIII Kal. Jan. visa. *Annal. Fuld., Nithard.* — Grimaldus archicapellanus Ludovici cœnobium sancti Galli beneficii loco ab eo accipiens, tenuit annis XXXI. *Hepid.*

842 Visa fratris pertinacia, Ludovicus et Carolus copiis collectis apud Argenturacum (328) conveniunt eumque persequi statuunt, et apud Sentiacam (*Sinzick*) villam inventum, cum a suis desereretur, XVII Kal. April. fugere compellunt regnumque ejus cis Alpes inter se dispertiunt; qui rursum collecto exercitu apud Madasconam Galliæ urbem eos exspectat; tandemque cunctis pacem quam bellum mallentibus, ter quadragenis proceribus juratis regnum in tria partiendum die statuta mandant. *Nithard.* — Ludovicus in Saxonia conjurationem libertorum contra dominos, auctoribus capite plexis, compescuit. Cum legati statuta die concordare non possent, partitio in aliud tempus differtur. *Annal. Fuld.* **144** Augiæ Walachfridus Strabo vir doctus, abbas XII præfuit annis VII, qui multa ingenii sui monimenta metro et prosa reliquit.

843 Descripto regno et in tria diviso, fratribusque Viriduni convenientibus, Lotharius cum imperatoris nomine Italiam et Galliam Belgicam, quæ nunc usque ab eo regnum Lotharii dicitur (329); Ludovicus C Germaniam, Pannonias, Noricum et Alemanniam; Carolus reliquas Galliarum provincias accipiunt: firmataque sacramento pace, digressi sunt. *Annal. Bertin., Fuld.*— Carolus Aquitaniam Pippino, fratris sui Pippini filio, auferre moliens eumque infestans, plurima proprii exercitus damna pertulit. Judith imperatrix obiit. *Annal. Fuld.* — Romæ Gregorio papa defuncto, Sergius II sedit annos III (330). Mauri Beneventum occupant. *Al. a. seq.*

844 Carolus rex Galliarum Bernhardum Barcinonensem ducem nihil mali suspicantem occidit. Exer-

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

840 *Imperator, filio suo Lothario ad imperium designato,* XII *Kal. Julii obiit et Metis sepelitur.*

841 *Ludovicus Junior, adunatis cum fratre suo Carolo copiis, cum Lothario monarchiam appetente, de partitione regni concordare non possent, juxta Fontinacam villam* VII *Kal. Julii acie confligunt; Ludovicus et Carolus castris potiti sunt, fugato Lothario.*

842 *Tandem cunctis pacem optantibus regnum in* D *tria partiri constituunt. Augiæ Walachfridus. . . . . præfuit, qui metro et prosa conscripsit multa.*

843 *Lotharius cum imperatoris nomine Italiam accepit et Belgicam Galliam, quæ nunc usque ab eo regnum Lotharii dicitur; Ludovicus Germaniam, Carolus Gallias obtinuit.*

844 *Defuncto Gregorio papa Sergius secundus sedit annis tribus* (331).

NOTÆ.

(326) Annales Fuld. : IV *Idus Maii in vigilia Ascensionis*, quæ hoc anno erat III *Nonas Maii*, seu die quinta Maii, qua eclipsis hæc facta est ; et sic quoque habet annalista Bertinianus.

(327) Fontaniacum habent Annales Fuld. Met., *Fontenai in pago Autissiodorensi.*

(328) Argentoratum habent Annales Fuld.

(329) Seu Lotharingia. Celebre hoc est pactum Virodunense, a quo Ludovicus Germanicus regni sui annos in pluribus diplomatibus numerare consuevit.

(330) Gregorius primum XXV Januarii anno sequente obiit. *Anast. Pag*

(331) De morte Gregorii IV variant auctores, cui hoc anno Sergius successit.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

citus eiusdem a Pippini ducibus pugna victus est VII Id. Junii cecidilque cum multis aliis nobilibus Rhaban signifer ejus, et Hugo Richbotoque abbates (332). — Ludovicus rex Germaniæ Abodritos defectionem molientes, occiso rege eorum, bello perdomuit et per duces disposuit. *Fuld.*, *Pith.*— Rhabanus Fuldensis abbas librum, quem De laude sanctæ crucis variis figuris metroque composuit, Sergio papæ (333) transmisit. *Annal. Fuld.* — Remis post Ebbonem Hincmarus vir doctus archiepiscopus ordinatur (334). *Flodoard.*, *Hincm.*

145 845 Nortmanni regnum Caroli vastantes Parisius usque per Sequanam navigio veniunt, acceptaque ab eo magna pro pace pecunia discedunt. *Annal. Bert.* — Item in Fresia semel victi et bis victores magnas hominum strages faciunt. Item in Saxonia Hemmeneburg (335) populati, non inulti redeunt. — Carolus rex inita cum Britonibus pugna, pluribus amissis, vix cum paucis effugit. *Annal. Bert.* — Ludovicus rex XIV ex ducibus Boemanis ad fidem conversos baptizari fecit. Lotharius imperator Burgundiones rebellare molientes ad deditionem coegit. *Annal. Fuld.*

846. Gisalpertus Caroli miles filiam Lotharii imperatoris vi rapuit; unde iratus Lotharius cum Carolo, licet Ludovico satagente, pacificari noluit. *Nithard.*, *Annal. Met.*— Ludovicus, Marahensibus (336) Sclavis compressis, Rastizen ducem constituit et per Boemiam cum gravi damno exercitus rediit. *Annal. Met.* — Mauri, cum Romam petentes urbem ipsam capere non possent, ecclesiam sancti Petri vastaverunt. *Annal. Fuld.* — Romæ Leo IV sedit annis IX, mensibus III, qui castrum, quod Leonianum vocatur, ad ecclesiam sancti Petri communiendam construxit (337). *Annal. Bert. a.* 851.

847 Lotharius et Ludovicus se vicissim invitantes, mutuo conviviis regiis muneribusque fruuntur. Nortmanni iterum Dorestatum incendunt. Moguntiæ Otgarius archiepiscopus obiit; pro quo Rhabanus Fuldensis abbas doctissimus archipræsul promotus sedit annis IX, qui mox Ludovico **146** jubente synodum magnam (338) Moguntiaci collegit, ubi inter alia Thiota pseudoprophetissa ex Salomonis Constantiensis episcopi parochia correpta et publice flagellis cæsa, tandem a vaticiniis quæstum quærentibus, obticuit. *Annal. Fuld.*

848 Ludovicus rex, misso filio Ludovico, Boemanos compressit et obsides dare compulit. — Goteschalcus quidam presbyter, quosdam homines ad vitam, quosdam ad mortem inevitabiliter a Deo prædestinatos dogmatizans, in conventu episcoporum Moguntiaci (339) convictus de regno Ludovici pellitur et Remis ad Hincmarum episcopum suum mittitur. *Annal. Fuld.*, *Hincm.*

849 Exercitus a Ludovico rege contra Boemanos item rebellantes missus, cum pactum et obsides hostium pacem petentium accipere contempsisset, turpiter ab ipsis cæsus et spoliatus, obsides dedit et cum dedecore rediit. *Annal. Fuld.* — Terræmotus factus est. Augiæ (340) Walachfridus Strabo abbas obiit, pro quo XIII Folcwinus præfuit annis IX.

850 Nortmanni Gotefrido duce per Sequanam ascendentes regnum **147** Caroli vastant : contra quos Lotharius imperator in auxilium evocatus, cum

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

813 *Rhabanus Fuldensis abbas librum, quem de S. cruce... transmisit*, ut Aug. a. pr.

816 *Lotharius imp. Burgundiones rebellare molientes ad deditionem coegit.* Aug. a. pr.

847 *Romæ Leo quartus papa CV sedit annis* IX, *mensibus* III, *qui Romæ munitionem, quam Leoninam dicunt, fecit, eamque apostolica benedictione dedicavit et sub anathemate in perpetuum confirmavit. Moguntiaci Rhabanus, Fuldensis abbas doctissimus, ordinatur archipræsul, qui mox, Ludovico jubente, synodum magnam Moguntiaci* (341) *collegit. Tempore Leonis papæ et Rhabani Moguntiacensis archiepiscopi in conventu episcoporum Moguntiaci, confutata est hæresis Prædestinatianorum, quorum capita B. Augustinus confregit atque contrivit in libro De correptione et gratia et prædestinatione sanctorum.*

848 *Goteschalcus quidam... convictus regno expellitur.*

849 *Augiæ Walachfridus abbas Strabo obiit, pro quo Folckwinus abbas* XIII *præfuit annis* IX.

850 *Magna fames circa Rhenum, in qua Rhabanus archiepiscopus multos pauperes aluit*

NOTÆ.

(332) Juxta Annales Bertinianos Hugo abbas S. Quintini filius fuit naturalis Caroli M. et Richboto abbas Centulensis ejusdem Caroli ex filia nepos.

(333) Imo Gregorio papæ, sed eo defuncto Sergio successori redditi sunt duo hi libri. Vid. Mabill. Sæc. IV Bened. p. II, p. 40.

(334) Hæc ordinatio anno sequente facta est.

(335) In Annalibus Fuld. et Met. *Hammaburgum* vocatur.

(336) Marahenses iidem sunt, qui nunc dicuntur Moravi.

(337) Sergius Leonis antecessor nonnisi 27 Jan. insequentis anni fatis cessit. *Anast.*

(338) Acta hujus synodi habentur in conciliis Germaniæ, t. II, p. 151.

(339) Vid. de hac synodo Concil. Germ., t. II, p. 163. De Goteschalco autem pluribus agit Mabillon. Annal. Bened. l. XXX, c. 3; l. XXXIII, c. 70, etc., et Natal. Alexander Hist. eccl., dissert. 5; Bernin. Hist. hæres. t. II, c. 7; Annales Bertiniani ad an. 849; Hincmarus adversus Gotescalcum apud Labb., Conc. t. IX.

(340) Walafridum non Augiæ, sed in Gallia obiisse testatur Ermenricus monachus Augiensis, ejus discipulus (Mabill. Annal. p. 420), *beatissimo præceptore meo Walahfredo pro re, onso quodam* domni *regis* (Ludovici) *ad Carolum Germanum suum pergente, ibique defuncto*, etc.

(341) Confundi haud debent duæ hæ synodi Moguntinenses, quarum prima ad hunc annum, altera contra Prædestinatianos ad annum sequentem spectat.

Digitized by Google

se pugnaturum cum hostibus crederet, Carolus timore perculsus Gotefridum cum suis in societatem regni assumit eisque terram ad inhabitandum dedit. Fames magna Germaniam et maxime circa Rhenum oppressit, et Rhabanus archiepiscopus multos pauperes aluit. *Annal. Fuld.*

851 Ludovicus rex Sorabos terminos Francorum infestantes, vastata regione eorum perdomuit. Pippinus rex comprehensus a suis et patruo Carolo traditus et ab eo tonsus, Suessionis in monasterium sancti Medardi retrusus est (342). Similiter et Carolus frater ejus junior, cum ad ipsum proficisci vellet, a comitibus Caroli ejusdem captus eoque jubente tonsus, in Corbeiense cœnobium custodiæ traditus est (343). *Annal. Fuld.*

852 Magna synodus et generalis conventus Moguntiaci a Rhabano archiepiscopo et Ludovico rege habitus, multaque correcta sunt. *Conc. Germ. t. II, p.* 165. — Herioldus Nortmannus diu bene a Ludovico tractatus, suspicione proditionis a quibusdam Francis perimitur. *Annal. Fuld.* — Translatio sancti Remigii Remorum archiepiscopi ab Hincmaro ejusdem urbis archiepiscopo Kalendis Octob. facta. *Boll. t. I, Oct. die* 1.

853 Nortmanni per Ligerim ascendentes et Galliam vastantes, basilicam quoque sancti Martini Turonis incendunt. Aquitani Caroli injurias questi, Ludovicum, ut super se regnet, vel filium regem donet, sollicitant. *Annal. Fuld.*

854 Ludovicus æquivocum filium Aquitaniam mittens, instabiles eorum animos deprehendens, contempsit. Nortmanni ex diversis, quas jam per XX annos vastabant, regionibus collecti, vulgus innumerum totumque genus regium usque ad unum puerum mutua cæde mactaverunt. *Annal. Fuld., Bertin.*

855 Apud Moguntiacum terra vicies tremuisse fertur. Insoliti aeris turbines et grandines, fulgura, et tonitrua facta. Ecclesia sancti Chiliani (344) 148 fulmine cremata Non. Junii, et postea muri turbine diruti sunt. Gozpaldus ipsius urbis episcopus obiit, cui Arnus successit. *Annal. Fuld.* — Ludovicus rex Rastizen ducem Marahensium Sclavorum petens, vastata ex parte regione, subjugare nequivit : quo reverso, Marahenses secuti, contigua trans Danubium loca vastant. Lotharius imperator relicto mundo divisoque inter filios regno, monachum se Prumiæ fecit, et non multo post III Kal. Octob. ad regnum cœleste migravit. Post quem filii ejus Ludovicus imperator Italiam, et Lotharius Cisalpinas partes regni tenuere. Igniculi crebri instar spiculorum ab Oriente in Occidentem per aera ferri XVI Kal. Novemb. per totam noctem visi. *Annal. Fuld., Bertin.*

856 Rhabano Moguntiense archiepiscopo II Non. Febr. defuncto, Carolus Pippini regis Aquitaniæ filius, qui e custodia Corbeiensis cœnobii ad patruum Ludovicum transfugerat, archiepiscopus ab ipso promotus, præfuit annis VIII. Hiltigart (345) regina obiit. Fuldis Hatto abbas obiit Thiotoque successit. Ludovicus rex per Sorabos transiens auxiliaque inde assumens, Dalmatas (346) bello victos tributarios facit, et per Boemanos nonnullos eorum in deditionem accipiens, rediit. *Annal. Fuld., Bert.* — Romæ Leone defuncto, Benedictus papa sedit annis II, mensibus VI (347). *Anastasius.*

857 Exercitus item a Ludovico rege in Boemiam missus Sclavitag (348) 149 tyrannum in Marahenses pepulit. Synodus a Carolo archiepiscopo Moguntiæ collecta (349). Tempestas valde terribilis Coloniæ XVII Kal. Octob. facta, et fulmen instar ignei draconis ecclesiam S. Petri penetrans, tres homines diversis in locis exstinxit, plures prostravit. *Annal. Fuld.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLD..

852 *Magna synodus... habitus.*

853 *Nortmanni basilicam sancti Martini Turonis incendunt.*

855 *Lotharius imperator... partes regni tenuerunt.*

856 *Moguntiaci Rhabano archiepiscopo defuncto successit Carolus filius Pippini regis Aquitaniæ. Romæ Leone papa defuncto Benedictus papa tertius sedit annis* II, *mensibus* VI.

857 *Synodus a Carolo archiepiscopo Moguntiaci colligitur*

NOTÆ.

(342) Juxta annalistam Bertinianum id anno sequente contigit.

(343) Chronicon Fontanellense hoc jam ad annum 849 refert

(344) Est hæc cathedralis Wurceburgensis. Vid. Eccard. Franc. Orient. t. II, p. 442.

(345) Hildegarda regina dicta, quia Ludovici Germaniæ regis filia erat, circa an. 855, Turicensi virginum Parthenoni præfecta, uti ex ejusdem regis diplomate (Guilliman. Helvet. l. III, c. 5) constat. Obitum ejus annalista Saxo ad an. 857, Chronica S. Pantaleonis ad an. 859 consignant. Sed anno 858, adhuc in vivis erat, quo XVI Kal. Maii aliud diploma concessit idem Ludovicus. Obiit vero X Kal. Jan. uti ex veteri codice S. Galli erut Mabillon., Annal. Bened. t. III, p. 63.

(346) Dalemincios in Misnia intelligunt alii.

(347) Obitus Leonis papæ ad annum priorem spectat. Hic sequioris ævi scriptores Joannam papissam intrudunt, refutati a Labbeo, Conc. t. IX, p. 1173. Eckart, Rer. Wurzburg., l. XXX, c. 117 et aliis.

(348) In Annalibus Fuld. *Scalajugatus* vocatur.

(349) Vid. concil. Germ. t. II, p. 243, quamvis concilium hoc circa an. 859 ibi statuatur. Illud tamen ab altero an. 857 distinguit Mansi, in Suppl. concil. t. I, p. 979.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

858 Terræmotus magnus Kalendis Jan. factus est. Lotharius rex filius Lotharii imperatoris contra Ludovicum regem patruum suum cum Carolo rege alio patruo suo conjuravit. Ludovicus rex legatione populi, de tyrrannide Caroli flebilia conquesti, sollicitatus, diu cunctabundus Gallias tandem cum exercitu intrat, cunctisque pene ad eum conversis, Carolus fugit. Ipse plus æquo securus, proprio exercitu remisso, regnum illud, prout voluit, disposuit. Sed fraus quorumdam, fratrisque Caroli versutia incautum ibi circumvenisset, nisi fama rebellantium Soraborum proprio auxiliatum regno maturius eum revocasset; quo redeunte, Carolus regnum suum recepit. *Annal. Fuld.*, *Pith.* — Augiæ Folcwino abbati Waltheri XIV, successit annis VI. Villam quamdam juxta Moguntiam et Rhenum, Cammunti (350) vocatam, nequam spiritus, primo invisibiliter responsa dando, furta prodendo, deinde etiam lapidibus jactis et domorum incendiis homines persequendo, per triennium infestans vastam reddit. *Annal. Fuld.*, *Met.* — Romæ post Benedictum Nicolaus papa sedit annis IX. *Anast.*

859 Ludovicus rex frequentibus missis legatis cum fratre Carolo, et Lothario rege fratruele pacificari satagens, tandem cum denominatis viris ad secretum cum eis colloquium venit diemque pacificationis condixit. Legatos etiam Nicolao papæ et Ludovico imperatori fratrueli suo se de invaso fratris regno excusatum misit. Crebri terræmotus Moguntiacum **150** concutiunt; ibique Probus presbyter religiosus et sanctus VII Kal. Julii (351) obiit. *Annal. Fuld.*, *Pith.*

860 Hiems nimis sæva et prolixa terræque frugibus noxia facta est, adeo ut et Ionium mare glaciatum usque in Venetiam equis et carpentis se meabile præbuerit. Ludovicus et Carolus Lotharius reges in Confluente castro convenientes pacificantur, mutuum sacramento pactum confirmantes. *Annal. Fuld.*

861 Ludovicus rex habito Ratisponæ conventu, aliquot primates suos infidelitatis accusatos deposuit. Item contra majorem filium suum Carlomannum Carantani ducem, quasi res novas contra se molientem, iratus est. Fames validissima hoc anno facta. *Annal. Fuld.* — Meginradus Augiæ monachus et primus incola eremi, quæ Turicino adjacet lacui, a quibusdam latronibus inibi XII Kal. Febr. peremptus, post mortem virtutibus claruit Augiæque sepultus est : a quo usque hodie eremus ipsa a sanctis et religiosis culta viris, in nobile et famosum jam dudum excrevit cœnobium (352). *Hepid. Chron. S. Galli.*

862 Lotharius rex, faventibus archiepiscopis, Gunthario Coloniense et Theodgaudo Treverense, repudiata Tiothpirga [*al.*, Thietberga] uxore legitima, Waldradam concubinam sibi conjunxit; synodo ad hoc quasi jure machinandum Mettis (253) collecta. Carlomannus objecta excusans, **151** cum patre pacificatur. Ludovicus rex Abodritos rebellantes petens, obsides dare coegit. *Annal. Met.*, *Hincmar.*

863 Karlomannus item apud patrem adeo innocens accusatus est, ut patrem contra se venientem, a suis proditus et ducatu privatus, vix innocentiam probans, placaverit. — Synodus coram Arsenio (354) legato Nicolai papæ Mettis habita, et Guntharius Theotgaudusque archiepiscopus, pro roboranda quam machinati sunt Lotharii regis causa, Romam missi, synodo Romæ (355) ab Nicolao papa collecta ab ordine depositi et cum synodo sua anathematizati

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

858 *Villam quamdam juxta Moguntiacum et Rhenum, Camunti vocatam, nequam spiritus, homines multipliciter infestando, devastavit. Romæ post Benedictum... sedit annis novem.*

859 *Crebri terræmotus Moguntiacum... obiit*

860 *Hiems maxima etiam Ionium mare usque in Venetiam per glaciem equis meabile fecit.*

861 *Meginradus... claruit, Augiæ sepultus : a quo usque hodie eremus ipsa a sanctis et religiosis viris culta in nobile excrevit cœnobium.*

862 *Lotharius rex... Trevirensi repudiavit Tithpirgam uxorem legitimam, synodo ad hoc machinandum collecta.*

863 *Synodo Romæ collecta, Guntharius et Theotgaudus archiepiscopi illuc transmissi, a Nicolao papa depositi sunt, et cum synodo sua anathematizati, Lotharius rex nisi resipisceret, excommunicatus est.*

NOTÆ.

(350) Locus hic in citatis annalibus vocatur *Capud montium*, unde vulgus corrupte *Cammunzi* fecit, prope Pinguiam seu Bingam.

(351) Quædam exemplaria Annalium Fuld. habent VII *Kal. Jun.* seu 26 Maii, ad quem diem etiam de Probo agit Mabillonius sæc. IV Bened., p. II, p. 56, et Bollandiani inter prætermissos.

(352) Celeberrimum hoc est Einsidlense Benedictini ordinis in Helvetiis monasterium, eremus quoque B. Mariæ virginis et cella Meginradi in vetustis monumentis dictum. Vita S. Meginradi a Bernone Augiensi conscriptum exstat in Mabill. sæc. IV Bened. p. II. Vid. Eckart, Franc. Or. l. XXXI, c. 80.

(353) Synodus hæc non Mettis, sed Aquisgrani fuit habita jam anno 860, ubi et alia in eadem causa acta est hoc anno III Kal. Maii, ac Lothario aliud inire conjugium permissum est. Bouquet t. VII, p. 79. Vid. Natalis Alexander, Hist. Eccl., dissert. IX, t. VI; Labb. Conc. t. X, p. 206. Concil. Germ. t. II, p. 246, seq. Metensis ad annum sequentem pertinet. Ibid. p. 283.

(354) Non Arsenius, sed Rodoaldus et Joannes papæ erant legati, a Lothario rege corrupti. *An. Bert.*

(355) Vid. Concil. Germ. l. c., p. 287, seqq

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

sunt, Lotharius que rex, nisi resipisceret, excommunicatus est. Moguntiæ Carolo archiepiscopo defuncto, Luitpertus successit. *Annal. Fuld.*, *Bert.*— Nonnulli ex Hunnis Christiani effecti sunt.

861 Guntharius Coloniensis, quia contumeliose domno papæ rescripserat (356), et contra interdictum ejus officium episcopale usurpaverat, pœnitentia ductus, Romam ad eum venit; sed minime reconciliari meruit. *Annal. Fuld. a. pr.* — Ludovicus rex Germaniæ Rastizen Marahensium ducem petens, et apud Dowinam castrum obsidens, jussos obsides dare et in jusjurandum subjectionis iterare coarctat. Ipse item Ludovicus et frater ejus Carolus, rex Galliarum convenientes, debita sibi invicem relaxant et fœdus pactumque innovant et confirmant (357). *Annal. Fuld.* — Augiæ post Waldkarium abbas Hetto xv præfuit annis vii. Translatio S. Othmari in basilicam sancti Galli (358). *Hepid.*

865 Ruodolfus Fuldensis presbyter et monachus, doctor, poeta **152** et historicus satis doctus, viii Idus Martii obiit (359). Arsenius episcopus, domni papæ Nicolai legatus, pacem inter Ludovicum regem et fratrueles ejus Ludovicum Italiæ imperatorem (et) Lotharium redintegravit. Ipsique Lothario fidem connubii per sacramenta xii principum suorum pollicenti, Thiotpirgam conjugem reconciliatam reddidit: Waldradam concubinam in Italiam relegavit; multis etiam apud Carolum per Gallias dispositis, honoratus a regibus et donatus Romam rediit. *Annal. Fuld.*, *Bertin.*

866 Ludovicus Junior propter quædam beneficia sua fratri Carlomanno data, patri Ludovico regi rebellare multo studio molitus, et facile victus, tandem mediante Luitperto archiepiscopo patri reconciliatus est. Gandpaldus [*al.*, Guntpoldus] miles Carlomanni contra ipsum pugnare ausus, amissis copiis victus, vix aufugit. Vulgari missis a Nicolao papa et Ludovico rege prædicatoribus fidem Christi suscipiunt. *Annal. Fuld.*

867 Lotharius rex, promissis suis principumque sacramentis posthabitis, conjugem Thiotpirgam denuo injurians, Waldradæ revocatæ clam se miscuit. Unde motus papa Nicolaus, missis ad diversos litteris, cum cunctis illum (360) complicibus suis excommunicavit. Ruopertus (361) fortissimus de regno Caroli comes, alter sui temporis Machabetis, qui Nortmannos et Brittones magnis sæpe protriverat prœliis, apud Ligerim fluvium cum Nortmannis fortiter dimicans, occubuit. Terræmotus magnus vii Idus Octob. factus. *Annal. Fuld.*

868 Synodus magna Wormatiæ coram Ludovico rege collecta, et **153** multa inibi pro statu Ecclesiæ decreta. *Concil. Germ. t. II, p.* 307. Mense Maio (362) Romæ defuncto papa Nicolao, Adrianus II sedit annis v, ad quem cum Lotharius rex venisset, et frustra opitulante fratre Ludovico imperatore pro Waldradæ matrimonio sategisset, nihil profuit. Cometa visa, inundatio et illuvio magna facta, famesque, et pestilentia ingens secuta est. *Annal. Fuld.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

864 Guntharius Coloniensis episcopale officium post interdictum usurpans, sed postea ductus pœnitentia, Romam venit, sed minime reconciliari meruit.

865 Arsenius episcopus, Nicolai papæ legatus, ipsi Lothario fidem connubii per sacramenta duodecim principum suorum pollicenti Tithpirgam conjugem reconciliatam reddidit. Annal. Fuld.

866 Wulgari missis... Christi suscipiunt.

867 Lotharius rex posthabitis principum sacramentis Tithpirgam repudiavit, iterum se priori concubinæ commiscens: unde eum papa Nicolaus cum suis complicibus excommunicavit, litteris ad diversos missis.

868 Synodus magna coram Ludovico rege colligitur Wormatiæ. Romæ defuncto papa Nicolao Adrianus II sedit annis v. *Ad quem... pro Waldradæ concubinæ suæ matrimonio satis egisset, nihil profuit. Ea quidem conditio ei dabatur, ut si innocens esset, fiducialiter corpus Domini perciperet; sin vero, illud nullatenus accipere præsumeret. Sed ipse temerarius accessit, et cum suis complicibus inevitabile judicium sibi suoque regno, heu nimium demens! percepit. Nam tanta clades hanc præsumptionem divinitus subsecuta est, ut in ejusdem Lotharii regno tota virtus ac nobilitas non peste, sed quasi hostili gladio deleta esse videretur.* Annal. Bert., Met., anno seq.

NOTÆ.

(356) Legitur ipsius epistola ad papam Nicolaum in Annalibus Fuldensibus ad. an. 863, et Bertinianis ad annum 864.

(357) Hoc primum anno sequente factum. Baluz. Capit, t. II, p. 201.

(358) Ita et Gottwicensis. De secunda hac translatione vid. Concil. Germ. t. II, p. 293.

(359) Ruodolfi mortem anno sequente consignat Petrus Bibliothecarius. Illum Ludovicus Germanicus oratorem confessoremque suum ac scholarum Fuldensium præfectum appellat, teste Browero, Antiq. Fuld. l. II, c. 14.

(360) Juxta Annales Fuldenses et Metenses papa non Lotharium, sed Waldradam excommunicavit. Vid. Nicolai papæ epistola a. 866 data; Labb. Concil. t. IX, col. 1513.

(361) Rotbertus iste cognomento Fortis, ex genere S. Arnulfi, per Rotbertum filium, Franciæ postea regem, caput exstitit tertiæ stirpis, seu Capetiorum. Mabil. lib. xxxv, Annal. Bened. n. 154.

(362) Nicolaus jam anno priore, mense Nov., defunctus, cique Adrianus suffectus est.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

869 Boemani Bajoariæ fines infestant. Sorabi, et Suisli, itemque Boemani Thuringiam vastant. Carlomannus bis numero copiis Rastizi pugna congressus vicit, et prædas ingentes abduxit, Gundac unque (365) perjurum refugam suum, divinitus in pugna debilitatum, inibi occidit. *An. Fuld.* Lotharius rex cum complicibus suis se apud Adrianum papam de illatis criminibus excusans, et corpus Domini temerarie ab eo accipiens, domumque rediens, mense Julio (364) Placentiæ periit, fautoresque sceleris pene omnes obiter (365) interiere, regnumque ejus patruus Carolus invadens, Mettis se coronari, imperatoremque jussit appellari. *An. Met. et Fuld.* Interim Ludovicus rex usque ad desperationem Ratisbonæ ægrotans, thesaurosque suos ecclesiis pauperibusque dispensans, tres filios suos cum totidem exercitibus contra diversos miserat hostes : a quibus Carolus cæteris junior, cunctis Rastizi munitionibus captis, totam Marahensem regionem **154** ferro, igne prædaque vastavit. Carlomannus regnum Zuentibaldi nepotis Rastizi nihilominus depopulatur. Ludovicus vero Sorabos, et eorum complices bis pugna victos ad deditionem compulit. Fames valida et pestilentia facta. *Annal. Fuld.*

870 Ludovicus rex ex infirmitate convalescens multos ex regno Lotharii ad se venientes suscepit : postea ad colloquium obviam fratri Carolo venturus, de solario quodam (366) cum multis aliis, cadente ædificio, corruit, et graviter colliso corpore, costisque confractis, dissimulato tamen dolore, crastino ad condictum venit, et cum fratre regnum Lotharii æqualiter divisit (367). Zuentibaldus cum regno suo Carlomanno se tradidit; unde Rastiz iratus, prius eum dolo perimere, et, hoc non procedente, manifeste cum persequi statuit. Ille vero superior factus, Rastizen victum comprehendit, et Carlomanno vinctum tradidit : a quo pervaso regno et Gazissius (368) in carcerem missus, et Ludovico regi exhibitus, judicioque Francorum morti addictus, luminibus tantum oculorum privari jussus est. Ipso anno Willipertus Agrippinæ Coloniæ archiepiscopus a Liutperto Moguntiense ordinatus, (369) synodusque magna Coloniæ (370) collecta, et multa pro statu Ecclesiæ decreta, et ecclesia sancti Petri dedicata est. Inter alia prodigia terræmotus facti sunt, et duæ rutilæ nubes, quasi igneæ inter se tela emittentes, se instar pugnantium commiscere visæ. *Annal. Fuld., Pith.*

871 Ludovicus et Carolus propter quædam beneficia sua, Carlomanno **155** fratri donata, contra patrem Ludovicum regem rebellare molientes, vix tandem ab eo placari pacarique consentiunt. Zuentibald, perfidiæ incusatus, a Carlomanno in custodiam mittitur; sed crimine non probato, relaxatus ab eo et muneribus donatus exercitusque ei auxilio contra Sclagamarum presbyterum, quem Marahenses invitum pro ipso ducem fecerant, missus est. Qui dolose rediens et se in civitatem recipiens, ipsum auxiliatorem exercitum dolo circumventum, paucis fuga elapsis vel comprehensis, prorsus delevit. Boemienses eruptionem molientes oppositis prædiis [*leg.* præsidiis] reprimuntur. *Annal. Fuld.*—Constantiæ Salomon episcopus obiit. Augiæ Heitoni abbati Ruodho XVI (succedens) præfuit annis XVII. Apud sanctum Gallum Yso magister obiit. *Hepid.*

872 Basilius imperator Græcorum inter alia munera crystallum grandem cum portione Dominicæ crucis non modica, auro et gemmis pretiosis ornatam Ludovico regi misit. Ludovicus rex, pacificatis secum et inter se filiis, regni post se partitionem disposuit. Exercitus contra Marahenses missus, cum sine duce sibi dissentiret, ab hostibus victus, cæsus et ludibrio habitus, turpiter aufugit. Liudpertus archiepiscopus cum exercitu in Boemanos missus, quinque duces

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

869 *Lotharius rex... temerarie ab eo accipiens, cum rediret domum Placentiæ periit, fautoresque sceleris omnes pene obitu periere, regnumque ejus Carolus patruus ejus invasit.*

870 *Synodus magna Coloniæ collecta, et multa pro statu Ecclesiæ decreta.*

871 *Ludovicus imp. Adalgiso tyranno per sacramentum pacificatur ; quo tamen sacramento eum post Joannes* (371) *papa absolvit, et cum contra eumdem tyrannum incitavit ad bellandum.* Annal. Fuld. a. seq.

872 *Basilius imp. Græcorum portionem Dominicæ crucis Ludovico regi transmisit.*

NOTÆ.

(363) Gundaccarus nuper Carentaniæ a Ludovico præfectus erat, hostibus deinde se conjungens.

(364) Annales Metenses habent VI Idus Aug., alii pridie Nonas Junii. Vid. Pag. Crit. h. a.

(365) Leg. *obitu*, ut in Bernoldo.

(366) Locum Flamereshem in pago Ripuario nominant Annales Bertiniani, quem Metenses regiam villam vocant, nunc in ducatu Juliacensi prope Munster-Eifl.

(367) Divisionis charta exstat apud Baluzium Capit. t. II, c. 221.

(368) Legendum ex Annalibus Fuld. *Rastizes.*

(369) Ordinatio hæc XVII Kal. Febr. facta, juxta Annales Colonienses apud Eckart, Franc. Or, t. II, p. 918.

(370) Male hic confunduntur duo concilia Coloniensia, diversis temporibus habita, unum hoc anno pro consecratione Williberti archiepiscopi, et alterum an. 873, pro dedicatione ecclesiæ, prout in ipsis actis notatur Conc. Germ., t. II, p. 355 seqq.

(371) Id non a Joanne, sed ab Adriano papa factum probat Pagius, quamvis et Metensis annalista Fuldensi consentiat. Adalgisus erat dux Beneventanus.

Digitized by Google

eorum pugna vicit et regionem ex parte vastavit. Carlomannus Marahenses vastat; sed custodes navium ejus ab hoste trucidati sunt, Embricone Ratisbonæ episcopo vix fuga elapso. — Æstas pene tota fulminibus, tonitruis grandinibusque horrida homines multos frugesque pessumdedit. Wormatiæ eccles a S. Petri fulmine incensa et diruta est. Terræmotus magnus III Non. Decemb. factus Moguntiacum diruit. *Annal. Fuld.*—Apud sanctum Gallum, defuncto Grimaldo, Hartmuot abbas præfuit annis XII. *Hepid.*

156 873 In conventu a Ludovico rege apud Franconofurt habito, Carolus filius ejus arreptus a dæmone graviter vexatur (372). Carolus Galliarum rex Carlomannum diaconum filium suum (373) tyrannidem exercentem, excæcari jussit. *Annal. Bert.* Pax cum Danis petentibus a Ludovico rege firmatur. Nortmanni Fresiam superbe classe petentes et tributum exigentes, pugna victi, et duce Ruodolfo cum DCCC amisso, et cuncta pecunia multati, turpiter redierunt.—Fames magna facta est. Tanta multitudo inauditæ magnitudinis locustarum ab Oriente gregatim more exercituum veniens, has pertransiit regiones ut per duos continuos menses sæpe radios solis per unius spatium milliarii volitantes, obnubilarent et in una hora, quidquid in centum vel amplius jugeribus viride invenerant, depascerentur, et postremo in mare vento actæ et fluctu rejectæ, fetore corrupto aere non modicam gignerent pestilentiam. In pago Italiæ Brixiense sanguis tribus noctibus pluisse fertur. Item Græci, missis per Agathonem archiepiscopum muneribus, amicitiam cum Ludovico rege confirmant. Romæ defuncto Adriano Joannes papa sedit annis X (374). *Annal. Fuld. Bert.*

874 Hiems valde prolixa, sæva et nivosa multos homines et jumenta frigore exstinxit. Sorabi et Suisli defectionem molientes a Liutperto archiepiscopo facile comprimuntur.—Ludovicus rex in Quadragesima visione admonitus multas pro liberatione animæ patris sui Ludovici imperatoris eleemosynas et orationes patravit. Idem in Italiam veniens cum Joanne papa et Ludovico imperatore fratris sui filio colloquium habuit. Idem cum Zuentibaldo duce Marahensium subjectionem per legatos promittente et fidem censumque annuum pollicente, **157** pacem fecit Boemanosque idem facientes suscepit. Idem cum fratre Carolo colloquium habuit. Fame magna et pestilentia per Gallias et Germanias facta tertia fere pars hominum interiit. *Annal. Fuld.*—Ratolfus (375).

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

873 *Romæ defuncto Adriano Joannes papa sedit annis* X, *cujus præcepto Joannes diaconus Romanæ Ecclesiæ Vitam S. Gregorii authentice describit.*

874 *Ratolfus Veronensis episcopus obiit, qui sui nominis cellam construxit juxta Augiam*

NOTÆ

(372) Idem factum aliis circumstantiis narrant Annales Bertiniani, quod in pœnam ejus rebellionis contra patrem factum asserunt Fuldenses. Carolus vero hic cognomento Crassus erat, postea imperator.

(373) Rem fusius describunt Annales Bertiniani, nec non Chronicon Epternacense apud Martene, Collect. ampliss. t. IV, col. 509.

(374) Joannes VIII papa jam d. 14 Dec. anno priore finit ordinatus.

(375) Obitum hunc Necrologium Augiense in Gerberti Monum. Liturg. Alem. t. I, p. 489, ad diem 13 Sept. consignat. Successisse videtur Eginoni, qui teste Hermanno an. 799 Ecclesiam Augiensem dedicavit, et an. 802 Augiæ mortuus et sepultus est. Ughello (Ital. sacr. t. V p. 704) Rotaldus dicitur, qui una cum Pippino rege Italiæ an. 810 defuncto cœnobium S. Zenonis repararit ejusque sancti corpus in illud transtulerit a. 807, unde dein ejus reliquiæ ad Ulmam Augiensi monasterio tum subditam translatæ sunt, ut perhibet Hermannus ad an. 830. Rotaldi nonnullas chartas a. 814 datas idem producit Ughellus, qui ultimam ejus memoriam exstare ait in synodo Mantuana an. 824, vel potius an. 827 juxta Mansium, Suppl. Concil. t. I. Ast oppido fallitur, adhuc enim memoratur an. 830 supra in Hermanno, et in præcepto Lotharii imperatoris an. 834, quod idem Ughellus (l. c. p. 717) exhibet, Rotaldo secundo illud tribuens, perperam tamen, ut notat Coletus ejus editor, unicum duntaxat Rotaldum episcopum Veronensem statuens. Unde hic is ipse videtur Ratholdus episcopus, qui juxta Annales Bertinianos, an. 834 Ludovico Pio imperatori Juditham ejus conjugem, a filiis in Italiam relegatam, ad Aquisgranum reduxit, atque anno sequente 835 conventui Theodonis Villano pro ejusdem Cæsaris restitutione interfuit, cui Rothaldus subscribitur (Concil. Germ. t. II, p. 65). Hic etiam procul dubio Rothaldus episcopus est, qui Bernardi Italiæ regis conjurationem eidem Ludovico an. 817 primus detexit, ut habet hujus imperatoris Vita. (Bouquet, t. VI, p. 101.) Quin a Peroto adhuc an. 840 Rotaldus Veronensis episcopus nominatur. (Coint., t. VIII, p. 375.) Exinde jam an. 844 Anastasius in Sergio II profert Aginum seu Agnimum, aut Eginonem Veronensem episcopum in coronatione Ludovici regis. (Coint. l. c., p. 710.)

Ratoldus igitur interea temporis senio jam gravatus, episcopatu abdicato, exemplo antecessoris sui Eginonis, in Augiense suum cœnobium recessisse videtur. Certe utrumque Augiæ alumnos seu monachos arguit Mabillonius (Annal. Bened. t. II, p. 390 et 531), vix enim alia foret ratio, cur ambo hi Veronenses episcopi tantum erga monasterium hoc affectum ostenderint atque inibi vitam claudere voluerint. Facto annorum computo Ratoldus ut minimum centenarius an. 874 obiisse dicendus est, siquidem Eginoni an. 802 suffectus sit. Idem annus 874 Ratoldi emortualis habetur etiam in Annalibus Weingartensibus (Mabill., Ann. l. c. p. 368), qui cum post an. 877 terminentur, obitum hunc extra dubium ponunt. Hic idem annus legitur etiam in Chronico S. Galli apud Duchesne, t. III. Unde mirum quod in libello Fraternitatum San-Gallensium (Goldast. t. II, p. II, p 152) legitur: *Anno incarnat. Dom. DCCCLXXX, indict.* II (III), *venit Rathold nobilissimus Alamannorum Veronensis Ecclesiæ pontifex ad monasterium S. Galli et depositionis ejus festivitatem... celebravit... quem abbu Bernhardus... in orationis suæ communionem suscepit.* Quod certe de Ratoldo priore intelligi

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS

158 Veronensis episcopus obiit, qui sui nominis cellam juxta Augiensem insulam construxit. Hemma (376) regina paralysi dissoluta est.

875 Inter Francos et Saxones seditio pene usque ad cædem mutuam mota, a Ludovico Juniore sedata est. *Annal. Bert.* — Cometa plus solito scintillans VIII Idus Junii visa. Villa quædam in pago Nitense (377) Ascabrunno dicta, nocte, V Nonas Julii subita tempestate et nimbis, LXXXVIII hominibus exstinctis, ita absumpta et deleta est, ut nec vestigium ejus remaneret. — Ludovicus Italiæ imperator defunctus Mediolani, in Basilica sancti Ambrosii sepultus est, anno regni XX, cujus thesauros et regnum patruus ejus Carolus rex Galliarum, quasi soli sibi debitum invasit ac diripuit. Unde motus frater ejus Ludovicus rex Germaniæ filium suum Carlomannum (378) contra eum in Italiam misit ipseque cum æquivoco Gallias regnum ejus invasit. Carolus vero congredi bello timens, dolis et pecuniis mendaciisque **159** Carlomannum de Italia abegit, se quoque statim discessurum, et fratrem Ludovicum de regni illius divisione exspectaturum jurans : quo credulo et reverso, ipse Romam tendit, conciliatisque sibi dolo et pecunia Romanis, imperatorem se a Joanne papa coronari fecit, Italiamque, uti voluit, quasi suam disposuit. *Annal. Fuld*

876 Ludovicus rex precibus populi annuens, de Gallîis, ne eas vastaret, rediit. Hemma regina Ratisbonæ obiit, et in basilica sancti Emmerammi sepulta est. Fresones item Nortmannis pugna victis, plurima spolia diripuere. *Annal. Fuld.* — Carolus fraudulenter imperator de Italia Gallias repetens, nova habitus, actuum et verborum vanitate, jactantia et levitate usus, Ludovico fratri procaciter et stulte minitabatur; sed Ludovico exercitum colligente perterritus, crebros et supplices pro pace petenda legatos ad eum mittebat. *Idem.* — Interim ipse Ludovicus rex fortis et religiosus morbo tactus apud Franconofurt V Kal. Septemb. vita decessit, anno regni XXXVI, et apud Lauresham cœnobium sepultus est regnumque ejus tres filii Carlomannus Bajoariam, Ludovicus Germaniam, Carolus Alemanniam, singuli cum adjacentibus provinciis, accepere.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

875 *Ludovicus imperator Italiæ defunctus Mediolani sepelitur anno regni vicesimo. Cujus regnum patruus ejus Carolus rex Galliarum invadens, a Joanne papa se imperatorem coronari fecit.*

876 *Ludovicus rex religiosus apud Franconofurt V Kal. Sept. obiit, anno regni* XXXVI, *regnumque ejus tres filii Carlomannus Bajoariam, Ludovicus Germaniam, Carolus Alemanniam, singuli cum adjacentibus provinciis, accepere.*

NOTÆ.

nequit, quippe jam ante decennium defuncto, præterquam quod ætas nimis provecta id non permittat; nec ipse San-Gallensium communione indigniisset, utpote ceu Augiensis monachus ejusdem jam particeps. Nullus quoque hujus nominis episcopus Veronæ tunc erat, sed Adelardus : nisi id de Rotaldo secundo accipi velit, quem Ughellus ex Peroto inter illius Ecclesiæ episcopos ad an. 840 numerat. Cum vero ab an. 844 alii episcopi ibidem præfuerint, non video ubi interea per 40 annos delituerit iste Rotaldus II. Unde aut annus et abbas in citato textu, aut Ratoldi nomen in mendo cubat (*a*). Quod postremum mihi vero admodum simile videtur ex Ekkehardo Juniore, qui in Vita B. Notkeri Balbuli cap. 11 (Goldast t. I, p. 231) Petrum Veronensem episcopum inopinatum ad S. Gallum venisse scribit, et quidem *eodem modo* quo scilicet Adalbero Augustensis antistes locum S. Galli in die festivitatis ejus orandi gratia adiisse cap. præc. perhibetur. Quod in libello Fraternitatum ad annum 908 refertur, ut tamen quæ de Petro narrantur, prius fieri potuerint; nec enim ordinem semper observat Ekkehardus; mox enim cap. 13 refert factum sub novo abbate Bernardo an. 883, quo Carolus Crassus teste Hermanno apud S. Gallum erat. Ut enim ex tota narrationis serie liquet, quæ hic describuntur, Notkeri Balbuli temporibus contigerunt, qui teste Hermanno an. 912 obiit. Cum igitur Petrus Veronensis circa hæc tempora S. Gallum inviserit, Ratoldus autem tum mortuus jam fuerit, forte haud multum aberraverit, qui Ratoldum loco Petri positum fuisse diceret. Sed et hic prior redit difficultas, nullus enim Petrus legitur in Veronensium episcoporum catalogo, nec ante nec post hæc tempora; nisi quis sustinere velit, Adelardo episcopo a. 877 a papa excommunicato Petrum fuisse suffectum, de quo tamen nulla alibi memoria.

(376) Hæc uxor erat Ludovici Germanici regis.

(377) Nitensis pagus, etiam *Niddegowe* dictus, in Wetteravia erat, de quo vid. Besselii Chron. Gottwic. t. II, p. 709. In eo situm erat *Ascabrunnon* seu *Aschenbrunnon*, uti in diplomate Henrici II imp. a. 1008 vocatur, quod hodie est *Eschborn*, inter Francofurtum et arcem Cronbergam.

(378) Annales citati Carolum filium a patre primo in Italiam missum perhibent, cui tamen postea Carlomannus in auxilium submissus est. Verum totam rem pro partium studio diversimode narrant Annales Fuldenses et Bertiniani. Medius incedit Andreas presbyter, Ravennas synchronus, in Chronico apud Mencken t. I.

(*a*) Quæ hic de Ratoldo dixerat, in *Addendis et corrigendis replicavit Ussermannus his verbis :* « Notavit Hermannus ad an. 874 obitum Ratolfi Veronensis episcopi, quem tamen in subjunctis notis adhuc an. 885 in vivis fuisse ex libello Fraternitatum San-Gallensium apparere diximus, simulque mendum quoddam ibi subesse conjecimus; quod etiam interea aliunde deprehensum. Inter antiqua enim confraternitatum monasterii S. Galli documenta in vetusto regulæ codice membranaceo notatur copia confraternitatis initæ inter illud monasterium et episcopos Ratpoldum Trevirensem et Luitwardum Cumanum, an. 885, sub Bernardo abbate. Unde vel codex, vel ejus editor Goldastus pro Ratpoldo seu Ratbodo Trevirensi legisse videtur *Ratholt Veronensis*; quod eo verosimilius est cum mox postea apud Goldastum VIII Kal. Julii anno 885 legatur obitus Liuchwardi Cumani episcopi, cum San-Gallensibus confœderati, ubi nec hic anno, nec in nomine difficultatem reperio : facile enim in cifris Romanis numerus unarius I addi vel omitti potuit, prout etiam qui hic Ratpoldus vocatur, in Gallia Christiana, tom. XIII, *Rabodus* dicitur, pro diverso nempe nominis propria affinia exprimendi modo. Cæterum Liutwardus hic in serie Cumanorum episcoporum in Ughelli Italia sacra tom. VI supplendus est. »

Digitized by Google

niam singuli cum adjacentibus provinciis accepere pacemque inter se sacramento firmavere. — Sed Carolus Galliarum tyrannus (379), comperta fratris morte gavisus, statim collecto exercitu regnum ejus Rheno contiguum invasit : quem cum Ludovicus Junior per legatos redire pacemque servare frustra postulasset, eumque sibi dolo insidias struere comperisset, transito Rheno, VIII Idus Octob. in (380) Ribuaria [*leg.* Ripuaria] bello inito vicit, multisque occisis et comprehensis, illum pene nudum cum paucis turpiter fugere compulit et castra ejus cum innumeris spoliis diripuit. *Annal. Fuld., Bert.*

160 877 Linones et Suisli eorumque confines, defectionem molientes, a Ludovici missis facile compressi sunt. *Annal. Fuld.* — Carolus Galliarum imperator tyrannicus æstate item Italiam ingressus, cum Carlomannum quoque fratris sui filium se invito transcensis Alpibus pugna secum congredi velle cognovisset, fugam more suo iniit et inter fugiendum dysenteria correptus periit anno regni XXXVII, et in Burgundia Agauni (381) sepultus est. *Annal. Bert.* — Post quem filius ejus Ludovicus Balbus regnum Galliarum accepit, et apud patrueles de omnibus patris injuriis se per legatos excusans, pacem cum eis fecit; Carlomannus vero disposita, prout voluit, Italia, in Bajoariam rediit et fratri Ludovico partem suam de regno Lotharii reddidit. — Febris Italica, tussis et dolor oculorum, et pestilentia, multos graviter vexavit et exstinxit. *Annal. Fuld.*

878 Ludovicus rex Germaniæ cum fratre Carolo regnum Lotharii divisit. Lantpertus (382) et Adalpertus comites Romam cum manu valida petentes, Joanne papa sub custodia retento, principes Romanorum fidem Carlomanno sacramento firmare coegerunt : unde idem papa commotus ecclesiam sancti Petri, omnibus thesauris Lateranis translatis, clausit divinaque inibi officia celebrare prohibuit, ipseque per mare Tyrrhenum Gallias adiens, totum pene inibi moratus est annum. Deinde assumpto secum Bosone quodam, qui propria uxore veneno necata, filiam Ludovici Italiæ imperatoris vi rapuerat, quemque Carolus Provinciæ præfecerat, Romam rediit ipsique regnum Italiæ subjicere et Carlomanno auferre studuit. Eclipsis solis VII (383) Kal. Novemb. post nonam horam facta, magnaque hominum et bonum pestilentia. *Annal. Fuld.*

879 Carlomannus rex Bajoariæ paralysi dissolutus usum loquendi amisit : ad quem Ludovicus frater visendum veniens, regnum Bajoariæ disposuit. *Annal. Fuld.* — **161** Ludovicus Balbus filius Caroli rex Galliarum nl Idus April. (384) Compendii obiit ibique sepelitur; Carolo filio posthumo relicto duobusque aliis non legitima conjuge natis, Ludovico scilicet et Carlomanno in regnum illi succedentibus. *Annal. Bert.* — Quo mortuo Ludovicus rex Germaniæ statim contiguam sibi Galliam Belgicam petit, indeque rursum in Bajoariam a quibusdam vocatus, quæ videbantur, disposuit, fratremque Carlomannum ægrotum, scripto ei res suas, quia lingua non potuit, commendantem invisit, eique ministraturos principes nonnullos deputavit. Itemque missis copiis Hugonem Lotharii regis ex Waldrada filium, in Gallia Belgica tyrannidem exercentem, cum suis compressit. Boso Burgundia invasa tyrannidem exercet. *Ann. Fuld. Met.*

880 Hiems prolixa et nimis frigida facta. Ludovicus rex Germaniæ in Gallias veniens et filios Ludovici Balbi ad se venientes suscipiens, pacem cum eis fecit totumque Lotharii regnum sibi subjicit. Ipse inito cum Nortmannis qui in Scilta (385) fluvio residebant, prælio plus quam quinque millia ex eis occidit ibique Hugo ex concubina filius ejus cecidit. Item Nortmanni inita cum Saxonibus pugna victores, duos episcopos (386), XII comites, XVIII regios milites cum secuta magna multitudine peremerunt et captivos multos duxerant. Sorabi, Dalmatæ, (Dalemincii) et Boemani Sclavi collecto exercitu Thuringiam juxta fluvium Salam populati, a Popone marchione circumventi, omnes perempti sunt. — Carlomannus rex Bajoariæ fortis, prudens et pius, XI Kal.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

877 *Carolus rex Galliarum obiit anno regni* XXXVII *post quem filius ejus Ludovicus Balbus regnum Galliarum accepit.*

878 *Ludovicus rex Germaniæ cum fratre Carolo regnum Lotharii divisit.*

879 *Ludovicus Balbus, filius Caroli, rex Galliarum,* III *Id. April. Compendii obiit.*

880 *Carolomannus rex Bajoariæ apud villam Ottingam obiit* XI *Kal. April.*

NOTÆ.

(379) Ita Carolum Calvum passim appellat annalista Fuldensis, scriptor nempe Germanicus; mitius vero sentit Bertinianus : unde in hujus temporis scriptoribus merito quis primariam veri historici dotem desideret, animum nempe a partium studio alienum.

(380) De amplissimo hoc olim Austrasiæ seu Lotharingiæ pago Ripuaria vid. Chron. Gottwis. t. II, p. 749.

(381) Potius in Nantuacensi monasterio.

(382) Lambertus Spoleti dux erat, Adalbertus vero Tusciæ marchio

(383) Annales Fuld. melius IV *Kal. Nov.*

(384) Alii ponunt IV Idus Aprilis seu 10 April. quæ fuit Parasceve, ut habent Annales Vedastini.

(385) Annales Fuld. habent *Scalta*, qui nunc est *Scaldis* fluvius.

(386) Theodoricum scilicet Mindensem et Marquardum Hildesheimensem. Omnes hi ceu martyres Ebbekestorpienses, a loco pugnæ dicti, colantur. Quorum tamen acta (Leibnit., t. I, Script. Brunsvic.) fabulosa sunt. Vid. t. I Bolland., die 2 Febr.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS

(387) April. **162** apud villam Otingam obiit et sepelitur. Ludovicus rex Germaniæ frater ejus, missis item contra Hugonem in Gallias copiis, cruentam adeptus est victoriam. Ejus item auxilio freti filii Ludovici Balbi, Bosonem tyrannum ultra Rhodanum persecuti, in Viennam compellunt et Madasconam urbem captam subjiciunt.

Nortmanni Gallias itemque Fresiam igne, præda cædeque vastantes, tandem Noviomagum muniunt et in palatio regis hiemare disponunt : contra quos Ludovicus moto exercitu, impediente hieme, parum proficere potuit. Magna sterilitas frugum Germaniam afflixit. *An. Fuld., Reg. a. scq.*

881 Hiems item sæva et prolixa magnaque fames facta. Ludovicus rex Germaniæ Hugonem ad deditionem venientem benigne suscepit, rursumque rebellantem persecutus in Burgundiam pepulit. Ludovicus rex Galliæ cum Nortmannis pugnans novem millia equitum victor prostravit; illi vero collectis rursum copiis regnum Ludovici regis Germaniæ petunt; Cameracum, Trajectum, Hispanicum [*leg.* Hasbanicum] pagum, Ripuariam totam, Prumiam, Stabulaum, Mamuldarium [*leg.* Malmundarium], Indam et alia perplura loca vastant; Aquisgrani in capella regis equos suos stabulant; Coloniam Agrippinam et Bunnam una cum ecclesiis incendunt; contra quos Ludovicus rex cum morbo detentus venire non posset, exercitum misit. Terræmotus interim magnus III Kal. Jan. Moguntiaci factus. Eodem anno Carolus rex frater Ludovici Italiam petens Romamque veniens, una cum regina Richgarda imperiali unctione a Joanne papa coronantur (388). *Annal. Fuld., an. præc.*

163 882 Cometa ultra modum comas spargens XV Kal. Febr. visa. Ludovicus rex Germaniæ, crescente morbo, XIII Kal. Febr. (389) defunctus, et Lauresham, juxta patrem æquivocum sepultus est. Quo audito exercitus contra Nortmannos missus, infecto negotio, rediit. Nortmanni vero, nullo resistente, residua circumcirca vastantes, Walach (390) Metensem episcopum incaute occurrentem occidunt; et inter alia Treverensem quoque urbem, fugatis et occisis civibus, Nonis Aprilis (391) incendunt, vastataque et incensa regione in munitionem suam, quæ Ascaloha (392) dicitur, juxta Mosam fluvium redierunt. *Annal. Fuld.* — Carolus imperator de Italia reversus, habito Wormatiæ conventu regnoque fratris accepto, magno collecto exercitu Nortmannos cum regibus suis per XII dies obsedit : cumque magno æstu et fetore præter mutua tela utrinque vexarentur, et immensa tempestate horridaque grandine XII Kal. Augusti exorta perturbarentur, visa expugnandi difficultate, petentibus hostibus pacemque deinceps regno ejus sacramento pol-

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI

881 *Nortmanni multas provincias in Gallia vastant. Carolus rex, frater Ludovici, Romam veniens una cum regina Richarda imperiali unctione a Joanne papa coronatur, et omnes Italorum episcopi, præter papam, imperatori jurejurando subjiciuntur;* an. præc.

882 *Ludovicus rex Germaniæ* XIII *Kal. Febr. obiit. Carolus imperator Nortmannos, circumquaque vastantes, pacem regno ejusdem deinceps sacramento firmare compulit, et regem eorum Christianitatem professum, de baptismo suscepit, sicque firmata amicitia digressi sunt*

NOTÆ.

(387) Ughell., Ital. Sac. t. II, p. 145, exhibet diploma Carolomanni regis, dat. v *Idus Maii anno incarnat.* 872, *domini vero Carolomanni regis in Bajoaria* IV *et in Italia* III, *ind.* V. *Act. apud Huotingam curtem regiam :* ubi anni regni annum 880 indicant, etsi indictio fallat. Inde vero eruitur Carolomannum eodem anno 880 XI Maii adhuc in vivis fuisse, nec adeo XXII Martii obiisse. Emortualem vero ejusdem Carolomanni patris sui diem notat filius ejus Arnulphus rex in præcepto anni 889, quo abbatiam Laubiensem donat Franconi Leodiensi episcopo (Miræi Opp. diplom. p. 650. Conf. Mabill. Annal Bened. t. III, p. 275) ea conditione, ut *in Kal. Octobr. die,* quo *Carolomannus venerandæ memoriæ piissimus rex et genitor noster præsentem finivit vitam,* ejus commemoratio fiat. Obiit ergo XXII Sept. a. 880, *apud Hodingas* sepultus (Annal. Met.). Qui locus idem est cum *Huotinga,* vel *Otinga,* nunc *Oetinga,* curte olim regia in Bajoaria (Chron. Gotwic. t. II, p. 500).

(388) Diem Nativitatis Domini addit annalista Fuldensis ad an. 880, quod dein Hermannus, qui annum ab illo festo incipit, ad an. 881 retulit. Carolum certe jam imperatorem appellat ipse Joannes VIII in epistola ad eum data IV Kal. April., indictione XIV, quæ annum 881 notat. (Epist. 269 in Labb. Collect. concil. t. IX, p. 194.) Muratorius (Antiq. Ital. t. I, p. 456 et t. III, p. 755) hæc diplomatum probat, Carolum Crassum ante medium mensis Martii anni 881 imperatorem haud fuisse coronatum. Eccardus vero (Rer. Franc. t. II, p. 654) ex Cadoldi Novariensis episcopi charta institutæ apud Angienses dicti Cæsaris annuæ commemorationis (Mabill. vet. Annal. p. 427) *in die consecrationis suæ, id est, Epiphaniarum die,* ipsam hanc coronationis diem statuendam putat, maxime, quod ipse Carolus in diplomate pro Ecclesia Fuldensi dat. IX Kal. Oct. a. 885 (Schannat., Tradit. Fuld. p. 212) eamdem annuam consecrationis suæ diem appellet. Verum dubitat Saxius in notis ad Sigonium de regno Italiæ, p. 344, cujusnam dies coronationis ejus hic intelligenda veniat, Italicæne, Romanæ, an Germanicæ, maxime cum ea die 6 Jan. an. 880 Mediolani rex Italiæ sit coronatus. Vid. supra in Breviario regum Franc. ad finem.

(389) Hunc diem 20 Jan. Ludovico emortualem statuunt Annales Fuldenses et Necrologium Fuldense, Pithœani autem et Regino 19 Nov., et Metenses 20 Aug. perperam notant.

(390) *Al.*, Walo *seu* Wala.

(391) Quæ fuit Cœna Domini juxta Annales Metenses.

(392) Annal. Fuld. *Ascloba*, Regino *Haslou*, quod Struvius de *Hassfeld* intelligit, alii melius de Hasla urbe ad Mosam, quatuordecim a Rheno milliaribus juxta citatos Annales dissita.

Digitized by Google

licentibus, datis obsidibus, cum rege eorum Sigefrido (393) mutuum colloquium **164** habuit, eumque Christianitatem professum de baptismo suscepit, datisque mutuo muneribus et firmata amicitia digressi sunt. Orto inter Saxones et Thuringios bello, Saxones superiores exstitere. Pestilentia magna in Bajoaria facta. *Annal. Fuld.*, *Bert.*, *Met.*, *Reg.*

883 Carolus imperator, celebrato in Alamannia Natale Domini, ad sancti Galli quoque cœnobium venit ibique petente Hardmoto abbate jam sene Bernhardum pro eo abbatem constituit, qui eidem loco VII annis præfuit : ipseque Ratisbonæ Pascha egit. *Ratpert.* — Romæ Joannes papa, dato sibi a quodam propinquo suo veneno, cum adhuc victurus putaretur, malleo percussus in cerebro exspiravit; percussorque ejus, concurrente turba, eadem hora a nullo læsus cecidit mortuus; et Martinus (394) archidiaconus papa CX, factus, præfuit anno I, mensibus VI. Imperator Carolus iterum in Italia obviam papæ pergit et Widonem ducem reum majestatis accusatum fugientem persequi jussit. Pestilentia exercitum vexavit. Item Saxones cum Thuringiis et Popone (395) pugnantes vincunt. Nortmanni item Prumiam petentes a Heinrico marchione Poponis fratre ad internecionem cæsi sunt. — Ludovicus rex Galliæ, postquam regnum fortiter rexit et defendit, defunctus et Parisius sepultus est sexto regni anno (396). Zuentibald dux Marahensium Pannonias, quibus Arnolfus dux filius Carlomanni regis præfuit, crudeliter vastat. *Annal. Fuld.*

884 Bajoarii in Italiam contra Widonem missi. Item Zuentibald Pannonias immanissime vastans, quosdam ex Bajoariis juxta Rabam [*al.*, Raabam] flumen incaute congressos vicit, occisisque aliis, nonnullos comprehendit. — **165** Carlomannus rex Galliæ, filius Ludovici Balbi, cum multam pecuniam Nortmannis pro pace dedisset, in venatu ab apro percussus interiit anno regni VII, et regnum Galliæ ad Carolum imperatorem rediit. *Chron. Normann.*

Regino. — Carolus imperator in citeriore Pannonia conventum habens Zuentibaldum ducem Marahensium per manus se dominio ejus tradentem, pacemque et servitium promittentem suscepit. Itemque Brazlavonem ducem, qui inter Dravum et Savum fluvios Pannoniæ præfuit, nihilominus se tradentem accepit. Ipse per Carentanum in Italiam veniens, Natalem Domini Papiæ celebravit. *Annal. Fuld.*

885 Imperator Carolus, habito in Italia conventu, Widonem ducem Spoletanum, se excusantem seque subdentem suscepit : inde Gallias adiens susceptisque primoribus, regnum illud, ut videbatur, disponens, ad condictum cum papa placitum Wormatiam venit. Sed papa, arrepto ad eum veniendi itinere, obiit (397); Romæque pro eo Adrianus III papa CXI, sedit anno I, mensibus IV. *Suppl. Lambec.* — Gotafridus rex Nortmannorum, perfidiæ contra regnum Francorum insimulatus, ab ipsis accusatoribus dolo peremptus est. Hugo quoque nothus Lotharii regis, cum incaute contra imperatorem agitaret, oculorum luce privatus est, *Reg.* — Pax inter Arnolfum Carentani et Pannoniæ ducem et Zuentibaldum Marahensem ducem confirmatur. *Annal. Fuld.*

886 Imperator, celebrato Ratisbonæ Natale Domini, Italiam a papa invitatus adiit, et Liutwardum Versellensem episcopum pro quibusdam quærendis Romam misit. Tumultus Papiæ inter cives regiosque milites gravi utrorumque damno movetur. — Imperator habito post Pascha Papiæ conventu, per Burgundiam Gallias contra Nortmannos petiit. Ubi cum male contra eos pugnatum esset, et Heinricus marchio Neustriæ occubuisset, rebus minus prospere gestis, discessit. **166** Peringarius [*al.*, Berengarius] dux Forojuliensis, cum Luitwardo episcopo dissentiens, Vercellensem urbem exspoliat. Insolita inundatio autumni tempore facta, exundantibus aquis, plurimas villas evertit et multis in montibus vias diruit, multaque mortalibus damna intulit. Romæ quintus Stephanus (398) papa CXII post Adrianum ordinatus, sedit annis VI. *Annal. Fuld.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

883 *Romæ Joannes papa a quodam toxicatus, etiam a quodam alio percussus malleo obiit, statimque percussor ejus a nemine læsus moritur : et Marinus archidiaconus papa* CX *profuit anno uno, mensibus sex. Ludovicus rex Galliæ obiit.*

884 *Carolomannus filius Ludovici Balbi, rex Galliæ, obiit et regnum Galliæ Carolus imperator obtinuit.*

885 *Marinus papa obiit, pro quo Adrianus III, papa* CXI, *sedit anno uno, mensibus quatuor.*

886 *Imperator a papa invitatus Italiam venit. Romæ quintus Stephanus post Adrianum sedit annis sex.*

NOTÆ.

(393) Reliqui Annales regem Godefridum appellant.

(394) Annales Fuld. recte *Marinus*, qui id ad annum priorem referunt.

(395) Thuringiæ duce.

(396) Juxta Annales Bertinianos Ludovicus Franciæ rex jam mense Augusto anno priore defunctus est.

(397) Papa, qui in itinere obiit, Adrianus fuit, non Marinus ejus antecessor, jam mense Maio an. 884 mortuus.

(398) Stephanus V jam mense Septembri anno priore suffectus est Adriano.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

887 Imperator Carolus in Alsatia gravi infirmitate detentus jacuit et parum convalescens incisionem capitis pertulit (399), habitoque in Alamannia conventu in villa Weibilinga (400), Peringarium ducem ad deditionem venientem et Liutwardo episcopo satisfacientem suscepit. Mortuo Bosone, filius ejus ex filia Ludovici Italiæ imperatoris puer Ludovicus ad Carolum imperatorem veniens, benigne ab eo susceptus et in filium adoptatus est. *An. Fuld.* — **167** Richgarda [*al.*, Richarda] imperatrix adulterii cum Liutwardo Vercellensi episcopo, qui apud eam et imperatorem familiariter in palatio vigebat, ab imperatore et aliis incusata, divino judicio ab omnium se virorum commistione integram et eatenus virginem comprobavit, quamvis jam XII annis in conjugio imperatoris apparuerit: moxque ab eo separata in Andelahense (401) cœnobium virginum a se constructum secessit, ibique sedula in divino servitio virgo regina permansit. *Annal. Met. Reg.* — Dein Carolus imperator graviter infirmatus, mente etiam, ut videbatur, minus valuit, omnesque regni principes averso jam ab eo animo, cum apud Franconofurt conventum habuisset, unanimiter eum deseruere, et Arnolfum fratris ejus Carlomanni filium non ex legitima conjuge, sed tamen nobili (402) natum, Carentani scilicet ducem, super se regem constituere. Carolus vero cum se cunctis omnino ministris, etiam et servis suis deseri, et a solo Liutperto Mogontiense archiepiscopo adhuc vidisset sustentari, supplex jam Arnolfo munera misit, et pauca ab eo in Alamannia usque ad obitum suum prædia postulans impetravit. *Annal. Fuld. Met. Regino.*

888 Carolus imperio jam privatus, Deo devote serviens in villa Alamanniæ Nidinga (403) infirmatus, et, ut quidam perhibent, a suis strangulatus, Idus Januarii vita mortali decessit, et quibusdam videntibus, cœlo aperto et lumine super eum apparente, Augiam (404) delatus juxta altare S. Mariæ sepultus est. *Annal. Fuld.* — Arnolfo rege Natalem Domini Paschaque Ratisbonæ morante, multis regulis emergentibus, Perengarius filius Eberhardi in Italia regem se fecit; Ruodolfus filius Conradi in Burgundia; Ludovicus filius Bosonis, et Wido filius Lantperti, in Gallia Belgica et Provincia; Odo filius Ruodperti (Rotberti) in Gallia usque ad Ligerim, et in Aquitania ultraque in Gallia **168** Ramnolfus (405) regium nomen nihil [*forte* nihilo-

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

887 *Richarda imperatrix adulterii cum Luitwardo Vercellensi episcopo incusata, aquino judicio se ab omni virorum commistione integram et virginem... regina permansit. Imperator autem ab omnibus deseritur, et Arnulfus fratris sui Carlomanni filius rex eligitur.*

888 *Carolus imperator jam privatus, Deo devote serviens, ut quidam dicunt, a suis strangulatus, obiit Idus Januarii, et Augiæ* (406) *sepelitur.*

NOTÆ.

(399) In Bodoma palatio ad lacum Bodamicum.

(400) Weiblinga ceu *curtis regia* occurrit in Annal. Fuld. ad an. 894; memoratur quoque in diplomate ipsius hujus Caroli Crassi imp. ann. 885 *actum ad Weihelingam*, et in altero ejusdem dat. *Non. Maii a.* 887, *indict.* IV, *anno vero regni domini Caroli* XI, *imperii autem* VII. *Actum Weiblinga villa.* De situ vero ejus discrepant inter sese magni nominis viri. Besselio enim, in Chronico Gottwicensi t. II, p. 520, videtur esse modernum monasterium Wiblingen, in Sueviæ ducatu, olim ad pagum *Albegowe* pertinens, ad confluentiam Danubii et Illaræ. Alii vero Waiblingam intelligunt in ducatu Wurtembergico in valle Remsthal prope Nicrum fluvium, sede Hohenstaufiorum ducum Sueviæ et Gibellinorum origine illustrem. Quæ quidem posterior prælerenda videtur, cum vix credibile sit a Carolo potius in loco Ulmæ tam vicino, uti est Wiblingense monasterium, conventum fuisse habitum, quam in ipsa Ulma *villa regali*, prout appellatur in diplomate Caroli M. an. 813 pro monasterio Augiensi.

Neutram ex dictis villis hic indicari arbitramur, sed aliam Wibelingam in Palatinatu inferiori pariter ad Nicrum inter Heidelbergam et Mannheimium in pago Lobodunensi sitam, cujus frequens in monumentis Laureshamensibus occurrit mentio. Firmari id videtur, quod teste annalista Fuldensi post illud placitum in Weibilinga imperator *ad Rhenum* Bosonem susceperit in villa *Chircheim* seu *Kircheim* in eodem pago sita, ubi etiam datum censeo supra citatum diploma Caroli Crassi pro monasterio Otinga a. 885 VIII *Kal. Sept. Actum ad Weibelingam.* Quod de nostro hoc loco intelligendum esse suadet aliud ejusdem diploma triduo post seu V *Kal. Sept.* eodem anno datum in *monasterio, quod dicitur Lauresham.* Hoc exstat in Gallia Christ. t. IV, inter instrumenta p. 133, quod breve temporis spatium utriusque loci vicinitatem, adeoque Weiblingam Palatinam satis aperte indicat.

(401) Celebre id est nobilium virginum collegium in Alsatia, a Richarda regina circa an. 880 fundatum.

(402) Luitswindam scriptores appellant, nobilem ex Carinthia feminam.

(403) *Nidingen*, *Nydingen* seu *Neidingen*, villa in antiquo Alemannici ducatus pago Bertoldesbara, sive hodierno Landgraviatu Baarensi, sepultura familiæ Furstenbergicæ nobilis.

(404) Reicheuaugiense scilicet monasterium, ubi solemnem imperatoris hujus commemorationem instituit Cadoltus Novariensis episcopus, ejusdem cœnobii antea monachus, et Luitwardi episcopi Vercellensis germanus. Mabill. ann. Bened. t. III, p. 264.

(405) Ramnulfus hic comes erat Pictaviensis et dux Aquitaniæ, qui Aquitaniam, Septimaniam et Marcam Hispanicam invadens, regium sibi nomen vindicavit.

(406) In Necrologio S. Germani Paris. notatur *Nonis decembris depositio domni Caroli imperatoris.* Quod quidem de depositione a regno accipiunt Socii Palatini apud Muratorium Script. rer. Ital. t. II, p. I, p. 416. I, melius tamen de sepultura ejus in Augia tunc primum facta intelligendum videtur, cum nomen ejus die 5 Dec. in Necrologio Augiensi habeatur, et ipse a regno die 2 Nov. anno priore sit depositus.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

minus] invasere: e quibus Odo Arnolfum regem Franciam petentem humiliter adiens et benigne susceptus, permisso ejus invasum retinuit regnum. Itidem Rodolfus Ratisbonam ad eum veniens favore ejus pervasam impetravit Burgundiam (407). Nihilominus cum Italiam vellet rex Arnolfus petere, obviam venienti Peringario, qui paulo ante cum Widone pugna conflixerat tyranno, paucis exceptis, totam concessit Italiam. In (ea) expeditione ingens equorum pestilentia facta. *Annal Fuld. Regin.* — Augiæ Ruodhoho abbati Hatto succedens præfuit annis xxv, qui cellam et basilicam sancti Georgii in insula construxit.

889 Liutpertus venerabilis omnique laude dignus Mogontiæ sedis archiepiscopus hac vita decessit; cui Sunderold successit. Calamitosus iste annus morbis ac pestilentia, aquarum inundationibus, insolitis tempestatibus, turbinibus et grandinibus multis, fame, peste et quaquaversum bellis socialibus comprovincialium fuit. In Thuringia torrentis modo nimbus defluens, tres in momento villas absumpsit, et ccc homines cum pecoribus multis exstinxit. *Annal. Fuld.* — Arnolfus rex Zuentibaldo et Ratoldo filiis suis ex concubina natis subjectionem a Francis promitti vix effecit, si ei legitimus non nasceretur filius. Magna contra Abodritos expeditio ab eo, sed parvo effectu, mota est. *Annal. Fuld. Met.*

890 Arnolfus rex, habito in Pannonia de diversis colloquio, a Zuentibaldo duce Marahensi ex verbis apostolici obnixe rogatur, ut Romam veniens Italiamque sub ditione sui retinens, a tantis eam eruat tyrannis. **169** Quod ille, aliis præpeditus, ad præsens facere distulit. Iterum conventu apud Forcheim acto, Ludovici imperatoris Italiæ filiam, Bosonis viduam, ad se cum muneribus venientem benigne suscepit. Inde Constantiam, Augiamque, orandi gratia, adiit indeque Ratisbonam rediit. *Annal. Fuld.* — Apud sanctum Gallum post Bernhardum Salomon abbas præfuit annis xxx. Salomon secundus Constantiæ venerabilis episcopus obiit: pro quo tertius Salomon de cœnobio sancti Galli abbas episcopus promotus, præfuit annos xxx. *Hepid. Annal. Met. al. a. seq.*

891 Embricho Ratisbonensis episcopus vita et ætate verendus obiit, ipsaque urbs, exceptis divi-hitus sancti Emmerammi sanctique Cassiani ecclesiis, IV idus Augusti incendio tota conflagrat. Normanni item Franciam Rheno contiguam vastant, contra quos exercitu misso, prælioque incaute conserto, Sunderolt Mogontiensis archiepiscopus cum aliis multis peremptus occubuit, cæterique fugerunt (*Regino*): pro quo Hatto Augiensis abbas, vir ingeniosus, archiepiscopus promovetur. *Annal. Fuld.* — Arnolfus vero rex Nortmannos victoria elatos, et regnum Lotharii vastantes, cum exercitu insequens, juxta fluvium Dila (408), palustribus locis munitos, manumque pugna conserere trepidantes, offendit. Qui milites adhortatus, equis propter loci difficultatem dimissis, pedes eos aggreditur; clamor attollitur, res deinde gladiis cominus geritur, unoque tantum milite ex nostris perempto, duo Nortmannorum reges, Sigifridus et Godafridus, totusque eorum exercitus multis millibus numerosus, ferro trucidatus, et in flumine fugam impediente demersus, ad internecionem deletur. Et rex eadem die, litaniis celebratis, et Deo laudibus redditis, multisque hostium spoliis direptis, in Alamanniam venit, et Natalem Domini Ulmæ celebravit. *Annal. Fuld. Met.*

892 Apud Gallias Carolus adolescens Ludovici Balbi posthumus filius, a quibusdam primatibus rex effectus, multa deinceps Odoni mala fecit, **170** et ab eo vicissim sustinuit. *Flodoard. an. seq.* — Arnolfus rex Pannonias adiens, cum Zuentibaldum ducem Marahensem iterum sibi rebellantem cognovisset, colloquio cum Brazlavone duce Pannoniæ ulterioris habito, trifariam cum tribus exercitibus, Ungariis etiam auxiliatoribus, miper illas in partes de Aquilone adventantibus, per continuum mensem Marahensem devastat regionem: ipse etiam eodem tempore priscam cum Vulgaris renovat amicitiam. Popo ducatu Thuringiæ privatus est. *Annal. Fuld.* — Romæ post Stephanum Formosus, prius Portuensis episcopus, papa CXIII, sedit annis IV, mensibus VII (409).

893 Engilscalcus marchio Pannoniæ judicio Noricorum excæcatus, et patruelis ejus Wilhelmus decollatus est. Arnolfus rex Marahensem iterum vastat regionem. Ipsi regi ex Vota (410) regina Ludovicus filius nascitur, et a Hattone archiepiscopo Mogontiense, et Adalberone Augustense episcopo nobili, baptizatur, et sacro chrismate ungitur. — Formosus papa, missis epistolis et legatis, Arnolfum regem ad suscipiendam, et eruendam a tyrannis, maximeque a Widone, Italiam, magnopere invitat.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

890 *Arnolfus rex ex parte apostolici rogatur ut, Romam veniens, Italiam sibi de tyrannis defendat.*

891 *Arnolfus rex Nortmannos ad internecionem delevit.*

892 *Romæ post Stephanum . . . mensibus septem.*

893 *Formosus papa Arnolfum regem ad suscipiendam et a tyrannis eruendam Italiam invitat.*

NOTÆ.

407) Non omnia hic recensita hujus anni sunt; Ludovicus enim primum 890 rex Arelatensis creatus est.

(408) Annalista Fuldensis fluvium *Clyla* appellat, in loco qui *Lovonnium* dicitur; quod alii quidem varie interpretantur: verosimilius autem est fluvius *Dyla* seu *Thylia* in Brabantia, qui *Lovanium* urbem interfluit, uti etiam vocatur in Annal. Metensibus.

(409) Hoc ad annum priorem spectat.

(410) Aliis Oda dicitur vel Uta.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

Quod ille annuens legatos muneribus donatos remittit. Hiems sæva, et diutina hoc anno facta. *Annal. Fuld.*

894 Tonitruum magnum v Kal. Febr. factum. *Annal. Fuld.*—Widone Italiæ tyranno mortuo, Angilâruda [*al.*, Agiltruda] vidua ejus cum filio Lantperto tyrannidem invasit. *Regino. Luitprand.* (411).

895 Arnolfus rex Hildigardam Ludovici regis patrui sui filiam, cujus maxime molimine, dejecto Carolo, rex factus fuerat, exsilio damnat. *Annal. Met. an. præc.* Synodus magna apud Triburiam collecta. *Conc. Germ.*, tom. II, p. 388. Arnolfus rex cum Odone, tunc Galliarum rege, ad se veniente pacem firmat, Caroloque filio regis Ludovici Balbi non **171** multo post advenienti et munera offerenti, auxilium denegat. Ipse etiam Zuentibaldum, ex concubina filium suum, regem super Lotharii regnum ungi fecit : itemque per epistolas a Formoso papa rogatus Italiam autumno petit, Peringariumque perterritum ad deditionem venientem regnumque pervasum Italiæ reddentem suscepit, et Waltfredo Meginfredoque comitibus Italiam cis Padum distribuit, et omnia vastando, divisisque ad superum inferumque mare copiis transiens, ipse Natalem Domini Iunæ [*forte*, Lucæ] celebravit. *Annal. Met. Fuld.*

896 Magna pluviarum inundatione exercitu fatigato, et plurimis equis inde amissis, Perengario etiam a fidelitate ejus deficiente, et ad Lantpertum se conferente, Arnolfus rex tandem Romam venit, eamque, Angildruda Widonis vidua cum filio Lantperto machinante, obseratam inveniens, mandato Formosi papæ intus inclusi, celebratis apud sanctum Pancratium litaniis, eam oppugnat, expugnataque citius urbe, ingressus, a domno papa honorifice susceptus, imperatorque coronatus est (412), et dispositis ibi rebus, primoribusque sacramento subactis, Angildrudam persequi statuens, infirmari cœpit; metuensque morbum graviorem, de Italia statim redire acceleravit. Quo reverso, Perengarius ac Lantpertus, diviso inter se regno Italiæ, tyrannidem exercuere, Lantpertusque Megenfredum comitem decollare jussit. *Annal. Fuld.* — Formosus papa die Paschæ obiit, pro quo sextus Bonifacius papa CXIV ordinatus decima quinta die podagra defunctus est : cui sextus Stephanus, Campaniæ prius episcopus, papa CXV, substitutus sedit annum I. Qui tyrannis favens, et Arnolfum odiens, Formosum papam octavo post obitum mense effossum, et in sella positum, loquente pro eo diacono, criminatum **172** et quasi convictum degradavit, et per crura protractum, in Tiberim projici præcepit. Sed divinis per merita ejus miraculis territi cives Romani, non multo post Stephanum digne cruciatum ejecerunt, Formosumque in sepulcrum suum reposuerunt. *Annal. Fuld. Luitpr.* — Eodem anno Græcis cum vagantibus hostibus Hungariis pacem facientibus, Vulgari irati Græciam invasam Constantinopolim usque devastant. Interim Græca astutia Hungarii inducti, terram Vulgarorum ferro, præda igneque pessumdant. Vulgari reversi, bis ab eis pugna victi et cæsi, terga vertunt. Tertio demum divinam enixius gratiam precati, xx millibus suorum amissis, cruentam, vix profligatis hostibus, meruere victoriam. Tanta etiam fames hoc anno facta, ut innumeri inedia perirent, hominesque Christiani nonnulli se invicem comederent. Arnolfus imperator, quodam ædificio cadente, cum multis aliis graviter conterens corpus, cecidit. *Annal. Fuld.*

897 Magna fames in Bajoaria multos consumpsit. Boemani contra Marahenses ab Arnolfo imperatore auxilium petunt. — Romæ post Stephani interitum Romanus papa CXVI sedit mensibus paulo plus IV, et post hunc Theodorus secundus papa CXVII sedit dies XX. Post quem nonus Joannes papa CXVIII ordinatus sedit annos II (413). Arnolfus imperator, habito conventu, nulli fidens, sacramentum fidelitatis denuo sibi et filio parvulo Ludovico a cunctis exigit. *Annal. Fuld.*

898 Discordia capitalis inter fratres Zuentibaldum et Moymarum [*al.*, Moymirus] Marahenses duces facta. Luitpaldus (414) marchio cum aliis Marahenses imperatori rebelles vastat. *Annal. Fuld.*

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

896 *Arnolfus rex tandem Romam venit, et a Formoso papa imperator coronatus est. Formosus papa die Paschæ obiit : pro quo sextus Bonifacius papa CXIV ordinatus, decima quinta die podagra defunctus est. Cui sextus Stephanus papa CXV substitutus sedit annum unum, qui tyrannis favit.*

898 *Romæ post Stephani interitum Romanus papa CXVI sedit mensibus paulo plus* IV, *et post hunc secundus Theodorus papa CXVII sedit dies* XX. *Post quem nonus Joannes papa CXVIII ordinatus sedit annos duos.*

NOTÆ.

(411) Gottwicensis : *Arnolfus Italiam Burgundiamque suo regno subjecit*; quod pariter referunt Annales Metenses et Fuldenses a Bouquetio restituti; in editis enim hic integrum folium deest, ex manco nimirum codice, quali et Hermannus usus videtur, qui ad hunc annum tam pauca habet, et Arnulphi expeditionem Italicam plane præterit.

(412) Id quidam mense Aprili factum scribunt, quod vix credibile, cum Formosus papa jam quarta die ejusdem mensis obierit, ut adeo hæc solemnitas in triduo sacro fieri debuisset. At cum Arnulphus in diplomate pro cœnobio Amiatino Romæ dato IV Kal. Martii anno Incarnat. Dom. 896 (Ughell, Ital. Sac., t. III, p. 614) se jam imperatorem Augustum nominet, ante diem 27 Febr. coronari jam debuit.

(413) Hæc partim annum sequentem spectant.

(414) Austriæ nimirum marchio Luitpoldus.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

899 Item Bajoarii fines Marahensium hieme vastant. Vota regina, adulterii crimine cum quibusdam viris infamata, LXXII (415) principum juramento Ratisbonæ in conventu absoluta est. Arnolfus imperator paralysi **173** dissolutus est, et nonnulli inde veneficii, vel maleficii criminati, et puniti sunt. Item Bajoarii Marahensium terram vastant. Isanricus (416) imperatori rebellans, obsessusque et ad deditionem vi coactus, ad Marahenses item confugit. Romæ Benedictus quartus, papa CXIX, sedit annis III, mensibus V (417). *Annal. Fuld.*

900 Arnolfus imperator Ratisbonæ, ubi frequentius manebat, ægrotans, obiit (418) et in basilica S. Emmerammi sepultus est, anno regni XII. Pro quo filius ejus Ludovicus puer in regnum constitutus est; cujus frater ex concubina, Zuentibaldus Galliæ Belgicæ rex, cum crudeliter et temere ageret, res Ecclesiarum affectaret, Ratpotonemque etiam Treverensem archiepiscopum baculo in caput percuteret, a suis spretus ac desertus, cum incaute viribus impar pugna eis congredi vellet, peremptus est. *Regin. chr. Annal. Fuld.* — Bajoarii per Boemanos transeuntes, ipsis secum assumptis, Marahensem item devastant regionem. Hungarii, hostes novi, Italiam magna ex parte vastaverunt et, conserto prælio, victores viginti millia ex Italis una die peremerunt. Itidem exploratam Bajoariam invadentes, circa Anesum [*al.*, Anasum, Ens] flumen plurimas prædas abducunt. Item Pannonias depopulatas occupant. — Luitpardus (419) marchio, quibusdam copiis Hungariorum cum paucis Noricorum congressus, uno tantum ex suis amisso, MCC peremit (420). *Ann. Ful.*

901 Hungarii, Carentanum petentes, commissa pugna, victi cæsique fugerunt. Eodem anno Moymarius dux Marahensis et Isanricus Noricus comes, **174** qui ad ipsum transfugerat, cum Ludovico rege pacificati sunt. *Suppl. Annal. Fuld.*

902 Hungarii Marahenses petunt, pugnaque victi terga verterunt. *Ann. Saxo.* — Ipso anno, Beringer, Reginolf et Gerhard nobiles Germani fratres, filii Atonis comitis et Adellindæ, non longe a Buochaugiensi cœnobio virginum in pago Alamanniæ Erichgewe (421), a matre per ipsum tempus (422) studiose in honorem sancti Cornelii et sancti Cypriani martyrum constructo, cum sororem virginem nuptum tradere molientes clam inde abducerent, ab inimicis circumventi, et occisi sunt et a matre sua apud ipsum cœnobium sepulti; ubi etiam ipsa, postquam Hierosolymam aliaque sancta loca causa orationis adiit et rediit, divinis intenta servitiis et animarum inhians lucris, feliciter hanc vitam finiens condita est, ipsa filia virgine æquivoca sua abbatissa inibi constituta.

904 Romæ post Benedictum Leo quintus (423), prius presbyter forensis, papa CXX, sedit mensibus ferme II. Post quem, ut in quibusdam inveni, Christophorus, prius cardinalis, papa CXXI, sedit mensibus IV, qui dejectus est et monachus factus (424).

905 Romæ Sergius III, papa CXXII, sedit annis VII, mensibus IV, *al.*, *a. pr.*

906 Adalbertus nobilis et bellicosus de Babenberg

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

899 *Uta regina, adulterii incusata,* LXXXII *principum juramento absoluta est. Romæ Benedictus... mensibus quinque.*

900 *Arnolfus imperator Ratisbonæ, ubi frequentius manebat, obiit* VI *Id. Decembr.* (425). *Anno regni* XII, *pro quo filius ejus Ludovicus puer regnavit.*

902 *Beringer, Reginolfus et Gerhardus, nobiles Germani, filii Atonis comitis et Adellindæ occisi, apud Buchaugiense cœnobium virginum, a prædicta Adellinda constructum, sepeliuntur, ubi et ipsa mater postea est sepulta.*

904 *Romæ*, etc., ut Aug.

905 Ut Aug.

906 *Adalbertus nobilis et bellicosus de Babenberg*

NOTÆ.

(415) Alii LXXXII principes numerant.

(416) Hic Arbonis Austriæ marchionis filius erat.

(417) Benedicti IV electio primum ad finem anni sequentis contigit.

(418) Regino, Annales Metenses aliique obitum ejus ad III Kal. Decembr. anni præcedentis rejiciunt. Quem item annum assignat Necrologium Fuldense apud Leibnit. script. Brunsv. t. III, p. 763.

(419) Luitpoldus Austriæ marchio.

(420) Hic desinunt Annales Fuldenses, unde et Hermanus deinceps brevior est.

(421) Alius ejusdem fere nominis pagus occurrit in chartis San-Gallensibus apud Goldastum, scilicet *Argangawe* et *Argunu*, cum Helvetico pago *Argovia* haud confundendus.

(422) Verior hæc est, etsi posterior, celebris hujus parthenonis origo quam fabulosa illa a Bruschio et Bucellino jam inde a Carolo M. deducta. Vid. Brunnerus Annal. Boic., p. I, p. 305. Item Crusius Annal. Suev. p. I, l. XI, cap. 8, p. 307, cui jam sublesta quoad hoc fides inoluit. Cuncta hæc magis, non satis tamen studiose tractarunt Bolland ad t. VI, Aug. die 28, in Vita B. Adelindæ abbatissæ, p. 492. Vid. ad annum 799. Ato sive Hatto aut Otto comes Kesselburgensis in tractu lacus Plumarii fuisse traditur.

(423) Contigit hoc anno priore.

(424) Nempe in monasterium detrusus.

(425) Eumdem diem 6 Dec. plerique assignant, uti et lamina plumbea in aperto ejus sepulcro an. 1671, reperta in monasterio S. Emmerami, quamvis Regino illum apud Ottingam sepultum memoret. Vid. Otto Fris. l. VI, c. 13. Cæterum id de anno priore esse intelligendum ostendit etiam præceptum Ludovici ejus filii dat. IV Id. Octobr. an. 900, apud Schatten Annal. Paderborn. l. III, p. 236.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

Francus (426), commissa **175** cum æmulo suo Conrado pugna, vicit eumque eum multis aliis peremit (427). *Regin. an. pr.*

907 Adalbertus, cum prædia ejus, utpote rebellantis, a Ludovico rege vastarentur et castrum oppugnaretur, perfidia, ut fama est (428), Hattonis archiepiscopi et cujusdam Luitpaldi, de quibus plurimum confidebat, ad Ludovicum regem spe pactionis adductus decollari jussus est. *Reg. a.* 905, *al. an.* 906. — Bajoarii cum Hungariis commissa pugna victi sunt. *Annal. Met.*

908 Hungarii Saxoniam et Thuringiam late vastant. *An. Saxo. a.* 906. Luitpaldus occisus est (429).

909 Hungarii Alamanniam invadentes vastant. *Regin. contin. Hepid.*

910 Hungarii Franciam (430) petentes, commissa pugna, superiores fuerunt. *Hepid. Reg. cont.* — Adalbero venerabilis, et famosus Augustæ Vindelicæ episcopus, obiit; post quem Hiltine annis XIII præfuit. *Hepid.*

911 Ludovicus rex adolescens moritur et Ratisbonæ sepelitur. *Hepid.* Post quem, deficiente nostris in partibus regio stemmate, Conradus filius Conradi (431) rex electus, et unctus regnavit annis VII. *Regin. cont.* — **176** Burchardus dux Alamanniæ, in conventu suo orto tumultu, occisus est; pro quo Erchanger ducatum invasit (432).

912 Hungarii item Bajoariam petentes, congregatis Bajoariorum et Alamannorum copiis, juxta fluvium Ine (433) congressi magna strage profligantur. *Chron. Aug. a.* 913. *Hepid.* — Cometæ hoc anno visæ. Ruodolfus rex Burgundiæ obiit, et Ruodolfus filius ejus regni illius jura disposuit annis XXV. *Al. a.* 911. — Romæ Anastasius (434) secundus, papa CXXIII, sedit annis II, mensibus II. Apud sanctum Gallum Notkerus magister doctus obiit (435). Otpertus (436) episcopus occiditur. Einhard excæcatur. *Cont. Reg. Annal. Saxo.*

913 Item Hungarii egressi Alamanniam vastant. Mongontiæ Hattone (437) archiepiscopo Augiensique abbate mortuo, Heriger in episcopatu succedens annis XIV, in abbatia vero Hug abbas XVIII annum I præfuit. *Chron. Aug.*

914 Salomon Constantiæ episcopus et abbas cœnobii sancti Galli a quodam protervo captus et in custodiam missus est (438). Augiæ post Hugonem Thientigus abbas XIX præfuit annis III.

177 915 Romæ Lando, papa CXXIV, sedit mensibus V, post quem Leo VI, papa CXXV, mensibus

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

Conradus æmulum suum, victum pugna, cum aliis multis peremit.

907 *Adalbertus, perfidia Hattonis archiepiscopi et Luitpoldi ad Ludovicum regem spe pactionis adductus, decollari est jussus.*

908 *Hungarii Saxoniam et Thuringiam vastant. Luidpaldus occisus est.* Regin. a. 907.

909 *Hungarii Alamanniam vastant.*

910 *Hungarii Francos devincunt.*

911 *Ludovicus... annis septem. Burchardus dux Alemanniæ in conventu suo occiditur.*

912 *Hungarii a Bajoariis et Alemannis juxta flumen Ine occiduntur. Ruodolfus rex Burgundiæ obiit, pro quo Ruodolfus filius regnavit annis XXV. Romæ Anastasius secundus, papa CXXIII, sedit annis II, mensibus II. Apud S. Gallum Notkerus, magister doctus, obiit.*

913 *Hungarii Alemanniam vastant.*

914 *Salomon Constantiensis episcopus est captus.*

915 *Romæ*, etc., ut Aug.

NOTÆ.

(426) Henrici Franciæ orientalis ducis filius. Vid. a. 883, 886. Conradus Hassiæ seu Wetteraviæ comes. *Regin.*

(427) Annales Metenses, obitum Conradi senioris comitis, patris Conradi postea regis, referunt ad annum 905, III Kal. Martii apud Friteslar.

(428) Ex fama scribit Hermannus, sed Ekkehardus de casibus S. Galli factum id vulgo concinnari et cani tradit. Vid. Eccard., Rer. Franc. t. II, p. 811, ubi factum hoc cum aliis negat, de quo pariter silent Annales Metenses, qui castrum istud Terassam, alii Babenberg vocant. Marianus et Sigebertus perfidiam illam pariter memorant, uti et Luitprandus Hist. l. II, c. 3, præcipue autem Otto Frinsingensis l. VI, c. 15. Vid. Calles Annal. t. IV, p. 33 seq.

(429) Scilicet in pugna contra Hungarios. Erat hic Luitpoldus dux seu comes Bajoarici limitis, qui idem esse videtur de quo anno superiore. *Aventin.* l. IV, c. 21.

(430) Francia orientalis hic intelligitur, seu Franconia.

(431) Franconiæ comitis, ab Adalberto a. 905, occisi, et Glismodæ filiæ Arnulfi imperatoris.

(432) Duo Burchardi duces circa hæc tempora occisi memorantur, a scriptoribus nonnunquam confusi. Primus est Burchardus dux Thuringorum, seu præfectus limitis Thuringici, cum aliis ab Hungariis in prælio occisus, ut refert chronicon Saxonicum ad an. 908, et probat Eccard Rer. Franc. Or. t. II, p. 819; alter vero Burchardus primus hujus nominis Alamanniæ dux juxta Hermannum h. a. 911 in conventu suo interemptus; post quem Erchanger ducatum invaserit. Hunc una cum fratre suo Bertholdo, qui ambo an. 917 decollati sunt, Cameræ nuntios in Suevia appellat Ekkehardus Junior De casibus monasterii S. Galli c. 1.

(433) Ad Oenum nimirum.

(434) Est Anastasius III, priore anno electus.

(435) Cognomento *Balbulus*. Ekkehardus minimus Vitam ejus scripsit.

(436) Otpertus episcopus erat Argentoratensis, anno 913 a civibus occisus; Eberhardus seu Einhardus Spirensem sedem tenebat.

(437) Ex Reginonis continuat. et chronico Wirceburg. Hatto a. 912 obiit.

(438) Factum hoc esse ab Erchangero et Bertholdo cameræ nuntiis, qui Sueviæ ducatum invaserant, scribit Ekkehardus Jun. De cas. monast. S. Galli c. 1.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

ferme II, et post hunc Joannes X, papa CXXVI, annis XIV, mensibus II (439).

916 Hungarii item egressi inter alia mala totam pene Alamanniam igne et gladio miserabiliter vastant. *Annal. Saxo. an.* 915. — Ipso anno apud Altheim coram misso apostolico synodus habita. — Augiæ Thietingo abbate defuncto, Heribraht abbas XX, præfuit annis X. Apud sanctum Gallum beata virgo Wiborada arctius inclusa est. *Hepid.*

917 Hungarii pervasa, ut cœperant, Alamannia, Basileam urbem destruunt; indeque Alsatia vastata, Lotharii regnum, multa mala facientes, invadunt. *Reg. Cont.* — Erchanger, qui ducatum Alamanniæ invaserat, cum fratre Bertholdo regi Conrado rebellantes, eique tandem ad deditionem spe pactionis venientes, ipso jubente apud villam Adingam (440) decollantur XII Kal. Febr. *Chron. Aug. Ekkeh. jun.*

918 Burchardus (441), dux Alamanniæ factus, tyrannidem invasit. Conradus rex obiit (442) *Reg. cont.*

178 919 Heinricus comes natione Saxo in regnum electus, sine regali unctione regnavit annis XVIII. *Witichind.* — Pugna apud Winterturum inter Ruodolfum regem Burgundiæ et Burchardum ducem Alamanniæ commissa, rex a duce victus fugatur. *Hepid.* — Salomone episcopo Constantiense abbate-

A que cœnobii sancti Galli defuncto, Notingus in episcopatu annis XV, Hartmannus in abbatia quatuor ferme annis successerunt. *Al. a.* 920.

920 Carolus rex Galliarum in Franciam (443) venit. Apud sanctum Gallum Rachildis virgo inclusa est. *Hepid.*

922 Liuthardus a Burchardo duce, oppresso Heriberto (444), Augiæ præpositus, et fratres in exsilium missi sunt.

923 Sanguis Domini in Augiam insulam a quadam matrona defertur, sicuti litteris inibi historica relatione (445) continetur. Apud sanctum Gallum Engelbertus abbas constitutus annis IX præfuit (446).

924 Sanctus Voldaricus Augustæ Vindelicæ episcopus ordinatus (447), mira pietate et religione præ-

B fuit annis L.

925 Hungariis item Alamanniam vastando pervagantibus, et ad cœnobium quoque sancti Galli pervenientibus, Wiborada virgo inclusa, fracta cella, a quodam ex eis perempta et martyrio coronata, Rachildisque contectalis ejus illæsa divinitus conservata est (448).

179 926 Hungarii, vastata Alamannia, totam Franciam, Alsatiam atque Galliam igne et gladio sævientes percurrunt. *Reg. cont.* — Burchardus dux occiditur (449). *Luitpr.; Hartman.* — Henricus rex

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

916 *Hungarii totam Alemannium igne et gladio vastant. Synodus coram misso apostolici Petro Ostiensi* (450) *episcopo apud Atheim est habita, in qua synodo generali decreto sancitum, ut quicunque deinceps bannum ab episcopo impositum corrupisset, per jejunium* XL *dierum in pane tantum et aqua et sale commissum lueret. Apud S. Gallum... est inclusa.*

917 *Ab Hungariis Basilea destruitur. Erchanger dux et frater ejus decollantur.*

918 *Burchardus dux Alemanniæ constitutus*, etc., ut Aug.

919 *Henricus comes... regnavit annis* XVIII. *Burchardus dux Alemanniæ Rudolphum regem Burgundiæ vicit.*

920 *Carolus rex... inclusa est.*

923 *Sanguis Domini... sicuti litteris inibi manifestatur.*

C 924 *S. Udalricus Augustæ Vindelicæ episcopus præfuit annos* L.

925 *Hungariis item Alemanniam vastantibus... virgo inclusa, a quodam eorum perempta, martyrio coronatur... conservata est.*

926 *Hungarii, vastata Alemannia, per totam Franciam, Alsatiam atque Galliam igne et gladio desæviunt. Burchardus dux occiditur, pro quo Herimannus Alemanniæ dux efficitur.*

NOTÆ.

(439) Hic ordo inversus est; Lando enim an. 914 obiit, cui eodem anno successit Joannes X, et huic primum an. 928 Leo VI, qui non duobus, sed septem mensibus præfuit.

(440) Quæ sit hæc villa *Adinga*, haud notatum reperi; videtur autem esse *Ottinga* vicus in eodem pago Rhætiensi ad Wernizam amnem.

D (441) *Sueviæ principum assensu statuitur Alamannis dux primus Burchardus gentis illius nobilissimus et virtutum dote probatissimus;* verba sunt Ekkehardi Junioris p. 19. De eo vid. Tentzelius in vindiciis p. 218, 228.

(442) X. Kal. Jan. ex Mariano Scoto et Necrologio Fuldensi.

(443) Carolus simplex Gall. rex contra Henricum in pagum Wormatiensem movit. *Frodoard. Witich.*

(444) Abbas hic Augiensis ad a. 916 Heribraht vocatur. Vid. Mabill. Annal. Bened. t. III, p. 371.

(445) Historiam hujus translationis ex membranaceo Augiensi codice dedit Mabillonius l. c. Cod. Engelberg. notat diem VI Id Nov. *Vid. Annal. Saxo.*

(446) Hepidannus hoc ad annum sequentem efert.

(447) Scilicet die 28 Dec. an. 923. *Pag. ad an.* 924.

(448) Vid. Hopidannus Junior de Vita et miraculis S. Wiboradæ apud Goldastum Rer. Germ. t. I, p. 206.

(449) Scilicet in Italia Rudolfo Burgundiæ regi auxilium ferens. *Chron. Sax.* In libro fraternitatum S. Galli (GOLDAST., t. II, p. 153) ubi solemnis quoque commemoratio pro eo instituta est, notatur die obitus III d. Nov., a. 925. Sed in Chronico S. Galli (DUCHESNE, t. III, p. 471) equo delapsus obiisse scribitur a. 926, 2 Maii, feria II, quæ nota annum præcedentem indicat.

(450) Vid. de hac synodo Conc. Germ. t. II, p. 588, et Pagius in Critica ad h. a. ubi tamen decretum in cod. Bav. allegatum non comparet; ibi etiam pro *Ostiensi* legendum *Ortensis* vel *Hortanus*

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

agnum conventum Wormatiæ habuit. Heriman- A nus (451) Alamanniæ dux promovetur. *Reg. cont.* — Augiæ Liuthardus abbas XXI effectus præfuit annis VIII.

927 Heriger Moguntiensis archiepiscopus obiit, et pro eo Hildipertus archipræsulatum accepit (452).

929 Romæ Stephanus VII, papa CXXVII, sedit annis II, mense I. *Frodoard.*

930 Henricus rex Boemiam petit. *Annal. Saxo a.* 928.

931 Romæ Joannes XI, papa CXXVIII, sedit annis IV. *Luitpr.* — Henricus rex reges Abodritarum et Nordmannorum Christianos fieri effecit ipseque Gallias petiit. *Chron. Aug.; Reg. cont.*

932 Hungarii Soraborum provinciam petentes, ab exercitu regis Henrici cæde profligati, fugati B multique ex eis capti sunt. *Frod. a. seq.; Reg. cont. an.* 934.

933 Apud sanctum Gallum Thieto abbas præfuit annis ferme X.

934 Constantiæ Notingo episcopo defuncto, Conradus genere et **180** vita prænobilis præsul ordinatus, XLI per annos illam nobiliter rexit Ecclesiam (453). Augiæ quoque post Liuthardum Alawicus venerabilis abbas XXII præfuit annis XXV. Eberhardus Argentinensis præpositus primus incola (455) cellæ Meginradi venit (455).

935 Romæ Leo VII, papa (456) CXXIX, sedit annis III, mensibus VI. *Frod.*

936 Henricus rex obiit, et in Saxonia apud Chu- C tilineburg (457) cœnobium virginum sepultus est; pro quo Otto filius ejus, regni gubernacula accipiens, XXXVIII ferme annis strenue rexit. *Chron. Aug.; Luitpr.*

937 Hungarii per Bajoariam, Alamanniamque et orientalem Franciam prædis, gladio igneque furendo vagantes, transito Wormatiæ Rheno, Alsatiam, regnum Lotharii et adjacentes usque ad Oceanum Gallias vastantes, per Burgundiam Italiamque tandem in Pannoniam redierunt. *Witich. Frod.* — Monasteria sancti Bonifacii sanctique Galli incendio conflagrant. *Reg. cont.; Ekkeh. Jun.* — Ipso anno Rodolfus Burgundiæ rex defunctus, Agauni apud S. Mauricium sepultus est, filiusque ejus Conradus (458) regnum pro eo suscepit. Arnolfo etiam Bajoariæ duce mortuo, ducatum ejus Bertolfus (459) accepit. *Necrol. Fuld.; Reg. cont.* — Bajoarii cum multis aliis Ottoni regi rebellant.

181 938 Otto rex contra Bajoarios procinctum movit. Interim frater ejus Henricus ab Eberhardo (460) comprehensus est; quo liberato, Eberhardoque in exsilium relegato, denuo Noricos cum exercitu invasit omnesque præter Arnolfi ducis filium Arnolfum subjugavit. Interim Hungarii, Saxoniam invadentes, a Saxonibus pugna victi cæsique fugantur. *Witich.* — Romæ Stephanus VIII, papa CXXX, sedit annis III, mensibus IV (461).

939 Otto rex, Lotharingos rebellantes petens, usque ad Caprimontem cum exercitu venit. *Reg. cont.* — Interim Ludovicus rex Galliarum Caroli filius Alsatiam invasit; sed mox Ottone, hoc comperto, redeunte, perterritus regnum suum repetiit: cumque castrum Brisacha ab Ottone rege obsessum oppugnaretur, capita rebellionis Eberhardus dux occisus et Gisalbertus (462) dux in Rheno submersus inter-

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

927 *Heriger Moguntiensis archiepiscopus obiit, pro quo Hildebertus.*

929 *Romæ Stephanus... annos duos, mensem unum.*

930 Ut Aug.

931 Ut Aug.

932 *Henricus Hungarios in Suirbia interfecit.*

934 *Constantiæ Conradus, genere et vita clarus, præsul ordinatus præfuit annos* XLI.

935 *Romæ... mensibus* II.

936 *Henricus... apud Chutilineburg sepelitur; pro* D *quo Otto filius ejus regnavit ferme annos* XXXVIII.

937 *Hungarii Franciam, Alemaniam, et Burgundiam vastantes, tandem per Italiam redierunt in Pannoniam. Monasteria S. Galli et S. Bonifacii concremantur. Rudolfus rex Burgundiæ obiit, pro quo filius ejus Conradus regnum suscepit. Arnolfus dux Bajoariæ obiit, ducatumque ejus accepit Bertolfus. Bajoarii cum multis aliis regi Ottoni rebellant.*

938 *Otto rex contra Bajoarios procinctum movit, peneque omnes sibi subjugavit. Romæ Stephanus... mensibus* IV.

939 *Otto rex omnes sibi rebelles, præter Metensem episcopum, subjugavit.*

NOTÆ.

in Hetruria (Ughell. Ital. Sacr. t. I, p. 733). *Altheim* locus est in pago Rhætiensi seu Riesa in ducatu Neoburgico. Vid. Eccard. Rer. Franc. t. II, p. 850).

(451) Hermannus hic filius erat Gerardi, seu Gebhardi, Franciæ orientalis ducis, cognatus Conradi I regis. *Clem.*

(452) Hoc ad annum 924 cum quibusdam chronicis consignat Gallia Christiana. Sed Necrologium Fuldense et Chron. Wirzburg. rectius ad h. a.

(453) Vita apud Pistor. t. III et Leibnit. t. II; Hepidannus ad annum seq.

(454) Alii ad annum præcedentem.

(455) Vita S. Udalrici c. 50, et Guillimannus in Rudhardo Argent. episcopo.

(456) Ordinatus est initio anni sequentis.

(457) Quedlinburg, ubi cœnobium ædificare cœperat.

(458) Cognomento *Pacificus*, frater Adelhaidis postea conjugis Ottonis I.

(459) Frater Arnulphi *Mali.*

(460) Eberhardus erat dux Francorum, et frater Conradi I regis.

(461) Spectat ad annum seq.

(462) Giselbertus Lotharingiæ superioris dux uxorem habuit Gerbergam Ottonis M. sororem.

Digitized by Google

ierunt, episcopique et alii qui cum eis contra regem venerant, fugati et dispersi sunt. Otto vero rex, dedito castro, in regnum Lotharii reversus cunctos sibi rebelles præter Metensem episcopum subjugavit. *Witich.; Reg. cont.* — Henricus quoque frater ejus, projectis armis, ipsi se subdidit. *Frodoard.; Reg. cont.*

940 Otto rex, Gallias contra Ludovicum regem petens, magnam Provinciæ partem usque ad Sequanam amnem vastavit, et Hugonem Heribertumque, principes ad se venientes, suscepit. *Frodoard.* — Hiems sæva hoc anno facta et pestis animalium subsecuta. Hugo filius Richardi moritur (463).

942 Otto rex cum Ludovico rege Galliarum pacificatur. *Frod.* — Cometa per noctes XIV visa, et immensa animalium pestilentia facta. *Reg. cont.* — Romæ Marinus secundus, papa CXXXI, sedit annos III, menses VI.

182 943 Hungarii, item Bajoarios invadentes, pugna cum eis commissa victi terga verterunt. Apud sanctum Gallum Gralo [*al.*, Cralo] abbas præfuit annis XVII. *Hepid.; Chron. Salzburg.*

944. Terræmotus factus est XVI Kal. Maii. *Hepid.*

945 Romæ Agapitus secundus, papa CXXXII, sedit annis ferme X. *Al. anno seq.* — Otto rex Galliam inferiorem petit. *Frod. a. seq.*

946 Apud sanctum Gallum Rachildis virgo inclusa migravit ad Dominum. *Hepid.*

947 Bertholfo duce Bajoariæ defuncto, Henricus frater Ottonis regis ducatum illum accepit. *Reg. cont. a.* 945. — Luitolfus filius regis Ilam laudabilem feminam (464) duxit uxorem. Mirmidona (465) igne consumitur. *Annal. Sax. a. seq.*

948 Herimannus dux Alemanniæ, qui provinciæ sibi creditæ cultum, habitum, mores et instituta multum, ut fertur, honestaverat, defunctus, Augiæque in capella sancti Chiliani sepultus est; et Luitolfus filius regis Ottonis, vir omnium sui temporis universo populo acceptissimus, dux pro eo a patre suo constitutus est. *Witich.; Hepid.* — Synodus magna XXX episcoporum coram Ottone et Ludovico regibus apud Ingelenheim habita est (466). Ipso anno Lindaugia incendio conflagrat. *Hepid.* — Capella in cœnobio sancti Meginradi cœlitus consecrata est XVIII Kal. Octobr. (467).

183 949 Lothario rege Italiæ mortuo (468), Beringarius regnum invasit, viduamque ejus Adalheidem Rodolfi II regis Burgundiæ filiam multis injuriis afflixit et coarctavit; quæ vix fuga elapsa Ottonis regis adventum in multis angustiis præstolatur. *Leo Ost. Sigon. a.* 951.

950 Otto rex Italiam petiit, eamque subjiciens sibi Beringarium regem resistere non valentem pepulit domnamque Adalheidem suam futuram conjugem liberavit. *Reg. cont. an. seq.*

951 Synodus (469) XXV episcoporum magnusque totius regni principum conventus apud Augustam Vindelicam coadunatur, ibique Beringarius Ottoni regi ad deditionem venit et subjectionem promittit. *Witich.* — Inter alia prodigia ignitus lapis, quasi massa candentis ferri, ab occidente per aera venit et draco visus est ambulans.

952 Otto rex Boemiam, et filius ejus Luitolfus dux Italiam petunt (470). Otto rex una cum filio suo Luitolfo Italiam item ingreditur, et nuptiæ regales Papiæ celebrantur. Discordia inter Luitolfum ducem et patruum ejus Henricum ducem agitata. *Witichind.* — Fridericus Moguntiæ archiepiscopus et Hardpertus Curiæ episcopus Romam a rege missi sunt.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

940 *Otto rex Gallias contra Ludovicum regem petit. Hiems sæva et mortalitas animalium.*

942 *Otto et Ludovicus reges pacificantur. Romæ M rinus... mensibus sex.*

943 *Hungarii Bajoarios invadentes vincuntur.*

944 *Terræmotus*, etc., ut Aug.

945 *Romæ... ferme* X. *Otto rex Galliam ingreditur.*

946 *Apud*, etc., ut Aug.

947 *Bertolfus dux Bajoariæ obiit, cui Henricus frater Ottonis regis in ducatu successit.*

948 *Hermannus dux Alemanniæ obiit, cujus ducatum Lutolfus Ottonis regis filius accepit. Synodus magna... facta.*

949 *Lothario rege... injuriis afflixit.*

950 *Otto rex Italiam petit sibique eam subjecit, et pulso Beringario dominam Adelheidem liberavit.*

951 *Synodus... ad deditionem venit. Inter alia... quasi candentis ferri... ambulans.*

952 *Otto rex cum filio suo Luitolfo Italiam intrat, et nuptiæ regales Papiæ celebrantur.*

NOTÆ.

(463) Hugo, cognomento Niger, Richardi Burgundiæ ducis filius et Rodulphi Galliæ regis frater, primum anno 951 obiit.

(464) Herimanni Alemanniæ ducis filiam.

(465) Civitas scilicet Monasteriensis, nisi Mindam quis intelligere velit, cum in synodo Ingelheimensi, an. 948, legatur Eberisus *Mimidonensis* episcopus, seu Mindensis. Unde forte legendum hic *Mimidona.*

(466) Vid. Conc. Germ. t. II, p. 610. Acta ejus dedit Canisius Lect. Antiqq., t. III, p. I, p. 8, ex codice Weingartensi.

(467) Additamentum hoc, si tamen sit, satis antiquum et codici coævum videri in dissertatione prævia monuimus.

(468) Mortuus est Lotharius primum anno 950 exeunte. Murat Antiqq. Italiæ ad an. 949 et seq.

(469) Tam Synodus Augustana quam cætera hic relata ad annum sequentem pertinent. Vid. Conc. Germ. t. II, p. 622. Unde duo hi anni fere invicem permutati videntur. Vid. Regin. cont. a. 952. Acta vero hujus synodi ex codice Weingartensi sistit Canisius Lect. Antiqq. t. III, p. I, p. 2.

(470) Hæc ad annum 950 spectant. *Reg. cont.* an. 950 et seq.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

953 Otto rex fratri Henrico favens filium contra se incitavit Luitolfum, magnaque totius regni turbatio diversarum studiis partium facta est. *Reg. cont.; Witichind.* — **184** Arnolfus filius Arnolfi, quondam ducis Noricorum, partibus se Luitolfi contra regem jungens, Augustensem urbem episcopatumque deprædatur, et beatum Vodalricum episcopum, regi fidum, in castello Mandichinga (471) obsessum capere vel occidere nititur; sed, superveniente cum copiis militum Adalperto de Marhtale comite (472), et Theodpaldo episcopi fratre item comite pugna victus et turpiter repulsus est divinaque ultione cum cunctis fautoribus non multo post digne punitus. In ea congressione Adalpertus comes parum vulneratus moritur et a sancto episcopo Augustæ honorifice sepelitur. *Vita S. Udalrici.* — Secuto tempore, cum invalescente discordia Otto rex et filius ejus Luitolfus dux, collectis contra se invicem exercitibus, juxta fluvium Hilaram (473), et villam vocabulo Tussam, jam jamque pugna conflicturi consedissent, intercurrentibus sanctis episcopis Vodalrico Augustensi et Hardperto Curiensi, Deo donante, pacificati et confœderati sunt. *Frod. an.* 954.

954 Hungarii item egressi Franciam, Bajoariam Italiamque devastant. *Reg. cont.; Frod.*

955 Hungarii cum tantis ut nunquam antea copiis percursa Bajoaria Licum flumen transeunt, basilicam sanctæ Afræ Augustæ incendunt, sanctum episcopum Vodalricum, multa instantia divinum implorantem auxilium, Augustæ cum suis obsessum armis circumstrepunt; sed, superveniente cum exercitu Ottone rege IV Idus Augusti pugna valida nimis committitur, multum humani sanguinis funditur, cædes Hungariorum immensa sequitur, **185** alveus fluminis fugientium et morientium cadaveribus oppletur, et paucissimis fuga elapsis, innumerabilis eorum exercitus ad internecionem deletur; ipsique, qui tunc effugere poterant, per totam postea passim Bajoariam capti trucidantique sunt: inter quos reges eorum comprehensi, Ratisbonæ in patibulis suspensi sunt. In ipsa pugna ex nostra parte inter alios multos Conradus dux bellicosus, et pius gener regius (474), et sancti frater episcopi, comes Theodpaldus (475), sororisque ejus (476) filius Reginbaldus comes, aviæ (477) meæ Berthæ patruus, occubuere. *Reg. cont. Hepid. Frod. Witich.* — Romæ Joannes XII, qui et Octavianus, papa CXXX, sedit annis VIII, mensibus IV: qui tanti ordinis, heu proh dolor! oblitus, vanitati et spurcitiæ vitam suam deditus duxit. *Al. an. seq.* — Mogontiæ Fridericus archiepiscopus decessit cique Hatto (478) successit. Henricus quoque frater regis Bajoariæ dux moriens filium æquivocum successorem reliquit. *Reg. cont.*

956 Luitolfus dux Italiam hostiliter invasit, fugatoque Beringario et filio ejus, Papia urbe provinciaque potitus est. *Reg. cont.*

957 Luitolfus dux commissa pugna Adalpertum vicit, cunctisque sibi **186** una cum regno Italiæ subjugatis, ipse eodem anno apud Plumbiam (479) immaturo obitu vita decessit et magno multorum

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

953 *Luitolfus dux Ottoni patri suo rebellat, sed a. sanctis episcopis reconciliati sunt.*

954 *Hungarii*, etc., ut Aug.

955 *Hungarii, totam Bajoariam depopulantes, juxta Augustam Alemanniæ urbem, Deo juvante, ab Ottone rege pugna victi immensa cæde necantur* IV *Idus Augusti. Ex nostris etiam Conradus dux cum aliis multis occubuit. Hungarii etiam, qui tunc effugere poterant, per totam Bajoariam tructdati sunt. Reges eorum Ratisbonæ in patibulis suspensi sunt. Romæ Joannes... vanitati et spurcitiei fuit deditus.*

956 *Luitolfus dux Italiam hostiliter invadit, et Beringarium cum filio ejus fugavit.*

957 *Luitolfus dux Adalbertum bello vicit, et ipse eodem anno obiit, et Burchardus ducatum ejus accepit.*

NOTÆ.

(471) Castellum hoc in Vita S. Udalrici t. II Jul. Bolland., p. 108, *Monichingen* dicitur, quod hodie *Schwahmünchingen* appellatur ad fines Bavariæ, haud procul Augusta.

(472) Videtur esse Adelbero filius Bertholdi, juxta Hepidannum h. a. occisus. Bertholdum vero Adalberti patrem Eckhart t. II Rer. Franc. orient., p. 813, filium facit Henrici, fratris Adalberti Babenbergensis a. 905 decollati: qui Henricus principem sedem habuerit Martalam, vel Mertelam aut potius Amardelam, Sulzbaco propinquam; unde et ejus nepos Adalbertus comes de Marhtale sit dictus.

(473) *Hilara* seu Ilarus Sueviæ fluvius, unde pagus *Ilargome* dictus, cui fluvio adjacet oppidum *Tussen* seu *Tüssen* aut *Ilertissen*.

(474) Hic erat dux Wormatiensis Franconiæ et Lotharingiæ, maritus Luitgardis filiæ Ottonis I, antea regi rebellis. *Otto Fris.*

(475) Scilicet Kiburgensis et Diligensis.

(476) Luitgardæ nimirum, Burchardi III, seu Junioris Alemanniæ ducis primæ uxoris.

(477) Primam hic mentionem facit Hermannus suæ familiæ, de qua pluribus infra ad ejusdem Vitam.

(478) Anachronismus hic est; Friderico enim ad an. 954 defuncto non Hatto, sed Guillelmus successit, ut ipse fatetur in fine Chronici Augiensis (t. I, Miscell. Baluzii) his verbis, quæ etiam ad illustranda priora faciunt: « Anno Dom. Incarnat. 954, indict. XII, beatæ memoriæ domnus Frithuricus sanctæ Moguntianensis Ecclesiæ archiepiscopus VIII Kal. Nov. obiit. Eodem vero anno ego Willelmus, tantæ successionis indignus, loco ejus cum consensu cleri et populi ejusdem sanctæ sedis XVI Kal. Jan. ipsoque die pacem inter regem Ottonem et filium ejus Luidolfum facta in loco Aranstedt, sum electus, et in IX Kal. Jan. Moguntiæ ordinatus. » Cæterum de hoc conventu in Arnstad vid. Conc. Germ. t. II, p. 624.

(479) *Plumbinum* seu *Piombino* Italiæ urbs in Etruria.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

luctu Moguntiæ sepultus est, Ottone filio adhuc parvulo superstite relicto. Et Burchardus Alamanniæ ducatum accipit (480). *Reg. cont. Witich.*

958 Alawico Augiæ abbate defuncto, Eggehardus abbas XXIII præfuit annis XV, qui ecclesiam sancti Joannis Baptistæ formoso inibi artificio construxit. *Hepid. a.* 959. — Nonnullis hominibus signa crucis in vestibus apparent. Eberhardus Argentinensis præpositus cum magno apparatu in cellam sancti Meginradi veniens ibique regularem vitam instituens, post ejus introitum XXV anno ad Dominum migravit (481).

959 Apud sanctum Gallum Anno (482) abbas præfuit anno paulo plus uno.

960 Apud sanctum Gallum Burchardus abbas præfuit annis XIII (483).

961 Otto rex filium suum æquivocum ex Adalheide regina regem eligi fecit, et ipse Italiam cum exercitu petiit. Signum in sole apparuit.

962 Otto rex Romam veniens a Joanne seu Octaviano papa imperiali unctione coronatur, ipseque papam pro sceleribus, quæ fama de illo vulgabat, arguens, ejus corrigere turpitudinem non valebat.

187 963 Otto imperator Natalem Domini Papiæ moratus ipso anno, cum propter alia, tum maxime propter papæ Joannis scelera, quæ magis magisque infamari audiebat, dijudicanda Romam venit. Quo comperto idem papa fugiens Campaniam petiit, ibique in silvis et montibus latitavit : in cujus locum a Romanis et imperatore electus vir venerabilis Leo VIII, papaque CXXXIV, ordinatus est (484).

964 Imperator Otto Natalem Domini Romæ egit, eoque alias inde Italiæ partes lustrante, Romani, non multo post contra Leonem papam insurgentes, eum neci dare et Joannem reducere moliuntur. Papa vero fugiens ex urbe in partes Spoleti ad imperatorem venit, suas illi conquestus injurias; cumque iratus imperator Romam infesto exercitu repeteret, mors illi Joannis scelerati nuntiatur et Benedictus diaconus a Romanis papa postulatur. Abnuente vero imperatore, idem Benedictus ejus nominis V, papa CXXXV, nolente imperatore ordinatus sedit mensibus II, et civitas ab imperatore obsessa est tantaque fame oppressa ut modius furfuris XXX veniret denariis; nec multo post, afflictis subactisque Romanis, imperator dedita urbe traditoque Benedicto, Leonem papam restituit eique subjectionem **188** et fidelitatem a Romanis sacramento promitti fecit. Qui tamen papa multis postea ab ipsis affectus est injuriis. *Regin. cont. Luitpr. hist. l.* VI, *c.* II. — Eodem anno, rege Romæ morante cum cæteris principibus, idem papa consecrationem capellæ, cœlitus factam in cœnobio sancti Meginradi, coram principibus scriptis confirmavit (485).

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

958 *Cruces in vestibus quibusdam apparuerunt.*

961 *Otto rex Ottonem filium suum ex... apparuit.*

962 *Otto rex Romam veniens a Joanne seu Octaviano papa imperator coronatur, ipseque papam pro sceleribus suis arguens, minime eum potuit corrigere.*

963 *Otto imperator, Natalem Domini Papiæ moratus, iterum Romam venit pro sceleribus Joannis papæ dijudicandis. Sed eodem Joanne imperatorem in Campaniam fugiente, in ejus locum a Romanis et imperatore vir. . . ordinatus est* (486).

964 *Romani Leonem papam expellunt, mortuoque Joanne papa priore, Benedictus diaconus a Romanis, nolente imperatore, ordinatur sui nominis quintus, papa CXXXV, et sedit menses duos. Et civitas ab imperatore obsessa est et tanta fame oppressa ut modius furfuris veniret* XXX *denariis. Nec multo post, dedita urbe traditoque Benedicto, imperator papam Leonem restituit et Romanos ei fidem per sacramentum promittere coegit.*

NOTÆ.

(480) De hoc Burchardo III agemus infra ad Vitam Hermanni.

(481) Vid. Hermannus an. 934 et Annales Einsidl. Mabillon. vet. Anal. p. 368, et t. III Annal. p. 539, ac sæc. V Bened. p. 241.

(482) Obiit jam an. 954 post Cralo ejus frater et antecessor restitutus est an. 959 defunctus.

(483) Spectat ad annum priorem ex Hepidanno.

In codice Aug. interpolator addidit : *Gregorius abbas efficitur ;* pro quo Chronicon S. Blasii *Gregorius primus abbas cellæ S. Meginradi præficitur;* quod tamen fallit. Jam enim ad an. 945 in eodem Aug. alia manu notatur : *Thietlandus pater venit primus abbas hujus loci.* Sed et hæc nota perperam posita, cum jam Eberhardus abbas vocetur in diplomate Ottonis I imp. an. 946 (Hartmann. Annal. eremi p. 46). Huic an. 958 mortuo successit Thietlandus, abbas *modo* regens nominatus in alio diplomate ejusdem Ottonis an 961 (l. c. p. 63) ut adeo Gregorius nec primus, nec an. 960 abbas esse potuerit.

(484) Ita quoque rem enarrat continuator Reginonis ad h. a.; a quo tamen nonnihil dissentit Frodoardus in Chronico ad a. 965. Cæterum synodus in qua depositus est Joannes, Romæ habita est a die 6 usque 22 Nov., cujus acta quædam habentur in fine Historiæ Luitprandi. Hanc et in ea acta illegitima censet Baronius; legitimam vero Fleurius, Turrecremata et alii veteres. Vid. Luitprandi Hist. lib. VI, cap. 6 et seqq.

(485) Bullam hanc, d. III Id. Nov. a. 964, scriptam profert Hartmannus in Annalibus Eremi., p. 71, cui multa opponunt critici in novo Chronico Einsidl. p. II examinata.

(486) Chron. S. Blasii : *Hoc anno datum est edictum Ottonis anno regni ejus* XXVII, *imperii autem* II, *indict.* VI, *actum Veronæ Nonis Junii.* Respexisse videtur chronographus ad diploma Ottonis imp., quo cellam Reginberti, unde dein monasterium S. Blasii prodiit, confirmavit quodque anno 983 datum esse probavit Cels. Gerbertus Hist. Silvæ Nigr. t. I, p. 179 seqq. Ipsum diploma exhibetur ibid, t. III, p. 15.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

965 Otto imperator, Natalem Domini item Papiæ manens, indeque per montem Cenerum de Italia rediens octavam Epiphaniæ Curiæ egit. Burchardus vero dux Suevorum, Italiam hostiliter invadens, Adalpertum pugna victum fugavit, fratremque ejus Widonem occidit et ad imperatorem victor rediit. — Ipso anno Brun Coloniæ Agrippinæ venerabilis archiepiscopus, frater Ottonis imperatoris, obiit; cujus Vita litteris edita a quibusdam habetur (487).

966 Romæ defuncto Leone, Joannes XIII, prius Narniensis episcopus, papa CXXXVI, in ordine sedit annis plus minus VII (488).

968 Eclipsis solis XI Kal. Decemb. facta (489).

969 Hoc tempore, Rodfredus comes et Petrus præfectus cum aliis quibusdam Romanis Joannem papam comprehensum, et in castellum sancti Angeli retrusum, et in exsilium demum in Campaniam missum per X vel **189** amplius menses affligunt, donec, Rodfredo occiso a Joanne quodam Crescentii filio, ad suam sedem vix tandem relaxatus rediret (490). *Regin. cont. a.* 965.

970 Otto imperator Italicas iterum invasit provincias, Romamque veniens injurias domni papæ graviter in auctoribus sceleris, partim exsiliis, partim patibulis, variisque pœnis et abominationibus vindicavit. *Al.* 967.

971 Otto imperator, cum in Italia moraretur, beatus Vodalricus Augustensis episcopus, jam grandævus et infirmus, cum Romam causa orationis petisset, eum adiit et episcopatum suum Adalberoni clerico, sororis suæ Luitgardæ et Peiere comitis filio, ab eo impetravit (491). Signum quoddam igniei coloris in cœlo apparuit.

972 Augiæ Eggehardo abbate ob res ecclesiæ in paupertatem redactas incusato et ab imperatore Ottone privato, Ruodmannus præpositus, abbas XXIV, promotus præfuit annis XXIV nimisque abbatiam ditavit. — Synodus apud Ingelenheim ab episcopis collecta est, ibique beatus episcopus Vodalricus et Adalbero sororis ejus filius trangressionis canonum accusati, causa sua dicta et excusata, absoluti revertuntur (492). — Romæ Benedictus VI, papa CXXXVII, præfuit anno I, mensibus X. Apud sanctum Gallum Notkerus abbas IV annos præfuit.

973 Cum beatus episcopus Vodalricus apud Dilingam castrum cum Richwino comite, fratris sui Theobaldi filio, Pascha ageret, Adalbero clericus futurus post eum, ut sperabatur, episcopus, ibidem phlebotomatus subita morte periit Augustæque in basilica sanctæ Afræ ab avunculo suo **190** episcopo sancto sepultus est. Ipse beatus episcopus inter alia bona abbatiam Uttenburam (493), sibi subditam, libertatis privilegio ab imperatore Ottone absolvi impetravit. — Otto imperator, per ipsum tempus Non. Maii subito mortuus, apud Parthenopolim, quæ Magedeburg dicitur, ubi archiepiscopatum summo studio fecerat, sepultus est, et filius ejus Otto secundus regni pro eo jura suscepit. Sanctus quoque Vodalricus Augustensis episcopus, longa infirmitate decoctus, anno ætatis LXXXIII, episcopatus vero L, feria sexta IV Non. Julii felici obitu

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

965 *Imperator de Italia redit, et Burchardus dux Suevorum in Italia rebelles imperatori vicit.*

966 *Romæ defuncto Leone, Joannes tredecimus, prius Narniensis episcopus, ordinatus est.*

968 Ut Aug.

969 *Hoc tempore Joannes papa, a quibusdam multum afflictus exsilio, vix tandem a quodam Joanne suæ sedi restituitur.*

970 *Otto imp. Romam veniens injurias domni papæ in auctoribus scelerum graviter vindicavit.*

971 *S. Udalricus episcopus infirmus Adalberoni sororis suæ filio episcopatum suum ab imperatore impetravit.*

972 *Synodus*, etc., ut Aug. *Romæ Benedictus... mensibus decem.*

973 *Adalbero clericus, futurus, ut sperabatur, episcopus, obiit. Otto imp. Nonis Maii subito mortuus, apud Parthenopolim, id est Megedeburc, ubi ipse archiepiscopium fecerat, sepultus est, et filius ejus Otto regnavit pro eo. S. Uldaricus Augustensis episcopus migravit ad Dominum anno ætatis LXXXIII, episcopatus L, quarto Nonas Julias. Burchardus dux Alemanniæ obiit, et Otto filius Luitolfi paternum pro eo ducatum accepit.*

NOTÆ.

(487) Primus hanc Vitam S. Brunonis, jubente Folcomaro ejus successore, scripsit Rotgerus seu Rogerus monachus S. Pantaleonis Coloniæ, quæ exstat t. V Octobris Bolland. p. 698, et in Leibnitii scriptoribus Rerum Brunsvicensium t. I, p. 273.

(488) Hoc jam anno priore factum.

(489) Nulla hoc anno eclipsis solis die 21 Nov.; bene vero 22 Dec., seu XI Kal. Januarii contigit, uti etiam in nostris codicibus restituendum videtur. Hepidannus diem recte notat; in anno 970 fallitur.

(490) Cuncta hæc et sequentis anni Pagius cum Reginonis continuatore ad annum 965 et sequentem refert.

(491) Otto an. 969 contra Græcos in Calabriam movit, demum a. 972 in Germaniam redux. Quæ autem hic de S. Udalrico narrantur, Ravennæ contigisse scribit Vitæ ejus auctor cap. 9, uti et cap. 10 ea quæ mox de Ingelenheimensi concilio subjiciuntur, t. II, Jul. Boll. p. 115, etc. Infra in Vita Hermanni pluribus examinabitur Peiere comes, seu Adalberonis parentela.

(492) Concil. Germ. t. II, p. 654.

(493) Ottenbura D. Benedicti monasterium in Guntiana valle prædicto Adalberoni concessa erat; quo mortuo S. præsul sibi eam impetravit et postea liberam monachis restituit. Vid. ejus Vitæ cap. 10, t. II Jul. Boll.

Digitized by Google

migravit ad Dominum, et in basilica sanctæ Afræ A martyris a venerabili Wolfgango Ratisbonensi episcopo tumulatus innumeris usque hodie claret miraculis; post quem Henricus Augustæ episcopus factus præfuit annis IX. Burchardus (494) etiam dux Alemanniæ defunctus Augiæque in capella sancti Erasmi conditus est, et Otto filius Luitolfi paternum pro eo ducatum recepit.

974 Romæ Benedictus papa, criminatus a Romanis et a Crescentio Theodoræ filio in castello sancti Angeli custodiæ mancipatus ibique strangulatus est, et eo vivente Bonifacius Ferrucii filius, papa ordinatus et post unum mensem expulsus, Constantinopolim postea petiit, et Benedictus VII, Sutriæ prius episcopus, papa CXXXVIII ordinatus, sedit annis IX (495). Constantiæ, sanctæ memoriæ Conradus, B episcopus VI Kal. Decembr. hac vita **191** decessit, et pro eo Gamenolfus annis plus minus IV præfuit (496).

975 Dissensio inter regem Ottonem et patruelem ejus Henricum ducem Bajoariæ commota est (497).

977 Apud sanctum Gallum Immo abbas præfuit annis VIII, qui templum patroni sui pro viribus adornare studuit juxta distychon illud in arcu ecclesiæ scriptum (498). Discordia inter Ottonem ducem Sueviæ (499), et Henricum Bajoariæ ducem agitata.

978 Otto imperator contra Lotharium regem in Gallias duxit exercitum. Henricus dux Bajoariæ, et alius Henricus dux (500). Augustensis quoque episcopus Henricus rebellantes imperatori capti et exsilio mancipati sunt, ducatumque Bajoariæ Otto dux Suevorum accepit.

979 Constantiæ Gamenolfus episcopus obiit, eique Gebehardus nobilis et venerabilis præsul succedens XVI annis Ecclesiam rexit; qui basilicam sancti Gregorii in ripa Rheni abbatiamque suis ex prædiis construxit (501).

981 Otto imperator, peragrata Italia, Campaniam Calabrosque fines cum exercitu ingreditur.

982 Græci cum magnis copiis, conductis etiam pretio Sarracenis, Calabriam contra Ottonem imperatorem defendere aggressi, magnis utrinque **192** viribus conserta (502), primo victi, et deinde nova manu succurrentibus Agarenis, exercitum nostrum perimunt, vel capiunt. Ipseque imperator in mari natando fugiens, ab hostibus captus, cum non agnosceretur, ab eis ad quoddam castrum maritimum pro pretio, ut rogabat, adductus, a suis redemptus est. In eo conflictu nostris infaustissimo inter alios innumeros Henricus etiam Augustensis interceptus disparuit (503), eique Etich in episcopatu successit. — Ipso anno Otto dux Suevorum et Noricorum obiit, et post eum Conradus (504) dux Alemanniæ factus est, Henricusque ducatum Bajoariæ recepit. *Annal. Saxo.*

983 Otto imperator Romæ murmatus VI Idus Decemb. moritur; ibique honorifice in porticu sancti Petri tumulatur. *Annal. Saxo.*

984 Otto tertius, secundi Ottonis ex Græca conjuge filius, adhuc infantilibus annis rex pro patre, quibusdam primoribus invitis, constitutus est, et magna cura educatus summa indole crevit. — Romæ C Joannes XIV, qui et Petrus, Papiæ prius episcopus, papa CXXXIX, sedit mensibus VIII; eumque Bonifacius Ferrucii filius, prius relegato Benedicto, male

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

974 *Romæ Benedictus papa criminatus a Romanis strangulatus est, et eo vivente Bonifacius papa... sedit annis novem. Constantiæ*, etc., ut Aug.

976 *Dissensio inter regem Ottonem, et Henricum*, etc.

977 *Discordia... agitata*, ut in Aug.

978 *Otto imperator... duxit exercitum.*

979 *Constantiæ*, etc. ut in Aug.

981 *Otto imperator, peragrata Italia, Calabriam cum exercitu ingreditur.*

982 *Otto rex apud Calabriam, occiso a Græcis et Sarracenis exercitu, de navi exsiliens, in qua captus erat, aufugit. Otto dux Suevorum obiit, et Conradus sibi successit.*

985 *Otto imperator*, etc. ut in Aug.

984 *Romæ Joannes... papa invasit. Otto III, secundi Ottonis ex Græca conjuge filius, adhuc puer rex pro patre regnat.*

NOTÆ.

(494) *Manu recentiore additur :* Iste Burchardus D fuit fundator monasterii montis Duelli, deinde a. 1005 illud monasterium a divo Henrico Rom. imperatore ad Stein nuncupatum translatum est. Vid. de hoc Burchardo supra ad annum 957 et infra ad Vitam Hermanni.

(495) Pagius cum aliis eidem Donum II præponit, eodem adhuc anno post tres pontificatus menses defunctum, cui Benedictus VII successit.

(496) Vitam ejus scripsit Udalricus I episcopus item Constantiensis, an. 1028 mortuus; quæ exstat apud Pistorium t. III, et alia in Leibnitii Script. Brunsvic., t. II.

(497) Henricus Rixosus filius Henrici fratris Ottonis I, et pater Henrici sancti, postea imperatoris. *Annal. Sax.*

(498) Habet hoc Burckardus de Casibus monasterii S. Galli (Goldast. t. I, p. 66) : *Hoc abbas Immo picturis compsit et auro.*

(499) Otto filius Luitolfi dux Alemanniæ. Vid. an. 973.

(500) Henricus cognomento *Minor*, Carentani dux, Bertoldi et Eilæ filius. *Annal. Saxo.*

(501) Alio nomine Petri Domus, seu Petershausen nuncupatur, cujus monasterii chronicon infra post Hermannum dabimus.

(502) Legendum *conserta pugna.*

(503) De hoc cæterisque episcopi istius fatis plura leguntur in Vita S. Udalrici, cap. ult.

(504) Conradus iste filius erat Udonis, seu Ottonis, fratris Hermanni I, an. 926 Alemanniæ ducis.

Digitized by Google

ordinatus, Constantinopoli, quo fugerat, reversus comprehendit, et in castellum sancti Angeli relegatum, fame, et, ut perhibent, veneno enecuit ejusque sedem CXL papa invasit.

985 Romæ Bonifacius VII, postquam XI (505) mensibus male invasam sedem occupaverat, subita morte periit; et mortuus, a suis cæsus, confossus et triviatim pedibus tractus, vix tandem clericis miserantibus humatus est. — Augiæ Ruodmanno abbate defuncto, Witegowo, XXV abbas, præfuit annis XII. Apud sanctum Gallum post Immonem Vodalricus abbas præfuit annis V.

193 986 Romæ Joannes XV (506), papa CXLI, sedit annis X, mensibus VII; qui clericos suos parvi pendens odio ab ipsis habitus est.

987 Fames magna hoc anno facta.

990 Apud sanctum Gallum Vodalricus abbas et Eggehardus magister doctus obierunt, et Gerhardus abbas factus præfuit annis XI.

991 Theophania Græca imperatrix, mater Ottonis regis, nono viduitatis anno obiit. Apud sanctum Gallum Foillanus Scottus eruditus hac vita decessit.

994 Conrado rege Burgundiæ mortuo (507), et apud sanctum Mauricium sepulto, Rodolfus filius, licet ignavus, regium ibi nomen per annos circiter XXXVIII occupavit; sub quo, cessante jure, violentia et rapinæ in illo regno, ut non facile propelli possint, adolevere, ibique, ut hodie apparet, cum suis complicibus regnum obtinuere.

995 Henricus dux Bajoariæ obiit, et filius ejus ex Gisela Conradi regis Burgundiæ filia, itidem Henricus, imperator postea futurus, ducatum interim obtinuit. Hujus soror Gisela Stephano regi Hungariorum, cum se ad fidem Christi converteret, quasi vere, juxta nomen suum, fidei obses (508), in conjugium **194** data, eleemosynis cæterisque bonis operibus inibi intenta consenuit. Constantiæ Gebehardus episcopus venerabilis obiit, et in basilica sancti Gregorii papæ a se constructa sepultus quiescit, eique Lantpertus habitu et professione monachus, in episcopatu succedens, præfuit annis XXIII; qui templum sanctæ Mariæ ex parte diruens ampliavit.

996 Otto rex Italiam cum exercitu petiit sibique rebelles coarctavit.

997 Otto rex, subactis rebellibus, Italia Romaque potitus est. — Et Gregorius V, qui et Bruno, filius Ottonis ducis (509), papa CXLII ordinatus, et Otto ab eo imperator coronatus est. Qui venerabilis papa, canonicam ibi disciplinam reparare satagens, sedit annis III, mensibus IX. Augiæ Witegowone abbate privato, Alawicus, abbas XXVI promotus, Romæ ab ipso papa consecratus et privilegio donatus est. — Conradus Alamannorum dux obiit, et pro eo Herimannus (510) ducatum **195** accepit, qui et ipse

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

985 *Romæ Bonifacius... humatus est.*

986 Ut Aug.

987 Ut Aug.

991 *Theophania Græca imperatrix, mater Ottonis regis, obiit.*

992 *Aquisgrani in generali synodo* (511) *coram legatis Joannis papæ sancitum est ut, quatuor hebdomadis ante Natalem Domini, et a Septuagesima ante Pascha, et* XIV *diebus ante festum S. Joannis Baptistæ, nullus sæcularia placita agere, aut conjugium contrahere præsumat.*

994 *Conrado Burgundiæ rege defuncto successit Rodolfus filius ejus in regnum* (512).

995 *Constantiæ Gebehardus... præfuit anno* XXIII. *Henricus dux Bajoariæ obiit, cujus ducatum filius ejus, ejusdem nominis, obtinuit.*

996 Ut Aug. (513).

997 *Otto rex... mensibus* IX. *Augiæ Alawicus*

NOTÆ.

(505) Alii septem tantum menses numerant.

(506) Alii XVI dicunt, altero post mortem Joannis XIV electo brevi demortuo. Pag. Crit. ad an. 985.

(507) Alii eum a. 993 mortuum scribunt.

(508) Alludit Hermannus ad nomen Germanicum *Geisel*, quo obses etiam indicatur.

(509) Ottonem hunc Guillimannus, cum aliis passim, ducem Alemanniæ filium Luitolfi ex Ottone M. progeniti statuerunt. Ast Annales Hildesheimenses ad 9[illegible] a., et Annal. Saxo (Leibnit. *Script. Brunsv.* t. I,) Brunonem filium dicunt Ottonis, qui *Marcham Veronensem* servabat. Hic vero teste eodem Saxone ad an. 902 filius fuit Conradi ducis Wormatiensis et Franconiæ anno 955 ab Hungariis cæsi, cui conjux erat Luitgarda filia Ottonis I (*Supr.* 955) quorum filius Otto Carentanorum dux et Veronensium comes fuit. Qui quidem Otto chartam an. 977 dedit, in qua Græveuhusæ monasterium instituit, *suadente, inquiens, Juditha conthorali mea, cum assensu trium filiorum meorum Henrici*, Brunonis. *Chunonis*.. Tractus autem Spirensis non ad Alemanniæ, cujus dux erat filius Luitolfi, sed ad Franconiæ ducatum pertinebat. Vid. Pagi Critica ad an. 1024 et Gregorii V epitaphium apud Leibnitium l. c. p. 576, ubi :

Ante tamen Brunó Francorum regia proles
Filius Othonis de genitrice Judith.

Ut adeo Gregorius V Ottonis III imp. nepos fuerit, non ex patruo suo Luitolfo, sed ex amita Luitgarda Luitolfi sorore. Vid. Wippo in Vita Conradi Salici, et Herm. a 1012.

(510) Annalista Saxo ad an. 1002: *Erat hic Herimannus* dux *filius Udonis ducis, qui apud Calabriam cum multis occubuit, quando imperator Otto secundus contra Saracenos pugnavit*, scilicet an. 982; quo anno duo Ottones duces in Italia obierunt : unus Luitolfi filius Alemanniæ dux, qui tamen, cum sine liberis masculis decesserit, hic intelligi nequit. Alter igitur Udo, seu Otto, fuit Franconiæ dux, et Hermanni II

(511) Concil. Germ. t. II.

(512) Chron. Vird. cum aliis hoc ad annum priorem refert.

(513) Augiensis interpolatus : *Gregorius sanctus abbas obiit*, pro quo Chron. S. Blasii : *Gregorius primus abbas cellæ S. Meginradi obiit, cui Wern in regimine successit.* Hic aliis Wirandus dicitur. Vid. supra ad an. 960.

Digitized by Google

filiam Conradi regis Burgundiæ Gerbirgam in matrimonio habuit; ex qua filium æquivocum tresque filias reliquit.

999 Otto imperator iterum Italiam cum exercitu invisit.

1000 Mortuo in Italia Wideroldo (514) Argentinæ Ecclesiæ episcopo, Alawicus Augiensis abbas episcopus pro eo ab imperatore, et Werinharius Augiæ abbas XXVII statutus præfuit annis VI.—Romæ quoque defuncto Gregorio papa, Silvester secundus, qui et Gerbertus, primo Remorum, post Ravennatium archiepiscopus, sæculari litteraturæ nimium deditus et ob hoc curioso imperatori admodum amatus, papa in ordine CXLIII ordinatus sedit annis V. *Annal. Saxo an. præc.*

1001 Otto imperator Italiam sibi quaquaversum subditam lustrat. Apud sanctum Gallum Burchardus abbas præfuit annis XXIII.

1002 Otto imperator in Italia in castro Paterna (515) anno regni XIX, X Kal. Febr. immaturo obitu decessit, et inde asportatus, intestinis Augustæ conditis, Aquisgrani sepelitur. Et Henricus Bajoariæ dux, assumptis insignibus regni, rex pro eo regnavit annis XXIII. *Ditm.*

1003 Henricus rex Henricum marchionem (516) sibi rebellantem petens, plurima ejus diruit castella. Ernust comprehenditur, Brunone regis fratre et Henrico vix fuga dilapsis. Argentina a Herimanno (517) duce Alamanniæ **196** regi rebellante spoliata, et divinitus in auctores sceleris graviter vindicatum est et ab ipso duce sacro loco satisfactum. *Ditm.*

1004 Henricus rex, per Veronam Italiam cis Padum petens, omnes sibi partium illarum civitates subjecit. Papiam ipsa qua coronatus est die irrumpens gladio et igne perdomuit. Inde, acceptis obsidibus, in Saxoniam reversus post paucos dies in Sclavos arma convertit, Boemanisque ad pristinam servitutem tributumque redactis, Bolizlaum etiam ducem Sclavorum Bolanorum cum tota gente sua subjugavit, et in Saxoniam victor rediit. *Ditm.*—Herimannus dux Alemanniæ obiit, eique filius ejus Herimannus, puer (518) omni populo acceptabilis, in ducatu successit. *Al. an.* 1003.

1005 Fames magna facta est. Romæ post Gerbertum Joannes XVI, papa CXLIV, sedit anno I (519).

1006 Augiæ Werinhario abbate defuncto, fratres Henricum monachum elegerunt. Sed rex Henricus ejus insolentiam, quamvis ab eo pecunias accepisset, detestatus, fratribusque apud se accusatis infensus, Immonem quemdam Gorziensem abbatem, qui et Prumiam ipso tempore tenebat, virum austerum (520),

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI

abbas... donatus est. Conradus... ducatum accepit.

999 *Otto imp.... invasit.*

1000 *Romæ defuncto Gregorio.... sedit annis quinque.*

1001 *Otto imp... lustrat.*

1002 *Otto imp. in Italia* X *Kal. Febr. obiit, et intestina ejus Augustæ, reliquum vero corpus Aquisgrani sepelitur; pro quo Henricus dux Bajoariæ rex effectus regnavit annis* XXIII.

1003 *Argentina a Herimanno... satisfactum. Henricus rex Henricum marchionem, et alios sibi resistentes, cum exercitu petit.*

1004 *Henricus rex Italiam petens sibi eam subjecit. Papiam ipsa die qua coronatus est irrumpens gladio et igne perdomuit. Inde in Saxoniam rediens, Boemiam et Bolizlaum ducem Sclavorum cum tota gente subjugavit.*

1005 Ut Aug.

1006 *Romæ Joannes XVII, qui et Fasanus, papa CXLV ordinatur, et sedit annis sex.*

NOTÆ.

manni II ducis pater et frater Hermanni I Alemanniæ, ac Conradi Lotharingiæ ducis, qui a. 955 apud Augustam occubuit (Herm. a. 955; Luitpr. l. IV, c. 10.) Hunc Udonem ducem, matris suæ avunculum an. 982 a Græcis in Calabria cæsum Ditmarus l. III commemorat, Ottone imp. cum Ottone Luitolfi fratris sui filio ad mare fugiente : quo ipso ambo hi Ottones duces satis distinguuntur. Cæterum Gerbirga Hermanni II ducis conjux, Conradi [non Rudolfi II ut scribit Guillimannus] Burgundiæ regis et fratris Adelheidæ Ottonis M. uxoris, filia fuit.

(514) Ex Necrologio Fuldensi apud Leibnitium Script. Bruns. t. III, p. 766, jam anno priore obiit. Vid. Vita S. Heriberti Colon. Archiep., cap. 2, n. 8, die 16 Mart. apud Bolland.

(515) Legendum *Paterno*, castellum Romaniæ, ex Annal. Sax.

(516) Henricus Sweinfurtensis marchio; Ernestus Austriæ marchio, dein dux; Bruno vero Augustensis postea episcopus. *Annal. Sax.*

(517) Annalista Saxo ad an. 1002 eum ducem Alemanniæ et Alsatiæ vocat, bene timoratum et humilem hominem, sed seductum ab his quibus lenitas ejus placebat; ibi etiam Argentinæ deprædationem ab ejus milite factam describit, uti et damni ab eo illati reparationem.

(518) Ut refert chronographus Saxo, Hermanno duce Alemanniæ jam anno priore defuncto, Henricus rex anno 1004 ex Italia redux, inter Pentecosten et Nativitatem S. Joannis Baptistæ, *Alemanniæ fines filio ejus adhuc puerulo ad regendum commisit*, Hermanno pariter dicto.

(519) Joannes iste an. 1003 electus et mortuus est, cui Pagius duntaxat menses V cum XXV diebus tribuit.

(520) Hæc oppido diversa sunt a laudibus, quibus Immonem hunc mactat scriptor Vitæ Adalberonis II, Met. ep. (*Gall. Christ.* t. V, p. 986, et t. XIII, p. 887); nec tamen Hermanno hujus temporis scriptori omnis deneganda fides, nam et in codd. Gottwic. et Mur. ad h. a. *monasterii destructor et fratrem expulsor* audit. Forte austeritate in Augia opus erat, cujus tamen limites excesserit Immo. Nimis quoque illiberaliter Simoniæ crimen impingitur S. Henrico, quod aliquibus aulicis potuisset imputari, si quod fuisset.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

ipsis invitis præposuit. Unde nonnullis ex ipsis sponte locum illum relinquentibus, quibusdam etiam ab eo jejuniis, **197** verberibus exsilioque graviter afflictis, nobile monasterium in magnis viris, libris et ecclesiæ thesauris grave, peccatis exigentibus, pertulit detrimentum, sicuti Ruodpertus monachus nobilis et docte facetus, matris meæ patruus (521) prosa, rhythmo, metroque flebiliter deplangit (522). Romæ Joannes XVII, qui et Fasanus, papa CXLV ordinatur (523).

1007 Henricus rex summo studio apud castrum suum Babenberg nobilem et divitem episcopatum construxit, primusque ibi hoc anno episcopus promotus est Eberhardus.

1008 Luitolfo viro docto Trevirensi archiepiscopo defuncto, Megingaudus pro eo archiepiscopus a rege promovetur; sed Adalbero clericus, reginæ Cunegundis (524) germanus, quibusdam faventibus, ad archipræsulatum quasi ex regio promisso sibi debitum adnisus, Trevirense palatium præsidiis occupat, et cum fratribus suis Theoderico Metensi episcopo et Henrico (525) Bajoariæ duce, Fridericoque comite (526), adnitente etiam cum aliis multis Gerhardo item comite (527), contra regem rebellavit; qui tamen omnes a rege post aliquod temporis spatium subacti sunt, et Henricus ipse Bajoariæ ducatu privatur. *Ditm.*—Ipso anno Henricus rex, cognita tandem post duos annos Immonis crudelitate, remoto eo, Bernardum virum doctum et pium, Prumiensem monachum, Augiæ constituit abbatem; qui gratanter susceptus fratres dispersos **198** recolligit, et a Lantperto Constantiensi episcopo abbas ejus loci XXIX consecratus, magna insignis scientia et pietate præfuit annis XL.

1009 Wolferadus comes Hiltrudem Piligrini, et Berhtradæ filiam (528) uxorem duxit, ex qua postea, me Herimanno annumerato, XV liberos procreavit.

1010 Senior Wolferadus comes, paternus avus meus, clemens et justitiæ tenax, inter suosque præclarus, IV Non. Martii jam senex moritur (529).

1011 Willigisus Moguntiensis archiepiscopus obiit, eique Erchenbaldus successit. — Theodoricus dux partis (530) Lotharingorum sub ipsa pene præsentia regis a Henrico Bajoariæ dudum duce, et quibusdam Lotharingis captus et abductus est; quo tamen postea relaxato, Henricus ipse gratiam regis ducatumque suum recepit. *Ditmar.*

1012 Conradus dux Carentani, filius Ottonis ducis fraterque Brunonis (531) dudum papæ, obiit, et privato filio ejus puero Conrado, Adalbero (532) ducatum accepit. *Al. an. pr.*—Herimannus quoque Junior dux **199** Alemanniæ (533) defunctus Ernustum sororis suæ Giselæ maritum successorem accepit. *Ditmar.*

1013 Romæ defuncto Sergio papa, Benedictus VIII, papa CXLVII, sedit annis ferme XII. *Al an. præc.* Herimannus ego XV Kal. Aug. natus sum. Henricus rex Italiam cum exercitu petit.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

1007 *Henricus... episcopatum in honore S. Georgii martyris construxit... Eberhardus.*

1008 *Augiæ remoto Immone abbate crudeli, Bernardus vir doctus et pius, Prumiensis monachus, Augiæ abbas constituitur; qui, gratanter susceptus, a Constantiensi episcopo Lamberto abbas ejus loci XXIX consecratus, pietate et scientia clarus præfuit annis* XL.

1009 *His temporibus Ebbo comes de Nellemburg consobrinam Henrici regis, Hedewigam nomine, de curia regis duxit uxorem* (534).

1010 *Romæ Sergius IV, papa CXLVI, ordinatus.* Al. an. præc.

1011 *Willigisus... successit.*

1012 *Conradus dux Carentani moriens Adalberoni ducatum reliquit. Heremannus dux Alemanniæ obiit, cujus ducatum Ernist accepit.*

1013 *Romæ defuncto. . . ferme* XII.

NOTÆ.

(521) De hoc vid. infra Vita Hermanni.

(522) Titulus operis deperditi erat : *De ruina monasterii Augiensis ex incendio.*

(523) Ordinatus est 26 Dec. an. 1003, seditque annos quinque, menses quinque.

(524) Cunegundis, Henrici II uxor, filia fuit Sigefridi comitis Luxemburgensis et Hedwigis. Vid. Bolland. t. I, Martii die 3.

(525) Henricus Hezelo ob sororem suam Cunegundem an. 1004 Bajoariæ ducatu donatus, et postea restitutus.

(526) Fridericus comes Mosellanus et patris successor, ejusdem Cunegundis ac suprascriptorum frater, an. 1019 mortuus. *Annal. Saxo.*

(527) Hic videtur esse Gerardus comes Metensis a S. Henrico an. 1002 renuntiatus Conradi Salici avunculus. Vid. an. 1017.

(528) Conf. Vita Hermanni.

(529) Hic ipse videtur esse Wolveradus comes legatus imperatoris in electione successoris S. Udalrici an. 973, cujus ex sorore neptis erat Bertha Wolferadi hujus uxor, Hermanni avia. Vid. an. 955, et infra in Vita.

(530) Superioris.

(531) Is erat Gregorius V filius Ottonis Franciæ Rhenanæ et Carinthiæ ducis, ac Luitgardæ filiæ Ottonis I imperatoris, ut supra ad an. 997 dictum.

(532) Comes de Murztal et Affienz, postea etiam dux Istriæ.

(533) Ernestus I Alemanniæ dux patrem habebat Leopoldum primum Austriæ marchionem. *Annal. breves Einsidl.*

(534) Ista procul dubio a Bernoldo adjecta sunt, dum in Schafhusensi degebat cœnobio, a Nellenburgicis condito. Vid. ad an. 1052. Eppo hic pater fuit Eberhardi, qui istud cœnobium condidit.

Digitized by Google

1014 Henricus rex Romæ imperiali a Benedicto papa coronatur benedictione. *Ditmar.*

1015 Ernust dux Alemanniæ in venatu ab Adalberone comite feram appetente sagitta vulneratus interiit, et ducatum ejus filius æquivocus, viduam vero Giselam Conradus filius Henrici filii Ottonis ducis, futurus postea imperator, accepit. *Ditmarus.* Megingaudus Trevirorum archiepiscopus obiit eique Poppo, vir venerabilis, frater ipsius ducis Ernusti (535), successit.

1017 Godefridus dux partis Lotharingorum (536) Gerhardum comitem (537), Conradi, postea imperatoris, avunculum commisso prælio vicit. *Ditm.*

1018 Constantiæ Lantperto episcopo defuncto, Ruodhardus præsulatum accepit, annisque ferme v præfuit. *Ditmarus.*

1019 Conradus adolescens, filius Conradi quondam ducis Carentani, auxiliante patruele (538) suo Conrado, postea imperatore, Adalberonem tunc **200** ducem Carentani, apud Ulmam pugna victum fugavit. *Vid. supra a.* 1012.

1020 Benedictus papa ab imperatore invitatus Babenberg venit ibique ecclesiam sancti Stephani dedicavit (539). Werinharius Argentinæ episcopus; auxiliantibus quibusdam Suevis, Burgundiones invasit et conserto prælio vicit. *Annal. Saxo a.* 1019. Ego Herimannus litteris traditus sum XVII Kal. Octobr.

1021 Terræ motus magnus IV Idus Maii, feria VI, factus. Heribertus (540) Coloniæ Aggripinæ archiepiscopus, vir magnæ sanctitatis, hac vita decedens multis miraculis claruit, eique Piligrinus successit. Erchenbaldo defuncto Aribo archipræsul efficitur. *Necrol. Fuld.* — Post Wolfpotonem [Wolfodonem] (541) quoque Leodicensem Durandus antistes promovetur. Irmendrudis etiam Buochaugiensis abbatissa venerabilis X Kal. Martii obiit, eique Abarhild abbatissa successit. Ex quo tempore, locus ille magis magisque in deterius defluere cœpit. Henricus imperator in Italiam expeditionem movit. Werinharius frater meus Kalend. Novem. nascitur.

1022 Henricus imperator, Campaniam petens, Beneventum intravit, Trojam oppugnavit et cepit, Neapolim, Capuam, Salernum aliasque eo locorum civitates in deditionem omnes accepit, et Nordmannis quibusdam, qui tempore ejus illo confluxerant, quoddam, ut fertur, illis in partibus territorium concessit; sicque per urbem transiens Romanam victor rediit in Germaniam. *Hepid.; Leo Ost. l.* II. Pestilentia in exercitu orta multos exstinxit; inter quos Ruodhardus Constantiæ episcopus et Burchardus abbas de cœnobio sancti Galli obierunt. *Necrol. Fuld.; Hepid.; Burchard. de Casibus.* Et pro his Heimo episcopus **201** annis ferme IV, Theodebaldusque abbas XI annis præfuerunt. Notkerus (542) quoque magister, et alii præstantes fratres, apud sanctum Gallum decesserunt.

1023 Ratisbonæ post Gebehardum episcopum castum virum, et singularibus quibusdam moribus et munditiarum ornatusque insueto quodam amore

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

1014 *Henricus*, etc., ut Aug.

1015 *Ernust dux. . . accepit. Megingaudus. . . pro quo Poppo.*

1017 *Godefridus dux partis Lotharingorum Gerhardum comitem bello vicit.*

1018 *Constantiæ*, etc., ut Aug.

1019 *Conradus... ducis Carentani Adalberonem... victum fugavit.*

1020 *Benedictus papa. . . dedicavit.*

1021 *Heribertus. . . archiprœsul efficitur. Henricus imp. in Italiam expeditionem movit.*

1022 *Henricus imp. Campaniam petens Trojam, Neapolim, Capuam civitates. . . in Germaniam. Ruothardus Constantiensis episcopus obiit, pro quo Heimo ferme annis* IV *præfuit. Notgerus quoque magister de S. Gallo obiit*

1023 *Ratisbonæ post Gebehardum, virum laude dignissimum, alter Gebehardus inthronizatur. Hoc anno convenit synodus Moguntiæ* (543), *in qua constitutum est ut plebs Christiana quatuordecim dies ante festum S. Joannis Baptistæ a carne et sanguine abstineat, nisi infirmitate cogente, aut festivitate, quæ in illo episcopio celebris habetur; similiter quatuordecim dies ante Natale Domini. Item ibi constitutum est ut vigilia Epiphaniæ, vigilia omnium Sanctorum, vigilia Assumptionis S. Mariæ, vigilia S. Laurentii jejunetur, ita ut una refectionis hora admittatur.*

NOTÆ.

(535) Senioris scilicet et Junioris, seu Ernesti II patruus.

(536) Godefridus III dux Lotharingiæ inferioris.

(537) Gerardus comes de Egesheim in Alsatia, cujus filia Adelhaidis Conradi Salici imperatoris mater fuit ex Henrico Franconiæ duce. *Calmet Hist. Lothar.* l. XVIII, c. 69. P. Clement Adelhaidem Gerardi sororem dicit, filiam Eberhardi IV Nordgaviæ seu inferioris Alsatiæ comitis, qui hoc modo Conradi Salici juxta Hermannum vere fuit *Avunculus.*

(538) Conradus Salicus patrem habuit Henricum Franconiæ Rhenanæ comitem, fratrem Conradi seu Cunonis Carinthiæ ducis, et Ottonis ducis filii. Hujus igitur filius Conradus fratruelis erat Conradi Salici. Vid. supra an. 1012. Vid. t. VI, Jun. Boll, p. 89.

(539) Vid. Vita S. Henrici, et Leo Ostiens. l. II, c. 46.

(540) Vitam S. Heriberti Coloniensis scripsit Rupertus Tuitiensis abbas, quam exhibent Bollandiani hagiographi t. II, Mart. ad d. 16.

(541) Vid. Reinerus monachus S. Laurentii Leodiensis in ejus Vita, apud Bolland. t II, April. die 21.

(542) *Lubeo* cognominatus, cujus nonnulla Opera exstant in Schilteri Antiquitatibus Teutonicis. Vid. Mabill. Annal. t. IV, p. 287.

(543) T. III Concil. Germ.; concilium hoc in Salegunstat anno 1022 celebratum fuisse dicitur, ubi canon hic citatus primo mox loco comparet.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

famosum, et in divinis officiis nimis studiosum ab hac luce subtractum, alter item Gebehardus Augustensis canonicus successit (544).

1024 Romæ defuncto Benedicto, frater ejus Joannes XVIII ex laico papa CXLVIII ordinatus sedit annis ferme IX. — Henricus quoque imperator, III Idus Julii absque filiis diem obiens, apud episcopatum Babenbergensem, a se constructum, quem omnium prædiorum et thesaurorum suorum reliquerat hæredem, in basilica Sancti Petri sepelitur. *Vita.* — Deinde cum Conradus Senior (545), filius Henrici et Adelheidæ, et patruelis ejus Conradus filius Conradi ducis (546) ex Mathilde (547) ad regnum **202** præcipue adniterentur, habito apud villam Kambam (548) principum conventu. Senior Conradus rex promotus, et ab Aribone archiepiscopo Moguntiaci unctus est VI Idus Septembr. Nec multo post uxor ejus Gisela a Piligrino archiepiscopo Coloniæ (549) regina nihilominus benedicta XI Kal. Octob. *Wippo.*

1025 Rebellio et discordia multa contra Conradum regem a patruele ejus Conrado et Ernusto duce Alamanniæ, privigno (550) ejus; Welph (551) quoque Suevigena comite, et aliis pluribus facta. *Hepid.*

1026 Rex Conradus, sedatis ex parte rebellibus, circa tempus Quadragesimæ cum exercitu Italiam adiit et, Pascha Vercellis acto, totam, præter Luccam urbem Tusciæ, Italiam in cis Romanis partibus sibi subjugavit. Ernust dux Alemanniæ, cum eo ipso anno, interpellante matre, pacificatus, Campidonensem loco beneficii abbatiam accepit suisque militibus distribuit, nec multo post, pravo aversus consilio, iterum rebellavit. *Wippo.* — Ipso anno Constantiæ Heimo episcopus subita morte pleuresi tactus decessit, cique Warmannus successit, annis ferme VIII. Burchardus quoque Campidonensis et Rhenaugiensis abbas obiit, eique Rhenaugiæ Pirhtilo abbas substituitur. Brun Augustensis episcopus et Welph comes prædis et incendiis inter se mutuo debacchantur. *Wippo.*

1027 Conradus rex, acto Yporegiæ (552) Natali Domini, in ulteriora **203** progressus, Luccam cum Reginhero Marchione in deditionem accepit, Romamque perveniens a Joanne papa in die sancto Paschæ imperator coronatus est, subactaque Italia tota reversus, in Alemannia apud Ulmam placitum habuit ibique ad deditionem Ernustum ducem privignum suum et Welph comitem cum aliis accipiens per aliquod tempus exsilio deputavit. *Wippo; Hepid.* Kyburg castrum Werenharii comitis adhuc renitentis aliaque nonnulla rebellium castra capta sunt. Conradus etiam patruelis ejus sese imperatori tradens in exsilium nihilominus mittitur. *Hepid. an.* 1033. — Werinharius Argentinæ præsul Constantinopolim ab imperatore legatus dirigitur, ibique insequenti anno defunctus Wilihelmum successorem accepit. Hiltegart Buochaugiæ abbatissa efficitur.

1028 Henricus filius imperatoris Aquisgrani in die sancto Paschæ rex a principibus cunctis adhuc puer electus, a Piligrino Coloniense archiepiscopo unctus est (553). *Wippo.*

1029 Imperatore Ratisbonæ paschale festum agente, Brun Augustensis episcopus, summus symmista ejus vita inibi decessit, Augustæque in incœpta sancti Mauricii sepultus basilica Eberhardum accepit successorem. *Wippo.*

1030 Ernust dux, cum exsilio relaxatus ducatum suum recepisset, pravorum consilio usus, et denuo imperatori refragatus ducatu privatur, et frater ejus Junior Herimannus, dux Suevorum efficitur. *Hepid.* — Conradus imperator, jam dudum inimicitiis cum Stephano Ungariorum rege conflatis, Pannoniam

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

1024 *Romæ defuncto. . . ferme novem. Henricus quoque... S. Petri sepelitur, habitoque conventu apud villam Kambam Conradus Senior, filius Henrici, rex promotus ab Aribone. . . benedicta* XI *Kal. Octob.*

1025 *Rebellio contra Conradum regem a patruele ejus Conrado et Ernisto duce Alemanniæ et aliis pluribus facta est.*

1026 *Rex Conradus Italiam petens, totam sibi pene subjugavit ex hac parte Romæ. Constantiæ post Heimonem episcopum Warmannus præfuit annis ferme octo* (554).

1027 *Conradus rex, Romam perveniens, a Joanne papa in die sancto Paschæ imperator coronatur. Inde in Alemanniam reversus, apud Ulmam Ernistum ducem et Conradum se illi dedentes exsilio deputavit.*

1028 *Henricus filius... rex electus, a Piligrino... unctus est.*

1029 *Bruno Augustensis episcopus obiit, et Eberhardum accepit successorem.*

1030 *Ernist dux exsilio relaxatus iterumque imperatori rebellans, cum multis aliis occiditur* XVI *Kal. Sept.*

NOTÆ.

(544) Vid. Conradi de Monte puellarum; Chronicon episcoporum Ratisbonensium; Eccard. Corp. hist. med. ævi t. II.

(545) Vid. ad an. 1017 et 1019.

(546) Vid. an. 1012, 1019.

(547) Hermanni II Alemanniæ ducis filia.

(548) Inter Moguntiam et Wormatiam. *Wippo.*

(549) Chronicon Quedlinburgense id pariter Moguntiæ ab Aribone factum asserit. Vid. Schaten p. I, l. V, p. 461.

(550) Gisela enim mater Ernesti Conrado regi nupserat.

(551) Est hic Welfo II Altorffensis in Suevia comes, Hepidanno Welfhardus dictus.

(552) Eporegiæ, quæ hodie Ivrea dicitur.

(553) Electio jam an. 1026, sed coronatio hoc anno in Paschate facta.

(554) Chron. S. Bl. sii : *Wern abbas S. Meginradi obiit.*

Digitized by Google

petiit, et, quantum fluminibus et paludibus non obstantibus poterat, Rabam usque devastavit. *Wippo.* — Interim in Alemannia cum Ernust dudum dux, ejusque complices parvis viribus contra imperatorem agitantes, prædis circa silvam Martianam (555) populares **204** infestarent, a Manegoldo (556) comite ex Augiensi militia observati, et XVI Kal. Septemb. conserto prælio victi sunt. Ipsoque Manegoldo ibidem perempto, Ernust pridem dux, et Werinhere comes caput rebellionis, Adalbertus quoque et Werin nobiles milites cum aliis ceciderunt; et Ernust Constantiæ, Manegoldus vero Augiæ sepulti sunt. *Wip.* — Burchardus Augiensis monachus Ratisbonæ apud sanctum Emmerammum abbas promovetur.

1031 Pax cum Stephano rege Hungarorum redintegratur (557). Aribo Moguntinæ sedis archiepiscopus, Romam orandi gratia petens, hac vita decessit; eique in archipræsulatu Bardo vita et habitu monachi venerandus successit. *Wippo.*

1032 Rodolfus ignavus Burgundiæ regulus obiit, et diadema ejus regnique insignia Conrado imperatori per Seligerum allata sunt. Imperatoreque ipsis diebus contra Misiconem Sclavorum, qui Boloni vocantur, regem exercitum ductante, Odo, sororis ejusdem Rodolphi filius, princeps Gallicæ Campaniæ, regnum Burgundiæ invasit, captisque Nuenburg et Murtena castris, sua in eis præsidia imposuit. *Hepid. Wip.* — Bern. Augiæ abbas, missis Romam cœnobii sui privilegiis, a papa Joanne item privilegium (558), cum sandaliis ut episcopalibus indumentis missas **205** ageret, accepit. Unde permoto Warmanno Constantiensi episcopo apud imperatorem, quasi sui pervasor officii et honoris, accusatus, eo usque ab utrisque coarctatur, donec idem [*Bern. supp'et :* cum sandaliis privilegium ipsi episcopo traderet, publice in synodo sua, id est] in Cœna Domini sequentis anni incendendum. Ipso anno Buochaugiense cœnobium III Idus Januarii incendio flagrat. Bertha avia mea femina satis religiosa XXIII viduitatis anno, XI Kal. Jan. decessit.

1033 Imperator post Natalem Domini Burgundiam p. tiit, Murtenam obsedit; sed, impediente hiemis algore, nihil inibi se dignum potuit efficere. Unde rursum æstate ipsam Odonis provinciam, Gallicam invadens Campaniam, prædis et incendiis devastavit, donec ipse Odo supplex ad eum veniret et clementer susceptus satisfactionem, licet ficte, promitteret. *Hepid.; Wip.* — Romæ, defuncto Joanne, Benedictus IX, qui et Theophylactus, papa CXLIX ordinatus, licet indignis tanto ordini moribus et factis, sedet annis plus XII. Eclipsis solis III Kal. Julii circa VII diei horam facta (559).

1034 Imperator, iterum Burgundiam cum magnis petens copiis, omnia eis Rodanum castella subjecit; Murtenam diruit, Genuensem [Genevensem] urbem intravit, Lugdunensem archiepiscopum Burchardum (560), hominem genere nobilem et strenuum, sed per omnia scelestum et sacrilegum cum multis aliis principibus in deditionem accepit, subjugatoque Burgundiæ regno rediit. *Wippo.* — Ipso anno Warmanno Constantiensi episcopo mortuo (561) frater ejus Eberhardus **206** succedens plus XII præfuit annis. Megenhardo quoque præsule Wirzeburgense defuncto, Brun, patruelis imperatoris, filius scilicet ex Mathilde Conradi ducis, episcopatum die Paschæ accepit. — Apud sanctum Gallum etiam Theopaldo

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

1031 *Aribo Moguntiensis archiepiscopus obiit, cui Bardo monachus vita et habitu venerandus successit.*

1032 *Bern. Augiæ... incendendum. Ipso anno Buchaugiense cœnobium* II *Idus Julias* (562) *incendio flagrat. Rodolphus rex Burgundiæ ignavus obiit, et Conrado imp. diadema suum transmisit; cujus regnum Odo sororis suæ filius princeps Gallicæ Campaniæ invasit.*

1033 *Imperator Odonis provinciam, Gallicam invadens Campaniam, tandiu vastavit donec ipse Odo supplex adveniens satisfactionem, licet ficte, promitteret. Romæ... licet tanto ordine indignus, sedit annos plus* XII.

1034 *Imperator Burgundiam petens sibi eam subjecit. Constantiæ Warmanno episcopo defuncto successit Eberhardus. Meginhardo Wirzburgensi episcopo Brun, filius Machtildis, successit.*

NOTÆ.

(555) Hepidannus ad an. 1036 castrum ab Ernesto occupatum *Flackenstein* vocat, quod ipsum est *Falckenstein*, cujus rudera adhuc in confinibus Marcianæ, seu Nigræ Silvæ visuntur, de quo in ejusdem Silvæ historia actum.

(556) Manegoldus iste comes Veringensis fuisse videtur, Wolferadi Senioris sive frater sive filius. *Vid. supra a.* 1010. Suadet id locus sepulturæ Augiæ. Quod enim Calles., Annal. Eccl., t. V, p. 298 sciscit. de Manegoldo Dillingensi comite, monasterii Donauwerdani fundatore, ex Bruschio refellitur, qui illum æque ac alios ejusdem familiæ Manegoldos in fundato et dotato a se cœnobio sepultos scribit. Vid. Crus. Annal. Suev. p. II, l. III, c. 2.

(557) Wippo hoc ad annum priorem refert.

(558) Videtur hoc primum esse hujusmodi concessi privilegii exemplum.

(559) Vid. Bernoldi Chronicon infra p. II ad an. 1093.

(560) Hic non de Burchardo archiepiscopo circa an. 1031 jam defuncto (*Gall. Christ.*, t. IV, p. 83) sermo est, sed de æquivoco ejus nepote, qui, relicto Augustæ prætoriæ episcopatu, Lugdunensem invaserat, *ac, post multas perpetratas nequitias, captus a militibus imperatoris perpetuo est condemnatus exsilio*, ut scribit Rodulphus Glaber hist. l. V, c. 4.

(561) Scriptor Chronici Petershusani, Warmannum in itinere Romano cum comitibus suis defunctum scribit.

(562) Quædam edita habent *pridie Idus Januarii*, Bruschius tamen et Crusius cum Bernoldo id mense Julio factum asserunt.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

abbate decedente, Nordpertus successit. Pagani Sclavi, Leutizi dicti, Saxoniæ terminos infestant. *Annal. Hildesh.*

1035 In Italia minores milites, contra dominos suos insurgentes et suis legibus vivere eosque opprimere volentes, validam conjurationem fecere. Ad quos coercendos cum primores adunati pugnam inirent, multi utrinque ceciderunt: inter quos etiam Astensis episcopus vulneratus interiit. *Hepid.* — Adelberto dux Carentani et Histriæ, amissa imperatoris gratia, ducatu quoque privatus est (563). Leutizi Wirbinam castellum clam proditum capiunt multosque nostrorum occidunt, vel captivos abducunt. Imperator, vi transito Albia flumine, provinciam eorum ingrediens late vastat. *Annal. Hildesh. Wip.* — Synodus magna apud Triburiam ab imperatore collecta est (564).

1036 Piligrinus Coloniensis archiepiscopus decessit eique Herimannus Ottonis secundi imperatoris ex filia nepos successit. *Wipo.* — Gebehardus secundus Ratisbonensis episcopus XVI Kal. Martii obiit; pro quo tertius Gebehardus, Conradi imperatoris ex matre Adelheide frater, episcopus ordinatur. *Chron. August.*; *alii an. pr.* — Henricus rex, filius imperatoris, Chunihildem Cnutonis, Danorum et Anglorum regis filiam, regalibus sibi apud Noviomagum nuptiis copulavit uxorem. *Annal. Hildesh.* — Conradus patruelis imperatoris patris sui ducatum in Carentano et in Histria, quem Adelbero habuerat, ab imperatore recepit. *Iidem.* — Heremannus quoque dux Alemanniæ marcham soceri sui Meginfridi (565) in Italia ab imperatore accepit. Leutizi Sclavi imperatori vectigales facti. **207** Burchardus, Lugdunensis archiepiscopus, imo tyrannus, et sacrilegus ecclesiarum deprædator, adulter, incestuosus, cum Vodalrici Selegeri filium bello peteret, ab ipso victus et captus, imperatorique adductus, ferro compeditus et custodiæ mancipatus multis annis detinetur in vinculis. *Glaber.* — Imperator hieme Italiam petit. Sanctimoniales a domna Irmingarda, Welf comitis vidua apud Altorf pro clericis collectæ sunt (566.)

1037 Imperator, celebrato Veronæ Natale Domini, per Brixiam et Cremonam Mediolanum pervenit; inde Papiam adiens, Herebertum Mediolanensem archiepiscopum, infidelitatis accusatum apprehendi jussit, eumque Popponi patriarchæ Aquilejensi custodiendum commendavit; qui fuga elapsus cunctis viribus eidem imperatori rebellare contendit. *Wip.*; *Otto Fris.*—Imperator, paschali festo Ravennæ acto, territorium Mediolanense repetiit, urbem obsedit, castella, villas omniaque circum ad rebelles pertinentia vastavit. Conjuratorum vero manum facile compescuit, eisque legem, quam et prioribus habuerant temporibus, scripto roboravit. *Hepid.* — Papa Benedictus Cremonam ad imperatorem venit. Episcopi Placentinus, Cremonensis et Vercellensis incusati ab imperatore, captique et in exsilium missi sunt. *Annal. Hildes.*; *Wip.*—Ipso anno pugna inter Odonem Gallicæ Campaniæ principem, et Gozzilonem (567) Lotharingorum ducem commissa, Odo victus et cum suis fugatus in ipsa fuga peremptus interiit. *Rod. Glaber. his'. l.* III, *c.* 9.

208 1038 Cum imperator Natalem Domini Parmæ ageret, orto inter Parmenses cives et exercitum tumultu, multi ceciderunt, et pluribus civium trucidatis, ipsa civitas incendio consumpta est. *Wippo; Otto Fris.* — Papa archiepiscopum Mediolanensem imperatori adhuc rebellantem excommunicat. *Wippo.* — Imperator cum ultra Romanas partes peragrasset, indeque per Adriatici maris oras remearet, mense Julio

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

1035 *Synodus magna apud Triburiam ab imperatore collecta est.* Al. an. seq.

1036 *Piligrino Coloniensi archiepiscopo Herimannus, Gebhardo secundo Ratisbonensi episcopo defuncto tertius Gebehardus successit. Henricus rex... copulavit uxorem. Leutizi... vectigales facti*, ut Aug. *Imperator hieme Italiam petit.*

1037 *Imperator, Papiam adiens, Heribertum Mediolanensem archiepiscopum infidelitatis accusatum in custodiam misit, qui, fuga elapsus, cunctis viribus imperatori rebellare contendit, Imperator Mediolanum obsedit, et circumquaque quælibet ad rebelles pertinentia devastavit. Odo princeps, Gallicæ Campaniæ a Gozzilone Lotharingorum duce pugna victus fugiensque, a quodam milite occiditur.*

1038 *Imperator, cum Natalem Domini Parmæ ageret, orto tumultu inter Parmenses et exercitum, utrinque multi, sed ex Parmensibus plures, ceciderunt, et ipsa civitas incendio consumpta est. Papa archiepiscopum Mediolanensem imperatori rebellem excommunicavit. Chunihildis* (568) *regina, uxor Henrici regis,* XVII (569) *Kal. Aug., et Hermannus dux Alemanniæ* V *Kal. Aug. cum multis aliis in Italia obiere. Stephanus rex Hungarorum bonæ memoriæ obiit, qui seipsum cum tota gente ab fidem Christi convertit; pro quo Petrus regnavit.*

NOTÆ.

(563) Vid. supra an. 1012.

(564) Concil. Germ., t. III, p. 103, ex Annal. Hildes. et Sax. ad annum sequentem; Pagius vero ad hunc annum refert.

(565) Meginfridus marchio de Susa erat, cujus filiam Adelheidem duxerat Hermannus IV.

(566) Jam antea a Guelfis comitibus apud Altenmunster in Bavaria Benedictinum virorum, apud Altorf vero in Suevia aliud virginum fuit conditum, ad Vineas postea nom natum. Circa hæc autem tempora sedes suas invicem permutarunt; quod Hess Prodr. Mon. Guelf. ad annum 1047 consignat.

(567) Gozilo seu Gothelo I utriusque Lotharingiæ dux a Conrado imp. constitutus.

(568) Aliis etiam Elifdrud aut Cunigunt dicitur, mutato nomine in coronatione. *Wippo.*

(569) Codd. Murensis et Gottwicensis melius habent. XV *Kal. Aug.*

Digitized by Google

ingens exercitum pestilentia invasit, et plurimos passim exstinxit; inter quos Chunihildis regina, Henrici regis uxor XVII Kal. Aug. (570) defuncta, et ad castrum Lindburg translata ibique sepulta est. *Wip.* — Herimannus quoque dux Alemanniæ suis admodum flebili morte X Kal. Aug. occumbens (571), Tridenti tumulatus est. *Otto Fris.; Wip.* — Imperator, de Italia reversus, Solodori colloquio habito, plurimos Burgundionum primores tam sibi quam filio suo subjectionem sacramento firmare coegit.— Ipso anno, Stephanus Hungarorum rex, cum ante plurimos annos se cum tota gente sua ad Christi fidem convertisset, ecclesiasque multas et episcopatus contraxisset [*leg.* construxisset], et [in] regnum suum probis (*sic*) mitissimus operam impendisset, Petrum, sororis suæ filium, de Venetia, (572) natum pro se regem constituens, obiit. *Wippo; Annal. Saxo.*

209 1039 Conradus imperator, apud Trajectum Fresiæ urbem Pentecosten agens, III (573) Nonas Junii inopinata morte subito decessit, et Nemetum allatus ibique sepultus est; et filius ejus rex Henricus gubernacula regni suscepit. — Reginbaldus quoque Nemetensis episcopus, vir vita et habitu monachico verendus, III Idus Octob. (574) decessit, cique Sibicho fama longe dissimilis successit. Conradus etiam dux Carentani, et Adelbero æmulus ejus, qui ante eum ducatum tenuerat, ipso anno obierunt. *Annal. Hildes.* — Henricus rex, mota in Boemiam expeditione, cum dux gentis Brezizlaus filium suum ei obsidem misisset, seque ipsum venturum et imperata facturum, licet ficte, promisisset, statim rediit. Petrus rex Hungarorum hieme termi-

A nos regni sui invadens, prædis, incendiis et captivitate depopulatur. *Al. an. seq.*

1040 Henricus rex, Boemiensem ducem iterum rebellantem petens, ad præstructionem seu munitionem silvæ citra et ultra expugnandam, partem expeditam exercitus per devia saltus in provinciam misit; sed cum XI Kal. Sept. istac, crastina vero die illac milites, silvosa difficilia et obstructa loca ingressi, casso labore jam fatigabundi, firmissimam quamdam machinam oppugnatum aggredi frustra tentarent, irruentibus undique Boemanis cæsi, capti fugatique sunt; et qui in provincia adhuc ex nostris remanserant, interveniente Gunthario Eremita (575) incolumes educti redierunt. Rex vero **210**, plurimis militum et procerum amissis, infecto interim negotio

B discessit. *Annal. Saxo; Hepid.*—Eberhardus Babenbergensis Ecclesiæ primus episcopus anno promotionis XXXIII decessit, cui Suidegerus, natione Saxo, vir laudabilis successit. *Necrol. Fuld.*

1041 Henricus rex, reddito Boemano duci obside filio suo, captivos in silva captos redemit, secutaque æstate collecto grandi exercitu provinciam ipsam per devia ingressus prædis et incendiis cuncta devastat, donec dux malis subactus pacem postularet, sui deditionem et cum tota gente subjectionem, Ratisbonamque se ad regem venturum, et imperata facturum, fidelibus regis ad se vocatis, promitteret, quod etiam rege discedente mox factis implevit. *Hepid.* — Ipso anno Hungari perfidi, Ovonem quemdam regem sibi constituentes, Petrum regem suum occi-

C dere moliuntur. Qui, vix fuga lapsus, primo ad marchionem nostrum Adelbertum sororis suæ mari-

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

1039 *Conradus imperator* III *Nonas Junii obiit, pro quo Henricus rex filius ejus regnavit.*

1040 *Henricus rex ducem Boemiæ bello petit, sed, multis proceribus et militibus in præstructione silvæ citra et ultra occisis vel captis, nil dignum efficere potuit* (576). *Eberhardo primo Babenbergensi episcopo defuncto Suidgerus successit.*

1041 *Hungari, quemdam Ovonem sibi regem constituentes, Petrum regem suum expellunt. Qui profugus et exsul Henrici regis gratiam, cui priori anno rebellaverat, quærit et invenit. Henricus rex, Boemiam cum exercitu ingressus, igne prædaque cuncta devastat, et rebellem ducem obsides dare, et ipsum post se Ratisbonam ad deditionem humiliter venire, sibique jurejurando fidelitatem servitiumque confirmare coarctat.* Ita et Mur. ac Gottw.

NOTÆ.

(570) Wippo habet XV Kal. Aug., castrum vero Lintburg, quod hic præposituram dicit, prope Spiram situm est.

(571) Fidem Hermanni hic labefactare tentat Guichenon, Hermanni ducis mortem anticipans, perperam tamen, ut ad annum 1092 in Bernoldo diximus.

(572) Aloldus in Chronico hanc Stephani sororem Giselam vocat, Guillielmo comiti Pictaviensi nuptam; at eam haud reperire est in comitum istorum serie (*L'art de vérifier les dates*, t. II, p. 348 seqq.), nec etiam in Hungariæ regum chronologia (*ib.*, p. 49), ubi Stephano regi duæ tantum sorores tribuuntur, Sama Abæ, seu Owoni, Petri successori copulata, et altera anonyma, conjux Ottonis Urseoli Venetorum ducis ex qua adeo natus fuerit Petrus, si de Venetia

D sit ortus, ut asserit Hermannus et msc. Mellicense. Vid. Pray Annal. reg. Hung., p. I, p. 40. Alii Petrum ex Guillelmo Burgundo et S. Stephani sorore prognatum contendunt, unde et *Alemannus* sit dictus. Calles., Annal. Eccl., t. V, p. 351.

(573) Chronogr. Saxo melius II Non. Jun., uti et Annales Hildes. Wippo.

(574) Annal. Saxon. XIII, Kal. Sept.

(575) B. Guntheri monachi et eremitæ vitam scripsit Wolfherus sæc. XI, Altahensis monachus, quæ exstat in Canisii Lection. antiq. t. III, p. I, p. 185.

(576) Gottw. et Mur. addunt : « Petrus quoque Hungarorum rex eidem duci contra Henricum regem auxilia mittit. »

Digitized by Google

tum (577) profugus venit, indeque ad regem Henricum veniens, pedibusque ejus provolutus veniam et gratiam imploravit et impetravit. *Hepid.*; *Annal. Hildes.*

1042 Henricus rex hieme Burgundiam invasit multosque principum se illi subjicientes suscepit, nonnullaque legitime dijudicavit. — Ovo Hungarorum tyrannus ob susceptum a rege nostro Petrum divisit bifariam exercitum suum; fines Bajoariæ ex utraque Danubii parte deprædans et incendens populatur; sed una pars exercitus ejus a septentrionali parte Danubii **211** ab Adelberto marchione, et filio ejus Luitpoldo ad internecionem cæsa est. *Chron. August.* — Henricus quoque, autumno Pannonias petens, Heimenburg et Brezesburg evertit, septentrionalem Danubii partem, quia flumina australem et paludes munierant, usque ad Grana flumen vastavit, seu in deditionem accepit; et pars exercitus, bis numero Hungariam incursantibus congrediens, strages magnas effecit, et subactis partium illarum Hungaris, cum Petrum recipere nollent, quemdam alium ex illis, apud Boemanos item exsulantem, ducem eis constituit; quem tamen Ovo statim post discessum regis resistere non valentem in Boemiam repulit. *Annal. Hildes.* — Poppo patriarcha Aquileiensis obiit, eique Eberhardus Augustensis canonicus a rege promotus successit.

1043 Gisela imperatrix apud Goslare, quamvis, a sortilegis nonnunquam vera sibi prædicentibus decepta, filio regi se supervicturam crederet, dysenteriæ morbo XVI Kal. Martii decessit, et Nemetim juxta maritum imperatorem sepulta est. Æstas pluviosa frugum et vindemiarum penuriam effecit. Henricus rex, iterum Pannonias petens, ab Ovone vix impetrante pactum, satisfactionem, obsides, munera regnique usque ad Litha flumen partem accipiens discessit. Inde in Alemanniam veniens, in synodo Constantiensi, cunctis qui contra se deliquerant primum ipse debitum omne dimisit; deinde precibus et adhortationibus omnes præsentes Suevigenas, **212** postea, in aliis regni sui provinciis idem actum iri satagens, dimissis debitis et inimicitiis sibi invicem reconciliavit, pacemque multis sæculis inauditam efficiens per edictum confirmavit. Exin Willehelmi Pictaviensis filiam sponsam suam accipiens, et Moguntiaci reginam ungi faciens, regales apud Ingelenheim nuptias celebravit, et, in vano histrionum favore nihili pendendo, utile cunctis exemplum, vacuos eos et mœrentes dimittendo, proposuit. *Chron. August.* — Ubi etiam Luitpaldus Adelberti marchionis filius, magnæ virtutis et pietatis adolescens, ab ipso rege marchio promotus et post paucos dies defunctus Treviri a patruo suo Poppone archiepiscopo sepultus est. *Hepid.*

1044 *M. G.* Maxima pestis pecudum : et hiems satis dura et nivosa magnam vinearum partem frigore perdidit, et frugum sterilitas famem non modicam effecit. — Gozzilo dux Lotharingorum (578) moriens Gozziloni filio, quamvis ignavo, ducatum suum a rege Henrico promissum relinquere disposuit. Sed alter filius ejus Godefridus jam dudum dux (579), cum ducatum fratri debitum contra fas

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

1042 *Ovo, Hungarorum tyrannus, cum Bajoariæ fines devastaret, maxima pars exercitus ejus ab Adalberto marchione bello devicta periit. — Henricus rex Pannonias petens, urbes munitas delevit, et plures deditione subjecit, et, dum Petrum regem suum recipere nollent, ducem eis quemdam præfecit, quem statim post ejus discessum Ovo in Boemiam repulit* (580).

1043 *Henricus rex, iterum Pannonias petens, ab Ovone vix impetrante pactum suscepta satisfactione et muneribus discessit. Inde in Alemanniam veniens, in synodo Constantiensi cunctis qui contra se deliquerant ipse debitum omne dimisit. Hocque et alios suis debitoribus facere adhortans, inauditam multis sæculis pacem effecit. Post, Agnetem Wilhelmi Pictaviensis filiam accipiens, et Moguntiæ reginam ungi faciens, regales apud Ingelnheim nuptias celebravit. Ibi Luitpaldus Adalberti marchionis filius obiit.*

1044 *Gozzilo dux Lotharingorum moriens Gozzeloni filio suo, quamvis ignavo, ducatum suum a rege Henrico promissum reliquit. Sed alter filius ejus Godefridus, jam dudum dux, cum ducatum fratri debitum a rege obtinere nequisset, pio regi rebellare præsumit. — Henricus rex parvo exercitu contra gravissimam Hungarorum gentem fortiter pugnavit et vicit, Ovonem tyrannum fugavit, et Petrum expulsum pristinæ dignitati restituit. Postea vero Petrus in regno confortatus eumdem Ovonem cum uxore et filiis comprehensum decollavit. — Magna vis famis homines immunda animalia comedere coegit. — Romani Benedictum papam pro sceleribus suis expellunt, et quemdam Silvestrum papam* CL *temere constituunt; quem tamen Benedictus papa quorumdam auxilio expellit, ipseque, suæ sedi redditus, sponte a papatu discessit et Gratianum, nomine Gregorium, papam CLI, pro se ordinari permisit, anno Domini* 1046.

NOTÆ.

(577) Adalbertus hic est Austriæ marchio, Ernesti I, Alemanniæ ac Sueviæ ducis, nec non Popponis Trevirensis archiepiscopi (Vid. an. 1015) frater, cujus conjugem alii Adelheidem dicunt, Henricus vero rex in diplomate anni 1051 Troizam vocat. Una fuerit, an duæ diversæ, haud disquirimus; illa saltem vel alterutra Petri regis soror fuisse convincitur. Vid. supra ad an. 1038. Calles., Annal. Germ. t. I, p. 350 et Pray, Annal. reg. Hung., p. I, p. 44.

(578) Lotharingiæ scilicet inferioris et superioris.

(579) Superioris Lotharingiæ cum patre. Vid. Calmet, Hist. Lothar., l. XVIII, c. 67.

(580) Gottwic. et Mur. fere cum Augiensi conveniunt, uti et anno 1043.

Digitized by Google

a rege sibi obtinere nequivisset, jusjurandum fidemque postponens, rebellare pio regi præsumit.— **213** Ovo rex cum jusjurandum pactumque infregisset, Henricus rex cum perparvis copiis Pannonias petiit; quem Ovo, qui maximum paraverat exercitum, in tantum despexit ut eum, quasi facile occidendum seu capiendum, provinciam ingredi sineret. Sed Henricus cum parte copiarum Rabam fluvium festine in divino confisus auxilio transvadavit, pugnam cunctis militibus passim festinantibus iniit, et in prima congressione innumerabilem Hungarorum exercitum fugavit et prostravit, et paucissimis suorum amissis ipsemet fortissime pugnans gloriosissimam victoriam adeptus est in Nonas Julii. Et, Ovone rege vix fuga elapso, omnes Hungari ad deditionem Henrico regi catervatim concurrunt subjectionem servitiumque promittunt. Ipse vero, ut erat per omnia piissimus, Petrum jam dudum expulsum regno suo restituit, Hungaros petentes lege Bajoarica donavit ipseque cum triumpho in regnum suum rediit. Nec multo post idem Ovo, a Petro rege comprehensus, scelerum suorum pœnas capite plexus persolvit (581).

Eodem anno Ludovicus comes (582) Reginboldum principem, reginæ Agnetis avunculum, sed Henrico regi inimicum, dum quoddam castellum ejus, quod mons Filigardæ dicitur, magna cum manu expugnare pararet, cum parva militum suorum copia pugnam iniens vicit, multisque cæsis reliquos fugavit. — Romani Benedictum (583) papam multis criminatum sede sua pellunt et Silvestrum quemdam in locum ejus statuunt; quem tamen postea Benedictus, quibusdam sibi faventibus, excommunicatum depulit, sedique suæ redditus seipsum postea privavit et alium pro se ob avaritiam contra canones ordinavit (584).— Heribertus Mediolani archiepiscopus obiit. Beggelinheim castellum Godefridi **214** a rege destruitur. Gebehardus Ravennas archiepiscopus obiit, et pro eo Wideger constituitur (585).

1045 *M. G.* Reginolt (586), et Gerolt Burgundiones regi apud Solodorum ad deditionem venerunt. Otto (587) palatinus comes paschali hebdomada dux Alemanniæ apud Goslare a rege constituitur. Petrus rex Henricum regem in festivitate Pentecostes ad se invitatum magno apparatu suscepit, et maximis muneribus donavit, eique regnum Pannoniarum, principibus Hungarorum fidelitatem illi et successoribus ejus juramento firmantibus, reddidit; quod tamen ab eo ipse, dum viveret, possidendum recepit. In quo videlicet itinere rex quoddam vetus solarium (588) ascendens cum multis aliis, ædificio cadente, corruit, ipsoque, Deo protegente, illæso, Brun Wirzeburgensis episcopus lethaliter cum aliis collapsus, post unam hebdomadam (*Codd.* ibidem) VII Kal. Junii obiit, et, ad sedem suam reportatus ibique sepultus, Adalberonem successorem suscepit. *Avent. Brunner.* Godefridus dux (589) rebellioni sua desperans, regique ad deditionem veniens, in custodiam mittitur (590). Wido Mediolani archiepiscopus constituitur. Selavi, qui Luitici (591) dicuntur, Saxoniæ terminos inquietantes regi, illo cum copiis militum venienti, se tradunt, et solitum censum promittunt. — Autumnali tempore Guticharius [*al.*, Guntharius] eremita (592) ad Christum migravit, et in Braga Boemiæ urbe sepultus quiescit. Per idem tempus regale colloquium, apud Triburiam condictum, gravis regis infirmitas præpedit. Quo etiam tempore Agnes regina filiam regi peperit.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

1045 *Otto, palatinus comes, dux Alemanniæ constituitur. Petrus rex Hungarorum Henrico regi ad se invitato regnum Pannoniarum tradidit, quod tamen ab eo ipse, dum viveret, possidendum recepit. Brun, Wirziburgensis episcopus, obiit* VII *Kal. Junii. Godefridus dux, ad deditionem regi veniens, in custodiam mittitur. Leutici se regi dedunt, et solitum censum promittunt. Guntharius eremita ad Christum migravit, et in Praga Boemiæ sepultus quiescit.*

NOTÆ.

(581) Hepidannus, qui hic Annales suos absolvit. Vid. Rod. Glaber, Hist. l. v, c. 4.

(582) Ludovicus hic comes fuit Montis Belligardi, Reginaldus vero, seu Renaldus, dux Burgundiæ, hujus nominis primus.

(583) Benedictum IX jam an. 1038 a Romanis sede sua fuisse pulsum, sed a Conrado imp. restitutum ex Glabro, l. IV, c. 8. probat Pagius in Critica. Anno tamen 1044; rursum ejectus est, substituto sibi Joanne Sabinensi episcopo sub Silvestri III nomine; quo post tres menses fugato, Benedictus sedem repetiit; tandem, accepta a Joanne Gratiano archipresbytero pecunia, eidem pontificatum cessit, qui Gregorius VI fuit. Ita rem narrat Victor III papa lib. III Dialog.

(584) M. G.: « Maxima vis famis homines animalia immunda comedere persuasit. Herebertus Mediolanensis archiepiscopus huic vitæ terminum imposuit, et illius dignitatem Wido suscepit. Beggelnheim, castellum Godefridi, a rege captum destruitur. »

(585) Ab hoc anno ambo codices Gottwicensis et Murensis cum Augiensi ad verbum fere concordant.

(586) Renaldus is est dux Burgundiæ antea rebellis, de quo mox anno priore.

(587) Hic Ezone seu Ehrenfrido palatino ad Rhenum comite, et Mathilde filia Ottonis II imp. natus erat.

(588) Aventinus aliique scriptores Boici castrum Bosenbeug nominant Austria superiore situm.

(589) Lotharingiæ nimirum de quo a. 1044.

(590) Locum addit msc. Murense : *Kihichenstein.*

(591) Hi Lusatii fuisse nonnullis videntur.

(592) Mur. G. *eremita vinculis carnis absolutus apud sanctos martyres Adelbertum et Venezianum in Braga*, etc. Est hic Guntherus, de quo supra ad an. 1040.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

215 1046 *M. G.* Rex Natalem Domini in Saxonia apud Goslare celebravit. Magna mortalitas multos passim exstinxit. Eggehardus marchio (593) ditissimus subito moriens prædiorum suorum regem reliquit hæredem. *An. Sax.* — Rex paschale festum apud Trajectum Frisiæ urbem egit, et subsecutis diebus, navali expeditione in Phladirtingam (594) fretum trajiciens, pagum quemdam, quem Theodoricus marchio sibi usurpaverat, ab eo eripuit; unde idem postea rebellionis causam sumpsit. Sanctum autem Pentecosten Aquisgrani faciens Godefrido duci e custodia relaxato, sibique procedenti terra tenus prostrato ducatum suum (595) misertus reddidit. Quibus etiam diebus Widgerum, qui Ravennæ præsulatum jam biennio inepte et crudeliter, nondum consecratus, tenebat, ad se vocatum episcopatu privavit (596). Sequenti tempore rex in Italiam expeditionem parat. Fridericus frater Henrici ducis Bajoariæ, dux Lotharingorum (597), pro Godefridi fratre ignavo Gozzilone constituitur. — Subsecuto autumno Hungari, pristinæ perfidiæ suæ memores, Andream quemdam regem sibi statuunt, Petrum regem, multis advenarum qui pro eo pugnaverant occisis, variis cum conjuge sua [*Gott.*, injuriis affectum postremo oculis A privant, et in quemdam locunt cum eadem conjuge sua] alendum deputant; multis etiam per idem tempus peregrinis inibi exspoliatis, exsulatis atque necatis. — Quo comperto, rex Henricus, qui jam valido exercitu congregato in Italiam **216** iter cœperat, nimis indoluit; sed tamen expeditionem non deseruit. Itaque coadunato exercitu Papiæ (598) synodum celebravit. Inde Placentiam veniens, Gratianum, quem, expulsis prioribus, Romani papam statuerant (599), ad se venientem honorifice suscepit, sicque, cunctis prospere cedentibus, juxta Natalem Domini, non longe ab urbe Roma apud Sutriam (600) synodo item acta, causaque erroneorum pontificum diligentius ventilata, Gratianum papam convictum pastorali baculo privavit (601). Dein, omnium, tam B Romanorum quam aliorum, assensu Suidgerum episcopum, qui post Eberhardum primum secundus Babenbergensem sexto jam anno regebat Ecclesiam, nimium reluctantem, summum Romanæ Ecclesiæ elegit pontificem; sicque circa vigilias Natalis Domini ipsam ingrediuntur urbem. Eadem nocte bonæ memoriæ Eberhardus Constantiensis Ecclesiæ episcopus, inibi in porticu sancti Petri sepeliendus, obiit XIII episcopatus sui anno.

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

1046 *Rex Aquisgrani in Pentecoste Godefrido duci custodia relaxato ducatum reddidit, et Widgero Ravennæ præsuli nimium crudeli, nondum consecrato, episcopatum abstulit. Hungari regem suum Petrum oculis privant, et pro eo quemdam Andream regem statuunt. Henrico regi, cum expeditione in Italiam venienti, Gratianus papa, quem Romani expulsis prioribus statuerunt, Placentiæ obvians honorifice suscipitur; qui tamen postmodum apud Sutriam in synodo non invitus pastorale officium deposuit. Pro quo Suid- C gerus Babenbergensis episcopus, nimium reluctans, omnium consensu eligitur. In tempore hujus apostolici innumerabiles terræmotus et maximi in Italia sunt facti; et hoc fortassis ideo, quia idem apostolicus non canonice subrogatus est antecessori suo, non canonice deposito: videlicet quem nulla culpa deposuit, sed simplex humilitas ab officio cessare persuasit* (602). *Eberhardus Constantiensis episcopus Romæ obiit, pro quo Theodericus.*

NOTÆ.

(593) Ekkardus II Misniæ marchio, Henrico III imp. in paucis charus, de quo Eccard in Hist. geneal. principum Saxon. super. p. 229.

(594) Nunc Vlaerdingen, Hollandiæ vicus ad Mosam, sedes olim Hollandiæ comitum, inter quos Theodoricus hic quartus ejus nominis notatur.

(595) Lotharingiæ nempe inferioris.

(596) Henricum propterea reprehendit Baronius, D deprædicat vero B. Petrus Damiani l. VII, ep. 2. ad eumdem.

(597) P. Clement Goziloni II seu ignavo ad hunc annum defuncto in Lotharingiæ superioris ducatu ab imperatore suffectum scribit Albertum Alsatam ex comitibus de Egisheim, anno 1048 a Godefrido in pugna occisum. Godefrido igitur rursus ob rebellionem exauctorato an. 1048 in Lotharingia inferiore substitutus est Fridericus Luxemburgicus, de quo Hermannus.

(598) Nihil de Papiensi hujus anni synodo in Labbei Collectione conciliorum occurrit. Illam tamen revera celebratam fuisse ex veteri tabularii Veronensis documento aperte eruitur. Exstat id apud Ughellum (*Ital. Sacr.*, t. V, p. 760) ex antiquo ms. Decretorum Burchardi Wormatiensis episcopi bibliothecæ Vaticanæ publica fide an. 1583, desumptum, in quo hæc leguntur: *Anno D. incarn.* 1046, *indict.* XV [*scil.*, inchoata] *octavo Kal. Novembris, regnante domino nostro invictissimo rege Henrico III, præcepto ejusdem gloriosi congregata est Papiæ generalis synodus; cumque multæ res in eadem synodo juste atque rationabiliter in ejusdem gloriosi regis præsentia, archiepiscoporum illius et episcoporum pertractarentur*, etc. Sequuntur dein nomina omnium episcoporum qui concilio huic interfuerunt, tam Italorum quam Germanorum, quos ultimos enumerat Calles., Annal. Eccles. Germ. t. V, p. 422. Vid. Sigonius de Regno Italiæ l. VIII.

(599) Sub nomine Gregorii VI.

(600) Quæ in hoc Sutrino concilio acta sint, unus coævus scriptor Hermannus prodit, quæ fusius dein recenset Victor III, p. I, 3 dialog.

(601) Imo, ut habet Bernoldus, postea Victor III, l. c., ipse ultro pontificiam dignitatem deposuit. Ubi vero nova Clementis electio facta sit, scriptores in diversa abeunt, Hermanno id Sutrii adhuc factum perhibente, dum econtra laudatus Victor papa, nec non Leo Ostiensis (*Chron. Cassin.* l. II, c. 79) id Romæ primum contigisse affirmant. Id ex eodem Victore certum est, electionem hanc ab iisdem episcopis qui in Sutrinam synodum convenerant, ubicunque demum fuisse peractam.

(602) Gregorium VI inter injustos apostolicæ sedis invasores connumerat ipse Victor III, l. c. Vid. uterque Pagius in Gregorio VI. Juste ergo et cano-

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

217 1047 *H. G.* In ipsa Natalis die Domini (602*) A eam injuriis afficiunt. Unde, severam ab imperatore
præfatus Suidgerus, natione Saxo, apostolicæ sedi vindictam metuentes, eique se subdere non præsu-
papa ex more consecratus et nomine auctus Clemens mentes, rebellionem ineunt (605). Sed imperator, qui
secundus vocatus est. Qui mox ipsa die Henricum magna, ut dictum est, ex parte exercitum jam remi-
regem et conjugem ejus Agnetem imperiali bene- serat, et ad alia occupato animo jam patriam ten-
dictione sublimavit; peractisque missarum solem- debat, tantam tunc temporis civitatem expugnatum
niis, ipse domnus papa et imperator cum imperatrice aggredi distulit, interimque eo infecto negotio, sed
ita, ut erat coronatus, ad Lateranense palatium cum alias universa Italia parente pacataque, redire dis-
ingenti gloria proficiscuntur, cunctis civibus Roma- posuit. Interea imperatrix Agnes, quæ Romæ ab im-
nis mirantibus, honoremque singulis quibusque pro peratore digressa fuerat, in Ravennati territorio
facultate obiter impendentibus, completisque Romæ filiam peperit. — Imperator vero cœpto redeundi iti-
cum summa pace aliquot diebus, imperator magnam nere, Mantuæ paschale festum in gravissima decum-
exercitus partem patriam redire permittens, ipse bens ægritudine commoratur. Postea convalescens
cum reliquo ad ulteriora contendit. — **218** Circa corpus beati Widonis Pomposiæ monasterii abbatis
idem tempus imperator præsules nonnullos consti- in magna sanctitate ante non integrum annum de-
tuit, inter quos Ravennati Ecclesiæ Hunfridum can- B functi, plurimis glorificatum miraculis, de Parmensi,
cellarium suum in Italia; Constantiensi Theode- ubi sepultus fuit, civitate ad urbem Spiram transfe-
ricum per alias provincias cancellarium suum rendum, magno secum cum honore de Italia rediens
et archicapellanum, et Aquisgranæ præposi- devexit. In quo itinere Augustam Vindelicam in lita-
tum; Argentinæ Herandum Spiræ præpositum niis (606) ante Ascensionem Domini veniens, Eber-
pro Willehelmo (607) autumnali tempore de- hardo urbis ejusdem **219** episcopo, in adventu
functo; Viridinensi Theodericum Basileæ præposi- ejus defuncto, Henricum capellanum suum succes-
tum et capellanum suum, pontifices præfecit. Impe- sorem constituit; actoque inibi eodem festo, Pente-
rator vero Roma egressus nonulla castella sibi rebel- costes solemnia Spiræ celebravit, ibique colloquium
lantia cepit; provincias, prout videbatur, disposuit; cum regni principibus habuit et corpus præfati ab-
duces Nortmannis, qui in illis partibus commoran- batis in incœpta extra urbem basilica (607) tumulari
tur, et aliis eo locorum urbibus constituit. Sed socru fecit. — Quo tempore Welf comitem Suevigenam
(604) imperatoris de monte Gargano Beneventum (608), Welf dudum comitis filium, Carentani ducem
reversa, orto tumultu Beneventani cives quibusdam promovit. Avunculum quoque ejus Adelberonem,

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

1047 *In ipso Natali Domini die Suidgerus papa CLII* C *verorum archiepiscopus obiit, pro quo Eberhardus,*
ex more consecratus, Clemens secundus est vocatus; *Godefridus dux et Balduinus de Flandris imperatori*
sedit mensibus novem. Qui mox ipsa die Henricum *rebellant. Item Theodericus de Phladirtingen marchio*
regem cum conjuge sua Agnete imperiali benedictione *rebellat imperatori, contra quem imperator exercitum*
sublimavit. Hunfridus Ravennæ efficitur archiepisco- *movens parum profecit. Clemens, qui et Suidgerus,*
pus. Beneventani cives, socrum imperatoris de monte *papa* VII *Id. Oct. obiit. Godefridus dux, inter alia*
Gargano reversam male tractantes, rebellant. Imperator *quæ contra regem fecit, Viridunensem civitatem com-*
corpus B. Widonis, Pomposiæ abbatis, de Parmensi *bussit, cujus ducatum imperator Adalberto cuidam*
civitate Spiram secum transtulit. Poppo Tre- *tradidit.*

NOTÆ.

nice cessit, ac legitime eidem synodali judicio subro- D Bullarii Cassin.) nempe usque ad voluntariam abdi-
gatus est Suidgerus, secus ac Bernoldo nostro, Ba- cationem.
ronio, Ottoni Frisingensi aliisque visum. Medius in- (602*) Annum pro more auspicatur Hermannus a
cedit Angelus de Nuce abbas Cassinensis in disser- Natali Domini præcedentis anni, ad quem adeo hæc
tatione ad Chron. Cassin. l. II, c. 79, et tam Gre- spectant.
gorii VI abdicationem quam Clementis II electio- (605) Frater is erat Gregorii V, olim papæ, VIII
nem et Henrici imp. factum tuetur, quod Muratorius Idus Nov. priore anno defunctus.
Annal. Ital. ad an. 1046, cum Sigismundi imp. lau- (604) Hæc fuit Agnes, filia Ottonis Guillielmi Bur-
datis in simili casu conatibus comparat; et ipse gundiæ ducis, tertia uxor Guillielmi magni Picta-
Petrus Damiani, opusc. VI, c. 27, Opp. t. III, p. 54, viensis et ducis Aquitaniæ jam an. 1030 defuncti, ac
Henricum ob indefessum eliminandæ simoniæ stu- mater Agnetis imperatricis, Henrici III conjugis.
dium summis laudibus deprædicat. Cujus vitii suspi- *Clement.*
cio cum in Gregorium VI caderet ob transactionem, (605) Interdicto propterea a Papa suppositi. *Leo*
optimo licet fine, cum aliis duobus pontificibus ini- *Ost.*
tam, dignitate tamen sponte cedere maluit, quam (606) Rogationum feriæ hoc anno in 25 Maii in-
propterea synodali judicio deponi, aut schismati cidebant.
ansam dare. Ceterum ipse Henricus III, in diplo- (607) Ecclesia hæc dein collegiata ab eodem S.
mate a. 1047, III Nonas Jan., quo privilegia mona- Guidone nomen accepit. Vid. Bolland. t. III, Martii
sterii Perusini confirmat, Gregorium VI æque ac Be- die 31.
nedictum IX inter legitimos pontifices recenset (t. II (608) Welfonem nempe III, filium Welfonis II.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

ducum videlicet Henrici et Friderici (609) fratrem. Metensis Ecclesiæ episcopum post Theodericum nuper defunctum constituit. Item, Poppone archiepiscopo ipsis diebus defuncto, Trevirensi urbi Eberhardum Wormatiæ præpositum archipræsulem præfecit. — Per idem tempus, cum expeditionem in Pannonias ad Petrum ulciscendum disponeret, Godefridus dux cum Balduino (610) de Flandris et aliis nonnullis rebellionem innovasse bellumque copiis collectis paravisse; Theodericus quoque de Phladirtinga marchio rebellavisse, et episcopatus sibi contiguos ad injuriam imperatoris populatus esse nuntiatur. Præterea Andreas, qui regnum Petri obtinuit, jam crebro legatos supplices miserat, regnum se ab Hungaris coactum suscepisse confirmans, de Petri sese injuriis excusans, quique adversus eum conjuraverant, partim a se trucidatos, partim imperatori tradendos denuntians, suamque imperatori subjectionem, annuum censum et devotam servitutem, si regnum se habere permitteret, mandans. Quibus ex causis dilata expeditione illa, cum Godefridus quoque dux rebellionem suam callidis legationibus dissimularet, autumnali tempore navali exercitu collecto contra Theodericum in Phladirtingam arma commovit. — Interea Otto Suevorum dux, qui provinciam sibi traditam pie ac strenue tertio jam anno regebat, immaturo obitu diem clausit extremum. Ipsis quoque diebus Heinricus Bajoariæ dux defunctus Treveris sepelitur. Clemens etiam, qui et Suidegerus papa, in Romanis partibus nono mense promotionis suæ diem (611) obiens, ad episcopatum suum Babenberg reportatus tumulatur. — **220** Imperator expeditione in Phladirtingam trajecta, aquosis impedientibus locis, parum proficere potuit, et revertens, adversariis marino cursu levibus scaphis latrocinantium more sequentibus, et extremos quosque incursando cædentibus, non modicam in exercitu cladem pertulit. Ipso quoque tempore Godefridus, inter alia quæ contra regem gessit, Viridunensem civitatem dolo captam incendit et evertit; cujus ducatum imperator Adelberto (612) cuidam tradit. *Gesta Virdun. epp. apud Calmet.*

1048 *M. G.* Imperator Natales Domini in Saxonia moratus (613), confestim per Wirzeburg in Alemanniam venit, et Ulmæ colloquium habens, Ottonem de Svinvurt marchionem Suevis ducem constituit: indeque Bajoariam veniens, quadragesimale et paschale tempus exegit. Eadem Quadragesima sanguis, ut creditur, Domini apud urbem Mantuam divina per quemdam cæcum revelatione invenitur, et plurimis miraculis declaratur. Imperator Ratisbona, ubi Pascha cum Ottone et Brecizlao ducibus et multis aliis principibus egit, digressus, Alemanniam repetit, et in *Augiam nostram* (614) ingressus VIII Kal. Maii, novam sancti Marci evangelistæ *patroni nostri* basilicam, a domino Bern abbate constructam, se præsente a Theoderico Constantiensi episcopo dedicari fecit, et ejusdem sancti festo in litania majore *apud nos* acto, Ascensionem Domini Turego, Pentecosten autem Solodoro celebravit, habitoque ibi cum Burgundionibus colloquio, per Franciam orientalem in Saxoniam remeavit. — Per idem tempus dominus Bern, abba Augiæ, vir doctrina et moribus insignis, anno promotionis suo XI, in senectute bona morbo confectus, VII Idus Junii diem ultimum clausit, et in basilica sancti Marci sepultus quievit. In cujus locum Vodelricus decanus a fratribus electus, abbas ab imperatore constituitur. — **221** Defuncto quoque viro docto Wazone (615) Leodii pontifice, Dietwinus successit. Sequente Julio Poppo Brixiensis (616) episcopus, ab imperatore electus, Romam mittitur, et honorifice susceptus apostolicæ sedi papa CLII ordinatur (617), mutato nomine, Damasus secundus vocatus. Sed paucis diebus exactis defunctus, et ad sanctum Laurentium extra urbem sepultus est. Autumnali tempore Hen-

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

1048 *Imperator Ottonem de Suinvurt Suevis ducem constituit. Sanguis Domini apud urbem Mantuanam divina per quemdam cæcum revelatione invenitur. Bernhardus abbas Augiensis, vir doctrina et moribus insignis, obiit: cui Udalricus successit. — Poppo Brixiensis episcopus, ab imperatore electus, Romam mittitur, et, honorifice susceptus, papa* CLIII *ordinatur, nomine Damasus, et sedit* XXX [al., XXII] *diebus. Henricus imperator, et Henricus rex Galliarum convenientes in Metensi territorio, pacem inter se juramento confirmarunt. Godefridus Adalbertum ducem occidit; cujus ducatum Gerhardo imperator dedit.*

NOTÆ.

(609) Henrici VI, scilicet Bavariæ, et Friderici Lotharingiæ inferioris ducum, ex patre Friderico I, comite Luxemburgensi, quorum soror erat Judith Welfonis uxor *Clement.*

(610) Balduinus V, Flandriæ comes.

(611) Lambertus Schafn. cum Bernoldo VII Idus Octobris ponit, seu diem nonam ejusdem, quem B. Leo IX per totum Bambergensem episcopatum festivum esse voluit. Mortuo autem Clemente Benedictus IX, rursus sedem invasit ac per octo menses tenuit, quibus exactis ad vitam privatam rediit.

(612) Hic est Albertus, jam anno priore superioris Lotharingiæ dux creatus.

(613) Res hoc anno gestas unicus fere Hermannus describit.

(614) Ex his verbis, quæ etiam Gottwicensis ac Murensis codices habent, liquet utrumque ex Augiensi fuisse descriptum quoad posteriores annos, quibus inter se conveniunt.

(615) Wasonis episcopi laudes Anselmus in Gestis Leodiensium episcoporum pluribus deprædicat.

(616) Brixiensis sive Sabionensis episcopus erat Poppo.

(617) Damasus 17 Julii ordinatus, sequente die 8 Aug. obiit.

Digitized by Google

ficus imperator, et Henricus Galliarum rex, in Metensi territorio (618) convenientes, pacem pactumque inter se juramento confirmant. Quibus diebus terræmotus magnus factus est nocte III Idus Octobris. Ipsis item diebus Agnes imperatrix filiam imperatori peperit. — Eodem etiam tempore Godefridus Adelbertum ducem se deprædantem persecutus, et dimissa multitudine cum paucis inventum, cum aliis qui repugnare tentabant, occidit. Post quem Gerhardus dux (619) ab imperatore constituitur. Ipsis imperator diebus Argenturacum, et inde prope Natalem Domini Ulmam venit, sicque in Bajoariam proficiscitur.

1049 *M. G.* Imperator Natalem Domini Frisingæ, et Purificationem sanctæ Mariæ Ratisbonæ agens, Bajoariæ ducem Conradum (620) constituit, et circa quadragesimale tempus inde in Saxoniam recessit. Godebaldus Nemetensis (621) præpositus Aquileiæ patriarcha post Eberhardum his diebus defunctum ab imperatore promovetur. — **222** Interea, glaciali hieme suppeditante, nonnulli de partibus maritimis milites et principes, cum Leodiensi (622) episcopo, et Trajectensi, atque Metensi congregati, Theodoricæ in Phladirtingam insidias tendunt, commissaque pugna victum occidunt (623), et provinciam illam imperatori subjiciunt; quam tamen non multo post Godefridus occupans, ab eisdem pugna petitus et victus vix aufugit. — Per idem tempus Brun, id est, de Tullo Leucorum episcopus, ab imperatore electus Romamque missus summo honore suscipitur, et in Quadragesima (624) papa CLIII ordinatus Leonis nomen noni accipit. Qui in proximo Pascha Udalricum Augiensis cœnobii provisorem, Romam venientem, abbatis benedictione consecravit, et monasterii ejusdem privilegia, antiquitus a sede apostolica tradita, sua auctoritate confirmavit et innovavit, indictione II, VII [*al.*, VIII] Kal. Aprilis. Idem papa in hebdomada post Albas synodum cum Italiæ episcopis maxime contra Simoniacam hæresim Romæ celebravit (625). Idem in hebdomada Pentecostes aliam synodum Papiæ congregavit; indeque per montem Jovis cum pluribus Romanorum in Cisalpinas partes devenit. Exacto etiam tempore Odilo venerabilis Cluniacensis cœnobii, et multorum pater monasteriorum, IV Nonas Januarii (626) migravit ad Dominum. — **223** Secuta æstate, cum imperator expeditionem contra Godefridum et Balduinum a domno papa excommunicatos pararet, Godefridus, tam vim imperatoris quam papæ excommunicationem pertimescens, ad deditionem Aquisgrani venit, et opitulante papa gratiam imperatoris promeruit. Balduinus vero utrumque contemnens, vastata ab exercitu magna ex parte provincia sua, tandem obsides dedit, et pactum cum imperatore fecit. — Autumnali tempore (627) domnus papa synodum magnam Remis cum Galliarum episcopis habuit; indeque Moguntiacum veniens aliam synodum XI episcoporum coram imperatore et regni nostri principibus celebravit (628), et postea, Alemanniam adiens, Augiæ festum sancti Clementis, et

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

1049 *Imperator Conradum ducem Bavariæ constituit, et Godebaldum Aquileiæ patriarcham post Eberhardum nuper defunctum promovit. — Nonnulli principes et episcopi Phladirtingam intrantes Theodoricum pugna victum occidunt, et provinciam illam imperatori subjiciunt. — Brun Leucorum episcopus, ab imperatore electus, Romam mittitur et papa* CLIV *nonus Leo vocatur, et sedit annis* V, *qui in proximo Pascha Udalricum Romæ Augiensem consecravit abbatem, et monasterii ejusdem privilegia, a sede apostolica tradita, confirmavit et innovavit. Idem papa Romæ synodum maxime contra Simoniacam hæresin celebravit. Hic in plenaria synodo constituit ut Romanorum presbyterorum concubinæ ex tunc et deinceps Lateranensi palatio adjudicarentur ancillæ; emptiones et venditiones altarium sub anathemate prohibuit. Imma* (629) *obiit anno Dominicæ incarnationis* 1049, II *Nonas Aprilis. Odilo Cluniacensis abbas venerabilis migravit ad Dominum* IV *Non Jan. Godefridus et Balduinus reconciliantur imperatori.*

NOTÆ.

(618) Locum hujus conventus indicat Andaginensis monasterii Historia, *Ivodium* Trevirensis diœcesis oppidum, duabus a Mosomo leucis dissitum.

(619) Gerardum comitem Alsatiæ, superioris Lotharingiæ ducem, Calmetus, Hist. Lothar. t. I, l. XVIII, c. 69, Augustæ nunc Lotharingiæ domus parentem constituit.

(620) Filius is erat Luidolphi, cujus pater erat Ezo seu Ehrnfridus comes palatinus Rheni, mater Mathildis Ottonis II imp. filia.

(621) Gottwicensis rectius habet *Metensis*.

(622) Theoduino scilicet, Bernoldo seu Bernulfo Ultrajectino, et Adalberone.

(623) Factum id d. 14 Januarii, *Clem.* quod melius cum hiemali tempore convenit, quam 15 Maii, quo illum obiisse scribit Chron. Holland. apud Anton. Matthæum, t. V.

(624) Nempe die 12 Febr. Dominica prima Quadragesimæ, ut habet Wibertus in ejus Vita.

(625) Quædam ejus acta referunt Wibertus et B. Petrus Damiani opusc. VI, c. 25 et 37.

(626) Mur.: « III Kal. Jan. migravit ad Dominum, cui bonæ conversationis Hugo ejusdem cœnobii frater successit. »

(627) Nempe die III Oct. Labb. Conc. t. IX, p. 1028.

(628) Mur: « Ubi inter alia Bertholdus Vesontionensis archiepiscopus, a multis sede sua propulsatus annis, hic tandem canonice victus depositus est. » At hoc, ut videtur, perperam; nam hoc anno quidem Hugo episcopus Bisontinus concilio aderat, Wicberto testante, qui jam ab anno 1031 usque 1071 illi cathedræ præfuit; nec quidquam de re illa in actis concilii, t. III, Concil. Germ., p. 112, memoratur. Forte tamen id de Bertaldo intelligendum, qui in catalogo Vesontionensis Ecclesiæ archipræsulum (*Chiffletii illustrat. Claudianæ* t. I, Jun. Bolland., p. 693), ante hunc Hugonem vocatur pseudoepiscopus intrusus, sed non receptus.

(629) Quænam hæc Imma fuerit, plane ignoramus.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

Dominicam ante adventum VI Kal. Decemb. egit, ac per Augustam Bajoariamque transiens Natalem Domini Veronæ coluit.

1050 Imperator vero idem festum in Saxonia mansit. Ipsa hieme cum episcopus Ratisbonæ Gebehardus, qui Campidonensem abbatiam nuper beneficii loco ab imperatore acceperat, in Pannoniarum terminis moraretur, cedentibus Hungaris fines eorum ingrediens, prædas inde abduxit. Sed, ipso discedente, plurimus Hungarorum exercitus fines nostros invadens, plurimam partem captivavit, incendit atque vastavit. — Imperator paschale festum apud Trajectum moratur. Domnus papa post Pascha synodum item Romæ collegit, et subsecuto tempore ultra Romam progrediens, nonnullos locorum principes et civitates tam sibi quam imperatori jurejurando subjecit, Beneventanosque adhuc rebellantes excommunicavit (630). Nonnulli etiam exterarum principes gentium, missis **224** ad eum, utpote apostolicum virum, legatis, subjectionem ipsi promittunt. Imperator contra Gazmerum (631) ducem Bolanorum, rebellionem molientem, expeditionem parat, gravique infirmitate detentus, pacem pactumque eum petentem suscipiens, discessit. — Gebehardus Ratisbonensis episcopus cum Conrado duce Bajoariæ, et Adelberto marchione aliisque quibusdam episcopis et principibus Bajoariæ Heimenburg reædificant, et magnam Hungarorum copiam se invadentem prosternunt, et usque ad innumerabiles exercitus eorum præsentiam refugientem persequuntur, cunctisque Hungarorum agminibus, divinitus immisso terrore, terga vertentibus, ad castra, Deo gratias reddentes, revertuntur (632). — Ipso autumno domnus papa synodum Vercellis (633) collegit, et Hunfridum archiepiscopum, pro quadam inter Ravennatem et Romanam Ecclesiam contentione, ab officio suspendit; indeque Gallias et episcopatum suum Leucorum civitatem revisit. Quo etiam tempore Agnes imperatrix tandem imperatori filium peperit.

1051 *M. G.* Imperator Natalem Domini in Saxonia apud Goslare egit, et multos ex principibus filio suo jurejurando fidem subjectionemque promittere fecit. Nec multo post ipse et domnus papa cum multis episcopis et principibus apud Augustam Vindelicam convenientes Purificationem Dei Genitricis celebraverunt, Ravennateque archiepiscopo (634) apud papam **225** inibi reconciliato, charitative a se invicem discedentes, papa Romam revertitur, imperator Nemeti partem Quadragesimæ, paschale vero festum Coloniæ demoratur, ibique filius ejus Henricus ab archiepiscopo Herimanno baptizatur. — Post Pascha item domnus Leo papa synodum Romæ colligit, ubi inter alia Gregorium Vercellensem episcopum propter adulterium cum vidua quadam avunculi sui sponsa admissum, et perjuria perpetrata, absentem et nescientem excommunicavit. Quem tamen non multo post, Romam venientem et satisfactionem promittentem, officio priori restituit. — Per idem tempus imperator Lantpertum comitem (635) rebellare molientem ad deditionem compulit. Eadem æstate Bardo (636) venerabilis Mogontinæ sedis ex monacho archiepiscopus, omni pietate et sanctitate mirabilis, III Idus Junii ab hac luce subtractus, multis post obitum claret miraculis; pro quo imperator Luitpaldum Babinbergensem præpositum constituit. Item pro Theoderico Constantiensi episcopo

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

1050 *Dominus papa synodum Romæ post Pascha collegit, in qua hæresim Beringerianam, nuper ad apostolicam sedem delatam, damnavit* (637). *Item in autumno synodum Vercellis collegit, in qua eamdem hæresim anathematizavit* (638). *Quo tempore Agnes imperatrix filium imperatori peperit.*

1051 *Imperator Nativitatem Domini apud Goslare egit, et multos ex principibus filio suo jurejurando fidem promittere fecit. Hunfridus Ravennas archiepiscopus domino papæ apud Augustam se reconciliavit. — Post Pascha synodum Romæ collegit Leo papa, ubi Gregorium Vercellensem episcopum, propter quoddam adulterium et perjuria perpetrata, excommunicavit: quem tamen postea, Romam venientem et satisfactionem promittentem, priori officio restituit. — Eadem æstate Bardo venerabilis Moguntiæ archiepiscopus, III Idus Junias defunctus multis claret miraculis, pro quo Luitpaldus Constantiæ, Theoderico episcopo defuncto successit Rumaldus. — In autumno imperator regnum Hungariæ devastavit. — Hoc tempore Tuta, nobilis et religiosa vidua, Buochaugiensi et Lindaugiensi cœnobiis abbatissa ab imperatore præficitur.*

NOTÆ.

(630) Leo Ostiensis l. II, c. 84. Beneventanos ab excommunicatione Clementis II tunc absolutos scribit; forte brevi ob novam rebellionem eidem a Leone X innodatos.

(631) Est hic Casimirus, ex monacho Cluniacensi et diacono Poloniæ rex factus, dispensante Benedicto IX papa.

(632) Vid. Aventinus, l. V, c. 8; et Brunnerus, p. II, l. V.

(633) Vid. Lanfrancus libro De corpore et sanguine Domini c. 4.

(634) De hoc S. Leonis cum archiepiscopo Ravennate dissidio alia nonnihil scribit Wibertus in Vita, c. 7.

(635) Comitem hunc aliis indagandum relinquimus.

(636) Anonymus Vitæ scriptor (Mabill., sæc. VI Bened. p. II) III Idus Junii cum feria VI conjungit, unde et Papebrochius obitum ejus ad annum 1053 differt, ubi dies II Jun. erat feria sexta. Verum ab hoc anno 1051 recedere vix patitur tot æqualium scriptorum auctoritas.

(637) Fusius de hoc ipso argumento agit idem Bernoldus in Tractatu de multiplici Berengarii damnatione, quem inter ejus opuscula inferius producemus, ab aliis sub nomine anonymi Chiffletiani hucusque citatum.

(638) Id ipsum contra Berengarium affirmat Lanfrancus lib. De corpore et sang. Dom. c. 4.

Digitized by Google

CODEX AUGIENSIS.

x Kal. Julii, quinto præsulatus sui anno post longam ægritudinem defuncto, Rumaldum promovit. Ravennas quoque archiepiscopus Hunfridus veneno, ut : iunt, subito periit. — Sequenti autumno magno cum exercitu imperator, pactum Andreæ regis, ut per legatos offerebatur, accipere contemnens, Pannonias petiit, Gebehardoque Ratisbonense episcopo, et Welf Brezizlaoque ducibus ad septentrionalem Danubii partem depopulandam transmissis, ipse, devecto e navibus, quantum in equis poterat, sumptu, longo propter fluviorum illuvionem **226** circuitu per Carentani fines transiens, perjurumque regnum invadens, hac et illac Hungarico exercitu latrocinantium more fugitante, et nusquam æquo marte conferre manum audente, omnia circumquaque, A quoad sumptus militi suppetebant, vasta reddidit. Sed, cum laboranti jam penuria et fame exercitui Hungari jam reditum pararent intercludere, oppositisque per ripas fluminum præmunitas vadosasque padules copiis suis, omnes se vel ad deditionem cogere, vel inedia minitarentur exstinguere, milites interriti hostes, per fluvios obsistentes incunctanter transvadantes, fugant, quamdamque munitionem firmissimam, ad pontem Rabaniza fluminis structam, in qua maximam hostis fiduciam habebat, quidam ex Burgundionibus, Saxonibus et Bolanis milites, non sine sui periculo flumine transito, in brevi expugnatam capiunt, cæsis palatisque Hungaris, reliquo exercitui.....

(*Hic rescissis ultimis foliis truncatus est Augiensis codex, perinde ac descripti ex eo Einsidlensis et Augustanus; pergunt vero Gottwicensis et Murensis.*).

CODD. GOTTWICENSIS ET MURENSIS.

viam pandunt, quæ pertranseuntibus pene cunctis incensa, aliquot de postremis in magno periculo hostibus insequentibus [*suppl.* aditum] interclusit; sicque redeunte imperatore illisque quos ultra Danubium transmiserat, rebus prospere gestis jam dudum reversis, Andreas a nostro marchione Adalberto pacem postulatum mittit, eamque vicissim tribuit. Ipsis diebus, defunctis uno tempore Lindaugiense et Buchaugiense abbatissis, Tuta nobilis, prudens et religiosa vidua utrique loco recuperando ab imperatore præficitur.

1052 Imperator Natalem Domini Goslare egit, ibique quosdam hæreticos, inter alia pravi erroris B dogmata Manichæa secta omnis esum animalis **227** exsecrantes, consensu cunctorum, ne hæretica scabies latius serpens plures inficeret, in patibulis suspendi jussit. — Eodem tempore v Idus Januarii mater mea Hiltrudis, Wolfradi comitis uxor (639), admodum pia, mitis, liberalis et religiosa femina, marito septemque liberis superstitibus, devoto et felici, uti hominibus apparere poterat, exitu diem ultimum clausit, anno ætatis circiter sexagesimo primo, conjunctionis vero cum marito quadragesimo quarto, et apud villam Alleshusan sub capella S. Udalrici a se constructa in sepulcro, quod ipsa sibi præparaverat, condita est.....

(*Hic desinit parvus codex Gottwicensis, pergit adhuc Murensis.*)

CODEX MURENSIS.

Cui ut pro epitaphio hos subscribere versus libuit: Mater egenorum, spes auxiliumque suorum,

COMPENDIUM EX CODICE BERNOLDI.

1052 *Imperator Goslare Nativitatem Domini agens, quosdam ibi hæreticos Manichæos, omnis esum animalis exsecrantes, consensu omnium, ne hæretica scabies serperet in plures, in patibulo suspendi fecit.* C *— His diebus Bonifacius, Italiæ marchio ditissimus, Beatricis nobilissimæ comitissæ maritus, a duobus militibus sagittis toxicatis vulneratus moritur, et Mantuæ honorifice sepelitur. — Reliquiæ S. Zenonis confessoris, a Waltario* (640) *Veronensi episcopo in Alemanniam ad villam Ulmam allatæ, plurimis miraculis claruere* (641). *— Hoc anno* (642) *B. Eberhardus comes de Nellinburc Scafhusensem locum construere cœpit, in quo S. papa Leo nonus* x *Kal. Dec. altare in honore Dominicæ resurrectionis consecravit, et locum suis sanctis benedictionibus initiavit et confirmavit. — Andreaque, rege Hungarorum, minus minusque pro*

NOTÆ.

(639) Vid. supra ad an. 1010.

(640) Waltherus natione Germanus, a. 1036 a Conrado imp. episcopus Veronensis constitutus, S. Zenonis urbis illius olim episcopi reliquias Ulmam transtulit, uti etiam refert Ughellus (*Ital. Sac.* t. V, p. 680 et 754) indeque illum Ulma oriundum fuisse suspicatur. Cum vero Ulma tunc Augiensi cœnobio pareret, æque respectu hujus abbatiæ fieri potuit ista donatio, quippe quæ antea jam duos Veronenses episcopos benefactores habuit. De S. Zenone agit Baronius in notis ad Martyrolog. Rom. die 12 April., et Bolland. ad eamdem diem, ubi etiam de hac ipsa translatione. D

(641) In Urstisio hic desinit codex S. Georgianus minusculis litteris editus, quocum hucusque ad verbum fere convenit Bavaricus codex Bernoldi autographus; in quo tamen nulla habetur sive Hermanni finientis, sive Bernoldi incipientis nota, sed omnia continuato filo decurrunt. — Cum vero Hermannus, teste Vitæ ejus scriptore, Chronicon usque ad annum 1054 perduxerit, duos sequentes annos ex Murensi codice supplere visum est, quousque finem Hermanno imponit.

(642) Ista de Schafhusensi olim celeberrimo S. Salvatoris monasterio ipse Bernoldus, qui eidem ibi moriens codicem suum tradiderat, addidit, prouti jam ad annum 1009 observatum. Leonem vero papam hoc anno in Germania cum imperatore fuisse, ex Hermanno aliisque certum habemus.

Digitized by Google

Hoc Hiltrud tumulo debita reddit humo.
Quæ præpollentes generosa stirpe parentes
Nobilitans claris extulerat studiis,
Atque colens castam reverenter monogamiam
Vixit divinis prona ministeriis.
228 Inque bona Marthæ satagens consistere parte,
Practica quod docuit vita sequi studuit.
Veste, cibo, lingua, pede, totis nisibus ipsa
Se miseris largam præbuit atque piam.
Religione pios præ cunctis fovit amicos,
Cunctis morigeram se dedit et placidam.
Atque manens mitis, patiens ac nescia litis,
Complacuit mundo ; o ! utinam Domino.
Carnem castigans, precibus loca sancta frequentans,
Quærere cœlestem sedula suevit opem.
Crede, penegyricis non hæc me fingere vanis,
Nec matrem verbis tollere falsidicis.
Consule rumorem quaquaversum popularem
Dictaque de veris paucula, certus eris.
Hanc quoque postremo mera cum confessio crebro
Purgasset Domino dedita corde pio,
Communita fide, spe tuta, vigens pietate
Felix hanc vitam deseruit miseram,
Cum mensis Janus quintas devolveret Idus ;
Movit permultas morte sua lacrymas.
Pro qua, quæso, precor, peto, postulo, flagito, le-
[ctor,
Pulses supplicibus ut Dominum precibus,
Quatenus ipsius pietate sui miseratus
Abluat a cunctis mitis eam maculis ;
Inque beatorum felici sorte suorum
Largus ei stabilem contribuat requiem.

Sequenti tempore quadragesimali imperator Ravennatem archiepiscopum Henricum promovit, et Nitzo [*al.*, Nitherus] Frisingensis episcopus, prius ex superbissimæ vitæ habitu ad humilitatis et religionis speciem conversus, ac denuo ad pristinæ conversationis insolentiam reversus, cum eum jussu imperatoris Ravennam perduxisset, subita inibi morte periit (645). — Imperator paschale festum Nemeti egit, indeque, ut aiunt, locum illum, **229** patris matrisque suæ sepultura præditum, magis magisque parvipendens, subiratus episcopoque loci illius infensus discessit. — Iisdem diebus Bonifacius, ditissimus Italiæ marchio (644), imo tyrannus, insidiis a duobus exceptus militibus sagittisque vulneratus, et mortuus Mantuæ sepelitur. — Cum imperator circa litaniarum tempus Solodori colloquium haberet, quidam ex Burgundionibus offensi inde discedunt, sed non multo post aliqui ex illis ad gratiam ejus redeunt. Inde ipse, cum Turegi Pentecosten peregisset, in Pannonicam itidem expeditionem proficiscitur (645). — Ubi, Andreo Hungarorum rege pacis pactum parvipendente, Brezzizburch castrum imperator obsessum multis machinis oppugnavit, sed nullo modo capere potuit. Interim domnus papa Leo ab Andrea accitus, cum pro paco componenda laborasset, imperatorem ab obsidione devocavit, utpote sibi per omnia consentaneum. Sed econtra Andream, consiliis suis et versutiis seso experiens deludentem (646), illum excommunicare minatus est : et sic cum imperatore inde discessit, et aliquantulum temporis cum eo mansit. Ipsis diebus imperatrix iterum filium, qui Conradus postea vocatus est, imperatori peperit.

230 Discordia inter Gebhardum Ratisbonensem præsulem et Conradum Bajoariæ ducem mota et agitata est. Reliquiæ S. Zenonis ad Ulmam a Verona translatæ sunt, et plurimis, ut fama divulgavit, claruere miraculis. Constantiæ basilica S. Mariæ corruit.

(*Incipit hic alter codex Gottwicensis, cum Murensi per duos hosce annos conspirans, quamvis ipse hæc Bertholdo ascribat, cui etiam tribuuntur apud Urstisium, qui ab hoc anno Bertholdi, seu potius Bernoldi continuationem inchoat. Vid. anno priore, p. 127. Ita autem Bernoldus ad hunc annum :* Imperator cum domino papa... aliquandiu detinetur, *ut Mur.* Imperator Henricus habito... subjectionem promitti fecit, *ut Mur.* Hazilinus etiam Babenbergensis episcopus infamis moritur.)

EDIT. URSTISII.

pacto pacis postulando allegante et promittente, Brezisburg castrum obsedit, et variis belli machinis diu oppugnatum, Deo obsessis se anxie invocantibus opitulante, frustratis semper nisibus, nullo modo capere potuit. Interim Dominus Leo papa ab Andrea accitus, cum pro pace componenda intervenisset, imperatorem ab obsidione avocavit, eumque sibi per omnia consentaneum inveniens, sed econtra Andream consiliis minus parentem experiens, offensus, eique excommunicationem, utpote delusa sede apostolica, minitans, cum imperatore discessit, et aliquantum cum eo temporis mansit. — Ipsis diebus imperatrix filium, quem Conradum postea vocaverunt, imperatori peperit. Discordia inter Gebehardum Ratisbonensem præsulem et Conradum Bajoariæ ducem mota et agitata. Reliquiæ beati Zenonis confessoris, a Walthario Veronensi episcopo in Alemanniam ad villam Ulmam allatæ, plurimis per hæc tempora cla-

NOTÆ.

(643) Hæc longe aliter narrat Wibertus in Vita S. Leonis, l. II, cap. 4, t. II, April. Bolland ad d. 19. Vid. Pagii Critica t. IV, p. 190, et Meichelbeck Hist. Frising. t. I, p. I, p. 247.

(644) Tusciæ nimirum, secundis nuptiis an. 1036 junctus Beatrici filiæ Friderici II superioris Lotharingiæ ducis, ex qua celebrem Mathildem suscepit. *Clem.*

(645) Abhinc usque ad finem Murensis codex ab edito Urstisiano nonnihil discrepat, quem adeo hic subjungendum censuimus.

(646) Wibertus in Vita c. 8 culpam pacis haud secutæ non in Andream, sed in curiales imperatoris rejicit. Vid. uterque Pagius.

Digitized by Google

1053 Imperator cum domno Papa Natalem Domini Wormatiæ egit, ubi cum papa, sicut dudum incœperat, Fuldensem abbatiam, aliaque nonnulla loca et cœnobia, quæ S. Petro antiquitus donata feruntur, ab imperatore reposcens exegisset, demum imperator pleraque in Ultraromanis partibus ad suum jus pertinentia pro Cisalpinis quasi per concambium illi tradidit, eique contra Normannorum violentiam

EDIT. URSTISII.

ruerunt miraculis. Constantiæ basilica S. Mariæ corruit.

1053 *Imperator cum domino papa multisque episcopis et principibus Natalem Domini Wormatiæ egit, ubi cum papa... illi per concambium tradidit. Cumque idem papa de Normannorum violentiis et injuriis, qui res S. Petri se invito vi tenebant, multa conquestus esset, ad hos etiam inde propulsandos imperator ei auxilia delegavit. Ea siquidem gens a temporibus prioris Henrici imperatoris in Calabriæ, Samniæ* B *Campaniæque partes paulatim ex Gallici oris Oceani adventitia confluebat; et, quia bellicosior Italicis gentibus videbatur, primo gratanter accepta, crebro indigenis contra Græcorum et Sarracenorum incursiones audacter præliando auxiliabatur. Postea vero, pluribus eorum ad uberem terram accurrentibus, viribus adaucti, indigetes bello premere, injustum dominatum invadere, hæredibus legitimis castella, prædia, villas, domos, uxores etiam quibus libuit vi auferre, res ecclesiarum diripere, postremo divina et humana omnia, prout viribus plus poterant, jura confundere, nec jam apostolico pontifici, nec ipsi imperatori, nisi tantum verbo tenus cedere. — Ad horum igitur nefaria et inextricabilia scelera illis e partibus eliminanda, indigenasque ab eis liberandos,* C *dominus papa animum intendens, summa cum charitate ab imperatore Romam reversurus digreditur. Secuti sunt autem eum plurimi Theutonicorum, partim jussu dominorum, partim spe quæstus adducti; multi etiam scelerati et protervi, diversasque ob noxas patria pulsi. — Quos ille omnes, tum consuetæ misericordiæ nimia compassione, tum etiam quia opera eorum ad imminens videbatur bellum indigere, clementer et gratanter suscipiebat* (647). *Transiens ergo per Alemanniam, Purificationem S. Mariæ Augustæ egit, Mantuæque Quinquagesima acta, et nonnullis suorum orto inibi tumultu occisis, intra dies Quadragesimæ Romam pervenit.* Wibert. — *Ipsis diebus in Italia quidam lacus, quos Julius quondam... mortales absumpti sunt. Imperatore in Saxonia apud Merse-* D *burg commanente, cum rege Danorum Pascha egit... ducatu privavit. Quo tempore regni tam primores quam inferiores, contra imperatorem magis magisque mussitantes, jam dudum eum ab inchoatæ justitiæ, pacis, pietatis, divini timoris, multimodæque virtutis tenore, in quo de die in diem debuerat proficere, paulatim ad quæstum et incuriam quamdam deficere, multumque se ipso deteriorem fore causabantur. Altdorfense cœnobium igne consumitur* (648). *Dominus papa, habita post Pascha synodo* (649), *contra Normannos, ut proposuerat, exercitum movit; cumque illi pacem petentes subjectionem servitiumque promitterent, et quæ prius injuste sibi usurpantes invaserant, ejus beneficio gratiaque retinere se velle dicerent, idque papa abnegans vi et injuria raptas res S. Petri reposceret, eosque perperam pervaso cedere loco juberet, illi, quia numero longe præstabant, quasi rem impossibilem sibi propositam refutantes, se potius bello obviam ituros, armisque acquisitam patriam defensuros, vel morte occubituros denuntiant. Sicque* XIV *Kalend. Julii valida pugna confligentes prima acie a Theutonicis pene victi sunt; sed succenturiatis copiis ex insidiis nostros circumvenientes, Italis citius terga vertentibus, Theutonicis maxima ex parte, sed non invite, occumbentibus, occulto Dei judicio, sive quia tantum sacerdotem spiritualis potius quam pro caducis rebus carnalis pugna decebat; sive quod nefarios homines tam multos ad se, ob impunitatem scelerum vel quæstum avarum, confluentes contra itidem scelestos expugnandos secum ducebat; sive divina justitia alias, quas ipsa novit, ob causas nostros plectente, quamvis nimis cruentam, hostes adepti sunt victoriam. Ipseque dominus papa in quodam ab eis castello obsessus, cum, expugnata jam jamque munitione, necessitate coactus, communionem eis prius interdictam reddidisset, acceptus ab eis Beneventum cum honore reductus est, ibique tempore aliquanto detentus, nec redire permissus. Et hoc et superiori anno frugum penuria facta est non modica. Werinharius frater meus* (650), *Augiensis monachus, admodum doctus et religioni veræ deditus juvenis, cum alio monacho Luithario, studio vitæ perfectioris flagrans, peregrinationem clam pro Christo aggreditur, litteris remissis licentiam abbatis postulans et impetrans. Et sequenti tempore, Richardus Renaugiensis abbas, et Henricus item Augiensis monachus, hoc exemplum secuti, relictis omnibus, idem propositum aggrediuntur. Imperator Henricus magno apud Tri-*

NOTÆ.

(647) Fallor, aut infaustum hinc auspicium sequentium dein Cruciatarum contra infideles expeditionum infelici plerumque exitu repetendum est.

(648) Vid. ad an. 1036. Combustum vero cœnobium dein in collem Altorfio imminentem, ceu antiquam principum sedem fuit translatum. *P. Hess.*

(649) Vid. Labb. Concil. t. IX, p. 1240.

(650) Hinc Hermannus adhuc elucet, qui Werinharii hujus fratris sui Natalem ad. an. 1021 notavit, cui tamen supremum ejus fatum haud innotuisse videtur, cum de eo sileat: quod postea adjecit Bernoldus, quique ex eo hauserunt codices. Atque hinc Urstisiana lectio Hermanni, illa vero codicum Bernoldi esse censetur, prouti etiam in autographo Monacensi habetur, qui pro more suo fusius ab Hermanno narrata in compendium reduxit.

Digitized by Google

propulsandam auxilia delegavit. Ea siquidem gens a temporibus prioris Henrici regis (651) in partes Calabriæ, Samniæ Campaniæque confluxit; et, quia indigenis contra **231** Græcorum et Sarracenorum incursiones audacter præliando auxiliabatur, primo gratanter accipitur. Postea vero pluribus eorum ad uberem terram concurrentibus, viribus adaucti ipsos indigetes, et eorum res violenter possedere. *Leo Ost. l.* II, *c.* 84. — Unde dominus papa cum pluribus Theutonicorum Romam rediens, post Pascha contra Normannos exercitum movit. Sed, exercitu ejus partim fugato, partim occiso a Normannis, ipse papa in quodam castello ab eis obsessus, cum, expugnata jam jamque munitione, necessitate coactus communionem eis prius interdictam reddidisset, acceptus ab eis, Beneventum tamen cum honore reducitur ibique ne rediret, aliquandiu detinetur. *Otto Frising.* — Ipsis diebus quidam lacus, quos Julius Cæsar perpetuo, ut putabatur, quadro opere fertur obstruxisse, nimia aquarum inundatione effracti, Narniam flumen Tiberimque ultra modum exundare fecere, subitaque illuvione multa ædificia, ipse pons Narniensis dirutus, multique mortales **232** assumpti sunt. Imperator in Saxonia apud Meresipurch, commorante secum rege Danorum, Pascha egit, ipsisque diebus Conradum Bajoariæ ducem, cui jam prius infensus erat, incusatum, quorumdam principum judicio ducatu privavit. Quo tempore et majores et minores regni imperatorem se ipso multum deteriorem fore causabantur. Et hoc et superiori anno frugum penuria facta est non modica. **233** Werinharius Augiensis monachus admodum doctus et vere religioni deditus, studio vitæ perfectioris flagrans, peregrinando in Jerusalem pro Christo peregre profectus est, et illic etiam in agro Achel- A demach [Haceldama] obiens feliciter sepelitur. Cujus exemplum plures tandem secuti — sunt. Imperator Henricus, habito apud Triburiam conventu, filium suum æquivocum regem a cunctis eligi, eique post obitum suum, si rector justus futurus esset, subjectionem promitti fecit. Illuc Conradus dudum Bajoariæ dux dum non venisset, et Hungaris se adjungere tentasset, quibusdam **234** suis possessionibus ab imperatore privatus est. Ibi etiam legati Andreæ regis Hungarorum, qui pro pace componenda advenerunt, [re] composita ab imperatore remissi sunt. Hacilinus Babinbergensis episcopus infamis moriens locum dedit (652).

1054 Imperator vero in Bajoariam veniens, ducatum ejus provinciæ filio suo æquivoco tradidit. B Sicque, in eadem commorans provincia, Natalem Domini in villa Ottinga egit, ibique Babenbergensem episcopatum Adalberoni consobrino suo (653) donavit, et sic, per Alemanniam transiens, Turegi Quadragesimam inchoavit. Moguntiæ autem Pascha celebravit, ubi Theobaldus Odonis filius, ad eum de Galliis adveniens, miles ejus efficitur. — Dominus papa tandem instante paschali tempore Romam reversus ægrotans, **235** invalescente in dies languore, glorioso exitu, cunctis prius benedicens et admonitis valedicens, et S. Petro peccata sua confessus, et devotissime se illi commendans, XVI Kal. Maii obiit, et in basilica S. Petri juxta S. Gregorii sepulcrum sepultus miraculis claruisse memoratur.—Gotifridus dux iterum rebellare imperatori molitur, et, clam C Italiam ingrediens, ibique dominam Beatricem (654), viduam post mortem viri sui marchionis Bonifacii, sibi in conjugium copulavit. Balduinus imperatori rebellat.

HUCUSQUE CHRONICA HERMANNI. ABHINC BERCHTOLDUS (655).

EDIT. URSTISII.

buriam conventu habito, filium æquivocum a cunctis eligi eique post obitum suum, si rector justus futurus esset, subjectionem promitti fecit. Ad quem conventum cum Conradus dudum Bajoariæ dux venire nolens, cum expeditis militibus regi rebellare moliens, Hungaris se jungere tentasset, quibusdam inibi, quæ prius habuerat, possessionibus suis ab imperatore privatus est, eas quasi legaliter acquirente. Ibi etiam D *legati Andreæ regis Hungarorum pro pace pactoque, cum, suffraganie Ratisbonense episcopo immensam pecuniam, suæque provinciæ partem, et ad expeditiones omnes, præter Italicam, suos ituros promitterent, imperator ea se accepturum fide data spondens eos remisit. Hadamuta (656) de Nuinburgo abbatissa venerabilis, quæ locum suum prius pene dilapsum, intra et extra laudabiliter recuperatum in optimum deduxerat statum, aliam pro se designans, et sororibus pie admonitis ultimum valedicens,* IV *Kal. Nov. feliciter, o utinam! decessit. Hazelinus etiam, Babinbergensis episcopus infamis, moriens locum dedit.*

1054 *Per idem tempus Conradus dudum dux, ab Andrea rege Hungarorum gratanter susceptus, ei, ne allegatum cum imperatore fœdus perficeret dissuasit, et auxilio ejus quamdam Carentani partem, quorum-*

NOTÆ

(654) Secundi videlicet. Vid. an. 1022.

(652) Hæc gratis de præsule alias haud infimæ laudis asserta videntur.

(653) Mathildis scilicet filio, quæ matris Henrici Giselæ soror erat, nupta Conrado Carinthiæ duci.

(654) De hac Beatrice vid. mox an. 1052.

(655) Hoc modo Chronicon Hermanni claudunt Murensis et Engelbergensis codices, qui soli ex reliquis illud ad finem usque perduxere, nempe ad an. 1054 quo obiit Hermannus die 24 Sept., et a quo dein prosequitur ejus continuator, Bertholdus ipsius discipulus.

(656) Bruschio Hademodis dicitur, quarta abbatissa parthenonis Neoburgensis prope Ingolstadium, circa an. 1007, a S. Henrico imp. exstructi.

Digitized by Google

dam etiam primatum, qui eam possidebant, machinationis, aliis expulsis primoribus, invasam cepit. Imperator vero in Bajoariam veniens, ducatum ejusdem provinciæ filio suo æquivoco tradidit. Sicque in eadem commorans provincia Natalem Domini in villa Ottinga egit, ibique Babinbergensis Ecclesiæ præsulatum consobrino suo Adalberoni donavit. — Deinde, habito Ratisbonæ colloquio, per Alemanniam transiens, et furibus infestus, nonnulla eorum conventicula exuri jubens, Turegi Quadragesimam inchoavit, et, per ripales Rheni urbes paulatim descendens, Moguntiæ paschale festum celebravit, ubi Theodbaldus filius Ottonis, ad eum de Galliis veniens, et miles ejus effectus, A *auxilium suum illi pollicitus est. — Dominus papa, cum apud Beneventum, divino intentus servitio diu demoratus, tandem instante paschali tempore Romam ægrotans reversus esset, invalescente in dies languore, glorioso exitu, cunctis prius benedicens et admonitis valedicens, sanctoque Petro peccata sua confessus, et devote se illi commendans,* XVI *Kalend. Maias obiit, et in basilica S. Petri juxta sepulcrum S. Papæ Gregorii sepultus, miraculis claruisse memoratur. — Gotefridus iterum contra imperatorem tyrannidem invasit, Italiamque latenter adiens, Beatricem Bonifacii quondam marchionis viduam uxorem accepit.*

FINIT HERMANNUS URSTISII.

CHRONICI HERMANNI

CONTINUATIO

AB ANNO MLIV USQUE MLXVI

Una cum ejus Vita scripta a Bertholdo ejus discipulo (656*).

(Ex mss. codicibus Murensi, Engelbergensi et Gottwicensi collatis cum Urstisio.)

236-251 MONITUM.

Unde hanc continuationem hauserit, haud equidem indicat Urstisius, haud dubium tamen quin ex prioribus editionibus. Certe non habetur in autographo Bernoldi codice, quocum hucusque San-Georgianus ex asse conspiraverat. Nostri vero codices eamdem separatim non exhibent, sed cum altera dicti Bernoldi ita commistam, ut tamen quæ primi, quæ secundi continuatoris sint, ex ipsa narrationis serie liqueat. Præmittimus igitur textum Urstisii, codicibus more hucusque solito subnotatis. Cæterum de Bertholdo ejus auctore diximus in dissertatione ad Hermannum.

EDITIO URSTISII.

1054 Herimannus (657), Wolferadi comitis filius, B ab infantia omnibus membris contractus, sed omnes tunc temporis viros sapientia et virtutibus præcellens, in Aleshusan prædio suo defunctus (658) ac sepultus est. — Werinherus (659) et Liutherus in Hierosolymitano itinere defuncti sunt. — Conventus ab imperatore Moguntiæ factus, in quo Gebehardus Eistetensium **252** episcopus ab episcopis electus, Romamque missus, ibique honorifice susceptus, in sequenti Quadragesima (660) in Cœna Domini CLIV papa ordinatus, Victoris secundi nomen accepit.

CODICES.

1054 *Conventus ab. . . Gebehartus Aureatensis episcopus. . . nomen accepit.*

NOTÆ.

(656*) Hanc Vitam dedimus supra in proœmiis ad Hermannum.

(657) Hoc elogio destituuntur codices, qui integram ejus Vitam sistunt; nec etiam habetur in Bernoldi codice, qui Chronicon continuato filo usque ad an. 1100 perduxit, quin ullam Hermanni mentionem faciat. In Chron. S. Blasii ad h. a. legitur : *Hermannus Contractus, homo Dei,* VIII *Kal. Octob. feliciter exspiravit.*

(658) Ibi quidem sepultus, at in Augia defunctus est.

(659) Hic frater erat Hermanni Contracti. Vid. supra ad an. 1053.

(660) Causam tandiu dilatæ ordinationis exponit anonymus Hasenriedanus in ejus Vita apud Gretserum, opp. t. X, p. 847 seqq. Gebehardus autem C *patre Hartwigo, matre vero Biliza natus, Suevia oriundus exstitit, et etiam regalem, ut ipse Heinricus imp. fatebatur, prosapiam ex parte attigit.* Frater scilicet erat Adalberti II comitis de Calwa, de quo plurib s infra in Bernoldo ad an. 1093 et 1099.

Digitized by Google

1055 Imperator Natalem Domini Goslare celebravit, ac deinde expeditionem in Italiam paravit, et diem sanctum Paschæ Mantuæ egit, diem autem Pentecostes Florentiæ, ibique coram eo, a domino papa generali synodo habita, multa correcta sunt (661). — Imperator Adalbertum capitali sententiæ adjudicatum per interventum episcoporum dimisit (662). — Eodem tempore quinquaginta aut eo amplius armati milites a Nortmannia latenter per mare transeuntes, Nortmannis contra imperatorem auxilium præbere cupientes, a Picentibus civibus capti atque ad imperatorem delati.—Imperator Othonem Novariensem episcopum Constantinopolim misit, ubi pro Michaele nuper defuncto quamdam feminam (663) totius regni monarchiam tenentem invenit, quæ illum sequenti anno, suis etiam legatis adjunctis, amicitiam pactumque confirmandum imperatori remisit. — Beatrix (664) imperatori ad deditionem veniens causa mariti sui, quanquam data fide, tenetur, filiusque ejus puer Bonifacius (665) hac causa venire veretur. Sed non multis interpositis diebus, cum imperator ibidem moraretur, idem puer moritur. — **253** Gebehardus Ratisbonensis episcopus, et Welfus dux, licentiam repatriandi ab Italia impetraverant, militesque eorum illis, ut aiunt, ignorantibus contra imperatorem conjuraverunt. Quo tempore Welfus dux, suis et omni populo admodum flebili morte præventus, apud Altorfense cœnobium sepultus est (666). — Arnoltus episcopus Nemetensis moritur.

1056 Imperator de Italia per Bajoariam rediens, Natalem Domini apud castrum Turegum celebravit, ibique Ottonis marchionis (667) filiam æquivoco suo filio desponsavit. — Gebehardus Ratisbonensis episcopus, ab imperatore de conjuratione contra se facta victus, primum in castro Ulflingino (668) dein in Stofola (669) per aliquod tempus sub custodia tenetur. — Conradus ab imperatore Nemeti pro Arnolto episcopo substituitur. — Herimannus Agrippinæ urbis archiepiscopus obiit, pro quo Hanno Goslare prius præpositus in archipræsulatum successit. — Imperator diem sanctum Paschæ (670) celebravit. — **254** Eodem anno Sclavi, qui et Liutici dicuntur, terminos Saxonum insectantes, quamplurimos eorum principes cum Wilhelmo marchione (671) peremerunt. Henricus imperator domino Apostolico ad se tempore autumnali invitato, cum in Saxonia in Bothfeldino (672) commoraretur, morbo ingravescente infirmatus obiit anno ætatis suæ XXXIX, regni vero XVIII, imperii XV (673), indictione decima. Qui inde asportatus, Nemetumque translatus, in ecclesia sanctæ Mariæ, quam ipse construxerat, adhuc imperfecta, juxta patrem matremque sepultus est; et filius ejus Henricus quartus, septimum ætatis annum habens, pro eo regni jura suscipiens, a primoribus matri imperatrici educandus est commendatus.

1057 Henricus rex Natalem Domini Ratisbonæ celebravit. — VII Kal. Maias immensitas nivis et pruinæ magnam partem vinearum perdidit. — Romæ

CODICES.

1055 *Imperator Natalem. . . correcta sunt. — Imperator Adalbertum. . . dimisit. — Imperator Ottonem remisit. — Beatrix. . . puer moritur. — Gebehardus. . . morte præventus, et voto sanctæ monachicæ vitæ Deo revera se initiando dedicatus, apud Altorfense cœnobium sepultus est. — Arnold episcopus Nemetensis moritur, et Conradus ei successit.*

1056 *Imperator de Italia rediens Natalem Domini Turegi celebravit. . . desponsavit. — Gebehardus. . victus per aliquod tempus in custodia tenebatur. — Imperator diem. . . celebravit.*

1057 *Henricus rex. . . celebravit. — Otto dux. . . accepit. — Hoc anno lapides. . . de cœlo ceciderunt.*

NOTÆ.

(661) Concilii hujus meminit Petrus Damiani l. IV, epist. 12, et Lanfrancus lib. de Corp. et Sang. Dom., c. 4, unde inter alia de hæresi Berengarii, Simonia et alienatione bonorum ecclesiasticorum ibi actum colligitur. Labb. Concil. t. X, p. 1079.

(662) Quis fuerit hic Adalbertus, scriptores haud prodiunt.

(663) Non Zoe erat, ut habet Gottwicensis, jam anno priore defuncta, sed ejus soror Theodora, quæ anno sequente mortua Michaelem Stratioticum non antecessorem, sed successorem habuit.

(664) Vid. de hoc fusius Lambertus ad h. a.

(665) Aliis etiam Friderjcus dicitur.

(666) Vid. P. Hess, Monum. Guelf., p. 16, ex Anon. Weingart. Est is Welfo II Carentani antea dux, in Weingartensi monasterio sepultus. Vid. infra in Bernoldi Chron. ad h. a.

(667) Juxta Urspergensem Bertha fuit, Ottonis marchionis Italici et Adelheidæ Taurinensis comitissæ filia, quam dein an. 1066 uxorem duxit Henricus. Vid. infra t. II, in Bernoldo ad an. 1092.

(668) Id de Wilfelinga arce prope Danubium intelligit Calles Annal. Germ. eccl. t. V, p. 595; at certum est id in castro Wulflingen in Durgaugia, seu Thurgovia, infra Vitodurum factum esse, quod uxorio nomine ex conjugio cum Adelheide Luithonis de Wulvelingen filia pervenit ad Rodolfum comitem de Achalm ex monasterii Zwifaltensis fundatoribus. Vid. Ortlieb de fundat. monast. Zwifalt. apud P. Hess Prodr. Monum. Guelf., p. 169 et 177. Et Leu Lex. Helvet., p. XIX, p. 601; Conf. Crus. Annal. p. II, l. VI, c. 12.

(669) Duplex hujus nominis arx in Hegovia in confiniis montis Duellii, Stofelen dicta.

(670) Scriptores quandoque locorum, ubi reges festa celebrabant, ignari, spatium vacuum reliquerunt. Hic ex Lamberto *Padelbrunna* supplenda est.

(671) De hoc Wilhelmo aquilonari marchione plura habet Annalista Saxo ad h. a.

(672) Locus is est inter Quedlinburg et Halberstad medio itinere situm in pago Harthega. Vid. Chron. Gottwic. p. 461.

(673) Codices melius *imperii* X. Obiit ex Annal. Sax. III Non. Oct., et 28 ejusdem juxta Lambertum Spiræ sepultus.

Digitized by Google

Victor II decessit; in cujus locum Fridericus, frater Godefridi (674) ducis, dudum beati Leonis papæ archidiaconus (675), tunc autem temporis monasterii S. Benedicti abbas, CLV papa ordinatus, Stephanus nonus est nominatus. — Otto dux Alemannorum obiit, cujus ducatum Rudolfus (676) accepit. — Hoc anno lapides miræ magnitudinis, misti grandine, de cœlo ceciderunt, et nonnulli hominum fulmine perierunt.

1058 Romæ Stephanus papa obiit. Romani autem, accepta pecunia, quemdam Joannem (677) contra canones elegerunt, qui sine consecratione **255** per aliquot dies sedens, a Godefrido duce expellitur, atque Florentinæ civitatis episcopus, CLVI papa constitutus, Nicolaus secundus est vocatus (678). Eodem tempore Henricus Augustanus episcopus apud imperatricem summum consilii locum habuit; quod nonnullis regni principibus, ejus insolentiam non ferentibus, multum displicuit.

1059 Hoc anno, magna mortalitas hominum et pestis pecorum facta est. Orto inter Mediolanenses et Ticinenses bello, multi ex utraque parte ceciderunt. Rodolfus Alemannorum dux Mathildam, Henrici regis sororem, duxit uxorem. — Fuldis Eberhardus abbas decessit, cui Sigefridus successit (679). — Andreas Pannoniæ rex, cum prius pacem pactumque per legatos cum Henrico rege confirmasset, etiam sororem ejus minorem (680) filio suo adhuc puero (681) sponsam obtinuit.

1060 Henricus Galliarum rex obiit, et filius ejus adhuc puer (682) regnum cum matre gubernandum suscepit. — Lupaldus Moguntiensis archiepiscopus decessit (683); cui Sigefridus Fuldis abbas successit. — Conradus Nemetensis episcopus moritur, in cujus locum Einhardus promovetur. Mathilda soror regis obiit (684). — Henricus palatinus (685) comes in amentiam versus, cum sub specie religionis quasi sæculum derelinquens in monasterium Ephtirnacha se contulisset, inde abstractus conjugem suam occidit.

256 Et hoc anno, sicut in priori, mortalitas multos exstinxit. Hiems satis dura et nivosa et plus solito prolixa, frumenti vinique maximum attulit damnum. Andreas rex Pannoniarum, cum a fratre suo regnum sibi circumquaque vastante multas injurias perpessus, fuisset, tandem febre pulsatus omnes thesauros suos in castrum Medilhecka (686), nec non et filium suum Henrico regi per Tiedbaldum comitem transmisit (687).

1061 Magna fames multos consumpsit. — Gebehardus (688) Ratisbonensis episcopus obiit, cui Otto successit. — Conradus (689), qui Carentanis solo nomine ducis præfuit, moriens locum dedit; cujus ducatum Bertholdus (690) Suevigena accepit. — Romæ Nicolao papa defuncto, Romani coronam et alia munera Henrico regi transmiserunt eumque pro eligendo summo pontifice interpellaverunt. Qui, ad se convocatis omnibus Italiæ episcopis generalique conventu Basilicæ habito, eadem imposita corona patricius Romanorum appellatus est. Deinde cum communi consilio omnium Parmensem episcopum summum Romanæ Ecclesiæ elegit pontificem (691). Interim dum hæc aguntur, Anshelmus episcopus de Luca, quibusdam Romanis faventibus, apostolicam sedem sibi usurpavit. — Burkardus et Wezil de Zolorin occiduntur. Ecclesia Nemetensis

CODICES.

1060 *Henricus rex Galliarum obiit, et filius ejus Philippus... suscepit. Lupaldus Moguntinus... successit. Et hoc anno... multos exstinxit. Henricus palatinus... occidit.*

1061 *Magna fames multos occidit. Gebehardus... successit. Conradus... moritur... comes Suevigena suscepit.*

NOTÆ.

(674) Barbati scilicet, Lotharingiæ ducis, mariti Beatricis.

(675) Aliis archicapellanus et cancellarius. Vid. Leo Ostiens. l. II, c. 96 seqq.

(676) Comes de Rheinfelden, qui Mathildem sororem Henrici IV sibi desponsaverat, dein ejus in imperio æmulus. Vid. Annalista Saxo ad h. a.

(677) Joannes Velitrensis episcopus sub nomine Benedicti X; de quo B. Petrus Damiani t. I Opp., l. III, epist. IV, et Leo Ostiens. l. III, c. 13.

(678) Vid. Leo Ostiensis Chron. Cassin. l. III, c. 13; et Lambertus ad an. 1059.

(679) Lambertus ad annum priorem.

(680) Juditham scilicet, seu Sophiam.

(681) Salomoni.

(682) Philippus I, tunc octo annorum.

(683) Juxta Lambertum obiit VII Idus Dec., anno priore.

(684) Uxor nempe Rodolfi ducis.

(685) Scilicet Rheni, *furiosus* vel monachus dictus, qui jam anno 1057 Gorziense monasterium ingressus, ac post triennium inde recedens, conjugem suam Mathildem seu Adelhaidem Gothelonis I Lotharingiæ ducis filiam interemit; unde in Epternacense cœnobium retrusus an. 1061 contabuit. Lambert. ad an. 1057 Clement. t. III, p. 319. Alii hunc perperam cum filio Henrico Lacensi hucusque confuderunt.

(686) Fuit hoc Medlicense castrum in Austria, hodie monasterium Mellicense.

(687) Lambertus cum aliis hoc ad annum sequentem refert.

(688) Hic Conradi II imp. frater anno jam priore decessit.

(689) Lambertus ad an. 1057 Cunonem vocat, et fratrem Henrici palatini, de quo anno præcedente.

(690) Erat is Bertholdus de Zuringen.

(691) De hac electione vid. anonymus Zwetlensis apud Pez Anecd. t. I, f. III, p. 384, et Petrus Damiani t. III, opusc. IV, p. 25; Pagius, aliique. Cæterum iniquior est Bertholdus in Alexandrum II quem usurpatorem appellat; quo vel solo se a Bernoldo satis distinguit, aliter sentiente. Vid. dissertatio prævia.

Digitized by Google

dedicatur, et Agnes imperatrix, depositis regalibus vestimentis, sacro velamine circumdata (692).

257 1062 Sexto Idus Februarii terræmotus, fulgura et tonitrua facta sunt; pestilentia et mortalitas subsecuta multos exstinxit. Henricus rex apud Trajectum Frisiæ urbem diem Paschæ cum matre imperatrice (693) egit. — His diebus Hanno Agrippinæ Coloniæ archiepiscopus, adnitentibus quibusdam regni principibus, Henricum regem cum lancea et aliis imperii insignibus a matre imperatrice vi abripuit, secumque Coloniam adduxit (694). — Parmensis episcopus, dudum electus, Romam consecrandus adiit; cui cum Romani armati occurrerent ingressumque prohiberent, multitudo illorum a militibus ejus occiduntur et in Tiberi submerguntur, cæteri fugantur (695).

1063 Tempore veris, medio mense Aprili, per quatuor dies hiems sæva, ventosa et nivosa, aves et pecora frigore exstinxit, arborum et vinearum maximam quoque partem perdidit. — Engilhardus episcopus de Magdiburg obiit, cui frater (696) Coloniensis archiepiscopi successit. — Henricus Augustensis episcopus obiit (697), cui Imbricus successit. — Eodem anno quædam mulier juxta Constantiam infantem, duo capita, nec non et cætera membra ad usque clunes duplicia habentem, peperit.

1064 Henricus rex Natalem Domini Coloniæ celebravit, diem Paschæ autem Leodii Synodus Mantuæ (698).

1065 Henricus rex Natalem Domini Goslare, diem autem Paschæ Wormatiæ celebravit.— **258** Domus regalis Goslari concremata est (699): quod et factum est VI Kal. Aprilis, indictione tertia, et ibidem accinctus est Henricus gladio, anno regni sui nono, ætatis autem suæ decimo quarto, et dux Godefridus scutarius ejus eligebatur. — Pataviensis episcopus obiit, cui Altmannus imperatricis capellanus successit. Hoc tempore Sigifridus Moguntiacensis archiepiscopus (700), Wilhelmus Trajectensis episcopus, et Guntharius Babinbergensis episcopus, Otto Ratisbonensis episcopus, cum magno apparatu et comitatu Hierusalem proficiscentes, in eo itinere a paganis multa sunt perpessi; nam et bellum cum eis inire sunt coacti. In eadem via Guntharius obiit, cui Ricimannus (701) Simoniace successit. Multi nobiles civili bello perierunt.

1066 Henricus rex Natalem Domini Goslare, Pascha autem apud Trajectum egit. — Eberhardus Trevirensis archiepiscopus, XVII Kal. Maii Sabbato sancto Paschæ, completis a se ipsius dici officiis, ipsis sacerdotalibus vestimentis indutus, requievit in pace. Cui Conradus Coloniensis præpositus, electus a rege, succedere debuit; sed a clero et civibus Trevirensibus refutatus est. Unde quidam comes de militia Trevirensi, nomine Theodoricus, eumdem Conradum Trevirim tendentem comprehendit, et diu sub custodia maceratum quatuor militibus enecandum commisit. Qui dum cum ter per quaddam præcipitium dejecissent, et nihil sibi nisi brachium collidere possent, unus ex illis pœnitentia ductus, ab eo veniam impetravit. Alius autem volens eum decollare, maxillam ejus tantum abscidit. Et sic ipse Deo dignus martyr ad Dominum migravit Kalendis Junii, sepultus ad abbatiam quamdam Doleiam. Tres autem milites mortis illius auctores digna ultio postmodum subsecuta est; nam unus eorum acceptum cibum deglutire non valens, alii duo manus suas lacerantes ad claustra inferni descenderunt.

CODICES.

1062 VI *Idus Februarii... exstinxit, et fames magna facta est. Henricus rex... egit. His diebus Hanno... Coloniam adduxit.*

1063 *Eodem anno quædam mulier... peperit.*

1064 Ut Urstisius.

1065 *Henricus rex... Wormatiæ egit. Domus... concremata est. Pataviensis... successit. Hoc tempore Sigifridus... Simoniace successit. Multi... perierunt.*

1066 *Henricus rex... egit.*

NOTÆ.

(692) Id serius contigisse liquet ex Lamberto ad an. 1062, et Annalista Sax. ad an. 1063. Vid. Mabill. Annal. l. LXI, n. 101 seqq.

(693) Ergo necdum anno priore velata.

(694) Hoc pluribus describit Lambertus ad h. a.

(695) Vid. Lambertus ad annum 1064.

(696) Aliis Wezilo seu Wernherus dicitur.

(697) Hunc annum obitus pariter assignant Necrologium Fuld., et Chron. August. ad mensem Septembrem; Lambertus vero ad annum seq.

(698) De hac synodo controvertuntur scriptores, dum alii eam cum Baronio ad hunc annum referunt, alii cum Pagio ad an. 1067, alii denique cum Mansio (*Suppl. Concil.* t. I) primum ad an. 1072 consignant. Horum rationes in Compendio exhibet Calles Annal. Eccl. Germ. t. V, p. 566 seq.; ubi magis in sententiam Pagii illam ad an. 1067 statuentis propendet. Ast non video quomodo ejus mentio fieri potuerit in hac continuatione, jam anno 1066, adeoque antequam celebrata fuerit ista synodus, absoluta, nisi ipsum aliunde hic interpolatum dicere velimus. Constaret sic ratio, cur Bertholdus continuationis hujus scriptor ad an. 1061 Alexandrum tanquam usurpatorem habuerit, qui primum altero, postquam ipse scribere desierat, anno 1067, ceu legitimus pontifex in dicta synodo agnitus est.

(699) In hoc Urstisii loco una alterave linea sive in Ms., sive ab editore omissa. Recte vero legitur infra in Bernoldo ad hunc annum.

(700) Fusius hæc habet Lambertus ad h. a.

(701) Lamberto et aliis Hermannus dicitur.

Digitized by Google

CHRONICON

SEU ANNALES

MONASTERII PETERSHUSANI

EX MS. COD. SÆC. XII EJUSDEM IMPERIALIS CŒNOBII NUNC PRIMO EDITUM.

(Ussermann, *Germaniæ sacræ Prodromus*, tom. I, part. II.)

PRÆFATIO.

Hermanni ex Augiensi codice desumpto Chronico aliud hic subjicimus eidem vicini monasterii, Petershausen, vulgo dicti, extra muros Constantienses ad Rhenum. Particulare id equidem est, locique illius originem ac priora fata potissimum sistit, ut tamen plura etiam contineat, unde patria medii ævi historia quantum ad nobiles Bodamici tractus familias, geographiam et Alemanniæ pagorum notitiam illustrari plurimum valeat. In quo etiam argumento versatur Codex Diplomaticus Alemanniæ et Burgundiæ Trans-Juranæ intra fines diœcesis Constantiensis, quem ceu prodromum historiæ ejusdem episcopatus prelo jamjam subjecit sodalis noster P. Trudpertus Neugart.

Dignum adeo censemus hoc Chronicon quod in publicam lucem protrahatur, cujus hactenus nonnisi excerpta quædam S. Gebehardum fundatorem concernentia in Manlii Chronico episcopatus Constantiensis apud Pistorium (*Scrip. Rer. Germ.* t. III, p. 685) prostant. Habetur in ms. codice membranaceo in fol., pluribus vero lituris hinc inde respersum, quod collectioni nostræ inserendum gratiose nobiscum communicavit dignissimus istius cœnobii abbas Josephus, cui proin grates hic publico nomine rependimus. Occurrunt quidem in eo levioris subin momenti narrationes, quæ sæculi quo scriptum est et scriptoris genium produnt, quarumve notitia haud interest publico. Quin vero illa omitti queant nil sane impedit, cum id unice agatur ut ne quid lateat quod patriæ historiæ quoquo modo inservire possit. Nobis certe, qui ab aliquot jam annis in adornanda Germania sacra communem conferimus operam, huneque in finem delitescentia hactenus monumenta undique conquirimus, visum satis haud est si illa duntaxat in sacros usus nostros convertamus, nisi eadem aliis quoque sisteremus unde etiam profanæ historiæ lux quædam affundi queat.

262 Porro Chronici istius scriptor nomen suum nullibi, se tamen cœnobii illius monachum circa medium sæc. XII prodit. Sic l. IV, c. 12, circa an. 1126 aliquandiu in cella Wagenhausen demoratus est. Ibidem n. 3 Petershusii præsens erat, dum an. 1134 corpus S. Gebehardi levatum erat, cui etiam sanitatem suam in acceptis retulit. Demum n. 16 expeditionem Conradi regis in Saracenos an. 1147 motam describens, eos *adhuc* minime rediisse testatur, qui ex suo loco illuc profecti sunt. Ex variis tamen circumstantiis suo loco notandis videbimus Chronicon hoc non ab uno tantum, sed a pluribus scriptoribus fuisse compilatum, uti jam alias de hujusmodi chronicis observavimus.

Primus vero horum annalium scriptor eos non ex aliorum duntaxat relatione, unde plures plerumque fabulæ emergere solent, sed ex authenticis ut plurimum tabulis, chartis aliisque coævis monasterii illius documentis conscripsit, uti ex aliorum scriptorum collatione liquet, qui inde etiam haud modicam quandoque lucem accipiunt. Ut autem, quod res est, dicamus, fidem Chronici nostri haud parum suspectam reddunt quæ initio ejus habentur de Brigantinorum comitum origine, nullo antiquorum scriptorum testimonio fulta, ac insuper in nonnullis historicæ illorum temporum rationi contraria. Quæ ipsa etiam causa est quod Wilh. Ern. Tenzelius in Vindiciis historicis pro Conringii censura in diploma cœnobii Lindaviensis, p. 270, postquam ex Manlio ea retulisset quæ infra in Chronico l. I, n. 2, 3 et 4, de hac genealogia leguntur, hæc demum subjunxerit: « Totum locum recitare operæ pretium fuit, ut lector facilius de fabulosa comitum Brigantinorum origine ibi descripta judicare queat. » Cujus quidem rigidæ censuræ rationes sequentes allegat. 1. « Quis ferat fabulantem, Galliæ Togatæ Francorum imperatorum tempore peculiarem regem fuisse? » Atqui si de vera *Gallia Togata* seu *Italia* sermo sit, certe ex Hermanni testimonio ad an. 888 multi ibidem reguli Carolo Crasso mortuo emerserunt; si vero *Galliæ Togatæ* nomine **263** scriptori nostro *Gallia Belgica*

Digitized by Google

vel *Celtica* veniat, uti postea dicemus, Carolus Calvus ibi sub imperatoribus Francis Lothario I et Ludovico II regnum obtinebat. 2. Quærit « Quomodo ex aliis genuinis scriptoribus probari potest quemquam Francorum imperatorum filiam suam in matrimonium dedisse nobili cuidam ex Gallia Togata? » Pauca legerit Tenzelius; id enim quod ignoravit, non ex genuinis modo scriptoribus, sed et authenticis quoque instrumentis infra probabimus. 3. objicit : « Nonne ex tot chartis scriptoribusque constat Potamum tam præcedentium imperatorum Francorum quam Caroli Crassi tempore palatium regium fuisse? Quomodo igitur ab aliquo Francorum imperatorum donari potuit comiti Brigantino? » Hic ipse sibi respondeat Tenzelius (*l. c.*, p. 271) ita scribens : « Neque enim illis temporibus novum insolensque duxerunt imperatores, curtes quoque regales... comitibus bene meritis elargiri. » Si id igitur Caroli Crassi temporibus nec *norum* nec *insolens* erat, ergo jam antea factum fuerit necesse est, ut curtis regalis, qualis erat Potamum, non dico comiti bene merenti, sed proprio suo nepoti Udalrico in proprium concederet Ludovicus Germanicus, Caroli Crassi pater. Qua tamen donatione non obstante, Potamum eo modo curtis regia permanere potuit, ubi regio nomine jus diceretur, quo Lustenowa seu Lustinava pariter curtis regalis, de qua ita scribit Tenzelius (*l. c.*, p. 272) : « Ut Arnolfus imperator curtem Lustenowa Udalrico comiti de Linzegewe (juxta chartam an. 891 apud Herrgott) in jus proprietatis dedit, ita non intercedo quominus comiti Brigantino curtem Lintowa vel Arnolfus vel alius donasse dicatur. Imo non repugnaverim si quis hunc Udalricum comitem velit esse eumdem quem chronicon Petershusianum Brigantio aliisque locis remuneratum sistit (l. 1, n. 3), modo ea demantur quæ et fabulis propiora sunt, et notorie, ut Potamum, ad imperii fiscum diutius pertinuere, vel aliis comitibus, ut Buchorn, inservierunt. » Demum ita concludit : « Saltem Chronicon istud Petershusanum recentioris commatis esse vel illud prodit, quod *ruinas habitationis antiquæ* **264** memorat, quam incoluerit Uzo pater Gebhardi fundatoris Petershusani (l. 1, n. 5). » Scripsit sane, ut vidimus, Chronici auctor duobus fere post Uzonem sæculis, ubi jam in rudera consederat vetus arx Brigantina, anno 948 ab Hermanno duce capta et destructa. Verum ex iisdem fontibus haurire potuit Gebhardi progeniem, unde et ejusdem gesta tam fideliter descripsit. Neque enim sincero alias scriptori omnis ideo fides deneganda est in illis quæ de temporibus a se remotioribus narrat, maxime si et aliorum testimonia ei suffragentur, etsi in nonnullis factorum circumstantiis aberret. Æquiorem tamen se postea (p. 275) horum annalium judicem præbet Tenzelius, « quos licet, scribens, antea comitum (Brigantinorum) originem fabulis coinquinasse ostenderimus (asseruit, non probavit,) non improbamus tamen, quæ habent de parente Gebhardi fundatoris (Uzone seu Udalrico,) quippe ut cœnobii Petershusani initiis propiora, ita procul dubio studiosius sinceriusque adservata. Novimusque ex ipsis Brigantinorum assertis... eos a Gebehardi II Constantiensium episcopi genitore, ex præclarissimo Alemannorum genere procreato, tanquam radice totam comitum suorum progeniem derivare. » Quod si largiente Tenzelio ea in his annalibus sinceriora sunt quæ propius tempora S. Gebhardi respiciunt, ergo pariter genuina censeri debent quæ ibidem de episcopi illius cognatione cum Hedwige ducissa, Burchardi II Alemanniæ ducis conjuge, habentur. Hæc vero nec ipse Tenzelius explicare poterit, nisi illud horumce annalium systema genealogicum infra § 14 a nobis propositum admiserit; quod igitur haud adeo fabulosum est, ut huic scriptori videtur.

Mitius nonnihil de Chronico nostro sentiunt Bollandiani agiographi, qui, in commentario prævio ad Vitam S. Gebhardi (t. VI Augusti, p. 106), ita pronuntiant : « Chronicon Constantiense (Manlii scilicet, qui, ut supra diximus, nobilissimam hanc progeniem ex his Petri-Domus annalibus decerpsit) egregie meruit de præclarissimo viri stemmate, modo tam vera sint quam splendida quæ refert. Sed **265** ætas istius auctoris tam recens in comparatione tam antiqui stemmatis quod refert, parum habet auctoritatis. » Sed advertere debuissent eruditi socii non Manlii esse hanc genealogiam, qui sæculo XVI Chronicon scripsit, sed Annalium Petershusianorum sæc. XII. Quod dein addunt : « Nec imperatoris, nec sororis ejus, nec regis interempti nomen exprimit, » recte monent, cum et nos ea ibidem desideremus, quæ vero inferius investigabimus, unde patebit illos recte subjunxisse : « Si tamen ad tempus attendas, videtur respicere ad familiam Caroli Magni, vel aliorum qui e natione Francorum sæculo nono imperium Occidentis tenuerunt. »

Hæc de nostro Chronico prænotasse sufficiat; plura in sequentibus hinc inde recurrent, subjecta præprimis disquisitione qua vexatam S. Gebhardi genealogiam non quidem defendere, examinare tamen tentavimus, relicta aliis, quam nobis sumpsimus, quæ volucrint sentiendi libertate.

Digitized by Google

DE BRIGANTINORUM COMITUM PROSAPIA DISQUISITIO

Ex systemate Chronici Petershusani.

§ I. **266** Præpotentis olim hujus familiæ, unde aliæ complures prodierunt, originem ab antiquis Rætiæ Curiensis comitibus repetunt Lazius, Crusius, Stumpfius aliique. Hanc vero ceu primi, ut videtur, stemmatis hic haud examinamus, Chronici nostri scriptorem de posteriore duntaxat prosapia tractantem illustraturi, qui comites illos ex Gallia Togata in has terras adducit. At mox in limine aberrat, dum in Galliarum divisione contra aliorum scriptorum fidem Galliam Comatam in Cisalpina seu Italia collocat, quæ tamen cæteris Togata est; unde per se fluit ex mente auctoris nostri Galliam Togatam illam esse quam alii Comatam seu Celticam aut Belgicam nominant. Quod cum haud attenderent qui de hoc Chronico tractarunt, in alios errores prolapsi sunt, ut mox antea de Tenzelio notavimus.

§ II. Idem contigit Jo. Conr. Fuesslino, qui etsi (*Staats-und Erdbeschreibung der Schweitz* t. IV, p. 173) scriptoris nostri errorem agnoverit, ipse tamen etiam originem hanc in Italia ceu veri nominis Gallia Togata inquirit. Memoratum enim a chronographo l. I, n. 2, regicidium post Caroli Crassi imp. obitum reponendum existimat, quando novi ubique reguli emerserunt, quos inter ad an. 895 præcipuos recenset Berengarium Everardi filium Forojuliensem, et Widonem Spoleti duces cum hujus filio Lamberto, qui de Italiæ regno inter se contendebant. Ex his Lambertus an. 898 occisus est ab Hugone filio Meginfredi, quem Arnulphus imperator ad tuenda sua in Italiam jura ducem Mediolanensem constituerat, Lambertus vero capite plecti jusserat, ut scribit Luitprandus Hist. l. I, c. 12 **267** (Murat.. *Script. Ital.* t. II). Opinionem suam hausit Fuesslinus ex Herm. Conringii censura diplom. Lindav. p. 270, ubi ita refert : « Conrado I regnante, Hugo Mediolanensis secundum Baronium occiso Lamberto Italiæ rege, ad Conradum illum regem avunculum suum confugiens, Brigantino comitatu primus omnium creditur donatus. » Quæ quidem sententia proxime cum narratione Annalium nostrorum conveniret, si, quod optat Tenzelius p. 282, asserti sui auctores rationesque allegasset. At præter ea quæ hic idem auctor Conringio l. c. opponit, alia adhuc sunt quæ huic conjecturæ obstare videntur. Baronius equidem cædem Lamberti ad an. 910 retulit, male tamen, cum certum sit illam jam an. 898 fuisse perpetratam, quo adhuc Arnulphus imperator Germaniæ et Alemanniæ dominabatur : ad quem adeo, non ad Conradum, post tredecim annos electum, confugere debuisset hic regicida, isque non Udalricus sed Hugo appellatus, et unicus insuper Meginfredi ducis Mediolanensis filius (Luitprand. *l. c.*, c. 12), ubi etiam nihil de ejus fuga. Qua vero ratione probabitur Meginfredo huic nuptam fuisse imperatoris cujusdam aut regis Francorum filiam, primi istius Brigantini comitis matrem, cujus respectu *avunculus* illius dici posset Arnulphus, qui nequidem sorores habuit? Melius id Conrado I regi convenire posset, nisi Hugonis nomen obstaret; facile enim soror aliqua Conradi regis Meginfredi istius conjux esse potuit, unde et ab Arnulpho imperatore Mediolano præfectus esse videtur, cum Conradi avia fuerit filia Giselæ, quæ soror erat Ludovici Germanici, patris Arnulfi, uti mox postea videbimus. Constaret hinc ratio cur Meginfredi filius occiderit Lambertum, ut pote in regno Italiæ æmulum Berengarii, qui Giselæ istius filius erat, adeoque ipsi cognatus. Conrado vero avunculo ad regnum elevato melioris fortunæ spe potius, quam ob patratum regicidium, ad eum in Alemanniam concesserit, Brigantino comitatu ab eo donatus. Quamvis autem hic regicidium haberemus, multa tamen adhuc obstant, cum Chronici nostri narratione vix ac ne vix quidem concilianda; quæ enim in hoc systemate fuisset soror regis Francorum et imperatoris Romanorum, uxor patris Udalrici Brigantini, nisi Conradi regis Germanorum seu Francorum Orientalium, unde natus erat, quamvis imperator nunquam fuerit? Dein regicidarum unus hic dicitur Vodalricus, apud Conringium Hugo; forte tamen Luitprandus in Italia scribens nomen unius fratris, qui in Alemannia remanserat, ignoravit, et Conringius pro *Uzone* seu *Huzone*, uti etiam dictus est Udalricus, reposuit *Hugo*. Cum ergo hæc sub Conrado adeoque post an. 911 **268** contigissent, Udalricus levi negotio in Alemannia progenuit Uzonem seu Udalricum alterum Patrem S. Gebhardi et Udalrici III, qui an. 955 pugnæ Augustanæ interesse potuit.

§ III. Tentavimus hucusque primum Annales nostros explicandi modum, licet necdum satis expeditum, retenta regicidii historia, quæ nisi dicto modo et tempore admitti nequit sub Carolingis regibus aut imperatoribus. Tentabimus jam et alterum, si regicidium excipias, Chronici nostri narrationi ma-

Digitized by Google

gis accommodum. Præcipuum hujus tractationis fundamentum præbet diploma Ludovici Germanici datum an. 867 (Hergott, n. 117), quo idem rex Udalricum comitem in Argengewe dilectum *nepotem* suum appellat, cujus progenies, si explorata foret, plana fortassis esset comitum Brigantinorum prosapia, uti mox dicemus (702). Haud enim dubitamus hunc ipsum illum esse Udalricum in Chronico nostro memoratum, cujus filius Uzo apud Brigantium habitare cœperit, interim rursus post ruinam, cujus Walafridus meminit, instauratum; unde et pater ejus in vicino pago Argengewe seu Linzgowe habitarit.

Cognationis hujus stipitem, ut interim a Chronico nostro abstrahamus, quod hac in re minime defendendum suscipimus, e duplici fonte nobis deprehendisse videmur. Unum Theganus Trevirensis chorepiscopus coævus De gestis Ludovici Pii imp. (Bouquet, t. VI, p. 73) indicat, ubi cap. 2 hæc leguntur: « Carolus (postea Magnus) cum in juventute erat, sibi junxit nobilissimi generis Suevorum puellam nomine Hiltegardam, quæ erat de cognatione Gothefridi ducis Alamannorum. Gothefridus dux genuit Houchingum; Houchingus genuit Nebi (vide supra in notis ad Herman. a. 724); Nebi autem genuit Immam; Imma vero peperit Hiltegardam beatissimam reginam. » Plura de hac prosapia disquirunt Cointius et Bollandiani in Vita B. Hiltegardis t. III April., p. 790 seq., quæ vero ad propositum nostrum haud pertinent.

Propius huc spectant quæ habet Wetinus Augiensis monachus in visionibus suis de Geroldo comite, Hildegardis reginæ, Caroli Magni conjugis, fratre, in Hunnico bello occiso ad an. 799, de quo ad eumdem annum Hermannus : quemque ibidem *Pussinium* quoque cognominatum fuisse notavimus 269 ob prædia sua quæ in Suevia et vicinia mon-

A tis *Bussen* in hodierno districtu capituli Sulgaviensis habebat. Alteram nobis viam pandit anonymus Sangallensis monachus De gestis Caroli M. (Bouquet, t. V, p. 111) dum alium adhuc ejusdem Hildegardis reginæ fratrem producit Udalricum, cui Carolus Magnus plurima contulerit in *oriente et occidente*, Sueviæ scilicet seu Alemanniæ, quibus *cum post obitum ipsius Hildegardæ* (a. 783) *pro quodam commisso a Carolo* spoliaretur *honoribus*, admonitus rex *pristinos honores statim illi fecit restitui*. Hildegardis porro prædia potissimum in Algovia fuisse sita vel solum fundatum ab eo Campidonense monasterium declarat; unde et fratrum ejus possessiones omnino illo Alemanniæ tractu quærendæ sunt, quod de Geroldo jam vidimus. Udalricum vero illum Turgoviæ
B comitem censemus, quem P. Herrgott ab anno 787 usque 800 in chartis suis notat, qui simul comes quoque in Argengewe fuisse videtur ex P. Neugart Cod. dipl. Alem. vet., n. 144; in cujus comitatu situm erat castrum Breganzia : imo Linzgoviæ etiam comes, qui (*l. c.*, n. 150) cum duobus filiis Odalrico et Rodperto notatur in charta an. 805, et in alia an. 804 insuper in Brisgovia. Atque hinc optime verba citati anonymi explicantur de *oriente et occidente* Alemannici ducatus, ubi possessiones suas habuerit Udalricus, frater Hildegardis reginæ. Cum autem hæc per filium Ludovicum Pium avia fuerit Ludovici Germanici, uti illius frater Udalricus pariter avus cognominis an. 867 in Argengewe comitis, postremus hic Udalricus et Ludovicus Germani-
C cus *consobrini* potius, quam veri nominis *nepotes* dici debent; quod vero non obstat quominus comes iste improprie saltem *nepos* seu consanguineus Ludovici nominari potuerit, qui, uti et avus ejus, castrum Brigantium obtinuit, ubi etiam ejus filius sive nepos, pater S. Gebhardi, habitavit. Nescio porro an non in dicti anonymi verbis lateat fundamentum totius narrationis nostri Chronici, ejusmodi tamen

(702) *Genuina, ut videtur, Brigantinorum comitum genealogia tam ex chartis quam coævis fere scriptoribus sequens statuitur.*

Stemma Caroli Magni.
Ansegisus filius S. Arnulfi.
Pepinus Heristallus † a. 714
Carolus Martellus † a. 741.
Pipinus rex. † a. 768.
Carolus magnus. uxor

Stemma Hildegardis ejus conjugis.
Gothefridus dux Alemanniæ † a. 708.
Houchingus princeps partis Alemanniæ.
Nebi dux. Herman. a. 724.
Bertholdus dux.
Imma. N. maritus.
Hildegardis. † a. 783.
Udalricus I comes in Argengewe. ab a. 787-802.
Geroldus præfectus limitis Baioar. † a. 799.

Ludovicus Pius.
Ludovicus Germanicus.
Udalricus II comes (*) in Argengewe.
Udalricus III comes in Argengewe a. 867.
Uzzo comes Brigantii.
Udalricus IV comes Brigantii † a. 978.
S. Gebehardus. episcopus.
Duo fratres.

(*) Hunc prioris filium habemus ex supra citata charta an. 805, cujus vel fratris ejus Rodperti filius esse debuit sequens Udalricus in charta anni 867, ut cognatio cum Ludovico Germanico servetur.

Digitized by Google

circumstantiis vestitæ quæ huic systemati haud conveniunt. Udalricum aliquid deliquisse, unde a Carolo Magno, sororis suæ marito, bonis suis spoliatus ac postmodum restitutus sit, ex anonymo constat. Deme regicidium, Galliam et fugam, ac pro *avunculo* substitue *sororium*, habebis idipsum fere quod in Annalibus l. I, n. 3, narratur, ipsa etiam enumerata prædia in pagis Argengewe, Linzgewe et alibi. Habes hinc etiam cur plures præcipue Udalrici in his partibus dicantur de Caroli Magni prosapia orti, ex earnis nimirum propinquitate cum Hildegarde ejus conjuge ac Ludovici Pii matre, quod dein nomen ab ejus fratre Udalrico haustum aliis **270** quoque familiis per novas contractas affinitates adhæsit; cujus quidem rei non in Udalricis modo, sed et Hartmannis, Manegoldis, Burchardis cæterisque exempla passim prostant in genealogiis, quorum nomina ex nuptiis in alias etiam familias sunt implantata.

271 § IV. Ultima hæc de S. Gebhardi prosapia desumpta sunt ex Chronico Petershusano, cujus systema jam cum omnibus suis adjunctis examinabimus; quod etsi difficultatibus suis haud careat, multa tamen ad illustrandam historiam in eo contentam faciunt. Haud sane diffitemur nonnulla hic occurrere quæ non dico fabulas, tales tamen traditiones seu fontes sapiunt, qui etsi semper genuini haud sint, multa tamen vera etsi falsis quandoque permixta pro sæculi genio referant. Norunt eruditi frequenter id evenire, ut in remotioribus his factis enarrandis ejusmodi subin circumstantiæ admisceantur, quæ, etsi de fide suspectæ aut omnino falsæ sint, ipsam tamen historicæ narrationis substantiam nequaquam evertunt; secus enim actum foret de plurimis Francorum annalibus, qui tamen tanto studio etiam ab eruditissimis viris hactenus conquisiti atque illustrati sunt. Sæpe namque in sublestis quoque his monumentis reperitur quod alibi frustra quæres, historiæ tamen multum proficua. Nec nostrum adeo hac in re conatum improbatum iri confidimus; eadem siquidem libertate opiniones nostras proponimus, qua voluptate aliorum in similibus sensa aut conjecturas pervolvimus. Hanc namque damus veniam, petimusque vicissim.

§ V. Ut propius igitur tertiam conciliationis rationem aggrediamur, ex Annalium nostrorum narratione vir ille in Gallia Togata, aut potius juxta systema scriptoris (§ 1) Belgica sive Celtica nobilissimus, Udalrici Brigantini pater, *regis Francorum, qui et imperator Romanorum*, sororem in matrimonio habuit. Vel hoc solum denotat sæculum IX, non vero X, quo jam deficientibus Carolingicis rex erat Conradus (§ 2). Verum quis iste imperator? Certe nec Caroli Magni nec Ludovici Pii sorores maritatas legimus, si una Bertha S. Angilberti uxor excipiatur. Itaque Ludovici Pii filiæ, sorores Lotarii I et Caroli Calvi imperatorum, ac Ludovici I Germanici intelligendæ veniunt, quarum quatuor reperiuntur diversis viris elocatæ: Adelheidis nimirum Conrado comiti Antissiodorensi, Alpais Begoni Parisiensi, Hildegardis cuidam Theodorico comiti, et Gisela Eberhardo comiti Cisoniensi in Flandria ac postea duci Forojuliensi, quæ dicti Caroli Calvi ex Juditha soror erat uterina. Ex his una mater in hoc systemate esse debuit **272** dicti Udalrici comitis, et ex sorore *nepotis* Ludovici Germanici, qui propterea illius *avunculus* dicitur in chronico nostro; ut ut enim iste avunculus *Imperator Augustus* vocetur, id tamen de alio quam Ludovico Germanico intelligi nequit, ambo enim ejus fratres imperatores nil juris in Alemannia habebant, ut nepoti suo prædia donare potuerint.

Quænam autem illarum Udalricum pregenuerit, conjecturis potius quam certis argumentis eruendum, cum pauca earum facta litteris sint consignata, et aliunde feminarum in chartis hujus temporis rarissima habeatur mentio. Inter Adelheidis tres ex Conrado filios nullus Udalricus reperitur, sed duo abbates erant; tertius patri æquivoco successit. Quæ adeo hic intelligi nequit, uti nec Alpais, cujus duos filios Letardum et Ebrardum nominat Flodoardus in Historia Remensi l. IV, c. 46. Restant igitur Hildegardis et Gisela. Prioris maritus Theodoricus ex nomine tantum indicatur a Cointio (*Annal.* t. VIII, p. 605) et in *l'Art de vérifier les dates* (t. I, p. 553), nec, ubi locorum comes fuerit, produnt veteres Franciæ scriptores. Id unum ex Nithardi Historia l. III, n. 4 (Bouquet, t. VII, p. 25) colligi videtur, Hildegardem Caroli Calvi sororem, quæ Theodorico nupserat, in civitate Laudunensi, adeoque in Gallia Belgica sedem habuisse, atque ab eodem Carolo an. 842 veniam impetrasse, quod contra ipsum faverit Lothario imperatori, alteri fratri suo. Nulla porro ibidem mariti fit mentio, sive demum mortuus jam fuerit, sive a Carolo eamdem ob causam pulsus cum filiis, si quos habuit. Quod si plura de eo haberent antiqua monumenta, constaret fortassis hunc ipsum Udalrici nostri ex Hildegarde patrem exstitisse, haud contradicente nostro Chronico, si modo regicidii loco mota contra regem rebellio substituatur. Quæ hic obstare ulterius possent, infra § 12 discutiemus.

§ VI. Pervenimus jam ad ultimam Ludovici Pii filiam Giselam, Caroli Calvi sororem uterinam, quam conjugem duxerat Eberhardus seu Evrardus, tum Cisoniensis in Flandria comes, postea dux Forojuliensis, quamve hic pluribus illustrandam duximus, si non pro statuendo hoc stemmate, certe pro illustranda Germaniæ nostræ sacræ historia. Hermannus Contractus ad an. 799 Ehericum, quem alii Heinricum dicunt, ducem Forojuliensem a Carolo **273** Magno constitutum, a Liburnis autem occisum memorat. Hujus filium Eccardus (*Franc. Or.* t. I, p. 796) statuit Hunrocum seu Hunrogum comitem, qui inter testes subscribitur in testamento Caroli Magni an. 811 apud Eginhardum in ejus Vita, nec non inter Francorum legatos ad pa-

Digitized by Google

cem cum Danis componendam (*Annal. Bertin.* an. 811). Antea vero jam ceu missus Caroli Magni permutationem quamdam fecerat cum Bernwelpho Wirceburgensis episcopo ad an. 800 defuncto, ut liquet ex diplomate Ludovici Pii an. 837 (Eccart, *Franc. Or.* t. II, p. 503 et 884). Idem Unrochus seu missus Caroli Magni notatur in Capitulari incerti anni apud Martenium (*Collect. ampliss.* t. VII, p. 12); unde genere Francum et Carolo imperatori percharum exstitisse extra dubium est.

Unrocus hic ex fide Eccardi (*l. c.*, p. 196) pater fuit Eberhardi comitis Cisonii postea ducis Forojuliensis, ac Berengarii comitis in Germania inferiore, deinde Tolosani ac Septimaniæ ducis. Certe in Capitulari Ludovici Pii an. 825 Berengarius comes recensetur inter missos dominicos in Belgica super quatuor diœceses, Noviomacensem, Ambianensem, Tarvanensem et Cameracensem; itemque an. 834 inter legatos Ludovici Pii ad filium Lotharium rebellem, apud Theganum cap. 54, ubi vocatur *Berengarius sapiens propinquus* Ludovici : de quo idem c. 58 : « Eodem anno (836) in ipso itinere obiit Berengarius, dux fidelis et sapiens, quem imperator cum filiis suis luxit multo tempore» (Bouquet, t. II, p. 84 seq.). Denique Astronomus, in Vita Ludovici Pii an. 819, Berengarium Tolosanum comitem appellat cap. 57 immatura morte præreptum, et Huronici [Hunroci] quondam comitis filium [Du Chesne, t. II, p. 315] pro quo Bouquet (*l. c.* p. 120) legit II. [Hugonis] *Turonici quondam comitis;* at perperam, nam etiam in gestis ejusdem imperatoris Gallice scriptis (*l. c.* p. 164) Berengarius dicitur *le fil le conte Hurcine.* Patet hinc ratio cur *propinquus* Ludovici nominetur Berengarius, quia frater ejus Eberhardus ejusdem Ludovici filiam habebat uxorem, qui etiam duobus filiis suis Unrocho et Berengario patris sui et fratris nomina imposuit. Cæterum Eberhardo huic et Berengario alios adhuc ex Hunroco fratres attribuit Eccardus (*Vet. monum. quatern.* p. 40), Henricum vel Hunricum, Adalardum S. Bertini abbatem, et Albigarium comitem, de quibus vero hic sermo haud est.

274 § VII. Balderico duce Forojuliensi per Ludovicum Pium a. 828 exauctorato, ejus marca inter quatuor comites divisa est (Eginhard. *De gestis Lud.* h. a.), quorum unus fuisse videtur *Ebirhardus fidelis* an. 836 inter legatos Lotharii imp. ad Ludovicum patrem a partibus Italiæ directus, ut notatur in appendice Thegani (Bouquet, *l. c.*, p. 85). Ad eumdem Heberhardum comitem in Italia incerto anno scripta est epistola Rabani contra Gotescalcum, qui in itinere Romano ad illum divertens errores suos ibidem spargere moliebatur. Vid. Ughell. Ital. sac. t. III, p. 608. Sirmond Opp. t. II, p. 1291, et Natalis Alexander Hist. eccl. sæc. IX, dissert. V, p. 264. Quo autem anno ducatum Forojuliensem et marchiam Tarvisinam obtinuerit, exploratum haud est. Andreas enim presbyter in Chronico (Murat. *antiq. Ital.* t. I, p. 47) de Ludovico II imp. scribens, « multam, inquit, fatigationem Longobardi et oppressionem a Sclavorum gente sustinuerunt, usque dum imperator Forojulianorum Eberhardum principem constituit, quo defuncto Unroch filius ejus principatum suscepit; » dum alii econtra id ad an. 846 et Lotharium imp. referunt. Ipse Eberhardus seu Everadus se non nisi comitem nominat in suo testamento dato an. 867, de quo infra. Revera enim Cisoniensis in Flandria comes erat, amplissimis in Belgio tam hæreditariis quam dotis nomine a genero suo et socero acceptis possessionibus ditatus, præter illas quas in Italia habebat, uti ex ejus testamento liquet. Notatur etiam Eberhardus comes cum Notingo Veronensi episcopo missus Ludovici II imp. ad Ludovicum Germanicum in Annalibus Fuld. ad an. 858, nec non Evrardus comes inter testes qui an. 860 confœderationi trium regum apud Confluentias interfuerunt (Eccard. *Franc. Or.* t. II, p. 474 seq.), ubi etiam venia data est illis qui e regno Caroli Calvi ad Ludovicum Germanicum transfugerant; quod pro paulo post dicendis notari meretur.

§ VIII. De Eberhardi istius matrimonio hæc refert Agnellus, hujus temporis scriptor, De pontificibus Ravennat. (Murator. *Script. Ital.* t. II, p. 185) : « Antequam moreretur Augustus (Ludovicus Pius an. 840) divisit imperium suum inter reges filios suos... Carolo plus fertilem et opimam largitus est partem, et Giselam filiam suam tradidit marito Curado [*corrig.* Evrado] nomine. **275** Hunc (Carolum) et hanc (Giselam) Judith Augusta parturit. » Quo ipso evanescunt quæ contra Giselam Ludovici Pii filiam movet Hadrianus Valesius præfatione in Panegyricum de laudibus Berengarii ejusdem filii ac postmodum Italiæ imperatoris (Murator. *l. c.*, p. 374 seq.). Quid ? quod ipse Carolus Calvus Gislam charissimam sororem appellat in charta pro Dononiensi ad Scaldim monasterio an. 877, cui inter alios subscripsit Rodulphus ejus nepos, Giselæ nempe filius et abbas Cisoniensis (Miræi, *Opp. diplom.* t. I, p. 249). Utrumque vero confirmat ipsius Giselæ charta a. 870 (Dacheri *Spicileg.* t. II, p. 879), in qua præcelsæ indolis Evardum seniorem, seu maritum, Carolum autem suum olim germanum vocat, itemque in altera an. 868 ac tertia an. 874.

§ IX. Porro in memoratis mox chartis eadem Gisela quatuor tantum filiorum suorum, forte plurium mater, meminit, *Unrochi* nimirum *coadjutoris sui* in Italicis partibus, qui Eberhardo patri mortuo in Forojuliensi ducatu successit; *Adalardi* et *Rudolfi*, quibus an. 874 quædam ex bonis suis in Gallia seu Belgio donavit, uti jam an. 868 fecerat, ubi alius adhuc notatur ejus filius Berengarius. Anno autem 870 cum filio Rudolfo quædam confert Cisoniensi a se fundato monasterio, pro sua et filiæ suæ Ingeltrudis ibidem sepultura, de qua filia infra nonnulla dicemus. Hanc donationis chartam in fisco Cisonio datam signavit Adelardus, filius, ut videtur, Giselæ, qui in alia a Walgario sacerdote jussu domini Everardi pariter in Cisonio data (*l. c.*, p. 880) signatur

Digitized by Google

Adelardus ejusdem loci senior, cui pater curtem suam in Cisonio cum aliis bonis testamento legaverat, quo dictis quatuor filiis distribuit bona sua, « quæ tam in Francia, quam in Langobardia vel Alemannia, sive in proprio sive in beneficio habuit, » ut tamen nulla bona in Alemannia speciatim notarit. Testamentum illud Everardi datum est in comitatu Tarvisiano, anno regni Ludovici Augusti vicesimo quarto; quod Miræus (*l. c.*, t. I, p. 19) aliique de Ludovico Pio seu anno 837 accipiunt. Cum vero Ludovicus hic primum an. 819 Judith alteram conjugem duxerit, matrem Giselæ, hæc jam anno 837 vix desponsata, nedum mater tot liberorum esse potuit, quot in citato testamento occurrunt. Spectat id igitur ad annum vicesimum quartum Ludovici II imp., seu an. 867. Qua quidem ratione testamenti hujus fidem contra Valesium **276** cæterosque vindicant Sammarthani (*Gall. Christ.* t. III, p. 285), quibus addendus Muratorius (*Script. Ital.* t. II, p. 378). Eodem autem an. 867, die 16 Dec., quo Cisonii ceu sanctus festivo ritu colitur, in Italia obiisse videtur Eberhardus iste comes seu dux, cujus corpus ab Unrocho filio ac successore ad Cisoniense monasterium a se et uxore Gisela fundatum fuit translatum, ut eadem Gisela testatur in charta apud Miræum (t. III, p. 389) an. 874. Unde forte Mauriani sodales (*Hist. litter. Franc.* t. V, p. 446) et Mabillon (*Annal.* l. XXXVII, n. 71) inducti obitum Eberhardi ad an. 874 consignarunt, haud sane attendentes ad aliam ejusdem Giselæ chartam datam XVII Kal. Maii, indictione I, anno XXIX regnante Carolo rege, sive an. 868, in qua se jam viduam esse testatur. De ipsius Giselæ obitu nil certi habetur, nisi quod ex supra citato fratris ejus Caroli diplomate adhuc an. 877 in vivis fuisse constet.

§ X. Ex filiis Eberhardi et Giselæ senior Unrochus, mortuo patri, in Forojuliensi ducatu successit; juxta alios jam an. 872 sine masculo hærede defunctus, qui vero ex superius citata Giselæ charta adhuc an. 874 vixisse evincitur. Hujus filiam sanctimonialem, *imperatori propinquam*, a Luitwardo Vercellensi episcopo et Caroli Crassi cancellario e monasterio fuisse raptam, suoque nepoti copulatam conqueruntur Annales Fuldenses ad an. 887. Berengarius, filiorum alter, paternum ducatum post fata Unrochi fratris sui in Italia obtinuit : cujus etiam rex ob matrem suam ac denique imperator effectus est. Is in diplomate pro monasterio Farfensi an. 920 (DU CHESNE, t. III, p. 670) Carolum Magnum *proavum*, et Ludovicum II imp., qui ex Lothario imp. Giselæ matris suæ fratre natus erat, *consobrinum*, vocat in alio pro monasterio Casauriensi an. 917 (MURAT. *Script. Ital.* t. II, p. 413). Rudolphus, filiorum junior, ut videtur, abbas Cisoniensis in Flandria monasterii a parentibus fundati effectus : « post obitum patris res ipsas vitæ suæ diebus tenuit, et de sæculo migraturus easdem res cum monasterio Remensi ecclesiæ delegavit, eamdemque rerum suarum hæredem instituit. Tunc vero Hucboldus (is adhuc dum ignotus) quidam, sororis hujus Rodulphi maritus, munus ejusdem abbatis calumniabatur, et ab ecclesiæ Remensis jure conabatur auferre, » ut scribit Folco Remensis archiepiscopus ad Formosum Papam, referente Flodoardo Hist. Rem. l. IV, c. 1 (*Biblioth. PP. Lugdun.* **277** t. XVII, p. 595). Formosus sedit ab an. 891 usque 896, qui Fulconi responsum dedit indictione X, Lamberto jam imperatore (FLOD. *l. c.*, cap. 2), quod annum 892 indicat. Rodulphus igitur abbas eodem anno jam obierit. Dubium vero movet quod idem Flodoardus l. c. prædium, in quo Evrardus marchio monasterium construxit, *post ejus obitum ad filium ipsius Rodulphum abbatem hæreditario jure* devenisse scribat, cum tamen in ipsis Evardi testamenti tabulis an. 867 exaratis curtis in Cisonio cum rebus ejusdem ecclesiæ seu monasterii non Rodulpho, sed fratri ejus Adalardo transcribatur. Si ergo Rodulphus eas *jure hæreditario* accepit, Adalardus aut interea obiisse, aut hæreditarias suas in Belgio possessiones eidem fratri suo ultro permisisse dicendus est. Adalardum Cisonii seniorem seu dominum appellari in Walgarii charta donationis circa an. 868 mox supra vidimus; occurrit quoque adhuc an. 874 in charta Giselæ matris ; postea vero altum de eo silentium, nec de ulterioribus ejus fatis quidquam constat. Certe in Belgio haud amplius morabatur, quo tempore frater ejus Rodulphus abbas obiit, cum alioquin sororis ejus maritus nullum jus in Cisonium prætendere potuisset. Unde si necdum obierat, alibi terrarum interim sedem fixisse debuit, ubi collatas sibi ab aliis possessiones, non hæreditate acquisitas, habebat.

§ XI. Ex his autem, simul et aliqua saltem affinitate nominis Adalard cum Adalrich seu Udalrich, suspicio haud levis oritur Udalricum hunc, Brigantinorum comitum satorem, ipsum forte esse Adalardum, Eberhardi Forojuliensis ducis et Cisoniensis in Flandria comitis filium, Ludovici Germanici verum hac ratione ex sorore nepotem. Nec etiam implicaret, si quantum adhuc filium Udalricum tribuerennus Eberhardo, quamvis ejus in citatis hucusque chartis nulla reperiatur mentio. Quæ etiam necessaria haud erat, cum jam an. 867 antequam illæ conscriberentur, proprio comitatu Argengewe aliisque prædiis in Alemannia ab avunculo donatus fuisset, nec adeo opus habebat ut de paternis seu maternis in Belgio bonis participaret, unde et ejus ceu dudum jam absentis nomen dictis tabulis frustra fuisset insertum. Quæ quidem ultima conjectura verosimilior videri posset. Utut vero sit, Chronici nostri narrationem singillatim jam examinabimus. « In Gallia quam Togatam diximus cognominari, erat quidam vir nobilissimo **278** genere decoratus. » Jam ostendimus, Galliam *Togatam* a scriptore cum *Comata* confundi; unde hic, *Togatæ* nomine, *Comata*, seu *Belgica* intelligenda venit, in qua Cisonii comes erat Eberhardus, cujus nobilissimum genus hactenus produximus. « Huic rex Francorum et, postea scilicet, imperator Romanorum sororem suam dederat in matrimonium. » Aperte hæc Carolum Calvum denotant, post

Digitized by Google

quem nullus simul Francorum regnum et imperium Romanum tenuit, cujus soror fuerit in matrimonium data. Caroli enim Crassi ambæ sorores abbatissæ Turicenses erant. Perinde autem est, sive Ludovicus Pius filiam, sive Carolus Calvus sororem nuptui elocasse dicatur : « ex qua duos genuit filios, » quot nempe in Alemanniam venerant, reliqui enim ceu longius dissiti in his partibus scriptori haud innotuerunt.

Quæ vero deinceps de regis Francorum cæde a duobus his fratribus patrata narrantur, totius hujus sæculi historiæ repugnant, ac, si veri speciem habere debeant, nonnisi de mota quadam rebellione seu defectione a suo rege Carolo Calvo accipi debent, qualem altera quoque ejusdem soror Hildegardis comiti Theodorico nupta jam an. 842 contra ipsum molita est, uti superius diximus. Quid igitur mirum, si et socer illius ac nepotes tale quid ausi fuerint? Nec vero solis conjecturis hic utimur; ipsa namque Gisela Eberhardi uxor rem in duabus citatis cartis de an. 868 et 870 satis aperte prodit, dum res a seniore suo seu marito Evrardo perditas et in regis dominium redactas sibi denuo a Carolo Calvo, Germano suo, restitutas profitetur; quod profecto aliquod mariti sui aut filiorum suorum saltem crimen seu feloniam indicare videtur. Fortassis hi ipsi duo fratres inter illos quoque Caroli proceres numerabantur, qui diu jam illum pertæsi an. 858 solemni legatione Ludovici Germaniæ regis auxilium contra Caroli regis sui tyrannidem postularunt, illoque cum exercitu in Gallias adveniente, deserto Carolo, ad ipsum transierunt, uti ad eumdem annum referunt Annales Fuldenses. Conveniunt hæc iis, quæ habet Chronicon, (l. 1, n. 3,) venisse cum illis viros nobilissimos, quibus ipsi prædia ab *avunculo* suo in Alemannia sibi donata fuerint elargiti. Avunculum hunc alium haud fuisse quam Ludovicum Germanicum, cui Alemannia parebat, jam in superioribus probavimus.

Quæ vero hucusque diximus, confirmari ex eo quoque videntur, quod juxta eosdem Annales Fuldenses an. 858, Eberhardus comes, haud dubie **279** Forojuliensis, germanorum horum exsulum pater, missus Ludovici II imp. ex Italia ad Ludovicum Germanicum Ulmam ad colloquium venerit. Unde alia nobis conjectura nascitur, Eberhardum hunc perinde ac conjugis suæ sororem Hildegardem prius a partibus Lotharii imp. stetisse, ac propterea a Carolo Calvo ditionibus in regno ejus sitis exutum in Italiam ad Lotharium concessisse, a quo, sive ejus filio Ludovico II imp., Forojuliensis dux fuerit constitutus; quam patris sui spoliationem dum inique ferrent duo ejus filii, cum aliis proceribus adversus Carolum rebellantes Ludovico Germanico avunculo se tradiderint. Quæ postea sequuntur in Chronico de furore Gallorum sedato istisque fratribus in patriam revocatis, ad annum 860 referenda censemus, quo apud Confluentes pace inter Carolum et prædictum Ludovicum firmata Carolus Calvus ita edixit : « illis hominibus, qui contra me fecerunt, sicut scitis, et ad meum fratrem venerunt... totum perdono; quod contra me misfecerunt, et illorum allodes [allodia, seu prædia] de hæreditate, et de conquisitu, et quæ de donatione nostri Senioris scilicet patris, seu Ludovici Pii, habuerunt, excepto illo, quod de mea donatione venit, illis concedo, si mihi firmitatem fecerint, quod in regno meo pacifici sint, » uti legitur apud Baluzium (*Capit. reg. Franc.* t. II, p. 144), ac cum illis apprime congruunt, quæ Gisela ejus soror in supra citatis chartis de ablatis rursumque sibi restitutis a Carolo fratre rebus commemorat.

Cuncta hæc, uti nobis saltem videtur, sufficere possunt ad vindicandam scriptoris nostri fidem, si unum modo regicidium dematur, ac commota contra regem rebellio substituatur. Facile quippe in vera discessus illorum fratrum causa assignanda decipi potuit scriptor, quin tamen fictitius sit ipsorum in Alemanniam adventus, huicque superstructa genealogia, ut quidem vult Tenzelius. Adducta saltem hucusque argumenta utrumque si non extra dubium ponunt, fabulas tamen non sapiunt, causamque simul declarant cur ambo fratres in Alemanniam devenerint, ac tempus quo in patriam uterque sit revocatus, impetrata nempe a Carolo Calvo rege admissæ rebellionis venia, conciliante potissimum eorum patre Eberhardo, qui inter ejusdem pacis testes notatur apud Eccardum (*Franc. Or.* t. II, p. 476 seq.).

§ XII. Altero igitur fratrum, quisquis ille fuerit, facta pace in patriam reverso, solus in Alemannia Udalricus remansit, omnium jam utrique germanorum **280** antea ab avunculo donatorum in Alemannia prædiorum possessor. Saltem jam an. 867, ceu tempore narrationi huic congruo, Udalricus Ludovici Germanici nepos et comes in Argengewe occurrit, ac forte etiam in Linzgove (Hergott, t. II, p. 48) anno 879, 881 et 902. Ac, ut supra in præfatione ex Tenzelio observavimus, idem facile, cui Arnulphus imp. curtem Lustenowa in proprietatem dedit, ut constat ex charta an. 891 (Hergott, l. c., p. 57,) quæ integra etiam legitur in Schardii scriptoribus (t. I, p. 534). Nil tamen certi hic statuere licet, cum tot Udalrici, in diversis vicinis Alemanniæ pagis, maxime in Argengovia, Linzgovia, Turgovia ac dein Brigantii quoque occurrentes, dubium semper faciant num iidem fuerint, an vero diversi, eodem nomine, ut fieri solebat, in alias quoque familias per matrimonia propagato.

§ XIII. His interim eruditorum examini subjectis, illa modo expendere juvat quæ, de hac Brigantinorum comitum genealogia, porro in Chronico nostro habentur prioribus apprime consentanea. Ita autem l. 1, n. 36 habet: « Erat quidam comes, nomine Adilhardus... beati viri Gebehardi juxta carnis consanguinitatem propinquus, nequaquam tamen Suevigena, sed habitans in terra longinqua, cui jure in hæreditatem cesserant magna et multa prædia in Ilrigove, »

Digitized by Google

seu potius Hargove, ex quibus Brigantinis cognatis A suis prædium in Steinbach, Gebhardo autem episcopo *nepoti suo* alia plura tradiderit. Quis vero hic Adilhardus, seu Adalardus, Brigantinorum comitum nepos, seu consanguineus? Neque enim de superiore Adalardo Eberhardi filio sermo hic esse potest, utpote integro sæculo anteriore. Hunc deprehendisse nobis videmur in Ekkehardo Juniore De Casibus S. Galli, cap. 10 (Goldast. *Script.* t. I, p. 42) ita scribente: « Vodalricus quidam comes de Caroli prosapia Wendilgardam Henrici regis de filia neptim uxorem accipiens, Adalhartum, qui Gallo Altstetten post tradidit, de ea et filiam procreavit. Hic nuntio Buochorn, ubi habitavit, accepto, Hungros Noricum, ubi prædia ei erant, irruere, hostes cum cæteris aggressus, victus capitur, et in Hungariam captivus B asportatur. » Refert dein Udalricum, post quatuor annos e captivitate reducem, alterum adhuc filium procreasse Burchardum, cognomento Ingenitum, quem Otto I imp., ceu nepotem suum circa an. 959 abbatiæ S. Galli adhuc juvenem præfecerit. Ex Hepidanni Annalibus **281** ad an. 915, et excerptis Annalium Francorum (*supra* pag. 109) Udalricus comes illo anno cum Erchangero et Bertholdo, qui Alemanniæ ducatum invaserant, Hungaros ad Œnum fluvium profligavit, post aliquod tempus tamen circa an. 915 in altera expeditione in captivitatem ab illis abstractus. Vid. Calles Annal. Eccles. Germ. t. IV ad annum 917 et 920, et Crusius Annal. p. II, l. III, c. 8. Inde vero post quatuor annos liberatus domum C rediit, vivente adhuc Salomone III episcopo ad initium anni 920 defuncto; qui ei Wendelgartam conjugem, interea velatam, reddidit in Constantiensi synodo (*Concil Germ.* t. II, p. 591) circa an. 919. Hic porro Udalricus a cognomine Brigantino comite plane diversus est, uti et temporum ratio et diversi utriusque filii demonstrant. Filius autem fuisse videtur unius ex illis viris nobilissimis, qui teste chronico nostro cum Brigantino in Alemanniam profugi venerunt, quibus ipse dona largitus est, ac etiam per conjugia affinitate conjunctus, quorum uni Buochorn dedit, forte et filiam, matrem postea hujus Udalrici, a qua et nomen et prosapiam Caroli Magni hauserit. Lazius De migrat. gent. p. 559 illum cum fratre Adelberto conditorem castri Buochorn dicit tempore Caroli Magni, sub quo acceptis agris in Norico ab Hunnis captus sit; et tamen Wendelgardem ejus conjugem post integrum sæculum an. 916 reclusam apud S. Gallum fuisse scribit. Ubi vero notandum est Caroli Magni nomen Carolo Crasso quoque subinde a scriptoribus esse tributum, eo quod uti prior totam monarchiam Francicam una cum imperio solus tenuerit; quod probat Mabillon De re diplom. l. v, p. 408. Quo sensu et Lazius l. c. intelligi debet, quamvis vel sic error subsit; Udalrici captivitas enim non sub Carolo Crasso, sed sub Conrado I contigit. In eo etiam fallitur quod Henrici Aucupis filiam Wendelgardæ matrem Hedwigem Burchardi Alemanniæ ducis conjugem dicat, quæ tamen improlis decessit, nec Henrici Aucupis filia, sed ejus ex filio Henrico Bavariæ duce neptis fuit, cujus pariter nepos dicitur S. Gebhardus infra l. I, n. 39. Wendelgardæ matrem haud nominat Ekkehardus, sed filiam tantum dicit Henrici regis, scilicet Aucupis, illam tamen Hedwigem seu Hatwigem vocat Crusius (*Annal.* p. II, l. III, c. 8, 12, et l. IV, c. 3, 9) aliique, quamvis aliunde certum sit eam Hugonis magni Franciæ ducis uxorem, Hugonis autem Capeti regis matrem exstitisse.

282 § XIV. Quocunque vero nomine venerit, filia certe fuit Henrici Aucupis, cujus mater erat Hedwigis seu Hatwigis nupta Ottoni illustri Saxoniæ duci. Hæc autem filia erat supra memorati Eberhardi Forojuliensis ducis ex Gisela Ludovici pii filia; unde et filio ejus Henrico, Carolingorum stemmate in Germania exstincto, jus quoddam in hoc regnum annatum est. In testamento patris sui Eberhardi Heilwick vocatur, soror Adalardi, seu Udalrici, Brigantinorum parentis; nec non Judithæ aviæ Conradi I regis, uti probat Eccard (*Franc. Or.* II, p. 824; *Vet. monum. quatern.*, p. 40); unde sequens prodit.

SYSTEMA GENEALOGICUM

S. GEBHARDI

Ex chronico Petershusano et Eccardo.

LUDOVICUS Pius imperator.

Eberhardus dux Forojuliensis. Ux Gisela.				
Adalardus, seu Udalricus I Comes Brigantii	Juditha uxor Werinharii comitis.		Heilwich, seu Hedwich ux. Ottonis ducis Saxoniæ.	
Uzo comes uxor Dietburga.	Conradus comes.		Henricus Auceps Germaniæ rex.	
S. Gebehardus ep. frat. Udalricus III comes	Conradus dux postea rex	Henricus dux Bav.	Otto I imp.	Hedwigis.
		Hedwigis ducis Buchardi uxor.		Wendelgarda ux. Udalrici.
				Adalardus comes in Buochorn.

Digitized by Google

Quantum ad Hedwigem Ottonis Saxoniæ conjugem in diversa abeunt scriptores! Hubnerus in Geneal. eam non Giselæ sororis, sed ipsius Ludovici Germanici filiam statuit, quam vero antiqui ignorant. In *l'Art de vérifier les dates* Hedwig filia Arnulphi imp. dicitur, a Tenzelio Luitgarda nominata. Verum Eccard (*Franc. Or.* t. II, p. 609) multis probat Ottonis conjugem filiam fuisse Giselæ et Everardi, maxime ex Vita Hathumodæ **283** abbatissæ sororis ejusdem Ottonis ducis, qui ibidem *regum neptem* in matrimonio habuisse legitur; ergo non filiam. In Necrologio Fuldensi an. 903 obiisse notatur Hadawiga comitissa, quam eamdem fuisse arbitramur. Ejus altera soror natu major in patris testamento notatur Juditha Conradi I regis avia, ut vult Eccardus (*l. c.*, p. 824), unde hic etiam ceu proximus Carolingicæ familiæ agnatus Germaniæ regnum obtinuit. Tertiam illius sororem Ingiltrudem, in eodem testamento memoratam, ex matris Giselæ charta, an. 870, monialem fuisse in eodem Cisoniensi monasterio existimat Eccardus (*l. c.*, p. 610); quod vero admitti nequit, cum supra § 10 ex Flodoardo appareat Hucholdus nescio quis *sororis* Rodulphi abbatis Cisoniensis *maritus*. Cum igitur prædictæ duæ ejusdem sorores, seu Giselæ filiæ alios habuerint maritos, alterutrum consequitur, vel Ingeltrudem tertiam istarum sororem monialem haud fuisse, aut quartam in testamento omissam adhuc esse admittendam, uti supra (§ 11) de quinto adhuc fratre Udalrico conjectati sumus.

Ex præmisso autem stemmate patet qua ratione S. Gebhardus in Chronico nostro nepos dicatur tam Hedwigis ducissæ, quam Adalardi Buochornensis comitis, consanguinitate tantum, non etiam gradibus computatis. Quamvis enim in chartis et maxime diplomatibus illa graduum distinctio plerumque saltem fuerit observata, alia tamen chronicorum medio ævo ratio fuit, quorum scriptores more etiamnum usitato omnes illos *nepotes* appellare consueverunt, qui quovis modo consanguinei aut affines etiam erant ex eadem stirpe descendentes. Utrum vero inter Udalricum I Brigantinum et Uzonem S. Gebhardi patrem alia adhuc generatio sit inserenda, mox, § 16, discutiemus.

Sed aliud adhuc dubium ex Chronico nostro superest, quod Udalricus comes in Buochorn, ubi sedem suam etiam habuit, non Suevigena fuisse, sed in terra *longinqua* habitasse dicatur; quomodo enim non Suevigena fuerit, qui in Buochorn habitationem habuit? Quod quidem aliter solvi haud potest quam si dicamus hunc Suevum origine haud fuisse, sed cum Brigantino in has terras advenisse ex terra longinqua, ubi prius habitaverat, illumque haud semper in Buochorn, ubi sedem habebat, sed et in Norico resedisse, ibi etiam ditatus prædiis, quæ contra Hungaros iterato defensurus captus est: forte nato ibidem etiam filio Adalardo, qui postea Brigantinis cognatis suis bona sua in Hargove concessit, Gebehardo fortassis **284** necdum episcopo; quod saltem per ætatem minime implicat, etsi jam circa an. 913 natus fuerit. Alium autem investiganti lubens acquiesco.

§ XV. Diutius hactenus in illustrando Chronico nostro de prima Brigantinorum comitum origine laboravimus, quin tamen illorum quæ protulimus vades nos præstemus. Rem adducta argumenta decidant, quæ novis fors producendis documentis aut refellere, aut majorem in lucem deducere eruditis eodem modo liberum esto, quo sensa nostra et opiniones sine cujusdam præjudicio unius investigandæ historiæ studio illis proponimus, quin scriptoris nostri narrationem ubique et præcipue mox in exordio vindicemus. Id saltem nobis persuadere haud possumus, illum aut ex ignorantia, aut ut familiæ ætate sua adhuc florenti adularetur, talia absque fundamento et ex cerebro confingere sive voluisse sive potuisse, quin falsitatis admissæ piaculo se exponeret eo tempore quo eadem familia in plures ramos divisa adhucdum vigebat, adeoque melius quam nunc de vera ejus origine constare debuit. Brigantinorum saltem comitum cum Carolingicis regibus sanguinis propinquitatem extra dubium ponit sæpe citatum Ludovici Germanici diploma anni 867, quo Udalricum illarum partium comitem *nepotem suum* compellat, cujus quidem rationem investigare hucusque duplici via tentavimus. Neque vero stemma istud olim tam celebre aliæque inde descendentes discuti satis poterunt, maxime ob tot cognomines Udalricos, quod nomen ex una in aliam familiam ob contractas affinitates fluxisse videtur, donec genuina interim producenda documenta rem in apricum deducant; quod autem optare quam sperare facilius est, cum veteris Alemanniæ scrinia hinc inde nimium adhuc sint obserrata, partim funestis bellorum et motuum intestinoruin casibus expilata, disjecta et distracta.

§ XVI. « Ex hujus » itaque Udalrici « semine, » ut pergit Chronicon, « natus est Uzzo pius et venerabilis comes, qui habitabat apud Brigantium, loco qui adhuc ruinas antiquæ habitationis habet. » Abhinc etiam intrat secundum genealogiæ hujus systèma supra, § 3, propositum, ex quo tamen Udalricus hic an. 867 ex filio nepos tantum fuisset Udalrici I Argengoviæ an. 802 comitis **285** et fratris Hildegardis reginæ, juxta stemma ibidem exhibitum. Ex Chronici porro nostri narratione ambiguum fit, fuerint Udalricus iste proximus pater Uzonis, an ex filio avus tantum; utroque enim modo intelligi possunt Annales nostri. Nil vero obstare videtur quin Uzo filius fuerit ipsius Udalrici comitis in Argengewe an. 867 in Ludovici Germanici diplomate notati: maxime si idem fuerit cum Udalrico comite in Linzgewe, qui usque ad an. 902 occurrit in chartis apud P. Herrgott. Posterius hoc suadere possent bona infra l. 1 enumerata, quæ Gebhardus ex parentum successione habuit pleraque in pago Linzgowe sita; cujus adeo comites fuisse videntur ejus progenitores, simul et adjacentis Argengewe, in quo

Digitized by Google

idem Uzo S. Gebhardi pater l. 1, n. 6. Lindaugiense monasterium suis ex prædiis nobiliter ditasse dicitur, ibidem etiam tumulatus, quod nullibi alias me logisse memini. Illa autem dicti cœnobii dotatio consignanda videtur post an. 948, quo juxta Hermannum Lindaugia incendio consumpta est ab Hermanno Alemanniæ duce; cui restituendæ prædia sua impenderit Uzo, sepulturam suam ibi nactus post mortem, quam haud multo post obiisse debuit, cum ejus filii l. c. n. 7 defunctis jam parentibus hæreditatem inter se diviserint, ac saltem jam anno 958 Gebhardus bonorum suorum dominium propriumque advocatum habuerit. Illo certe anno aut sequente mortuus est Alawicus Augiensis abbas, quocum ex n. 11 concambium iniit Gebhardus. Hujus frater senior Udalricus an. 955 prælio apud Augustam contra Hungaros gesto interfuit, unde de ætate patris ejus Uzonis judicare licet. Hunc Lazius Ethonem, Crusius vero Uthonem nominat, ex perperam scilicet lecto aut intellecto Uzonis nomine; ut rectę Tenzelius judicat, ex cujus etiam mente Uzo, Uozo et Huzo cum nomine Udalrico synonyma sunt. Uxor hujus Uzonis seu mater S. Gebhardi Dietburga nobilissima quidem in Chronico dicitur, quin ullibi ejus genus exprimatur, quod forte ob cognominem S. Udalrici Augustani episcopi matrem in Suevia et Dilingensi familia, aut etiam in Alemannia seu Turgovia quærendum est. Quid si Adelberti senioris Turgoviæ comitis filia fuisset?

§ XVII. Quatuor fuisse Uzonis filios solus iterum noster annalista prodit, dum econtrario Lazius cæterique nonnisi unicum Gebhardum Ethoni seu Uzoni filium tribuunt, Udalrico autem primogenito penitus omisso Lantfridum **286** ex Hugone Uzonis seu Ethonis fratre procreatum statuunt, patrem Marquardi : quæ omnia etiam Tenzelius (p. 276) ceu fictitia rejicit, nostroque scriptori standum existimat. Omnino enim Gebhardo fratres assignat ipsa ejus donationis charta l. 1, n. 9, qua juris sui proprietatem, quam parentum successione in pago Linzgove et alibi habuit, cum consensu fratrum suorum ad Ecclesiam Constantiensem tradidit. De primogenito Uzonis filio Udalrico præter pugnam Augustanam, cui an. 855 interfuit, nil aliud memorat scriptor : patri tamen in comitatu successisse videtur, cum, uti videbimus, alter seu Marquardus in pago Goldinishundere, Luitfridus vero in Winterthur comites fuerint. Ac forte is ipse est Vodalricus comes, quem anno 978 obiisse, scribit Hepidannus in suis Annalibus.

§ XVIII. Marquardus itaque alter Uzonis filius in amicitia Ottonis imperatoris plurimum potuit. Ottonem hic tertium nominis istius intelligo, Brigantinorum ex supra exhibito systemate cognatum, qui Marquardi comitis interventu S. Gebhardo an. 995 quædam prædia donavit in pago Goldinneshundere, qui in diplomate l. 1, n. 26 comitatus Marquardi dicitur. Besselius in Chronico Gottwicensi hunc pagum partem pagi Hegoviæ vocat, in ducatu Alemanniæ ac districtu Mosskirch. Notatur pagellus Goldineshuntare in comitatu Udalrici comitis in diplomate Ludovici Germanici an. 854 apud P. Herrgott n. 56, unde pagum hunc ex paterna Uzonis et avi Udalrici hæreditate obtinuisse videtur Marquardus : de quo plura reperire haud licuit, cujus tempus seu annus 995 optime convenit cum illo S. Gebhardi fratris sui an. 996 defuncti. Ex ipso autem hoc comitatu suo, simul et tempore diversus esse evincitur hic Marquardus a cognomine, qui ceu comes Rhætiæ Curiensis notatur in diplomate Conradi II imp. pro monasterio Fabariensi an. 1032 apud eumdem P. Herrgott n. 171. Ultimum hunc Luitfridi fratris S. Gebhardi filium statuit Lazius, et forte haud adeo perperam : quamvis enim scriptor noster unicum istius Luitfridi filium Adelbertum commemoret, nil tamen obstat quominus alios adhuc habere potuerit. Quin ex Lazio Adelbertus iste seu Albertus, qui in Apulia occubuit, non Luitfridi filius, sed ex filio Marquardo nepos fuisset. Et vero spectata temporum ratione difficile admodum est Adelbertum istum filium dicere Luitfridi, cujus frater Udalricus jam an. 955 militiam sequebatur. **287** Quo igitur modo Adelbertus ejus ex fratre nepos adhuc expeditionem tam remotam suscipere potuit post integrum fere sæculum, scilicet an. 1053, quo infaustum illud Leonis IX bellum contra Nortmannos teste Hermanno susceptum est, in quo optimi ex Suevis et Noricis XIV Kal. Julii occubuere? Cæterum de hoc argumento videatur quoque sæpe citatus Tenzelius, p. 284, ubi fidem rursus habet nostris Annalibus, dum stabilitam ibidem Luitfridi genealogiam adoptat. Utrique demum huic Marquardo tertius ex Brigantinis accensendus videtur, de quo Burckardus, de cas. S. Galli, c. 7, in Udalrico III S. Galli abbate ita scribit (Goldast, t. I, p. 72) : « Commotus abbas... quoddam satis munitum castellum nomine Marchtorf cum comite Ottone... expugnavit et succendit : Brigantium oppidum, Marquardo nobilissimo Suevorum capto, combussit; » quod ad an. 1079 vel sequentem pertinet. Iste autem Marquardus Brigantinus comes ad Udalrici fratris S. Gebhardi posteros vel nepotes pertinere potest. Ex hoc Burchardi testimonio Otto comes Brigantinus eruitur, in schismate pontificis partibus addictus; secus enim hanc cladem haud tulisset ab Udalrico abbate Cæsaris fautore. Ex Bernoldo tamen auctiore (infra, t. II, ad an. 1077) ominari licet Ottonem hunc dicto anno adhuc Heinrico regi adhæsisse, cum Ottoni episcopo Constantiensi schismatico Constantia profugo perfugium in castro suo dederit : quanquam brevi postea ob metum Rudolphi anticæsaris aliam mentem induerit. Cujus dein vestigia quoque pressit Udalricus ejus filius, ut infra, § 23 et 24, videbimus.

§ XIX. Porro egregie de historia meruit scriptor noster, dum Vitodurensium comitum in Winterthur originem pandit, hactenus satis obscuram, propterea a Fuesslino, t. IV, p. 186 seq., debita laude mactatus. Inde enim discimus celebre olim hoc

Digitized by Google

Turgoviæ castrum cum suis appendiciis in jus Brigantinorum comitum concessisse, atque in bonorum divisione Luitfrido S. Gebhardi fratri obtigisse : qui primus adeo comes de Winterthur sæc. x exstitit, unde dein Kiburgenses quoque prodierunt. Testem etiam hujus rei habemus Hartmannum, in Annalibus Eremi, qui de Hermanno, ab an. 1053 usque 1065 abbate Einsidlensi, ex monumentis domesticis hæc refert : « Erat ex comitibus Vitoduranis, qui Kiburgum etiam condidere, et Kiburgenses ab eo denominati sunt. Habuit fratres Luitfridum, qui ipsum **288** morte præcesserat, et Adelbertum tum comitatum administrantem. » Qui ex Vitoduranis primus fuerit castri Kiburgensis conditor, equidem non constat; forte tamen haud multum aberrarit, qui id cuidam filiorum Luitfridi primi Vitodurani comitis ascripserit, aut ipsi etiam Luitfrido, « qui plura peculia congregavit. » Displicet hoc Stumpfio in Chronico (l. v, c. 30) aliisque, qui originem castri et comitum de Kiburg jam ad sæculum nonum referunt. Quæ vero nullius momenti esse sustinet P. Hergott (*Geneal. Habsb.*, t. I, l. I, c. 9,) cum nomen Kiburgum vix ac ne vix quidem ante initium XII sæculi in antiquioribus monumentis occurrat. Hoc tamen de chartis duntaxat dictum puto; jam enim ad an. 1027 Hermannus Contractus Cuynburg castrum Werenharii comitis a Conrado II imp. captum scribit, quem Werinharium ad an. 1030 caput rebellionis contra Cæsarem appellat, quo etiam anno in prælio circa silvam nostram Martianam cum Ernesto Alemanniæ duce occubuit. De eo Hepidannus, facta pro more sexennio prævertens, ad an. 1033 hæc habet : « Castrum, quod Chiburch dicitur, tribus mensibus obsessum, Werinhero comite frustra diu repugnante, tandem ab ipso rege capitur; » itemque ad annum 1036 Werinherum comitem militem Ernesti ducis cum ipso in prælio cecidisse scribit. Wernherum istum Kiburgi comitem, ac forte etiam conditorem, inter Luitfridi filios referendum censemus, ac fratrem Marquardi (§ præc.) qui eidem in comitatu successerit. Hunc Adelberti in Apulia cæsi patrem dicit Lazius, et fors Luitfridi quoque junioris, atque Hermanni abbatis Eremitani, uti mox ex Hartmanno notavimus. Suadere id videtur adjecta ibi mentio Adalberti *tunc* comitatum administrantis, nempe a. 1053, quo abbas factus Hermannus XV Kal. Mart. Adalbertus autem brevi postea XIV Kal. Jul. in Apulia occubuit. Vix enim de alio Adalberto Vitodurano seu Kiburgensi comite hæc accipi possunt; nam qui ab annalista nostro memoratur Adalbertus, prioris ex filia Adelheide nepos, et totius patrimonii hæres, anno 1065 quo obiit Hermannus abbas, vixdum natus esse potuit, utpote adhuc circa an. 1139, quo scripsit auctor, superstes. Qua quidem ratione tolleretur difficultas § præc. mota, si prior Adalbertus Luitfridi filius dicatur, uti habet noster chronographus, qui tamen unam generationem Luitfridi senioris præteriisse videtur, omissis illius filiis, nepotem Adalbertum indicasse contentus, qui suo tempore comitia administrabat : cujus etiam reliquos fratres tacuit, cum isti ad genealogiam haud pertinuerint, quam deinceps prosequitur.

289 § XX. Adalbertus igitur, seu Albertus, Luitfridi primi Vitodurani comitis sive filius, sive verosimilius nepos, ultimus simul fuit comitum in Winterthur et Kiburg ex Brigantinorum stirpe, nonnisi filia Adelheide relicta. Hanc Adalberti amitam facit Lazius, sororem scilicet Marquardi patris illius, adeoque dicti Luitfridi filiam, qualis tamen temporum spectata ratione fuisse nequit. Nescio sane an non hic nostro scriptore aliqua subsit personarum confusio, ut ex duobus Marquardis, uno nempe fratre, altero filio Luitfridi, quod jam supra suspicati sumus, unicum tantum fecerit, uti et unum duntaxat Luitfridum ex duobus, patre nempe ceu seniore, et filio seu Luitfrido juniore, Adalberti et Hermanni abbatis fratre, quos supra produximus. Utcunque vero sit, recté omnino addit Lazius : « Adelheidem nuptam fuisse Hartmanno comiti Dilingensi, cui pro dote Winterthur et Kiburgensem comitatum attulit; nam antea Brigantinorum comitum is fuerit. » Igitur primum per hoc matrimonium sæc. XI comites Dilingenses simul etiam Kiburgenses effecti sunt, secus ac passim in genealogico comitum istorum stemmate asseritur : in quo insuper tot Hartmannorum mentio eamdem confusionem invexit qualem in Brigantino ex tot Udalricis supra conquesti sumus.

§ XXI. Adelheidem itaque Vitodurani seu Kiburgensis comitatus hæredem « comes Hartmannus senior de Dilingensi in matrimonium accepit, quæ ei peperit Hartmannum juniorem et Adilbertum, qui adhuc superest, et totius patrimonii et matrimonii, » seu Dilingani et Kiburgensis comitatus, « hæres effectus est; et Udalricum, qui apud Constantiam episcopus factus est, ut habet Chronicon, l. I, n. 8. Si edita hactenus Kiburgensium seu Dilingesium comitum stemmata attendamus, varios Hartmannos *senioris* vel *junioris* nomine adnotatos reperimus : quod quidem unice scriptoribus tribuendum existimamus, qui nulla habita ad præcedentes ejusdem nominis *seniorem* illum dixere, qui suo, quo scripserunt, tempore, prior floruit, cognominem autem filium aut successorem *juniorem* compellarunt, antiquo scilicet more pro temporum et personarum respectu, uti jam de Pippino **290** Heristallo observavimus, qui modo *senior*, modo *junior* dictus est. Sic et hic Crusius (*Annal.*, p. II, l. III, c. 11) Hartmannum seniorem nominat filium Richwini, cujus pater erat Theobaldus S. Udalrici Augustani præsulis frater jam an. 955 in prælio Augustano occisus : quis vero Hartmannum illum istius Adelheidis ultra dimidium sæculum posterioris maritum dicat? Longius adhuc aberrat Pistorius (*Script.*, t. III, p. 740), qui Hartmannum seniorem omnino S. Udalrici fratrem dicit, cui nupta sit Adelheida filia Adalberti, neptis Luitfridi; qui alius profecto

Digitized by Google

haud fuisset quam comes noster Vitoduranus. At manifesto rursus errore; quis namque credat Hartmanno fratri S. Udalrici an 973 defuncti uxorem fuisse filiam Adelberti Vitodurani, qui primum an. 1053 obiit? Nec vero semel errasse contentus, insuper Hugbaldum Dilingensem comitem an. 1170 defunctum patrem statuit Udalrici I Constantiensis episcopi, qui jam an 1127 adeoque 43 anno ante prætensum patrem fato cessit.

Quem porro Hartmannum hic intelligat, ipse scriptor l. II, n. 36, prodit, ubi Hartmannum *seniorem* comitem de Dilingem illum vocat, qui cœnobium Neresheim an. 1095 condidit. Is autem teste Bruschio in historia illius monasterii, et Stengelio in Monasteriologia (Vid. Franc. Petri *Suevia Eccles.*, p. 634), Hugbaldi quarti comitis Dilingensis filius erat, maritus Adelheidæ comitissæ de Kiburg, pater Udalrici episcopi Constantiensis, et Hartmanni junioris: quæ omnia cum nostro Annalista concordant. Sed et Velserus in Vita S. Udalrici (*Opp.* p. 581) Hartmannum Adelheidis maritum ad annum 1073 notat, patrem Hartmanni et Udalrici Constantiensis episcopi, avum vero Alberti, quod pariter cum Chronico nostro facit. Utrumque hunc Hartmannum nobis sistit Burckardus, de Cas. S. Galli, c. 7, de Udalrico III abbate hæc perscribens: « Chyburg cujusdam ditissimi comitis Hartmanni, regis Heinrici infestissimi hostis, cum multis spoliis suoque filio capto, castellum satis munitum in flammas destruxit; » quod anno 1079 sub Henrico IV imp. contigit. Unde colligimus, Hartmannum jam tum fuisse Kiburgi comitem ob Adelheidem conjugem, Adelberti patris sine mascula prole an. 1053 defuncti hæredem, matrem Hartmanni junioris et Adelberti, qui fratri ante obitum monacho facto et an. 1134 mortuo successit in utroque comitatu, totius scilicet patrimonii et matrimonii hæres effectus. Hunc Lazius, p. 535 et 539, male confundit cum altero Adelberto de Achalm, quem auctor noster ex una filiarum dicti Hartmanni genitum scribit, uti mox videbimus.

291 § XXII. Præter memoratos tres Hartmanni Senioris filios totidem adhuc ejusdem ex Adelheida Vitodurana, seu Kiburgensi filias assignat Annalista, « quæ modo, inquit, in sanctimoniali habitu commorantur, quarum una genuit Vodalricum comitem de Gamirtingen et Adilbertum de Achalmin, qui ambo adhuc vita potiuntur. » Horum matrem, cujus nomen silet noster, Crusius (*Annal.* p. II, l. IX, c. 20) Adelheidem vocat, filiam Hartmanni de Dilingen, sororem Udalrici Constantiensis episcopi, uxorem vero Udalrici comitis de Gamertingen, ex quo alterum Udalricum progenuit, et anno 1101, consentiente aut mortuo jam marito, monialis in Zwifalten facta post trigenta annos, a. 1131, decessit, ut refert P. Arsenius Sulger in Annalibus Zwifalt. t. I, p. 57 et 77. Huic alteram pariter ibidem monialem adjungit Hedwigem seu Hadewigem, tandemque ex Sulgero l. c. abbatissam in Edelstetten, an. 1131, 13 Nov. defunctam. De iisdem sororibus etiam agit Ortliebus De fundat. monast. Zwifalt., c. 19 apud P. Hess (*Monum. Guelph.* p. 192). Ubi locorum monialem induerit tertia soror, haud constat, de ea saltem silet Sulgerus, ubi l. c. p. 79, agit de comitibus in Gamertingen, qui simul Achalmiæ comitatum tenuerint, nulla tamen facta mentione Adelberti hujus de Achalm. Illum Lazius pro more Albertum nominat, perperam vero, ut jam monuimus, Hartmanni IV Dilingensis filium, et quidem sub Ottone II imp. ac S. Wolfgangi fratrem aut fratruelem facit; erat enim Hartmanni istius non filius, sed ex filia nepos, nec S. Wolfgangi Ratisbonensis jam an. 994 defuncti tempore, sed sæc. XII primum floruit adhuc circa a. 1131, quo auctor scripsit, superstes, uti et frater ejus Uldaricus de Gamertingen. Hunc illum esse arbitror, de quo ita Burckardus de Cas. S. Galli c. 9 « mortuus est quidam advocatus hujus Ecclesiæ, Vodalricus nomine, de Gamertingen, ac filius ejus adhuc puer eodem jure mortis rapitur, et ab abbate Wernhero qui circa an. 1166 obiit comes Ruodolfus de Pfulmendorf illi substituitur. » De Rudelfo Pfulendorfensi comite infra § 24 redibit sermo. Udalricus iste in Necrologio Zwifalt. (P. Hess, *Monum. Guelf.* p. 251) legitur V Non. Octob., uti et XIV Kal. Octob. pater ejus. « Ulricus comes de Gamirtingen; hic cum patre Arnoldo comite in nostro capitulo est tumulatus. »

292 § XXIII. Jam ad comites Brigantii revertamur, ubi Uzo seu Udalricus S. Gebhardi pater primus sedem fixit, ibique ejus posteritas adhuc auctoris tempore sæc. XII floruit. De Seniore ejus cognomine filio et in comitatu successore, nonnulla diximus supra § 17, illum an. 978 obiisse suspicati. In charta Eberhardi episcopi Constantiensis an. 1043 (*infra*, l. II, § 10) inter testes primo loco occurrit Udalricus Brigantinus, qui ejusdem filius fuisse videtur, et forte is ipse, qui infra l. II, § 20, memoratur « Udalricus Senior comes Brigantinus » Petershusii in claustro sepultus: *Senior* autem dictus respectu alterius, forte ejus filii, aut nepotis potius (*vid.* schema genealog.) qui an. 1097 obiit ex Bertholdo Constantiensi in Chronico, ubi hoc ei elogio parentat: « Udalricus comes præclarissimus, in causa S. Petri contra schismaticos propugnator ferventissimus, heu! satis immatura morte, sed cum bona confessione diem clausit extremum, et apud Brigantium, ubi ipse monasticam vitam instituit, honorifice sepelitur VI Kalend. Nov. » Notatur pridie hujus diei in citato Zwifaltensi Necrologio, *Ulricus comes de Brigantia*, in Petersbusano plane omissus. Mortis ejus genus describit Chronicon nostrum l. III, § 23, ubi filii quoque ipsius enumerantur Rodolfus et Udalricus, ex Bertha Rodolfi anticæsaris et comitis Rheinfeldens's filia, in utroque dicto Necrologio ad diem 20 Januarii adnotata, cujus etiam nuptiæ referuntur l. III, § 21. De eodem Udalrico hæc insuper scribit idem Bertholdus Constant. ad an. 1093.

Digitized by Google

« Dux Welfo et comes Udalricus de Brigantia, et alii quamplures omnimodis se invicem incendiis devastare aggressi sunt. » Causam dissidii non prodit, inde forte enati quod jam tum in partes Cæsaris inclinaret Welfo, uti de eo refert Bertholdus an. 1095, a quibus abhorrebat Udalricus, pontifici addictus. Aliam affert P. Hess (*Mon. Guelf.* p. 159), quod Otto ultimus comes in Buochorn hæreditatem suam cesserit Welfoni, uti narrat anonymus Weingartensis c. 8, § 3 (*Ibid.*, p. 18), quam tamen sibi potius jure propinquitatis competere existimarit Udalricus Brigantinus. Utrum autem hic Udalrici senioris filius, aut magis ex Ottone filio nepos dicendus sit, uti in seqûenti schemate genealogico merito suspicamur, aliis disquirendum relinquimus.

293 § XXIV. Udalricum in Augia Brigantina majore, seu Mereraw, ubi sepultus est, vitam monasticam instituisse, cum Bertholdo pariter chronographus noster testatur, l. III, § 19 seq., nec non Bruschius aliique eum secuti, ut tamen hæc de secunda fundatione, seu primæ pridem jam factæ restauratione rectius intelligant. Aberrant vero, dum id ad annum 1098 consignant, quo jam obierat Udalricus, quem Brigantiæ simul et Rhætorum comitem statuunt, quod ejus comitatus in Rhætiam usque sese extenderit, ut patet ex diplomate Henrici IV pro monasterio Fabariensi an. 1095, apud P. Herrgott n. 191, in quo Curvalia in comitatu *Odalrici comitis de Bragauica* sita dicitur. Ista hæc restauratio in Gallia Christ., t. V, p. 972, ad an. 1097 refertur; quod forte de ecclesia ex lapidibus ædificata ab Udalrico cœpta (l. II, § 22) intelligendum, quam dein perfecit Rudolphus Udalrici et Berthæ filius, an. 1125 ab Udalrico episcopo consanguineo suo consecratam; cum jam prius circa an. 1090 claustrum et oratorium ligneum ibidem fuerit exstructum (l. III, n. 20). Porro distinguendi hic sunt duo Rudolfi comites ex Ottone de S. Blasio, qui cap. 21 ad an. 1167 ita scribit: « Rudolfus comes de Phullendorf sororius comitis Rudolfi de Brigantia omnia prædia sua hæredis loco imperatori [Friderico I] tradidit. » Quid vero per *sororium* intelligat, in mox præcedentibus declarat, dum eumdem imperatorem *sororium Welfonis* appellat, filium scilicet sororis Welfonis Juditha, ac filiæ Henrici Nigri Bavariæ ducis. Igitur et hic Rudolfus Pfullendorfensis filius erat sororis Rudolfi Brigantini; unde et Bruschius in *Augia Alba Brigantina* Udalricum Brigantii comitem, qui anno 1097 obiit, recte avum dicit Rudolfi a Pfullendorf, patrem scilicet matris ejus, quam Elisabetham nominat, sororem Rudolfi Brigantini. Ex hoc ipso autem subsistere nequeunt quæ idem Bruschius, l. c. sciscit., de illo Rudolfo Pfullendorfensi jam a. 1102 altero illius monasterii fundatore. Bertha siquidem, avia illius materna, tunc vix quadragenaria esse potuit, cum Rudolfus anticæsar pater ejus secundas nuptias cum matre ejus Adelheide demum anno 1061 inierit; nec adeo illo tempore seu a. 1102 nepotem jam adolescentem habere potuit Bertha illius filia.

Quæ igitur Bruschius l. c. scribit, nequaquam de Rudolfo sororio seu Pfullendorfensi, sed de ipso Rudolfo Brigantino intelligenda veniunt, Berthæ filio (*Infra* l. III, § 23): **294** qui, ut somniat Lazius p. 557, ducta ultimi comitis a Pfullendorf et Sigmaringen filia, locorum illorum comes sit effectus; qua enim ratione ultimi Pfullendorfensis filiam conjugem habere potuit Brigantinus, cujus soror Pfullendorfensi nupta alterum ejusdem familiæ comitem progenuit? Nec uspiam Rudolfum hunc Brigantinum comitem quoque a Pfullendorf appellatum reperi, sed errore duntaxat recentiorum scriptorum uterque in unam personam coaluit. Factum id maxime est postquam, mortuo Rudolfo Brigantino, quo anno incertum, bona ejus ad Rudolfum de Pfullendorf ceu sororis suæ filium devoluta sunt, a quo tempore hic modo comes Brigantinus, modo de Pfullendorf nuncupatur, utpote utriusque comitatus hæres. Quæ quidem omnia aperte confirmantur ex diplomate Friderici I imp. an. 1170 (*apud P. Herrgott* n. 240), quo susceptam ab Eginone Curiensi episcopo Curiensem advocatiam Friderico filio suo Sueviæ duci eo jure concessit, « quo eam comes Rodulfus de Bregenze, et postmodum comes Rudolfus de Phullendorf obtinuisse dignoscitur, » qui hic etiam subscribitur uti et in altero anni 1152 (l. c., n. 253), Rodulfus autem Curiensis seu Brigantinus adhuc an. 1127 notatur (*Ib.*, n. 208). Hoc postea mortuo, et mascula stirpe Brigantinorum exstincta, ad Pfullendorfenses per ultimi Brigantini filiam, et pariter per norum postremi Rudolfi filiam Itam Alberto comiti nuptam, omnes illorum possessiones ad Habsburgenses eo modo devenerunt, quo prius jam Dilingani per Adelheidam ultimam hæredem in altera stirpe comitum in Winterthur et Kiburg successerunt, quæ tandem et ipsa Habsburgensibus obvenerunt. Cæterum Rudolfus iste de Brigantia Udalrici filius is ipse est, quem inter et Udalricum II, episcopum e D. Blasii monacho a. 1127 electum, discordia suborta est, prætextu quorumdam bonorum quæ S. Gebhardus quondam ex sua hæreditate Brigantina monasterio Petershausen donavit, ut scribit Manlius in Chronico, ac meminit etiam noster l. IV, § 20. Quid porro actum sit de Udalrico Rudolfi fratre, nos latet; sed cum mature mortuum fuisse suspicamur: secus enim ad aliam familiam non pervenisset iste comitatus, si supervixisset, aut masculum saltem hæredem reliquisset.

Atque hæc jam ultima in Chronico nostro est Brigantinorum comitum, unde ortus fuit S. Gebhardus, mentio; quorum seriem in Rudolfo, ut videtur, exstinctam nec nos ulterius prosequimur, quam nonnisi ad illustrandum Chronici Petershusani scriptorem hucusque perduximus, sæpius quidem per conjecturas tantum, suis tamen rationibus faltas, firmioribus **295** producendis ultro subscripturi. Ut autem tota hujus systematis ratio pateat, se-

Digitized by Google

quens proponimus stemma genealogicum istorum comitum inde a patre S. Gebhardi, omissis, quæ superius § 14 jam notata sunt.

STEMMA COMITUM BRIGANTINORUM

A PATRE S. GEBHARDI

Sæc. x usque ad finem hujus stirpis

ex Chronico Petershusano.

UZO seu Udalricus.

1. Udalricus comes Brigantinus † 978.
2. Marquardus comes in Goldinnishundere.

THIERPURGA uxor.

3. Luitfridus comes in Winterthur.
4. S. Gebhardus ep. Constant. † a. 995.

Udalricus comes Brigantinus, alterutrius fratris filius a. 1043.

Otto (703*) comes Rhætiæ Curiensis 1079.

Udalricus Brigantiæ comes † a. 1097. Bertha uxor.

Rudolphus comes Brigantiæ a. 1127.

Udalricus.

Elisabetha soror nupta comiti Pfullendorfensi.

Rudolphus de Phullendorf ux. Wilfildis Guelfica.

Ita filia, uxor Alberti comitis de Hasburg.

Marquardus, seu Luitfridus, comes in Winterthur et Kiburg (703).

Adalbertus alterutrius filius, comes in Winterthur et Kiburg. † a. 1053.

Adelheidis uxor Hartmanni senioris de Dilingen.

Adelheidis uxor Udalrici de Gamertingen.

Udalricus ep. Constant.

Hartmannus Junior.

Adelbertus Dilingensis et Kiburgensis hæres.

Adelbertus de Gamertingen, Udalricus de Achalm.

296 § XXV. Priusquam disquisitioni huic finem imponamus, restat ut Fuesslini assertum discutiamus de Cuonone comite, qui in Chronico nostro (l. III, n. 3) ex concubina pater fuisse dicitur Theodorici an. 1086 Petershusani abbatis, Luitoldi et Marquardi, quos duos ultimos *post obitum patris in jus Hartmanni comitis de Dilingen* cessisse ait scriptor, *eo quod ex ancilla nati essent*. Hæc ita accipienda arbitror, ut filii illi, ceu illegitimi et insuper ex ancilla (Hartmanni utique subdita) nati, jus paternæ hæreditatis amiserint ad Dilingensem comitem devolutum, cujus forte miles seu vasallus erat pater eorum Cuono. Constat id, ex illis quæ postea habentur, Luitoldum filiorum alterum a rege Henrico IV privilegium libertatis pro se ac suis posteris promeruisse; igitur prius illam amisit, cum in jus Hartmanni concessit. Quæ dum perspicua sint, nescio sane qua ratione Fuesslinus t. IV, p. 191, citata Chronici verba in eum sensum interpretari potuerit, quasi ambo isti filii Dilingano comiti in comitatu successerint, atque exinde Cuononem hunc eorum patrem comitibus de Winterthur, seu Kiburg adnumeret. Aut num ideo Hartmanno successerint, *quod ex ancilla nati sunt*, unde propriam potius amiserunt, quam aliam hæreditatem acquisierunt? Verum aliunde etiam assertum hoc sustineri nequit; hac enim ratione Cuno iste patrem habere debuisset Luitfridum, primum ex ipso Fuesslino Vitodurano comitem, cum filius ejus Theodericus jam an. 1086 abbas exstiterit; nec adeo Dilingenses Kiburgensem, sed hi potius Dilingensem comitatum hæreditate obtinuissent. Aut quomodo fratres isti successores dici possunt Hartmanni de Dilingen? qui tamen ipse Adelheidem ultimi Vitodurani comitis Adelberti filiam conjugem habuit, unde Hartmannum juniorem et Adelbertum proximos suos successores progenuit, quorum ultimus saltem adhuc an. 1131 superstes fuit, totius patrimonii et matrimonii hæres. Nullus itaque nec inter Vitoduranos seu Kiburgenses, nec inter Dilinganos comites relinquitur locus Cunoni ejusque filiis, alibi forte in Suevia inquirendis; quorum vero familiam inquirere nostrum haud interest. Qui porro in Chronico, quod jam damus, hinc inde occurrunt comites aliive nobiles, suis locis in subjunctis notis, quoad eorum notitia haberi poterit, breviter illustrabimus, uti et nomina locorum, sæpius tamen hariolando extundenda potius quam certo determinanda.

(703) Generatio hæc inserenda videtur, ne nimium protrahatur ætas Udalrici comitis, cujus pater cognominis jam an. 978 obiit, cujus filius vix fuit Berthæ maritus primum an. 1097 mortuus et quidem *immatura morte*, qui ex dictis vix ante an. 1080 Bertham ducere potuit. Facit huc Bernoldus auctior, qui ad an. 1079 refert Wolfonem ducem Rhætiam Curiensem invasisse et comitis *Ottonis* filium subegisse: qui filius alius esse vix potuit, quam Udalricus iste junior, *Otto* certe provincialis et comes in curia Rhætiensi notatur in diplomate Henrici III imp. an. 1050 pro monasterio Fabariensi in illo comitatu sito, scilicet *in comitatu Odalrici comitis de Braganica*, ut habet diploma Henrici IV imp. a. 1095 ap. P. Herrgott. n. 191. Igitur ultimus hic Udalricus *Ottonis* istius filius fuisse merito judicatur.

(703*) Generatio hæc non ex Chronico nostro, sed ex Lazio inserta est.

Digitized by Google

INCIPIUNT
CASUS PETRISHUSENSIS MONASTERII
SEU
CHRONICON PETERSHUSANUM.

LIBER PRIMUS.

297 § I. *De distinctionibus Galliarum.*

Tres distinctiones Galliarum esse memorantur(704). Una siquidem Gallia Comata, quæ et Italia, quam Longobardi atque Romani incolunt, vocatur, eo quod Italici antiquitus comas præ aliis nationibus diligentius nutriebant: sive ideo Comata dicitur, hoc est, ornata, quod Romana urbe, quæ fastigium imperii totius orbis retinebat, decoratur. Alia vero Braccata Gallia, quam Theotonici inhabitant, ideo nominatur, quoniam Theotonici braccis sive femoralibus plus aliis gentibus utuntur. Tertia autem Togata Gallia pro eo nomen accepit, quod hujus provinciæ incolæ togis, id est, vestibus diversi coloris, et usque ad calcaneum pertingentibus, coutuntur, adeo ut hac tabe etiam alias circumpositas infecerint nationes. Et hæc quidem, ut diximus, antiquitus singularum provinciarum erant propria, nunc autem singularum sunt communia.

§ II. *Origo comitum Brigantinorum.*

In hac igitur Gallia quam Togatam diximus cognominari, erat quidam vir nobilissimo genere decoratus, cui rex Francorum, qui et imperator Romanorum, sororem suam dederat in matrimonium, ex qua duos 298 genuit filios, qui ambo sunt(704*) sicut clarissimi genere, ita et animi virtute. Itaque cum adolevissent, et rebus opulenti, viribusque atque armis essent acerrimi, contigit ut inimicitiæ venenum inter ipsos et regem ipsius provinciæ irreperet, eorumque præcordia in tantum inficeret, ut nul- A latenus antea cohiberi potuissent, quam regem manus gladii vita privaret.

§ III.

Rege igitur interempto, timentes hi duo conspirationem comprovincialium suorum, ad avunculum suum imperatorem augustum se contulerunt, et, ab eo gratanter suscepti, in Alemannia loca habitationis acceperunt quamplurima, et sicut multa, ita et optima. Dedit quippe eis Potamum (705) et Brigantium (706), Ueberlingin (707) et Buochorn (708), Ahihusin (709) et Turingin (710) atque Heistirgou (711), Winhiture (712) quoque cum omnibus appendiciis eorum, et in Rhætia Curiensi Mesouch (713) et alia multa, quæ vetustate temporum memoria deleta sunt. Talibus igitur ab imperatore B dotati donis, cum ea adissent, et suo juri mancipassent, viris suis nobilissimis, qui secum venerant, ex eis dona largiti sunt, et uni quidem dederunt Turingin, alteri Ueberlingin, alii vero Buochorn, qui etiam postea cum eis connubia miscuerunt, eiscue affinitate conjuncti sunt.

§ IV.

Igitur postquam Gallorum furor, quo contra hos duos germanos exarserant, sopitus est, propinqui et amici corum mittentes, ut in patriam suam redirent, rogaverunt. Quorum unus magnis precibus devictus in patriam 299 rediit, alter vero nomine Vodalricus in Alamannorum provincia remansit, et omnia quæ ab imperatore data erant obtinuit, et C posteri ejus usque in præsentem diem.

(704) Legendus de triplici hac divisione veteris Galliæ inter alios Ægidius Tschudius in descriptione Galliæ Comatæ. Hanc vero perperam instituit Chronici scriptor: Comata enim Gallia erat Transalpina Romanis dicta, seu Celtica et Belgica: Braccatam constituebat Gallia Narbonensis: Togata vero Cisalpina dicebatur, seu Cis et Trans-Padana, adeoque tota fere Lombardia, cujus incolæ Romanorum togis oblongis utebantur.

(704*) *Ed.*, facti sunt.

(705) Regia hæc curtis forte postea primum Brigantinis accessit, in quorum dictrictu jam antea erat, etsi fisco regio adhuc parens.

(706) Oppidum seu castrum ad oram lacus Bodamici ex charta a. 802 in pago Argengewe, juxta Walafridum jam sæc. VII vetustate collapsum, postea restitutum.

(707) Olim curtis regia in pago Linzgowe.

(708) In eodem pago, ambæ nunc civitates imperiales.

(709) Ahausen ibidem.

(710) Turingen in eodem tractu, a quo capitulum rurale nomen habet.

(711) Haidgau inter oppida Waldsee et Wurzach.

(712) Winterthur, Turgoviæ castrum.

(713) Misax seu Mesax, lat. Mesaucum, unde vallis Mesaucina, Ital. Misocco.

Digitized by Google

V. *Uzzo S. Gebehardi pater.*

Ex hujus itaque semine natus est Uozzo, pius et venerabilis comes, qui habitabat apud Brigantium, loco qui adhuc ruinas ostendit antiquæ habitationis (714). Hic accepit uxorem, nomine Dietpurgam, secundum Deum valde religiosam, secundum sæculum vero nobilissimam. Hic Uozzo tantæ fuit pietatis et meriti, ut etiam aves ejus sanctitatem sentirent, et ad ejus mensam intrepide advolarent, et de ejus manu cibum caperent, et cum aliæ satiatæ abirent, aliæ denuo saturandæ venirent. Item una die diluculo ad ostium ejus cubilis cerva e silva adveniens pede pulsavit, cumque ostiarius aperiret, et videret, ac renuntiaret bestiam astare, ostiumque pulsasse, ille pietate docente prænoscens aliquam necessitatis causam bestiam illuc adduxisse: « Eia! inquit ad servum, sequere eam, et vide si quid forte velit. » Ille nihil moratus secutus est præcedentem, quæ duxit eum in silvam, et ostendit ei partum suum in compede hærentem pede, et stans demisso capite, motu aurium quasi rogare cœpit. Ille confestim dum pedem hinnulo de compede exsolvit, cerva cum catulo læta in silvam abiit, et servus ad dominum suum rediit, eique quæ gesta sunt nuntiavit. Talibus et his similibus sæpius cum hoc venerabili viro Deus quasi joculabatur, quia jocundus homo, qui miseretur in Domino, non commovebitur in æternum.

Alio quoque tempore, cum idem venerabilis Huotzo comes in aula imperatoris demoraretur, contigit uno die ut leo de cavea evaderet, et more suo quæcunque invadere poterat discerperet; cumque ei nullus appropinquare auderet, sed omnes ante cum fugerent, suggestum est imperatori a quibusdam quatenus jam dicto viro Dei Huotzoni comiti diceret, ut leonem in virtute Dei aliquantulum mitigaret, dicentes se experimento **300** didicisse ipsum in Domino tantæ virtutis fuisse, ut, si voluisset, facile leonis ferocitatem mitigaret. Imperator autem hæc audiens nil moratus Huotzonem advocavit, eique humiliter pro instanti causa supplicavit. At ille primo humilitatis gratia se tanta tentare posse excusavit, ad extremum vero, cunctis qui aderant, simul cum imperatore postulantibus acquievit, seque leoni sævienti obviam dedit. Statim ergo ut eum leo vidit, cum omni ferocitate, quasi totum continuo eum discerpturus, accurrit; sed illo expansis manibus eum excipiente, repente suam ferocitatem leo oblitus totum se ante pedes viri Dei prostravit, eosque lambere cœpit; quem ille manu demulcens magistris ejus imperavit ut eum absque pavore tenerent atque recluderent. Hoc viso imperator (715) obstupuit, eique venerabiliter obtulit dicens, « Quoniam vos cum Deo agere video, ab omni vos deinceps regali servitio libens absolvo. »

§ VI. *De progenie Utzonis.*

Hic ergo quatuor genuit filios, unum nomine Udalricum, alterum Marquardum, tertium Luitfridum, quartum vero totius decus generis Gebehardum. Ipsum Uodalricum ob lepo em vocaverunt Uozzonem, cujus filius Uodalricus fuit in bello quod Otto imperator cum Hungaris pugnavit juxta Vindelicam Augustam; pater vero Lindaugense monasterium suis ex prædiis nobiliter ditavit, ubi et venerabiliter tumulatus quiescit, cujus posteritas adhuc (716) apud Brigantium floret. Marquardus autem filius ejus comes effectus in amicitia Ottonis imperatoris plurimum potuit.

§ VII. *De Luitfrido Gebhardi fratre.*

Igitur cum hi quatuor fratres defunctis jam parentibus hæreditatem inter se dividere vellent, unus eorum Luitfridus superius nominatus, cum esset deses et imbellis, cæterisque despicabilior, verens ne forte propter ignaviam suam a fratribus in divisione contemneretur, secum tractare cœpit **301** qua arte eos circumveniret, ut sibi partem hæreditatis non negarent. Multa igitur secum volvens, et ad ultimum utile sibi suisque posteris consilium reperiens, sic unum ex fratribus suis, aliis ignorantibus, affatus est: « Scis, inquiens, frater, scis quod ego, vobis fratribus meis impar, nequaquam negotiis sæculi idoneus appareo; sed si meis consiliis assensum præbueris, non modicum commodum tibi tuisque posteris præstabis. Te enim præ cæteris fratribus meis diligo, tecumque habitare desidero, et ideo, cum ventum fuerit ad divisionem hæreditatis nostræ, omni nisu satage ut in meam partem cedat Wintirtura (717) cum suis appendiciis, sciasque procul dubio quoniam, si hæc in meam devenerint proprietatem, quod tibi ea sum traditurus, et ipse tecum deinceps, quemadmodum jusseris, ero permansurus; in hoc ergo tuæ consule utilitati, et meæ obtemperare stude voluntati. » Sic fratri secundo, sic clam locutus est et tertio, singulis credentibus quod hæc sui amore loqueretur, omnesque hac spe promptos ad effectum suæ voluntatis reddidit. Itaque cum ventum esset ad divisionem, et unicuique sua sors caderet, singuli festinabant Luitfridi petitionem adimplere propter ejus, quam jam diximus, promissionem, ignorantes singuli, quod unicuique eorum æqualia promisisset. Et quoniam omnium par erat voluntas, facile ad effectum est perductum quod omnes unanimiter voluerunt, et Luitfrido Wintirtura cum omnibus appendiciis suis confirmaverunt.

At ille, merito lætabundus, sibi tradita adiens egregia prædia, suo juri mancipavit universa, atque

(714) Teste Sprechero Pallad. Rhæt., anno 948 Hermannus dux Alemanniæ castrum Brigantinum jussu imperatoris Ottonis cepit, ac forte etiam destruxit, unde hæc rudera.

(715) Videtur fuisse Henricus auceps, aut filius Otto imp. ei sanguine junctus, ut ex prævia disquisitione § 14 liquet.

(716) Sæculo nempe XII, quo scripsit auctor

(717) Inde discimus Winterthur, Turgoviæ castrum et oppidum in ducatu Alemanniæ, ad comites Brigantinos pertinuisse, ex quibus hic Luitfridus proprium exinde comitatum erexit, qui postea ad Dilingenses transiit. Vid. Lew. lex. h. v.

Digitized by Google

tali fratres fefellit astutia, atque agriculturæ operam dedit et multa peculia congregavit; acceptaque uxore filium ex ea genuit nomine Adilbertum, qui cum B. Leone papa in Apuliam transiit, ibique pro causa S. Petri contra Nortmannos, qui Apuliam invaserant, pugnans occubuit. Hujus filia erat Adilheidis, quam comes Hartmannus senior de Dilinga in matrimonium accepit, quæ ei peperit Hartmannum juniorem, et Adilbertum, qui adhuc superest, et totius patrimonii et matrimonii hæres effectus est; et Uodalricum, qui apud Constantiam episcopus factus est, de quo postea forsitan aliqua dicturi sumus; filias quoque tres, quæ modo in sanctimoniali habitu commorantur, quarum una genuit Uodalricum comitem de Gamirtingen, et Adilbertum de Achalmin, qui ambo adhuc vita potiuntur.

302 § VIII. *Quomodo Gebehardus hæreditatem adeptus est.*

Junior igitur supra memoratorum fratrum, sed ornamentum eorum, Gebehardus, ex defunctæ matris Dietpurgæ utero excisus, et quibusdam fomentis obvolutus est usque ad tempus nativitatis, Deo ejus vitam ad multorum salutem reservante. De talibus tamen excisis litteræ testantur quod, si vita comes fuerit, felices in mundo habeantur. Itaque enutritus et litteris traditus, apud Constantiam eruditus, ibique canonicus factus est, cujus Vitam quoniam alio opere (718), ut potuimus, exsecuti sumus, nunc paucis attingemus. Denique cum fratres ejus, sicut superius retulimus, sortes hæreditatis inter se distribuerent, dixerunt hunc esse clericum, nec eorum hæreditatis indigum, ex facultatibus Ecclesiæ satis opulentum. Ille hæc audiens cum gravi indignatione portionem suam exquirebat; et, quoniam eloquentissimus erat et efficax, comminabatur eis ad ultimum quia, si sponte sibi jus hæreditatis suæ nollent dare, se arma sumpturum, seque gladio defensurum. Itaque, hoc auditu percipientes, inviti fecerunt quod sponte noluerunt, eique partem suam ex integro tradiderunt.

§ IX. *De his quæ ad Constantiam tradidit.*

At ille, quoniam lex Dei erat in corde ipsius, terrenis divitiis non supplantati sunt gressus ejus, sed ad ecclesiam S. Mariæ Constantiæ (719) partem prædiorum suorum temporibus beatæ memoriæ Kuonradi præsulis tradidit, super quæ tale privilegium fecit:

Privilegium de Obirndorf.

« Noverint omnes tam præsentes quam futuri quod ego KEBEHART, sanctæ Constantiensis Ecclesiæ frater indignus, cogitans pro remedio animæ meæ, nec non evangelica et apostolica secutus exempla, cum consensu **303** fratrum meorum (720), et manu advocati mei Uodalrici, juris mei proprietatem, quam parentum successione in locis Hoberndorf (721), Hakelinbach (722), Pilolfhinga (723), Luiteestorof (724) cum omnibus appendiciis ad eadem loca pertinentibus, ædificiis, mancipiis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus et immobilibus, et cunctis ad eadem loca pertinentibus, [quæ] dignoscor habere, trado ad sanctum prædictæ Constant. ecclesiæ cœnobium, fratribus Deo ibidem assidue famulantibus, cui vir summæ religionis ac doctrinæ Chuonradus episcopus regimine spiritali præfectus esse videtur (725): ea tamen conditione ut ego, eamdem ad me recipiens proprietatem, vel alius ejusdem fraternitatis, quemcunque voluero, censum inde persolvat, id est singulis quibusque abhinc in posterum annis, festivitate S. patris nostri ac venerabilis papæ Gregorii (726) prædictis fratribus, sicut canonica monstrabit regula, serviatur (727). Actum Constantiæ quarta Id. Martii, præsente et confavente prædicto advocato meo Uodalrico, nec non et aliis testibus, quorum subscripta sunt nomina : Eberhard. Liutfred. Hildibold. Chuzzo. Cozpret. Adilpret. Mereboto. Liutpret. Sigibert. Hadepert. Dietger. Wern. Adilgoz. »

§ X. *Quomodo quæsivit ubinam monasterium construeret.*

Cum autem placuit ei qui cum mirabili ordine de utero matris suæ segregavit, et vocavit per gratiam suam ut esset in domo Domini lucerna ardens et lucens, continuo non acquievit carni et sanguini ut indulgeret otio vel voluptati, sed mente pertractans quomodo ad hoc vocatus erat ut in vinea Domini laboraret, eamque excoleret et melioraret, cœpit investigare per consilium Spiritus sancti quo ingenio se, veluti damula, excuteret de hujus mundi decipula, ut, veluti Hebræus servus, septimo anno, hoc est, post transactos labores hujus mundi liber Sabbata agere posset in **304** sæcula. Denique omni intentione exquirebat quonam modo Christo acceptissime, quæcunque habebat vel acquirere poterat, offerre quivisset : et tale demum reperit consilium, nihil suæ saluti melius profuturum quam

(718) Deperiit hæc vitæ S. Gebehardi Historia a Chronici hujus auctore scripta; quæ enim apud Bollandianos t. VI Aug. p. 115 habetur, a Manlio sæc. XVI ex seniorum traditione conscripta est, multum tamen convenit cum iis quæ hic narrantur.

(719) Constantiensis ecclesiæ cathedralis canonici communem tunc vitam agebant, unde et fratres vocabantur, ipsorumque habitatio cœnobium. (GERBERT. *Hist. Sil. Nig.* t. I, p. 154.)

(720) Ergo habuit fratres, supra nominatos, secus ac Lazius aliique sentiunt; ac forte ipse ejus advocatus Udalricus inter illos erat.

(721) Oberdorf in capitulo rurali Lindaviensi.

(722) Videtur esse Heggelbach in capit. Ysnensi § 34. Hagilimbach.

(723) Bllalingen in capitulo Linzgav.

(724) Liggerstorf in capit. Stockach. Loca scilicet in pagis Linzgove, Hegove et Algove, ubi paternæ possessiones erant. Vid. infra § 34.

(725) S. Conradus an. 974 obiit; igitur hæc charta prius jam data fuit.

(726) Patet hinc, Gebhardum etiam ante fundatum monasterium et acceptas Roma reliquias eximium S. Gregorii papæ fuisse cultorem.

(727) Vid. infra § 34.

Digitized by Google

V. *Uzzo S. Gebehardi pater.*

Ex hujus itaque semine natus est Uozzo, pius et venerabilis comes, qui habitabat apud Brigantium, loco qui adhuc ruinas ostendit antiquæ habitationis (714). Hic accepit uxorem, nomine Dietpurgam, secundum Deum valde religiosam, secundum sæculum vero nobilissimam. Hic Uozzo tantæ fuit pietatis et meriti, ut etiam aves ejus sanctitatem sentirent, et ad ejus mensam intrepide advolarent, et de ejus manu cibum caperent, et cum aliæ satiatæ abirent, aliæ denuo saturandæ venirent. Item una die diluculo ad ostium ejus cubilis cerva e silva adveniens pede pulsavit, cumque ostiarius aperiret, et videret, ac renuntiaret bestiam astare, ostiumque pulsasse, ille pietate docente prænoscens aliquam necessitatis causam bestiam illuc adduxisse: « Eia! inquit ad servum, sequere eam, et vide si quid forte vélit. » Ille nihil moratus secutus est præcedentem, quæ duxit eum in silvam, et ostendit ei partum suum in compede hærentem pede, et stans demisso capite, motu aurium quasi rogare cœpit. Ille confestim dum pedem hinnulo de compede exsolvit, cerva cum catulo læta in silvam abiit, et servus ad dominum suum rediit, eique quæ gesta sunt nuntiavit. Talibus et his similibus sæpius cum hoc venerabili viro Deus quasi joculabatur, quia jocundus homo, qui miseretur in Domino, non commovebitur in æternum.

Alio quoque tempore, cum idem venerabilis Hnotzo comes in aula imperatoris demoraretur, contigit uno die ut leo de cavea evaderet, et more suo quæcunque invadere poterat discerperet; cumque ei nullus appropinquare auderet, sed omnes ante eum fugerent, suggestum est imperatori a quibusdam quatenus jam dicto viro Dei Hnotzoni comiti diceret, ut leonem in virtute Dei aliquantulum mitigaret, dicentes se experimento **300** didicisse ipsum in Domino tantæ virtutis fuisse, ut, si voluisset, facile leonis ferocitatem mitigaret. Imperator autem hæc audiens nil moratus Hnotzonem advocavit, eique humiliter pro instanti causa supplicavit. At ille primo humilitatis gratia se tanta tentare posse excusavit, ad extremum vero, cunctis qui aderant, simul cum imperatore postulantibus acquievit, seque leoni sævienti obviam dedit. Statim ergo ut eum leo vidit, cum omni ferocitate, quasi totum continuo eum discerpturus, accurrit; sed illo expansis manibus eum excipiente, repente suam ferocitatem leo oblitus totum se ante pedes viri Dei prostravit, eosque lambere cœpit; quem ille manu demulcens magistris ejus imperavit ut eum absque pavore tenerent atque recluderent. Hoc viso imperator (715) obstupuit, eique venerabiliter obtulit dicens, « Quoniam vos cum Deo agere video, ab omni vos deinceps regali servitio libens absolvo. »

§ VI. *De progenie Utzonis.*

Hic ergo quatuor genuit filios, unum nomine Udalricum, alterum Marquardum, tertium Luitfridum, quartum vero totius decus generis Gebehardum. Ipsum Uodalricum ob lepo·em vocaverunt Uozzonem, cujus filius Uodalricus fuit in bello quod Otto imperator cum Hungaris pugnavit juxta Vindelicam Augustam; pater vero Lindaugense monasterium suis ex prædiis nobiliter ditavit, ubi et venerabiliter tumulatus quiescit, cujus posteritas adhuc (716) apud Brigantium floret. Marquardus autem filius ejus comes effectus in amicitia Ottonis imperatoris plurimum potuit.

§ VII. *De Luitfrido Gebhardi fratre.*

Igitur cum hi quatuor fratres defunctis jam parentibus hæreditatem inter se dividere vellent, unus eorum Luitfridus superius nominatus, cum esset deses et imbellis, cæterisque despicabilior, verens ne forte propter ignaviam suam a fratribus in divisione contemneretur, secum tractare cœpit **301** qua arte eos circumveniret, ut sibi partem hæreditatis non negarent. Multa igitur secum volvens, et ad ultimum utile sibi suisque posteris consilium reperiens, sic unum ex fratribus suis, aliis ignorantibus, affatus est: « Scis, inquiens, frater, scis quod ego, vobis fratribus meis impar, nequaquam negotiis sæculi idoneus apparco; sed si meis consiliis assensum præbueris, non modicum commodum tibi tuisque posteris præstabis. Te enim præ cæteris fratribus meis diligo, tecumque habitare desidero, et ideo, cum ventum fuerit ad divisionem hæreditatis nostræ, omni nisu satage ut in meam partem cedat Wintirtura (717) cum suis appendiciis, sciasque procul dubio quoniam, si hæc in meam devenerint proprietatem, quod tibi ea sum traditurus, et ipse tecum deinceps, quemadmodum jusseris, ero permansurus; in hoc ergo tuæ consule utilitati, et meæ obtemperare stude voluntati. » Sic fratri secundo, sic clam locutus est et tertio, singulis credentibus quod hæc sui amore loqueretur, omnesque hac spe promptos ad effectum suæ voluntatis reddidit. Itaque cum ventum esset ad divisionem, et unicuique sua sors caderet, singuli festinabant Luitfridi petitionem adimplere propter ejus, quam jam diximus, promissionem, ignorantes singuli, quod unicuique eorum æqualia promisisset. Et quoniam omnium par erat voluntas, facile ad effectum est perductum quod omnes unanimiter voluerunt, et Luitfrido Wintirtura cum omnibus appendiciis suis confirmaverunt.

At ille, merito lætabundus, sibi tradita ad eas egregia prædia, suo juri mancipavit universa, atque

(714) Teste Sprechero Pallad. Rhæt., anno 948 Hermannus dux Alemanniæ castrum Brigantium jussu imperatoris Ottonis cepit, ac forte etiam destruxit, unde hæc rudera.

(715) Videtur fuisse Henricus auceps, aut filius Otto imp. ei sanguine junctus, ut ex prævia disquisitione § 14 liquet.

(716) Sæculo nempe XII, quo scripsit auctor

(717) Inde discimus Winterthur, Turgoviæ castrum et oppidum in ducatu Alemanniæ, ad comites Brigantinos pertinuisse, ex quibus hic Luitfridus præprium exinde comitatum erexit, qui postea ad Dilingenses transiit. Vid. Lew. lex. h. v.

Digitized by Google

tali fratres fefellit astutia, atque agriculturæ operam dedit et multa peculia congregavit; acceptaque uxore filium ex ea genuit nomine Adilbertum, qui cum B. Leone papa in Apuliam transiit, ibique pro causa S. Petri contra Nortmannos, qui Apuliam invaserant, pugnans occubuit. Hujus filia erat Adilheidis, quam comes Hartmannus senior de Dilinga in matrimonium accepit, quæ ei peperit Hartmannum juniorem, et Adilbertum, qui adhuc superest, et totius patrimonii et matrimonii hæres effectus est; et Uodalricum, qui apud Constantiam episcopus factus est, de quo postea forsitan aliqua dicturi sumus; filias quoque tres, quæ modo in sanctimoniali habitu commorantur, quarum una genuit Uodalricum comitem de Gamirtingen, et Adilbertum de Achalmin, qui ambo adhuc vita potiuntur.

302 § VIII. *Quomodo Gebehardus hæreditatem adeptus est.*

Junior igitur supra memoratorum fratrum, sed ornamentum eorum, Gebehardus, ex defunctæ matris Dietpurgæ utero excisus, et quibusdam fomentis obvolutus est usque ad tempus nativitatis, Deo ejus vitam ad multorum salutem reservante. De talibus tamen excisis litteræ testantur quod, si vita comes fuerit, felices in mundo habeantur. Itaque enutritus et litteris traditus, apud Constantiam eruditus, ibique canonicus factus est, cujus Vitam quoniam alio opere (718), ut potuimus, exsecuti sumus, nunc paucis attingemus. Denique cum fratres ejus, sicut superius retulimus, sortes hæreditatis inter se distribuerent, dixerunt hunc esse clericum, nec eorum hæreditatis indigum, ex facultatibus Ecclesiæ satis opulentum. Ille hæc audiens cum gravi indignatione portionem suam exquirebat; et, quoniam eloquentissimus erat et efficax, comminabatur eis ad ultimum quia, si sponte sibi jus hæreditatis suæ nollent dare, se arma sumpturum, seque gladio defensurum. Itaque, hoc auditu percipientes, inviti fecerunt quod sponte noluerunt, eique partem suam ex integro tradiderunt.

§ IX. *De his quæ ad Constantiam tradidit.*

At ille, quoniam lex Dei erat in corde ipsius, terrenis divitiis non supplantati sunt gressus ejus, sed ad ecclesiam S. Mariæ Constantiæ (719) partem prædiorum suorum temporibus beatæ memoriæ Kuonradi præsulis tradidit, super quæ tale privilegium fecit:

Privilegium de Obirndorf.

« Noverint omnes tam præsentes quam futuri quod ego Kebehart, sanctæ Constantiensis Ecclesiæ frater indignus, cogitans pro remedio animæ meæ, nec non evangelica et apostolica secutus exempla, cum consensu **303** fratrum meorum (720), et manu advocati mei Uodalrici, juris mei proprietatem, quam parentum successione in locis Hoberndorf (721), Hakelinbach (722), Pilolfhinga (723), Luitestorof (724) cum omnibus appendiciis ad eadem loca pertinentibus, ædificiis, mancipiis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus et immobilibus, et cunctis ad eadem loca pertinentibus, [quæ] dignoscor habere, trado ad sanctum prædictæ Constant. ecclesiæ cœnobium, fratribus Deo ibidem assidue famulantibus, cui vir summæ religionis ac doctrinæ Chuonradus episcopus regimine spiritali præfectus esse videtur (725): ea tamen conditione ut ego, eamdem ad me recipiens proprietatem, vel alius ejusdem fraternitatis, quemcunque voluero, censum inde persolvat, id est singulis quibusque abhinc in posterum annis, festivitate S. patris nostri ac venerabilis papæ Gregorii (726) prædictis fratribus, sicut canonica monstrabit regula, serviatur (727). Actum Constantiæ quarta Id. Martii, præsente et confavente prædicto advocato meo Uodalrico, nec non et aliis testibus, quorum subscripta sunt nomina: Eberhard. Liutfred. Hildibold. Chuzzo. Cozpret. Adilpret. Mereboto. Liutpret. Sigibert. Hadepert. Dietger. Wern. Adilgoz. »

§ X. *Quomodo quæsivit ubinam monasterium construeret.*

Cum autem placuit ei qui eum mirabili ordine de utero matris suæ segregavit, et vocavit per gratiam suam ut esset in domo Domini lucerna ardens et lucens, continuo non acquievit carni et sanguini ut indulgeret otio vel voluptati, sed mente pertractans quomodo ad hoc vocatus erat ut in vinea Domini laboraret, eamque excoleret et melioraret, cœpit investigare per consilium Spiritus sancti quo ingenio se, veluti damula, excuteret de hujus mundi decipula, ut, veluti Hebræus servus, septimo anno, hoc est, post transactos labores hujus mundi liber Sabbata agere posset in **304** sæcula. Denique omni intentione exquirebat quonam modo Christo acceptissime, quæcunque habebat vel acquirere poterat, offerre quivisset: et tale demum reperit consilium, nihil suæ saluti melius profuturum quam

(718) Deperiit hæc vitæ S. Gebehardi Historia a Chronici hujus auctore scripta; quæ enim apud Bollandianos t. VI Aug. p. 115 habetur, a Manlio sec. XVI ex seniorum traditione conscripta est, multum tamen convenit cum iis quæ hic narrantur.

(719) Constantiensis ecclesiæ cathedralis canonici communem tunc vitam agebant, unde et fratres vocabantur, ipsorumque habitatio cœnobium. (Gerbert. *Hist. Sil. Nig.* t. I, p. 154.)

(720) Ergo habuit fratres, supra nominatos, secus ac Lazius aliique sentiunt; ac forte ipse ejus advocatus Udalricus inter illos erat.

(721) Oberdorf in capitulo rurali Lindaviensi.

(722) Videtur esse Heggelbach in capit. Ysnensi § 34. Hagilimbach.

(723) Bllafingen in capitulo Linzgav.

(724) Liggerstorf in capit. Stockach. Loca scilicet in pagis Linzgove, Hegove et Algove, ubi paternæ possessiones erant. Vid. infra § 34.

(725) S. Conradus an. 974 obiit; igitur hæc charta prius jam data fuit.

(726) Patet hinc, Gebhardum etiam ante fundatum monasterium et acceptas Roma reliquias eximium S. Gregorii papæ fuisse cultorem.

(727) Vid. infra § 34.

Digitized by Google

construere monasterium, cœpitque locum quærere huic aptum consilio, in quo satisfacere posset suo desiderio. Cumque in quodam loco hac ex causa pernoctaret, eumque tota nocte ranunculi clamoribus ex palude inquietarent, et cum die facta locum lustraret, ut si ad ejus votum utilis esset perspiceret, interrogasse fertur quo vocabulo censeri deberet, si cella ibi constructa fuisset? Unus continuo ex obsequio ipsius respondit, ranunculorum Cellam eam debere nuncupari, quorum strepitu eos nocte contigerat molestari. At ille: « Nequaquam, inquiens, hoc in loco construetur, si tali fœdo nomine improbari deberet. »

§ XI. *Quomodo locum ipsum acquisivit.*

Sed quia de Deo scribitur: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet* (*Psal.* CXLIV), citius famulo suo, ut credimus, locum ostendit, in quo ejus desiderium perfici placuit. Nam ripa Rheni opposita Constantiæ civitati ejus voluntati complacuit, eamque ad construendam cellam, etsi minus utilem, tamen speciosam judicavit. Porro isdem locus ad Augense monasterium pertinebat, sic et adhuc supra et infra, et tunc inhabitabilis, quia humidus in modum paludis. Vir autem Dei suum proprium, quod habuit apud Zurziacum (728) pro commutatione ejusdem locelli dedit; nec totum, quod modo Augense monasterium in Zurziaco possidet, a viro Dei accepit, sed partem, quæ sui juris erat, et ad commutationem illius loci valebat. Confirmato igitur legaliter hoc concambio vir Dei idem prædiolum in tres portiunculas divisit, et sibi quidem, suisque successoribus, Constantiensibus pontificibus unam, canonicis autem ejusdem ecclesiæ alteram, tertiam vero ad construendam cellam deputavit.

305 § XII. *De jure habitatorum ipsius loci.*

Et quoniam homines quos ibi manere constituit (729), nihil, præter habitacula domorum in quibus commanebant, habebant, et neque agros, neque ligna, neque pascua habere poterant, tale jus illis omnibus eorumque posteris in subsidium attribuit, ut a mortuis exuviæ non tollantur, sed posteri ex integro quæque relicta possiderent, et tantum navigarent ad communem dominorum suorum necessitatem, eisque, quibus hoc ingenii esset, piscarentur. Hoc idem jus etiam monasterii famulis constituit, excepto eo quod hi, quoniam aliquantulum in agris et pratis habent, quotidie dominis suis debent servire et ab eis annonam accipere.

§ XIII. *De capella S. Michaelis. Pezilinus abbat.*

Primo igitur capellam parvulam ibi construxit, quam in honorem S. Michaelis IV Kal. Augusti dedicavit, in qua etiam mortuum orando suscitavit. In hoc initio Pezilinum (730) quemdam habuit abbatem, sub quo prædium apud Togingin, et aliquantulum apud Epfindorf a Constantiensi ecclesia commutavit, super qua commutatione tale privilegium conscribi fecit:

§ XIV. *Privilegium super Togingin* (731)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus, præsentibus scilicet et futuris, qualiter ego GEBEHARDUS Constant. Ecclesiæ præsul **306** indignus cum manu advocati mei Chuzonis (732), cum Pezilino abbate, S. Gregorii monasterii communi utilitati prospiciens, concambium feci tale: videlicet prædium quale Ecclesia, cui præesse videor, habere dicitur in villa Toginga (733) in pago Hegou, et in villa Epfindorf (734) in pago Para, ei suisque monachis potestative possidendum contradens, ea quippe ratione ut, eadem cum manu advocati sui Eberhardi tradentes, mihi meisque successoribus firmiter habendum succederet, quidquid monasterium quod ipse regebat, in Lutwanga (735) in pago Albegou, et in Rapirgahusa (736) in pago Erregou legitimæ proprietatis haberet. Hujus autem concambii commutatio in nostri præsentia, ambobus advocatis, mei videlicet et abbatis, ad hoc strenue confaventi-

(728) Zurzach nunc oppidum ad Rhenum, ecclesia collegiata insignis, quæ olim Benedictinorum abbatia erat, a Carolo Crasso Augiensi monasterio an. 831 donata. Chartam concambii cum Alawico Augiensi abbate an. 983 datam sistit Gerbertus in Hist. Silvæ Nigr. t. III, p. 14, ubi hic annus primus monasterii Petershusani dicitur. Notandum tamen, nullum tunc hujus nominis abbatem fuisse in Augia. Alawicus enim jam an. 958, aut seq. obiit, et secundus primum an. 997 abbas constitutus est. Forte Gebehardus adhuc canonicus cum priore Alawico hoc concambium fecerat, quod primum a. 983 ab Ottone II confirmari fecit, quando jam episcopus monasterium ædificare cœpit.

(729) Cuncta hæc in mox citata concambii charta leguntur.

(730) Pezelinus a Bruschio et Bucelino secundus Petershusii abbas statuitur, qualis nunquam fuit, alias primus dicendus. Alterius certe cœnobii abbas fuisse evincitur ex mox sequente charta concambii, quo I fecit Gebhardus cum Pezilino abbate, cui aliud prædium in Hegovia et Para concessit, ut ab illo ea reciperet, quæ monasterium, quod ipse regebat, alibi posse erat. Cum vero infra § 39 Steinense cœnobium quartam partem villæ Epfindorf obtinere dicatur, hæc ipsa villa esse videtur, quam per hoc concambium acquisivit: qua ratione Pezilinus Steinensis abbas dicendus est, qui in vicinia Petershusii positus « vices sancti præsulis, episcopalibus muniis sæpius occupati, » supplere potuit, « cura interim principali residente penes ipsum S. antistitem » Gebhardum, ut habet Gallia Christ. (t. V, p. 1035), ubi etiam (p. 933) supplendus iste Pezelinus.

(731) Edidit hanc chartam Herrgottus (*Geneal. Habsb.* t. II, p. 88), sed perperam ad an. 985 refert.

(732) Chuzo vel Utzo is ipse videtur Udalricus advocatus, supra jam § 9 in charta Gebhardi notatus, comes forte Brigantinus, S. Gebhardi frater. Chuzonem Herrgottus comitibus Vitoduranis accenset, minus recte; cum inter Luitfridi primi Vitodurani comitis filios nullus Chuzo vel Udalricus occurrat.

(733) Forte Tayngen in Hegovia. Cels. Gerbertus in Hist. Silvæ Nig. t. III, exhibet chartam transactionis, qua Gebhardus abbas Petershusanus an. 1103 Tietperto abbati S. Blasii permittit jus patronatus Ecclesiæ Teigingin pro fundo in Rinhart.

(734) Vid. infra § 40.

(735) Langenwangen parochiæ Fischen in cap. rurali Stiefenhofensi, in Algovia.

(736) Pagum Erreggou eumdem esse puto, qui alibi Eriengewe, Eritgewe, Herekewe dicitur, circa Buchaviam olim extensus. Unde Rapirgahusam pro

Digitized by Google

bus, est Constantiæ facta atque roborata, præsentibus his quorum nomina sunt sequenti subscriptione notata: Meginzo (737) archypresbyter, Sigiboto decanus, Irinc archidiaconus, Gerhart archidiaconus, Albrich, Gunderic, et aliis quampluribus (*sic*). Actum publice in sancta synodo Constantiensis ecclesiæ, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo quinto, feria IV, indict. VII (738). »

§ XV.

Ad idem monasterium primus Ruodpertus monachus ad conversionem venit. De cella quoque S. Meginradi (739), quæ dicitur *ad Solitarios*, suos monachos Gebehardus normam vivendi et regimen habere decrevit; quonam monachi illius cœnobii tunc temporis fuerunt religiosissimi.

307 § XVI. *Quo tempore fundavit ecclesiam.*

Anno igitur Dominicæ Incarnat. nongentesimo octogesimo tertio jecit fundamenta basilicæ; fecit autem vallos ubique per locum ad exsiccandum humorem, et obtulit quatuor aureos quos posuit sub singulos ecclesiæ angulos. Fecit cryptam ab occidentali parte, in qua aquæ puteum fodit, et altare in honorem S. Martini in ea collocavit, quod postea Gebehardus III propter humorem destruxit. Super cryptam sanctuarium fecit, ubi principale altare in honorem S. Gregorii papæ constituit, super quod ciborium nimis speciosum fabricavit.

§ XVII.

Cum igitur columnas quatuor de ligno ilicis fecisset, et figuras vitis in eis formari fecisset, urbanos Constantienses in unum congregavit, eosque sic affatus ait: « Habeo quatuor filias, quas me oportet nuptui tradere, sed non possum eas sine adjutorio vestro ornare; ea de causa vos modo convenio, et ut mihi aliquod solatium pro acquirendis ornamentis pro posse et velle vestro adhibeatis peto. » Cumque omnes respondissent se libentissime facturos quæcunque ille præcepisset, jussit columnas proferri, et dixit se has columnas argento velle vestiri, et ut sibi ad hoc auxilium ferrent cœpit precari: quod omnes animo promptissimo fecerunt. Nam eorum solatio columnas argento optimo vestivit easque super bases lapideas decentissime sculptas constituit, super columnas arcus quatuor posuit, quos ex una parte ex aurato argento, ex altera vero de aurato cupro vestivit. Super arcus quoque et super columnas posuit tabulam tantæ magnitudinis ut totum operiret ciborium, habens in medio fenestram rotundam et ipsam in circuitu intrinsecus aurato cupro opertam, inferius autem habebat marginem prominentem, quem argento vestivit, quod etiam quidam abbas abstulit et ipse plumbum affixit. Ipsa autem tabula erat per totum ex inferiori parte aurato cupro decenter operta, habens imagines quatuor evangelistarum elato opere aliasque perplures species. In transversu quoque ejus per quatuor partes erant laminæ affixæ argenteæ, **308** et in unoquoque latere conscriptus unus erat versus aureis litteris descriptus de subscriptis:

Hoc opus exiguum diversis artibus auctum
Feri tibi, Gregori, supplex devotio servi,
Præsulis indigni, quem tu cum plebe fideli
Conjungas turmis precibus, Pater, alme supernis.

§ XVIII.

Super tabulæ fenestram erat cassis ligneis columnis tornatis superpositus angulosus et deauratus, et super hunc imago agni candidi ad populum prospicientis. Ipsum etiam altare erat cavum, habens ab Oriente tabulam auro optimo et lapidibus pretiosis decoratam; ab Occidente vero alia erat tabula argento cooperta, habens in medio imaginem S. Mariæ elato opere de auro optimo, appendens auri talentum, quam Bertholdus abbas tempore famis deposuit et comminuit, ac pro frumento distraxit. Super altare dependent diversa sanctorum receptacula reliquiarum. Ad ipsum altare per gradus plures ascendebatur de choro, quos abbas Theodericus abstulit, quando chorum ampliavit. In supremo eorumdem graduum in medietate erat spatium submissum, quantum altare fuerat latum, quadris lapidibus circumpositum, pertingens usque ad altare, ubi orantes genua flecterent: et juxta altare tabula marmorea viridi coloris pavimento imposita, in qua genua flectentes deoscularentur. Chorus vero erat valde parvus, quoniam ascensu graduum erat diminutus. Muri quoque basilicæ erant ex omni parte pulcherrime depicti, ex sinistra parte habentes materiam de Veteri, a dextro autem de Novo Testamento, et ubicunque imago Domini fuerat, aureum circa caput circulum habebat. Venetiorum namque episcopus (740) modium plenum sibi de Graico colore, qui vocatur Lazur, gratis pro charitate dederat, qui etiam optimus color abundantissime, *sicut ipsi vidimus*, muris undique illitus erat: quam picturam Kuonradus abbas ex toto deleverat, quoniam antiquitas ei jam decorem abstulerat. Fecit valvas incomparabilis decoris, et ante ecclesiam porticum admodum parvulum, quem Theodericus abbas ampliavit et melioravit.

309 § XIX. *De fonte.*

Cum igitur ecclesia summo studio variis coloribus depingeretur, accidit ut quodam die loco eodem secederet et aliquandiu redire moras faceret. Interim ergo perfidi pictores optimos quosque colores fraudulenter auferentes in vicinum nemus abierunt, ibique terram clanculo fodientes absconderunt. Cum vero sanctus præsul reversus esset, cœperunt picto-

Riedhausen accipio, parochia non longe inde dissita ad Ostracham fl.

(737) Testes hic subscripti ad cathedralem Constantiensem spectant.

(738) An. 995 currebat indictio VIII.

(739) Hinc habemus, unde primos monasterii sui colonos acceperit S. Gebehardus, ex Einsidlensi scilicet cœnobio, cujus etiam alumnus fuisse videtur Perictherus primus abbas Petershusanus.

(740) Bollandistæ ad Vitam S. Gebehardi episcopum hunc putant fuisse Ursum Venetum, qui ex Ughello Ital. Sacr. t. V, p. 1200, ab an. 981 usque 992 præfuit. At ex Dandulo certum est tunc temporis in Veneta sede fuisse Marinum, l. c., p. 1212.

Digitized by Google

res importunis vocibus colores urgere, dicentes opus præ penuria colorum negligenter tardare. Quod vir beatus audiens parumper siluit, et post hæc ait : « Et si nobis modo deest, ut acquiratur necesse est. Ergo venite, sequimini me, forsitan nobis Dominus sua benignitate dabit quod quæritis, ut opus maturare valeatis. » Et duxit eos sine indice ad locum ubi ipsi colores absconderant, ibique baculum suum in terram defixit dicens : « Hic in Dei nomine fodite, et si aliquid inveniatis, videte. » At illi, mala conscientia perterriti, fodientes terram aperuerunt, et colores quos absconderant, quanquam inviti, tamen protulerunt. Quibus vir Dei læto vultu dixit : « Jam nunc pergite, dilecti filii, et de hoc ipso quod Dominus ostendit enixius operamini. » Illi autem perterriti abierunt, secum mirantes quod factum fuerat. Ex ipso autem loco fons statim limpidissimæ aquæ erupit, qui usque in præsens fluere non desinit. Crastina vero die, cum vir Dei ad mensam sederet, et pictores jam dicti confusi operi instarent, subito conciderunt et quasi exanimes jacuerunt. Quod cum B. Gebhardo adhuc prandio assidenti cum magno strepitu nuntiatum fuisset, tranquillo animo dixit : « Sinite, aliquantulum luere debuerunt quod in sanctorum rebus deliquerunt. » Hæc dicens absque perturbatione mansit, donec e mensa cum alacritate discessit. Deinde ascendit super instrumentum, ubi illi jacebant velut mortui, et baculo, quem manu tenebat, tangens eos ait : « Non, inquam, vobis pro hoc mercedem daturus sum, ut somno torpentes hic decubatis; surgite ergo, et operemini. » At illi confestim levantes capita surrexerunt sani, et quasi nihil passi cœperunt operari.

310 § XX. *Quo tempore ecclesium dedicavit.*

Anno Incarnationis Domini nongentesimo nonagesimo secundo, indict. v, decimo anno postquam cœpit ædificare, ipse B. Gebehardus episcopus dedicavit ecclesiam quam ædificavit, die v Kal. Nov. in honore B. Gregorii papæ in magna gloria.

§ XXI. *Quomodo privilegium acquisivit.*

Denique Romam veniens in tantum a papa Joanne pro sui veneratione honoratus est, adeo ut non tantum ei privilegium, prout ipse petebat, concederet, verum etiam hoc ei concessum est ut manum mitteret ad corpus B. Gregorii papæ, et hac conditione hoc ei permissum est, ut quidquid uno tactu de sanis ossibus manu levaret, hoc procul dubio secum deferret. Unde, Dei gratia, caput ejus (741) cum aliis magnificis de ejus corpore reliquiis sustulit, omnibusque ad libitum suum quæcunque volebat impetratis, lætus repedavit.

§ XXII.

311 Hoc siquidem dilectum caput invenimus in capsa, olim quidem firmiter valde solidata, sed nunc jam præ antiquitate et incautela penitus resoluta, quæ priscis temporibus, sicut audivimus, in altario S. Petri in meridiana plaga erat recondita, in qua parte etiam Romæ ejus sepulcrum esse cognoscitur. Sed nunc erat ibi sublata, et super altare S. Mariæ collocata, et ideo jam dictum altare S. Petri remanserat vacuum et violatum, ac propterea postea renovatum, et a Kuonrado Curiensis (742) Ecclesiæ episcopo est dedicatum. Denique aperientes ipsam capsam invenimus in ipsa capsam rubricatam, sanctorum cineribus plenam; inter quas dilectissimum thesaurum reperimus, capitis scilicet sanctissimi papæ Gregorii, sed comminutum per particulas; doluimus quod unde acciderit nunc usque scire non potuimus. Alias sane perplures reliquias in eadem capsa reperimus, quas ejusdem S. Patris Gregorii esse speramus, quoniam et nonnisi unum brevem cum eis invenimus, et candorem ejus cæterorum ossium ostentabant. Et integra quidem ossa collegimus, et alias transposuimus, cineres vero reposuimus ubi et primitus invenimus. Quæ capsa ad Mimminhusin (743) est data, quando inibi ædificabatur capella.

§ XXIII.

Hoc est privilegium quod B. Gebehardus a Rom. PP. Joanne (744) super locum ipsum percepit. Privilegium monasterii in biblis primitus scriptum, quod et hactenus est in monasterio conservatum.

« Joannes episcopus, servus servorum Dei. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris videlicet, Filii, et Spiritus sancti.

« Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus

(741) Historiam translati hujus capitis satis singularem describit Manlius in Vita S. Gebhardi c. 15 et 16, quin tamen exprimat Magnine an alterius Gregorii papæ fuerit. Certe in Chronico S. Petri Vivi (d'Achery, *Spicil.* t. II, p. 467, nov. ed.) jam circa an. 876 Joannes VIII papa Ansegiso Senonensi archiepiscopo dedisse memoratur caput B. Gregorii papæ universalis, filii Gordiani, plumbo inclusum, quod ille secum in Gallias detulerit. Quin prius jam 826 corpus S. Gregorii ad Suessionense S. Medardi cœnobium translatum dicitur. Vid. Bolland. t. II Martii p. 126 seqq. Et tamen juxta Anastasium postea primum Gregorius IV idem corpus Romæ levavit, quod hodieque ibi esse perhibetur (l. c. p. 125). Unde, prout in ejusmodi reliquiarum translationibus fieri amat, aut plures ejusdem nominis in unum fuere confusi, aut totum pro parte accipiendum. Indicare id videntur, quæ § 22 dicuntur, caput illud in capsa fuisse repertum per particulas comminutum. In martyrologio msc. Pragensi (l. c., p. 150), ad diem 12 Martii ita legitur : « Hujus sancti (Gregorii) caput serenissimus princeps Carolus IV Rom. imp... obtentum in monasterio S. Gebhardi in civitate Constantiensi, et decoratum auro atque argento donavit ecclesiæ Pragensi. » Ac sane in Catalogo reliquiarum hujus ecclesiæ (Bolland. t. I Jan., p. 1084) recensetur S. Gregorii Magni caput, quod itidem de aliqua duntaxat ejus parte intelligendum erit; quod vero non impedit quominus adhuc aliqua ejusdem capitis pars Petershusii asservetur, cum credibile haud sit illius monachos se tanto thesauro privasse omnino, etsi exinde aliquid Carolo IV imp. concesserint

(742) Præfuit ab an. 1122 usque 1150.

(743) Parochia in pago Linzgewe.

(744) Exstat etiam apud Lunig. Archiv. Spicileg. eccles. p. II, p. 154, et p. III p. 399, non tamen sine mendis.

Digitized by Google

qualiter Gebehardus secundus amabilis episcopus sanctæ Ecclesiæ Constantiensis, dilectissimus confrater noster, orationis causa Romam veniens ad limina apostolorum principum Petri ac Pauli, et ante nostram præsentiam, retulitque nobis quatenus ipse, Dei nutu compulsus, ecclesiam cœnobitarum construxisset super ripam fluminis quod dicitur Rhenus, ad honorem B. Gregorii confessoris Christi, in quo loco regulam S. Benedicti **312** abbatis et monachorum fratrum luculentissime ordinaret, ubi devotissime de suis propriis prædiis, quæ a suis parentibus illi evenerunt, et partem de rebus sanctæ suæ Ecclesiæ devotissime obtulit, ad sustentationem et stipendium illorum videlicet monachorum, qui in ipso sancto monasterio sedulo Christi laudes persolvere diu noctuque non cessant. Pro quibus nostræ humilitatis supplicavit clementiam, ut prædictus locus ipse sub tuitione et defensione S. Petri, et nostra nostrorumque successorum pontificum in perpetuum maneat, ita tamen ut nullus rex, aut dux, neque marchio, nec etiam episcopus, qui per tempora in ipso episcopio fuerit, aut ulla persona audeant de omnibus quæ ibidem ab ipso jam dicto Gebehardo concessa sunt alienare, aut quoquomodo de ipso sancto monasterio extrahere. Constituta, et stabilita atque firma usque in futura tempora concedimus permanenda.

« Sed et hoc apostolica præceptione, rogante supradicto confratre nostro, interdicimus in nomine Domini nostri Jesu Christi, ne aliquis eidem monasterio præficiatur, nisi quem communi consensu fratres ibidem Christo sedulo servientes elegerint, electumque episcopus benedictionis titulo confirmare procuret; et hoc ipsum de advocati electione decerni placuit. Si vero, quod absit! aliquando contigerit ut episcopus ejusdem sanctæ Ecclesiæ hæreticus vel schismaticus existat, fratres supradicti monasterii ex auctoritate sedis apostolicæ habeant potestatem ecclesiasticos ordines requirendi ubicunque catholicum noverunt esse episcopum, nec ille iniquus de hoc aliquam eis injuriam inferre præsumat. Nam si aliquis homo, cujuscunque sit ordinis vel potestatis, quod non credimus, [hoc privilegium] in aliquo disrumpere tentaverit [et] ea quæ ab ipso jam dicto confratre nostro in prædicto monasterio concessa sunt, a jure et ditione ipsius monasterii auferre voluerit, nisi resipiscat, excommunicatus a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi consistat, et anathematizatus a SS. Patribus omnibus, et a nobis; nec in exitu vitæ communicet, sed etiam mortuo nomen ejus inter missarum solemnia nullo modo rec tetur. Qui vero pio intuitu custos et procurator hujus nostri præcepti exstiterit, benedictionis gratiam vitamque æternam ab ipso Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen. Scriptum per manus Joannis notarii, et regionarii et scriniarii sacri Lateranensis palatii in mense Aprilis, et indictione secunda. Data VII Kal. Maias per manus Gregorii episcopi sanctæ **313** Portuensis Ecclesiæ, et bibliothecarii S. sedis apostolicæ, anno pontificatus domini nostri Joannis sanctissimi papæ quarto (745).

§ XXIV. *Quomodo ad sepulcrum S. Uodalrici orarit.*

Rediens itaque B. pontifex Gebehardus a liminibus apostolorum percepto privilegio ac sanctorum reliquiis, ut supra digestum est, cum Alpes transisset, et in Alemanniam pervenisset, devenit Augustam Vindelicam, et ad sepulcrum beatissimi Uodalrici ejusdem civitatis episcopi, qui jam ferme ante quindecim annos e mundo ad Dominum transierat, oraturus accessit; cumque illic attentius oraret, audivit vocem quasi de tumulo sonantem, sibique dicentem : « Quid quæris, vel quid postulas, Gebeharde? » At ille, quasi consuetam vocem audiret, intrepide respondit : « Quoniam, inquit, nuper locum Domino dedicandum construxi, peto ut isdem locus tuo patrocinio illustretur, et de sacratissimo corpore tuo aliquæ reliquiæ illuc deferendæ pro tua pietate concedantur. » Cui iterum quasi de tumba responsum est : « Non, inquiens, hoc ullo modo fieri potest, quoniam integrum corpusculum meum hoc in loco diem supremum exspectare volo; et quia me tuis precibus pulsare et inquietare præsumpsisti, continuo, cum terram monasterii tui attigeris, ultionem proinde experieris. » Tali oraculo percepto recessit, et ad propria remeavit. Igitur cum ad extremam partem agri, qui ad monasterium pertinebat, pervenisset, ecce vepris spinosa super viam dependens caligam transeuntis episcopi apprehendit, eique tibiam vulneravit; qui cum dolorem ex plaga sensisset, voce clara dixit : « Ecce quod S. Uodalricus verbo prædixit, opere complevit. » Hæc plaga postea de die in diem in pejus accrevit, et usque ad finem vitæ ejus nullo unquam deinceps medicamine curari potuit.

§ XXV. *De brachio S. Philippi apostoli.*

Otto quoque imperator capsam ei dedit argento vestitam, in qua brachium S. Philippi apostoli (746) cum aliis magnificis et multiplicibus sanctorum **314** reliquiis habebatur; quod quidem brachium

(745) Annus quartus pontificatus Joannis XVI, et indictio II ac mensis Aprilis indicant annum 989 uti et memorati § 24 seq. quindecim anni ab obitu S. Udalrici, quem idem papa postea an. 993 inter sanctos retulit.

(746) De brachio S. Philippi Hierosolymis an. 1204 Florentiam translato agunt socii Bolland. t. I Maii p. 11-15, ubi etiam corpus ejus Romam delatum dicunt, unde Carolus IV alterum brachium acceperit. Constantinopoli quoque ejusdem apostoli reliquiæ fuisse memorantur, unde facile earum, ac forte etiam brachii partem marito suo Ottoni II imp. secum affere potuit Theophania, Romani II Orientis imp. filia, quam dein eorum filius Otto III imp. S. Gebehardo donavit; id quod ob antiquitatem majorem fidem mereatur. Forte in aliqua dictarum translationum Philippus apostolus confusus est cum Philippo uno ex septem diaconis, qui 6 Junii colitur.

Digitized by Google

temporibus Theodorici abbatis inventum est, sed in frusta comminutum, postea vero temporibus Bertholdi abbatis a Kuonrado ejus tunc capellano, sed postea abbate, et a cæteris fratribus auro, argento, et gemmis decoratum est, in cujus basi unus articulus digitorum S. Gregorii papæ cum aliis multis reliquiis reconditus est. Mater quippe jam dicti principis Ottonis de Græcia adducta fuerat, unde etiam dictum brachium secum veniens apportaverat

§ XXVI. *Privilegium super Worndorf.*

Isdem imperator rogatu Marquardi comitis, fratris scilicet B. Gebehardi (747), prædiolum quoddam eidem monasterio concessit, super quod tale privilegium conscribi fecit :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia rex.

« Omnium fidelium nostrorum præsentium et futurorum piæ devotioni pateat quemadmodum nos, ob petitionem et interventum Marquardi comitis, et pro amore fidelis nostri Constantiensis Ecclesiæ venerabilis episcopi Gebehardi, qui nobis devotum servitium sæpius exhibuit, ad ecclesiam S. Gregorii in loco Petreshusa vocato honorabiliter constructam, cui modo Bericherus reverendus et primus (748) abbas præsidet, de nostra proprietate dedimus quidquid habuimus in villis Worndorf, et Crumacha (749) dictis, in pago Goldinneshundere (750) vocato, ac comitatu ipsius jam dicti **315** Marquardi comitis sitis, atque eamdem proprietatem cum omnibus utensilibus ad eam rite pertinentibus, in areis, ædificiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis, cunctisque aliis appendiciis quæ adhuc dici possunt, ad præfatam ecclesiam tradimus ; ea videlicet ratione ut eadem proprietas dehinc sub ipsius ecclesiæ jure absque omnium hominum contradictione perpetualiter consistat. Et ut hæc nostræ celsitudinis donatio per futura temporum curricula inviolabilis perseveret, hoc præceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signare jussimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus. Hiltiboldus episcopus et cancellarius vice Willigisi archiepiscopi recognovi. Data IV Non. Junii anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCIII, indictione VI, anno autem tertii Ottonis regnantis decimo. Actum Birgila. »

§ XXVII. *Quomodo B. Gebehardus milites suos ecclesiis donavit*

Omnia quæcunque habuit vel acquirere potuit Gebehardus, ad suum monasterium fideliter Deo obtulit, nisi quosdam de ministerialibus suis, qui ditiores et potentiores erant ; nolnit illuc tradere, reputans prudenter ne forte tenui loco detrimento potius essent quam supplemento.

§ XXVIII. *De Nuiheim.*

Possessionem satis honorificam apud Nuibeim (751) commutavit beatus vir a Marchdorfensibus.

§ XXIX. *De Tegirwilare et Gottliubon.*

Quædam etiam matrona nobilis dedit ei suum prædium apud Tegirwilare (752) et Gottiliubon, quod exinde per diversa tempora augmentatum est; nam **316** duæ inibi vineæ commutatæ sunt duobus mansis, quas dominus Adilgoz de Marstettin (753) dederat monasterio in loco qui dicitur Ottinberch. Ibi acquisitus est temporibus Uodalrici episcopi II pro quo alius optimus mansus datus est apud Stalringen (754). Item alius mansus, quorum possessionem mancipia constituit, ut quotidie in ipsa cella fratribus, ubicunque necesse esset, servirent, sicuti et hi qui in ipso loco habitarent, et ut de Nuiheim arefacta ligna adveherent, et semper ad omne ministerium parati essent.

§ XXX. *De Ministerialibus.*

Et ut de vasallis, hoc est ministerialibus, plenius dicam : quemdam Makkonem parentem Ruodelphi Arbonensis (755) ejusque stirpis, et parentes Hachonis et ejus cognationis de Bollingin cum omnibus quæ possidebant, ecclesiæ Constantiensi tradidit. Jam dictus tamen Makko postea, pergens Hierosolymam, quibusdam donariis monasterio datis se redemit, dicens ne forte alicujus servitii illuc obnoxius esset, eo quod beati viri proprius famulus fuisset. Quemdam vero nomine Turlandum ejusdem familiæ et nobilitatis atque divitiarum monasterio tradidit, cujus posteritas usque in præsens apud Owingen (756) viget. Pauperiores quoque plures monasterio contulit, quibus omnibus hoc jus consti-

(747) De hoc Marquardo comite Brigantino, vide dicta supra in Disquis. § 18, p. 286. Hanc vero donationis chartam pariter sistit Lunig. Spicileg. Eccles., p. III, p. 400.

(748) Bericherus, Perriggerus, vel Beringerus, primus abbas an. 993 constitutus (*infra* § 44) haud dubie Einsidlensis monachus fuit, cum S. Gebehardus exinde « monachos suos normam vivendi et regimen habere « decreverit (§ 15). Dum vero primus abbas Petershusanus dicitur Beringerus, necessario Pezelinus in hunc album haud inserendus est. Vid. supra § 13.

(749) Worndorf et Krumbach nunc in capituli Mosskirchensis districtu.

(750) Hic pagus in Chronico Gottwicensi pars fuisse dicitur pagi Hegove in districtu Mosskirchano.

(751) Videtur esse villa nunc Neuhaus dicta, haud procul Markdorfio in Linzgovia ; cum enim inde ligna ad monasterium fuerint advehenda (§ 29), haud adeo longe ab eo dissita esse potuit, a Markdorfensibus acquisita.

(752) Tægerweilen infra Constantiam in Turgovia, haud procul a Gottlieben, in cujus vicinia etiam est Ottenberg.

(753) Marstetten dynastia prope Memmingen nunc comitibus de Kœnigseck parens ; aliud Marstetten est in Turgovia.

(754) Forte Staringen in Stockachensi capitulo.

(755) Stumpfius, in Chron. l. v, c. 9, nobilium de Arbona meminit, uti et Guillimannus in Habsburgicis. Vid. Lew lex.

(756) Villa in capitulo Heigerloch, infra § seq., dicitur Uowingen.

Digitized by Google

tu't, ut cum abbate equitarent, eique domi forisque ministrarent, equos suos tam abbati quam fratribus suis, quocunque necesse essent, præstarent, monasterium pro posse suo defensarent, nullius servitio prorsus subjacerent, excepto solius abbatis ejusque monachorum.

§ XXXI. *De dote monasterii.*

Hæc sunt, quæ B. Gebehardus episcopus monasterio suo de hæreditate parentum suorum tradidit vel aliunde acquisivit : Uowingen, Suldorf (757), Anslechiswilare (758), Rinisgemunde, et apud Hogste (759) et Brugg, Rode (760), **317** Stettin (761), Mülheim, Wanhartiswilare (762), Slate, (763), Rinhard (764), partem quartam possessionis apud Epfindorf, et Togingen de Constantiensi ecclesia acquisivit, datis illuc vicissim de suis prædiis, hoc est, Luitwarga et Ratpirgahusin, Eichstetten (765), Epfindorf, Nuiheim, Tegerwilare, Gottlinbon, Tuscinanc (766), et Oberwangin, quorum unum de episcopii, aliud de monasterii rebus comparavit, Obirndorf de episcopio concessit.

§ XXXII. *De libertate monasterii.*

Nullum sane servitium, neque tributum, neque vectigal, neque legationem, neque alicujus omnino ministerii functionem tam Romano pontifici quam imperatori, sed neque episcopo Constantiensi, nec alicui personæ, cujuscunque potestatis sit aut dignitatis, de hoc monasterio B. Gebehardus impendere constituit, nisi soli Deo. Propterea et ipse locus usque in præsens inviolabilis perseverat, ita ut nullus eum temerare præsumat.

§ XXXIII.

Alia nempe monasteria, quæ libera vocantur, annuatim Romæ aureum nummum quinque solidorum pretium habentem persolvere debent; Petrishusensis autem locus neque Romæ, neque Constantiæ, neque Moguntiæ, neque regi, neque duci, sed nec ulli aliquid debet, nisi tantum regulari vacare religioni.

§ XXXIV. *De ministerio in festivitate S. Gregorii.*

Sane quod nobis quidam solent imputare, quod in festivitate S. Gregorii papæ Constantiensibus fratribus debemus prænbendam dare, noverint hoc ante constitutum quam hoc monasterium esset inceptum. Siquidem, sicut superius retulimus (767), B. Gebehardus, antequam fieret episcopus, Constantiensi ecclesiæ suum proprium dedit, quod apud Obirndorf, Pilolfingin, Hagilimbach et Luitheresdorf habuit, et ipse hæc in beneficium recepit, ea **318** conditione ut tam ipse quam quicunque hoc post se beneficium haberet, jam dictæ ecclesiæ fratribus in festivitate S. Gregorii pleniter ministraret. Postea vero quam episcopus factus est, monasterium fundavit, et jam dicta prædia ea ipsa qua diximus conditione illuc concessit, et versa vice eisdem fratribus constituit, ut ter in anno solemni processione communiter idipsum monasterium adeant, et singulis vicibus pro ejus anima missam cantent, et super hæc in festivitate S. Gregorii publicam missam de eo festive cum fratribus decantent, et monachi chorum regant, et ad altare ministrent, et clericis ea die, sicut diximus, de supradictis prædiis duo talenta et quatuor solidi ad servitium dentur.

§ XXXV.

Modus autem ministerii ejusdem iste est : primo tres modii frumenti ad panes faciendos ; deinde de occidentali mensa in refectorio de piscibus, et dimidius modius milii pilo tunsi, et tres urnæ de vino et quinque solidi nummorum. Hoc est ministerium quod debebatur singulis annis de supradictis. Sed Conradus abbas redegit istud ad hoc, ut darentur eis duo talenta et quinque solidi.

§ XXXVI. *De Eichstettin.*

Erat quidam comes, nomine Adilhardus (768), vir pius et religiosus ac timens Deum, beati viri Gebehardi juxta carnis consanguinitatem propinquus, nequaquam tamen Suevigena, sed habitans in terra longinqua, cui jure in hæreditatem cesserant magna et multa prædia in pago Ilrigove (769), hoc est, apud Eichstatt et Breitinbach, Riedin et Husin atque Steinbach. Is ergo quandocunque, de terra sua advenions, jam dicta sua prædia adiisset, quod tamen rarissime faciebat, festinabant omnes habitatores ut eum cum munusculis suis visitarent, sicut omnes servi dominis suis facere solent. At ille, cum esset benignus et misericors, interrogabat quid sibi vellent ista facientes ? Cumque responderent hos esse suos homines, et cum debita benedictione advenisse ut eum visitarent, ille subjunxit : « Facite, inquit, **319** unumquemque eorum sua munuscula interim apud se conservare, usque dum post prandium ipse hæc per memet valeam conspicere. » Deinde, omnibus plene et abundantissime satiatis, addebat illis munuscula de suis, nihil accipiens ab ipsis, et dimisit eos abire, ita ut gauderent se illuc pervenisse. Hic ergo dedit Brigantinis cognatis suis prædium apud Steinbach, quod postea per sponsalia devenit in potestatem Chilichbergensium.

§ XXXVII. *Adilhardus dono dedit Gebehardo Eistetin, Breitinbach, Riedin.*

Ipse Adilhardus pius comes dedit nepoti suo *B.* Gebehardo episcopo quidquid habuit proprium

(757) Sauldorff, in capit. Mosskirch.
(758) Forte Andwil, in districtu S. Galli.
(759) Hochst, ibidem, uti et Bruggen.
(760) Roth prope Sauldorf.
(761) Mulheim cum filiali Stetten, in capit. Wurmlingen.
(762) Forte Walpertschweiler, in Mosskirch.
(763) Forte Schlatt, in Engensi.
(764) Renartschweiler in Sulgaviensi. Vid. § 14.
(765) Aichstetten, in Ysnensi. Vid. § 36.
(766) Tusnang, in Steckbornensi, uti et Wengen. Vid. lib. II § 3.
(767) Supra § 9.
(768) Vid. Disquis. § 13, p. 280.
(769) Ilargove, pagus ducatus Alemanniæ ab Hilara fluvio dictus, in districtu Ruralis capituli Yspensis, in quo sitæ sunt villæ hic memoratæ Aichstett, Braitenbach, Ried, Hausen, Steinbach.

Digitized by Google

apud Eichstetin et Breitinbach et Riedin et Husin ad quadraginta mansus et eo amplius, in agris cultis et pratis, exceptis duntaxat silvis valde spatiosis cum populari ecclesia, et decimis multis, et pascuis, et piscationibus, et molendinis, et multos tributarios cum universis utensilibus quæ haberi vel dici possunt, jam dictus comes Adilhardus Gebehardo venerabili episcopo nepoti suo in proprietatem legitime contradidit, et ipse beatus vir monasterio suo, quod in honore S. Gregorii papæ construxerat, promptissima devotione absque ulla contradictione ad utilitatem fratrum ibi Deo servientium deinceps permanendum coram idoneis testibus perdonavit.

§ XXXVIII. *De Burchardo duce.*

Per idem tempus Burchardus (770) religiosus dux et Hadiwich ejus conjux, cum non haberent carnalem, Christum sibi elegerunt hæredem, ac proinde in castello suo, quod est in monte Duello (771), monasterium constituerunt, **320** ubi ad sustentationem monachorum prædia et alia utensilia sufficientissime tra liderunt, reliqua vero per alia monasteria diviserunt. Huic monasterio primus præfuit abbas sanctus et venerabilis vir, nomine Walfridus. Idem monasterium postea ab Henrico imperatore a monte Duello translatum, et in ripa Rheni, loco Steine dicto, constitutum est. Et quoniam idem rex omnia quæ fuerunt Burchardi ducis, sibi in hæreditatem vindicaverat, multa de eodem monasterio subtraxit, et tantum, quæ paucis fratribus sufficerent, reliquit (772); ac demum tam ipsam abbatiam quam omnia quæ ad eam pertinebant, et quæ ipse subtraxerat, Babimbergensi episcopio, quod ipse jam tunc primitus construxerat, subjecit.

§ XXXIX. *Quomodo Epfindorf acquisivit.*

Igitur supradicta Hadewic, relicta Burchardi ducis, post obitum ipsius dedit B. viro Gebehardo episcopo nepoti suo (773) prædium Epfindorf dictum, ad stipendium fratrum in monasterio ipsius, quod dicitur Peterishusa, Deo servientium; quod ipsum per auctoritatem et privilegium Ottonis imperatoris usque in præsens obtinuit, quartam tamen partem ejusdem villæ Steinense monasterium obtinet.

§ XL.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis (774), Otto divina favente clementia rex.

« Si piis petitionibus sacerdotum, quas pro Ecclesiis sibi commissis auribus nostris infuderint, benignum præbuerimus auditum, hoc procul dubio ad præsentis regni nostri statum, et ad æternæ beatitudinis **321** præmium nobis profuturum fore credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, noverit solers industria quomodo dominus Gebehardus, sanctæ Constantiensis Ecclesiæ venerabilis episcopus, nostram regiam aliens celsitudinem, obnixe rogabat quo prædium quoddam Epfindorf vocitatum, cum suis appendiciis, in locis et in villis Bosinga (775), Mesinga (776), Ancencimbra (777), Harthusa (778), Ursilinga (779), sitis in pago Para, et in comitatu Hiltibaldi (780) comitis situm, ad monasterium S. Gregorii, quod jam dictus, Deo et hominibus dilectus, Gebehardus episcopus a fundamento in usum monachorum inibi Deo sub regula S. Benedicti servientium, ob remedium animæ suæ parentumque suorum, devota mente construxit, nostro regio vellemus tradere et confirmare præcepto. Nam, ut relatu nostrorum didicimus fidelium, per traditionem bonæ memoriæ dominæ Hadewigæ ducis (781) supranominatum prædium Epfindorf cum omnibus ad se respicientibus legitime ad jam dictum Gregorii pertinet monasterium. Unde nos, vota et petitiones tam boni et nobis dilecti viri sequentes, donamus atque largimur sæpe jam dictum prædium Epfindorf cunctaque sua pertinentia, scilicet cum areis, ædificiis, mancipiis utriusque sexus, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, vincis, vinetis, silvis, aquis aquarumve decursibus, piscationibus, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis, cunctis-

(770) Vid. Herm. an. 973, et in monito prævio ad ejus Vitam, supra p. 240.

(771) Nunc Hohentwiel munitissima Hegoviæ arx ducum Wurtembergensium. Agit de hoc monasterio Bucelinus, German. Sacr. t. II, et Crusius, Annal. l. IV, p. II, c. 9. In eo tamen deceptus est Bucelinus, quod Hadwigem Rudolfi Burgundionum regis filiam dicat, cum fuerit Henrici Bavariæ ducis, fratris Ottonis I imp. Obiit Burchardus dux ejus maritus an. 973; unde de tempore fundati hujus monasterii constat; quæ tamen antiquior esse debet, si vera scribit Mabillon (*Annal.* t. III, p. 277) Walfridum seu Waldfredum, qui hic primus abbas dicitur, jam a. 880 obiisse. Certe in antiquissimo Societatum Augiensium libro memoratur « Duelli domnus abbas Walfredus. » Sex adhuc ejus successores abbates exhibet Gallia Christiana t. V, p. 933 usque ad Trudewingum, sub quo a. 1005 monasterium illud Steinam translatum est. Unde quod scribit Eckehardus cap. 10 de Cas. S. Galli, Hadwigem mortuo marito Burchardo duce, a. 973 monasterium in monte Duello statuere cœpisse, de prioris monasterii restauratione accipiendum videtur; in quem sensum et alii auctores interpretandi. Cæterum inter istos abbates Watzemannum Duellii abbatem Eckehardo seniori amicissimum circ. a. 973 fuisse scribit junior, l. c., cap. 11, p. 53.

(772) Contraria hæc sunt iis quæ in Gallia Christ. l. c. habentur, Steineinse monasterium a S. Heinrico imp. egregie fuisse dotatum. Subjectionem vero ad Ecclesiam Bambergensem etiam probat Ottonis episcopi epistola ad subjectos sibi abbates circa a. 1123; inter quos etiam est Otto abbas in Stein e D. Blasio missus. Vid. Cels. Gerbertus, Hist. Nigræ Silvæ t. I, p. 433.

(773) Vid. Disquis. § 14, p. 282.

(774) Exstat hoc diploma in Gerberti Hist. Silvæ Nigræ t. III, p. 17, et in Lunigii Spicileg. eccles. p. III, p. 401, etsi in ultimo satis corruptum.

(775) Bosingen, in capitulo Rottweil.

(776) Hoch-Mossingen, ibidem.

(777) Zimmeren, itidem, vel Herrenzimmeren.

(778) Filialis, sub Epfindorf, ibidem.

(779) Urslingen, infra Rotwilam.

(780) Hiltibaldus accensendus est comitibus in Bertholtisbara, quos varios e chartis exhibet Herrgottus, t. II, adsæc. VIII et IX, nullum vero hujus nominis. Vid. Gerbertus, l. c. t. I, p. 150.

(781) Defuncta igitur jam erat hoc anno. In Necrol. Petershus. ad 28 Aug. notatur Hadewic ductrix.

Digitized by Google

que aliis utensilibus quæ adhuc dici aut nominari possunt, eidem jam dicto monasterio in honore S. Gregorii constructo, nec non et monachis sub norma S. Benedicti Deo ibi militantibus, atque ex integro de nostro jure in eorum transfundimus jus. Insuper etiam omnia nostra regia auctoritate confirmamus, quæ jam a nostro dilecto episcopo Gebehardo, vel ab alia qualibet persona, magna sive parva, ad idipsum monasterium tradita sunt vel tradenda erunt, ita ut firma et inconvulsa ac perpetualiter ab omni infestatione incorrupta permaneant, nec importunitate malignantium sacro loco aliqua inferatur molestia. Et, ut hæc nostræ **322** regiæ donationis traditio ab hac hora ut antea firma consistat, hoc nostræ donationis præceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signare jussimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus.

« *Signum domini Ottonis gloriosissimi regis.* Hiltiboldus episcopus et cancellarius vice Willigisi archiepiscopi recognovi.

« Data II Non. Novemb., anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCIV (782), indictione VII, anno autem tertii Ottonis regnantis XI. Actum Ingilnheim feliciter. »

§ XLI. *De ornamentis ecclesiæ.*

Multa sane B. Gebehardus satis præclara et honorifica mobilia ornamenta dilecto sibi loco acquisivit, quæ magna ex parte quorumdam hominum nequitia dissipavit...

§ XLII.

Verum antistes Gebehardus duas coronas argenteas fecerat, quarum unam in choro, alteram suspendi fecerat ante crucem in vestibulo...

§ XLIII.

Laquearia siquidem basilicæ undique per intervalla bullis deauratis ornavit, super chorum vero in tabula singulari imaginem S. Dei genitricis Mariæ auro et optimis coloribus depingi fecit, et per circuitum ejus imagines XII apostolorum in modum crucis; quæ omnia istis jam temporibus antiquitas coegit desistere esse quod fuerant...

§ XLIV.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVII, post consecrationem monasterii anno II, Perigg rus (783) primus abbas constitutus est.

§ XLV. *Quo tempore B. Gebehardus vitam finivit.*

Dehinc anno quarto, hoc est, Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVI (784), ordinationis ipsius XVI, beatus et venerabilis episcopus Gebehardus temporalem **323** vitam finivit, et ad æternam transivit, anno XII imperii Ottonis tertii, indict. IX, sepultusque est in ecclesia quam ipse construxerat, in meridiana absida, feliciter atque gloriose. Denique sepulcrum ejus venustissime decoratum præclaris ornamentis conspeximus. Nam a capite habuit altare in honore S. Benedicti dedicatum, ubi quotidie prior missa canebatur. Eidem altario apposita erat tabula in inferiori parte habens imaginem Domini, ad cujus dextram imago S. Gregorii, in sinistra vero S. Gebehardi, in superiori autem parte ejusdem tabulæ erant laminæ de cupro factæ affixæ, in quibus hoc epitaphium aureis litteris est conscriptum :

Debita pars terræ, fallentia tempora spernens,
Et memorare tuæ, quam testatur cinis iste.
Gentis honor nostræ jacet hic, gentis dolor, atque
Præsul hic urbi, cunctoque sed profuit orbi,
Hancque Deo sedem templi fundavit et ædem.
Parti terrenæ Deus ignoscens miserere,
Redde vicem justæ, quia te dilexerat iste (785).

§ XLVI. *De ornatu sepulcri.*

In circuitu sepulcri in muro quinque columnæ erant de gypso factæ, quarum capitella et arcus eleganti sculptura ornati, sed et desuper erant vites et volatilia et quadrupedia decenter formata; ad caput autem ejus imago Crucifixi, et a dextro latere jacentis imago ipsius in medio tanquam ad officium altaris parati pontificalibus indumentis, cui assistebant a dextra lævaque ministrorum ejus figuræ, una habens librum, altera vero linteum, et hoc totum optime de gypso formatum. Ipsum autem sepulcrum erat juxta cryptæ introitum ex tabulis quadrinis a terra sublevatum, atque tapeti jugiter coopertum, ubi, ad demonstrandam meritorum ejus magnitudinem, miserator et misericors Dominus plerumque diversis ægrimoniis pro sua pietate medetur usque in præsentem diem (786).

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

324 § I. *Quomodo Tuscinanc acquisitum.*

Postquam B. pontifex Gebehardus ex hoc mundo ad cœlestia transivit, ei Lampertus monachus in episcopatu successit, et Periggerus abbas in monasterii annus 1224 ponitur. De prima corporis ejus elevatione agitur infra, l. v, § 1 seqq. « Anno Verbi incarnati 1259, indict. XII, VI Kal. Sept., die Sabbati manifestatæ sunt reliquiæ fundatoris et patroni nostri sancti ac Deo dilecti confessoris atque pontificis Gebehardi, et repositæ in sarcophago novo, argento et auro contecto, cum devotione et reverentia et canticis spiritualibus, multis coram positis prælatis, monachis, canonicis et aliis litteratis personis, laicis plurimis viris ac mulieribus. Collocatæ sunt etiam in eodem sarcophago reliquiæ SS. XI millium virginum, et aliorum multorum sanctorum, ad laudem et gloriam et honorem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre, » etc.

(782) Non ergo primum an. 1007 hæc traditio facta est, ut scribit Crusius, p. II, l. V, c. 2, et Bruschius, quo errore etiam Gallia Christiana (t. V, p. 1033) abrepta est, hæc ad Erlemboldi abbatis tempora referens.

(783) De hoc abbate vid. supra § 26.

(784) Hermannus habet an. 995, sed indictio repugnat.

(785) Aliud additur epitaphium ex antiquo libro Steinensis monasterii, in quo VI Kal. Sept. defunctus dicitur seu 27 Aug.

(786) In antiquo missali ms. ejusdem monasterii hæc leguntur; quæ etiam in Gerberti Hist. Silvæ Nigræ, t. III, p. 120, habentur, ubi tamen ex inad

Digitized by Google

sterio S. Gregorii, quod Petrishusa dicitur, in regimine (787).

§ II.

Per idem tempus Siggerus quidam nobilis et dives sua propria prædia apud Tuscinanc et Oberwangin (788) cum suis appendiciis, ecclesiis scilicet et decimis, et aliis omnibus ad hæc loca pertinentibus jam dicto monasterio vendidit; et cum ipse Siggerus quæ convenerant recepisset, et jam dictam traditionem secundum jura Alemannorum confirmasset, Lampertus episcopus cum adjutorio Ottonis tertii imperatoris a Gregorio V hujus nominis, qui et Bruno dicebatur, tam super ipsum monasterium quam super omnia, quæ illuc tradita fuerunt, vel sunt, vel adhuc erunt, hoc privilegium (789) acquisivit.

§ III.

«In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, GREGORIUS, qui et BRUNO, sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, Dei gratia, episcopus, et servus servorum Dei.

« Desiderium, quod ad religiosum propositum et sanctorum **325** locorum stabilitatem pertinere monstratur, sine aliqua est Deo auctore dilatione perficiendum; et quoties in quibusdam sanctæ Ecclesiæ utilitatibus vel commodis noster assensus, et solitum apostolicæ auctoritatis exposcitur præsidium, ultro benignitatis intuitu nos convenit subvenire, et ratum propositum pro integra securitate ex ratione solidare, ut ex hoc sanctorum veneratio locorum, salus et indemnitas *profligatur* (790), et nobis quoque lucri potissimum præmium a Conditore omnium *proscribatur*.

« Volente ergo atque rogante tertio Ottone imperatore Augusto, et Lamperto sanctæ Constantiensis Ecclesiæ episcopo, quoddam monasterium in ripa Rheni juxta Constantiam, in villa quæ vocatur Petrishusa, de Gebehardo beatæ memoriæ episcopo in honore S. Gregorii constructum, apostolica defensione munimus, et præceptis Romanæ Ecclesiæ eo tenore decoramus quatenus idipsum monasterium, cui nunc abbas Pericherus præest, cum omnibus ad se pertinentibus diversis prædiis, cultis et incultis, colonis et familiis, vel quæcunque idem Gebehardus episcopus hæreditario jure vel aliqua acquisitione ad idem monasterium contradidit, aut quæcunque de episcopio commutavit, aut sine commutatione permisit, nec non quidquid præfatus Lampertus episcopus ad idem monasterium in quocunque negotio concessit, cum Siggeri prædiis Tuzzinanane et Wengin vocatis, in pago Turgewe in comitatu Bertholdi (791) comitis sitis, quorum [unum] de rebus episcopi per episcopum Gebehardum, aliud de ejusdem monasterii rebus per abbatem Pericherum acquisitum est, vel quodcunque per aliquem Deum timentium ad eumdem pium locum concedendum est aut concessum jam venit, apostolica B. Petri defensione et tuitione stabilitum et inconvulsum sub Christi testimonio permaneat et persistat.

« Hoc etiam apostolica jussione cum consensu tertii Ottonis imperatoris Augusti et Lamperti supradicti episcopi, qui hoc fieri rogaverunt, omnino interdicimus, ne forte aliquis eidem monasterio præfigatur, nisi quem communis fratrum ibidem Deo servientium concordia eligat; ad episcopum vero eum qui ita electus est stabilire tantum pertineat. Idipsum etiam de advocati electione decernimus. Electo autem abbati vel monasterii **326** advocato curæ sit res monasterii procurare, easque dissipantibus resistere. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea, quæ ab hac nostra auctoritate pie et firmiter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, contraire, vel hæc, quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii statuta sunt, refragari aut in quoquam transgredi tentaverit, sciat se auctoritate B. Petri principis apostolorum, cujus vel immeriti vicem gerimus, anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo atque Juda traditore Christi æternis incendiis concremandum. At vero qui pio intuitu observator nostræ salutiferæ præceptionis exstiterit, benedictionis gratiam a justo retributore Domino multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur in sæcula sæculorum. Amen. »

§ IV. *De Heinrico rege et Lamperto episcopo.*

Post hæc mortuo Ottone imperatore cum Heinricus imperium suscepisset, et Babimbergensem episcopatum construxisset, omnia quæ fuerant Burchardi quondam ducis de monte Duello et ejus uxoris Hadiwigæ, in potestatem suam quasi hæreditario jure redegit (792), hacque de causa Steinense monasterium in potestatem ipsius ecclesiæ devenit. Sed nostrum monasterium, hoc est Petrishusin, tunc per privilegium Ottonis imperatoris Epfindorf retinuit, quod jam dicta Hadewic B. viro Gebehardo episcopo jam pridem in proprietatem tradiderat. Sed cum jam dictus rex Heinricus undecunque ex aliis ecclesiis quæcunque necessaria erant ad ditandum et ornandum locum quem construxerat, studiosissime congregaret, multa loca rogando spoliavit, quousque locum suum ultra modum ditavit. Qua de re factum est ut etiam Lampertum Constantiensis Ecclesiæ præsulem

(787) Igitur interim quasi vices S. Gebehardi gessit. Lambertus episcopus Petershusensis monachus fuisse videtur ex Annalibus Eremi, cujus obitus ad an. 1018 in hoc Chronico omissus est. Vid. Hermannus ad an. cit.

(788) Tuscinanc seu Tuzzinananc, nunc Tusnang dicitur, in capitulo Frauenfeld et Turgovia, sicut et Oberwangen, quod num. seq. Wengin seu Wengen vocatur.

(789) Bullam hanc, singulari prorsus stylo concep-

tam, Herrgottus (t. II, p. 1, p. 94) corrupte edidit, cui annum 997 assignat.

(790) Forte legendum *præfigatur* et *præscribatur*

(791) Bertholdus igitur ad comites Turgovienses pertinet, pater forte Bertholdi, qui etiam Turgoviæ comes vocatur in diplomate Heinrici III an. 1044 apud P. Herrgott (l. c., p. 120.)

(792) Vid. supra, lib. 1, § 38.

Digitized by Google

rogaret ut et ipse, sicuti cæteri episcopi, de sua Ecclesia sibi aliquod subsidium subrogare deberet. Unde factum est ut idem Lampertus, ex monasterio quod B. Gebehardus construxerat, multa de thesauro quem ipse jam dictus Gebehardus Deo et B. Gregorio donaverat, per vim subtraheret ut imperatoris voluntati satisfaceret.

§ V.

Iste est thesaurus Gebehardi Constantiensis divæ memoriæ episcopi, quem ille dedit ad locum quem construxerat in honorem B. Gregorii papæ, **327** quem abstulit Lampertus episcopus successor ejus. Nappus unus cum auro paratus. Pechina duo argentea. Nappi etiam argentei duo. Scutella una argentea, cochlearia duo argentea, candelabra duo argentea : numerus argenti, XXVIII libræ ad pondus. Dorsalia duo. Pechina duo. Pecten unum elephantinum, auro paratum. Mensalia septem, mantile unum, tapetiolum unum. Scyphus unus argenteus. Stola una aurea, et mappula ejusdem operis, cujus præpendiculum quidam de monachis subripuit et abscondit, quod et adhuc ibi habetur, valde pretiosi operis.

§ VI.

Ellimboldus (793) abbas, qui Periggero successit, de se nobis monimentum reliquit. (*Hic in codice est lacuna.*)

§ VII.

Walthárius (794) abbas secundo anno imperii Heinrici regis acquisivit monasterio prædium apud Campis et Essanc, et Quarabilis per concambium a quodam Burchardo, cui datum est in mutua vicissitudine a monasterio, quod habuit proprium apud Burron, et apud Berge, et apud aliud Berge, et ecclesiam apud Lindinis, quod quidem prædium quidam presbyter nomine Diethere per partes acquisivit temporibus Ottonis imperatoris. Super quod plura quidem privilegia habentur, sed ita non sunt dictata, ut ea hic inserere velimus

§ VIII.

Sigifridus, primum Constantiensis canonicus, deinde monachus apud cellam S. Meginradi, et ad extremum abbas constitutus est apud S. Gregorium.

§ IX.

Erchinboldus (795) abbas nihil memorandum reliquit.

328 § X. *Privilegium super prædium Rietilinis.* Folmarus abbas acquisivit monasterio Rietilinis et Wegefaza, sicut subsequens privilegium testatur (796).

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus Christi fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, quod ego Erimbreth, rogatu Eberhardi Constantiensis Ecclesiæ episcopi, tale prædium quale visus sum habere in pago Nibelgewe (797), in locis Ritilines et Wegesaza, curtilibus, agris, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, cultis et incultis, itibus et reditibus, et in silva Arinane ex parte mei prædii, quantum his areis in prædictis locis sufficiat ad ædificandum et ligna incidendum, cum pascuis, itibus et exitibus, cum manu uxoris meæ Irmingardæ, sine omni contradictione, Deo et S. Gregorio in loco qui dicitur Petershusa, et monachis Deo illic servientibus potestativa manu tradidi. Præterea notum esse desidero, quod Eberhardus episcopus cum manu Folmari ejusdem loci abbatis, et Heremanni advocati, idipsum prædium in præfatis locis Rietelines et Wegesaza susceperunt (798), et quatuordecim mansus in loco Eichstat (799) mihi et uxori meæ usque ad obitum vitæ nostræ in beneficio tradidit.

« Acta sunt autem hæc anno Dominicæ Incarnationis MXLIII, indictione XI, epactis septem, concurrentibus quinque, XVI Kal. Julii, luna V **329**, præsentibus his testibus : Udalricus Brigantinus (800), Switker, Wezel, Swigger, Ernest, Gerolt, Ruger, Landolt, Otgoz, Lutpreht, Sigipreth, Hartnit, Engilscalch, Enceli, Simpreht, Ilunolt, Eppo, Ello, Albe-

(795) In Gallia Christiana Erlemboldus vocatur, Bucelino Elenboldus, cujus tempora et acta incerta sunt.

(794) Hic in Gallia Christ. ex monacho Einsidlensi an. 1021 abbas factus dicitur, perperam tamen, si jam Henrici imperii anno secundo seu 1016 hic memorata loca acquisivit, in Rhætia Curiensi sita, Campis seu Gams; Essanc seu Eschen; Quarabilis seu Grabs; et Lindinis, id est Lienz superior et inferior. *Vid. Lew lex.*

(795) De ambobus his abbatibus pariter nihil apud alios nisi nomina.

(796) Legitur hæc charta apud Lunig. Spicil. eccles. p. III, p. 402.

(797) Necdum satis determinatus est situs pagi Nibilgewe, Nibalgow seu Nibalgauge. Hunc Goldastus n. 10, et post eum Besselius in Chronico Gotwicensi, ex Tschudio, de Rhætia cap. 24, in Rhætia Curiensi collocat ad dexteram Rheni inter pagos Brechtagow, Walgow et Ringow seu hodierno comitatu Montfortensi, in quo, juxta Munsterum Cosmogr. l. III, et Zeilerum sita erat curtis Feldkirch seu *ad Campos*, uti interpretatur Besselius. P. Neugart vero in Cod. dipl. Alem. vet., in notis ad chartam XLV, illum circa civitatem imperialem Leutkirch quærendum esse existimat, uti loca subinde adjuncta in chartis San-Gallensibus demonstrent, quanquam urbs ista alias pago Algoviæ annumeretur, cujus forte pars erat minor pagus Nibilgewe. Certe enim in charta infra, l. III, § 41, insula Rotse Petershusio donata in pago Nibilgouwe sita dicitur, qui tamen locus *Rottsee* notatur in Rurali capitulo Isnensi, ad quod pariter spectat oppidum Leutkirch. Besselius hic a Lunigio deceptus pro Rotsee legit Rethe, idque nomen ex suo systemate in Rottis prope Montfort quærit; sed constans est lectio Rotse in nostro codice, cui etiam insulæ appellatio melius competit. Vid. infra, l. V, § 6. Prope Rottsee et Arnach situs est vicus Riedlings, qui hic Rutilenes dicitur; forte etiam Wegesaza, cujus tamen nominis locus haud amplius occurrit.

(798) Leg. *suscepit.*

(799) Vid. lib. I, § 36

(800) Hic Udalrici fratris S. Gebehardi filius fuisse videtur, qui apud Lazium haud occurrit. Vid. infra § 20, et supra in disquisitione § 24.

Digitized by Google

rich. Episcopus Eberhardus jussit hanc chartam fieri. »

§ XI.

Præterea fertur quod aurum, quod in ostiolis fuerat illius tabulæ, quæ principali altari erat apposita, tunc etiam sit ablatum, et pro jam dicto prædio datum., atque deauratum argentum tabulæ est affixum.

§ XII. *Privilegium super Ouwiltingin.*

Adelberti (801) abbatis temporibus, dedit Swiggerus prædium apud Ouwiltingin, de quo tale privilegium (802) habetur :

« Noscant omnes præsentes atque futuri qualiter ego Swiggerus trado, cum manu uxoris meæ Adelheidæ et filii mei Godeshalchi, ad monasterium S. Gregorii in ripa Rheni situm in manum abbatis Adelberti, ejusque advocati comitis Eberhardi (803) medietatem talis prædii quale ego potestative visus sum habere in villa quæ vocatur Oweltinga (804), in pago Linzgowe, in comitatu Ottonis (805) comitis; ea videlicet ratione et pacto ut, quandiu ego et prædicta uxor mea vivamus, quandocunque nobis adesse placeat, in ædificiis et in omni fratrum utilitate fraternam communionem habeamus. Post mortem vero nostram, semper nostri memoria sicut unius fratrum celebretur, et, si fieri possit, in utriusque si non in illius cujus anima prius e corpore recedat, anniversario die fratribus juxta constitutionem prædicti dignitatis reverendæ abbatis administretur. Actum est hoc in eadem S. Gregorii ecclesia anno ab Incarnatione Domini MLVIII **330**, his præsentibus, quorum nomina subscripsimus : Ruodolf comes (806), Eberhart, Uodalrich, Adelbret, Hezo, Hezil, Adelolt, Gerolt, Hereman, Alwich, Adelbero, Ratolt, Hezel, Ruodolf, Marcwart. Ego Bernhardus diaconus scripsi et subscripsi, regnante parvulo quarto Heinrico rege, secundo post obitum patris sui anno, ordinationis autem beatæ memoriæ Rumoaldi (807) præsulis septimo, indictione XII (808). »

§ XIII.

Erat autem item Adilbertus, nobilis genere et formosus corpore. Obiit anno Incarnationis Dominæ MLX (809).

§ XIV.

Siggo (810) successit Adelberto (811). Quo defuncto Arnoldus successit; Arnoldus deponitur et Meginradus substituitur.

§ XV.

Meginradus abbas tempore aliquanto cum episcopus Constantiensis ad regale servitium deberet properare, cœpit a jam dicto abbate commeatum importune quærere, dicens sibi ex jure deberi ex eo monasterio spado (812) cum limbone (813). Cumque Meginradus abbas vehementer reluctaret, dicens nihil ei omnino exinde ex jure deberi, et episcopus pertinaciter insisteret ut daretur, ille abjecit virgam regiminis a se, dicens nunquam se prorsus velle consentire ut sacer locus libertatem suam per violentiam cogatur amittere; et, quoniam jam, inquit, non valeo obsistere, melius est mihi abbatiam dimittere. Sic ille abbatiam dimisit, et episcopus nihil ibi acquisivit. At tamen, postea sedi suæ restitutus, cum iterum quadam die episcopus sine ipsius rogatu missam in eodem monasterio vellet cantare, baculum pastoralem super altare projecit, et recessit.

331 § XVI. *De capella S. Joannis Baptistæ.*

Circa hæc tempora Wolueradus (814) vir nobilis de Wilare, et ejus uxor Gotistric nomine, Rumaldo præsidente Constantiensi Ecclesiæ, construxerunt capellam in cœmeterio monasterii in honorem S. Joannis Baptistæ et S. Nicolai et aliorum sanctorum; illucque Uodilshusin (815) et Ludintunberch (816) in dotem contradidit, ipsamque capellam proprium habere sacerdotem instituit. Ubi etiam ipse et uxor ejus ante sanctuarium in singulis sepulcris jacent tumulati, unum (*sic*) in dextro, alterum in sinistro pariete. Sed et Sigifridus, filius jam dicti Wolveradi, temporibus Ottonis episcopi (817), oratorium S. Jacobi apostoli addidit eidem capellæ, et illuc in dotem dedit Bazze, Gisilmarisruti, Swabirichishusin, sepulcrum sibi in ipso oratorio constituit; sed, Romam iens, in redeundo apud Clavine (818)

(801) Adelbertus abbas antea monachus eremitanus, qui apud Buchau subita morte obiit an. 1060, infra l. IV, § 19.

(802) Legitur quoque apud Lunig. l. c., p. 403, sed corrupte.

(805) Hunc omnino esse puto illum Nellenburgi comitem, qui anno 1052 Scafhusense cœnobium condidit. Vid. supra in Bernoldo ad illum annum.

(804) Mendose Suiltinga apud Lunig. et in Chronico Gottwicensi. Videtur esse Ober-Uldingen seu Unter-Uldingen, haud procul ab arce episcopali Mersburg.

(805) Rhætiæ Curiensis, in charta, a. 1050, apud Herrgott, et Brigantini. Vid. disquis. § 24.

(806) Notatur in charta a. 1048 et an. 1050 cum Ottone mox memorato apud Herrgott, t. I, p. 75, comes forte Montisfortis aut Pfullendorfensis.

(807) Rumoldus, Constantiensis episcopus a. 1051 factus primum, a. 1069 obiit, unde verba *beatæ memoriæ* a nostro scriptore addita videntur.

(808) Currebat hæc indictio a mense Septembri anni 1058.

(809) Juxta Necrol. 23 April.

(810) Hic infra, l. IV, § 19, confracto dorso obiisse dicitur altero ordinationis suæ anno, adeoque circa an. 1062.

(811) Hic in codice permagna lacuna.

(812) Ital. *spadone*, ensis militaris, rhomphæa.

(813) Seu limbo, est autem limbus toga militaris, paludamentum, Wappenrock.

(814) In Necrol. notatur 4 Jan., ubi uxor vocatur Gotistiv., et prædia Uoldishusin et Judintunberch. Nobilis vero hæc familia ignota.

(815) Oggelshausen ad lacum plumarium in cap. rur. Biberacensi.

(816) Ittenberg, parochiæ Burgweiler, ubi forte sedes erat nobilium de Wilare, in cap. rur. Mengensi.

(817) Otto Constantiæ episcopus constitutus est an. 1071.

(818) Forte Clavennæ in diœcesi Comensi, Italis Chiavenna, quæ nunc Grisonibus paret.

Digitized by Google

morte præventus est (819), ibique sepultus. Iste quoque nimis locum nostrum dilexit, sæpe illuc visitavit ibique manebat. Unde factum est ut, dum quadam nocte peractis vigiliis matutinis ab ecclesia vellet egredi, per cæcitatem noctis cecidit per gradus, quibus tum ab ipso ostio ecclesiæ in claustrum descendebatur, sed nunc aliquantulum longius ab ostio transpositi sunt ab avunculo meo Gebinone. Statim itaque post illius casum Sigifridus dedit prædium apud Maginbuoch (820), ea conditione ut omni nocte infra vigilias matutinas ante ipsum ostium lumen jugiter arderet.

A

§ XVII. *Brachium Thebæorum martyrum.*

Et ut ad superiora parumper tempora redeamus, Herimannus senior de Hirzisegga (821) temporibus Conradi II imperatoris apud Agaunum acquisivit **332** unum brachium unius de commilitonibus S. Mauricii, quod cum debita veneratione Patrum apportavit, et sarcophago exiguo, sed argento decorato, inclusit ac monasterio donavit. Ipse Herimannus et frater ejus dederunt duo prædia apud Alminishus et Winiden (822)...

B

§ XVIII. *De Gebinone et ejus prædio.*

Et erat vir quidam nobilis Gebino de Pfruwangin (823) qui habere cœperat familiaritatem ad locum sanctum, et dedit illuc de prædiis suis apud Ringginwilare (824), et Firmanniswilare atque Tanchiratiswilare (825), ipseque sibi habitaculum apud monasterium fecerat, ibique jugiter propter divinum servitium commanebat... Iste dedit casulam optimam crocei coloris. Sepultus est in porticu ante basilicam (826).

C

§ XIX.

Igitur postquam se Meginradus abbas, sicut supra diximus, potestate abdicavit, Luitoldus substitutus est (827).

§ XX. *De nobilibus in eodem monasterio sepultis.*

Per hæc tempora multi procerum familiaritatem ad idem monasterium habebant, locumque sepulcri inibi se habere gaudebant. Inter quos Eberhardus comes de Potamo (828), qui Huedewanc prædium illuc dedit, in basilica ante Dominicam crucem quiescit. Et Udalricus senior comes Brigantinus (829), qui Briginhusin (830) dedit, in claustro pausat. Gero quoque comes de Pfullindorf (831), qui prædiolum apud Adelberinwilare (832) dedit, ante ostium ecclesiæ jacet...

§ XXI.

333 Eppo quoque de Sanctomonte, ejusque conjux Tuotta (833) ad S. Petrum tumulati jacent in eadem ecclesia, quorum imagines super altare in muro depictæ sunt, et virili imagini ascripti sunt hi versus :

Hic jacet Eppo bonus de Sancto Monte patronus,
Maii quindenis est mortuus ipse Kalendis.

Super muliebrem autem imaginem descripti sunt hi versus :

Isthic Tuta malis jacet ejus collateralis;
Illa Kalendis sevis est tumulata Decembris.

Ex latere autem ejusdem parietis habetur tale epitaphium super Herimannum de Hirzisegga (834) et ejus conjugem Pertheradam :

Perhterat ætherii Herimanque perennia regni
Petri, suscipite precibus bona Gregoriique,
Vos et vestra decens post debita Sabbato proles
Isthinc octavam sperate adire beatam.

In altera parte ecclesiæ, ad S. Stephanum, jacent quatuor nobiles viri, qui simul occisi sunt, hoc est, Wernherus, Burchardus, Herimannus, Wolfarnus (835).

§ XXII.

Per hæc itidem tempora Geroldus, et ejus frater Herimannus dederunt apud Miminhusin, Ruti, Estrichiswilare (836) et Niwiron (837), et ipse Geroldus

(819) Ex Necrol. 15 April.
(820) Maginbuech in capitulo Mengensi.
(821) Vid. infra § 21. Nomen nobilis hujus familiæ conservare videtur Hirschegg vicus parochiæ Mittelberg, in cap. rur. Stieffenhofen.
(822) Althausen et Wengen, seu Winingen in capitulo Fravenfeld in Turgovia.
(823) Pfruewangen, hodie Pfrungen, in pago Linzgowe, et capitulo Thuringen. Vid. infra lib. IV, § 5.
(824) Ringenweiler in eodem.
(825) Dankeltschweiler ibidem.
(826) Hic in codice lacuna quinque linearum.
(827) Hic postea depositus ad Augiam recessit. Vid. infra lib. III, § 2.
(828) Videtur idem esse, qui supra § 12 in charta notatur, in Necrol. 8 Febr. legitur.
(829) Vid. supra § 10. Senior hic dicitur respectu filii, seu nepotis cognominis, qui an. 1097 obiit ex Bertholdo Constantiensi.
(830) Forte Bichishausen in Mosskirchensi capitulo, seu Hegovia
(831) Hic Gero frustra quæritur apud Lazium et Lucæ Grafensaal p. 382; haud dubie inter majores Rudolfi comitis referendus, qui dein Brigantium obtinuit. Vid. disquis. § 24.
(832) Forte Alberweiler in Biberacensi capitulo, vel Almenschweiler in Sulgoviensi.
(833) Videntur esse parentes Henrici et Arnoldi fratrum, de quibus infra lib. III. § 25, 27.
(834) Vid. supra § 17. In Necrologio legitur 1 Mart.
(835) Ad nobiles in monasterio Petershusano vel mortuos vel sepultos spectat etiam Joannes de Seinsheim, de quo in ejus Necrologio a l d. 28 hæc altera manu inserta leguntur : « Anno Dom. 1461, feria quinta post sanctum Pentecosten, obiit nobilis domicellus nostro in monasterio Petrishusen, videlicet Joannes de Sanshein, baro de Schwarzenberg, cujus annua dies erit die præscripta de nocte agenda cum vigilia et *Placebo* visitando sepulcrum, et in crastina cum missa pro defunctis decantanda, et depost cum *Placebo*, sicut moris est talibus generosis nostro in monasterio anniversaria peragere. Propterea nobis et successoribus nostris ordinavit unam libram denariorum annui census de navigatione in Amlikain, secundum tenorem litteræ desuper confectæ per ejus relictam generosam dominam Cunigundam de Nellenburg comitissam. » Cunigunda Conradi Nellenburgici filia juxta Kittershusium primo comiti de Lupfen et Landgravio in Stufingen, postea Joanni Baroni de Schwarzenberg nupsit; quem tamen apud Imhof De principibus Schwarzenbergicis haud reperio, uti nec in familia de Seinsheim.
(836) Escherichiswilare dicitur in Necrologio 14 Jan., ac forte est Esseratschweiler in Lindaviensi capitulo.
(837) Forte Neuffen in Rottwilensi capitulo, seu pago Para.

Digitized by Google

334 temporibus Theodorici abbatis venerabiliter valde in eodem monasterio conversatus est usque ad obitum suum, prius in barbatorum habitu, deinde in monachorum.

§ XXIII. *De Heinrico rege quarto.*

Anno ab incarnatione Domini MLVII [MLVI] Heinricus tertius imperator obiit, et filius ejus Heinricus quartus successit adhuc puer, annorum scilicet novem (838), qui per quadraginta et octo annos quasi titio fumigans oculos fidelium terebravit. Etenim felicissimum Romanum imperium cum accepisset serenissimum, per omnia reddidit turpissimum et turbulentum... In tantam autem vesaniam prorupit ut... omnia ecclesiastica officia simoniace venderet, et quoscunque religiosos episcopos sua scelera exsecrantes resciret, eos propriis sedibus privavit, et ipse alios suis flagitiis faventes ecclesiis prætulit, et omnia tam ecclesiastica quam sæcularia jura confudit. Pervenit enim tunc super Romanum imperium illa maledictio, quæ a Salomone præscripta legitur: *Væ terræ, cujus rex puer est* (*Eccle.* x); et in Job: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi* (*Job* XXXIV).

§ XXIV.

Anno MLXIX Rumaldus Constantiensis episcopus obiit, et Carolus (839) quidam per Simoniam a Heinrico rege eidem Ecclesiæ in episcopum transmissus; sed in jam dicta hæresi deprehensus, a clero Constantiensi refutatus in præsentia regis, ipso quamvis nimium furente, reprobatus est. Tunc rex iracundia permotus ait: *Quoniam idoneum spreverunt, accipiant ignavum;* et tunc Ottonem quemdam Saxonem genere dedit eis episcopum.

§ XXV.

Anno MLXXV cum rex Heinricus per omnia tyrannice viveret, et nec Deum nec homines vereretur, et investituras episcoporum et abbatum pro velle suo distribueret, et cum pro hoc sæpe a legatis Gregorii papæ admonitus esset, nec emendare vellet, jam dictus papa Gregorius, qui et Hiltibrandus, congregata synodo (840) excommunicavit eum, et omnes 335 sequaces ejus, et juratos illi atque fœderatos absolvit, et abalienavit eos ab illo, et interdixit ne aliquis ab eo ecclesiasticum officium vel investituram susciperet; insuper clericis conjugia sub anathematis vinculo interdixit. Hac de causa tanta procella Ecclesiam impulit, quæ innumeros subvertit, et hactenus usque in præsens, sed nec usque in finem, ut credimus, navim Dei inundare et pulsare non desinit...

§ XXVI.

Anno MLXXVII Ruodolfus dux Suevorum (841) jussu Gregorii papæ, et consilio Bertholdi ducis, et Welfonis Baioariorum ducis, aliorumque quamplurimorum catholicorum in villa Forcheim rex constituitur, qui tribus et dimidio anno regnum contra Heinricum tenuit. Initium, imo incrementum dolorum hæc; nam inde exorta sunt prælia et seditiones et multæ sanguinis effusiones, et quod est deterius, multarum animarum perditiones.

§ XXVII.

Anno MLXXX Heinricus rex anathematizatus Romam cum magno sibi favente exercitu tendit, eamque sibi non immerito repugnantem obsedit, armisque cepit (842), Gregorium papam sede apostolica pulsum in exsilium satis impie trusit, et Wipertum Ravennatem archiepiscopum, ob scelera sua jam septennio excommunicatum (843), apostolicæ sedi imposuit, et ab eo coronam imperii sibi imponi fecit. Hic nefandissimus hæresiarcha sanctam matrem Ecclesiam infestavit plusquam decem et novem annis. Erat tamen litteris apprime eruditus, et lingua facundissimus, et si justus, huic officio satis esset idoneus.

§ XXVIII.

Cum igitur Heinricus rex ecclesiastica officia, ut diximus, perverse tractaret, et jam divino judicio contritio et infelicitas viis ejus propinquaret, cœpit viam pacis perturbare, et nec Dei timorem præ oculis habere, nec hominibus, quæ justa erant, exhibere. Et ut pauca de multis dicam, Ottoni duci Baioariorum ducatum abstulit, et Welfoni de Ravinisburch (844) 336 tradidit. Bertolfum (845) quoque de Zaringin ducatu Carinthiorum privavit, et Luitoldo Genuensi (846) dedit. Ad hæc cum in Saxonia sæpe moraretur, eo quod ipsa provincia imperatoris coquina esse perhibetur, cœpit tam conjuges quam filias principum constuprare et in hujusmodi facinoribus modum non habere. Has ignominias Saxones non ferentes ad rebellandum sunt incitati et exinde gravia prælia et seditiones sunt experti.

§ XXIX.

Et, ut ad superiora tempora parumper redeamus, anno incarnationis Dominicæ MLXXIV (847), Heinricus rex congregato exercitu Saxoniam sibi rebellantem hostiliter intravit, et apud aquas Unstruot cum

(838) *Leg.* septem.

(839) Vid. Bertholdus Constant. in Chron. ad h. a.

(840) An. 1076 ex Bertholdo Const. in Chron. infra tom. II.

(841) Vid. mox infra, § 30.

(842) Hæc ad annum 1084 pertinent. Vid. infra § 32, 33.

(843) Bertholdus ad an. 1084.

(844) De comitibus in Altorf et Ravenspurg vid. Origines Guelphicæ, ex quibus Welfo IV an. 1071, dux Baioariæ constitutus est. *Berth.*

(845) Alias Bertholdum. Vid. Lambertus Schaffnaburg., an. 1072.

(846) Imo Marquardo Luitolfi patri, comiti Murztalensi et Avelanzensi in Styria superiori, Heinrici IV regis propinquo, cui cur Genuensis dicatur, nobis incompertum est.

(847) Berthold. ad an. 1075, uti et Lambertus. Ernestus in hac pugna occisus erat Austriæ marchio, Ernesti II Alemanniæ ducis filius. Eberhardi autem Nellenburgici filios Heinricum et Eberhardum nominat Chronicon S. Blasii, quos Lucas p. 1052 Albertum et Theobaldum appellat.

Digitized by Google

eis pugnavit, eosque devicit multisque occisis et plurimis fugatis, quibusdam etiam sine conditione sibi traditis, victoriam adeptus est non suo merito, sed, ut credimus, Deo felicem Romanam rempublicam honorante. In hoc bello cum rege fuerunt duces Suevorum, Ruodolfus postea rex, et Welf atque Bertholdus, quamvis ei suspecti essent. Ibi occisus est ex parte regis Ernist marchio Orientis, et duo filii Eberhardi comitis de Nellinburch, qui Shafhusense monasterium fundavit.

§ XXX.

Igitur jam dicti duces Alemannorum statim post hanc pugnam regi rebellare cœperunt, ac diu inter se tractato consilio ad ultimum cum voluntate Gregorii papæ, qui et Hiltibrandus, convenerunt in villa, quæ Forcheim dicitur, cum Saxonibus et Ruodolfum ducem Suevorum constituerunt regem, vivente adhuc Heinrico, sed excommunicato. Actum anno Dominicæ incarnationis MLXXVII, mense Martio. Qui Ruodolfus proximum Pascha egit apud Augustam Vindelicam; sed Imbrico ejusdem urbis episcopus noluit eum nec videre, nec salutare, sed quæ necessaria erant jussit abundanter ministrare. Inde digrediens Ruodolfus rex obsedit castellum quod dicitur Sigimaringin (848); sed comperto adventu Heinrici regis, **337** qui per juga Alpium cum exercitu veniebat ad liberandam munitionem, aufugit, et in Saxoniam perrexit. At rex Heinricus dedit Friderico de Stouphin ducatum Suevorum, et filiam suam junxit ei in matrimonium, quæ genuit ei Fridericum et Cuonradum postea regem.

§ XXXI.

Item Heinricus congregato exercitu contra Saxoniam perrexit, ad expugnandum Ruodolfum. Sed illi e contra congregati occurrerunt ei in provincia Baioariæ, loco fluminis quod dicitur Strowe (849), dicentes nolle se regem longius fatigare. Ibi facta pugna vehementissima rex Heinricus cum suis terga vertit, et ibi Diepoldum marchionem de Giengin (850) cum aliis multis perdidit. Saxones igitur adepta victoria suos saucios et occisos levantes conciti abierunt. Rex autem Heinricus ipsa die, superveniente duce Boemiorum cum valida manu post fugam ad locum pugnæ rediit, Saxones quæsivit, iterumque cum eis confligere voluit. At cum eos minime reperisset, suos quique tam occisos quam vulneratos levaverunt, et abierunt, ac circumquaque omnia præda, ferro et igni devastarunt (851).

§ XXXII.

Post hæc Heinricus rex Italiam perrexit (852), Romam cum exercitu venit eamque sibi rebellantem armis cepit, Gregorium papam ejecit post multas injurias, quas ei fautores ejus prius irrogaverant. Nam cum quodam tempore in sancta nocte Nativitatis Domini in Romana urbe primo galli cantu missam, ut moris est, celebraret, a quodam Crescentio (853) cive Romano, regis fautore, gladio est appetitus, et forti ictu in capite percussus **338** ad terram concidit. Deinde ad sui vesaniam cumulandam in captivitatem eum redegit, et in turrim suam trusit. Sed eodem die a fidelibus ipsa turri destructa papa ante vesperam altario, unde impie abstractus fuerat, pie restitutus est, et missam, quam in galli cantu cœperat, adhuc jejunus et ab aliis sustentatus vespere complevit, nam eam prius ad communionem peregerat.

§ XXXIII.

Gregorio papa catholico expulso et in exsilium satis impie detruso, Heinricus rex quemdam schismaticum nomine Wipertum, prius Ravennatem archiepiscopum, sed jam septennio ob scelera sua a papa excommunicatum, sedi apostolicæ indigne præfecit, et ipse ab eo consecrationem imperialem suis nequitiis satis condigne percepit; hoc enim non consecratio, sed magis exsecratio nominandum est. De hoc etiam superius (854) retulimus.

§ XXXIV.

Interim rex Ruodolfus congregato exercitu Boemiam voluit intrare eamque devastare (855), sed dux Boemiorum cum Sclavis, adjunctis sibi etiam aliis complicibus regis Heinrici, occurrit ei in flumine quod vocatur Elstere, ibique facta pugna valida multi ex utraque parte ceciderunt. Ipse autem Ruodolfus rex in ipso flumine lancea graviter vulneratus, de equo in aquam cecidit; sed a suis sublevatus et in campum delatus, supervenientibus episcopis pœnitentiam et viaticum accepit. Cum autem jam esset in morte, caput, sicut fertur, elevavit et ait: « Quis, inquiens, habet victoriam? » At cum circumstantes dicerent: « Vos, domine! » caput reclinavit et ait: « Jam, inquit, non curo de mea morte, si eam excipio cum triumphi honore. » Ita rex Ruodolfus eadem die vitam finivit apud Elstere atque a suis Mersiburch delatus, ibique honorifice sepultus est in ipso choro basilicæ, et imago ipsius ex ære fusa atque deaurata super tumulum ejus

(848) Burchardus De cas. S. Galli c. 7, castellum hoc pariter Sigmaringen appellat, Zolleranorum principum hodie sedem in Suevia.

(849) Bertholdus auctior ad an. 1078.

(850) Notum est imperiale Sueviæ oppidum Giengen, at nulli ejus comites, multo minus marchiones. Forte dominium olim ibi obtinebant comites de Lechsgmunde, quorum aliquos fuisse principes ac duces scribit Bruschius de monasterio Kaysersheim ab ipsis fundato. Certe ex illis Theobaldum et Henricum in hac pugna occubuisse testatur annalista Saxo, et Chronicon Magdeburgense (Meibom. *Script.* t. II, p. 313); qui is ipse Diepoldus marchio hic memoratus esse videtur.

(851) In margine apponitur: « Tertium bellum fuit apud Madilrichistat, in quo iterum rex Ruodolfus victor cum Saxonibus exstitit, Heinricus autem fugit. »

(852) Vid. supra § 27, spectat ad an. 1084.

(853) Rem fuse describit Bertholdus auctior ad an. 1076 ubi tamen facinoris auctorem non Crescentium, sed Quintium seu Cincium nominat.

(854) Num. 27. Vid. Bertholdi Chron. an. 1084.

(855) De hoc Rudolphi regis consilio silent cæteri scriptores ad an. 1080, quo hæc facta sunt.

Digitized by Google

transposita est. In hoc bello victoria dubia fuit, quoniam ex utraque parte fugerunt : attamen Sclavi regionem suam ab invasione Saxonum defensarunt. Actum anno Dominicæ incarnationis MLXXX, Idus Octobris.

§ XXXV.

339 Dehinc sequenti anno proceres Saxonum et Suevorum convenerant (in loco) qui vocatur Ohsonefurt, et Herimannum constituerunt regem, genere Francum de Glichberg (856) virum nobilem, decorum, strenuum et idoneum, anno Incarnat. Dom. MLXXXI regnavitque annis septem.

§ XXXVI.

Post hæc dux Suevorum Fridericus, et Cuono Palatinus de Fohiburch (857) cum cæteris Heinrici regis satellitibus congregati quasdam munitiones in Baioaria ceperunt, et usque ad munitionem, quæ vocatur Werde, accesserunt, **340** eamque ceperunt. Inde cum abirent, ecce Herimannus rex cum exercitu Suevorum supervenit, eosque in loco, qui vocatur Hoste comprehendit. Inito autem bello acriter ex utraque parte pugnaverunt, eumque animose pugnarent, et neutra pars cedere vellet, unus ex parte Alamannorum clamasse fertur magna vociferatione : *Eia*, inquiens, *Suevi, fortiter pugnate ; ecce fugientes Bajoarios videte, nullum ex eis abire dimittite.* Quam vocem audientes Baioarii, et putantes ita esse, sicut ille malignus dixerat, omnes pariter terga verterunt et unus alium fuga prævenire cupierunt; plures autem ibi ceciderunt. Ibi cecidit Cuono Palatinus de Fohiburch cum multis aliis.

§ XXXVII.

Iterum rex Heinricus papam Gregorium multis blanditiis (858) delinivit ut se reconciliaret; sed ille tenax justitiæ nullo modo deflecti potuit, nisi ille ab impietate sua resipisceret. Ac propterea pulsus patria Salernum petiit, ibique (859) synodum congregavit ac iterum contra Wipertum et Heinricum gladium excommunicationis exacuit, et contra omnes fautores eorum et erroribus eorum consentientes ; excepit autem rusticos et pueros ac mulieres qui nec armis nec consiliis eos juvarent.

In eadem civitate fine vitæ præventus hoc memoriale ante obitum suum dixisse narratur : *Quoniam justitias dilexi, et facientes prævaricationes odivi, ideo morior in exsilio.* Obiit autem anno Incarnat. Dom. MLXXXI (860).

Rex autem Heinricus de Italia in Theutonicas partes rediens Welfonem ducem Vindelicam Augustam odio Sigifridi episcopi obsidentem reperit, eumque inde exterruit (861).

§ XXXVIII.

Anno incarnat. Dom. MLXXXVI (862) fideles S. Petri generale colloquium post festivitatem apostolorum prope Wirziburch confixerunt. Quod rex Heinricus perturbare volens cum exercitu supervenit, sed multitudine **341** Suevorum cum principibus suis superveniente ad tempus locum dedit. Ipsis autem Herbipolim adjunctis Saxonibus circumdantibus, Heinricus rex exercitu viginti millium congregato, ad liberandam urbem aciem direxit. Illi autem, erecta cruce obviam ei duobus milliariis non tam armis quam misericordia Dei freti, processerunt. Interfectis autem ex parte regis valde multis, Suevi et Saxones victores exstiterunt, et ex sua acie non nisi tres tantummodo perdiderunt. Tulerunt autem non tantum scrinia cum regalibus vestimentis, sed et episcoporum infulas qui cum eo erant in bello

(856) Herimannum regem familiæ comitum Lucemburgensium adnumerant historici, ex quorum testimonio patrem habuit Giselbertum comitem, qui filius erat Friderici comitis Luxemburgensis : de quo hæc refert anonymus Weingartensis de Guelphis principibus cap. 5. (Leibnit. *Script. Brunsvic.* t. I, p. 785.) « Guelfo (filius Rudolphi fratris S. Conradi Constantiensis episcopi) *uxorem duxit de gente Salica, de castro Glihberg, Juitham nomine, sororem Henrici ducis Noricorum, et NB. Friderici ducis Lotharingorum*, etc. » simul enim Lotharingiæ inferioris dux erat Fridericus iste, an. 1048 ab Henrico III imp. constitutus, de quo Hermannus in chronico ad. an. 1046 et seq. Rem vero clarius explicat idem anonymus ex codice Weingartensi emendatus (Hess *Monument. Guelph.* p. 12), ubi idem castrum non Glihberg, sed Glizberch, et pro Juitha Imiza nominatur. Utroque autem nomine Glitzberg et Lucemburg eosdem comites Luxemburgenses venire notat Scheidius in notis ad origines Guelphicas (t. II, p. 222). Dum vero ibidem ad Bertholdum seu Bernoldum nostrum Constantiensem et Lambertum Schaffnaburgensem provocat, vereor ne similitudine nominis deceptus sit Scheidius. Bernoldus quidem ad annum 1059 scribit : *Fridericus et frater ejus* (aut ex aliis codicibus *fratres ejus*), *de Glichberga Heinrico regi rebellant*, id tamen mox postea explicabimus. Aliud est de Lamberto, qui ad an. 1075 scribit, Herimannum comitem de Gilzberg in pugna Heinrici contra Saxones vacillantem regis aciem restituisse ; quem Scheidius eumdem esse putat, qui postea rex factus sit. Quamvis enim tunc a partibus Heinrici steterit pariter ut Rudolphus dux et Welfo Hermanno ex superioribus affinitate junctus, æque tamen cum illis postea ab illo deficere potuit. Quæ etiam videri posset ratio, cur eum post mortem Rudolfi an. 1081 principes regem constituerint, ob comprobatam nempe bellicam ejus fortitudinem. Dum autem genere Francus hic dicitur, convenit cum citato Weingartensi anonymo, qui Fridericum Hermanni avum de gente Salica fuisse scribit, ac ideo notatur ut Lucemburgense castrum Glizberg distinguatur ab alio cognomine castro, olim in Thuringia prope Ienam sito. Inde forte fuit Fridericus et frater ejus de Glichberg, qui an. 1059 juxta Bernoldum regi rebellarunt. Id vero de Hermanno nostro intelligi nequit, qui nullum fratrem Fridericum habuit, et ex Lamberto adhuc an. 1075 in exercitu Henrici strenue militavit.

(857) Bertholdus hæc ad an. 1081 refert uti et annalista Saxo, qui Cononem hunc Cononis Palatini comitis filium nominat, Palatini scilicet Bavarici de Vohburg; neutrum tamen in Luca, p. 1158 reperire est, nec apud Lazium.

(858) Berthold. ad an. 1083.

(859) Vid. infra § 42, et Bertholdus ad hunc annum, ubi Salernitana hæc synodus contra omnes fere astruitur. Quæ autem hic de exceptis ab excommunicatione habentur, ad synodum anni 1078 pertinent.

(860) Substituendus est ex § 42 annus MLXXXV.

(861) Vid. Chronicon Augustanum ad an. 1081 et 1084, ad quem etiam consulendus Bertholdus.

(862) Conf. Bertholdus ad h. a. ex quo ista ad verbum fere desumpsit chronologus noster.

Digitized by Google

abstulerunt, et illa nocte in eodem campo inter cadavera occisorum castra metati sunt, deinde ad obsidionem revertentes, civitatem sine sanguine ceperunt.

§ XXXIX.

Igitur Herimannus rex (863) cum in Alemannia commoraretur, et regios sumptus non haberet, ut secundum regiam dignitatem conversari potuisset, eo quod nullus episcoporum ei subjici vellet, devenit Constantiam civitatem et aliquot diebus ibi mansit; inde Rhenum transivit, et in monasterio Petrishusensi fere septimanam transegit. Postea Saxoniam perrexit, et, cum quodam tempore juxta castellum quoddam transiret, unus ab arce fortuito casu saxum jecit, regemque inopinato ictu in capite percussit, ex quo non post multum vitam finivit.

§ XL.

Deinde post sex ferme annos (864) Cuonradus filius Heinrici regis patris, ut ipse fatebatur, scelera fugiens ad Italiam transivit, ibique pauco tempore regnavit, et veneno vitam finivit atque apud Florentiam civitatem sepultus quiescit.

§ XLI.

Post has varias luctas, et multas calamitates, et immensas sanguinis effusiones et plurimas animarum perditiones, Heinricus demum solus obtinuit monarchiam, omnes pene principes ei reconciliantur, legitimum imperatorem fatentur. Habebat autem semper omnes civitates Rheno flumini adjacentes aliasque potentes et metropolitanas civitates fœderatas; sed **342** et plerique episcoporum ei ita erant connexi ut nulla ratione ab eo potuissent divelli. In quibus Otto Constantiensis episcopus cum juramenta, quæ ei juraverat, nullatenus ex jussione et auctoritate apostolica infringere vellet, a religiosis catholicis repudiatus est.

§ XLII.

Anno ab incarnat. MLXXXV Gregorius papa, qui et Hiltibrandus, cum esset Salerni exsul, collecta synodo iterum sententiam anathematis in Wipertum schismaticum, et Heinricum regem dictum et in eorum fautores promulgavit. Hanc sententiam legati sedis apostolicæ, videlicet Petrus Albanensis episcopus in Francia, Otto Ostiensis episcopus, postea vero papa, in terra Theutonicorum usquequaque divulgaverunt.

§ XLIII.

De Hirsaugia, et Gebehardo III Constantiensi episcopo.

Ea tempestate spiritalis disciplinæ ardor quam maxime fervebat apud monasterium quod dicitur Hirsaugia, et multi tam nobilium quam ignobilium clericorum et laicorum, sed et monachorum de aliis locis illuc confluebant, et de procella anathematis, quæ tunc navim Ecclesiæ vehementer impingebat, quasi de maximo naufragio emergentes illic quasi ad portum confugiebant, et quietem optatæ salutis se invenisse gaudebant. Inter quos Gebehardus vir nobilissimus, frater Bertholdi II ducis de Zaringin, qui præpositus erat apud Xantum, mundana relinquens ad jam dictum se contulit monasterium (865), et sicut habitum mutaverat ad religiosum propositum, ita arripuit et dignitatem morum.

§ XLIV.

Igitur cum ex legatione apostolica Otto Ostiensis (866) episcopus Constantiæ advenisset, et ipsam Ecclesiam pastore viduatam propter damnationem Ottonis, qui ibi episcopus fuerat, invenisset, habuit consilium venerabilium Patrum et religiosorum catholicorum, qualiter ejusdem Ecclesiæ gubernationi **343** provideret. Aderat tunc forte Willihelmus abbas Hirsaugiensis, vir, inquam, Deo et hominibus acceptus, quia erat litteris apprime eruditus et in regulari disciplina studiosissimus, humilis, mansuetus, mundi contemptor, monachorum et totius sanctimoniæ amator diligentissimus.

§ XLV.

Hic cum conventui interesset et supradictum Gebehardum secum haberet, tractare cœperunt de eligendo episcopo catholico, quoniam spes non erat de Ottone damnato. Inter hujusmodi colloquia Gebehardus monachus retro altare B. Mariæ secesserat, ibique orationibus secretius vacabat. Quid multa? Eumdem Gebehardum episcopum Constantiensi Ecclesiæ eligunt, et post omnium unanimitatem, ipso rem prorsus ignorante, accedunt ad eum et dicunt quia Dei gratia, hæc Ecclesia te sibi episcopum elegit hodie. Quo audito spiritus ejus elapsus est, ita ut in terram corruens, quasi mortuus jaceret. Resumpto tamen spiritu invitum eum fecit ipsa die, hoc est in festivitate S. Thomæ, presbyterum et crastina die ordinavit episcopum (867). Otto vero depulsus possessionem ejusdem Ecclesiæ, quæ dicitur Colmbra (868), adiit, ubique uno pene anno commoratus vitam finivit.

(863) Specialia hic de ultimis Hermanni regis fatis habet scriptor noster, quæ desunt in Bertholdo ad a. 1088 addenda illis, quæ habet Calles Annal. Eccles. t. V, p. 856 seqq.

(864) Nempe a. 1093; ex Bertholdo an. 1101 mortuus, teste Annal. Sax.

(865) Trithemius Annal. Hirsaug. ad an. 1085, ubi tamen fundationem Petershusani cœnobii eidem tribuens illum male cum Gebehardo II confundit. Xantum, ubi præpositus antea erat, Cliviæ oppidum est cum insigni olim ecclesia collegiata in diœcesi Coloniensi.

(866) Vid. Bertholdi Chron. ad an. 1084.

(867) Ita et Bertholdus an. 1084; unde corrigendus est Manlius, qui id die 13 Dec. factum scribit.

(868) Otto depositus sequente anno 1085 in con-

Digitized by Google

INCIPIT LIBER TERTIUS.

§ I. *Quomodo Hirsaugienses ad Domum Petri venerunt.*

Cum apud monasterium S. Gregorii papæ, quod dicitur Domus Petri, vigor regularis vitæ jam jamque deficeret, et nec proficue esset, nec deesset, et Gebehardus III pontificalem sedem ex apostolica auctoritate apud **344** Constantiensem Ecclesiam obtineret, cupiens in monasterio ecclesiæ suæ contiguo defectum divini ministerii excrevisse, interpellavit venerabilem Willihelmum Hirsaugiensem abbatem, ut de suo monasterio regulares viros ad Petrishusam dirigeret, per quos monasticus ordo inibi revivisceret. At ille, sicuti erat promptus ad omne bonum patrandum, misit egregios viros et valde religiosos, et cum eis Ottonem quemdam, qui eorum abbas esse deberet, si ejus vita et mores post probationem eisdem complacerent. Sed cum post modicum isdem Otto fratribus suis displiceret ejusque magisterio nequaquam subjici vellent ad monasterium suum redire jussus est.

§ II.

Luitoldus quoque abbas ejusdem monasterii, et Ruopertus scholasticus et alii quidam de prioribus fratribus, Hirsaugiensibus adventantibus locum dederunt et ad Augense monasterium se contulerunt; quidam etiam se ad clericalem habitum transtulerunt. Jam dictus autem Ruopertus egregius erat magister in omnibus liberalibus disciplinis, sed et Bernhardus itidem ejusdem monasterii monachus summæ sapientiæ et doctrinæ vir, qui tunc temporis ambo simul multitudinem magnam discipulorum in eodem loco nutrierant, quoniam scholis præerant et plerosque ad optimam eruditionem provexerant. Hic tamen, Bernhardus (869), sed et Wernharius pari pene pollens eruditione, anathema fugientes, Hirsaugiensi se monasterio jam pridem sociaverant.

§ III. *Quomodo Theodoricus advenit, et de genere ejus et conversatione.*

Igitur transmissi a Willhelmo abbate Hirsaugienses monachi, viri valde religiosi, monasterium Domus Petri subintrantes, et spiritalem militiam, prout destinati fuerant, fortiter exercentes, cum Ottonem sibi designatum **345** magistrum in brevi reprehensibilem in quibusdam deprehendissent, protinus eum ad suos remiserunt, et alium, qui eis præesse dignus esset, favente Gebehardo episcopo destinari petierunt. Quapropter Willihelmus abbas optimo consilio usus, misit venerabilem valde virum Theodoricum (870), omni sæculari et monastica eruditione apprime imbutum, et huic regimini satis idoneum.

§ IV.

Hujus pater Cuono comes concubinam habebat, nomine Bertham, sibi valde dilectam, nec aliam uxorem duxerat præter eam, quæ ei tres peperit filios, corpore valde formosos, animo vero non minus acutissimos, Luitoldum scilicet, Marquardum et Theodoricum. Sed Luitoldus et Marquardus, cum post obitum patris in jus Hartmanni comitis de Dilingin cessissent, eo quod ex ancilla nati essent, facti sunt tamen in omni re militari acerrimi et nimis animosi, adeo ut rex Heinricus Luitoldum inter duodecim quos scelerum suorum semper secum conscios et fautores habuerat, assumpserit, quoniam erat fortis viribus et celer valde, et omni militari strenuitate conspicuus. Unde et ab eodem rege privilegium libertatis promeruit tam sibi quam suis posteris omnibus.

§ V.

Theodoricus vero in primævo juventutis flore illecebris carnis, prout animus suggessit, indulsit; sed maturius animum ab hac intentione coercuit, litteris quippe ad unguem erat instructus. Habitudinis optimæ, facundus lingua, forma satis veneranda, monasterium S. Uodalrici apud Augustam Vindelicam petiit ibique se primitus monachum fecit. Sed quoniam virus anathematis tunc temporis non solum clericos et laicos, sed etiam monasteriales quamplures infecit, venerabilis Theodoricus huic se periculo subtrahens Hirsaugiam petiit, ac, se eidem monasterio socians, magisterio Deo digni abbatis Willihelmi se subjecit et sub hoc in omni regularis vitæ disciplina in tantum intra breve spatium excrevit ut non tantum subesse quantum eum præesse deceret. Tum primum cuidam Cellæ, quæ **346** appellatur Augia Leporis (871), prælatus est, ac deinde

cilio Quedlinburgensi denuo anathemate percussus est, et teste Maulio a. 1086 in excommunicatione mortuus ac Basileæ sepultus, quod idem asserit Bucelinus in Chronologia Constant. Unde vero admodum simile videtur Columbram haud aliam esse quam Columbram, seu Columbariam, aut Colmariam in superiore Alsatia ac diœcesi Basileensi.

(869) Facile hic auctor fuerit Apologetici *super excommunicationem Gregorii VII*, quem inter Bernaldi opuscula edidit Gretserus, t. VI, p. 29, quemque ex Hirsaugia allatum scribit Bernoldus ad Adalbertum Argentinensem præpositum (*infra* t. II). Et forte ipse codex Gretseri nomen Bernardi, seu Bernaldi, prætulit. Exinde vero, quod Bernhardus hic pridem jam ante annum 1085 in Hirsaugiam concesserit, distinguendus est ab altero æquivoco Constantiensium scholarum magistro, Corbeiensi postea monacho, ad quem exstant Bernoldi nostri epistolæ infra t. II edendæ. Notanda hæc sunt pro Hist. Silvæ Nigræ t. I, p. 274; ubi de hoc Bernhardo conjectura ex dictis emendanda venit.

(870) Hujus Theodorici amplum elogium texuit Trithemius (*Annal. Hirsaug.* t. I, p. 267.) quin ejus generis meminerit, de quo et nos nihil certi affirmare valemus, in Suevia tamen, ut ex dicendis colligitur, reperiundo. Vid. disquisitio prævia, § 25.

(871) Nomenclatura hæc cellam Hasenau, vel potius Hasungen in Hassia et diœcesi Moguntina indicare videtur, cui an. 1079 Giselbertus ex Hirsaugia abbas præfectus est an. 1085; inde pulsus (*Gall. Christ.* t. V, p. 581) sub quo forte Theodoricus iste prioris officio functus est, imo ad idem officium administrandum Hirsaugiam revocatus, ut scribit Trithemius l. c., p. 289. Vid. Gerberti Hist. Nigræ Silvæ t. I, p. 272 et 293. Notatur quidem infra § 17 Hasuunouwa ab Udalrico comite Brigantino Peters-

Digitized by Google

ad monasterium revocatus, ac prior totius congregationis appellatus strenue per aliquod tempus præfuit.

§ VI. *Quomodo Theodoricus ordinatus est.*

Anno ab incarnatione Domini MLXXXVI Gebehardus tertius ejusdem nominis Constantiensis reverendus episcopus, eximiis precibus impetravit a Willihelmo divæ memoriæ Hirsaugiensi abbate, ut venerabilem virum Theodoricum monasterio S. Gregorii, quod dicitur Domus Petri, dirigeret, quatenus eidem præesset et regularem vitam inibi juxta normam sui monasterii institueret. Quod cum impetrasset et idem Theodoricus transmissus advenisset, ex concordi petitione omnium fratrum ordinavit eum jam dictus episcopus abbatem eidem monasterio in festivitate S. Barnabæ apostoli (872), eumque dilexit, fovit et, in quibuscunque potuit, ei semper solatio fuit.

§ VII.

Ordinatus autem omni religiositati operam dedit, et animas et corpora subditorum omni sollicitudine procuravit, summa disciplina eosdem educavit, numerum discipulorum multiplicavit ita ut in brevi plusquam quadraginta monachos et amplius quam quinquaginta barbatos fratres haberet, quibus omnem abundantiam victus et vestitus tribuit eorumque vitam in magna districtione coercuit.

§ VIII.

Et quia chorus erat brevis, quoniam gradus, per quos in sanctuarium ascendebatur, locum occupabant, gradus diminuit lapidum, et numerum ampliavit canentium, et lapides abstulit atque homines pro eis in locum ipsorum constituit; chorum quippe sanctuario pene coæquavit, uno tantum gradu sanctuario supereminente, atque ita in choro stantibus locum dilatavit. . .

§ IX.

347 De ipsis autem gradibus quos de choro sustulerat, alia deinceps ædificia decoravit. Lavatorium quippe fecit, ubi partem eorumdem graduum posuit et capitulum et totum in circuitu renovavit claustrum. Ambitum quoque cellæ muro circumdedit, sed et porticum super sepulturas antecessorum suorum abbatum fecit. Hæc autem omnia et alia deinde narranda non ex redditibus, nec ex divitiis ejusdem loci, sed ex donationibus fidelium consummavit, quoniam propter novitatem mundæ vitæ, quæ nuper in istam processerat per eum provinciam, omnes eum excolebant et amabant plures ei se suaque dedentes. Sed et episcopus Constantiensis Gebehardus quam maxime eum juvabat dando, et quoscunque sibi ob culpas suas obnoxios tam clericos quam laicos ei committendo et, quoniam idem Pater facundus erat lingua, aurem benignam ei in omnibus accommodando. Ad hoc accedebat quod omnibus nimis erat largus et sibimet ipsi parcus; nam corpus suum jejuniis nimiis attenuabat, omnibus autem secum manentibus, sed et adventantibus, omnem abundantiam tribuebat. Unde etiam semper in maximo angore erat positus, quoniam maximis debitis jugiter erat astrictus; atta en, quoniam in Domino sperabat, ipse facili largitate cuncta reddebat.

§ X.

Anno ab incarnat. Dom. MXCII, venerabilis abbas Theodoricus capellam in meridiana plaga basilicæ secus sanctuarium in edito construxit in honore S. Uodalrici episcopi, et S. Nicolai, et S. Afræ, atque SS. Joannis et Pauli, VI Kal. Julii dedicari fecit. Collocavit autem ibi reliquias sanctorum. . .

§ XI.

Dein sequente anno, hoc est Dominicæ incarnationis MXCIII, indict. I, fecit capellam ex aquilonari parte sacrarii, eamque V Idus Sept. dedicari fecit in honore S. Dei genitricis Mariæ, et aliorum sanctorum, quorum reliquiæ ibi habentur. . . Ad hanc capellam conventus omni die post vesperos et matutinos in honore S. Mariæ solemniter procedit, ibique post canticum et antiphonam atque orationem ejus, vesperos sive matutinos de omnibus sanctis et pro defunctis canit.

§ XII.

348 Item anno Dom. incarnat. MXCIII, indict. II, Theodoricus abbas capellam S. Michaelis renovavit et auxit; erat enim parvissima ita ut vix duodecim homines capere potuisset. Est quippe juxta infirmariam, inter quam et jam dictam capellam erat ædicula, in qua etiam plerumque infirmi cubabant; quam prædictus abbas destruens capellæ addidit, ac novum altare fabricavit, eamque a venerabili Gebehardo episcopo, tertio ejus nominis, sicut et superiores, dedicari fecit (873) die Nonas Julii in honore Domini et S. crucis, specialiter vero in honore S. Mariæ matris Domini, et S. Michaelis archangeli et omnium sanctorum.

§ XIII.

Sed et capellam S. Andreæ augmentavit et eidem addita ædificia barbatis fratribus deputavit, quæ prius erant habitacula abbatum ejusdem loci. Ipsa autem capella erat valde parvula, etc. . .

§ XIV. *Quales discipulos habuit.*

Habebat autem idem ven. Pater tunc temporis egregios viros, valde religiosos, optimæ formæ et doctrinæ sub cura sua, in quibus erant Meinradus pridem abbas, de quo superius retulimus (874), Bernhardus scholasticus, et Cuono, Wernharius de Alshusin caligans oculis, Gozhalmus et Eberhardus, atque Heinricus scriptor. Ili omnes ex antiquis

husano monasterio donata, quæ eadem forte est ac Hasenaw, cellam tamen ibi haud reperio.

(872) Incipit ergo regimen Theodorici abbatis a die 11 Jun. an. 1086; quo adeo Gebehardus adhuc Constantiæ fuit.

(873) Planum hinc fit Gebehardum, etsi sede sua pulsum, subinde tamen Constantiam revisisse.

(874) l. II, § 15, et infra § 18, 20.

Digitized by Google

fratribus; sed et Sigiherus scolasticus, et Eppo, atque Gebehardus avus meus. . .

Bernhardus, quem etiam superius nominavimus, doctor erat eximius, monasticæ quoque disciplinæ custos enituit diligentissimus. Hic quadam nocte visionem vidit, quam ipse litteris comprehendit. . . .

§ XV.

Erat alius quidam presbyter, Cuono nomine, in ipso monasterio, quem etiam antea nominavimus, vir, inquam, formosus valde, ex prioribus monachis, qui etiam Rinaugiensis (875) monasterii regimen promeruit, illuc **349** quippe in abbatem assumptus fuerat; sed quadam die contra servum ira commotus, cum cum pessulo incaute percussit, ex quo ictu idem homo infirmari cœpit et vitam finivit. Ea pro culpa non solum presbyterii honore, sed et regiminis est privatus dignitate. Ergo ipsum locum reliquit, et in provinciam, quæ vocatur Riez, abiit atque in eisdem partibus pontificatus officium sibi fraudulenter usurpavit, ecclesias dedicavit, homines oleo confirmationis fallaciter perunxit et alia pontificalia officia peregit, et exinde non modicam sibi pecuniam aggregavit. Cumque in hoc voluntati suæ plene satisfecisset, depositis vanitatis suæ infulis ad monasterium suum pristinum, hoc est Domum Petri rediit, et se magisterio ven. Theodorici abbatis subdidit. Cumque altaris officio jure careret, et tamen vir valde idoneus esset, abbas Theodoricus obnixis precibus apud Gebehardum episcopum impetravit quod ei tandem missas agere concessit. . .

§ XVI. *De Udalrico Brigantiensi.*

Circa hæc tempora multi familiaritatis magnam gratiam habebant apud ven. Theodoricum, eo quod ipse esset vir religiosus et prudens, et utilis actu et consilio: et ideo nobiles et divites quique ad eum conveniebant undique et ejus exemplo atque consilio proficere cupiebant. Inter quos Udalricus Brigantinus (876) comes vir nobilissimus et speciosus maximam habebat amicitiam cum eo et familiaritatem.

§ XVII.

Et erat quidam solitarius, nomine Diedo, qui fecerat sibi oratorium et habitaculum in saltu qui vocatur Andoltisbuoch (877), et fecerat novalia **350** circa se, et videbatur idem locus ad servitium Domini opportunus. Postquam vero jam dictus solitarius in Domino pausavit, Udalricus comes rogavit ven. Theodoricum ut ibidem cellam ædificaret, et regularem vitam inibi institueret: quod ille prorsus se facere abnegavit, nisi eumdem locum monasterio suo in proprietatem contraderet, ut si laboraret, aliquem inde etiam fructum perciperet. Inde diu habita deliberatione tandem comes consensit, et reliquias sanctorum, quæ in loco solitudinis jam dictus servus Dei in oratorio suo habuerat, ad monasterium S. Gregorii transmisit, ac postea eumdem locum, qui vocatur Andoltisbuoch, et aliam possessionem, quæ dicitur Hasuuiouwa (878) Petrishusensi monasterio in perpetuam proprietatem et ministerium fratrum Deo et S. Gregorio per successiones temporum ibidem jugiter servientium coram idoneis testibus absque ulla contradictione contradidit ea conditione, ut ibidem cella ædificaretur, et monachorum habitatio pro facultate loci jugiter haberetur.

§ XVIII.

Hac donatione peracta cœpit abbas Theodoricus eumdem locum incolere, et multo labore atque sumptu oratorium ibi et claustrum ex ligneis tabulatis construxit, quod in honorem S. Petri apostoli dedicari fecit, et, deputatis illuc idoneis fratribus, Meinradum (879), de quo etiam superius retulimus, eis præfecit. Cumque aliquandiu illic demorarentur, et numerus fratrum augeri cœpisset, et propter longitudinem et difficultatem itineris victualia et quæque necessaria illic deferre minime potuissent, eo quod idem locus longe in saltu situs esset, inierunt consilium ut cellam ad Brigantium transponerent, ubi fratres facilius et opportunius necessaria habere potuissent.

§ XIX.

Igitur abbas Theodoricus venit ad locum qui dicitur Brigantium, et secum adduxit Gebehardum episcopum, et Meinradum, atque Uodalricum comitem cum aliis huic negotio necessariis, ut viderent ubinam cella ædificari debuisset, quoniam quidem eam de saltu permutari placuisset. Diu ergo de his habita deliberatione placuit illis, ut, juxta ecclesiam

(875) Cuno Gerungi in abbatia Rhenaugiensi circa an. 1090 successor primus ibi consuetudines Hirsaugienses ex suo monasterio introduxit. Perpetrato autem casuali homicidio relicta dignitate aliorsum clam abiit, episcopalia quoque munia sibi usurpans. Scriptor provinciam Riez vocat, quod dubium est, an de Riesa seu Riezza Rhætiensi pago in Nordgovia, an de Regio in provincia (Rieze) intelligendum veniat. Consultus interea Gebehardo episcopo Urbanus II ut cum dispensatione dignitatem retinere possit, rescripsit. Vid. Canon *Clerico* 37 distinct. 50, ubi pro Gwarnerio Narbonensi substituendus videtur Gebhardus Constant., maxime cum tempore Urbani II nullus Quarnerius fuerit episcopus Narbonensis: quamvis ibi de jactu lapidis sermo sit, nihilque de dignitate memoretur.

(876) Vid. supra l. II, § 20. Hic de Udalrico juniore sermo est, qui in charta Henrici IV an. 1095 Odalricus comes de Braganica nominatur, cujus comitatus in Churwalia situs fuit. Bergott t. II, p. 130. Vid. disquis. § 24.

(877) Videtur esse Audelspuech in capitulo Lindaviensi.

(878) Num forte hæc est Augia Leporis, de qua supra § 5 hodie simpliciter dicitur *Auw* in eodem Lindaviensi capitulo.

(879) Is est Meginradus antea abbas Petershusii. Vid. supra § 14. Hic ad an. 1087 primus *Augiæ Albæ* Brigantinæ post restaurationem abbas dicitur in Gallia, Christiana t. V, p. 972.

Digitized by Google

ejusdem **351** loci fieret, si Ludewicus (880) comes suam partem ejusdem ecclesiæ ad hoc permittere voluisset; est enim ibi ecclesia baptismalis, cujus medietas sicut et silvæ et omnium redditumm earumdem partium pertinet ad Pfulindorfenses proceres, sicuti et altera medietas ad Brigantienses. Itaque Ludewicus comes nequaquam acquievit ut partem suam traderet. Qua de re cassato priori consilio verterunt se alio. Et quoniam prior cella quamdam casellam juxta possederat, hanc adierunt et circumquaque inter fruteta locum opportunum quæsierunt, ac Domino præmonstrante invenerunt. Nam ven. Gebehardus dum orando circumiret, et loca circumspiceret et exploraret, uno in loco repente substitit et ibi cellam fieri judicavit.

§ XX.

Omnium ergo votis in idipsum concordantibus, cœpit Theodoricus ibi cellam construere, et sumptu atque stipendio sui monasterii, cui idem locus, sicut et prior, in proprietatem traditus fuerat, primo quidem oratorium, deinde claustrum (881), omnia ex tabulatu ligneo ædificavit et in honore S. Petri dedicari fecit; Meinradum autem ibidem abbatem constituit, sicut et olim apud Domum Petri fuit. Ipse tamen frequenter eum locum visitabat et ejus utilitatibus prospiciebat. Nam fere per quinque annos, quidquid de Eichstettin ad Petrishus venire debuerat, ad ædificationem harum duarum cellarum expendebat. Ad hæc sacras vestes et libros ac sanctorum reliquias, tam eas quæ primitus directæ fuerant de Audoltisbuoch, quam alias multas et magnificas (contulit).

§ XXI.

Deinde cum idem locus proficere cœpisset et ditescere, cœperunt tractare qua ratione idem locus libertate possit donari. De hoc igitur diu habito consilio invenerunt, nullatenus hoc melius posse fieri, nisi ut comes Udalricus Petrishusensi monasterio prædium, quod dicitur Biginhusin (882), quod pater suus olim donaverat, redderet, et ipse versa vice Brigantium a monasterio reciperet. Siquidem idem comes adhuc adolescens **352** filiam Wernheri comitis de Habichisburc (883) sibi desponsaverat, et ei sponsalia juramento firmaverat; sed priusquam eam acciperet, devenit cum Welfone duce ad Chalaminzam (884), et concubit latenter cum Bertha filia Ruodolfi (885) regis, remque voluit latere; sed puella promulgavit, sicque factum est ut propinquorum ejus potentia ipsam in matrimonium acciperе cogeretur, et juramentum quod filiæ Wernheri juraverat emendavit, et omnia quæ illi spoponderat de suis propriis reddidit. Unde factum est, cum quorumdam suorum ministerialium redditus et beneficia illuc daret, et eos alias poneret, ut etiam quosdam ad Biginhusin transferret, quorum posteritas adhuc ibi viget. Ergo ex hac, ut opinor, occasione idem prædium monasterio subtractum fuerat.

§ XXII.

Igitur, ut superius dictum est, ut Brigantium reciperet Udalricus comes, monasterio quidem Petrishus Biginhusin restituit, et de Audoltisbuoc et Hasuunouwa nihil est gestum. Sed quod primitus fuerat actum remansit intactum; ex negligentia autem nostrorum cessit in usum Brigantinorum, quamvis etiam concambium Brigantinum non fuerit legitimum; quoniam et Biginhusin prius monasterii fuerat, et hoc tunc jure etiam sine coemptione restitutum quod fuerat fraude ablatum. Pro ornamentis autem et utensilibus ecclesiæ tam in sacris vestibus et metallis et libris quam in sanctorum reliquiis, quæ a monasterio illuc fuerant directa, ut illic permanerent, data sunt xxx talenta. His ita gestis cœperunt ecclesiam ex lapidibus ædificare.

§ XXIII.

Per idem tempus Udalricus comes perrexit ad Bretingen, et ibi per aliquot dies morabatur cum multitudine suorum; et quadam die juvenculi post prandium ascenderunt juxta in supercilium montis excelsi, et cœperunt saxa evolvere in vallem jocandi gratia. Et ecce unus nomine Opertus saxum evolvit, et ut se observarent, qui subtus in valle erant, proclamavit. Accidit autem ut comes Udalricus econtra deambularet, et **353** ictum lapidis declinare noluit, sed saltu transilire voluit, sed lapis eum in tibia percussit et confregit, et non multo post mala vesica accrevit, eumque in brevi exstinxit (886). Itaque Brigantium delatus, cum ecclesia necdum esset dedicata, insepultus servabatur, quousque episcopus ad dedicandum oratorium convocaretur. Abbas autem Theodoricus audiens eos murmurare, quod Biginhusin in suum jus iterum vellent retrahere, nullatenus episcopum permisit ut ecclesiam dedicaret, antequam Bertha relicta Udalrici cum manu filiorum suorum Rudolphi et

(880) Ex contextu Ludovicus hic comes Pfulendorfensis fuisse evincitur, qui forte etiam Helfensteinensis fuit, atque is ipse facile fuerit, cujus uxorem rapuit Otto comes, ut videtur, Montfortius juxta Lazium p. 553. Vid. Bertholdi Chron. an. 1089.

(881) Exinde discimus, monasterium diu jam ante ibidem exstructum pene funditus fuisse destructum. Vid. Gallia Christ. l. c. Bruschius in Alba Augia.

(882) Bichishausen in capitulo Munderkingen.

(883) Hic Wernherus II comes de Habsburg esse debuit, a. 1096 defunctus, cui unicam filiam tribuit Herrgottus, t. I, p. 142 Itam Rudolpho de Tierstein postea copulatam.

(884) In Palatinatu superiore seu ducatu Neoburgico, qui Welphoni duci tunc parebat.

(885) Bertham hanc plerique Rudolphi comitis de Rhinfelden, postea anticæsaris filiam statuunt, ex Adelhaide secunda ejus uxore. De quibus fusius Cels. Gerbertus in tractatu de Rudolpho anticæsare. p. 118, 143 seqq.

(886) Mortem ejus ad annum 1097 paucis describit Bertholdus Constant. in Chronico, eumque 27 Oct. in condito a se monasterio sepultum narrat, ad quem diem etiam notatur in antiquo monasterii illius Necrologio, uti et Berthæ conjugis ad 20 Januarii in Zwifaltensi Bertha comitissa de Brigantia.

Digitized by Google

Udalrici (887) Brginhusin coram plurimis et libertis et servilibus S. Gregorio perpetuo in proprietatem confirmaret. Et sic Brigantium in libertate dimissum, ea tamen conditione, ut ibi habitantes semper respectum ad Domum Petri haberent, consilium et auxilium, regimen et abbatem inde haberent, et unum atque idem essent. Atque ita demum oratorium est dedicatum, et corpus Udalrici inibi sepultum.

§ XXIV. *De Waginhusin.*

Et erat vir nobilis, cui nomen Tuoto, qui prædium suum apud Waginhusin (888), et alia omnia quæ habebat ac semetipsum ad Scafhusin obtulit, et aliquanto tempore ibi in sancto proposito degut. Postea se et omnia, quæ illuc tradiderat, subtrahens, tantis eos molestiis afflixit ut ei tandem tria prædia traderent, et se abdicarent, scilicet Waginhusin, **354** ubi jam cellam fecerant, Capellam et Honstetin, ut saltem ipsi cætera quiete possiderent. Hoc patrato idem Tuoto jam dictam cellam Waginhusin cum omnibus appendiciis suis Constantiensi ecclesiæ tradi it, astante Scafhusensi abbate Adilberto, et ejus advocato Adilberto comite de Morisberch (889) et pluribus ex fratribus, nec contradicentibus; actum in publica synodo Constantiæ coram plurimis idoneis testibus. Gebehardus autem episcopus traditum sibi locum Theodorico abbati commendavit, et ipse fratres idoneos illuc adduxit, per quos eumdem locum multis annis excoluit. Post hæc Scafhusenses et hæredes Tuotonis cœperunt ipsum locum addicere asserentes, eum ad se jure utrique pertinere, ac per hoc incremento ejus usque in præsens maximum impedimentum fuere.

§ XXV. *De Heinrico rege.*

Per idem tempus grande schisma erat in Ecclesia propter excommunicationem Heinrici regis, et ejus intrusi Wiperti, aliis his, et aliis Ecclesiæ faventibus : ac per hoc aliqui episcoporum propriis pellebantur et peregre vagabantur. In quibus Diemo Juvavensis (890) archiepiscopus multis diebus exsul, cum Gebehardo Constantiensi episcopo apud monasterium Domus Petri morabatur, ac postea Hierosolymam profectus, in ipso itinere a paganis captus, et Corozaim civitatem perductus et custodiæ mancipatus, ac postremo martyrio coronatus est.

§ XXVI. Igitur rex Heinricus abbatem monasterii S. Galli (891) patriarcham apud Aquilegiam constituit, et utramque potestatem habere permisit, pro eo quod semper erroribus ejus toto adnisu favebat, qui a Wiperto ordinatus contra catholicos tyrannidem exercebat. Ea de causa etiam regem instigavit ut venerabilem Gebehardum Constantiensem episcopum depelleret, et **355** alium pro eo constitueret, eo quod ipse nunquam ei vel alicui fautorum suorum ulla ratione communicare voluisset. Erat enim idem Gebehardus tunc temporis legatus et vicarius apostolicus in Theutonicis partibus. Jam dictus ergo Udalricus diu cum rege conspiratione habita demum obtulit ei unum de monachis suis, nomine Arnoldum de Sanctomonte progenitum, promittens ut, si ei episcopatum daret, ipse eum absque ejus labore intruderet. Itaque cum rex votis ejus satisfecisset, ille domum regressus cum magna manu militari Arnoldum Constantiam adduxit; sed civibus, ad arma concurrentibus et forti pertinacia resistentibus, inacti recesserunt (892).

§ XXVII.

Item Heinricus fratres Arnoldi advocatus de Sanctomonte congregata multitudine suorum advenit, et in monasterio S. Gregorii tyrannidem exercuit. Nam victualia fratrum temeraria manu invaserunt, gladios suos in eorum animalibus probaverunt et multa flagitiosa perpetrarunt. Inter has varias et multimodas conflictationes Gebehardus episcopus munitionem sibi construxit in capite Rheni fluminis, in ipsis fluentis, ut ipse inibi tutus manere potuisset. Ad ultimum tam frater ejus dux Bertoldus quam cæteri omnes pene corrupti sunt muneribus, et abominabiles facti sunt ei, et non erat qui ei faceret bonum, usque ad unum Theodoricum, quem in omnibus tribulationibus reperit fidum.

§ XXVIII.

Itaque eorum perfidiæ locum dans recessit, et usquequaque per regnum vicem domni apostolici

(887) De filiis Udalrici Brigantini comitis ex Bertha agens Lazius a se ipso dissentit, dum in comitibus Brigantinis (p. 557) Udalricum filium comitem Brigantiæ, Rudolphum vero fratrem comitem de Pfulendorf fuisse asserit, auctorem cœnobii Auw supra Brigantiam; antea vero p. 51 hunc ipsum Udalricum comitibus de Sulgau, Sigmaringen et Pfulendorf adnumerat, cujus dein progeniem recenset. Vid. dissert. prævia § 24.

(888) Wagenhausen ad ripam Rheni Helveticam e regione oppidi Stein, ubi aliud pariter Benedictinorum cœnobium erat, olim ejusdem ordinis monasterio gloriabatur, de quo nonnulla habet Gallia Christ., t. V, p. 932 et Franc. Petri in Suevia Eccles., p. 846, nec non Cels. Gerbertus, Hist. Silvæ Nigræ, t. I, p. 436. Cujus fundator Tuto idem esse videtur, de quo Bertholdus in Chron. ad an. 1092, et quem ad an. 1094 Dudonem appellat; quanquam ejus narratio haud satis cum Chronico nostro convenjat, cum istud cœnobium Sigifrido abbati adjudicatum fuisse dicatur a. 1094, ab ipso Gebhardo episcopo, qui illud paucis post annis sub Adalberto Scafhusensi abbate a. 1099 electo ceu rem suam Petershusanis commendasse refertur, unde etiam primos suos abbates accepit.

(889) Nobiles de Morsperg seu Mersperg in Alsatia occurrunt in variis chartis sæc. XIII apud P. Herrgott. Vid. Hist. Silvæ Nigræ, t. II, p. 229.

(890) Thiemonem hunc apud Gebehardum exsulasse etiam documenta nostra domestica produnt, ex quibus charta Utonis abbatis S. Blasii a. 1100 de fundatione monasterii Ochsenhusani cum consilio archiepiscopi Salzburgensis Thiemonis et episcopi Constantiensis Gebehardi, facta legitur in cit. Hist. Nigræ Silvæ, t. III, p. 39.

(891) Udalricus III is erat, Marquardi Carinthiæ ducis filius, et ab Heinrico IV cognato suo an. 1086 Aquileiensi cathedræ admotus, de quo plura Burchardus De cas. S. Galli, c. 4.

(892) De hoc legendus Bucelinus in Chronologia Constantiensi ad an. 1087, et Manlius in Chronico.

Digitized by Google

magna cum gloria quamvis exsul exercuit. Deinde quasi effrenati cum magno strepitu Arnoldum adduxerunt, et cathedræ Constantiensis Ecclesiæ in Purificatione S. Mariæ imposuerunt, anno ab Incarnat. Dom. MCIII. Hæc werra per duodecim fere annos protracta, nunc ad perfectum malum est perducta. Postquam autem Arnoldus episcopatum obtinuit, confestim misit, et congregationem Domus Petri obnixe postulavit ut quiete ac pacifice in monasterio suo residerent, et Domino **356** servirent, seque promisit nullam eis molestiam omnino illaturum. Ipse autem Romam perrexit, et a Wiperto (893) consecrationem accepit.

§ XXIX.

At Theodoricus abbas nullam quietem post discessum Gebehardi episcopi habere passus, quoniam cum ut animam suam dilexit, sed ipso anno, hoc est MCIII reliquit monasterium suum, et monachos suos atque barbatos fratres dispertivit et commendavit per monasteria, ipse vero assumpsit secum duodecim quos elegit, et eos secum in Bajoariam duxit, ad monasterium quod dicitur Wezzinisbrunnin (894), et ab Adilberone venerabili abbate ejusdem loci honorifice susceptus, et charitative cum suis omnibus per aliquot menses habitus est.

§ XXX.

Deinde quidam nobilissimus vir et religiosus, nomine Fridericus, tulit eos inde et commendavit eis cellam, quam ipse cœperat in loco suo proprio in excelso monte, qui vocatur Castellum (895), omnique eos humanitate fovit et honoravit. Denique idem bonæ memoriæ heros, Fridericus nomine, habebat filium Ottonem nomine, summæ nobilitatis et decoris virum, qui una cum patre et cum aliis proceribus ejusdem provinciæ cognatis videlicet et propinquis atque amicis suis, venerabilem Theodoricum et fratres ejus summo honore excolebant, et locum magnis divitiis cumulabant in tantum, ut in brevi multos sibi fratres aggregaret, et monasticam vitam honestissime inibi ordinaret.

§ XXXI.

Recedente ergo Theodorico de Domo Petri, hi, qui tunc remanserant, constituerunt Wernherum quemdam, de Epfindorf natum, sibi in abbatem, et obliti regularis disciplinæ quam didicerant, remissius agere cœperunt. Arnoldus quoque intrusus episcopus beneficia inde suis concedere cœpit, **357** quod nulli unquam episcoporum facere licuit. Postquam autem Wernherus cum suis fautoribus et Arnoldus cum suis res monasterii ad ultimam penuriam et inopiam perduxerunt, ipse relicto abbatis nomine ad Theodoricum se in Baioariam contulit, eique se subjecit, quique eum benigne suscepit, eique officium altaris invito episcopo Gebehardo restituit; sed non diu permansit cornu peccatoris (896).

§ XXXII. *De Heinrico V rege.*

Anno denique MCV Heinricus filius Heinrici regis tertii (IV) recessit a patre excommunicato, et consentientibus principibus regnum contra patrem arripuit. Inde maxima exorta est occasio rixarum; nam ipse pater Heinricus, cum non posset filium ad se revocare, congregato exercitu omnes fautores ejus rapinis et incendiis maximis lacessivit, nunquam tamen pugnæ facultatem præbuit.

§ XXXIII.

Heinricus ergo postquam regnum obtinuit, confestim expulso Arnoldo Gebehardum cum maximo honore in episcopatum suum restituit. Theodoricum abbatem confessorem sibi elegit, et monasterio suo restituit eique triginta marcas argenti transmisit, e quibus abbas res monasterii dissipatas opportune et utiliter reparavit.

§ XXXIV.

Deinde Heinricus senior, et Heinricus junior generale colloquium Mogontiæ fecerunt, ubi pater filio sceptrum regni et coronam cum cæteris regalibus tradidit, ipseque se ante Gebehardum, utpote sedis apostolicæ legatum, in terram prostravit, et multum flens absolvi se ab excommunicatione postulavit. Quod ille facere se propterea renuit, quoniam timebat ne si forte eum absolvisset, regnum ad eum iterum transiret, et fieret error posterior pejor priore (897). Attamen, cum non post multum Spiræ obiisset, filio apud Pascalem papam impetrante, ecclesiasticam sepulturam **358** promeruit propter satisfactionem, quam prostratus publice coram clero et populo facere non erubuit (898).

§ XXXV.

Itaque venerabilis Theodoricus cum monasterium Castellense fundasset, basilicam ædificare (cœpisset), fratrum congregationem collegisset, venerabilem virum Altmannum (899) abbatem eis constituit, et ipse cum suis ad Domum Petri remeavit.

§ XXXVI.

Post hæc Hartmannus comes senior (900) de Dilingin rogavit eum ut in montem, qui vocatur Ner-

(893) Ex Gallia Christiana et Manlio prius jam ordinatus est Arnoldus a Clemente III antipapa, an. 1100 mortuo.

(894) Wessobrunn celebre O. S. B. cœnobium in superiore Bavaria et diœcesi Augustana, cui Adalbero ab an. 1065 usque 1110 abbas præerat.

(895) Magnificum olim Benedictini instituti asceterium in Palatinatu superiore, conditore prædicto Friderico comite de Castelberg, qui hoc ipso anno 1105 obiisse dicitur, filius vero ejus Otto comes de Hirsberg vel Hebberg, aut Habsperg an. 1105. Vid. Bruschius de Castellensi monasterio p. 120.

(896) Vid. infra § 36.

(897) Vid. Annales Hildesheimenses ad an. 1105, et Vita Heinrici IV apud Urstisium p. 389, ubi quidem legati nomen haud exprimitur, hic autem Gebhardus fuisse monstratur.

(898) Conradus Usperg. ad an. 1111.

(899) Aliis Otto dicitur. In antiquo monumento Castellensi ita legitur: « Altmannus primus abbas hujus monasterii hunc locum suscepit regendum 1103, » ubi tamen nil de Theodorico.

(900) Pater Udalrici I Constantiensis episcopi. Vid. supra l. I, § 8 et disquisit. § 21.

Digitized by Google

nistheim (901), ubi ipse regulares canonicos constituerat, ipse pater Theodoricus monachos adduxerat, et monasticam ibi vitam instituerat. Cujus petitioni assensum præbens adduxit idoneos viros, Bernoldum, quem priorem fecit, Gebinonem avunculum meum, Wernherum superpositum (902) suum et alios eidem loco sufficientes. Et ut semel dicam de jam nominato Wernhero, cum in eodem loco operibus præesset, et licenter ageret, quæcunque vellet, et a cunctis contra meritum suum honoraretur, cum jam esset senex, recessit, et habitum monachilem deposuit et sæcularem assumpsit; et cum cuidam turrim ædificaret, morte prævenius periit.

§ XXXVII.

Anno MCX (903) Heinricus V rex magnus maximo cum exercitu Romam gloriosissime perrexit ut a papa imperator fieret; sed cum papa investituras quas reges usque tunc licenter pro velle suo tribuebant, ab eo reposceret ut electio libera fieret, ille iratus Paschalem papam in captivitatem redegit, cardinales injuriavit, infinitas rapinas et cædes Romanis intulit: Romani quippe bellum ei intulerunt, sed rex victor existens inenarrabiles cædes exercuit.

§ XXXVIII.

359 Interim ergo reverendæ memoriæ Gebehardus Constantiensis episcopus de hoc sæculo migravit (904), et dum rex apostolicum in custodia haberet (905), venit nuntius qui regi obitum Gebehardi episcopi nuntiavit, et ei virgam pastoralem et annulum detulit. Quæ ille continuo Udalrico filio Hartmanni (906) comitis de Dilingin præbuit, et Constantiensibus episcopum designavit. Postea vero apostolicus et rex sibi invicem conciliati, et ipse ab eo imperator consecratus recessit. Et tamen Udalricus ipsum papam infestissimum habuit, eo quod interim, dum ipse captus tenebatur, a rege investitus erat, nec unquam, dum ipse vixit, consecrationem impetrare potuit, ac propterea octo annis, quibus Paschalis superfuit, episcopatum absque consecratione tenuit.

§ XXXIX.

Cum ergo Nernistheimensis (907) cella ad hoc pervenisset, ut abbati idonea esset, Theodoricus abbas quemdam senem, Sigibotonem nomine, de Hirsaugia adduxit, eumque abbatem constituit. Qui cum aliquanto tempore sine consecratione præesset et laborem sufferre non posset, reliquit ipsum locum et rediit ad monasterium suum. Quapropter Theodoricus iterum rogatus Wernharium de Alshusin oculis caligantem, suum veteranum monachum, abbatem constituit, qui etiam aliquandiu absque consecratione præfuit.

§ XL.

Factum est autem ut quodam tempore Udalricus Constantiensis electus gravi necessitate pro acquirenda pecunia constringeretur. Ecce autem Theodericus abbas per idem tempus quoddam prædium Totirnhusin (908) dictum pro decem marcis vendiderat, eo quod illud redemi non poterat ab his, quibus illud Lambertus de Birhtilingin jam antea concesserat, qui **360** illud monasterio tradiderat. Ergo hac opportunitate inventa abbas dedit Udalrico electo octo marcas pro quadam augia Rotse (909) dicta, ubi olim quidam religiosus et Deo devotus monachus, nomine Ratperonius, basilicam magnam construxerat, cujus sepulcrum Deus crebris miraculorum signis clarificaverat; ipse quippe beatus Ratperonius eumdem locum a nobilitate, quæ tunc apud Arnanch (910) floruerat, pro devotione in proprietatem acceperat, et ipse eum Constantiensi Ecclesiæ tradiderat ea spe ut inde sublimaretur, sed ea spes frustrata erat. Postquam autem eum ven. Theodericus emerat, privilegium tale conscriptum pro eo esse constat.

§ XLI.

Notum sit omnibus qualiter Lampertus de Birthilingin, homo nobilis, duo prædia, quæ sui juris erant, ex hæreditate parentum suorum, unum apud Geilinouwa, aliud apud Totirnhus dedit ad monasterium S. Gregorii papæ, quod dicitur Petrishusa, ad servitium fratrum, qui illic die ac nocte Deo deserviunt, absque ulla contradictione, in manum Heinrici (911) advocati ejusdem monasterii, coram idoneis testibus. Sed cum idem Lampertus unum horum, hoc est Totirnhus, non posset redimere ab his, quibus illud in beneficium concesserat, consilio accepto abbas ejusdem monasterii Theodericus vendidit jam dictum prædium, quod dicitur Totirnhusa, pro decem marcis, et occasione inventa dedit ex hoc ipso pretio octo marcas pro quadam insula in pago Nibilgouwe, quæ vocatur Rotse, quæ ad Constantiensem Ecclesiam pertinebat, et episcopus ejusdem Ecclesiæ Udalricus, accepto jam dicto pretio, id est octo

(901) Nunc Neresheim cœnobium Benedictinum in Suevia, de quo vid. Bruschius p. 337 et infra § 39. De hoc vero silet P. Khamm in Hierarchia Augustana.

(902) Scilicet abbatem Petershusii in ejus absentia electum, § 31.

(903) Imo anno sequente 1111. Vid. annalista Saxo.

(904) Obitus Gebehardi III a Manlio recte ad an. 1110, 12 Nov. statuitur.

(905) Scilicet a die 12 Febr. usque ad 8 April. an 1111.

(906) Vid. supra l. I, § 8. Quamvis alii patrem ejus perperam Hugobaldum nominent, qui Bruschio et Lazio Udalrici frater dicitur; idem Bruschius p. 337 Udalricum pariter Hartmanni filium dicit.

(907) Vid. mox § 39. Cæterum hæc cum Bruschii Catalogo haud conveniunt, qui nec Sigibotonem nec Wernharium inter abbates Neresheimenses recenset, uti nec Franciscus Petri in Suevia ecclesiastica, forte quod ambo non permanserint, aut benedicti haud fuerint.

(908) Forte Dotternhausen in capitulo Ebingen.

(909) Nunc Rottsee filialis parochiæ Kislegg in capitulo Ysnensi et pago Nibilgove. De hoc loco, uti et B. Ratperonio ejus conditore, vid. infra l. V, § 6.

(910) Arnach in capitulo Isnensi et dicto pago.

(911) Comes de Sanctomonte, uti mox infra vocatur.

Digitized by Google

marcis, tradidit eamdem insulam cum oratorio ejus, et omnibus ad ipsum pertinentibus, agris scilicet, pratis et aquis, nemoribus, quæsitis et acquirendis, adnitente et tradente atque accipiente advocato Heinrico de Sanctomonte, ad monasterium S. Gregorii papæ, cui nomen Petrishusa, ad usum fratrum ejusdem monasterii. Et jam dictus episcopus eamdem insulam cum omnibus suis appendiciis de jure suæ ecclesiæ transfudit in jus monasterii legitima traditione, et eamdem traditionem confirmavit coram canonicis Constantiensis Ecclesiæ, et aliis idoneis testibus.

§ XLII.

361 His temporibus (912) rebellabat regi Moguntinensis electus Adilbertus, cujus consilio et auxilio, ut tunc ferebatur, omnia illa mala egerat quæ Romæ perpetraverat; sed nunc eum regno privare conabatur, quasi pro vindicta apostolici, sed verius pro ambitione magis quam pro justitia. Quem imperator captum in carcerem posuit, et multis diebus acerrime afflixit. Ad ultimum ad petitionem Moguntinensium relaxatus, et imperatori reconciliatus, post breve iterum scintillam emisit, qua totum regnum inflammavit. Nam ipse et Fridericus Coloniensis archiepiscopus anathema super imperatorem infamarant, eo quod apostolicum in captivitatem redegerat, et intra breve tempus totum regnum ita ab eo averterunt ut in Theutonico non posset subsistere, sed Friderico duci Suevorum, filio sororis suæ summam rerum commendavit et ipse in Italiam secessit.

§ XLIII.

Eo tempore, quidam senex monachus, nomine Amilhardus, in cœnobio Domus Petri cum de hoc sæculo migraret, sicut ipse abbas Theodericus palam in capitulo referebat, auditæ sunt voces canentium angelorum et ejulantium dæmoniorum.

§ XLIV.

Anno ab incarnat. Dom. MCXVI (913) Udalricus Constantiensis electus, nimio tædio affectus pro diutina dilatione suæ ordinationis, multis precibus exoratum Romam transmisit abbatem Theodericum, sperans quod ipse sibi licentiam consecrationis ab apostolico impetraret pro familiaritate quam dudum apud ipsum papam habebat, pro multis collatis beneficiis ejusdem nuntiis. Profectus ergo Romam Paschalem papam pro Udalrico interpellavit, sed nihil profecit; hoc itinere fuit cum eo Gebino avunculus meus. Iterum secundo misit eum pro eadem causa; sed in priore profectione satis accurate et se et locum procuravit; in secunda vero vix fratres suos salutavit et multis debitis involutos reliquit. Itaque per totam illam æstatem per Italiam vagabatur, et aliquando quidem ad papam, aliquando vero ad imperatorem. Sed cum diutius ibi moras faceret, Udalricus secutus **362** est eum et apud imperatorem mansit, quem tunc papa et cæteri utpote excommunicatum abominabantur.

§ XLV.

Igitur cum abbas Theodericus cum suis se in insolito calore æstatis Romæ incautius observarent, circa Kalendas Augustas mori cœperunt. Videntes autem periculum sibi imminere, a Roma recesserunt qui adhuc superstites fuerunt et ad Sutriam se contulerunt. Ibi itaque omnes pariter infirmati migrabant, donec illum solum infirmum relinquerent. Quid, inquam, ille tunc angoris, quid mœroris, quam amaram mortem hauserit, viderit qui velit, cum nullum suorum remansisse conspiceret se solum peregre et rebus et sociis orbatum moriturum. Contubernia mulierum ab ipso initio conversionis suæ semper ut pestem devitabat. Nullus etiam virorum corpus ejus nudum non dico contrectare, sed nec videre unquam potuit, quoniam verecundus et pudicissimus fuit. At tunc ad hanc miseriam venit ut muliercularum ministerio contentus fuerit, quæ ei sternebant, ponebant, et sublevabant et balneabant, atque cætera ministeria, quæ ei necessaria fuerant, peragebant.

§ XLVI.

Cum congrua ergo pœnitentia transiit de convalle lacrymarum ad gaudia civium supernorum, translatus, ut credimus, ad æthera IV Non. Augusti. Sepultus est venerabiliter apud quoddam oratorium ejusdem civitatis, ac postea translatus in ipso sanctuario ejusdem oratorii in occidentali plaga contra altare positus est in sarcophago lapideo. Reliquorum obitus diem ignoramus, qui cum eo peregrinati sunt, id est, Sigifridi presbyteri, Operti barbati et trium laicorum, Eberhardi, Reginboldi et Gozobaldi.

§ XLVII.

Placentinæ autem civitatis episcopus hujuscemodi litteris ejus exitum intimavit:

« A. (914), Dei gratia Placentinæ Ecclesiæ episcopus, canonicis et omnibus sanctæ Constantiensis Ecclesiæ fidelibus fraternam in Christo dilectionem.

« Gratias agimus inspectori cordis et renum Domino, quia visceribus matris **363** Ecclesiæ feliciter incorporati, nobiliter procreati, lacte ipsius gratanter incrassati, solido ejus pane confortati in virile robur excrevistis, et per hoc cum gaudentibus gaudere, cum flentibus flere, in prosperis vel adversis medium decenter tenere plenarie didicistis. Igitur de obitu confratris nostri, scilicet abbatis de Petrishusen, hominis, inquam, Deo dilecti, non turbetur cor vestrum, sed potius gaudeatis, qui feliciter migravit, certa pro incertis, pro temporalibus æterna commutavit, et quia credita sibi talenta multiplicavit, ut fidelis et prudens dispensator in gaudium Domini sui lætanter introivit. Vere credendus est regionem vivorum intrasse, quia scimus et testimonium perhibemus eum in confessione pura et pœnitentia con-

(912) Spectant hæc ad annum 1112. Vid. Otto Frising., Chron. l. v, cap. 14, 15

(913) Hinc patet error Bucelini, qui in Chronologia Constantiensi Theodericum abbatem jam an. 1111 mortuum scribit.

(914) Addo ex Ughell. t. II, p. 211.

Digitized by Google

digna per nos exitum suum consummasse. Quapropter orationibus vestris et totius Ecclesiæ eum diligenter commendamus. De cætero certos vos facimus, confratrem nostrum, electum autem vestrum, dominum Udalricum (915-16) bene valere, nos quoque cum omnibus coepiscopis nostris causam ipsius et Ecclesiæ suæ peragendam unanimiter in Christo suscepisse. Orate pro nobis. Obitus supra memorati confratris nostri abbatis IV Non. Augusti. »

§ XLVIII.

Itaque cum hæ litteræ Constantiam perlatæ fuissent, canonici unanimiter monasterium adierunt, easque omni congregationi perlegerunt. Ortus est luctus intolerabilis ab omnibus, et planxerunt eum valde, etiam hi qui parum boni ab eo consecuti fuerant. Res quas reliquit, imperator Udalrico ex integro reddi jussit, quas ille expendit, nec fratribus aliquid dedit ac de cætero eidem monasterio semper ingratus exstitit

§ XLIX.

Ordinatus est venerabilis abbas Theodericus anno ab incarnat. Dom. MLXXXVI, centesimo vero tertio, ex quo fundatum est monasterium, triginta annis præfuit, et sic in pace quievit in senectute bona anno ab incarnatione Domini MCXVI, ex quo fundatum est monasterium centesimo trigesimo tertio. Bibliothecam nobiliter augmentatam reliquit; nam libros quos acquisivit, ipse subnotari præcepit.....

§ L.

364 Erat autem idem Pater procerus statura, optimæ habitudinis, subductis superciliis, veneranda canitie, submissa voce præ abstinentia, orationibus et lacrymis intentus, bonis amabilis, vitiosis horribilis, dicens magistrum debere esse in capitulo ut leonem, in conventu ut patrem, ad mensam ut matrem. Ipse quoque erat monasticæ disciplinæ et consuetudinis diligentissimus custos, ad hoc etiam subjectos instigans, litteris optime eruditus. Corpus suum crebris jejuniis macerabat, virgis etiam semetipsum sæpius cædebat, maxime in secreto noctis silentio. Nullum divinum officium publice agebat, neque cantando, neque legendo, et quamvis ipse facere non posset, alios tamen studiosissime et honestissime agere, divinum opus facere, æquisono cantu delectabatur, adeo ut plerumque in lacrymas moveretur, gracilem vocem viros cantare omnino prohibebat.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

§ I. *De electione Bertolfi abbatis.*

Pervulgato obitu venerandi patris Theoderici, congregati sunt canonici Constantienses, et venerunt ad monasterium Domus Petri et intraverunt capitulum fratrum, atque perlectis litteris tam de obitu abbatis quam etiam de exhortatione Udalrici electi episcopi, qua hortabatur fratres ad eligendum abbatem, existimabant canonici quod eorum arbitrio electio futura esset; quam et statim perfici hortabantur. Tunc seniores modeste et humiliter respondebant non posse hoc ita præpropere peragi negotium, sed moroso consilio per orationes ad Deum fratres inter se deliberare, et prudenter pertractari oportere quem ad hoc assumant, ut ei animam et corpus suum, resque monasterii atque ipsum locum committerent, nec aliquem huic dicebant electioni debere interesse, nisi qui etiam electo velit subesse. Aderat tunc forte Cuono ven. abbas in Altorf (917), qui familiaris **365** eidem monasterio semper existebat; cumque canonici contenderent interesse electioni se debere, omnis simul congregatio cœpit uno ore contradicere, et fecerunt eos abire. Deinde habito inter se consilio elegerunt Bertolfum ven. senem, qui jam diu in eodem monasterio prioris fungebatur officio, nullusque omnino alienus huic interfuit electioni. Wernharius quippe, qui ad Nernistheim (918) abbas datus fuerat, tunc aderat, et principalem sedem occupaverat. Ordinatus est autem a Witone Curiensi episcopo anno MCXVI (919).

§ II.

Deinde, sequenti anno, Paschalis papa obiit et Gelasius successit (920). Tunc ordinatus est Udalricus episcopus a Mediolanensi archiepiscopo, ac deinceps familiaris Romanorum fuit. Imperator autem comperto obitu Paschalis festinanter Romam advenit, sperans quod electio papæ per manus ejus transitura foret. Sed Gelasius jam ordinatus, audito imperatoris inopinato adventu, per noctem aufugit, nec ullo modo eum videre vel exspectare voluit. Quem cum imperator ad se revocare non posset, constituit sibi alium, nomine Burdinum (921), et appellavit eum Gregorium, sed Gelasius utrumque excommunicavit. Burdinus imperatoris potentia Romam obtinuit, Gelasius autem universitatem Ecclesiæ

§ III.

Antehac, eodem tamen anno Dominicæ incarnat. MCXVII, III Non. Januarii, circa tertiam noctis vigiliam, et iterum in ipsa die undecima fere hora, terræmotus ingens factus est longe lateque per orbem, ita ut ecclesiæ multæ et quædam urbes ex immensa concussione subruerentur...

(915-16) Constantiensem electum, qui tum in Italia cum imperatore morabatur.

(917) Cuno quintus Altorfensis ad Vineas abbas erat.

(918) Vid supra l. III, § 39.

(919) Necdum enim a papa confirmatus erat Udalricus episcopus.

(920) Cum Gelasius primum a. 1118 electus sit, Udalrici ordinatio antea fieri non potuit.

(921) Is erat Mauricius Burdinus archiepiscopus Braccarensis in Hispania, Gregorius VIII appellatus, qui sedem Sutrii habuit; hunc postea captum, et ad agendam pœnitentiam Cavensi monasterio inclusum scribit annalista Saxo ad an. 1121.

Digitized by Google

§ IV.

Per idem tempus matrona quædam nobilis, nomine Azala, dedit prædium suum ad monasterium S. Gregorii papæ, quod habuit ipsa apud villam, quæ dicitur Pfruwanga (922), et ipsa in eodem cœnobio usque ad **366** finem vitæ suæ in habitu spirituali permansit. Quod tamen prædium Bertolfus abbas a filiabus et sororibus ejus multa pecunia vix redemit.

§ V.

(923) Erat quidam nobilis in pago Lintzgo, nomine Cuono; hujus erat villa, quæ cognominatur Pfruwanga, a parentibus sibi jure hæreditario ex integro relicta. Hic genuit duos filios, quorum unus Meguizo, alter vero Cuono dicebatur. Hi ergo patre mortuo diviserunt inter se jam dictam villam Pfruwangam. Post hæc unus eorum, qui dicebatur Meguizo, dedit suam partem ecclesiæ Sanctæ Constantiensi ea conditione, ut ipse, quandiu viveret, et postea hæredes ejus, tam investituram ecclesiæ quam advocatiam sine ulla contradictione possiderent. Frater autem ejus Cuono duxit uxorem, et ex ea duos genuit filios, quorum uni nomen erat Wezil, alteri vero Gebino. Igitur Wezil patre defuncto addidit ecclesiæ apud Pfruwanga de suo proprio capellam unam, eamque dedicari fecit in honore S. Nazarii mart. et de suis propriis servis dedit illuc in dotem unum, nomine Gisilmarum, dans eidem uxorem ingenuam, nomine Azalam, quorum posteri omnes, sicut hodie cernitur, ad eamdem pertinent capellam. Frater quoque ejus Gebino prædium suum apud Ringginwilare (924) dedit ad monasterium S. Gregorii papæ, Petrishusin dictum, aliaque perplura bona illic tunc degentibus ministravit, et usque ad obitum suum illic permansit. Igitur Wezil, de quo superius diximus, frater Gebinonis, accepit uxorem, quæ ei peperit filium, nomine Cuononem. Pontifex vero Ruomaldus prædium, quod supradictus Meguizo ad S. Constantiensem ecclesiam obtulerat, Heinrico advocato de Sanctomonte in beneficium concesserat, et ipse Bennoni de Speichin (925) concessit. Iste scilicet Benno primitus litigare cœpit cum Cunone pro advocatia apud Pfruwanga, quam omnes progenitores ipsius Cunonis absque ulla contradictione habuerant; et eousque inter eos certatum est, donec temporibus Gebhardi III ejusdem nominis episcopi Constantiæ, in synodum eadem causa ventilanda perlata est. Itaque cum querela pro eadem causa esset perlata, et episcopus a synodo sententiam quæreret et diversi diversas sententias proferrent, ad **367** ultimum interrogabatur Luitoldus (926) comes de Achalmin quid sibi pro hac causa videretur, eo quod ipse esset major natu, et recti verique tenax. At ille dixit sibi omnino justum videri ut, per quorum parentes Ecclesia idipsum prædium possidere videretur, ab eis privilegium advocatiæ sive investituræ nulla ratione tolleretur; et in hac sententia ea die synodus quoque terminata est. Igitur ipse Cuno, de quo agimus, retenta advocatia et investitura accepit uxorem et genuit filium, nomine Conradum, et quinque filias, quarum uni nomine Azala, dedit quidquid ipse in Pfruwanga possidebat; cujus advocatus erat frater ejus Conradus, qui apud Frikkinga (927) habitaverat.

§ VI.

Post hæc Heinricus (928) vir nobilissimus et prudens ad extrema vitæ perveniens dedit monasterio dimidiam partem prædioli apud Elinchofin (929), alteram vero medietatem dedit uxor ejus Rihinza moriens, sub ea tamen conditione ut in anniversario die utriusque fratribus inde ministretur cum pane et vino et piscibus.

§ VII.

Audiens autem Adelbertus Moguntiensis archiepiscopus obitum Heinrici misit litteras, in quibus mandavit Udalrico episcopo ut projiceret corpus Heinrici de cœmeterio, aut divinum opus in ipso monasterio cessaret, quousque ipse ibi jaceret. Cum enim Heinricus imperator in Italia esset, et Fridericus dux Suevorum Moguntiensem Ecclesiam devastaret (930) propter rebellionem qua Adelbertus ejusdem Ecclesiæ archiepiscopus imperatori rebellabat, idem Heinricus de Hirzisegga duci adjutorio fuit, ac ob hanc causam archiepiscopus eum de cœmeterio ejici voluit. Ipse autem Udalricus suis manibus eum sepelierat, et inter ipsas ejus exsequias ejus pœnitentiæ grande testimonium perhibuerat. Attamen in ipsa feria v **368** Cœnæ Domini opus Dei in ipsa ecclesia fieri prohibuit, et rogatus a fratribus flebiliter ut propter animam Theoderici abbatis, qui in ejus obsequio mortem subierat, saltem in ipsis paschalibus festis cantare permitteret, juravit per animam ipsius et per omnes animas quod non permitteret, et ita stricte obsignavit ut nec privatas orationes quemquam in ecclesia, vel in capellis ipsi adhærentibus, facere concederet. Sed vix concessit rogatus, ut apud S. Mariam juxta infirmariam officia divina celebrarent. Actum anno Dom.

(922) Vid. supra l. II, § 18.

(923) Hæc quidem etsi in margine posita ob notitiam tamen retinenda nobis videbantur, cum nobilis hujus in Lintzgovia familiæ nulla amplius memoria supersit.

(924) Vid. supra. l. II, § 18.

(925) Notari hic videtur ignota jam nobilis olim familia de Spaichingen in comitatu Hohenberg, de quo passim agit Gerbertus in Hist. Nigræ Silvæ.

(926) Hic Liutholdus cum fratre Cunone fundavit monasterium Zwifaltense et post obitum suum an. 1098 ibidem sepultus est. Vid. historiam dictæ fundationis in P. Hess Monum. Guelph. p. 165 seqq., et Berthold. Constant. in Chron. ad an. 1099.

(927) Frickingen in capitulo et pago Linzgoviæ, unde forte fuerunt Burchardus et Albertus de Frichingen, notati in chartis an. 1142 et 1185 apud Herrgott.

(928) Scilicet de Hirzisegga, forte filius Heremanni, de quo supra l. II, § 17, 21.

(929) Forte Ellhofen in Stiefenhofensi capitulo.

(930) Bellum hoc Moguntinense narrat annalista Saxo ad an. 1117.

Digitized by Google

incarnat. MCXXI. Perrexit autem ad archiepiscopum primo Waltherus, deinde Wisericus, monachi ejusdem loci, cum deprecatoriis litteris, et tandem miseratione permotus indulsit Deo servire et mortuum quiescere.

§ VIII.

Eo anno imperator venit Augiam, ibique festum S. Marci egit, indeque Constantiam venit ipse et regina regis Anglorum filia (931). Sed nullus clericorum fere ibi stetit, quoniam episcopus discessit, et aliis interdixit pro eo quia jam a Callisto papa damnatus fuit. Nec ipse imperator propter hoc ira movebatur, nec ad monasterium Domus Petri accessit; sed nec ipse, nec aliquis suorum molestiam intulit.

§ IX.

Tunc supradicta Azala bonæ memoriæ digna iterum coram primatibus prædium apud Pfruwanga monasterio confirmavit, sicut subscriptum privilegium ostendit:

« Notum sit omnibus Christi fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, quod quædam religiosa femina, nomine Azala, tradidit quoddam prædium cum manu advocati sui Bertholdi ad monasterium S. Gregorii papæ, ad ripam Rheni situm, cui tunc præerat Bertholdus abbas, quod sine ulla contradictione visa est possidere in pago Linzgouwe, in comitatu Hartmanni (932) comitis, hoc est, dimidiam partem villæ quæ dicitur Pfruwanga, **369** cum alio ad hoc pertinente prædiolo, Taverna vocitato, et aliis omnibus ad se pertinentibus, scilicet in areis, ædificiis, mancipiis utriusque sexus, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, aquis, piscationibus, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et acquirendis, cunctisque aliis utensilibus, quæ adhuc dici aut nominari possunt, eidem jam dicto monasterio in honore S. Gregorii constructo, nec non et monachis sub norma S. Benedicti Deo ibi militantibus, ex integro legitime de suo jure in eorum transfudit jus. Hæc autem traditio facta est apud Constantiam, anno Dom. incarnat. MCXXI, indict. XIV, mense Aprili, die XXIX ejusdem mensis, hoc est III Kalend. Maii, feria VI, regnante Heinrico imperatore Juniore, filio Heinrici Senioris, qui et ipse eodem tempore una cum regina Constantiæ erat, in cujus etiam præsentia hæc sunt gesta coram multis testibus. Eo tempore Romanam Ecclesiam Callistus, qui et Guido, Constantiensem vero Udalricus tenebant. »

§ X.

Anno MCXXII Wito Curiensis episcopus obiit (957) apud monasterium Domus Petri. Hic multam gratiam et familiaritatem semper habebat ad idem monasterium, et multa bona fratribus præstitabat. Qui cum ibidem defunctus esset, Bertholdus una cum fratribus suis de rebus monasterii induerunt eum, ut moris est, pontificalibus indumentis, et Tunna [*Ger.* Tonne] incluserunt, et cum magno honore Curiam perduxerunt, cum magno tamen labore. Cujus successor Conradus (934) dedit monasterio calicem argenteum, quem abbas deauravit, et cappam purpuream, et tam abbatem quam fratres ejus, qui aderant, singulos munusculis honoravit; inter quos Cuonradum capellanum tunc, postea vero abbatem, specialiter muneravit, dans ei unum Zendath (935), ex quo ille cappam fecit, et argenti libram; ad quam ille et reliqui fratres aggregaverunt, et brachium S. Philippi apostoli auro et argento, lapidibus pretiosis ac margaritis venustissime ornaverunt...

§ XI.

Eo tempore, Wernherus Senior, qui ad Nernistheim datus fuerat abbas (936), promissionibus Udalrici episcopi illectus ipsum locum dimisit, et ad Domum **370** Petri rediit; cumque Bertholdus abbas alium pro illo dare nollet, episcopus Heinricum de Zwivildensi (937) monasterio adduxit, eumque ibi abbatem fecit, sicque cura ipsius loci de Domo Petri dilapsa est, quæ multis annis exinde habebatur. Ipse autem Wernherus, cum episcopus sibi nihil de promissis præberet, ad Erla (938) monasterium secessit, ibique multis diebus permansit... Postea se apud quoddam oratorium, S. Petri nomine consecratum, inclusit, et usque ad finem sui in Dei servitio permansit. Qui defunctus in eodem loco est sepultus, atque sanitates ibidem dicuntur divinitus exhiberi; quæ quoniam certa relatione non didicimus, de his plura dicere prætermittimus.

§ XII.

Per hæc tempora Waginhusensis cella (939) curam et regimen a nostro monasterio habuit, sed ex contentione Scafhusensium impedita usque in hodiernum parum profecit; sed tunc Folchnandus quidam

(931) Mathilda Henrici I Angl. reg. filia. Cæterum de hoc ejus itinere nihil apud alios scriptores.

(932) Tres Linzgoviæ comites in chartis hujus Chronici memorantur, Otto in charta Swiggeri an. 1058 de villa Ouveltingen, quam Lunig. aliique ab eo decepti male Suiltingam vocant (supra l. II, § 12.) Hartmannus hic ad an. 1121, notatus, et Heinricus in charta Witigonis de Frichingen an. 1135 (infra l. IV, § 27.). Primum Rhætiæ Curiensis comitibus accensemus qui et Brigantinus fuerit, Hartmannus autem Dilingensis et Kiburgensis esse potuit, de quibus in Disquis. § 21 et 22. Heinricus vero infra l. V, § 11, de Neiligenberg seu Sanctomonte nominatur.

(933) In Necr. 18 Maii notatur « Wido episcopus Curiensis: iste benignus nobis fuit. »

(934) Etiam de hoc in citato Necrologio d. 1 Mart. legitur: « Depositio Cuonradi episcopi Curiensis: iste benignus nobis fuit. »

(935) Zendath, cendal, centatum *pannus sericus*.

(936) Vid. supra l. III, § 39.

(937) P. Sulger in Annalibus Zwifaltensibus p. I, p. 63, missionem Henrici de Berrieden ad annum 1118 pluribus describit. Vid. Bucelini Chronol. Constant. ad h. a.

(938) Monasterium istud haud aliud esse videtur quam Erlacense ad lacum Bielensem in territorio Bernensi, quorsum exeunte sæculo XI monachorum colonia cum Eckehardo abbate ex B. Blasio deducta est. Gerbert Hist. Silvæ Nigr. t. I, p. 248.

(939) Vid. supra l. III, § 24, et infra § 30. Folchnandus in Gallia Christ. t. V, p. 932, secundus ejus abbas dicitur, Uto vero hic notatus plane omittitur.

Digitized by Google

senex presbyter illuc transmissus præfuit, sub quo et ego illic tunc eram, et habuimus fœderatos tam Scafhusenses et Steinahenses, qui similiter suum esse ipsum locum certabant, et sæpius ante vastaverant, et adhuc devastant. Sed, cum satis ordinate tunc temporis divina et humana ibi haberentur, Udalricus episcopus, credens se citius quiddam magni patraturum, dimisit nos, et Utonem quemdam abbatem ibi fecit, eumque in quibus potuit adjuvit. Sed ad breve tempus præfuit, sicut suo loco stylus noster forsitan ostendit.

§ XIII.

Anno ab Incarnat. Dom. MCXXVI facta est fames valida, ita ut multi penuria oppressi perirent. Et erat in basilica S. Gregorii tabula principali altario in occidentali parte apposita, quæ auro et argento venuste fuerat operta, quæ nonnisi in maximis festivitatibus aperiebatur. Hanc Bertolfus abbas ingruente inopia confringi fecit, et auri quidem inventum est habere unum talentum, et quartam partem fertonis (940), argenti quinque, **371** et hoc totum tam aurum quam argentum erat purissimum et optimum. De auro quippe in medietate tabulæ erat elata imago speciosa S. Dei Genitricis, et in ejus pectore species columbæ; de argento vero in latitudine tabulæ imagines apostolorum et aliorum sanctorum pulcherrime formatæ.

§ XIV.

Ad hæc prædium apud Bozze (941) cuidam Bernhardo pro duodecim libris argenti pro chirographo dimissum est, quod postea Conradus abbas Ruperto de Otoldiswanc (942) tempore iterum famis vendidit, qui illud usque in præsens possidet.

§ XV.

Anno ab Incarnatione Dom. MCXXVII, cum jam Bertolfus abbas senio gravaretur, moribus quoque ita insolesceret, ut nec ipse faceret, nec aliis permitteret necessaria loci providere, et jam jamque omnia simul in defectione viderentur, quidam de senioribus cœperunt cum Udalrico episcopo clam agere, ut Bertolfo persuaderet quatenus abbatia se abdicaret, et alium pro se ordinari permitteret; ipse vero reliquum vitæ suæ tempus privatus requiesceret; erat enim crassus nimis. Et quoniam episcopus eloquens erat et versutus, persuasit eum, quamvis diu reluctaret. Die ergo statuta advenit Udalricus episcopus, et Udalricus Zwivildensis abbas (943), et consilio diu habito venerunt ad capitulum, et nuntiaverunt multitudini; cumque ille libens consentiret ut privatus viveret, dixerunt quidam ut ibidem rem conficeret; alii autem dicerent ad altare eum debere pergere et ibidem se abdicare, episcopus ait: « Non est, inquit, necesse; virgam mihi regiminis reddat. » Tunc omnes reclamaverunt, dicentes hoc nullatenus ad eum pertinere. Ergo accessit ad altare et virgam deposuit desuper, dicens: « Ecce, quod Dei et vestri gratia habui, depono, et omnes vos a mei obedientia absolvo. » Hoc dicto ad lectum rediit et Conradum capellanum primus elegit.

§ XVI.

372 Deinde iterum conventus ad capitulum rediit. Episcopus vero secessit, et libera electione omnis congregatio Conradum elegit. Conradus et ipse secesserat, quoniam pro hospite hactenus ibi habitabat. Electione autem peracta, requisitus et inventus, clamans et multum reluctans violenter adductus, et tandem laboriose devictus sedi est impositus.

§ XVII.

Post menses quatuor Udalricus episcopus apud cellam S. Mariæ in Brisgouwe (944), quorum etiam habitu enituerat, regio morbo depressus, et, violenter oculis de capite ejectis, laborioso fine defunctus est, vir officio pontificali valde idoneus, si animo non fuisset adeo acerrimus. Ipse apud S. Udalricum Constantiæ canonicos instituit (945). Corpus ejus Constantiam delatum in choro basilicæ S. Mariæ est honorifice tumulatum.

§ XVIII.

Igitur Bertolfus abbas (946) ven. cum primum se potestate abdicasset, aliquanto tempore ei diligenti cura ministrabatur, deinde multa negligentia tractabatur. Ipse quoque post paucos annos pene amens effectus pueriliter versabatur . . . in extremis autem ejus vix tantum ei sensus concessum est ut viaticum quæreret et acciperet. Defunctus tamen, benevolentia fratrum sacerdotalibus, ut mos est abbatibus facere, indutus, et in capite sepulcrorum abbatum sepultus est cum honore, absente tamen abbate Conrado.

§ XIX.

Rem miram, quam dicturus sum, qui volet, perpendat. Per annos quippe fere septuaginta, a temporibus scilicet Adelberti abbatis usque ad Bertolfum, nullus eorum qui in Domo Petri abbates fuerunt absque nota de hoc sæculo migrarunt; nam quilibet eorum aut peregre moritur, aut aliqua debilitate correptus periit. Adelbertus itaque apud Buochowa subita morte periit. Siggo confracto dorso altero anno ordinationis suæ defecit. **373** Arnol-

(940) Ferto pecuniæ species, seu quarta pars marcæ.

(941) Boos, in cap. Sulgau.

(942) Forte Otterschwang, in eod. cap.

(943) Hic ab anno 1095 usque 1136 præfuit monasterio Zwifaltensi, ex Gallia Christ., t. V, p. 1054. De eo legendus P. Sulger in Annal. Zwifalt., t. I, p. 28, etc.

(944) Cella S. Mariæ, vulgo Sanctmergen canonicorum regularium collegium est in Silva Nigra. Vid. in Gerberti Silvæ hujus hist. t. I, p. 477, et Petri Suevia Eccles., p. 233.

(945) Est hoc aliud canonicorum collegium extra Constantiam, Creuzlingen dictum. Cujus fundationis charta an. 1125 data habetur in cit. Hist. t. III, p. 54.

(946) In Necrolog. d. 25 Sept. dicitur præfuisse *post Theodericum annis* 10; unde annum electionis Conradi abbatis discimus, nempe a. 1127.

Digitized by Google

dus, Meginradus et Liutoldus depositi. Theoderi- A cus peregre obiit. Bertolfus depositus amens effectus defecit. Quis credat hoc absque districto divino actum esse judicio? . . .

§ XX.

Igitur Conradus abbas in ipso initio promotionis suæ cœpit sibi suisque successoribus construere nova habitacula, multisque temporibus operi insudans, tandem cum decore consummavit. Eo tempore Udalricus, secundus (947) ejusdem nominis episcopus, munitionem suam, Castellum dictam, timore Rudolphi comitis de Brigantia destruxit, quam prædecessor ejus Udalricus multo labore et sumptu construxerat, et laquearia duarum capellarum Conrado abbati concessit, quórum unum suæ, alterum vero capellæ S. Joannis Baptistæ B affigi fecit; fecerat enim duas capellas unam super alteram.

§ XXI.

Anno ab Incarnatione Domini MCXXIX, die IV Kal. Nov., dedicata est capella superior, quam ædificaverat Conradus abbas in honore S. Martini et S. Oswaldi M. et aliorum sanctorum, quorum reliquiæ inibi continentur . . . Dedicavit autem eam Udalricus secundus episcopus.

§ XXII.

Anno ab Incarnat. Dom. MCXXXIV, indictione XII, X Kal. Dec., dedicata capella inferior a ven. Udalrico episcopo secundo in honore S. Fidis et S. Mariæ Magdalenæ, et aliorum sanctorum, quorum reliquiæ ibi continentur. . . .

§ XXIII.

Anno ab Incarnat. Dom. MCXXIX, indict. VII, renovata est capella S. Joannis Baptistæ a Gebinone avunculo meo, addito ei oratorio S. Jacobi apostoli, qui prius proprium habuit altare, quod ille destruxit, et duo oratoria in unum utiliter redegit, et laquearia habentia materiam S. Joannis Baptistæ depictam a Conrado abbate impetravit, et ibi suspendit. Dedicavit autem eam Udalricus episcopus secundus die IX Kal. Sept. in honore **374** S. Joannis Baptistæ, et Joannis evangelistæ, Jacobi fratris ejus, Philippi, Nicolai. Isti sunt ibi patroni. . . .

§ XXIV.

Idem ipse Gebino claustrum jam dudum renovaverat, in duobus lateribus novas columnas cum suppositionibus earum de quadro lapide componendo. Ipse patravit calicem argenteum, eumque auro et gemmis venusto opere decoravit; sed aurifex cum patenam deberet facere, et multos lapides vellet imponere, castella et vermiculi nullatenus corpori patenæ ex integro potuerunt congelari, et sæpius incœptum semper invenit defectum, sicque opus diu intermissum est. . . .

(947) Baro de Castel, monachus antea S. Blasii, Hist. Silvæ Nig., t. I, p. 370. Castellum ab ipso dirutum Gebehardus III construxerat. Rodolfus Brigantinus comes filius erat Udalrici, de quibus supra l. III, § 17-23. Vid. Bucelinus, Chronol. Constant.,

§ XXV.

Per hæc tempora prædium apud Bozze venundatum est XVII marcis; item Eilingen (948) datum est pro XL marcis.

§ XXVI.

Sed et presbyter quidam, Witigo nomine, ortus de Alospach (949), erat multo tempore capellanus Trevirensis archiepiscopi et Coloniensis. Hic fere XL marcas argenti probati transmisit ad Domum Petri pro agris comparandis, quos ille, dum viveret, haberet, et post suum obitum monasterio relinqueret. Sed argentum totum est expensum, et nihil ex eo emptum. Cum ergo ille veniret ut quid actum esset videret, nesciens abbas et fratres ejus quid agerent, ostenderunt ei possessionem monasterii apud Frichingen, quæ tamen nuper aliquantulum de pecunia, quæ pro Eilingin sumpta fuerat, dilatata erat, et dederunt ei eam pro pecunia sua quæ consumpta fuerat. Quam ille gratifice suscipiens, consentiente et jubente abbate tale desuper chirographum conscribi fecit.

§ XXVII.

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris qualiter ego Witigo, Dei gratia presbyter, divina inspirante providentia comparavi allodium apud villam Frichingen, in pago Linzgove, in comitatu Heinrici comitis (950), datis pro eo XXII marcis; adhuc sano, ut credo, usus consilio, petii abbatem Cuonradum simulque fratres Petrishusensis cœnobii, et concesserunt **375** mihi in justum beneficium C curtim, quam idem monasterium apud eam villam possidet, et ego illis versa vice alias XX marcas argenti pro eodem beneficio contuli, ea videlicet conditione ut ego, quandiu vixero, utramque partem jam dicti prædii, et emptam videlicet noviter, et ante habitam, sine ulla contradictione pro beneficio possideam, et fructus ejus in usus meos, ubicunque locorum sim, convertam, eamdemque curtim uni ex fratribus ejusdem cœnobii, quemcunque elegerim, committam, qui mihi universa, quæcunque ibidem acquisierit, fideliter conservet. Cum vero ex hac vita decessero, volo ut monasterium idem allodium perpetualiter possideat, ea videlicet conditione ut in anniversario obitus mei omni deinceps anno fratres communiter inde pietantiam habeant, tres scilicet D maltros de speltaneo frumento ad similam faciendam, ex quibus unus modius specialiter fiat abbati, et tres urnas de vino, dimidiam abbati, duas vero et semim fratribus, et duodecim solidos pro piscibus comparandis. Duodecim quoque pauperes volo ut ea die reficiantur, et unicuique pauperi panis et cyathus vini et pulmentum detur. In anniversario quoque patris mei Operti, quod est IV Id. Martii, unum maltrum similæ, et duæ urnæ vini, volo ut detur omni congregationi generaliter. Simili modo de eadem

ad an. 1132.

(948) Forte Ailingen, in capitulo Thuringen.

(949) Allenspach, in capitulo Reichenau.

(950) Heinricus comes Linzgoviæ an. 1135, infra l. V, § 11 de Sanctomonte dicitur.

Digitized by Google

possessione volo fieri in anniversario matris meæ Pechildæ, quod est XV Kal. Sept.

Ut autem hæc omnia, sicut notata sunt, inviolata conserventur, adjuro omnes qui per successiones temporum in eodem monasterio futuri sunt, per omnium fidelium Remuneratorem, et per omnem virtutem, quæ vel in cœlo vel in terra Deo famulatur, ut nullus omnino vel abbas vel alius aliquis hæc audeat violare, aut si, quod absit! fecerit, in consortio Judæ proditoris in extremo justi judicii die condemnetur. Actum et confirmatum anno Incarnat. Dom. MCXXXV, in festivitate S. Gregorii papæ, coram cunctis fratribus, ac testibus Heinrico, Hermanno, Eberhardo, Luitfrido, Arnoldo, Burchardo, Adelberto, aliisque multis. — Obitus ejusdem Witigonis Non. Oct.

§ XXVIII.

Sed et Gisilfridus de Turingin (951) cum magna devotione advenit, et unicum filium, nomine Ruopertum, Deo et S. Gregorio coram omni congregatione **376** cum multis lacrymis obtulit, universaque prædia quæ in terra Suevorum proprietatis jure possedit tam apud Turingin quam apud Jetinhusin (952); omnia itaque monasterio ex integro contulit in ministerium fratrum Deo inibi famulantium perpetuo jure possidenda, excepta portione fratris sui Geraldi. Vineam quoque apud Alospach emit XXII marcis, et firmissimo pacto constituit, abbate præsente atque consentiente, et omni congregatione, ut omni hebdomada per ævum semel una die missa pro omnibus parentibus ejus defunctis cantaretur, et ipsa die monachis generaliter de jam dicta vinea vinum propinaretur, et ipsa missa, quando cantaretur, noto signo tantum uno nuntiaretur. Et ut ipsa vinea absque damno monasterii excoli potuisset, cum quædam matrona, nomine Truitlint, per idem tempus converti, et agrum suum apud Fischpach (953) offerri voluisset, et hanc abbas suscipere renuisset, idem Gisilfridus dedit abbati decem talenta, ut mulierem cum agro susciperet, et eamdem possessionem ad excolendam supradictam vineam servire permitteret. Acta sunt hæc omnia inspicientibus filoneis testibus, Patre et Filio et Spiritu sancto, Philippo, Gregorio et Gebehardo.

§ XXIX.

Post hæc obortis quibusdam jurgiis inter abbatem et eumdem Gisilfridum, abstulit filium suum de monasterio jam monachizatum, et abalienavit prædia quæ dederat, id est Turingin et Jetinhusin; ipse tamen in habitu barbatorum plerumque in monasterio mansit, ac non multo post obiit (954), et apud monasterium sepultus est. Filius autem ejus post mortem patris, armis sumptis inique hæreditate potitus est.

§ XXX.

Per idem tempus, cum Utto abbas Waginhusensis (955) in infamiam incidisset, depositus est, et Gebino ab Udalrico episcopo secundo a monasterio Domus Petri adductus, et eidem loco abbas ordinatus est. Quem cum per aliquot annos idonee rexisset, commissa est ei etiam nova cella, quæ vocatur Wischina (956), quæ per illum monasticæ vitæ initiata est.

377 § XXXI.

Quam cum post aliquanta tempora, laborem non sufferens, dimisisset, Conradus abbas rogatus iterum ab Udalrico episcopo constituit pro eo Waltrammum eidem loco abbatem, qui ibidem ecclesiam a fundamentis construere cœpit, et multa ornamenta ecclesiæ et utensilia acquisivit.

§ XXXII.

Post hæc Conradus abbas conduxit monachum quemdam, nomine Aaron, presbyterum de Camberch, musicæ artis peritissimum, qui fecit ei organa elegantissimæ modulationis, et constituit ea ad meridianam plagam ejusdem basilicæ. Ipse etiam jam antea ejusdem generis instrumentum Constantiensi Ecclesiæ fecerat, patrante Herimanno vicedomno et custode tunc ecclesiæ.

LIBER QUINTUS.

INCIPIT DE TRANSLATIONE BEATI GEBEHARDI EPISCOPI.

§ I.

... Cum jam per annos circiter centum quadraginta duos (957) B. confessoris Christi Gebehardi quondam Constantiensis episcopi, fundatoris vero monasterii quod dicitur Domus Petri, corpus sub humo more mortuorum quiesceret, et tamen eumdem locum tumuli ejus frequenter fidelis Deus, qui non obliviscitur, miraculis illustraret; cum jam ipsa basilica, tam ex antiquitate quam ex fundamenti fragilitate, undique per rimarum scissuras jam jamque casum minaretur, ven. abbas Conradus, adhortatione Hugonis Constant. Ecclesiæ canonici, eam renovare aggressus est.....

(954) Procul dubio nobilis hæc olim familia fuit in pago Linzgoviensi, in quo tam Turingen quam Jettenhausen et Fischbach sita erant.

(952) Hodie Jettenhausen, in capitulo Thuringen.

(953) Fischbach, in capitulo Linzgau.

(954) In Necrologio notatur 6 Maii.

(955) Vid. supra § 12.

(956) Fischinga, piscina seu augia, S. Mariæ in Turgovia monasterium, cujus brevis historia sisitur in Gallia Christ., t. V, p. 1027, ubi tamen nulla Gebinonis mentio, sed Waltrammus nono loco inter abbates ponitur, qui a. 1138 monasterium restituerit. Forte hic vita monastica ibi initiata dicitur, quod consuetudines Hirsaugienses ex Domo Petri per Gebinonem introductæ sint; jam enim diu antea institutum erat hoc cœnobium.

(957) S. Gebhardo II circa an. 996 mortuo, annus centesimus quadragesimus secundus annum Christi 1137 notat, et tamen prima hæc translatio post annos 152 a condito monasterio (a. 983), adeoque ad an. 1134 refertur. Hic vero tantum de prima translatione S. Gebehardi seu de corporis ejus e terra levatione agitur, a qua ejus cultus absque formali canonizatione incepisse videtur. Vid. supra l. I, § 40.

Digitized by Google

§ II.

Anno igitur a partu Virginis MCXXXIV a condito autem monasterio CLII, indict. XII, abbas Conradus convocavit Udalricum Constant. Ecclesiæ **378** venerabilem episcopum, ejusdem nominis secundum, et aperuit tumulum B. Gebehardi episcopi, et invenit corporis ejus thesaurum pretiosum, omni margarita chariorem..... adhuc sacris vestibus circumvolutum ; maxima quippe ex parte erant putrefactæ, sed ossibus hærebant, quia eas manus non tetigerat. At cum manu tangi cœpissent, illico defecerunt, excepta sola et superiore parte planetæ, quæ de croceo fuerat pallio. Ex his ergo aliqua pars remansit integra.

Anno a condito monasterio CLII advenit Udalricus episcopus, et ex monasteriis Patres (958) septem invitati a Conrado abbate jam sæpe dicti monasterii. Sed et turba clericorum et monachorum, aliorumque fidelium adfuit non modica, et cum immani gaudio et exsultatione, cum hymnis et laudibus honorifice transtulerunt ossa ac cineres B. confessoris Christi atque pontificis Gebehardi de loco prioris sepulcri, et in sarcophago posita; ambitum monasterii lustraverunt, et postea cum magno honore in novo tumulo condiderunt.

In ipsa die, hoc est, VI Kal. Sept. qui est dies natalis ipsius, indict. XII, dedicatum est altare quod est supra ipsum tumulum..... Sequenti die dedicaverunt ipsam basilicam.....

Actum temporibus Innocentii papæ II et Lotharii II imperat. Augusti, anno imperii ejus X (959), indict. XII, die V Kal. Sept. feliciter cum gloria.

§ III.

His diebus grandis infirmitas in ipsa congregatione grassabatur, ex qua meipsum meritis B. Gebehardi mirabiliter fateor liberatum..... Post hæc Conradus abbas fecit campanum satis honorificum, et Heribertus custos ecclesiæ secundum, ego quoque unum parvulum..... Deinde fecit domum campanarum super ecclesiam, quia prius pendebant in quatuor columnis juxta ecclesiam.

§ IV.

Anno ab Incarnat. Dom. MCXXXVI, indict. XIV, die XVI Kal. Decemb., dedicatum est altare S. Petri apostoli secundo a Conrado Curiensi ven. episcopo (960).

§ V.

379 Factum est autem ut Heinricus presbyter, qui oratorium S. Mariæ apud Rotse procurabat, e mundo migraret, et confestim Conradus abbas misit illuc Adelbertum monachum, virum utique satis idoneum, si forte fieri posset ut divinum servitium per eum in eodem loco aliquatenus succresceret. Qui cum post paucos annos obiisset, missus est illuc alius Adelbertus junior, eadem intentione qua et superior. Hunc ergo locum, sicut longe superius diximus (961), venerabilis Ratperonius primus incolere cœpit, et basilicam construxit. De cujus actibus huic operi aliqua innectere dignum ducimus, ne virtutes tanti viri penitus oblivioni tradantur, quarum memoria apud homines jam in supremo vix permodica habetur.

Vita beati Ratperonii.

§ VI.

Vir Domini Ratperonius nobilibus et religiosis parentibus (962) de Turinga, ut fertur, est ortus. Quasi aurea fibula tota ejus generatio in eo creditur ornata et conclusa. Hic itaque relicta patria transiit in Alemanniam, seque sanctissimo præsuli Udalrico Augustensi conjunxit, et sub ejus regimine diu in regulari tramite vixit ; quoniam idem pontifex tunc temporis Campidonense monasterium rexit (963). Igitur cum eidem sancto præsuli familiariter jungeretur, et ab eo in omne opus bonum informaretur, contigit ut quodam tempore simul pergerent, atque in loca Rubro stagno contigua devenirent. Cumque in quodam prato post refectionem corporis aliquandiu requiescerent, episcopus post quietem expergefactus prædixit per spiritum B. Ratperonio, quod ibi in vicinio quidam locus esset qui ejus labore excolendus foret, ubi etiam diem judicii præstolaturus esset. Vir autem Domini Ratperonius, hoc oraculo percepto, huic statim animum constanter intendit negotio, et cœpit sagaciter apud proceres earumdem **380** regionum agere quatenus sibi locum ad opus destinatum vellent concedere. Cumque ab eis fuisset contemptus, eisdem adversa est imprecatus, ac propter hoc actum creditur quod posteritas eorum deleta est, sicut scriptum est: *Semen impiorum peribit.*

§ VII.

Igitur ut Dominus omnipotens vaticinium quod per os famuli sui Udalrici servo suo Ratperonio prædicere dignatus est adimpleret, tandem cuidam nobili viro nomine Berngario inspiravit ut ejus negotio et desiderio annueret, et de suis prædiis donavit ei locum qui nunc dicitur Rubrum stagnum (Rotse), tunc quidem sterilem, nunc autem, quantum ad situm regionis, fertilem et amœnum. In hoc loco, ut fertur, pridem quidam latro crudelissimus habitabat, qui immanissima circumquaque latrocinia exercebat... Beatus autem Ratperonius, ipso sibi tradito

(958) Totidem abbates vicinorum monasteriorum intelligimus.

(959) Lotharius II electus est 30 Aug. an. 1125, coronatus primum an. 1133 imperator ; unde anni imperii hic pro annis regni accipiendi.

(960) Forte quia tunc Udalricus episcopus jam dimissa sede ad S. Blasium recesserat.

(961) L. III, § 40.

(962) In margine recentiore manu comes de Rappenberg, alias Landtgravius. Frustra autem alibi hujusce Ratperonii notitia quæritur, de cujus natalibus ex traditione tantum scribit auctor noster, nec etiam in Vita S. Udalrici alicubi memoratur.

(963) Ab anno 941 usque 962, ubi ab ingruentibus Hungaris monasterium istud fuerat a. 940 devastatum. Vid. Gallia Christ., t. V, p. 993; Brusch., p. 105.

Digitized by Google

loco a supradicto Berngario de Arnanc (964), cœpit ibi basilicam construere, cum infinito tamen labore, quoniam nihil præ manibus habens aggressus fuerat opus ingens. Attamen per Dei adjutorium... basilicam magnifico opere fundavit et ad perfectum usque perduxit.

§ VIII.

Multas ergo idem homo Dei persecutiones, multas calamitates a circa manentibus clericis perpessus est, in tantum ut etiam Warmannum Constantiensem tunc episcopum (965) in eum incitarent, qui eum multis injuriis affectum demum etiam loco depulit... Contigit (autem) ut Warmannus episcopus post expulsionem hominis Dei pergeret Romam, et in ipso itinere cum omnibus se comitantibus finiret vitam. Cui Eberhardus frater ipsius in episcopatu successit, qui beato viro Ratperonio clementissimus et misericors omni tempore fuit. Ipse enim vir Dei de Rotse pridem expulsus ad alium commigraverat locum, ibique sibi construxerat oratorium. Inde ergo ab episcopo ad priorem locum benigne revocatus, ibidem deinceps in Dei servitio est conversatus. Sed et idem episcopus basilicam, quam **381** homo Dei construxerat, in honore Dei Genitricis dedicavit, eamque in quibus potuit adjuvit. Homo autem Dei eumdem locum Constantiensi Ecclesiæ tradidit, quia inde eum in Dei servitio melius promoveri speravit. Fuit autem nemus perparvum oratorio vicinum, de quo aliquantulum habere poterant necessaria lignorum. Cumque illud quidam maligni homines contra ipsius voluntatem devastarent, et sæpius ab eo rogati nequaquam desistere vellent, oravit Dominum ut aquas ibidem inundare faceret, ne homines tali rapina se amplius prægravarent. Itaque mirum in modum continuo cœpit ibi aqua in altum excrescere, et ligna operire, et stagnum speciosum, ut hodie cernitur, efficere, atque ex eo idem locus Rotse vocitatus est... Igitur per multos agones et labores B. Ratperonius, Spiritu sancto plenus, migravit ad Dominum VII Kal. Aug., et corpus ejus, in basilica quam construxerat, honorifice tumulatum quiescit, ubi usque in hodiernum diem multis beneficia præstare non desinit...

§ IX.

Anno ab Incarnat. Dom. MCXXXIX, Innocentius papa habuit Romæ concilium (966) inauditæ magnitudinis. Huic concilio interfuerunt (sic dicebant) episcoporum octingenti, et abbatum mille cum clericis et laicis innumeris, ubi inter multa utilia decreta statutum est ut incendia domorum non fierent, quod etiam per annos aliquot diligenter observatum est. Huic synodo intererat etiam Conradus abbas, indeque rediens attulit duo palliola, ex quibus duas cappas fecit.

§ X.

Anno ab Incarnat. Dom. MCXLII, Hugo (967) præpositus Constantiensis dedit quinque talenta, et emit prædiolum apud Altheim (968), quod quidem prædiolum bonæ memoriæ Gisilla jam antea monasterio, dederat; et cum emisset illud jam dictus Huch Hugo ab abbate Conrado præsentibus fratribus et aliis multis, reddidit illud iterum et tradidit monasterio, sub ea conditione ut omni anno in diebus obitus ipsius, qui est XV Kal. Maii, omni congregationi de eodem prædio, prout possibile sit ministretur.

§ XI.

382 Anno ab Incarnat. Dom. MCXLIII, Gerungus presbyter dedit monasterio, cum manu advocati sui Heinrici, in manum advocati nostri Conradi de Sanctomonte, duo prædiola, unum apud Schuwindorf (969), alterum apud Wangin in pago Linzgow sub comitatu Heinrici de Sanctomonte (970), absque ulla contradictione, legitima traditione coram multis idoneis testibus. Ipse autem Gerungus ad monasterium veniens infirmatus est, et usque ad mortem benigne tractatus est. Eodem anno Gundelo de Constantia dedit prædium suum apud Gerboldiswilare (971), et simul obtulit filiam suam.

§ XII.

Anno ab Incarnat. Dom. MCXLVI, fames magna populos longe lateque premebat, ac per hoc inopia cogente quædam personæ se de Triboltingin (972) et Tegirnwilare ad monasterium contulerunt, se suasque possessiunculas illuc tradiderunt. Quam traditionem quidam eorum minime stabilire potuerunt, quoniam possessiones ad Augiam tributariæ fuerant.

§ XIII.

Anno ab incarnat. Dom. MCXLVII, Conradus abbas renovavit partes ecclesiæ, et capellam S. Udalrici renovavit, et auxit, et optimis picturis adornavit. Dedicavit autem eam Herimannus, Constant. Ecclesiæ episcopus XII Kal. Jan....

§ XIV.

Factum est autem, temporibus Conradi (973) regis,

(964) Nunc Arnach, in Isnensi capitulo, haud procul a Rotisee.

(965) Ab an. 1026 usque 1034. De Warmanni autem obitu in itinere Romano nihil produnt reliqui auctores. Sed et annorum memoratorum computus combinari vix potest, nisi Ratperonium usque ad decrepitam ætatem pervenisse dicamus. Qui enim anno saltem 962 jam S. Udalrici discipulus fuit, tempore Eberhardi episcopi circa an. 1035 ad minimum centum vitæ annos numerare debuit.

(966) Est hoc concilium Lateranense II, in quo canon hic citatus est 18 de incendiariis. Labb. Conc. t. X, p. 1007.

(967) Præpositus iste in Gallia Christiana t. V, p. 928 inserendus est.

(968) Forte in capitulo et pago Linzgove.

(969) Forte Schyggendorf et Wangen in pago et capitulo Linzgau.

(970) Comites adeo Heiligenbergenses simul et Linzgoviæ erant hoc tempore, ad quos forte etiam nonnulli præcedentium pertinent.

(971) Gebhartschweiler, in eodem districtu.

(972) Tribeltingen, in capitulo Fravenfeld, seu Turgovia.

(973) De hac expeditione sacra passim tractant alii scriptores synchroni, præcipue Otto de S. Blasio cap. 2, etc., et Otto Frising. De gestis Friderici imp. l. I, cap. 44 seqq.

Digitized by Google

ut Eugenius papa litteras mitteret Ludovico Francorum regi; sed et Bernhardus, abbas monasterii quod dicitur Claravallis, aliique transirent per Gallias, et prædicarent ut omnes tam majores quam minores, qui Dei voluntati parere vellent, armati pergerent ad debellandos paganos, et maxime contra sanguinarium quemdam tyrannum qui Edissam civitatem, quæ olim Rages dicebatur, **383** invaserat, et Christianos omnes, quos ibi reperit, aut occidit aut in captivitatem redegit, et Dei sacra prædavit et polluit atque evertit. Hac igitur fama pervulgata, factus est motus magnus in terra, ita ut ipse Conradus Romanorum rex, et Ludovicus Francorum rex cum ducibus et comitibus aliisque proceribus multis, cum populorum infinita multitudine ex diversis regionibus, sed et ex monasteriis quam plurimi se Domino offerrent, et mente devota atque promptissima se suaque ad hoc tunc studiosissime præpararent.

Perrexerunt igitur armati, exercitus infinitus nimis, per Pannoniam et Bulgariam silvam, et copiosa navium multitudine per Danubium, portantibus (*sic*) arma et quælibet necessaria. Cumque venissent in Græciam, honorifice suscepti sunt a rege Græcorum, et ipsius ducatu perducti sunt in eremum vastissimam, ut venirent, sicut putaverunt, ad terras gentium. Igitur cum quadam die castra ponerent in loco quodam ubi vallis erat inter eos, ibique fixis tentoriis fessi requiescerent, ecce subito intempesta nocte venit inundatio maxima, et, quæcunque in valle reperit, idem torrens vehemens in mare transduxit. Hoc primum infortunium postea diversarum cladium portentum fuit. Nam cum primum in Dei timore humiliter et pacifice pergerent, cuncta eis prospera obvenerunt. At vero postea cum elati in superbiam rapinis inservire cœpissent, diversis cladibus consumpti sunt. Nam cum per desertum pergerent, et escas non invenirent, multi fame perierunt, alii, inedia laborantes, a paganis aut perempti, aut in captivitatem redacti disperierunt, quidam quoque glorioso martyrio coronati sunt. Rex vero Conradus cum videret quod nil suæ voluntati perficere potuisset, reversus est Constantinopolim ad regem Græcorum, et ab ipso directus est navigio per mare Hierosolymam. Frater autem regis Otto Frisingensis episcopus jam pridem recesserat ab exercitu qui regem sequebatur, et volebat per regiam viam transire Hierosolymam, et cum illo de exercitu ad xxx millia armatorum. Et his ergo paganorum exercitus supervenit, eosque pene omnes interemit.

§ XV.

Rex quoque Francorum Ludovicus cum uxore et multa ambitione sequestrati cum suo exercitu perexit, quousque Antiochiam civitatem pervenit. Ibi a principe civitatis honorifice est susceptus, et cum ibi aliquantis diebus quiesceret, sicut fertur, stuprata ejus uxore a principe civitatis, **384** ipse rex cum paucis vix evasit, et ad Conradum regem, qui tunc apud Accaron morabatur, pervenit, a quo benigne receptus, ac postea uxori ad se revertenti reconciliatus est.

§ XVI.

Post hæc Conradus rex cum multo exercitu Hierosolymam petiit, et a rege atque clero illius civitatis officiosissime susceptus est. Qui statim edixit expeditionem suam cum duobus regibus et eorum exercitibus contra Damascum, quam cum obsiderent, et jam expugnanda esset civitas, Dei milites, corrupti pecunia ab his qui intus erant, abduxerunt exercitum et abierunt inacti.

In hac profectione quidam de loco nostro profecti adhuc minime redierunt. Multi autem Christianorum qui a paganis captivi abducti fuerant, ab Armenis (*sic*) pretio redempti sunt et in patriam redire permissi.

§ XVII.

Igitur Conradus dux de Zaringin (974) designavit se cum aliis innumeris, quibus illud iter, de quo jam retulimus, laboriosum, visum est, ut et ipsi per Saxoniam pergerent contra illos paganos qui trans flumen Alba [Albis, Elb] dictum consistunt. Quo cum pervenissent, invenerunt terram inviam et valde aquosam, et paludibus plenam, habitatores vero illius terræ non simul commorantes, sed dispersos ita ut non facile inveniri possent. Exercitus ergo Christianorum, ignorantia locorum exhediatus, sine aliquo rerum effectu reversus est.

§ XVIII.

Per idem tempus cum Waltrammus (975) abbas apud Vishinum multa bona operatus esset, visum amisit, et ad monasterium nostrum reversus visum medicamento recepit, et in bona conversatione deinceps in congregatione permansit, ac demum beato fine quievit.

§ XIX.

Anno ab Incarnat. Dom. MCLVI, Gebino abbas apud Waginhusin (976) diutina infirmitate detentus... cum jam obiturus esset, convocata familia indulgentiam eis optavit, et ut ipsi sibi similiter facerent, rogavit...

§ XX.

385 Anno MCLIX, Burchardus de Husin obiit, et prædium suum quod apud Birihtlingin (977) habuit monasterio dereliquit.

§ XXI.

Anno MCLIX, venundatum est prædium quod monasterium habuerat in villa quæ dicitur Heiggou, (978) sexaginta talentis...

Eodem anno venale factum est prædium quod monasterium S. Georgii M., quod situm est in Nigra

(974) De hac expeditione adversus Slavos Obotritos et Luiticios legendum Chronicon Montis Sereni, et Albertus Stadensis ad an. 1147.

(975) Vid. supra l. IV, § 31.

(976) Supra l. IV, § 30.

(977) Forte Bichtlingen, in capitulo Mosskirch. In Necr. 20 Mart. prædium dicitur Birthilingen.

(978) Haidgau, in capitulo Wurzach.

Digitized by Google

Silva, habebat in villa Miminhusin dicta. Ergo quoniam nostrum monasterium in eadem villa prædium habebat, quod ei Geroldus bonæ memoriæ quondam dederat cum se ipso et aliis prædiis suis, Ruti scilicet, et Efkirchiswilare atque Niwiron, idcirco toto nisu nitebatur ut et hoc acquireret. Ea de re factum est ut tabula, quæ in principali altari S. Gregorii ex orientali latere contra chorum apposita erat, et erat auro et gemmis decentissime cooperta, auro nudaretur... Igitur hoc auro, quod de jam dicta tabula sumptum est, comparatum est prædium apud Miminhusin, quod habuerat illic monasterium S. Georgii. Insuper datum est pro eo prædium quod habuimus apud Asilheim (979), quod dederat quondam dux Bertolfus de Zaringin, frater Gebehardi episcopi III, pro hospitio violenter apud nos sumpto.

§ XXII. *De incendio monasterii.*

Igitur cum jam insuetato modo ab omni debito, quamvis cum grandi damno, absoluti essent, et tam locus quam monasterium optime excultum esset, accidit sicut scriptum est : « Ante ruinam exaltabitur cor (*Prov.* XIV, 12). » Erat quippe ædicula infirmariæ adhærens, in qua caminus, et juxta caminum ex utraque parte stramenta in quibus fratres recubabant... Ibi itaque pueri monasterii ignem incaute accendentes, ignis stramenta juxta posita invasit, et in momento totum pervasit monasterium, basilicam quoque S. Gregorii et omnia simul ædificia monasterii flamma consumpsit... (980) Sacristia tamen **386** et librorum repositorium vix reservata sunt cum his quæ intus erant. Erat enim videre miseriam. Dormitoria tam monachorum quam exteriorum fratrum consumpta sunt, et multi miserabiliter denudati. Habitaculum namque sororum, quod flamma non tetigit, statim tamen prorsus dissipatum est, et ipsæ usquequaque dispersæ. Sed et monachorum quidam, quacunque poterant, in monasteriis transmissi sunt. Actum anno ab Incarnat. Dom. MCLIX a primitus condito ipso monasterio CLXXVII, indict. VII, die secunda mensis Junii, hoc est IV Non. Junii, feria tertia sacratissimæ hebdomadæ Pentecostes...

§ XXIII.

Consumptis igitur pene omnibus quæ antiquitus sive noviter fuerant fabricata vel congregata, abbas Conradus et Herimannus prior consurgentes accinxerunt se viriliter ad restaurationem prædictarum rerum. Et adjuverunt eos reliqui fratres, alii quidem onera portando cum exsultatione, alii vero regiones circumeundo cum sanctorum reliquiis, et petendo tam divites quam pauperiores subsidium ad instaurationem incendio consumpti monasterii. Ex tali ergo collatione cœperunt ædificare primitus quidem habitacula abbatis, duas capellas unam super alteram, superiorem quidem in honore S. Martini et S. Oswaldi; inferiorem vero in honore S. Mariæ Magdalenæ, et S. Fidis virg. et mart. Dedicatio S. Fidis perseveravit sicut prius erat X Kal. Dec., quoniam illud altare integrum repertum est, et ibi agebantur divina officia.

§ XXIV.

Ædificabant quoque duo refectoria, unum super alterum, et coquinam, et cellarium, et torcular, calefactorium quoque et infirmariam, et capellam S. Mariæ, capitulum quoque atque dormitorium. Ad hoc itaque combusserunt calcem magno sumpto juxta Tettingin in silva, et magnum liquamen magnarum trabium et aliorum lignorum conciderunt in silva juxta Brigantium, quod adduxerunt plusquam quinquaginta remiges per latum stagnum usque ad nos. Monasteria quoque alia miserunt cum bona voluntate sua dona, Hirsaugienses quidem pallium bonum et carrada vini, de cella S. Petri (981) unum calicem, Zwivaldenses unam casulam et albam atque stolam, alii vero alia munuscula, quæ omnia Deo sint accepta.

387 Anno ab Incarnatione Domini MCLXI, indict. IX, die VI Idus Dec., dedicata est capella S. Mariæ juxta infirmariam a venerabili Herimanno Constant. episcopo, patrante abbate Conrado...

Eadem die dedicavit idem episcopus Herimannus capellam S. Martini, et recondidit illic reliquias quæ et antea ibi fuerant. Ab hoc die egerunt divina officia in supradicta capella S. Mariæ. Ad hæc ædificia expensum est omne aurum quod superfuerat emptioni prædii apud Miminhusin.

INCIPIT LIBER SEXTUS.

§ I.

... Sed et ante, hoc est, anno Dom. Incarnat. MCLX Herimannus Constantiensis episcopus dedicavit capellam S. Joannis Baptistæ in cœmeterio, VII Kal. Jan...

§ II. *Instauratio ecclesiæ.*

Anno ab Incarnat. Dom. MCLXII, indict. X, die XVII Kalend. Junii, regnante Friderico imperatore, præsidente Constantiensi Ecclesiæ Herimanno episcopo, sub abbate Conrado, in vigilia Ascensionis Domini, locatum est primum fundamentum novæ structuræ ecclesiæ Gregorii papæ in loco S. Gebehardi episcopi fundatoris primi ejusdem ecclesiæ, et positum est limen ostii, quod vergit in claustrum, ex occidentali parte, tertio anno postquam incensum est idem monasterium.

Eo tempore Romana Ecclesia destituta erat certo rectore, quia duo eam sibi usurpabant, hoc est,

(979) Assenheim, in capitulo Villingen.

(980) De hoc incendio et monasterii restauratione agit notitia dedicationis novæ basilicæ Petershusii apud Gerbert, Hist. Nigræ Silvæ, t. III, p. 118.

(981) In Nigra Silva.

Digitized by Google

Alexander et Victor; imperator favebat Victori, Alexandro orientales ecclesiæ (982).

§ III.

Per idem tempus Fridericus imperator Mediolanensem civitatem obsederat, jamque cives ejus magna vis famis ad deditionem coegerat. Itaque per **388** hujus civitatis excidium, quia inter omnes civitates Italiæ potentissima erat, timore correptæ, omnes civitates quæ antea repugnaverant, infinitas pecunias imperatori pro gratia ejus deferebant. Ex his ergo et ex aliis quas antea et postea quacunque conditione acquisierat, deliberavit decimas dari monasteriis in eleemosynam tam per Italiam quam Theutonicam. Hac de causa etiam nobis tunc quinque marcas direxit. Dehinc paulatim de die in diem basilica S. Gregorii exstruendo reformatur, Wezilone quodam de Constantia ex clerico opifice.

Per idem tempus resolutum est prædiolum, apud Liutprehtisruti (983) sex talentis, quod dederat Ruodigerus cum manu filii sui Egilwardi, et domini sui Conradi advocati de Sancto monte.

§ IV.

Eodem anno, hoc est MCLXII, imperator Fridericus rediens de subversione Mediolanensis civitatis, habuit colloquium apud civitatem quæ vocatur Tula (984), item aliud Ulmæ, tertium quoque Constantiæ. Tuncque iterum nobis dedit quinque libras argenti. Alias quoque quinque dedit nobis Heinricus dux de Saxonia, qui et tunc se separavit ab uxore sua. Ipso anno dedit nobis Heinricus de Niwiron prædiolum quod habuit apud Mose.....

§ V.

... Conradus abbas fratrem suum de Vrisberc (985) subtraxerat, ubi primitus habitum commutaverat, et ob hæc atque propter alias noxas ejectus est de prioratu, ac cum postea factus esset abbas apud Fischinum, post **389** modicum etiam inde recessit, et multa monasteria in Bajoaria pervagatus est, ac postremo apud Brigantium abbas constitutus est...

§ VI.

Antequam factus esset Conradus abbas, manu sua scripsit Hexameron Ambrosii, atque auro et argento operuit brachium S. Philippi apostoli. Postquam autem factus est abbas, multa præclara opera fecit, quæ tamen ignis consumpsit. Postea tamen instituit quantum potuit pro restaurandis ædificiis et aliis utensilibus. Aliqua quoque prædiola apud Niuheim a libertis tributariis comparavit, ex quibus tam suum quam prædecessoris sui Theodorici abbatis, sui nepotis (986), anniversarium celebrari constituit: et in suo quidem anniversario, qui est.... (987), decem solidos, in nepotis vero sui tres solidos expendi decrevit. Sub ejus tempore et auxilio renovatæ sunt ecclesiæ et dedicatæ, et oratoria ædificata apud Eychstettin et apud Epfindorf, apud Obirwangin quoque et apud Miminhusin, sed et apud Neuheim et apud Rinhart. Duo quoque thuribula de aurichalco et aliquos codices, sed et ædiculam in novissimis ad reponendos libros patravit.

§ VII.

Anno igitur ab Incarnat. Dom. MCLXIV, mense Junio, cœpit abbas Conradus infirmari, et cum nec adhibita medicina, nec aliqua causa ei adhibita posset proficere, et jamjamque, quamvis invitus, cœpisset desperare, dedit nobis unam stolam satis bonam, et redemit unum gemmatum et deauratum calicem, quem olim vendiderat. Advocavit quoque episcopum, cui familiaris fuerat, et alios quosque optimos, et cum eis, ut credo, causam suam accurate locutus est; et migravit anno ordinationis tricesimo septimo, die IV Kal. Julii, et ipso die honorifice sepultus est juxta ostium basilicæ in claustro... (988).

INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

§ I.

390 Anno ab Incarnatione Domini MCLXIV, die Dominico, id est 14 Kal. Junii (989), convenerunt fratres communiter, et libera electione, nullo alieno interessente, elegerunt Gebehardum virum idoneum et irreprehensibilem, et constituerunt sibi abbatem

(982) Vid. Radevicus de gestis Friderici imp. l. II, c. 50, seqq.

(983) Lipperatsreuthe in capitulo Lintzgeu, a quo loco adeo nobilis familia nomen habuisse videtur.

(984) Teste Ottone Frisingensi, l. II, c. 26, Fridericus imp. ab expeditione Italica per Tridentum et Bajoariam rediit in Germaniam, ut adeo Tula in illis partibus quærenda sit. Videtur autem esse Tuln seu Tulna inferioris Austriæ oppidum, ubi etiam Otto II an. 983 conventum habuit. Juxta Chronicon Urspergense et Weingartense (Hess. *Mon. Guelph.* p. 49) colloquium Constantiense circa festum S. Clementis 23 Nov. fuit habitum, ubi factum est divortium Heinrici Leonis, Bavariæ et Saxoniæ ducis, a Clementia, Conradi Zaringensis ducis filia, ob sanguinis propinquitatem (*Origin. Guelfic.* tom. III, pag. 182).

(985) Videtur hic indicari cœnobium Friensperg seu Aurora ord. Cisterc., in ditione Bernensi (*Gall. Christ* tom. V, pag. 938) : quo vero nomine venerit iste Conradi abbatis germanus, ex cit. Gall. Christ. erui nequit; in neutro enim cœnobio hic assignato cognomines abbates circa hæc tempora reperiuntur.

(986) De hac consanguinitate aliunde non constat. Theoderico patrem fuisse Cunonem comitem, supra lib. III, § 4, vidimus, incertum cujus familiæ, quamvis Bucelinus in Chronol. Constant. ad an. 1111 Kyburgensem assignet. Conradi abbatis pater Hesso vocatur in Necrologio 21 April.

(987) Ex omisso hic obitus die, supra in præfatione scriptorem ante Conradum vita functum conjectati sumus. Supplendus autem hic est dies IV Kal. Jul., prout mox infra, et in Necrologio Petershusano.

(988) Exinde corrigendus est abbatum catalogus apud Bruschium, qui Gebhardum jam an. 1059 abbatem statuit.

(989) Hæc temporis nota fallit, neque enim dies 18 Jun. in Dominicam incidebat hoc anno, neque Conradus tum jam obierat. Unde ponendum videtur III Non. seu 5 dies Julii, quæ unica fuit Dominica a morte Conradi usque ad XI Julii, qua ordinatus est Gebehardus.

Digitized by Google

canonice et regulariter cum magna libertate. Episcopus quoque Heremannus ordinavit eum cum maximo honore in Translatione S. Benedicti, astantibus et faventibus cum omni alacritate omnibus canonicis Constant. ecclesiæ cum multa plebe. Factum est ergo magnum gaudium, laus et tripudium in illa de de tali consensu fratrum, quia eo tempore in aliis monasteriis magna disceptatio inter plerosque versabatur; et ideo magnopere nobis congratulatur, quod nullus omnino ex nobis nec major nec minor a cæteris discrepabat.

§ II.

Anno ab incarnat. Dom. MCLXIII Rudolphus monachus noster presbyter ex collatione fidelium suo rogatu aliquantulum pecuniæ ad opus monasterii contulit, et etiam brachium unius militis ex legione Thebæorum martyrum, sociorum S. Mauritii, auro et argento atque lapidibus decoravit. Hoc itaque brachium contulit monasterio nostro Heremannus senior de Hirzisegge (990), quod quidem ipse acquisierat a quodam præposito noto sibi Agaunensis loci, quando ipse de Italia pergens eumdem locum pertransivit. Isdem Rudolphus tunc temporis redemit etiam calicem bonum, quem Conradus abbas jam dudum vendiderat.

Anno MCLXIV Conradus abbas melioravit rotam S. Gregorii, et Otto presbyter brachium S. Philippi apostoli, ubi confractum fuerat, instauravit.

§ III.

Nec adhuc de memoria dilecti abbatis Conradi cessabo, sed quædam de ejus industria memoriæ tradam. Erat enim peritus metricæ et **391** musicæ artium, optimi ingenii, serena voce, affabilis colloquio, veneranda canitie, modestus moribus et verbis. Multa ædificaverat præclara quæ ignis consumpserat.

§ IV.

Eo tempore Rudolphus comes de Rammisberch (991) emit a Conrado de Sancto monte castellum, quod vocatur Rinegge, quod ille habuerat in beneficium a Constantiensi Ecclesia. Cumque hoc idem castellum incoleret, ibique maneret, cognovit quod monasterium S. Gregorii, quod Petrishusin vocatur, ibi in proximo possessionem haberet quæ sibi valde opportuna esset; et cœpit agere cum abbate Conrado, quatenus eadem possessio, quæ vocatur Rinisgimunde, sibi pro pecunia concederetur usque ad finem vitæ suæ, ut ibi peculia enutriret et exinde pabula et pascua habere potuisset, postque mortem ipsius tam ipsam possessionem, quam omnia quæ tunc inibi invenirentur, absque ulla contradictione ex integro reciperet. Hæc omnia tandiu importuna exactione et multimoda promissione exegit, quousque supradictum abbatem sibi et fratres consentire persuasit, et decem quidem talenta se daturum spopondit, eorumque aliquam partem dedit, aliquam vero adhuc retinuit, possessionem vero apud Rinisgimunde sibi contiguam in suam potestatem contraxit. Super his omnibus ergo tale privilegium conscribi fecit, idque suo sigillo obfirmavit.

In nomine sanctæ Trinitatis, Patris videlicet et Filii et Spiritus sancti.

Ego Rudolphus comes de Rammisberch notum facio omnibus scire volentibus, tam præsentibus quam et futuris, qualiter ego, divina favente providentia, cœpi agere cum abbate Conrado et fratribus ejusdem monasterii S. Gregorii papæ, quod dicitur Petrishusin, ut mihi concederent tale prædium quale visum est idem monasterium habere in loco qui dicitur Rinisgimunde; quia eadem possessio mihi vicina est et opportuna ad alenda pecora, et homines mei non valebant devitare quin nocerent eis; et hoc mihi visum est melius, ut ego Rudolphus darem abbati Conrado **392** de Petrishusin et fratribus ejusdem monasterii decem talenta, et ipsi mihi concederent jam dictum prædium apud Rinisgimunde; ea conditione ut ipsi, ob memoriam et confirmationem hujus pacti, anniversarium matris meæ Adelheide cum fratribus suis annotarent et celebrarent, et ego ipsa die de meo facerem propinare vinum fratribus singulis annis, quoad viverem, et hoc pro tributo et memoria præsentis conditionis. Post obitum autem meum nullus omnino hæredum meorum qualemcunque potestatem habeat in eadem possessione, vel in omnibus quæ tunc inventa fuerint in ea, tam in pecudibus quam in aliis suppellectilibus vel in qualicunque substantia; sed abbas qui tunc fuerit præsidens monasterio Petrishusensi, et fratres ejusdem loci, ex integro totum absque ulla contradictione possideant, pro remedio animæ meæ et matris meæ et omnium parentum meorum. Et ego Rudolphus testamentum istud conscribi præcepi; ea scilicet ratione ut nullus ex hæredibus meis hoc factum meum infringere, vel prædictos fratres in prædio isto inquietare audeat post obitum meum. Actum anno Incarnat. Dom. MCLXIII, regnante Friderico imperatore, Herimanno Constant. episcopo, sub abbate Conrado. Et ego Gebehardus presbyter scripsi hoc privilegium anno primo Gebehardi abbatis. Testes hujus actionis uxor mea Elisabeth et frater meus Arnoldus, Rudolphus de Gutingin (992), Adilbertus comes (993), Rupertus de Turingin, Adilbertus presbyter de Tale, Diemo de Bri-

(990) Vid. lib. II, § 17.

(991) Rudolphus comes de Ramesberg inter testes subscripsit in gemino diplomate Conradi III imp. an. 1141 et 1142 apud Herrgott tom. II, pag. 166 et 168; item in alio Friderici I, an. 1155, etc. Apud Crusium p. III, lib. V, c. 5, ad an. 1359 adhuc notatur alius Rudolphus de Ramsberg.

(992) Gutingen olim Turgoviæ castrum, a quo nomen habuit nobilis familia, ex qua Heinricus nobilis senior de Gutingen chartam dedit an. 1257 (Herrgott N. 414). In Necrol. 10 Maii occurrit Diethalmus de Gittingen, haud dubie ejusdem familiæ.

(993) Num hic forte Adelbertus comes in Winterthur et Kiburg, de quo l. I, § 8.

Digitized by Google

gantia, Arnold de Criessa, Bertoldus de Lustinowa (994), et alii multi.

§ V.

Et erat apud Constantiam civitatem matrona quædam, nomine Mathilda, habens apud nos filium, nomine Heinricum presbyterum bene litteratum, sed heu! diu nimis ægrotantem. Hæc ergo pro amore ejusdem filii sui Heinrici diverso modo persolvit nobis quadraginta talenta sub tali conditione ut filius ejus Heinricus usum fructuarium acciperet de curti quæ vocatur Ouwingin, quatenus inde haberet necessaria quæ non posset habere de communi annona, et hoc ad subsidium, quæ infirmitatis (995) **393** absque diminutione indubitanter haberet, quandiu in hac vita maneret. Hæc omnia firmissimo pacto confirmata sunt in præsentia Gebehardi abbatis et fratrum ejusdem monasterii, sub tali conclusione et confirmatione ut, quando obirent, utrorumque anniversarius in suo tempore cum officio defunctorum memoriter celebraretur, et fratribus sive omni congregationi ea die de eodem prædio charitative atque pleniter ministraretur. Ipsa tamen Mathilda post paucos dies eodem anno III Idus Aprilis (996) de hac vita migravit, nobisque iterum quinque libras argenti donavit, seque apud nos sepeliri rogavit, quod et factum est cum magno honore. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini MCLXIV, regnante Friderico imperatore, Herimanno episcopo præsidente Constant. Ecclesiæ, sub abbate Gebehardo feliciter. Amen.

§ VI.

Anno MCLXX multæ calamitates oppresserunt monasterium S. Gregorii, de quibus me tædet amplius aliquid ulterius dicere. Abbas quippe Gebehardus depositus est (997), et locus iste graviter oppressus est et spoliatus.

Anno MCLXXIII locata sunt fundamenta ecclesiæ S. Gregorii ab orientali parte. Anno MCCII episcopus Herbipolensis occiditur (998).

Anno MCCIII Philippus (999) exercitum contra Landtgravium movit. Amen.

EXPLICIT CHRONICON PETERSHUSANUM.

(994) Lustinova seu Lustenova, curtis olim regia, in pago Ringowe prope Rhenum, notatur in charta an. 891, apud Herrgott N. 93.

(995) Leg. *infirmatus*, vel *tempore infirmitatis*.

(996) Hæc in præsentia Gebehardi gesta mense Aprili ad an. 1165 referenda sunt. Cum hic eo mense an. 1164 necdum abbas fuerit.

(997) Hæc consistere nequeunt cum charta Hermanni Constant. episcopi an. 1183 (*Hist. Nigræ Silvæ* tom. III, pag. 108), ubi inter Tiepertum S. Blasii et Gebehardum Petrishusensem abbates controversia fuisse dicitur. Theopertus autem primum an. 1174 abbas factus est. Unde Gebhardus necdum an. 1170 depositus est, aut postea iterum restitutus.

(998) Nempe Conradus I.

(999) Suevus scilicet, Cæsar electus.

HERMANNI CONTRACTI

MONACHI AUGIENSIS

DE MENSURA ASTROLABII

LIBER.

(Apud R. P. Bernardum Pezium, *Thesaurus Anecdotorum*, tom. III, parte II, pag. 94, ex cod. ms. inclyti monasterii ad S. Petrum Salisburg. ord. S. Ben. eruto ab adm. R. et cl. D. P. Placido Bökn, ejusdem loci asceta.

R. P. BERNARDI PEZZI MONITUM.

. . . Porro ad Hermanni præsentes *De mensura et utilitate Astrolabii libros*, quos ex bibliothecæ Petrensis codice membraneo, a sexcentis annis exarato, nunc primum typis commendamus, quod attinet, ii ipsi sunt qui tantam ei existimationem pepererunt, ut a multis, inter quos, teste Possevino Apparat. sac. t. I, pag. 737, sunt Durandus De divinis officiis lib. IV, c. 22, et Antonius Demochares De sacrificio missæ t. IV, c. 15, auctor ipsius Astrolabii fuisse sit existimatus. Cæterum distributio et partitio libellorum de Astrolabii ratione ab Hermanno conditorum non nihil in codice Petrensi perturbata est, vitio, ut existimamus, librarii, qui posteriores duos *De utilitate Astrolabii libellos* secundum et tertium universi et perpetui cujusdam operis librum esse arbitratus est, quod satis probat titulus libri primi, cum tamen unus unicus *De mensura Astrolabii* liber Hermanni sit. Neque enim Trithemio lib. De script. eccles., cap. 321, fides habenda est, ubi ait: Hermannum *De compositione Astrolabii libros III* scripsisse, ac iterum I *De utilitate Astrolabii*, ex quibus tres priores incipiant: *In metienda igitur sub*. Et posterior unicus: *Quicunque astronomicæ*. Quæ quam male inter se cohærent vel inspecta nostra editione nemini non patebit. Ergo, ut omnis deinceps confusio quæ in scriptis Hermanni de Astrolabio admissa est, evitetur, sic accipe. Primo edidit Hermannus *librum unum De mensura Astrolabii*, quem Trithemius *De compositione Astrolabii* inscri-

Digitized by Google

psit, quemque hic una cum præfatione a col. 381 usque ad 390 excusum habes. Nec hunc librum priorem esse aliquo altero ejusdem generis ac ordinis, manifestum est ex his verbis Hermanni, quibus eumdem concludit : *Quas autem quantasve utilitates omnes prætaxatæ habeant mensurationes, libellum Astrolapsus legenti, et ingenium in hujusmodi rerum usu exercitanti alias debet notificari.*

Secundo scripsit Hermannus *De utilitatibus Astrolabii libros II*, quos Trithemius sub eadem inscriptione loco citato recenset, etsi non nisi *unum* esse dicat, quocirca viro docto litem non movebimus. Certe ex mox adductis ipsius Hermanni ex libro *De mensura Astrolabii* verbis vix aliud concludas. Non enim ad *libellos*, sed *libellum Astrolapsus*, id est *De utilitatibus Astrolabii*, lectorem suum remittit. Nec nos aliam partitionem instituissemus, nisi codex Petrensis eam nobis mentem injecisset. Cum enim ea quæ caput 21 consequuntur, cum præcedentibus nulla ratione cohærerent ; in codice tamen eadem omnia manu exarata et conjuncta essent, integrum nobis esse non putavimus ea sine titulo novi libri exhibere, sive ea etiam Hermanni sive cujuscunque alterius essent. Qua de re forte melius alii censebunt, in quorum manus plura Hermannianni operis manu exarata exempla incident. Nobis in re obscura et perplexa id sectandum videbatur quod planius et clarius esset. Nam verba Hermanni admodum obstant. Potuit enim sub finem libri *De mensura Astrolabii* propositum habere non nisi unum libellum Astrolapsus condendi, quem tamen postea increscente materia aut aliis ex causis altero adauxerit, quod frequenter auctoribus accidit. Forte libelli hujus secundi epilogus certiora nos docuisset, nisi a codice, nescimus ; quo casu, avulsus fuisset.

HERMANNI PRÆFATIO IN LIBRUM DE MENSURA ASTROLABII.

Hermannus Christi pauperum peripsima, et philosophiæ tironum, asello, imo limace, tardior assecla, B. suo jugem in Domino salutem.

Cum a plurimis sæpe amicis rogarer ut mensuram astrolabii, quæ apud nostrates confusa et ideo obscura et passim mutilata invenitur, lucidius pleniusque scribere tentarem, idque hactenus tum propter inscientiam, tum etiam propter pedissequam heu! mihi familiarem desidiam subterfugerem, tandem a tui potissimum instantia perpulsus, prout inertia desidiaque permittente potui, diu seposito more mendacium fabrorum operi cunctabundam deses manum applicui, non lepori, non eleganti verborum compositioni, sed intricatæ rei studens explicationi. In qua re si quid indocta obsequentis peccavit temeritas, benigna jubentium amicorum indulgeat charitas, totumque suo potius delictum ascribat studio, quæ imbecilli tam grave non pepercit onus imponere dorso.

Tu igitur, tu anime mi, utcunque alii ferant hæc mea scripta legentes, gratanter, ut amicum decet, quomodocunque descriptam simplicem præfati instrumenti accipe mensuram ; ut, si te postmodum de ejus ratione aliqua cognovero permovere, ea tecum alacris, suppetente alias otio, pro posse studeam vestigare.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo circuli æquinoctialis, colurorum solstitiorumque in astrolabio inveniendi sint.

In metienda igitur subtilissimæ inventionis Ptolomæi *Walzachora*, id est, plana sphæra, quam *Astrolabium* vocitamus, tres primum circulos invenire debemus, quorum medium qui *æquinoctialis* cœlestis (protenditur enim per Libram et Arietem) vicem et nomen obtinet juxta quantitatem tabulæ, ne maximum duntaxat præpediat, ad libitum moderari convenit : quem centro *a* diligenter circumscriptum in quatuor æqua partiaris punctis *b c d e*, et sit *b* orientale punctum a sinistris ; *c* huic oppositum a dextris occidentale ; *d* inferius septentrionale ; *e* superius meridianum.

Dehinc, apposita regula, per *b a c* punota lineam C rectam a fine ad finem tabulæ perducito, id est, ab Oriente in Occidentem : itemque per *d a e*, id est, a Septentrione in Meridiem, alteram lineam. Quas videlicet lineas quadrifarie circulum dividentes Arabes *Alcotan* nominant ; nos, *Colu*ros.

His lineis itaque positis unumquemque circuli quadrantem in 90 æquas partes divide, et ex his 24 ex utroque latere *c*, versus *d* scilicet et *e*, debes accipere. Sed ut hoc facilius fiat, quadrantes singulos in tria divide, ut scilicet unaquæque tertia 30 partes capiat ; et duas tertias *c* contiguas in 5 singulas partire, unamquamque quinarum partium 16 de 90 partibus subintelligens claudere.

Ex his quinque partibus, 4 utrinque circa *c* secerne, et punctis superius *f*, inferius *g* inscribe. Sicque inter *c* et *f*, itemque inter *c* et *g*, 24 partes de 90 inclusas noveris esse. Postea in puncta *e* et *f*, vel, si mavis, *d* et *g*, posita regula, vide in quo loco lineam, ab oriente in occidentem per *b a c* ductam, extra circulum tangat, ibique nota *b* impressa, circini pedes in *a* et *h* figito, et latiorem *solstitii hiemalis* circulum centro *a*, et intervallo *h* circumducito. Item in puncta *e* et *g*, sive *d* et *f*, regulam pones, et ubi lineam prædictam *b a c* tangit, notam *i* infigens, nihilominus, fixo in *a* et a circino, minimum *æstivi solstitii* circulum centro *a* circinato.

CAPUT II.

De almucantarath.

His circulis ita inventis, quodcunque clima constituere velis, ejus climatis altitudinis quot sint gradus vide, utpote primi climatis 15, secundi 23, tertii 30, quarti 36, quinti 41, sexti 45, septimi 48. Et tot partes de 90, a *c* versus *e*, secerne ; itemque

Digitized by Google

ab opposito a *b* versus punctum *d* totidem ; verbi gratia, si nostrum, id est septimum clima volueris metiri, sume a *c* versus *e* 48 partes de 90, superiores videlicet 24, per quas circulos inveneras, duplicatas, easque nota *k* finito. Item a *b* versus *d*, tantumdem, id est 48 partes nota *l* secernito, ut videlicet integra circuli medietas a *k* ad *d l* inveniatur. Postea hemicyclum a *k* per *e* et *b* ad *d l* usque ad *l*, in 6 partire, et unamquamque sextam in 6 itidem impressis punctis partire, et hoc facto habetis a *k* usque ad *l* intervalla 36, singula quinas partes de 360 totius circuli partibus complectentia.

Deinde regulam in *c* et *k* puncta ponens, vide in quo loco tangat lineam meridianam per *d a e* longe extra circulos in alia tabula, supra quam walzachora metienda ponitur, prolongatam, ibique notam scribe *m*, sicque, non mota hinc, id est de *c* puncto regula, ad singula per ordinem, quo a *k* ad *l* feceras puncta, eamdem regulam ponito, et ad singulas positiones præfatam *d a e* lineam, ut a regula tangatur, notato, donec tricies et sexies ipsa linea notata in *c* et *l* puncta regulam ponas, et, ut sæpe dictam regulam tangat, trigesimum sextum signum, id est *n*, facias. Quo facto spatium lineæ, quod inter *m* et *n* continetur, accepto circino in duo divide, et in medietate centro fixo hemicyclum, quem Almucantarath Arabes vocant, inter tres circulos per *b n c* inflecte. Item spatium lineæ, quod inter proximum signum ab *m* et proximum ab *n* complectitur, in duo divides, et, centrum in medio figens, alterum itidem hemicyclum curvabis. Eodem modo spatii lineæ inter tertium ab *m*, et tertium ab *n* signum inventa medietate, tertium hemicyclum debes incurvare; sicque ordinatim per singula ejusdem lineæ signa interius utrinque progrediens, spatiumque quod inter ipsa continetur in duo dividens, nunc semiplenos, nunc integros circulos circinabis, donec, ad medium signorum perveniens, octodecim orbiculorum Almucantarath consummabis ; sicque ab *n*, id est a primo almucantarath usque ad medii orbiculi centrum, 90 gradus computantur, per singula scilicet campilogrammorum intervalla quinis gradibus enumeratis.

Ab ipso vero *n* usque ad medium centrum *a* tot gradus in unoquoque climate reperis, quot gradus habet altitudo ipsius climatis quod mensurabis, utpote in septimo, cujus nunc mensuræ exemplar expressi, 48. In primo autem climate 15 sic invenies : divide quadrantem in tres partes et tertiam partem in duas. Tunc utraque pars continet in se 15 gradus. In secundo autem climate 24 ita reperies : divide quadrantes in tres partes, et postea tertiam partem ex almagrip in 5 divide, et continebit unaquæque pars senarium. Postea quintam partem ex almagrip semocriorem, videlicet senarium auferes, et remanebunt 24. In tertio vero climate 30 ita reperies : Quadrantem scilicet 90 a *c* in tres divides, et erit unaquæque pars 30. In quarto autem climate 36 taliter reperies : iterum quadrantem, id est 90, in tres divides, et erit unaquæque pars 30; postea duas partes, id est 60 in 5 divides, et erit unaquæque pars 12 ; deinde duas partes, id est 24 auferes, et tunc 36 remanebunt.

In quinto autem 40 ita reperies : eumdem quadrantem in tres divides, et postea duas, id est 60 in sex, et erit unaquæque denarius. Tunc duas auferes partes, id est 20, et remanebunt 40. In sexto denique 45 taliter invenies : eumdem quadrantem per medium divides, et unaquæque pars erit 45, nam bis 45 90 faciunt. De septimo climate superius jam dictum est.

CAPUT III

De lineis horarum inveniendis.

Hoc modo perfectis almucantarath campilogrammis, spatium trium primitus dictorum circulorum, quod infra primum almucantarath ex parte scilicet *d*, id est septentrionali, remanet, 12 horarum locationi æqualiter distribui hoc modo debet. Initio ab ipso almucantarath a parte *c* sumpto, spatium cujusque trium circulorum usque ad lineam *d a e*, sex antemeridianis horis æqualiter dispertire. Similiter, ab ipsa *d a e* linea usque ad almucantarath ex parte *b*, sena in singulis circulis metiens intervalla, postmeridianis horis deputabis.

Postea accepti circini unum pedem tali in loco figere debes, ut alter tria puncta, primæ horæ limitem in singulis scilicet circulis signantia, possit attingere, et ita circinando finalem primæ horæ lineam inter ipsos tres circulos curvabis, eodemque modo per singulas horas faciens nunc contrahendo, nunc dilatando, in diversisque locis circinum, prout punctorum positio poscit, figendo, singularum horarum finales lineas circinabis ; sicque singulis horis nascentur intervalla ad interiorem quidem circulum contractiora, ad exteriorem vero latiora, quæ videlicet ipsa septentrionalis *d a e* in medio limitat linea. Talibus ita mensuris et perigraphiis quaternas 7 scilicet climatum tabulas insignito.

CAPUT IV.

Descriptio Alhancabuth.

Deinde volvellum, seu rete, quod Arabes *Alhancabuth* nominant, crebra percussione perforatum, hoc modo erit metiendum. Descriptis primo in tabula ejus aliquantum spissiore, quam sint subpositæ rotulæ aliæ, quæ tres sunt numero, tribus circulis ejusdem quantitatis, cujus et supra æquinoctiali videlicet, hiemali atque æstivo solstitialibus, eodemque modo cum lineis rectis, quas Coluros dixi, in quatuor æqua, ut supra, divisis, Colurum unum versus meridiem a septentrione directum, a puncto ubi æstivum minimus in fine secat, usque ad punctum ubi ex opposito maximo jungitur hiemali circulo, in duo divide, et centro in medio fixo *zodiacum* circulum, in quo tota hujus artis consistit efficacitas, ita circumscribe ut minimum totum infra se continens circulum ex una ei conjungatur, ex oppo-

Digitized by Google

sita per diametrum parte maximo adunetur, mediumque circulum altrinsecus simul et alium colurum ad singula puncta intersecet, atque per ipsius coluri lineam in bina hemisphæria, sed non æqualiter dividatur; ipsi quoque congruam latitudinem, in qua nomina duodecim signorum, et quarumdam stellarum inscribi possint, ad libitum tribue. Spatia vero et loca ipsorum duodecim signorum hoc modo.

CAPUT V.

De spatiis signorum inveniendis.

Maximum tertium circulorum in 12 partire, unumquemque scilicet quadrantem in tria. Dehinc regulam rectam ad singulas 12 partes, et ad trium circulorum centrum ponito, et Zodiacum, quem feceras circulum, ubi ad singulas positiones a regula tangitur, lineis secato, et ita 12 in eo spatia, sed non æqualia efficiens in minoris hemisphærii senis spatiis sena signa ab Ariete usque Libram contra mundum a dextera scilicet in sinistram ordinato. In majoris quoque totidem spatiis alia totidem a Libra usque ad Arietem signa. Sicque ab æquinoctiali circulo usque ad æstivum Aries, Taurus, Gemini protenduntur; indeque rursum ad æquinoctialem Cancer cum Leone et Virgine reclinantur. Porro inde ad hiemalem Libra, Scorpius Sagittariusque devergunt; et inde itidem ad æquinoctialem Capricornus cum Aquario et Piscibus resurgunt. In confinio quoque Sagittarii et Capricorni quidam prominet denticulus *Almeri* Arabice, id est, *calculator* vocitatus.

Ad partes vero sive gradus ipsorum signorum in declivo ejusdem zodiaci latere discernendos præfatas 12 maximi circuli partes in 6, item singulas partes partire, et ad singulas partitiones ipsas, atque ad trium circulorum centrum regulam, ubi supra, ponens, et zodiacum circulum, ubi a regula tangitur, signans in singulis 12 signis sena, in toto vero zodiaco 72 efficies intervalla, singula quinos de 360 totius circuli gradibus complectentia.

CAPUT VI.

De positione stellarum.

Hoc modo zodiaco perfecto acutos claviculos sparsim certis in locis in Alhancabuth fixos, quorum acumina clarissimarum quarumdam stellarum vicem tenent, hac ratione ponendos docent astronomici. Quamcunque ergo stellam in eo locare volueris, prius, in pagina subscripta, contra quem gradum cujuscunque 12 signorum eadem poni debeat, vide; et in eumdem gradum atque in trium cœlorum centrum regulam ponens, mediam ejusdem denticuli seu stellæ lineam dirige, postquam ab eo gradu quo maximus a regula circulus tangitur, tot gradus in eodem maximo circulo, qui in 360 divisus est, iterumque numera quot eidem stellæ in eadem ascriptos videris pagina, et ubi numerus ipse utrinque finitur, ibi altrinsecus regulam pone, atque ubi stellæ linea a regula tangitur, ibi acumen porrectionis ejus abscidatur: V. G. *Alramech* in zona Bootis fixam posita in vicesimo quarto gradu Libræ, et in centro trium circulorum regula lineabis, et ab eo gradu in maximo circulo 65 gradus utrinque numerans, ubi ipse numerus terminatur, apposita regula acumen *Alramech* juxta eam finem sortiatur.

Eodem modo, juxta numeros in ipsa pagina singulis stellis ascriptos, post Alramech in ipso zodiaco *Elfeca album*, *Althahir*, *Delfin*, *Zulferaz* locentur. In parvulo circulo circa centrum ad hoc juxta placitum circumducto *Benenaz*, *Wega*, *Alrif*, *Algol*, *Albuzoch*, *Egregez* et *Alrucuba* ordinentur. In parte vero æquinoctiali circuli a regione Tauri usque ad Virginem, ad hoc nihilominus relicta *Aldebaram*, *Algeuze*, *Algomeiza*, *Aldiraan et Culladarazeda* statuantur.

In maximo autem hiemali circulo, qui ad hunc itidem usum ab Aquario usque ad Sagittarium in extremis volvelli terminis relinquitur, *Denebalgedi*, *Benebcaitox*, *Patancaitox*, *Rigel*, *Alhabor*, *Alhurab*, *Alchimech* et *Calbalagrah*, quamvis non adeo utiles, utpote in Austro juxta horizontem dimerse ponantur, ut præfata pagina subter ascripta docet.

24.	65.	Libra.	Alramech.	
16 vel 15	71.	Scorpius.	Elfeca vel Mimir.	
24.	57.	Sagittarius.	Alhaum.	
14.	54.	Scorpius.	Aliahir vel Abiatra.	
25.	59.	Capricornus.	Delphin.	In cauda Capricorni.
20.	65.	Aquarius.	Alferat.	In Pegaso.
12 vel 18.	21.	Taurus.	Alhadip.	In Telo.
29.	73.	Capricornus.	Alrif.	In Cygno.
1.	72.	Capricornus.	Wega.	In Lyra,
18.	74.	Libra.	Benenaz.	In Temone.
25.	14.	Scorpius.	Calbalagrat.	In Scorpione
8.	39.	Libra.	Alchimech.	
18.	61.	Virgo.	Algurali.	
2.	36.	Cancer.	Alhabor Mangamal.	In Piscibus.
8 vel 13.	39.	Gemini.	Rigel Alicime, cillancol.	In Libra.
21 vel 20.	6 vel 35.	Aries.	Pammcator.	
20.	36.	Pisces.	Denepcaitox.	In Piscibus.
8.	19 vel 35.	Aquarius.	Lididenopi vel Denebalgidi.	In Capricorno.
27 vel 26.	69 vel 61.	Taurus.	Anabagedi vel Aldebaran.	
18.	55.	Gemini.	Malenxe vel Algenxe.	
17 vel 12.	56.	Cancer.	Malerixe.	
6.	52.	Leo.	Algoze vel Algomeiza.	
18.	61.	Leo,	Aldiran.	In Leone.
10.	71.	Taurus.	Caldata. Zedapes.	In Leone.

Digitized by Google

3.	74.	Gemini.	Algon.	Pes dextri Sagittatoris.
19.	66 vel 5.	Leo.	Halhazhoch.	Sinister humerus Sagittatoris.
20.	72.	Cancer.	Alrucuba.	Egregez.

Hoc modo Alhancabuth mensuratum totum, ubicunque vacat, diligenter facias perforari et perpoliri, relicto tamen zodiaco et partibus aliorum circulorum, quos dixi, cum stellis suis, et quadam regula per Pisces et Virginem secundum alium colurum ducta, quæ ipsos videlicet cum medio centri circulo possit continere ad ejus relictis soliditatem, ut cum alicui superpositum climati per axem, quem *Alchitob* vocant, circumvolvitur apparentibus per apertum cunctis ejusdem climatis perigraphis, ortus, occasus exaltationesque signorum et stellarum, ratioque horarum liquido declaretur, sicut per ipsius ortus [*cod.*, ortis] experientiam et usum manifeste scire volentibus approbatur.

CAPUT VII.

De partitione Umbonis.

Hoc ita perfecto *Umbonem*, qui ipsam matrem Walzacoram circumdare, et cunctas climatum tabulas, ipsumque superpositum Alhancabuth debet circumcludere, primo in quatuor æqua, ut videlicet præfatis conveniat coluris, divide. Dehinc unumquodque quartorum in tria, et horum unumquodque in sena partire, ut videlicet totus Umbonis circuitus lineis rectis distincta 72 paria contineat intervalla, et unumquodque horum intervallorum interius, ubi prominens in Halhancabuth Almeri attingit, in quinos adhuc gradus discerne, ut circuiens Almeri dierum et horarum longitudines possit computare.

CAPUT VIII.

De partitione signorum, mensium et dierum.

Restat postica walzacoræ planities metienda omnibus zodiaci gradibus, signis, mensibus et diebus anni insignienda. Cujus extremos circulos, in 4 itidem æqua rectis lineis per centrum ductis divisos eadem qua et prædictum Umbonem mensura distinguas, ut videlicet unusquisque quadrans primum in tria, et illa in sena, id est 18 intervalla, totus vero circuito in 72 divisus sit, et unumquodque horum in quinos dividatur gradus, qui simul 360 complebunt. Sub his vero proximum circulorum intervallum tribus in unoquoque quadrante signis dispertiatur, et eorum vocabulis inscribatur, a linea videlicet occidentali, id est dextera, usque ad summam australem, cui suspendicularis incatenatur circulus contra mundum Aries, Taurus, Gemini. Abhinc usque ad orientalem, id est sinistram, Cancer, Leo et Virgo. Inde usque ad imam septentrionalem Libra, Scorpius et Sagittarius. Et dehinc ad occidentalem Capricornus, Aquarius et Pisces revertantur; et unicuique signo sexies quini, id est, 30 de prædictis 160 totius circuli gradibus deputentur.

Sub hoc item aliud circulorum intervallum mensibus duodecim, a medio fere signorum ad se pertinentium inchoantibus, distribuatur, corumque nominibus insigniatur. Et sub hoc item intervallum aliud diebus anni 360 vel 5 potius adhuc additis dividatur: quod hoc modo facilius facies: Ab uno circuli quadrante decimam octavam partem seclude, et hac excepta reliquum totum circuitum in 12, et unamquamque duodecimam in senas divide partes, sicque annumerata, quam secluseras, quadrantis parte, decimam octavam in toto circulo 70 tria reperies intervalla, quibus singulis in 5 partitis habes circulum per 365 dies divisum.

Tunc autumnali æquinoctio, quod moderni primo gradu Arietis, id est, 15 Kal. Aprilis ascribendum credunt, incipiens 14 dies post æquinoctium, id est, post lineam occidentalem in qua Arietem inchoasti, Martio mensi tribue, deinde Aprili 30, Maio 31, Junio 30, Julio 31, Augusto 31, Septembri 30, Octobri 31, Novembri 30, Decembri 31, Januario 31, Februario 28 et Martio usque ad præfatam æquinoctii vernalis lineam 17 deputans, integrum anni currentis circuitum complebis, duabus lineis circulos quadrifariam partientibus, scilicet quaternos anni articulos, bina siquidem æquinoctia et totidem solstitia intersecantibus.

Adhuc quod sub hoc remanet centro citimum circulorum intervallum, ita in unoquoque mense distingue, ut quinos dies, vel quod expeditius propter hebdomadas videtur, septenos potius connumeratos lineis distinguas, remanentibus si qui adhuc supersunt de mense diebus. His autem ita perfectis, totam mensuram instrumenti hujus ad astronomicam videlicet horologicamve disciplinam pertinentem completam esse lætaberis. Sed adhuc de *quadrati* mensuratione, qui intra circulum dierum inter occidentalem et septentrionalem lineam versus medium Aquarium locatus ad geometricas dimensiones utilissimus pertinet, paucula scribere non pigere debet.

CAPUT IX.

De quadrato.

Quartam ergo præfati dierum circuli partem inter prædictas occidentalem et septentrionalem litteras in duo divide; et puncto in medio facto aliam quoque quartam inter occidentalem et australem, et item aliam inter septentrionalem et orientalem in duo itidem dispertiens medietates punctis *b* et *c* secernito. Tunc, apposita regula in puncta *a* et *b*, lineam rectam ab occidentali linea in *a* dirige. Item in *a* et *c* regulam ponens, aliam lineam a septentrionali in *a* deducito, et habes quadratum orthogonum æquilaterum, cujus unus angulus in *a*, alter oppositus per diagonum in centro: reliqui duo in lineis occidentali et septentrionali limitantur.

Hujus duo latera angulum in *a* facientia, data eis ad libitum latitudine, in duodecim æquales partes divide, et interius duas ex his complectens in sena partire, quatenus super currente *Alhidada*, id est,

Digitized by Google

quadam regula cum duabus pinnis erectis ad rectam lineam perforatis, quota lateris quadrati pars designetur possit apparere. Quas autem quantasve utilitates A omnes prætaxatæ habeant mensurationes, *libellum Astrolapsus* legenti, et ingenium in hujusmodi rerum usu exercitanti, alias debet notificari.

HERMANNI CONTRACTI

MONACHI AUGIENSIS

DE UTILITATIBUS ASTROLABII

LIBRI DUO.

Eruit ex ms. cod. celeberrimi monasterii S. Petri Salisburg. P. Bernardus Pezius.
(*Thesaurus Anecdot. noviss.* III, II, 107.)

LIBRI PRIMI CAPITULA.

I. *De utilitatibus astrolabii.*
II. *Descriptio ejus perigraphiarum.*
III. *De colligendo signo et gradu solis.*
IV. *De inveniendo nadair solis.*
V. *De concipienda solis altitudine, et certis horis diei.*
VI. *De altitudine stellarum, et horis nocturnis.*
VII. *De distinctione horarum per quatuor plagas.*
VIII. *De horis æquinoctialibus, et inæqualibus.*
IX. *De partibus inæqualium horarum diei.*
X. *De partibus inæqualium horarum noctis.*
XI. *De indaganda quantitate orbis diei.*
XII. *De quantitate orbis nocturni.*
XIII. *Quot sint horæ æquinoctialis diei et noctis.*
XIV. *De percipienda vicinitate auroræ.*
XV. *De percipiendo quolibet tempore cujusque signi ortum et occasum.*
XVI. *In quo signo sint stellæ.*
XVII. *De vocabulis stellarum Arabicis et Latinis.*
XVIII. *De discretione climatum, et eorum invenienda latitudine.*
XIX. *De divisione orbis per septem climata, et initiis et terminis eorum.*
XX. *Ut scias si restat vel præterit meridies.*
XXI. *De inveniendis in dorso astrolabii horis.*

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De utilitatibus astrolabii.

Quicunque astronomicæ peritiam disciplinæ et cœlestium sphærarum geometricaliumque mensurarum altiorem scientiam diligenti veritatis inquisitione altius rimari conatur, et certissimas horologiorum quorumlibet climatum rationes, et quælibet ad hæc pertinentia, industrius discriminare nititur, hanc *walzacoram*, id est, planam sphæram Ptolomæi seu astrolapsum solerti indagatione perquirat et discat, et perquisitam tenaci memoriæ firmiter commendet, ita ut, cum quaslibet perigraphias partitionesque anaglypharias in ea scriptas et insculptas cognoverit, singulas nominatim retineat. Nam si horum diligenti discussione summam amplectitur, et celebri intentionis jugitate his studiosus C utitur, maximam ex hoc colliget utilitatem, et in astronomicis et geometricis studiis subtilem profunditatem.

B Inveniet autem per eam, secundum sphæricæ volubilitatis circuitum, certos ortus et occasus omnium siderum singulis quibusque horis, et quotus decanus, quotaque pars cujuslibet signi oriendo emergatur, aut occidendo demergatur, et per universas cœli regiones motus siderum, et situs signorum, et gradus solis, et altitudinem ejus diurnam seu menstruam, et quot terreni orbis stadia permeet, similiter et stellarum fixarum signa et altitudines: ad hæc noctium et dierum horas certissimas, naturales sive artificiales, cum augmentis et detrimentis. Quarum cognitio quam necessaria sit in divinis ministeriis, quam ad exercitandum utilis, et ad evacuanda et irrita facienda falsidica quorumdam et pseudohorologia, prudens animus scire, imprudens discere potest. Et initia mensium, mutationesque horologiorum et climatum, et ad sciendos canones Ptolomæi, alia etiam quamplurima, quæ hic procœmiare superfluum est, cum in sequentibus

Digitized by Google

competentius patefiant. Unde non tantum lætabitur A lector, quantum mirabitur. Sed omni nisu nomina subsequentia et alia subscripta inquirat, et inquisita in arcula cordis tenacius retineat, tunc sine scrupulo aliquo plana erit via ad inveniendum prætaxata.

His ita prælibatis non pigritia exterritus, de ejus perigraphiis architectonica seu mechanica ratione comparatis, eorumque nominibus, ne multa scribendo offendam, compendiose dicam, et ut maturius promissa impleam.

CAPUT II.

Descriptio perigraphiarum.

Est quidem walzachora tabula ad cœli rotunditatem conformata, cujus utraque superficies æquali spatiorum interstitio quadrifidis ab ipso centro per B diametrum fusis lineationibus partita est, id est *coluris*, qui tam ab orientali, quam a septentrionali vertice in diversa deducti quaternas in partes *zodiacum* dividunt, ita ut unus per Arietem et Libram, alter per Cancrum et Capricornum permeent. Ipsum autem centrum harum trajectum secatione linearum *a* littera designatur. Quarum linearum sinistram *b* adnotatam *Almarech*, id est, orientalem ab ortu siderum et diei, dexteram autem, ubi est *c Almagrip*, id est, occidentalem ab occasu siderum et diei appellant, et est illa quæ ducitur de Oriente ad Occidentem, quam etiam solaris designat radius in primo ortu, aut umbra gnomonis Superiorem autem, cui *d* ascribitur, *Walzazene*, id est, lineam meridianam, eo quod sol, ipsa ascendendo attacta, sex C dimensis horis meridiem efficiat, et descendendo ad occasum vergere incipiat. Inferiorem autem, ubi est *e*, *Cathezenuel*, id est lineam æqualitatis vel mediatricem sphæræ, et est illa quæ a Meridie ad Septentrionem protenditur, quam radius solis, vel umbra gnomonis solstitialis, in tropico æstivo designat, in cujus antica planitie trifidi zodiaci inscribuntur circuli, quorum unum æquinoctiali ratione medio collocatum cursus Arietis et Libræ sine deviatione notat. Qui etiam *æquinoctialis* dicitur, eo quod ibi pari compensatione lucis noctisque spatia dimetiantur. Dicitur et *eclipticus*. Nam dum inibi sol lunaque pariter coeunt, quilibet eorum necesse est ut eclipsim patiatur.

Ex duobus autem terminalibus unum cernis in- D ferioremcirculum in confinio centri circumactum, qui, naturali observata ratione, quantum centro est vicinior, tantum circumactione contractior; qui circulus *Canceri tropicus æstivus* dicitur: in extremis tabulæ horis dilatiore circulatione circulus Capricorni, id est, *tropicus hiemalis* inscribitur. Quorum inscriptiones, ad instar cœlestis sphæræ collocatæ, signiferi latitudinem circuli includunt, et solis cæterorumque planetarum cursibus limitem ponunt. Inter quos extremos orbes in plaga septentrionali artificiosa rationis positione *hototaltasab*, id est, breves horarum lineæ æqua intervallorum partitione instruuntur, ita ut interiori angustia extracta decurrendo per latitudinem exterius amplius pateant. Quarum media est linea diagonalis Meridiei, cujus ex utrisque partibus simul cum ipsa geminatis senis duodecim horarum meta constituitur, et impressis nominibus singulæ denotantur, et hæc nomina sunt illorum Arabica, quæ subtus vides inscripta formulæ. Quarum linea dextera antemeridianas, sinistra autem postmeridianas horas cauta discretione insignat, et diligenter inhærentibus obtutibus adhibito horoscopo demonstrat.

XII	I. hora.
Ethesiafer.	Elewiul.
XI.	II.
Aldimata.	Athenia.
X.	III.
Alhansira.	Atheziza.
IX.	IV.
Ethezea.	Arrabea.
VIII.	V.
Ethemima.	Alcamiza.
VII.	VI.
Escebea.	Escendelisza.

In superiori autem medietatis regione hemicyclos et integros etiam orbiculos artificiosa industria machinati sunt, quos dicunt *Omucantarath*, id est progressionarios solis, qui frequenti circuitione et crebra retorsione, alii extractiores, alii contractiores, certa et necessaria locatione coronantur, in quibus magna instrumenti hujus consistit efficacia. In quorum intervallis gradus ascensus et descensus solis diurni et menstrui geminato in utrisque partibus 90 permetiuntur. Sunt ergo in hac walzacora quindecim orbiculi, quibus singulis sexquipertitis 90 completur numerus, id est quadrans totius circuli. Qui tamen orbiculi simul cum numero secundum horologiorum mutationes pro situ locorum et climatum aut majorantur aut minuuntur, quod alias lucidius clarebit. Cujus in extremis coronata labris gyratione prominens umbo tenaci soliditate affigitur, quem dicunt *Alnogiza*, qui in altum porrectus eminentes aliorum climatum tabulas in se suscipiendo concludit. Ad quas concipiendas frons ejus parvo terebratur foramine, cui acuta tabularum infiguntur capitula: Quod foramen meridianæ respondet regulæ. Cujus crassitudo non altius extollitur quam tabularum capacitas.

Dehinc ejus exstanti laterali vertice perforato suspendiculares inferuntur circuli, vel magis incatenantur. Quibus cohærentibus quandolibet, ad radium solis percipiendum sublevatur; cujus etiam epiphania summa diligenter polita dividitur per partes tetragonas partibus 360 æquatis per quinquepertita intervalla; quæ, si subtili discernuntur partitione, ad multiplices pertinent utilitates, ex quarum impressa ratione, quod præcipuum est, certissime naturales noctium et dierum cognoscuntur horæ cum augmentis et detrimentis, ut in sequentibus aptius admonebitur.

Eisdem etiam perigraphiis cæteræ exarantur ta-

Digitized by Google

bulæ, quorumlibet sint climatum, quamvis paulisper pro locorum et climatum mutatione ipsi almucantarath varientur. De qua varietate certa ratio dabitur *in* suo loco. Quibus tabulis supersidet *Alhancabuth*, id est versatile volvellum, quod manuali versatione ad demonstrandam cœlestis sphæræ volubilitatem et ad demonstrationem horarum volvit. Nam ejus versationibus et gradibus solis, eisque respondentibus horoscopis per partes signiferi circuli certis locis designatis lucidissimæ horarum proprietates patefiunt, et correptiones et crescentiæ noctium et dierum probantur. Est enim illud excavata machinatione insculptum secundum interstitia prædictorum circulorum et positionem stellarum fixarum, per quas horæ noctis dignoscuntur. Sunt certe in ipso tres circuli, quorum interior in duos hemicyclos per diametrum partitus est, quibus lineali divisione sextatis senis signis duodecim signorum numerus redditur. Quo superposito impellente versatione videbis Arietem et Libram medium circulum, Cancrum et Capricornum terminales currendo denotare circulos. Est etiam ita naturaliter dispositum ut in septentrionali parte sublimetur, in meridiana autem ad confinia inferiorum demergatur. Nam arctius hemisphærium ab Ariete initiatum, etsi minorum correptione spatiorum contractum est, de tamen dilatando per verna ascendit signa, et in summo Cancro posita solstitiali linea denotatur. Hinc eadem circuitione dies contrahendo per æstiva digrediens signa in æquinoctiali terminatur Libra. A Libra majus hemispherium initiatum et dilatata circuitione depressum autumnales corripiendo dies ad Capricorni solstitium perveniet. Hinc brumali circuitione ad Arietis signum reducitur, in cujus circuli lateribus [*in marg.*, vel laterculis] diligenti partitione signorum partes distinguuntur. Nam unumquodque signum quinquepertitis discernitur intervallis, quibus quinis data sena tricenarium denominant; et sic per ordinem progredientia zodiaci adimplent numerum. In quo etiam acuti machinati sunt denticuli, qui certis in locis collocati stellas adnotant fixas, per quas noctis cognoscimus horas, quæ propriis etiam nominibus Arabicis inscripti sunt. In cujus rotunditate vel rotunditatis fronte exstans est denticulus super Capricornum positus, et ad ipsum umbonem porrectus, qui calculando summam numeri in epiphania umbonis positi naturales discriminat horas. Qui dicitur *almeri*, id est calculator, et illud *halbancabuth* desuper positum tabula involutionem contegit.

Jam vero antica descripta planitie ad posticam vertitur stylus, in qua signorum et mensium habentur notitiæ. Nam in interioribus circulis cauta discretione, singulis mensibus, proprii subscripti sunt dies. Quibus mensibus signa singulis attinentia lineali divisione superposita sunt. In exterioribus labris tabulæ partes zodiaci per quadras denotantur plagas propriis distantiis, vel per quinquepertita intervalla per sena distributæ signis, quæ omnia visu potius quam dictu deprehendi possunt.

Habetur etiam ibi *Alkiduda*, id est verticulum, quod nos radium dicere possumus, quod ad instar regulæ extensum superponitur tabulæ. Cujus in capitibus binæ sunt erectæ pinnæ, quæ ad accipiendum solis radium et stellarum fixarum, seu ad geometricalium scientiam mensurarum sibi respondentia bina habent foramina, quod tactu cum torquetur, itu et reditu altitudinem solis provisis demonstrat obtutibus.

Est etiam *Alchitob*, id est vectis rotundus, qui ipsi Walzacoræ in medio perforatæ ad constringendum climatum tabulas infigitur. Cui in summo perforato alter cuneus et parte Alhancabuth transverse inseritur, quem *Alferaz*, id est caballum, dicunt, eo quod instar caballi formatus sit. Etiam, ut lucidius quivi, ejus perigraphias compendiose expuci, excepto uno tetragono, de quo in loco suo uberius dicam. Sed hæc res tectis innexionibus intricata est; nec omnibus ad intelligendum enodabilis, præter eos qui usualem habent in his exercitationem. Si quis autem dicta aut dicenda parum ex scriptis intellexerit, ipsam rem probet, et procul dubio reperiet satis diligenter omnia dicta esse. His ita prætaxatis vota persolvendo, qualiter hæc exercitemus, dicam, et in primis de artificialibus horis diei et noctis.

CAPUT III.

De colligendo signo et gradu solis.

Si certissime horas naturales sive artificiales diei et noctis cupis scire, oportet in primis ut scias in quo signo sit sol et in quoto decano aut gradu ejusdem signi. Hoc quidem etsi multiplicibus calculationum rationibus scire queas, tamen absolutis ex hac figura maxima solertia acquisita cognosces quam hic subscribere non ineptum autumo, dum locus et ratio postulat, et ita in Arabico habeatur. Habet enim hæc figura in latere uno nomina mensium prætitulata; altero vero latere dies mensium per numerum; media in superficie totius circuli zodiaci signa cum gradibus partium. Et dum vis per hanc scire signum et gradum solis in quolibet die, considera in utroque latere præsentem mensem, et ejusdem mensis præsentem diem, et ita binis altrinsecus lineis ingredere usque ad proselidem angularem (1000), et quotum inibi reperies numerum desuper in eadem linea considerato signo, ipse est gradus solis quem requiris.

Si vis aliter scire, transactis diebus, præsentis mensis quotlibet fuerint, adjicias 15 per quos simul collectos computare incipies a primo gradu signi pertinentis ad ipsum mensem per quinquepertita intervalla, et ubi defecerint, ipse est gradus solis, quem quæris, verbi gratia: jam peractis 20 diebus Aprilis adjicias 15, et computando collecti erunt 35.

(1000) Glossa vet.. *id est: occurrentem, quasi consalientem, et respondentem illi.*

Digitized by Google

Et modo incipias per hunc numerum computare a primo gradu Arietis, qui constat Aprilis, et computando pervenies ad quintum Tauri gradum. Nam Arieti datis 30, remanent Tauro 5. Et dices : quia in vigesimo die Aprilis sol est in quinto gradu Tauri. Per astrolapsum autem taliter scies. In postica ejus planitie considera dies mensium et partitiones signorum, et Alhidada pone super diem præsentem in quo es, et quemcunque gradum exterius summitas

A Alhidadæ denotaverit, ipse est gradus solis quem quæris; ut puta si posueris Alhidada super vigesimum diem Aprilis, ejus summitas quintum gradum Tauri insignat. Quem gradum ex alia parte in Alhancabuth in suo loco denota. Hoc in loco admonendum est ut progressio calculationis tuæ in his secundum solis circuitionem contra mundum fiat, quasi a dextera ad sinistram. Nam Chaldaica astutia seu calculando seu scribendo ita progreditur.

Dies.	Jann.	Febr.	Mart.	April.	Maius.	Junius.	Juli.	Aug.	Sept.	Octob	Nov.	Dec.
Mensium.	Capricornus.	Aquarius.	Pisces.	Aries.	Taurus.	Gemini.	Cancer.	Leo.	Virgo.	Libra.	Scorpius.	Sagitt.
1	16	16	16	16	16	16	16	16	16	16	16	16
2	17	17	17	17	17	17	17	17	17	17	17	17
3	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18
4	19	19	19	19	19	19	19	19	19	19	19	19
5	20	20	20	20	20	20	20	20	20	20	20	20
6	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21
7	22	22	22	22	22	22	22	22	22	22	22	22
8	23	23	23	23	23	23	23	23	23	23	23	23
9	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24
10	25	25	25	25	25	25	25	25	25	25	25	25
11	26	26	26	26	26	26	26	26	26	26	26	26
12	27	27	27	27	27	27	27	27	27	27	27	27
13	28	28	28	28	28	28	28	28	28	28	28	28
14	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29
15	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30

	Aquarius.	Pisces.	Aries.	Taurus.	Gemini.	Cancer.	Leo.	Virgo.	Libra.	Scorp.	Sagitt.	Capric.
16	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1
17	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2
18	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3
19	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4
20	5	5	5	5	5	5	5	5	5	5	5	5
21	6	6	6	6	6	6	6	6	6	6	6	6
22	7	7	7	7	7	7	7	7	7	7	7	7
23	8	8	8	8	8	8	8	8	8	8	8	8
24	9	9	9	9	9	9	9	9	9	9	9	9
25	10	10	10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
26	11	11	11	11	11	11	11	11	11	11	11	11
27	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12
28	13	13	13	13	13	13	13	13	13	13	13	13
29	14	14	14	14	14	14	14	14	14	14	14	14
30	15	15	15	15	15	15	15	15	15	15	15	15

CAPUT IV.

Ad inveniendum nadair solis.

Gradu solis invento et in Alhancabuth adnotato, *nadair Ascemath*, id est oppositum solis, invenire debes, quod nos *horoscopon* dicere possumus, eo quod inspiciendo horas designat. Fit autem horoscopon per diametrum sphæræ in sexto quidem signo, a signo solis tota parte sexti signi, quota parte signi sui gradus sit solis, hoc est, a gradu solis ad centesimam octogesimam partem, quod est diametrum hemisphærii, quod naturalis ratio necessaria parilitatis circuitione peragit. Invenies autem sic per Astrolapsum nadair.

B Gradum solis jam insignitum in Alhancabuth pone super primum Almucantarath aut super lineam orientalem, et considera quod signum et quis gradus ultimo Almucantarath vel lineæ occidentali immineat. Ipsum enim nadair solis.

Poteris et per Alhidada utrumque, id est, gradum solis et oppositum ejus simul invenire, consideratis ex utrisque ejus partibus summitatibus, quod satis indaganti patet; quia, sicut cum gradu solis semper dies oritur, ita cum nadair solis nox. Insuper et ortus diei et noctis per diametrum hemisphærii [zodiaci] fiunt. Nam de 180 partibus hemisphærii 5 gradibus horæ cuique attributis dies claudit.

Digitized by Google

Est nempe eadem et par versatio orientium et occidentium per horizontem cœlestis sphæræ, ut per astrolapsum probari potest. Quibus inventis, impressam notationem diei et noctis diligenter impone. Nam harum cauta administratione alia omnia facile patebunt.

CAPUT V.

De concipienda solis altitudine et cæteris horis diei.

Deinde si vis scire certas horas diei, debes invenire altitudinem solis, quam Arabice *Erufamazent* appellant, qualibet hora volueris. Dicimus autem altitudinem solis cursum ejus, per quem ipse a primo suo ortu paulatim quasi per gradus impetu mundi contraeunte a terra recedens ad altiora ascendendo spatia cœli, vel descendendo ad inferiora procedit. Nam adhuc dum summitas ejus vix ab horizonte procedit, si astrolapsum adhibueris, videbis insidiente Alhidada lineæ orientali inevitabiliter radium solis ambo ejus foramina perlustrare, hinc ascendendo altiora visitare et usque ad meridianam pervenire lineam, descendendo in eadem ortus sui linea occumbere.

Quota autem sit solis altitudo qualibet hora, sic inquisitione procedente invenies. Accepto astrolapsu intentius temet oppone soli, ita ut sinister humerus soli sit objectus, ipseque astrolapsus de manu tua suspendatur dextera versa ad te ejus postica planitie, et ipsum Alhidada diligentius oculis solis oblatum crebra vertigine torqueas itus et reditus, quoadusque solis radius ambo normaliter perlustret foramina. Quo viso diligenter mentis et corporis inhærentibus obtutibus, fida adnotatione ab orientali linea per quinquepertita intervalla computando designes numerum, quem summitas Alhidadæ in 10 denotat partibus. Quotuscunque vero est numerus, tota est altitudo solis.

Quo fideliter observato et memoriæ commendato, verte anticam planitiem astrolapsus ad te, eumdemque numerum in altitudine solis deprehensum inter ipsos sesquipertitos adinveni sic. Da unicuique intervallo 6, a primo incipiens Almucantarath, quoadusque acceptum reperias numerum, si est ante meridiem, in orientali parte; si post meridiem, in occidentali parte. Quo invento gradu solis in Alhancabuth insignitum superpone altitudini solis, et inferiori regione considerato nadair solis, cui supersidet horæ, ipsa est præsens hora quam quæris. Similiter singulis quibuslibet horis diei experire veritatem sive per æstivum sive per hibernum tempus nulla ancipiti ratione intervacillante. Hoc dignissimum ad diurnum horarum celebrandum officium, et perutile ad scientiam videtur utile, quanto gratius et decentius cuncta tunc procedunt, dum cum summa reverentia debitis horis sub regula justi Judicis, qui in nullo vult falli vicissitudinis obumbraculo, Dominica ministeria convenienter peraguntur.

CAPUT VI.

De altitudine stellarum et horis noctis.

His ita cura acquisitis et per certissimas horas diurnis peractis officiis, confestim flagranti inlagatione stellarum fixarum altitudines nocturnalium horarum indices providus horoscopus advisere debes. Nam sicut per solarem altitudinem diurnæ inveniuntur horæ, sic per stellarum fixarum nocturnæ eliciuntur horæ.

Hoc in loco admonet ratio aliquid dicere quæ sint, ubi sint, quot sint, et de formatione seu vocabulis earumdem interserere. Sed, dum hic brevitati studetur, ne nimio hiatu abigatur intentio, in sequenti quanto competentius, tanto uberius hoc declarabitur [*vide* inf., cap. 17]. Altitudinem autem cujuslibet stellæ taliter exquire : sublevato Astrolapsu tantum ipsum Alhidada coaptando torqueas, quoadusque quamlibet stellarum fixarum tunc apparentium et in astrolapsu designatarum certa unius oculi inspectione per ambo contempleris foramina. Qua visa ejusque altitudine demonstrante Alhidada adnotata eamdem altitudinem inter Almucantarath coæqua, in ipsa parte in qua accepisti stellam. Cui altitudini in Almucantarath caput ejusdem stellæ superpone, et considera quam horam gradus solis demonstret, quia ipsa est quam quæris. Sed hoc observa, ut per nadair solis horas diei, per gradus solis horas noctis discas.

CAPUT VII.

De distinctione horarum per quatuor plagas.

Quatuor sunt plagæ mundi, quarum una scilicet septentrionis nunquam nostris in locis recipit in se solem. Idcirco per alias tres, id est orientalem, meridianam, occidentalemque, quæ admittunt solem, duodecim distribuuntur horæ, unicuique quatuor. Nam ter quatuor duodecim reddunt. Datur orientali plagæ 1 2 3 4; meridianæ 5 6 7 8; occidentali 9 10 11 12. Ex quibus horis duæ semper sunt sub uno numero vel mensura, exceptis sexta et duodecima. Nam sicut sexta propter summum solis ascensum, ita et duodecima propter infimum descensum nequeunt cæteris numero vel mensura coæquari. Nam sexta in summo ponitur; et quinta cum septima, quarta cum octava, tertia cum nona, secunda cum decima, prima cum undecima mensuratur : remanet duodecima in occasu posita.



Digitized by Google

CAPUT VIII.

De horis æquinoctialibus et inæqualibus.

Hactenus artificialibus horis digestis de æquinoctialibus et inæqualibus deinceps dicam. Et in primis dicam quomodo dividuntur 360 partes per horas æquinoctiales et inæquales, quas Arabes *Muzzewine*, id est æquales dicunt et *Ezemene*, id est inæquales.

Si vis scire quot horæ *Muzzewine* habeantur in toto circulo zodiaco, id est 360 partibus, divide medietatem ejusdem numeri, 180, per 12 horas æquinoctiales, sic ut unicuique horæ 15 partes, id est, tria quinquepertita intervalla attribuas, et procul dubio reperies in ipso hemispherio 12 horas æquinoctiales. Similiter in altero si feceris, totidem adnotabis. Nam 15 viginti quatuor 360 sunt. Unde semel revoluta tota sphæra in die et nocte viginti quatuor horæ reperiuntur.

Si vis autem scire quot horæ *Ezemenie*, id est inæquales, in eodem numero fiant, da unicuique undeviginti partes, et nimirum reperies in toto circulo 19 horas inæquales, et ideo hora æquinoctialis 15 partes habet, quia, multiplicatis 15 per 24, erunt 360. Nam totidem horæ reperiuntur per 360 partes, quot horæ sunt in die naturali. Dicuntur horæ æquinoctiales, quæ solummodo duobus diebus in anno coæquantur, illis scilicet quibus sol est in prima parte Arietis et Libræ. Cætero autem tempore dicuntur inæquales, propter mutuam alternationem correptionis et depalationis: quæ alterna mutuatio semper infra unius signi partes, id est 30 variatur. Nam brevissima hora ezemenia non minus quam usque ad undecim partes decrescit: longissima autem non plus quam undeviginti partes excrescit. Unde 19 partes sibi attribuuntur, quæ tamen aut crescendo aut decrescendo ad æquinoctialis horæ partes, id est 15 recurrunt.

CAPUT IX.

De partibus inæqualium horarum diei.

Si vis scire partes inæqualium horarum diei, pone nadair solis super primam lineam cujuslibet horæ. Quo facto, considera diligenter, et assigna partem, quam denotaverit *Almeri* in 360 partibus. Post admove nadair ad postremam ejusdem horæ lineam, et quotcunque partes infra suos limites computaverit *Almeri*, tot sunt partes inæqualium horarum diei.

CAPUT X.

De partibus inæqualium horarum diei.

Si vis scire partes horarum noctium, fac cum gradu solis sicut fecisti cum nadair; scilicet superposito gradu primæ lineæ cujuslibet horæ, denota locum ab Almeri designatum. Hinc ad postremam revoluto, quot gradiendo solis gradus designat Almeri, tot sunt partes quas quæris. Sed hoc prævide ut per nadair partes horarum diurnalium discas: per gradum autem solis nocturnalium. Et si quæris scire, expertis diurnalium horarum partibus, quot nocti remanserint, minue easdem de 30, et quot remanserint, tot sunt partes nocturnalium horarum: et econtra abstractis de 30 nocturnæ horæ partibus supersunt diurnæ partes, quia harum alterna mutatio correptionis et depalationis, ut dictum est, infra 30 versatur.

CAPUT XI

De indaganda quantitate orbis diei.

Cum autem quæris scire quot horas æquinoctiales habeat dies vel nox, vel quot plures nox aut dies æquinoctiales horas habeat, primitus indagandum est tibi quantus orbis diei ac noctis sit. Dico autem orbem diei, quantum sol a primo ortu usque ad occasum cum conversione sphæræ transiens in 360 partibus singulis diebus permetitur, et noctis dico orbem, qui remanet. Quem taliter reperies: superposito gradu solis super primum *Almucantarath* in parte *Almarech* locum *Almeri* caute designa. Quo designato, transmitte gradum prædictum ad postremum Almucantarath in parte *Almagrip*, et denuo locum Almeri designa, et quantus est arcus a priori loco usque ad secundum locum Almeri, ipse est orbis, quem quæris.

CAPUT XII.

De quantitate orbis noctis.

Eadem ratio est inventionis de orbe noctis per nadair solis. Nam ut per gradum solis circulus diei, sic per nadair circulus noctis inquiratur, quando libet, acquiritur. Invento quippe orbe diei, quod remanet de 360 partibus, orbis noctis est.

CAPUT XIII.

Quot sint horæ æquinoctiales?

Cum quæris scire quot æquinoctiales horæ sint diei, orbem ejus divide a primo loco usque ad secundum per partes horarum æquinoctialium, id est per 15, quot sunt tria quinquepertita intervalla sic ut unicuique horæ 15 partes attribuas, quoadusque poteris; et quot horas per partes sic calculando invenies, tot horæ sunt æquinoctiales diei. Sic etiam considerabis detrimenta et augmenta dierum ac noctium.

Eadem quoque divisione noctis orbem considerabis et invenies horas noctis. Quod liquidius indaganti patet. Nam ablatis horis diei de 360 partibus, remanent horæ nimirum noctis; quæ horæ, ut prædictum est, semper inæquales sunt, nisi duobus diebus æquinoctialibus, tuncque ad æqualitatis parilitatem redeunt. De quarum alternatione mutuisque incrementis et detrimentis quamplurimi auctores satis liquido tractant. Quocirca his hic supersedetur. Si quis hoc perfectius rimari nititur, Canones Ptolomæi appetat, ubi horum omnium affluentiorem poterit potare fontem

CAPUT XIV.

De percipienda vicinitate auroræ.

Si quæris scire quam prope sit aurora, accipe cujuslibet altitudinem stellæ in astrolapsu scriptæ, et caput ejusdem stellæ superpone acceptæ altitudini in qualibet plaga, et considera ubi sit nadair solis. Si

Digitized by Google

est super decimum octavum Almucantarath ex parte Almagrip, ecce aurora.

CAPUT XV.

De percipiendo quolibet tempore cujusque signi ortu et occasu.

Qualibet hora diei si volueris scire quod signum, vel quota pars, vel stella oriatur vel occidat, accipe altitudinem solis, super quam transmitte gradum solis, in qualibet plaga sit. Quo facto, considera quod signum ejusdemque signi quota pars vel stella primo Almucantarath supersideat, illud nimirum oritur; et quod ultimo Almucantarath, illud quippe occidit, quod est 7 ab Oriente. Et quod lineam meridianam designat, ipsum medium cœlum super terram; et quod septentrionalem, medium cœlum infra terram occupat. Ita faciendo cognosces situs et motus siderum sine ambiguitate.

Sic quoque nocte colligas. Accipe altitudinem cujuslibet stellæ in astrolapsu scriptæ, cujus altitudini suppone caput ejusdem stellæ, et considera lineas plagarum. Nam ipsæ demonstrant quod quæris.

CAPUT XVI.

In quo signo sint stellæ.

Cum vis scire in quo signo sit quælibet horarum stella, cujus signum quæris, eius caput lineæ meridianæ superpones, et quod signum ipsi supersidet, in hoc consistit ipsa stella. Nam quod lineam designat, eamdem stellam occupat.

CAPUT XVII.

De vocabulis stellarum Latinis et Arabicis.

Hic locus et ratio postulat promissa solvere, scilicet ut de stellis horarum dicam, quotæ sint, ubi sint et de vocabulis et formationibus earumdem. In Temone majoris Plaustri, quod ita formatur ⁂ est una horarum stella, quæ Arabice dicitur *Benetnaz*, scilicet prima in Temone, et est in astrolapsu. Post quam est *Almarech*, id est artophylax ⁂ talis stella præclucida. Hanc sequitur corona ita formata ⁂ cujus in medio est stella lucidior, quam dicunt *Mirmur*, vel *Elfeca*. Est et in Lira alia lucidior sic formata ⁂, quam dicunt *Alwagakha*. Post quam est *Archeitus*, vel *Alrif* ⁂, vel ita ⁂, et est in Cygno. In Auriga duæ sunt lucidiores. *Menreb*, *Alroech*, id est Humerus, et *Rigel*, id est pes ⁂, vel ita ⁂ est Pegasus, in quo habetur una talis ⁂, quam dicunt *Alferaz*. Telum est ita ⁂ cujus in medio est una, quam dicunt *Alhadib*. In Cygno autem medio ima est, quam dicunt *Alceir*. In Tauro est una ita lucidior ⁂, quam dicunt *Aldebaram*. In Geminis habentur duæ *Alhaioch Algeuze*, id est humerus et *Rigel*, id est pes. In Leone duæ *Aldiranai*, id est frons ⁂. Illa scilicet est minor et inferior, et *Calbalaceda*, id est cor, superior et lucida. In Scorpione *Calbalagraf* ⁂ id est cor Scorpionis. In Aquario habetur una, quam dicunt *Venebulgedi*. In cauda Capricorni est Delphin, quæ est in astrolapsu talis ⁂, est *Denebcaitos* et *Punta*, id est cauda et venter cujusdam animalis, quæ aut raro aut nunquam in nostris climatibus cernuntur, et sunt ita ⁂, est *Vigel* et *Ithabor*. Quid autem dicam de his, dum a nobis minime videntur? Est *Algomeiza Aldirnam*, de quibus varie autumant, ideo quasi dubium prætermitto.

Sunt præter has duæ *Ganamalgurab*, *Albazal*, vel *Alkimech* in Centauro, quibus Chaldæi satis ad discernendas horas utuntur, a nobis autem rarissime videntur, et dum videntur duabus aut tribus horis apparent. Aliæ quamplurimæ habentur ad discernendas horas, quas modo silebo, eo quod eis non indigemus, si prætaxatas bene cognoscimus

CAPUT XVIII.

De descriptione climatum, et eorum invenienda latitudine.

Hic danda est ratio et utilissima et valde necessaria, et si ejus expers fueris, minime ad horarum scientiam pervenies. Est quippe sciendum quomodo mutationes climatum, vel in quo tu sis. Nam sicut propter situm terræ non idem meridies fit ubique, ita eadem horologia esse nequeunt. Sunt enim secundum terræ positionem et discretiones climatum mutanda horologia, de quorum mutationibus Ptolomæus et Eratosthenes satis lucide tractant. Marcianus quoque non solum de mutationibus climatum, sed etiam de singulorum meridie et altitudine seu horis æquinoctialibus satis expedit. Cujus scientiam et Arabicam non est inutile scribere.

Discretiones climatum et mutationes horologiorum per istam sententiam taliter scire poteris. Dum quæris in quo climate sis, vel quo horologio uti debeas singulis in locis in Martio mense, cum sol sit in primo gradu Arietis, vel in Septembri, cum sol sit in primo gradu Libræ, quia tunc æquales sunt dies ipsorum mensium, considera ubilibet quota sit altitudo solis in meridie, et quantum minus sit a 90, et quotus numerus est, qui minus est a 90, tota est altitudo ipsius climatis in quo es. Et tunc considera in qua tabularum inscriptus sit idem numerus, qui deest a perfectione 90. Nam subtus Almucantarath scripti sunt meridies, secundum latitudinem climatum, et quotum, vel in qua reperies, ipsum est clima in quo es, et meridies ejus ipsaque tabula, quæ numerum continet, ad idem clima pertinet. Per 8 reperies altitudines climatum. Nam additis 8 ad 15, erunt 23; quæ est altitudo secundi climatis. Hinc secundum numerum tabularum semper minuendo unitates octonarii, et quod ab octo remanet, addito latitudini, ordinatim reperies latitudines, ut inter secundum et tertium clima abstrahas unum ab 8 remanent 7, inter tertium et quartum unum, et sic deinceps.

Climatis primi latitudo 15 gradus et 20 minuta, et dies ejus longus 13 horarum æquinoctialium.

Climatis secundi latitudo 23 gradus et 15 minuta,

Digitized by Google

et dies longus 15 horarum 30 minutorum, quæ sunt medietas horæ.

Climatis tertii latitudo 30 gradus et 22 minuta, et dies ejus maximus 14 horarum.

Climatis quarti latitudo 36 gradus 9 minuta, et dies ejus longus 14 horarum et medietas horæ, quæ est 30 minuta.

Climatis quinti latitudo 41 gradus 66 minuta, et dies ejus longus 15 et medietas horæ, quæ est 30 minuta,

Climatis sexti latitudo 45 gradus 51 minuta, et dies ejus longus 15 horarum.

Climatis septimi latitudo 48 gradus et 32 minuta, et dies ejus longus 16 horarum.

CAPUT XIX.

Quomodo orbis in septena partitus sit climata, et ubi initium et finis eorum.

Initium primi climatis est ex parte orientali ab Oceano, ubi sunt ostia Gangis fluvii, et ambulat per Indiam et Asiam, et universos terminos ejus ex parte Euri usque ad insulam Taprobanem, quæ est in Oceano Indico, ad ejus insulæ civitates decem cæterasque plurimas; et sic ab Oriente extenditur usque ad mare Rubrum contra meridiem, scilicet Antiochiam armatam, Piternatam, [Pitinatam *vel* Pitaneu] vel Bitinniam et Persidam, et aliquas civitates Assyriæ, Alexandriam Persidæ, et mare Persicum et terram Arabicam et usque ad Ægyptum, et terram Æthiopiam fluviumque Nilum et Meropis [*vel* Merois] insulam, de qua etiam unum clima Merois appellatur. Deinde in Africæ partibus a Meridie per Garamantes fluviumque Geon et montem Astrixi, et per deserta arenosa et cæteras partes et per Mauros Matibienses, et sic in Occidentem usque ad Oceanum ibique terminatur.

Initium secundi climatis est ab Oceano de parte Orientis ab insula Costra, et transit per Parthiam ejusque terminos et Persiæ aliquas partes, contra septentrionem montem Sinai, et contra meridiem deserta magna Sodomæ et Gomorrhæ, Alexandriam Ægypti, gentes Libyæ, partimque Ægyptum inferiorem, et sic extenditur per Tripolitanam usque ad Mauritaniam.

Initium tertii climatis est in oriente ab Oceano de monte Timavo, et ambulat per Antiochiam ejusque cunctos terminos, transitque fluvium Physon, tenetque Aracusiam et Albaniam, partimque Mesopotamiam et Gatogoras: unde et ipsa nuncupatur Damascum, transitque mare Mortuum et partim Libyam Cyrenaicam, et sic per diversos partium terminos, quos longum est ediscere, usque ad Oceanum Occidentis protensum [*cod.*, protensa] finitur.

Initium vero quarti climatis est in Oriente, tenetque in capite partim simul cum quinto Scythiam et transit montem Caucasum et partitur, accipitque cum tertio partem Mesopotamiæ et cum quinto Cappadociam, et transit fluvium Jordanis et Galilæam, partim occupat Jerusalem cunctosque suos terminos, et sic ad Occidentem protensum partitur A Cyrenen cum tertio, tenensque Leptim magnam et partim Numidiam, Tingitaniam cæterosque terminos usque ad Oceanum, ibique terminatur.

Initium quinti ab Oriente mare Caspium et partim Scythiam tenet, partitur Armeniam cum sexto, transitque montes Ceraunios, pariter Galilæam cum quarto, et tenet Samariam, montem Carmelum et venit usque ad mare Mediterraneum et insulam Sardiniam, Carthaginemque et partim Numidiam, et sic protenditur per Tingitaniam et per insulas maris Mediterranei usque ad Occidentis Oceanum, ibique terminatur.

Initium sexti ab Oriente a mari Caspio partitur Armeniam, tenet primam Macedoniam totam cum universis terminis suis et insulas Magni maris, transB itque Mediterraneum mare, et partitur Arcadiam cum septimo, et contra Meridiem occupat Salernam, Neapolim, et Romaniam et Romam alteram, et extenditur per Italiam et Germaniam, partitur cum septimo Franciam majorem, et sic ad Occidentis cunctas protensa regiones vindicat sibi totam Hispaniam, in ipso Oceani limbo terminatur.

Initium septimi ab Oceano orientali habens in primis contra Septentrionem Albanos, deinde Thraciam et Smyrnæos campos, transitque mare Ponticum et Ægæum. Ibi celsam habet Constantinopolim partesque Græciæ, et contra Meridiem partim Arcadiam, totam Thessaliam; contra Septentrionem Daciam et gentem barbaricam, partim Franciam majorem, Brittanniam, Scotiam, terram Anglicam, C Gallias. Sic ad Occidentem protensa usque ad basilicam S. Jacobi apostoli, ibique in Occidenti Oceano terminatur. De insulis, quas Cycladas appellant, dubium est cui deputentur climati, quas diligens inspector walzacoræ, si in ipsis fuerint insulis, absterget, quod cuilibet probandum dimittitur. Hæ distributiones climatum et latitudines secundum Arabicos fiunt auctores.

CAPUT XX.

Ut scias si sit ante vel post meridiem.

Quando quæris scire si est ante meridiem aut post, accipe altitudinem solis in dorso astrolabii, et vide si descendit sol in ipsis 90 ordinibus. Si ascendit, est ante meridiem; si descendit, post medium D diem.

CAPUT XXI.

De inveniendis in dorso Astrolabii horis.

Quando vis scire in dorso astrolapsus horas, in primis scias quantum sol debeat ascendere in ipsa die qua volueris horas probare, et ipsam ascensionem vel altitudinem solis a primo gradu ortus solis usque ad ultimum partire per 6 partes ipsasque partes per signa, et, dum sol pervenerit ad ipsa signa in Alhidada, scias sic horas certas usque ad 6; post 6, retorna descendendo usque ad occasum. Sed tu, lector, si diligenter animadvertere quæris, tu ipse per prædictam walzacoram, id est planam sphæram, diversa poteris fabricare horologia.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS [1001].

CAPUT PRIMUM.

Demonstratio componendi cum convertibili sciothero horologici viatorum instrumenti.

Componitur quoddam simplex et parvulum viatoribus horologicum instrumentum, quod in modum teretis et æqualis grossitudinis pali seu cylindri formatum atque suspensum in summitate transversim orthogonaliter affixum, et circumvertibilem habet sciotherum. Quo per gyrum in latere lineatas per singula 12 signa vel menses umbra sua certas attingat et determinet horas. Cujus mensuram, prout astrolabii ratione potui invenire, sicut jussisti, charissime frater Werinheri, dilucide, ut possum, tentabo describere.

In primis itaque circuitum ejus in sena intervalla ductis a summo deorsum lineis divido, et his senis signis, in quibus dies crescunt, id est Capricorno, Aquario, Piscibus, Ariete, Tauro et Geminis inscribo, et inde revertens reliqua decrescentium itidem dierum signa sibi in quantitate diebus comparibus compleo, Cancrum videlicet Geminis, Tauro Leonem, Virginem Arieti, Piscibus Libram, Aquario Scorpium, Sagittario Capricornum. Deinde, quia in medio singulorum singuli menses ordiuntur, præfata signorum sex intervalla in duo itidem ductis, ut prius, lineis singula divido, et ita 12 in toto circuitu intervallis effectis primum horum, quod videlicet Sagittarii postrema et Capricorni principia continet, decimo mensi, in cujus medio solstitium hiemale contingit, deputo. Sequenti bina intervalla Januario ejusque compari Novembri tribuo. Quartum cum quinto Februario et Octobri; sextum et septimum Martio et Septembri; in quorum medietatibus bina æquinoctia veniunt Ariesque et Libra initium sumunt. Dehinc octavum cum nono Aprili et Augusto; cum decimo undecimum Maium teneant et Julium. Duodecimum, quod restat, quod videlicet et Geminorum extrema et Cancri prima gestat, Junium cum æstivo in medio sui Solstitio accipiat.

Iis duodecim intervallis, hoc modo per signa et menses distributis, finales singularum diei horarum lineas, juxta ascensum vel descensum solis diurnum seu menstruum, debes invenire. Sed ut laborem tibi hic scrupulose quæritanti adimam, quot gradus in fine cujuslibet horæ in climate nostro sol in uniuscujusque signi vel mensis initio ascendat, breviter, sicut per astrolabii experientiam comprehendere potero, in formula subjecta describam.

Horæ. Diei.	In initio. Capric.	Januarius. Dec	Aquarius. Sagitt.	Febr. Nov.	Piscium. Scorp.	Mart. Octob.	Aries. Libra.	April. Sept.	Taur. Virg.	Maii. Aug.	Gemini. Leo.	Junius. Julius.	In initio. Cancer
1 et 11	5 grad.	5	6	6 S.	7 S.	8	9	10	10	10 S.	10 S.	10 S.	11 S.
2 et 10	9	9	10 S.	12	13	16	18	20 S.	22 S.	22 S.	23	23	24 S.
3 et 9	13	13 S.	15	17	20	24	27 S.	31	33	35	36	37	38
4 et 8	15	16	18	21	25	30	35	40	44	47	48 S.	50	50 S.
5 et 7	17	18	20	23	28	34	40	46	51	56	59	61	61
6	18	19	21	24	30	36	42	49	54	60	63	65 S.	66

His ita præstructis, in plana tabula quartam partem circuli diligenter fixo centro *a* integerrime describo, ejusque arcum, id est curvam lineam in tria partior, et unamquamque tertiam in sex, et harum unamquamque in 5 subdivido, ut videlicet sicut astrolabii quadra in 90 sit divisa. Quo facto, ab ipso centro *a*, ubi coraustus et cathetus, id est superjacens et deorsum pendens linea, convenientes angulum rectum efficiunt, tantum de ipso corausto nota impressa secerno quantam longitudinem sciothero, id est gnomoni, juxta quantitatem instrumenti tribuere volo, et ab ipsa nota deorsum perpendicularem lineam a cathero æque distantem dirigo, scilicet tantæ longitudinis, quantum postulat quantitas instrumenti pendentis.

Dehinc regulam in prædictum centrum seu angulum *a*, et in primum gradum de 90, quos in arcu quadræ circuli feceram a parte corausti pone et, quam nuper dixi, perpendicularem lineam, ubi regula tangitur nota impressa, designo, sicque deorsum descendens ad singulos per ordinem sequentes gradus, regulam a pristimo angulo *a* non motam pono, et ad singulas positiones ipsam lineam ordinatim, ubi regula eam tangit, signis impressis noto usque ad 66 gradum, in quo scilicet summus in climate nostro solis deprehenditur ascensus. Hanc ergo lineam perpendicularem hoc modo 66 gradibus insignitam pro ipsius instrumenti a sciothero deorsum longitudine accipiens, in singulorum signorum et mensium initiis, quot gradus sol in fine cujusque horæ ascendat, in præscripta forma despicio, et quantum spatii numerus ipsorum graduum in hac linea a corausto deorsum complectitur, tantumdem spatii in longitudine ipsius instrumenti a sciothero deorsum demetiens in linea, qua ipsius signi vel mensis initium constitueram, unicuique

[1001] Divisio Librorum deest in codice, nec inde satis constat num sequentia sint operis prioris pars altera.

Digitized by Google

horæ terminum facio. verbi gratia : in Capricorni initio in fine sextæ horæ ascendit sol gradus 18; quantum ergo spatii in sæpe dicta linea a corausto usque ad finem decimi octavi gradus continetur, tantumdem in linea qua Capricornus orditur, usque ad sextæ horæ terminum constituo et ita in singulorum initiis signorum et mensium uniuscujusque horæ certum terminum inveniens punctis designo; sicque in cujusque horæ fine a punctis ad puncta obliquas lineas, ut videlicet incrementa et detrimenta dierum postulant, decedendo totius horologii hujus mensuram consummabo. Quæ ut manifestius appareant, ipsam circuli quadraturam in 90 prædicto modo divisam, et perpendicularem lineam vice horologii hujus pendentem, et 66 gradibus, ut dixi, insignitam hic depingamus; ubi secundum ipsorum spatia et numerum graduum in superiori formula præscriptum horarum intervalla per singula signa et menses metiri valeamus.

(*Ita figura exhibetur in cod.*)

pendens linea. 1 Cathetus sive perpendicularis.



Hoc modo mensuratum horologii hujus instrumentum, verso ad instantis mensis et signi lineam sciothero, ad solis radium suspende, et quamcunque horam summitas gnomonicæ tetigerit umbræ, ipsam non dubites adesse.

In hoc etiam horologio si duodecim prætaxatis signorum et mensium intervallis tertium decimum velis adjicere, ipsumque mensura, qua dicam, distinguere, cujuslibet erecti corporis in plano stantis altitudinem per umbram ipsius facile poteris investigare. Cum enim cujusvis in planitie erecti corporis umbra triangulum orthogonium effingat, cumque nihilominus in hoc instrumento triangulam umbram sciotherus ad umbram a se factam habuerit, eamdem sine dubio inumbrata planities obtinebit ad corpus quodlibet quod umbram jacit. Ideo in tertio decimo, quod dixi, intervallo certas sciotheri partes, utpote 8 7 6 5 4 3, dimidiam bissem, ejus dodrantem, dextantemque totam ejus longitudinem, et quemvis super particulam ipsius duplum, quoque octuplum ipsius, A seu alias quaslibet habitudines mensura diligenti notisque discernito, ut verso ad ipsas dimensiones sciothero, umbramque lucente sole in ipsas emittente, quam proportionem ipse et umbra ejus invicem habeant statim possit apparere. Nam si ad sextam sciotheri partem umbra ipsius pervenerit, planities inumbrata ad altitudinem, quæ umbram jacit, sexcupla erit. Si ad quartam, quadrupla; si ad tertiam, tripla; si ad dimidiam, dupla; si ad totam longitudinem sciotheri pertigerit, æqualis erit. Si ad duplam, dupla; si ad triplam subtripla, et ita in cæteris.

CAPUT II.

De magnitudine ambitus universi orbis.

Quamvis Ambrosii Theodosii auctoritate universi B orbis ambitus notabilis habeatur, quia ab illo auctoritatis ratio quasi prætermissa est, volentibus scire proponatur. Quod enim a modernis impossibile judicatur, id a veteribus, sapientia duce, facillimum affirmatur, et quod corporis sensibus indagari non posse videtur, id rationis acumine luce clarius indagatum habetur.

Sumpto horoscopo sub stellatæ noctis claritudine inspectoque polo cum utroque mediclinii foramine, notataque graduum, in qua stetit mediclinium, multitudine, profectus est cosmometra per rectam lineam contra Septentrionem a Meridie tam diu, donec in alterius noctis claritate viso, ubi prius, polo cum utroque mediclinii foramine stetit ipsam mediclinium altius unius gradus numerositate. Post C hæc, ratione dictante, mensus est hujus itineris spatium, et notata hujus quantitate 700 stadia sive 87 milliaria affirmavit. Deinde datis unicuique 360 astrolapsus graduum, tot stadiis sive milliaribus inventus est ambitus terreni orbis. Nam, multiplicato per alios gradus unius spatio, quantum ex hac provenerit multiplicatione, tantum contineri probatur totius mundi circuitione.

CAPUT III

Eratosthenis de eadem re sententia.

Eratosthenes philosophus geometraque sagacissimus totius orbis terræ circuitum per mutationem gnominis umbrarum in terra secundum partes zodiaci ingeniose deprehensum CCLII stadia, id est: XXXID milliaria continere diffinit, unicuique 356 D partim in zodiaco 700 stadia, id est 87 milliaria et semissem deputans. Ex his juxta regulam circuli et diametrici crassitudinem seu diametrum terræ sic comprehendere poteris (*Vide* cap. 93 Geometr. Gerberti). Aufer vicesimam secundam de circuitu terræ, id est de CCLII stadiis tolle XXI CCCCLIV et semissem et XXIIam partem unius stadii, remanent CCXLDXLIV cum semisse, et XXI partibus unius stadii. Horum tertia pars, id est LXXXC LXXXI S. et sex vigesimæ duæ unius stadii terreni orbis diametrum seu spissitudinem juxta prædictam terræ circuitionem dubietate postposita continebit. Quod liquido satis caute supputanti patet, quamvis Macrobius super Somnium Scipionis idem diameiram

Digitized by Google

LXXX stadiorum tantum vel non multo plus dicat habere.

CAPUT IV.

Idem aliis verbis.

Ambitus terreni orbis CCLII stadiorum sive XXXID milliar. esse Eratosthene philosopho probatur auctore. Cujus vicesimam quartam partem, id est X stadia sive mille CCC XII scilicet milliar. Sol una transcurrit hora. Horæ autem parte decima quinta, hoc est unius ex 360 gradibus ascensu vel descensu solem 700 stadia sive 87, S. millia transcurrere prædicti terræ ambitus per 360 clarebit divisione. Diametrum autem terræ juxta circuli geometricalem regulam in LXXX C LXXXI. S. stadiis, seu IX XXII milliariis, CXI sextis decimis unius milliarii colligi probatur, quamvis Macrobius idem B diametrum LXXX stadiis, vel non multo plus esse fateatur.

CAPUT V.

De distributione quadrantis ita ut certas diei horas possis invenire.

Circuli quadram in 90 per quinquepertita intervalla in summitate divide. Hinc cursorem, qui infra volvitur, sic metire. Verso ad te quartæ centro in sinistra parte subtrahe 24 de ipsis 90, et per cursorem firmiter in sua concavitate manentem regula manente in centro posita et in gradu vicesimo quarto lineam trahe. In dextra vero parte de ipsis 90 19 subtrahe, et regula manente in centro et in decimo nono gradu, duc lineam per cursorem C et utrinque eam abscide, et hæc est longitudo cursoris.

Deinde circulum infra circulum secundum placitum, inter quem duo alii ducantur, in quibus per 6 divisis duodecim horæ notentur, et recte per distermimum horæ 3 et 4, et 10, et 11, regula in centro manente, et qui in quadragesimo quinto gradu ducatur linea, quæ dicitur æquinoctialis. Tunc in ipsa æquinoctiali linea cursor in 5 dividatur in parte sinistra; quarum 3 quæ proximæ sunt æquinoctiali lineæ, in 4 dividatur unaquæque, et in 9 duæ reliquæ. Similiter faciendum est in dextera parte, et notentur illa spatiola.

Mensium vero discretio sic fiat: in parte dextera duobus relictis spatiolis Januario 6, Februario 5, D Martio 6, Aprili 6, Maio 6 concedantur; Junio 4 ante solstitium, et hoc in superiori circulo. In inferiori vero circulo duæ post solstitium particulæ dentur Junio; Julio autem 6. Augusto 6, Septembri 6, Octobri 6, Novembri 6, Decembri 4 ante solstitium, et hoc est in inferiori circulo. Post solstitium autem in superiore mensium circulo duæ particulæ, quæ restant, Decembri tribuantur. Dehinc autem, ut supra dixi, Januario sex. Tunc polo verso ad te, ab ipso polo usque ad ultimum circulum in sinistra parte ultimam lineam in 30 divide.

Dehinc circulum intimum de parte dextera a prima divide usque ad ultimum horæ sextæ per 30, et sic a puncto in punctum duc lineas, quæ dicuntur Almucantarath. Secundum hanc descriptionem quadra superius depingatur. (*Ita figuram codex exhibet.*)



Inventurus horam cum quadra, quæ est cum cursore, æquinoctialem lineam cursoris quæ Martium Septembremque discriminat, duc super numerum, qui in gradibus in umbone notis altitudinem ejus climatis, in quo est, præsentant, utputa, si sis in nostro, id est in septimo climate, pone prædictam lineam super 48, ab imo sursus incipiens computare. Locato sic cursore duc perpendiculum super præsentem diem, in qua horam inquiris, et vide quam lineam ex Almucantarath a sinistro versum cursorem inferius tangat. Qua notata, duc perpendiculum ad caput ejusdem lineæ ex altera parte versus pinnulas, et ubi eam tangit perpendiculum, tu in cera perpendiculi fac punctum, vel perpendiculum, ut apud quosdam mos est, habeat cursorem parvulum. Hunc tu volve ad locum, ubi prædictam lineam tangat perpendiculum. Hac ratione invento puncto, et in cera per circulum perpendiculi notato, ubi altitudinem solis inventa poscit ratio. Quam inventurus levata quadra sinistrum soli humerum oppone, et tandiu eam huc illuc verte, donec sol utrumque pinnularum foramen penetret recto tenore. Gradus, quem tunc perpendiculum in umbone tetigerit, tibi, quantum sol jam ascendit, descendit, liquido demonstrabit. Super eumdem gradum perpendiculo jacente vide quam lineam ex Almucantarath superius tangat regionem. Super hanc lineam tu punctum in cera super pendiculum factum vel circulum pendiculi, ubicunque eam tangere possit, ponens considera, qui horæ perpendiculum superjaceat, et hæc est, quam tuus labor [*cod.*, quantus labor] exquirat.

CAPUT VI.

Ad mensurandam quamlibet in plano stantem altitudinem per suam ipsius umbram cum quadrato astrolabii.

(*Ex Geometria Gerberti, cap.* 21.) Si vis alicujus arboris vel columnæ, vel turris, vel cujusdam talium in plano duntaxat loco stantis altitudinis per umbram ipsius invenire, suspenso astrolabio solisque

Digitized by Google

ralio per utraque foramina Alhidadæ directim immisso vide in qua parte lateris quadrantis, quod in 12 partes divisum est, directa ipsius Alhidadæ stet linea, et quamcunque proportionem numerus partium super Alhidada apparentium ad 12, id est ad totum latus quadrati habuerit, eamdem procul dubio proportionem altitudo, quam invenire voluisti, ad umbram a se factam in planitie habebit; verbi gratia, si duæ supra apparent partes, ad quas 12 sescuplam habent proportionem, sescupla quoque umbra erit ad altitudinem. Si tres apparent, quadrupla; si quatuor, tripla; si 5, duplex superbipartiens quantitas; si 6, dupla; si 7, super 5 partiens septimas; si 8, sesquialtera; si 9, sesquitertia; si 10, sesquiquinta; si 11, sesquiundecima; si omnes 12, æqua erit altitudo et umbra et omnino cujuscunque proportionis triangulum Alhidada in quadrato ipso effecerit ejusdem proportionis triangulum, umbra cujuslibet erecti corporis in planitie statim formabit. In quo videlicet triangulo ipsa umbrata planities basis est; erecta altitudo cathetus, radius solis umbram tranversim limitans hypotenusæ vicem dignoscitur habere.

CAPUT VII

Alius modus altitudinem rerum metiendi.

(*Est ex cap.* 82 *Geometriæ Gerberti sumptum.*) Est et alia ratio altitudinem videndi quæ hujusmodi. Orthogonum, cujus cathetus 6 pedum sit, basis 8, hypotenusa 10, erigas ita ut terræ basis adjaceat, cathetus adversus rem illam, cujus altitudo perpendi debet, erigatur. Hypotenusa vero a summo catheti in summum basis ducatur. Si directo illic visus, ubi basis hypotenusæ jungitur, oculum appone ad terram prostratus. Deinde huc et illuc tam diu detrahe, oculo tamen semper opposito, donec summum catheti tibi illius rei, cujus altitudinem quæris, summitati adæquari videatur. Quo facto ponas signum, ubi oculum tenebas, et ex eo signo metire spatium usque ad pedem rei illius et hoc spatio per 4 partito quartam unam subtrahas, cæteras tres pro altitudine illa, quam quærebas, habeto. Hæc altitudinem videndi ratio certissima est, si tamen area per quam cathetus detrahitur non montuosa neque vallosa sed plana fuerit.

CAPUT VIII.

Quomodo circuli asmut depingendi sint.

Post Almucantarath, qui describantur, sequitur Assumuth seu rectitudo, quia his situr in cujus partis mundi directo sit aliqua regio, quæ taliter fuerit. Invenies primitus centrum regionis, accipiens latitudinem regionis a puncto *e* versus *b*, et faciens notam, supra quam pones regulam et punctum *c*, et, ubi absciderit diametrum *e a d*, erit centrum regionis, quam notabis puncto *o*. Et postea accipies eamdem latitudinem a puncto *c* versus *d* supra quam pones regulam et punctum *c*, et facies notam in loco tactus regulæ in diametro *e a d* super tabulam ligneam extenso, et scribes *i e*. Deinde facies circumferentiam per punctum *o* et *p* transeuntem ad centrum medium utrorumque, cujus pars *e b* in *c* per *o* manifesta, et alia *a c* in *b* per *p* occulta notabitur; quia illa quæ est a *b* in *c* per *o* de Assumuth erit lineis; alia vero post factas Assumuth delebitur.

Hoc facto divides eumdem circulum per duo media ducens diametrum in longitudinem per tabulam ligneam ex utraque parte ipsius circuli, in quo diametro invenies Assumuth centra. Divides enim partem circuli, quæ est a *b* in *o* per 9, et aliam, quæ est ab *o* in *c*, similiter per 9. Et sic facies de aliis inferioribus, licet superioribus sint majores; quæ cum sint totius circuli *g*, singulæ obtinebunt gradus decem. Quibus divisionibus signatis pones regulam super punctum *o* et secundam divisionem, id est supra primum gradum, et ubi absciderit diametrum, longe in tabula lignea facies primum centrum Assumuth. Per quod centrum facies circumferentiæ partem a circulo hemisphærii transeuntem per punctum *o* usque ad circulum Capricorni, et facies postea aliud Assumuth. Ad quorum divisionem, id est ad decimum gradum, et invento centro facies transire aliud Assumuth per idem punctum *o*, et scias quia cum feceris Assumuth ad 10, exibunt ad 10; et cum ad 10, exibunt S. Cum autem perfeceris unam medietatem circuli, redibis ad aliam, et sic omnes consummabis Assumuth.

Post horarum leneas pone caput Cancri super Almucantarath *i. g.* in occidente, et signabis locum capitis Cancri in parte horarum; sicque facies cum capite Arietis et Capricorni, et signabis capita eorum oppositorum in prædictis horis. Per quæ tria signa duces lineam crepusculi Orientalis. Similiter facies in opposita parte ad occidentale crepusculum.

Cætera desunt.

Digitized by Google

HERMANNI CONTRACTI

AUGIENSIS MONACHI

OPUSCULA MUSICA.

(Apud D. Gerbert., *Scriptores ecclesiastici de Musica*, tom. II, pag. 124.)

MONITUM.

Joannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad an. 1005 et De script. eccles. n. 521, in recensione Operum Hermanni primo statim loco ponit De musica librum unum; De monochordo librum unum, quos quidem Anonymus Mellicensis De scriptor. eccles. cap. 91 silentio præterit, testatus tamen Hermannum in musica pene modernis omnibus subtiliorem exstitisse, et cantilenas plurimas de musica, cantusque de sanctis satis auctorabiles edidisse; unde palam fit eum perinde ac in metris concinnandis pro cantu sacro etiam in musica theoretica et practica excelluisse. De eo generatim Honorius Augustodunensis lib. IV De scriptor. eccles., c. 12, testatur eum quædam scripsisse et dulcisonum cantum composuisse. Versus quosdam, quos ad finem adjicio, passim reperi in mss. sub ejus nomine; libros autem quos Trithemius recenset, frustra in bibliothecis Italiæ, Galliæ et Germaniæ quæsivi, alterum tandem, cujus initium ponit Trithemius l. c. De script. eccles. delitescentem in bibliotheca civica Viennensi, dum ex ea in bibliothecam Cæsaream transferuntur mss. a me, tunc Viennæ agente, avide descriptum hic edo.

MUSICA CLARISSIMI VIRI HERIMANNI

In consideranda monochordi positione ea prima speculatio occurrit quod omnis ejus integritas quadruplo, id est bis diapason, comprehenditur; quorum utrumque sesquialteri ac sesquitertii, id est diapente et diatessaron collatione perficitur. Quare autem non ultra quadruplum extendatur, vel infra sesquitertium coarctetur, hæc est ratio quod cum diapente et diatessaron unum diapason perficiant, diapason autem quinque tonis et duobus semitoniis, diapente vero tribus tonis et semitonio, diatessaron duobus tonis constet et semitonio diapason autem duplicetur, non erunt deinceps consonantiæ, quæ extensiores sint quadruplo, aut contractiores sesquitertio. Solus, qui has conjungat, tonus, sesquialteri videlicet ac sesquitertii differentia, restat. Ergo in utraque diapason septem voces omnino inter se diversæ; nam nulla earum cum alia perfecte concordat, nisi cum sua octava. Diapason superius, quia gravibus modulatur vocibus aperte, litteris insignitur majoribus, posterius vero causa acuminis, eisdem quidem litteris sed acutis notatur formulis. Ubi intuendum non alias atque alias denuo nasci, sed semel natas more septem septimanæ dierum iterum repeti sive innovari. Quare autem non amplius quam septem diversæ sint, non debet mirum videri; eousque enim in definiendis rebus diversitas, quousque diverse desinant videri requiritur. Ut enim ex multis pauca dicamus, sic grammatica ad octo, isagoge ad quinque, prædicamenta ad decem varietates rediguntur; itemque aliæ in aliis; ita in monochordo elementario quadruplici comprehensio rata proportionum diffusione septem diversarum vocum capax octavo semper in loco eumdem tropum sicut eadem soni virtute, ita etiam eadem reddit charactere. Licet autem et in aliis locis tropi redeant, tamen ut voce, ita litterarum dissimiles sunt positione.

Inter hæc etiam non otiosa erit speculatio quare musicæ integritate quadrupla magis quam alia conveniat proportio. Ubi primo omnium diligentius intuenti occurrit quod ipsius quadrupli genitura statim inter primas omnium numerorum radices, id est primo et secundo mirabiliter emergit. Unum enim ad duo comparatum duplum atque ideo diapason reddit. Binarius enim per se multiplicatus generat quatuor, cui unum collatum restituit quadruplum, quod est bis diapason. His ergo terminis, id est I et IV naturaliter includuntur numeri II et III, qui superparticularibus proportionibus diapente et diatessaron constituant. Duo enim ad tria diapente, tria ad quatuor diatessaron efficiunt. Unum quoque tribus comparatum diapason cum diapente compositum tripla proportione constituit. Cum ergo diapente ac diatessaron differentia sit tonus, ipseque, quamvis a consonantiis exclusus, consonantias tamen jungat, videamus an ipsius quoque proportio Pythagoricis malleis producta in his lateat seminibus.

Ubi primum nobis quædam admiratio de toni qualitate occurrit. Ipse enim consonantiis non indiget; consonantiæ vero ipso constitutæ videantur spatiorum raritate quasi quadam vastitate sesquialteræ. Quod quomodo sit, cum, post de inveniendis singulis vocibus docuerimus, apparebit. Nunc interim, ut eum ad suum hiatum complendum valeant corrigere, omnes suas mensurabiles partes, ut eum efficiant,

Digitized by Google

præparent comportare. Ergo diapason duas, diapente tres, diatessaron partes exhibet quatuor. Itaque II III IV in unum collectæ IX atque ideo tonum sesquioctava proportione faciunt. Igitur breviter ac manifeste patet quod a principali unitatis id sibi merito musica dignitas vindicavit; quod primoralis numerorum natura excellentissimis proportionibus creavit. Id, inquam, illud est quod a principali unitatis incipiens positura, ne vacillare possit, in quaternarii finivit quadratura, qui primus omnium duas nitens medietatibus elementorum fœderat compugnantiam, temporumque contemperat diversitatem, qui etiam musicæ necessarius est quam maxime, quatenus homini ex ea, sicut ex quatuor elementis existenti, in nullo contraria, vel inconsonans possit haberi.

Potest etiam adhuc mirum videri quod sicut in quolibet semine totus simul futuri corporis effectus latet, ita, in eo quod prædiximus, originali consonantiarum semine primum etiam illi qui in malleorum ponderibus reperti sunt numeri occultantur. Quos hoc modo quasi ex silice ignem excudemus si primo multiplicator id est binarius quaternarium, ternarius vero seipsum multiplicet. Quo facto VI VIII IX XII inveniuntur. Qui videlicet numeri instar teneri germinis emergentes miro modo, suo quidem semine quantitate numerosiores, sed proportionibus sunt contractiores; in semine quippe, utpote in toto omnes simul musicæ proportiones, id est dupla, tripla, quadrupla, sesquialtera, sesquitertia, sesquioctava senario quoque numero admirabiles inveniuntur, quas isti non nisi binario multiplicati æquiparabunt. Quod qui facere noluerit, hos numeros VI VIII IX XII XVI XVIII XXIV, integram videlicet consonantiarum complexionem habebit.

His igitur in sterili consideratione tractatis, quid septenæ voces variæ ad se invicem copulatæ efficiant videamus, prius id quod quemlibet simplicem movere poterit solventes, cur, cum bis septem quatuordecim reddant, quindecim potius voces habeantur. Hoc quidem numero tantum, non varietate fieri perspicuum est; nam sive susum sive jusum bis septem numeres, relinquitur quintadecima quæ, quia ad nnese octava est, æqualis ei et virtute est et charactere. Idipsum etiam in simplici diapason potest prævideri. Septem enim disparibus enumeratis vocibus, relinquitur octava, quæ æqualem primæ sonum habet et characterem.

Hæc hactenus quod cœpimus exsequamur. Igitur quadruplo, id est bis diapason bis septenas salva ratione XV compiectente voces rursus eædem ad similitudinem elementariæ parentis, in quadrichordis resolvetur congeries; quæ cum semel nata quatuor primarum chordarum positione invicem sibi eousque succedere non desinunt, quousque omnis tropus propriis omnium consonantiarum speciebus informari, ac in legalem tam arsis quam thesis terminum possit accipere. Hæc autem ipsorum vocabula sunt quadrichordorum, grave, finale, superius, excellens, quæ, quia tam chordarum numero quam continua successione nec non etiam tropica institutione solum quaternarium repræsentant, propriam velut filii ad parentum vultus nati generositatem demonstrant. Intuendum tamen quid pro repetitione IV pro naturali vero ratione duo sunt, grave enim et superius, item et finale et excellens unius naturæ sunt. Hoc autem quod aliis pro qualitate vocum grave, nos pro multimoda effectus ejus vi ac potentia primum vel principale nominamus: quia, quantum ad nomen primatus primum ad ipsum si dextrorsum mensuretur, primus etiam quadrupli passus concludit; quantum vero ad nomen quadrichordi, idem ipsum etiam, si sinistrorsum mensuretur, quod et magis valet solus quartus, primæ partitionis passus complectitur. Primus enim vacuus, secundus diapason, tertius diapente, quartus diatessaron, id est omnium quadrichordorum et troporum, sicut tertius omnium pentachordorum fontem mirabiliter elicit. Nam horum alter omnes diatessaron, alter omnes diapente species naturali genitura producit. Hinc etiam colligitur non esse naturaliter plures quam quatuor tropos, quos primum, ut dictum est, quadrupli quartus passus inclusit, quamvis unusquisque eorum majorum consilio in duos divisus sit, quatenus gravia gravibus, acuta convenire valeant acutis. Unde etiam factum est ut qui quatuor sunt in natura octo computentur ex numero. Est igitur talis ipsorum quadrichordorum positio, ut, quia tria quatuor inter voces sunt spatia, primum et tertium tono, medium occupetur semitonio; sicque duo in extremitatibus toni quatuor, medium vero semitonium duorum sit distantia troporum.

Illud quoque sciendum quod, cum in uno diapason septem diversæ sunt voces, nonnisi duo quadrichorda efficiant; septenarius vero unam, ut cunctis liquet, medietatem possideat, necesse est duo quadrichorda ipsa una medietate contineri, quod Græci synaphen (συναφήν), nos conjunctionem possumus dicere, ut videlicet superioris sit quarta vel acutissima, posterioris vero prima vel gravissima; quam medietatis rationem pro litterarum positione solum sorte ordinis exsequendam obtinuit. Quo loco quidam enchiriadis musicæ auctor non mediocriter erravit, qui ipsa bina septenarium vocum quadrichorda duabus contra naturam medietatibus separans, ipsius medietatis tropum, quod impossibile est, duplicavit; et ita pro duorum naturali positione tonorum continuum tritonum incurrit; sicque totius monochordi structuram regulari ejus ordine disturbato dextruxit, et tam eam quæ est secundum antiquos atque modernos quam eam quæ est secundum ipsius naturæ auctoritatem harmoniæ speculationem confudit. Sicut enim omnibus illud opusculum legentibus manifestum esse poterit, nulla, quam vel usus habet, vel naturæ constantia exposcit, in ejus descriptione invenitur specierum constitutio, nulla troporum dispositio, nulla rata vel plenaria principalium chordarum operatio, nullas in aquitione modorum

Digitized by Google

ce sequens ordo. Quippe ubi nulla ejusdem dispositionis chorda in octava eadem esse reperitur, quod tamen quia oporteat, et unanimi omnium assertione et insuperabili naturæ veritate comprobatur. Cum enim, propter significandam æquisonantiam, omne diapason a qua incipit in eadem littera terminari debeat, quale est in hac, de qua agitur, descriptione, quod cum A cecineris, in octavo loco secundum ipsum G id est tetrardus respondeat; cum B id est deuterum dixeris, in octavo A id est protus occurrat. Et, ut breviter perstringamus, quamcunque susum vel jusum chordam incœperis, ejus similem non in octava, quod oportet, sed in nona potius regione invenias. Hoc itaque, quia locus obtulit, ideo redarguimus, ne quisquam simplex dum aliam ibi, aliam in aliis institutionem intenderit. de omnibus incertus reddatur.

Adhuc et illud in quadrichordorum speculatione scire oportet, quod cum in multis communia, in hoc privata et propria possident officia, quod primum et quartum sibi in extremitatibus opposita, alterum necessario gravissimum melodiæ descensum, alterum altissimum ascensum, duorum vero mediorum alterum cantilenæ exitum, alterum, una excepta, omnium continet initia differentiarum. Ubi illud non prætereundum videtur quod quemadmodum discipulus non est super magistrum, ita nulla subjugalium differentia vel super magistrum vel cum ipso, sed semper inferius locum accipit. Omnis enim autenticus protus, deuterum quinto a finali loco, omnis autem subjugalis subtus in secunda vel tertia corda differentiam collocat.

Quæritur etiam quare, cum quatuor tantum sint quadrichorda, tam subjugalis quam autentici tria possideant. Quod facile considerata processionis eorum ratione solvitur. Nam cum omnis autenticus a propria finali incipiens propria diapason specie per superiores in suam transeat excellentem, omnis quoque subjugalis a sua gravi per finales in suos ascendat superiores, necesse est ut duo extrema semel, duo vero media, quia dupliciter sunt pervia, bis numerentur. Qua ex re quoque colligitur quod graves et superiores subjugales, finales vero et excellentes includunt autenticos, suntque subjugalium extremitates graves et superiores, finales mediæ, autenticorum vero extremitates finales et excellentes superiores mediæ. Quæ autem principalium, finalium, superiorum, excellentium sunt officia, jam diximus, et adhuc dicemus.

Interim quasi segnibus non est delassandum, sed quæ in monochordo quadrichorda bifariam fiunt, quæ eorum differentia sit, videndum. Ea quidem quæ dextrorsum numerantur, et de quibus jam aliqua diximus, troporum constitutiva dici possunt, habentque, ut dictum est, tonum in extremitatibus, semitonium in medio, bis synaphen in d, bis diezeuxin inter G et a. Ea vero quæ sinistrorsum computantur ad mensuræ rationem pertinent, habentque post duos tonos semitonium, id est in ultimo bis synaphen in E, bis diezeuxin inter a et b includunt; ista inter a et b excludunt, tonosque, quos illa inter g et a excludunt, ista inter g et a includunt. Illa per tonum, semitonium et tonum, ista per tonum, tonum et semitonium numerantur. Illa a gravibus in acutas; ista ab acutis transeunt in graves. Illæ sive a gravi sive ab acuta voce incipiant, æqualem sibi positionem defendunt; ista vero ab acutis transeunt in graves. Illa sive a gravi sive ab acuta voce incipiant, æqualem sibi positionem defendunt; ista vero ab acutis tono, tono et semitonio, a gravibus vero conversim semitonio, tono et tono, diversam videlicet positionem sortiuntur. Quorum quadrichordorum ad mensuram videlicet pertinentium nomina quia a multis dicta sunt, supersedemus dicere

Sufficiat igitur hæc nos de uniformibus vel tropicis quadrichordis dixisse, quæ fortasse diligentioribus ad majora investiganda viam fecerunt. Nunc qualiter ex eo quod principale diximus omnium quadrichordorum, id est diatessaron, specierum tam ordo quam proprietas oriatur, diligenter inquiramus. Quod ut apertius fiat, duorum quadrichordorum, id est quatuor troporum bis positorum, voces pro sorte ordinis propriis denotemus litteris, una in medio propter prædictam medietatis rationem bis numerata, non mensurata. Sunt igitur hæ graves sive principales A, B, C, D; finales hæ D, E, F, G. Est igitur necessario prima species diatessaron A, D constans tono, semitonio, tono, propriis comprehensa litteris. Secunda B, E constans semitonio, tono, tono, propriis inde hinc conclusa litteris. Tertia C, F, constans tono, tono, semitonio, suis utrinque munita litteris. Quarta D, G in positione prima, in constitutione et potestate quarta, regulariter propriis litteris septena vocum discrimina determinat hoc modo. Prima diatessaron species constat ex prima gravi et ex prima finali A, D. Secunda ex secunda gravi et secunda finali B, E. Tertia ex tertia gravi, et tertia finali C, F. Quarta ex quarta gravi et quarta finali D, G.

Videsne, quæso, ut principalis quadrichordi genitura omnes diatessaron species propriis comprehensas litteris procreet; nihilque desit, nihil exuberet? In qua descriptione illud est notandum, quod principio et fine principalitas vel proprietas specierum continetur: nam interpositæ voces ex charitate subserviunt. Quare autem in extremitatibus specierum duæ diversæ sunt litteræ, non mirum videatur. Nam cum nulla prædictarum vocum cum alia concordet, quamvis quarto loco eadem positio et ideo idem tropus redeat, tamen quia non æqualem vocem, idcirco nec eamdem repræsentat litteram. Quæ videlicet tam vocis, quam litteræ æqualitas soli diapason, ut post liquebit, reservatur. Igitur secundum numerum septenarium vocum concordat prima vox cum quarta, secunda cum quinta, tertia cum sexta, quarta cum septima. At vero secundum

Digitized by Google

troporum in quarto vel quinto loco reditum concordat prima cum prima, secunda cum secunda, tertia cum tertia, quarta cum quarta : secundum positionem dico, non secundum vocem.

Sciendum quoque est quod quasi quædam diatessaron species F, et ♮ invenitur, sed quia inter legales constitutiones locum non habet, repudiatur, ipsæque inter se nec acuuntur, nec gravantur, unde etiam cujusdam intervallum ex eisdem statuentis error convincitur. Possumus quoque in harum constitutione specierum naturæ virtutem potestatemque mirari. Nam si eas in sequens quadrichordum, quod tertius et ideo diapenticus quadrupli passus invenit, transponamus, erit prima D, G ratione perversa. Nam quamvis D propter communionem possit esse prima, tamen G numero septima tropice quarta, nunquam potest esse prima. Secunda ab E quæ est est deuteri incipiens, in a, quæ est proti, desinit. Tertia ibi, si natura inspiciatur, nulla est. Quarta a G, quæ est tetrardi inchoans, in c, quæ est triti, terminatur. Sed cum hæc confusio, si per ordinem numerentur, oriatur, quantum ille deliquit, qui solas formas non solum naturalium constitutionum intuens causas, D, G primam, E, a secundam, tertiam G, c nimis incaute definiunt, solam cæterum primam, id est a, d recte ponens, sed sibi ipsi contrarius, qui prius D, G primam posuit. Quod ideo tam isti quam omnibus musicis evenit, quia in positione primæ nulla quartæ consideratio est.

His ita se habentibus, sciendum est quod si quis ea quæ dicta sunt in secundo diapason facere tentaverit, non aliam genituram diatessaron nasci, sed eam quæ jam dicta est repeti videbit, et quod in gravibus vel principalibus factum est, in superioribus, qui ejusdem naturæ sunt, efficere valebit. Sicque colligitur quatuor esse primas A, D, a, d; quatuor secundas B, E, ♮, e; quatuor tertias C, F, c, f; quatuor quartas D, G, d, g.

Cum igitur, sicut jam sæpe dictum est, quartus quadrupli passus quatuor vocum capax, et quatuor troporum ordinem, quatuor quoque diatessaron species progeneret, videamus quoque de diapente speciebus, an et ipsæ de suo, hoc est tertio quadrupli passu, naturaliter orientes et ordinabiliter præcedentes, sicut diatessaron species in finalibus, ita ipsæ disponi detrectent in gravibus. Ubi primo sciendum est quod, sicut diatessaron species per graves et finales, ita diapente species per finales conficiuntur et superiores. Est igitur prima D, a constans tono, semitonio, tono, tono et propriis ex utrinque clausa litteris. Secunda E, ♮ constans semitonio, tono, tono, tono et suis ex utraque parte nitens litteris. Tertia F, c constans tono, tono, tono, semitonio et propriis hinc inde munita litteris. Quarta G, d constans tono, tono, semitonio, tono, et propriis litteris tam se ipsam quam utrumque finiens quadrichordum. Quas ut manifestiores reddamus, aliis eas verbis replicemus. Prima D, a constat ex prima finali et ex prima superiori. Secunda E, ♮ ex secunda finali, et ex secunda superiori. Tertia F, c ex tertia finali et ex tertia superiori. Quarta G, d ex quarta finali, et ex quarta superiori. Quæ si vicissim ad graves transponantur, occurrit prima A, E naturali quidem positione tonorum dico et semitoniorum, sed non ex duabus primis duorum quadrichordorum constans vocibus, neque eodem tropo, quo incipitur, finitur; sed hinc prima gravium, inde secunda finalium, atque ideo hinc propria tropo inde alieno, hoc est deutero, finitur. Secunda B, F, quæ deinceps non esse diapente species demonstrabitur. Tertia C, G, si tertia dici potest, ubi prima deviat, secunda omnino non est; non tamen ipsa ex duabus tertiis duorum quadrichordorum vocibus, sed hinc tertia gravium, inde quarta finalium atque ideo dissimilibus tropis, trito scilicet constans et tetrardo. Quarta jam sola perfecta occurrit, id est D, A excepto quod hæc non quarto, sed primo ordini deputatur. Nonne ergo attendis quod vicissim et diatessaron in finalibus, et diapente species violenter requirantur in gravibus? Ergo quod constitutio repudiat, forma tantum, si Γ Græcum apponatur, synemmenon quoque fieri potest, ut sit quasi prima Γ, A, B, C, E; secunda A, B, C, D, F; tertia B, C, D, E, F; quarta C, D, E, F, G.

Nunc etiam de diapason speciebus videamus. Superius dictum est quod duo septena vocum discrimina quatuor reddunt quadrichorda, quæ omnia secundum uniformem troporum successionem sunt æqualia, secundum institutionem vero specierum diapente et diatessaron primum tertio, secundum æquale est quarto. Unde necesse est ut, cum superiores gravium, excellentes octavæ sint finalium, quatuor diapason species inceptæ, a gravibus finiantur in superioribus, eædemque repetitæ a finalibus terminentur in excellentibus. Erit igitur prima A, a ex prima gravi et ex prima superiori. Secunda B, ♮ ex secunda gravi et ex secunda superiori; tertia C, c ex tertia gravi et ex tertia superiori. Quarta D, d ex quarta gravi et ex quarta superiori. Item prima propter prædictam communionis causam D, d ex prima finali et prima excellenti. Secunda E, e ex secunda finali et ex secunda excellenti. Tertia F, f ex tertia finali et ex tertia excellenti. Quarta G, g ex quarta finali et ex quarta excellenti. Quid, quæso, jucundius, quid certius erit, quam omnes prædictas species diapason, diapente, diatessaron a suo ordine non deviare; sed omnes primas in primis, litteris quadrichordorum, in secundis secundas, in tertiis tertias, in quartis quartas contineri?

Restat adhuc una vox, sed cur, postea patebit; nunc interim de tropis videamus. Tropus est inter unumquodque diapason multarum vocum ratis effecta intervallis apta in unum corpus modulatio. Tropi autem sunt quatuor in natura; sed, sicut prædictum est, propter specialitatem acuminis et gravitatis subdividuntur in quatuor. Sunt ergo simul

Digitized by Google

octo, quorum quatuor autentici, id est auctorales, quatuor plagæ, id est laterales vel subjugales sunt. Vocantur ita secundum veteres : Dorius, Phrygius, Lidius, Mixolidius; subjugales vero ita : hypodorius, hypophrygius, hypolidius, hypomixolidius. Autentici, quia finalibus concluduntur et excellentibus, his pro litterarum positione vocantur nominibus D, E, F, G, d, e, f, g ; subjugales vero, quia gravibus connectuntur et superioribus, et ipsi ista a litteris trahunt vocabula A, B, C, D, a, ♮, c, d. Vocantur etiam autentici et ab ordine protus, deuterus, tritus, tetrardus. Sed hoc secundum monochordi positionem fit, non secundum dignitatem. Nam unusquisque eorum autenticus est, hoc est auctor sive magister. Protus tono a deutero, sed ipse semitonio a trito, qui item tono distat a tetrardo.

Nunc quod hucusque longo tractum est sermone, hoc compendio terminemus ; ut unumquemque trapum suis principalibus litteris, propriis etiam omnium consonantiarum speciebus informemus : quatenus proto omne primum, deutero omne secundum, trito omne tertium, tetrardo omne suscipiente quartum, nil otiosum, nil superfluum relinquatur. Protus cum suo subjugali, quia primi sunt, necessario omnia quæ prima sunt requirunt; primas videlicet in omnibus quadrichordis litteras, quæ sunt A, D, a, d; primas species diapason, quæ sunt A, a, D, d; primam speciem diapente, quæ est D, a; primam speciem diatessaron quæ est A, D. Quæ generalis institutio utrique nunc secundum suam proprietatem specialiter subdividatur. Ex quatuor prædictis litteris autenticus tres sibi vindicat, id est D, a, d et est diapason D, d, in quarum una altissime, quantum ad legem, ascendit, in altera finit; in a media *sæculorum. Amen* canit. Habet diapente D, a, diatessaron a, d in superioribus. Quomodo hæ consient species, superius petendum est. Subjugalis vero similiter tribus formatur litteris A, D, a, et est diapason A, a, id est acutissimum et gravissimum. D vero media finit eum cum magistro: cum quo etiam diapente communitur; diatessaron, id ipsum quod magister accipit in gravibus. Quomodo ergo protus cum suis tantummodo principalibus informatus est litteris, sic et cæteri omnes secundum ordinem.

Deuterus cum suo subjugali, quia secundi sunt, necessario omnia quæ secunda sunt exigunt : secundas videlicet in omnibus quadrichordis litteras quæ sunt B, E, ♮, e, secundas species diapason B, ♮, E, e, secundam speciem diapente E, ♮, secundam speciem diatessaron quæ est B, E. Hæc generalis institutio ita utrique specialiter subdividitur. Ex quatuor prædictis litteris tres sibi autenticus vindicat, id est E ♮, et est E, e diapason, id est ejus acutissimum et gravissimum, ♮ vero media *sæculorum. Amen*, propter imperfectionem semitonii transfert in c. Habet diapente E, ♮, diatessaron c in superioribus. Subjugalis vero ejus similiter tribus formatur litteris, id est B, E, ♮, et est diapason B, ♮, id est ejus acutissimum et gravissimum, E vero media finit eum cum magistro, cum quo etiam diapente communitur, diatessaron vero possidet in gravibus.

Tritus cum suo subjugali, quia tertii sunt, necessario omnia quæ tertia sunt exposcunt : tertias videlicet in omnibus quadrichordis litteras, quæ sunt C, F, c, f; tertias diapason species, quæ sunt C, c, F, f; tertiam speciem diapente, quæ est F, c; tertiam speciem diatessaron, quæ est C, F. Hæc generalis institutio ita utrique subdividitur. Ex quatuor prædictis litteris tribus autenticus dominatur, id est F, c, f, et est F, f diapason, id est ejus acutissimum et gravissimum; c, vero media per *sæculorum. Amen* est officiosa. Habet diapente F, c; diatessaron c, f in superioribus. Subjugalis vero similiter tribus constituitur litteris, quæ sunt C, F, c, et est C, c diapason, id est ejus acutissimum et gravissimum; F vero media finit eum cum magistro, cum quo etiam diapente communitur, diatessaron vero suscipit in gravibus.

Tetrardus cum suo subjugali, qua quarti sunt, necessario omnia quæ quarta sunt requirit : quartas videlicet in omnibus quadrichordis litteras, quæ sunt D, G, d, g; quartas diapason species, quæ sunt D, et G, g ; quartam diapente speciem, quæ est G, d ; quartam quoque diatessaron speciem, quæ est D, G. Hæc generalis institutio ita illis subdividitur. Ex quatuor prædictis litteris tres sibi sumit autenticus, id est G, d, g, et est G, g diapason, id est, ejus acutissimum et gravissimum ; D vero media *sæculorum. Amen* continet. Habet diapente G, d; diatessaron d, g in superioribus. Subjugalis ejus similiter tribus disponitur litteris, quæ sunt D, G, d, et est D, d diapason, id est, ejus acutissimum et gravissimum. G vero media finit eum cum magistro : cum quo etiam diapente communitur, diatessaron vero collocat in gravibus. Ecce omnes ordinatim expensæ cum tropis etiam litteræ finitæ sunt.

Restat, ut supradictum est, vox una, id est, a superacuta, cujus hæc secundum mensuram est ratio, quod in ea primus quadrupli passus sicut in media a secundus finitur. Secundum distributionem vero litterarum, cum omnis tropus supra diapason aliquam vocem licentia accipiat, etiam et ipsam, id est a tetrardus, qui ei proximus est, jure licentiæ obtinebit. Quam rationem Ptolomæus non intuens, nec prædictam D duplicitatem perspiciens, quod in medietatis loco et conjunctionem quadrichordorum posita tam subjugalem tetrardi, quam etiam protum informare debeat expensis quatuor autenticis et tribus subjugalibus, cum secundum eum tetrardo subjugalis deesset, et omnibus ad invicem comparatis ipsum a superesset, octavum tonum per a, quod est mese, et per prædictum a, id est nete hyperpoleon disposuit multipliciter delinquens ; quia et disposita rite tribus subjugalibus, quartum quarto loco subtraxit, et, eumdem post omnes finales ponens, disci-

Digitized by Google

pulum magistro superposuit, et ideo hypomixolydium vocavit cum reliqui recte a subjectione vocabula tenerent. Postremo quod est absurdissimum, cum ejus dispositio ab a in a consistat, non aliam quam hypodoricam positionem, de qua etiam prædictum est, incurrit. Nulla enim alia positio est a mese ad netehyperboleon, quam quæ est a proslambanomenon ad mese, et ideo ipsa lege naturæ utrinque hypodorica est. Est enim a diapason, id est acutissimum et gravissimum; media vero D, quæ item non alius tropi finalis, quam proti suique subjugalis esse poterit. Item E, F, quæ deuteri sunt et triti, non erunt mediæ inter A et a; ideo nec finales. Quid ergo? Quia discipulus est tetrardi, fortasse finit magistri litteram, id est G, sortitur mediam, et ideo finalem, sed G non est media inter A et a; ergo nec finalis. Amplius. Omnis subjugalis a sua gravi A propria diatessaron specie ad finalem suum, a finali vero eadem diapente specie qua et magister ascendit. Ergo si G inter A et a media vel finalis erit, oportet ut infra se diatessaron et supra diapente habeat. Sed G infra bis diatessaron, supra tonum habet, non est ergo subjugalis. Age ergo, sit autenticus quintus ab A in a"; sed omnis autenticus habet aliquam mediam ex his litteris a, ♮, c, d, et inter A et a, media est D; sed hæc ostensa est esse proti ejusque subjugalis. Non est igitur hic aliquis novus tropus, sed hypodorius repetitur. Dicatur ergo huic Ptolomaico tropo; quia super magistrum esse voluisti, tam tuum quam magistri jus perdidisti. Sit ergo pro te octavus tonus a D in d, mediante G. Placet igitur omnes tropicas repetere institutiones, et brevissima sententia facere manifestiores.

Hypodorius disponitur ab A in a, mediatur et finitur D.
Hypophrygius constituitur a B in ♮, mediatur et finitur E.
Hypolidius construitur a c in c, mediatur et finitur F.
Hypomixolidius ordinatur a D in d, mediatur et finitur G.

A,	B,	C,	D,	E,	F,	G,	a,	♮,	c,	d.
Extremitas gravissima.				Media, quæ et finales.				Extremitas acutissima.		
Graves.				Finales.				Superiores.		

Hic notandum quod omnis subjugalis in quarto, C omnis autem autenticus, ut post patebit, in quinto loco mediam sortitur, quod non est mirum. Nam quartus quadrupli passus, a quo subjugales oriuntur, quatuor; tertius autem, a quo autentici procedunt, quinque voces includit. Unde cum unaquæque ex quatuor gravibus sua in quatuor finalibus pro media vel finali suam octavam in quatuor superioribus acceperit, recte quatuor subjugales per graves finales superiores gravati, mediati, exaltati, dispositionem suam terminaverunt. Ubi hoc vigilanter intuendum est quod, si subjugalis quartus socios suos quarto loco non sequeretur, G quoque sola ex mediis medietate privaretur. Nunc his non inutiliter inspectis, de autenticis similia faciamus.

Dorius disponitur a D in d, mediatur et initiatur in a.
Phrygius constituitur ab E in c, mediatur, sed non initiatur in ♮.
Lidius ordinatur ab F in f, mediatur et initiatur in c.
Mixolidius modulatur a G in g, mediatur et initiatur in D.

D.	E.	F.	G.	a.	♮.	c.	d.	e.	f.	g.
Extremitas gravissima, in qua et fines.				Media, in quibus et initia differentiarum.			Extremitas altissima, in qua altissimus ascensus.			

Sicut subjugales superius principio, medio, fine D propriis et principalibus chordis, ideoque et litteris informati tria prima quadrichorda, id est grave, finale, superius occupaverunt, excellens vero reliquerunt; simili modo autentici propriis et principalibus chordis et litteris instituti tria sequentia, id est finale, superius, excellens possederunt, grave vero dimiserunt. Et notandum quod omnia extremitatem, duo tantum quadrichorda obtinent medietatem, hæc autem sunt finale et superius. Sciendum quoque est vigilantissime quod non secundum quorumdam opinionem ideo autentici vocantur, quod tria suprema occupantes quadrichorda per acumen se extollere poterunt, cum si in hac re ad vocem intendatur, etiam in gravibus idem ipsi haberi possint, sed ideo, quia in medietate, quæ principa-

Digitized by Google

litatem obtinent, primi primordialem troporum positionem cum ipsis primis litteris, in extremitatibus vero secundam troporum positionem sive repetitionem cum ipsis litteris secundis habent. Primæ enim litteræ sunt A, B, C, D, secundæ vero d, e, f, g. Subjugales vero inde dicuntur, quod in medietatis suæ principalitate secundas litteras, id est D, E, F, G, in extremitatibus primas sortiuntur, it est A, B, C, D.

Quod si aliquis argutius occurrens dicat, cum similis sit quadrichordorum vel troporum positio, non multum curandum quas litteras quodlibet accipiat quadrichordum, et nos idipsum fatemur, dummodo utrumque diapason similibus notetur litteris.

A Nam cum duo septena vocum discrimina quatuor, ut dictum est, reddant quadrichorda, quælibet vox in duabus prioribus suum diapason, quod est octava vel æquisonantia, in duabus sequentibus simili requirit licentia. Quapropter, sive prædictis, sive aliis duo diapason notentur litteris, nihil præfatæ poterit obesse rationi, sed quæcunque primæ proponentur, autenticis ad medietates, subjugalibus devenient ad extremitates; et quæ secundæ, subjugalibus ad medietates, autenticis provenient ad extremitates. Sit ergo propositum primas litteras H, I, K, L, secundas L, M, N, O, haberi, has ergo in quatuor disponamus quadrichordis.

Graves.				Finales.			Superiores.				Excellentes.			
H.	I.	K.	L.	M.	N.	O.	h.	i.	k.	l.	m.	n.	o.	h h
A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	a.	b.	c.	d.	e.	f.	g.	a a.

Videsne, quæso, quod litterarum mutatio nihil B prædictam autenticorum et subjugalium rationem mutet; sed, quæ pro primis habitæ sunt, autenticorum, quæ pro secundis subjugalium teneant medietatem? Ex his omnibus etiam errasse illos colligitur qui, nullam vocum vel quadrichordorum differentiam facientes, eadem fere ubique in quintis locis signa ponunt, cum indubitanter verum sit quod nullus sonus cum suo quinto perfecte concordat.

Non abs re est etiam illud considerare, cum quatuor tropica sint quadrichorda et post graves aliud altius ascendit, quare solum tertium superius vocetur, cum ei adhuc aliud, id est excellens superius sit. Sciendum est ergo hoc, cum secundum positionem, tum etiam secundum dignitatem fieri, quod C etiam comparativum nomen ostendit. Nam cum duo sint media, finale et superius, finali superius tam dignitate quam positione altius ascendit. De positione nihil attinet dicere; de dignitate, unde et maxime nomen accepit, illud dicendum est, quod ei soli ex mediis primordialis troporum positio cum ipsis primis litteris sorte cecidit. Unde et ex eo, sicut supra dictum est, autentici principalitatem, sicut et sequenti medio, cui secunda troporum positio cum secundis litteris contigit, suam subjugales accipiant dignitatem. Excellens non de majori dignitate, sed de acutissima vocis qualitate nomen accepit, quod etiam posivitum nomen ostendit. Cui cum finale tam positione quam litteris sit æquale, quæri potest quare illi potius quam isti fines cantionum deputati D sint. Ad quod dicendum, quia prior est intensio quam remissio, et cujuslibet operis processus intensionem, finis vero quærit remissionem. Unde et cantilenæ post excellentium intensionem in inferioribus finem requirunt vel remissionem, ideoque et finales dicuntur.

In quo loco quæri potest quare autentici per tria quadrichorda ascendentes, et per eadem descendentes requiescant; subjugales vero similiter quoque per tria ascendentes non per tria descendant, sed in media via, id est in finalibus subsistant. Quod ita solvitur. Congruum est ut duo principalia officia, id est, *sæculorum Amen*, et fines in principalitate duarum medietatum teneantur; ut sicut semel in primaria medietate *sæculorum Amen*, ita in secundaria simul omnes fines suos possideant. Quia ergo nobis propositum est, quæcunque idonea suggerit speculatio, ad dilucidandas multiplices monochordi obscuritates in hoc opusculum quasi in unum fasciculum conferre, nolumus et illud esse occultum, quare tam hypomixolidius, quam Dorius inter D et d dispositionem accipiat. Potest enim mirum videri, quomodo in una eademque regione duo diversi efficiantur modi. Quod hac solvitur ratione. Cum quatuordecim voces ex quatuor reddantur quadrichordis, necesse est eas, secundum paris numeri naturam, duas medietates, quæ et prædictam diezeuxin faciunt, habere. Hæ sunt autem G et A, quarum una subjugalium medietates vel fines terminat, altera autenticorum medietates inchoat. Unde necesse est ut ea, quæ quarto loco subjugales secundum medietates terminat, tetrardi, ejusque subjugalis, qui quarti sunt, propria sint, id est G; illa vero quæ autenticos secundum medietates inchoat, solius proti propria sint, id est A. Hæ igitur duæ medietates inter unum diapason duos diversos, de quibus agitur, modos hac ratione conficiunt. Protus, dispositus a D in d, mediam habet A, finalem D. Ergo per cola, et commata finemque has suas proprias sæpius frequentans litteras, proprias quoque diatessaron et diapente species, quæ sunt A D, et D a, in cantando recognoscens hypomixolidio omnino dissimilis erit. Item propter sæpe dictam septenarum vocum medietatem, quæ sicut duo quadrichorda connectit, ita etiam duorum dispositionem troporum accipit, hypomixolidius quoque a D in d dispositus mediam habet G, ad quam et ipse per cola commata finem sæpius intensus, sive remissus recurrens, proprias quoque diatessaron et diapente, quæ

Digitized by Google

sunt D G, et G d frequentans, proto omnino contrarius efficitur.

His cognitis, non est scitu ignobile etiam indifferentes troporum positiones cognoscere. In qua descriptione quod octo specialiter hæc quatuor generaliter accipiunt hoc modo :

Protus disponitur ab A in D; mediatur in D et a.
Deuterus construitur a B in e; mediatur in E et ♮.
Tritus ordinatur a C in f; mediatur in F et c.
Tetrardus modulatur a D, in g; mediatur in G et d.

Ut ergo omnia priora fiant manifestiora, omnium troporum singillatim dispositionem sternamus hoc modo :



Nunc quod ad hunc locum dicendum distuli, magis apparet : quare videlicet mediæ dicantur ; ob hoc scilicet, quod unusquisque tropus proprio diapason conclusus, unam accipit mediam, quæ in subjugalibus diatessaron a gravibus, diapente ab acutis, in autenticis vero diatessaron ab acutis, diapente accipiat a gravibus. Igitur quia septem diversæ voces octo tropos omnino inter se diversos efficiunt, colligi potest quod septem, per se multiplicati, id est septies septem, quadraginta novem vocum discrimina positione diversa reddunt hoc modo :

A, B, C, D, E, F, G, a,
B, C, D, E, F, G, a ♮,
C, D, E, F, G, a ♮, c,
D, E, F, G, ♮, a, c, d,
E, F, G, a, ♮, c, d, e,
F, G, a, ♮, b, c, d, e, f,
G, a, ♮, b, c, d, e, f, g.

In præcedenti figura, diligentissime disposita, etiam minus intelligentibus patet quibus diapason, diapente, diatessaron speciebus omnis tropus consistat; quod autenticos finales et excellentes, subjugales vero graves includant et superiores ; quod autenticos finales et superiores, subjugales vero graves, finales superiores deprimant, medient, exaltent; quod subjugales primum diatessaron, dein diapente ; autentici vero primum diapente, postea vero habeant diatessaron ; quod autenticis regulariter in graves, subjugalibus similiter non sit transitus in excellentes ; quod autentici subjugalibus per diapente in finalibus, subjugales vero autenticis per diatessaron communicent in superioribus ; quod diapente in gravibus, diatessaron vero in finalibus formis tantum non legitima institutione inveniatur, quod tres diversæ species diatessaron, quatuor diapente, octo vero constituant diapason propter octo troporum qualitates ; Octava quippe specie inter unum idemque diapason, quo et protus disponitur, sed diversa medietate diversis quoque diapente et

Digitized by Google

diatessaron speciebus distincta, quod et superius plenius dictum est, quod D sola inter omnes chordas biformis sit; hoc est, quia quarta gravium et prima est finalium, et quia, secundum id quod quarta quartam diatessaron speciem in positione primæ repræsentet, similiter acutum d quarta est superiorum et prima excellentium; secundum id quod prima primas iterum diatessaron et diapente species unam claudit, alteram inchoat; secundum id quod quarta iterum quartam diatessaron speciem repræsentat; secundum id quod prima protum quantum ad legem altissimo ascensu; secundum id quod quarta quartum etiam subjugalem cum proto, tetrardum vero quartum autenticum per *sæculorum Amen* incipit. Et ut manifestius dicamus, in nomine primæ et quartæ primum autenticum et quartum subjugalium hinc per gravissimum deprimit descensum, proto adhuc specialiter in ea finem habente, inde eosdem per altissimum elevat ascensum, tetrardo adhuc in ea *sæculorum Amen* specialiter modulante. Hæc ideo breviter sunt recapitulata, ut uno intuitu lectoris oculis ingesta, promptiori et tenaciori capiantur memoria.

Oportet autem nos scire, quod omnis musicæ rationis ad hoc spectat intentio ut cantilenæ rationabiliter componendæ, regulariter judicandæ, decenter modulandæ scientia comparetur : quorum trium cui facultas affuerit, is demum musicus recte dicendus erit. Cæterum non parvi habendus est qui, nesciens componere, competenter novit judicare. Porro tertio, hoc est, modulandi imo ululandi studio cæcum cantorum vulgus occupatur, nullius rationi cedens, nullius sententiæ acquiescens ; illud etiam non quasi proverbium, sed quasi legibus indictum frequentans, verbum neuma quasi nemo, cum Græco eloquio neuma quasi noeumane, id est *flatus ascendens* dicatur. Flatus vero duas habet partes, id est arsin et thesin, hoc est *elevationem* et *depositionem*. Sed a meliori, id est elevatione, neuma dicitur, ut moneamus in cantilenæ dulcedine, quia flatu ab inferioribus ad superiora sonum impellente conficitur ut cor de terrenis ad cœlestia levemus. Alioquin in vanum cantat, cujus mens voci non concordat. Aut ergo isti errant, aut « divina sapientia, quæ quia apud se sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, » etiam hujus artis inspirata notitia sapienter sibi voluit cantari. Sed quomodo sapienter cantant, qui nihil de prædictis sciunt, qui tropum tropo permutantes confundunt, qui solam altisonantiam laudant? In hoc tamen justo judicio asino inferiores et imperitiores, qui et multo altius resonat, et nunquam ruditum mugitu, vel alia qualibet voce mutabit. O insanam hominum miserjam ! Nemo quippe in grammatica, quæ ad placitum constat, vitium patitur ; in musica vero, quæ est omnino naturalis, omnes fere non solum vitia non corrigunt, sed etiam defendunt.

Hactenus his plus justo verbosius immoratus sum, dum me horum piget pudetque. Nunc te convenio, qui hoc delectaris studio, te hortor, tibi suadeo ut jam dicta et deinceps dicenda tam manus quam vocis comprehendas exercitio. Maxime tamen troporum tibi curæ sit agnitio, propter quos fere omnis musicæ laborat intentio. Ad quam rem multum proderit, si quis proprias cujusque diapente et diatessaron species tam monochordi quam vivæ vocis usu memoriæ inculcaverit. Non enim quemvis audiens tropum, quis sit, indubitanter pronuntiare poterit, nisi jam dictis et deinceps dicendis diu multumque exercitatus fuerit. Sic ergo susum et jusum diatessaron species modulare :

Proti.			
Intense	D		Remisse.
C B A		C B A	

Deuteri.			
Intense	E		Remisse.
D C B		D C B	

Triti.			
Intense	F		Remisse.
E D C		E D C	

Tetrardi.			
Intense	G		Remisse.
F E D		F E D	

Videsne, ut omnes regulari et inconfuso ordine a propriis gravibus vel principalibus inchoentur, in propriis finalibus eleventur, item ubi incœperunt, deponantur. Inter quas quædam biformitas potest notari, quia et altissima est primæ et gravissima quartæ. Prima quoque et quarta in positione, non in potestate similes, in hoc differunt quod prima prius intenditur, postea remittitur; quarta prius remittitur, postea intenditur. Has species facile etiam una voce cantabis, si eas per consuetam *sæculorum Amen* melodiam incœperis, et prima definitione terminaveris. Quæ quidem diffinitiones licet pleniter et perfecte in finalibus cantentur et superioribus, tamen ultimæ neumæ in unoquoque quadrichordo a suo non discordant tropo.

Ut autem longe superius dictum est, quasi quædam diatessaron species F, ♮ videtur, sed quare non sit, quia ibi non dictum, hic dicendum videtur. Ubi primum dicimus simpliciter, quod cum diversæ diatessaron species per graves disponantur et finales, nulla harum tritoni dispositione consistit. Item, quia omnis diatessaron species duobus tonis constat et semitonio F, ♮, quia econtra tritono continuo continetur diatessaron non reputatur. Item omnes diatessaron et diapente species duorum quadrichordorum collatione perficiuntur, diatessaron quidem ex gravibus et finalibus, diapente vero ex finalibus et superioribus. Ergo, si volo, D, G primam diatessaron speciem dicere, quia ex duobus non fit quadrichordis, mentior. Ergo erit necessario quarta, constans

Digitized by Google

ex quarta gravi, et quarta finali. Si dixero eam primam forma me non institutione dixisse, firmissime recole. Si E, a secundam definiam speciem, erro. Quamvis enim ex duobus fiat quadrichordis, tamen rectum non sequitur ordinem, nam E secunda finalium, a vero prima est superiorum, primaque cum secunda nec eadem positione, nec eodem tropo congruit. Restat ergo ut sit secunda species E, a formaliter. Similiter si F, ♮ quo de agitur, tertiam speciem dixero, reprehendor, quia, licet ex duobus fiat quadrichordis, tamen F tertia finalium cum ♮ secunda troporum nec positionis nec tropi natura congruit, et cum tritono, quo nulla alia species contineatur, nec constitutiva, nec formalis species habenda est. Restat igitur ut hoc in loco tertia species formaliter per F et per b synemmenon, quamvis extraordinaria ratione, fiat. Eodem modo G quarta finalium cum c tertia superiorum, ut fiat quarta diatessaron species, non fœderatur. Nam si regularis ejus positio inspiciatur, id est tono semitonio, erit potius tertia diatessaron species. Igitur et in hoc loco formaliter quarta species per G c, interjecto semitonio, synemmenon habetur. Manifestum est ergo quia institutive diatessaron species a finalibus recte removentur et superioribus, quia si ibi naturaliter essent, nulla utique species deesset. Si enim synemmenon, quod non est regulare, aufero, simul ibi tertiam speciem cum quarta tam naturalem quam formalem perconcino. Sed hoc, ut longe superius dictum est, non est mirum; nam tertius primæ mensurationis passus, quia quinque voces includit, potius in his locis pentachorda quam tetrachorda operatur.

Est adhuc subtilior ratio quare F, ♮, diatessaron non habeatur. Hæc ita consideratur. Intendo D, G, diatessaron; et possum remittere diapente G c quia diatessaron et diapente tono differunt. Item intendo E, a, diatessaron; et possum remittere diapente a, D, quia differentia sesquialteri et sesquitertii congruit. Item, intendo E, ♮, diapente; sed non possum remittere diatessaron ♮, F, quia semitonium nunquam erit sesquialteri ac sesquitertii differentia.

Hæc pulcherrima solutio dictorum solummodo privilegio sequestratur atque immerito aurea vocatur. Sciendum quoque est Boetium, antiquissimos secutum musicos, tres quidem diversas diatessaron species diffinire, quas tamen minime naturali ordine disponit, quia eas a proprio fonte non educit; quod quivis diligens collatis nostris et ipsius verbis pervidere poterit. Qua de re vero in forma primæ secundum illum nulla quidem mentio est. Unde etiam factum est ut ignorata hujus speciei proprietate tropus quoque hypomixolidius, cujus ipsa est species, incongrue fieret dispositione; quod quia in superioribus pleniter absolvimus, hic jam minime repetimus. Tu ergo, quousque ex meus auditor, ut superius tibi dixi, causa agnitionis troporum species jam dictas tam chordæ tractu, quam viva voce inculca memoriæ, et lassitudinem, vel manus, vel voces propositis in quæstione prædictis rationibus relevabis, sicque duplici jocunditate lætaberis, hoc est, et dulcedine modulationis et alternorum varietate sermonum.

Perceptis autem perfecte diatessaron vocibus, sic susum et jusum diapente species cantabis.

Proti.			
Intense	G F E D	a G F E D	Remisse.

Deuteri.			
Intense	a G F E	♮ a G F E	Remisse.

Triti.			
Intense	c ♮ a G F	♮ a G F	Remisse.

Tetrardi.			
Intense	d c ♮ a G	c ♮ a G	Remisse.

Nonne consideras diligens dicta, ut etiam diapente species a propriis finalibus naturali ordine inciplantur, in propriis superioribus exaltentur, inofenso gradu ad exordium suum revertantur? Quas item, sicut superius dixi, si consuetis differentiis et diffinitionibus cantaveris, suaves tibi troporum agnitiones comparabis. Ut autem, sicut prædictum est, in diapente dispositionis jure duæ voces inveniuntur, id est F, ♮, quæ, licet quatuor voces concludant, tamen a diatessaron speciebus excluduntur; ita etiam in locis diatessaron proprie subjectis, id est gravibus et finalibus, superioribus et excellentibus duæ voces, id est B, F reperiuntur; quæ etsi quinque voces includunt, ab omnibus tamen diapente speciebus secluduntur. Quod quare sit, ita considera. Omne regulare diapente tribus tonis semitonioque constituitur; ista vero anomala species duobus tonis totidemque semitoniis completur. Quæ duo semitonia juncta non faciunt integrum tonum, sicque ad completionem diapente comma cum semitonio deerit. Ergo, quia tali imperfectione tenetur, inter diapente species censeri non meretur. Amplius: Inter quatuor diversas diapente species, quæ naturaliter finalium et superiorum collatione construitur, nulla est, quæ duobus tonis totidemque semitoniis invenitur; et ideo, quod in fonte non fuerit extra in hypocrisi repertum judicatur et reprobatur. Poterat etiam hinc subtilior haberi ratio, quæ ita procedet. Possum intendere diapente A, E, et remittere diatessaron E, B, quia differentia congruit. Item possum intendere diatessaron B, E, non possum remittere diapente B, F, quia semitonio obsistente differentia deficit. Et possum remittere diatessaron F, C; sed non possum remittere diapente F, B, ob eam-

Digitized by Google

dem causam. Similiter de F dicendum. Possum enim intendere diapente F, c, et remittere diatessaron c, G. Item possum intendere diapente F, c, sed non possum intendere diatessaron F, ♮. quia semitonium pro differentia non erit. Item, possum intendere F, b, sed non possum remittere diapente b, E, quia differentia per semitonium non erit. Item, possum remittere diapente ♮, E, sed non possum remittere diatessaron b, F, quia semitonium differentiam sesquialteri ac sesquitertii non facit. Differt autem F a B, quia F a se media et in acutum diapente, et in grave deorsum diatessaron potest remittere B; sola inter omnes voces a se ipsa media nec sursum diapente intendit, nec deorsum diatessaron remittit. Unde a quibusdam ignobilis vocatur, nec etiam in ordine suo deuteri *sæculorum Amen* recipit.

Videtur autem Boetius quadam in definiendis diapente speciebus labi inconstantia. Nam quatuor earum varietates esse dicens, easdem a ♮ quadrata ad B gravem remittit : in quibus locis omnes naturales non inveniens F, B, ultimam ponit, quæ probata est ropter suæ differentiæ defectum in diapente specie- A bus non reputari. Postea vero quasi sui oblitus, dum quæ species in immobilibus vocibus contineatur (1002) loqueretur, illam anomalam F, B, quam prius ultimam posuit, reticens, quatuor demum naturales diapente species ab E, in e, intendens denotavit; non tamen quæ species, cui tropo, vel quo ordine vel loco aptanda sit, demonstravit. Hoc autem, quia a nobis sæpe in superioribus dictum jam notissimum est, non est amplius memorandum. Quapropter ulterius jam transeamus, et quæ ad agnitiones troporum utilia sunt adhuc videamus

Itaque species diapente et diatessaron singillatim, ut supra dictum est, tam voce quam chorda in usum versis, accedit adhuc major troporum agnitio, quæ talis est ut junctis binis et binis speciebus, id est B prima cum prima, secunda cum secunda, tertia cum tertia, quarta cum quarta, in autenticis quidem diapente diatessaron, in subjugalibus vero diatessaron præposito diapente integrum cujusque tropi ordinem proprietatemque susum et jusum recitare discas hoc modo :

Hypodorius.		Hypophrygius.		Hypolidius.		Hypomixolidius.		Dorius.		Phrygius.		Lidius.		Mixolidius.	
a		♮		c		d		d		e		f		g	
G	G	a	a	♮	♮	c	c	c	c	d	d	e	e	f	f
F	F	G	G	a	a	♮	♮	♮	♮	c	c	d	d	e	e
E	E	F	F	G	G	a	a	a	a	♮	♮	c	c	d	d
D	D	E	E	F	F	G	G	G	G	a	a	♮	♮	c	c
C	C	D	D	E	E	F	F	F	F	G	G	a	a	♮	♮
B	B	C	C	D	D	E	E	E	E	F	F	G	G	a	a
A	A	B	B	C	C	D	D	D	D	E	E	F	F	G	G

C

Nonne perspicuum est prædictas diatessaron et diapente species, de purissimo fonte eductas, recto ordine esse dispositas? cum ipsæ junctæ, ut præcedens monstrat figura, omnia octochorda, hoc est, cujusque tropi diapason a propriis litteris inchoaverint, mediaverint, exaltaverint, finierint. Sicut enim duæ minores symphoniæ, quod suum est, duabus inæqualibus, sed tamen propriis litteris claudantur, sic econtra maxima, id est diapason, quod suum est, duabus æqualibus propter æquisonantiæ naturam utrinque concluditur; mediatur autem vel distinguitur una dissimili, sed tamen æque propria. Quod, sicut longe ante dictum est, non mirum debet videri quare cum propriis litteris unumquodque diatessaron sibique conveniens diapente debeat in medio copulari; tamen, cum nondum ibi sit æquisonantia ab his quæ diapason claudunt, necessario erunt diversæ. Unde longe a veritate discordant qui fere ubique in quintis locis eadem signa, quasi ibi perfecta concordia sit, ponunt. Quibus etiam hoc vitio contingit ut, contra communem omnem musicorum consensum, imo contra ipsius jura naturæ, eadem signa in nona potius quam octava regione veniant; sicque, quod nimis absurdum est, characteres tantum non voces æqualitatem habeant. Quocirca talis dispositionis studio immorantibus considerandum est quod, ubi dissipata principalium chordarum operatione, perturbata specierum constitutione, disjecto troporum ordine, nil fere veritatis, nil pene certitudinis constat, nihil se verum, nihil certum acturos sciant. Quod ut manifestius fiat, eamdem sub oculis dispositionem ponamus.

D

A, tonus.	B, semiton.	C, ton.	D, ton.
A, tonus.	B, semiton.	C, ton.	D, ton.
A, tonus	B, semiton	C, ton	D, ton.
A, tonus.	B, semiton.	C, ton.	D, ton.
A, tonus.	B, semiton. (1003).		

(1002) In margine alia antiqua manu : Immobiles vocat species, quæ sunt in se institutivæ naturaliter.

(1003) De hac dispositione plura dicta sunt in Musica Hugbaldi p. r, p. 152 et seq., ubi tamen nonnulla notarum et signorum discrepantia occurrit. Primæ ibi sunt *excellentes*, sed cum X loco N; alteræ vero *superiores*, sed cum / loco ♮; tertiæ *finales*, sed cum / loco N; quartæ *graves*, sed cum N loco X.

Digitized by Google

Si quis igitur ita studiosus fuerit, ut omnia ab initio hujus opusculi dicta vel deinceps dicenda per hanc dispositionem exemplificare certaverit, quanto se errori ejusdem descriptionis involverit, procul dubio inveniet. Cujus rei facultatem facere volentibus relinquentes, nos, ut fastidium legentium et operis longitudinem temperemus, id omittimus. Ut vero cœpimus, adhuc unam de agnitione troporum regulam a majoribus quidem ut rudem massam effossam, sed pleniter non a rubigine ecoctam videamus, eamque, ut diligentibus constare poterit, lucidam et puram reddamus. Quæ videlicet agnitio licet contracta sit brevitate, tamen lata et celebris est nobilitate; quia quod valde pulchrum in ea notatur, inter proprias et legitimas troporum sedes construitur. Est autem ejus talis ratio. Accipe tetrachordum, quodcunque volueris, verbi gratia gravium, addito utrinque tono, habes terminos modorum, qui fiant sedes troporum. Sunt autem quatuor tropi, et totidem vocum modi. Primus vocum modus est qui tono deponitur, et prima specie diapente intenditur. Hic habet agnitionem in hac antiphona : (1004) *Prophetæ prædicaverunt*; et : *In tuo adventu*, et similibus, quæ sex chordas non excedunt. Hic modus in principalibus proti chordis A, D, a, d, agnoscitur. Secundum modum ditono remissum, et secunda specie diatessaron intensum in principalibus chordis deuteri B, E, ♭, e, existentem pandit hæc antiphona : *Gloria hæc est*, et similes seu autenticæ, seu subjugales, quæ sex chordas non excedunt. Tertius modus tertia specie diatessaron remittitur, et ditono intenditur, sicut triti principales chordæ C, F, c, f, declarant. Hujus indicium est in hac antiphona : *Modicum et non vid.*, et similibus. Quartum modum vocum tono intensum, et quarta specie diapente remissum tetrardo aptamus, quia ipsius principales chordæ D, G, d, g illum conficiunt, quod in his antiphonis : *Si vere fratres* et : *Multi venient*, et similibus potest dignosci. Quæ ergo dicta sunt in sex vocibus constructa tam senarii numeri, quam maximi intervalli, quod tot vocibus constat, perfectionem demonstrant.

Et hæc secundum nostram speculationem dicta sunt; cæterum majores in his effodiendis agiles, in expurgandis segnes, dum sæpe dictam D biformitatem non attendebant, in quarto loco quarti tropi agnitionem subtrahentes offendebant, non considerantes, tropos invicem converti : ut protus tono depositus prima specie diapente intendatur; tetrardus vero econtra quarto ei loco oppositus, tono intensus, quarta specie diapente remittatur; deuterus ditono remissus secunda specie diapente remittatur. Tertius vero econtra ditono intensus, tertia specie diatessaron remittatur. Ubi et hoc notandum, quod extremi, id est, protus et tetrardus per tonum et proprias species diapente, medii vero, id est, deuterus et tritus per ditonum et proprias species diatessaron variantur.

Ergo uno vulnere in hac offensione sanato, alteram tribus ægram vulneribus requiramus et humiliter sanitati restituamus. Hi ergo, de quibus loquimur, ignorantes ea quæ dicta sunt in sex vocibus perfectissime constare, dum extractis regulariter tribus tropis per A, B, C, quartus secundum eos defuisset, assumpserunt adhuc septem voces, et antedictorum troporum ordinem æquali regula per D, E, F repetentes, quartum demum tropum per solum G tono remissum, duobus tonis semitonioque intendebant, ita ut dictum est delinquentes, quod eumdem tropum contra oppositum suum, id est protum, eo quo dictum est modo non converterunt; deinde quod eum supra modum intendentes, legitimam sex vocum metam excesserunt, quæ a C incipiens in a porrigitur; postremo eamdem intensionem nulla propria specie confecerunt.

Ergo hanc agnitionem troporum in quolibet tetrachordo, adjecto utrinque tono, perfecte fieri manifestum est. Si quadrichordum gravium elegeris, erit tibi quartus, de quo agitur, tropus in D, quia communis est inter protum et tetrardum. Si finale sumpseris, erit tibi econtra protus in D, tetrardus in G, nusquam prædicta vacillante regula. Eadem in superioribus et excellentibus speculari licet. Manifestum est ergo in hac regula priores musicos non agnitioni troporum intendisse, sed simpliciter per septem vocum discrimina septem quoque tropos dinumerasse. Unde quidam ignorata biformitate D octavum tropum omnino tacuerunt; quidam eum super magistrum; quidam cum ipso statuerunt : quæ omnia æqualiter absurda esse nemo est qui nesciat. Si enim quartus autenticus subjugalem non habet, unde tres præcedentes habent? Si habet, sed injuriose suo superponitur capiti, ibi eum locum non habere tam subjectionis jure quam dispositionis ratione sufficienter in superioribus monstratum est. Si secundum quosdam ipsius magistri sibi semitam usurpabit, ridiculum erit, quia inter G et g una media, id est d existente, simplicibus quoque diatessaron et diapente speciebus sibi succedentibus illo modo biformitas ibi non erit, quo inter D et d duabus mediis G et a, speciebus quoque diatessaron et diapente non simpliciter existentibus aptissima duobus tropis sinum biformitas aperit. Sed de his jam sufficienter dictum est.

Nonnihil quoque ad agnitionem proderit troporum, si quis simul omnium troporum diversitates dinumeratis hoc modo locis intuetur.

(1004) Notulas antiquas hic et in sequentibus ob typorum defectum omittimus.

Digitized by Google

Species Diatessaron.

I,	II,	III.	IV,	V,	VI,	VII.	
A, $\overset{o}{T}$.	B, S.	C, $\overset{o}{T}$.	D, $\overset{o}{T}$.	E, S.	F, $\overset{o}{T}$.	G, $\overset{o}{T}$.	a.
I,	II,	III.	IV.	V,	VI,	VII.	
B, S.	C, $\overset{o}{T}$,	D, $\overset{o}{T}$.	E, S.	F, $\overset{o}{T}$.	G, $\overset{o}{T}$.	a, $\overset{o}{T}$.	♮.
I,	II,	III.	IV,	V,	VI,	VII.	
C, $\overset{o}{T}$.	D, $\overset{o}{T}$.	E, S.	F, $\overset{o}{T}$.	G, $\overset{o}{T}$.	a, $\overset{o}{T}$.	♮, S.	c.
I,	II,	III.	IV,	V,	VI,	VII.	
D, $\overset{o}{T}$.	E, S.	F, $\overset{o}{T}$.	G, $\overset{o}{T}$.	a, $\overset{o}{T}$.	♮, S.	c, $\overset{o}{T}$.	d.

Species Diapente.

Species Diapente.

I,	II,	III,	IV.	V,	VI,	VII.	
D, $\overset{o}{T}$.	E, S.	F, $\overset{o}{T}$.	G, $\overset{o}{T}$.	a, $\overset{o}{T}$.	♮, S.	c, $\overset{o}{T}$.	d.
I,	II,	III,	IV.	V,	VI,	VII.	
E, S.	F, $\overset{o}{T}$.	G, $\overset{o}{T}$.	a, $\overset{o}{T}$.	♮, S.	c, $\overset{o}{T}$.	d, $\overset{o}{T}$.	e.
I,	II,	III,	IV.	V,	VI,	VII.	
F, $\overset{o}{T}$.	G, $\overset{o}{T}$.	a, $\overset{o}{T}$.	♮, S.	c, $\overset{o}{T}$.	d, $\overset{o}{T}$.	e, S.	f.
I,	II,	III,	IV.	V,	VI,	VII.	
G, $\overset{o}{T}$.	a, $\overset{o}{T}$.	♮, S.	c, $\overset{o}{T}$.	d, $\overset{o}{T}$.	e, S.	f, $\overset{o}{T}$.	g.

Species Diatessaron.

Si quis ita hebetis ingenii fuerit ut præcedentium lectione minus proficere possit, in præsentem figuram oculos infigat, digitum impingat et absque labore omni diversitatem et concordiam troporum, proprietates ordinemque omnium specierum denotet, et pro modulo suo sufficienter in hac arte scientiam acquiret. Multum quoque ad cognoscendam troporum qualitatem juvat, si consuetas diffinitiones, diffinitionumque versiculos multosque cujusque tropi et maxime prolixos cantus assidue ruminaveris, quales sunt in hypodorio : *Collegerunt pontifices; Cum fabricator.* In hypophrygio, ant. *Tota pulchra; Ostendit sanctus Gamm.*, et similes. In hypolidio, ant. *Adorna thal.; Confitemini Domino;* ℟. *Hodie nobis*, et similes. In hypomixolidio, ant. *Ante sex dies; Cum rex gloriæ ; Christe, qui regnum*, et similes. In Dorio, qui est primus autentus, ant. *Ave, gratia plena; Hodie completi sunt; Nativitas tua; Homo quidam, Duo homines*, et similes. In Phrygio, Gr. *Juravit Dominus; Exaltabo te;* Ant. *Respice in me*, et similes. In Lydio, offert. *Sancticavit* cum versibus suis, et plures similes. In mixolydio, ant. *Cum audisset populus; Sedit angelus*, et similes. Hæc ideo dixi, quia, cum vox prolixo cantui diutius immoratur, cognitio tropicæ qualitatis amplius in mente formatur.

Sciendum quoque est quod his et prædictis et adhuc dicendis multum quis assuefactus quemlibet tropum audiens cognoscere, melos quoque regulariter valebit efficere. Quo nomine vero cujusque tropi habitum expresse nominet non poterit invenire, sic- A ut in habitu hominis licet dicere hunc alba, illum vero nigra indutum esse tunica; sicut in facticiis bovis, equi, lupi, canis, asini, ovis, corvi quoque vocem mugitum, hinnitum, ululatum, latratum, ruditum, balatum, crocitatum solemus proprie nominare; sicut etiam solis habitum verno tempore clarum, æstivo anhelo, autumnali subalbido, hiemali pallido discernimus radio. Si protum, deuterum, tritum, tetrardum dixero, ordines eorum, secundum monochordi positionem, non habitus eorum, secundum melodiæ qualitatem, nomen protuli. Similiter si Dorium, Phrygium, Lydium, mixolydium vocavero, secundum quod quis ab illa vel illa gente magis amatus vel frequentatus est, non secundum melodialem habitum vocabula applicui. Eodem modo si ge- B neraliter pro naturali ratione hypodorium suavem, hypophrygium modestum vel morosum, hypolydium lamentabilem, hypomixolydium jocundum vel exsultantem, Dorium gravem vel nobilem, Phrygium incitatum vel saltantem, Lydium voluptuosum, mixolydium garrulum nominavero, aliquid plus in his quam aliis vocabulis designavi; nondum tamen specialia, quæ hujus suavitatis, modestiæ, lamentationis, jocunditatis, cæterorum naturalium accidentium vim exprimant, nomina reperi. O miram in hac re musicæ profunditatem, quæ aliquatenus patens intellectu nonnisi quibusdam superficialibus poterit vocabulis demonstrari.

Verbosus fortasse fastidiosis videor, qui omnia sibi absque scientia scire videntur. Sed hi; quæso, C attendant, non sibi hæc vilia, utpote philosophis in-

Digitized by Google

geri, sed simplicibus, hoc est, mei similibus ad majora confortandis, quasi lactea alimenta prælibari. Qui si aliquando remoto supercilio ad hæc legenda otio indulserint, videbunt me benevolentiæ causa in monochordi dispositione laborasse, ut obscura in veterum dictis dilucidarem, omissa repeterem, reprehensibilia corrigerem. Sicut ergo quis habens aurum vel argentum, dummodo in arca sit, minime qua in parte jaceat, curat; ita et ego dummodo quidquid speculari potero in hoc reperiatur opusculo, non multum, ut quidam, de ordinis diligentia curo.

Quocirca jam quia diu de tropis locutus sum, adhuc, si qua mens suggesserit, adjiciantur. Omnis tropus, id est indivisus, constat ex omnibus, id est ex quatuor principalibus proprietatis suæ chordis et speciebus; utpote protus ex prima gravium, ex prima finalium, prima superiorum, prima excellentium: et ex prima specie diatessaron, quæ ab A in D; et ex prima specie diapente, quæ est a D in a; et ex prima specie diapason, quæ est ab A in a; et ex prima illius consonantiæ specie, quæ est diapason cum diatessaron ab A gravi in d acutum. Similiter de cæteris troporum chordis et speciebus. Omnes autentici a finalibus incipientes, ad excellentes ascendunt, in superioribus distinguuntur; omnes vero subjugales, a gravibus inchoantes, in superioribus finiunt et in finalibus mediantur, ac per hoc finales et superiores utrisque sunt communes.

Quæ sequuntur habentur in eodem codice Vindob.; continenter post Hermannum. Hæc tamen ex variis aliis codicibus Ottoburano præcipue et *San-Blasiano, ac Lipsiensi suis notis instructa hic exhibemus, ut rerum periti practicam etiam musicæ istius notitiam sibi valeant comparare.*

I.

Explicatio litterarum et signorum, quæ in sequentibus occurrunt (1005).

e. e. t, e, c, t. t, c, s. , S, s.
E (e) voces unisonas æquat S. semi-
ts,t,t, ', t, ts,s,t, te, tt. t, t. t, t, et,
toni distantiam signat. T toni differen-
t. t, t, ts. , ts.Ts, , e, ts.s, ts. t, ts,
tiam tonat. S cum T semiditonum sta-
ts.ts,t. tt.tt,t,ts. e,tt.tt, d,tt,s t.
tuit. TT (tt) duplicata ditonum titulat.
, d, d dt d dt. t. s. d, d. t, s
D (d) diatessaron symphoniam denotat.
s,s,ts.e. s, e, t, s. t. t. t,
Δ (δ)elta diapente consonantiam discri-
s. d, ds, s, , ss. e. ss d,
minat. Δ (δ)elta cum S bina cum tri-
t,t,d,t. s. t. t. t, ts. ts st. t te
tono limmata docet. Δ (δ) elta cum T.

(1005) Litteras hic expositas, nempe e, s, t, ts, tt, d Δ seu δ. ds. dt, et syllabis superpositas notarum antiquarum vagarum loco (dum necdum lineæ et claves, quibus hodie utimur, a Guidone *Aretino* inventæ percrebescerent) opportune substituendas existimavit Hermannus, cujus structuræ ratio hic datur. Signa interjecta earum quantitatem determinabant, scilicet (comma) litteræ postpositum notam longam, punctum vero brevem indicabat; unde hic dicitur quod notæ cum punctis sint remissæ, sine punctis vero intensæ; quæ magis ex sequentibus patebunt.

A s, s, t, t, e, t. t, s. t, t. st, t,
quaternos · cum limmate tonos maxi-
t. s,t.ts,s. s, ts, t. s, e e t,
mum videlicet in cantilenis nostris
s, t, t, st. t, d, t, s, t. t, e,
phthongorum intervallum determinat.
s, s, t, s d, ts, t, t, s, t, t t,
Sed hæ notæ cum punctis remissas, sine
t, s, t, t, ts, e, st. t,d,t,st, e. t, t
punctis intensas vocum differentias discer-
t. s, t. ts, s.
nunt prætexatas.

II.

Versus Hermanni ad discernendum cantum.

Versus atque notas Herimannus protulit istas,
Pandat ut ad notum cuique exemplaria vocum.
B t t, t. t, ts. d, d, s. d, e. t, ts. d, e.
Ter tria junctorum sunt intervalla sonorum,
e d, t,e,e, e, t, e, e, s, t, t. d, e,
Nam nunc unisonas exæquat vocula phthongos:
e s. s, t, t, s. t, ts. e, t. t, s. t, t, e.
Nunc prope consimilem discernit limma canorem:
e, t, t. t,t,t. s, t. ts, t, t, t, t. t, e
Nunc tonus affini tribuit discrimina voci:
d, ts. ts, s, t,t. e, ts, ts, d, ts. t, ts. ts,
Nec non assidue conjuncti limma tonusque:
t, tt.tt, t. t, tt.tt, ts, s, t, tt.t, t,tt.tt,t,e,
Et duo sæpe toni pariter sibi continuati:
d, d, ed, t, d. ts, e, s, t, t. e.d.d, e, d. d, e
Sæpeque dulcisonas moderans diatessaron odas:
e ss. s, t, t. t, t, t,ts,t. e. s, e. s.
C Et crebro grate mulcens aures diapente:
d, ss. ts, t, s, e. t, t, t, s. ss, s, t, t.e,
Interdumque toni bino cum limmate terni:
t, st, t, t, s, t, t, t, t, s, t, t,st,t,e.
Ac quandoque tonis connexum limma quaternis.
e, e,d, e,ts, t. t, d. [s, t, t, tt, ts, t. s, e,]
Hæc si voce notisque simul discernere noris,
s e. s. tt, ts, ts. s, t, s. d, ss. ts, t,t, e.
Quemvis distinctum potes his mox pangere cantum,
t, t, t, s, t, t, d,t, t, ts, d, t, ts. ts,t,e,
Discernendo thesin sine præcentore vel arsin.

Quæ sequuntur, in cod. San-Blas. sæc. XII *immediate præcedendibus sunt subnexa, alibi etiam a me lecta.*

D Ter terni sunt modi, quibus omnis cantilena contexitur, scilicet unisonus, semitonium, tonus, semiditonus, ditonus, diatessaron, diapente, semitonium cum diapente, tonus cum diapente, ad hæc sonus, diapason. Si quem delectat, ejus hunc modum esse agnoscat. Cumque tam paucis clausulis tota harmonia formetur, utilissimum est eas alte memoriæ commendare, nec prius ab hujusmodi studiis quiescere, donec vocum intervallis agnitis harmoniæ totius facillime queat comprehendere notitiam.

Digitized by Google

Quo vero clariora hæc fiant, præcedentes versus Hermanni cum notis, quas chorales vocant, ex codice Lipsiensi his subjicimus, quibus litteras et signa superius jam expressa denuo superius ponimus, ut totum rei rum musicorum artificium ex mutua collatione ad oculum pateat.



In eodem Lipsiensi cod. et in cod. San Petrino, ii dem notis, sine tamen litteris superpositis, sequuntur quæ supra jam ex cod. San Blas. dedimus.



Digitized by Google

HERMANNI CONTRACTI

SEQUENTIA

DE BEATA MARIA VIRGINE (1006).

(Apud Danielem, *Thesaurus hymnologicus*, tom. III, pag. 30.

1. Ave, præclara maris stella, in lucem gentium, A Maria, divinitus orta.

2. Euge, Dei porta, quæ non aperta, veritatis lumen, ipsum Solem justitiæ, indutum carne, ducis in orbem.

3. Virgo decus mundi, Regina cœli, præelecta ut sol, pulchra lunaris ut fulgor, agnosce omnes te diligentes.

4. Te plenam fide, virgam almæ stirpis Jesse nasciturum, priores desideraverant patres et prophetæ.

5. Te lignum vitæ, sancto rorante pneumate parituram divini floris amygdalum, signavit Gabriel.

6. Tu Agnum, regem terræ dominatorem, Moabitici de petra deserti ad montem filiæ Sion traduxisti.

7. Tuque furentem Leviathan, serpentem tortuosumque et vectem collidens, damnoso crimine mundum exemisti. B

8. Hinc gentium nos reliquiæ, tuæ sub cultu memoriæ mirum in modum quem es enixa propitiationis Agnum, regnantem cœlo æternaliter, devocamus ad aram, mactandum mysterialiter.

9. Hinc manna verum Israelitis veris, veri Abrahæ filiis admirantibus quondam Moysi quod typus figurabat : jam nunc abducto velo datur perspici. Ora, virgo, nos illo pane cœli dignos effici.

10. Fac fontem dulcem, quem in deserto petra præmonstravit, degustare cum sincera fide, remesque constringi lotos in mari, anguem æneum in cruce speculari.

11. Fac igni sancto Patrisque Verbo quod, rubus ut flammam, tu portasti, virgo mater, facta pecuali pelle discinctos pede, mundos labiis cordeque propinquare.

12. Audi nos, nam te Filius nihil negans honorat.

13. Salva nos, Jesu, pro quibus Virgo Mater te orat.

14. Da fontem boni visere, da puræ mentis oculos in te defigere.

15. Quo hausto, sapientiæ saporem vitæ valeat mens intelligere,

16. Christianismi fidem operibus redimire, beatoque fine ex hujus incolatu, sæculi auctor, ad te transire.

(1006) Hoc carmen Hermanni, quod cum in Assumptione tum in omnibus festivitatibus B. Virginis decantabatur, quamvis et vetustorum laudibus insigne et in libris ecclesiasticis sit creberrimum, me judice palmam ferre omnino nequit. Longiores stropharum ambitus a sequentiarum indole alieni turbant lectorum animos, displicet obscura atque confusa verborum ac sententiarum conformatio. Germanicam fecit cantionem monachus Salisb. *Ich gruss dich gerne meressterne aller christenheit, zu got uns beleit* (Hoffmann D. K. S. 143) ac Sebast. Brandt : *Ave durch leuchte Stern des meres*, etc. (Wackernagel. p. 124.) — I. Is. XLII, 6. *Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium.* Ad. : *Maria scribitur quinque litteris in quibus quinque mysteria beatæ Virginis designantur. Per litteram M intelligitur mediatrix; secunda est A, per quam intelligitur auxiliatrix. Tertia littera est R, per quam intelligitur reparatrix; quarta I, per quam intelligitur illuminatrix, quinta A, id est adjutrix.* — 2. M. H. *cœli porta*, vox ex hymno : *Ave, maris stella* desumpta, quem Hermannus in duobus primis clausulis imitatur. De porta non aperta Wack. p. 61. *Ezechieles porte, Diu nie wart ûf getân, Dur die der künec hêrliche Wart ûz und in gelân.* — 3. M. 14, *fulgur.* Cantic. VI, 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.* — 4. Fidem habuit Maria sermoni Gabrielis : porro docet Gregorius in passione Domini omnes apostolos fidem pene amisisse, Mariam tamen in fide stabilem permansisse, ac resurrectionem Domini ut certissimum quid exspectasse. M. H. Ad Torr. *desideraverunt.* — 5. Ad. : *In ligno quod erat in paradiso ortum est peccatum parentum nostrorum, sic opposito modo Maria lignum vitæ resuscitavit, quando Salvatorem mundi produxit.* Sed rectius *lignum vitæ* ad ipsam Mariam referendum cum Seb. Brandt, ita Teutonice cantante : *Dich, holtz des Leben, aus thau vom hymmel umbgeben hat gefeuchtet, erleuchtet der geyst der feyst mandell verkündet Gabriel. Rorante pneumate.* Amat Ecclesia imaginem desumptam de vellere Gedeonis, rore per miraculum madente, Judic. VI, 36 sq. Sæpissime adhibita est in carminibus Teutonicis, Wack. p. 101 : *Maria klar du pist fürwar figurlich woll pedeutenn Das kitzfell fron, das Gideon Von got siglich zu streiten Betzaichnet wart.* Christum infantem sæpius appellari *amygdalum*, hoc tibi pateat ex loco Numer. XVII, 8 : *Regressus Moses invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi; et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalos deformati sunt.* Virga est typus Mariæ, amygdalus Christi. Audias denique nostræ gentis poetas. Wack. p. 56 : *Inin erde leite Aaron eine gerte din gebar mandalon. Nuzze alsô edile : Die suezze hast du fure brâth Muoter âne mannes rât, Sancta Maria*, p. 634, *hinaht het blügt herr Aarons rut, da us ihr mandels fruthe wut* — *dis ist gesin die magct gut* u. s. w. — 6. Ita Isaias in vaticinio contra Moab (XVI, 1) *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Hoc prophetico sermone prætermisso, mirifice sudarunt interpretes multaque inania excogitarunt. — 7. Is. XXVII, 1 : *In die illa visitabit*

Digitized by Google

HERMANNI CONTRACTI

CARMEN

DE CONFLICTU OVIS ET LINI.

(Edélestand Du Méril, *Poésies latines populaires*, Paris, 1850, pag. 379)

Tempore quo campi linum solet herba vocari,
Cum sibi jam telas spondet anus dubias,
Stans juxta posito linum mirabar in arvo;
Dum nodosa seges cor oculosque tenet,
Talibus hærentem rapuit sibi iis nova mentem,
Quam, quia digna stylo visa fuit, replico.
De grege (grex aderat) paulum submota subintrat
Calcatisque satis hæc pede sternit ovis.
Jam satis attritis post cursus incubat herbis;
Herbida dat gratum terra refrigerium;
Sicque jacens sumptas revocans ut ruminet escas
Mittit ad os alia quod redit inde via.
Herba (quis hoc credat? sed mutis pene ministrat
Verba dolor magnus) non silet ulterius.

LINUM.

De tot quas cernis, inquit, communibus herbis,
Ut quid ad hos usus complacui potius,
In quo congereres fetenti vellere sordes,
Quam pede contereres, oreque pollueres?

OVIS.

Ast, ait, in reliquis cur parci debeat illis
Causa, quod aut homini sunt cibus aut pecori?
Si te, cum nullum tellus producat ad usum,
Si sapias, gaudes [*l.* gaude] quod vel ad ista pla-
[ceas.

LINUM.

Te pecoris bruti partem satis esse probasti;
Hoc tamen interea vellere me releva,
Quo spolianda velis nolis post pauca jacebis
Turpiter, ante tuæ vincta pedes dominæ.
Interea totas percurrens forcipe lanas
Nec caudæ vellus fœda relinquet anus;
Tunc erit in patulo scabies tua, corpore nudo;
Ulterius noli multiplicare loqui.

A OVIS.

Si recte saperes, consumi sponte rogares,
Vel pede, vel potius subruta stercoribus;
Vivis ut intereas et ne sis esse laboras;
Tantum supplicio nasceris atque malo!
Quis queat in quantas rapieris dicere pœnas
Fœmineis manibus vulsa solo penitus?
Prorsus ut intereas, undisque soluta putresca
Nigros trunca prius perpetiere lacus;
Post longum tempus ab aqua transibis ad æstus,
Ut possis minui sicca labore levi.
Rurricolas varios, fortes contusa lacertos
Prorsus lassabis tritaque malleolis.
Cum jam perdideris quod habebas ante vigoris,
Ibis fœmineo dedita ludibrio;
B In ligno tensum, quod talem servit in usum,
De ligno factis te ferient gladiis.
O! quoties structam jaculis ex mille coronam
Transibis! quoties prætereundo gemes!
Per tam terribiles rapiens tua viscera dentes;
Te violenta manus mille trahet vicibus.
Cum nil restabit in te quod prendere possit,
Istud supplicium tunc patiere novum.
Astringet solidas panno pix illita setas,
Compositas æquis exterius stimulis.
Hæc scrutando tuas penitus penitusque medullas
Consument totum si quid erit reliquum.
Herba modo viridis frustra tumefacta superbis;
Tunc tot trita modis, nil nisi floccus eris.
Ventis ludibrium, leve pondus in aera raptum,
C Ulterius noli multiplicare loqui.

LINUM.

Parcius ipsa tamen nostrum profiteris honorem,
Si bene discernis omnia quæ loqueris.

Dominus in gladio suo duro et grandi et forti super Leviathan serpentem vectem et super Leviathan serpentem tortuosum et occidit cetum qui in mari est Maria quæ peperit Redemptorem eodemque collisit diabolum. Hinc fluxit consuetudo ex qua in figuris vel imaginibus serpens victus ac contritus a pedibus Virginis triumphando conculcatur.—8. M. 10. *quæ es.* Ad. *quosmodo es.* M. 14. Ad. *Torr. revocamus. Genium reliquiæ* Seb. Brandt: *die von Heyden komme synt.* Ut hanc clausulam prorsus intelligas, canonem missæ memoria tibi repetas. Quilibet enim sacerdos in celebratione missæ, repetita passionis Christi memoria, etiam memoriam agit beatæ Virginis ac dicit: *Communicantes et memoriam venerantes inprimis semper gloriosæ Virginis Mariæ.* — 9. Ad. *Abræ* S. Brandt: *Von dir aussgat Des ware hymmelbrot, Das vor ee dem waren* D *nam: was das bedeut Mögen heut wir armen leut Schawen schon al deckung an.* Est catholicæ devotionis ut Christiani ante sumptionem sacramenti precibus adeant cum angelos, martyres, sanctos, sanctasque, quotquot sunt, tum beatissimam Virginem, orantes ut divorum suffragantibus precibus muniti, digni accipiant angelorum escam, corpus Domini, potissimum in hora mortis. Cf. Wack. p. 103. *Erbirb, iunckfraw, vor meinem endt so ich wird alt und greyse Das heilig wirdig sacrament Werd mir zu ainer speise.* — 11. Sed alias: *ut flamma.* M. 11. *mundos.* Sicut Moses discalceatus accessit ad numinis figuram atque imaginem, nos quoque oportet pedibus nudis, id est a sæcularibus curis ac deliciis alienos, ad eum appropinquare, quem non amplius in figura sed incarnatum conspicimus. — 14. Md. Ad. Nb. *puros*

Digitized by Google

Nam labor humanus, sollers, ad lucra paratus,
Pro quo sic sudat non nihil esse putat;
Mille modis tritum transfertur in horrea granum,
Cum per pressuras exuerit paleas.
Non cellas subeunt, non reges antea pascunt
Quam careant acinis liberâ vina suis.
Tunsio crebra parat quod templa suus lapis ornat;
Sic capiunt formas ligna dolata suas.
Vis, pressura, cruces, tormenta, pericula, mortes
Præmia promeritas purificant animas.
Subsidium lini quærit respublica mundi;
Publica causa petit, publica cura colit.
In commune rogant ac in commune laborant;
Unusquisque suis me parat officiis.
Unica res linum quam Conditor utile donum
Rebus mundanis post elementa dedit!
Sed quia me sub aquis solvi putredine dicis,
In te verte tuos, ut taceas, oculos.
A turpi turpis abstracta cadavere pellis
In tectum trahitur sole cremata diu
Et simul in cocto nigrescit tota veneno;
Indurata subit baluca digna sibi.
Balnea sic farris et aquæ confectio putris;
Vilior in vili vase putrescis ibi.
Hic qui te mersit, quoties te fuste movebit,
Nares distorquet et caput hinc removet.
Tantus enim sese fœtor protendit ubique
Ut fugiant ipsi sæpe domum domini!
Cætera quo sileam, nam plurima cætera restant,
Ulterius noli multiplicare loqui.

OVIS.

Quum te magnifices, quum de te grandia jactes,
Si taceam, reputor forsitan inferior.
Sufficiunt hominum vitæ duo maxima rerum:
Frigora vestis agens, esca famem removens;
Humanis rebus non est spes altera prorsus:
Hoc munus geminum tolle vel alter utrum.
Utraque mittit ovis, propellens frigora lanis,
Eliciens [*l.* que] cibos ubere nectareos.
Perfundit totas grata dulcedine venas
Ille recens haustus, dum liquor est calidus;
Cum friget, tritam si vis miscere polentam,
Mirans jurabis nectar adesse Jovis.
In solidum vertes hoc, si medicamine tanges,
Estque per hoc ipsum dulce quod est acidum;
Illque super lignum per densa coagula pressum,
A forma teretem susc pit effigiem.
Si tenerum comedas, non deerit plena voluptas;
Si servare voles, tempora multa potes.
Est ubi non modico datus indivisus œno
Solo jure suos coctus alit dominos.
Est gens quæ mixto facit hinc sibi fercula lardo;
Vescitur et crudis crudior ipsa cibis.
Mille meas vires perpendens Flandria sollers,
Mille modis rerum lac facit ire meum;
Hæc et in oblongum formans lac pingue butyrum
Non escam tantum, sed facit antidotum,
Lactis et emerito replens sua dolia succo,
Restans fiscellis jus adhibet pateris;
A Quas ovis et quales mundo ferat utilitates
Plura nec enumerat Flandria si cupiat.

LINUM

Humanis rebus, neque enim tibi vera negamus,
Maxima sunt vestis et cibus, ut loqueris;
Sed sine te vestes, sine te lac mundus haberet
Absque tuo removens frigus et esuriem.
In te per stultam quod vis transferre rapinam,
Omnibus a reliquis id removere cupis,
Et dum te laudas, imo laudare laboras,
Laus tua sit multis invidiosa nimis.
Quis numerare queat ad victum quanta ministras,
Omnia dans homini larga manus Domini?
Quot sint ad vestes quæ dant animalia pelles?
Ingens aut nullus, ut reor, est numerus.
B Tu quoque testis eris, si tantum vera fateris,
Nostrum subsidio dignius esse tuo.
Multorum nunquam te contigit usus in escam;
Lac quoque vel pressum vel fugiunt liquidum.
Est tua cum pellis aut cætera lanea vestis,
Spernitur aut vilis aut quia visa gravis.
Sic ove sæpe caret semperque carere valeret,
Sed nunquam lino nudus habetur homo;
Denique tam gratum, tam delectabile donum,
Secum gestat homo tempore perpetuo.
Gestat cum cura, cum sollicitudine summa,
Astringit propius, applicat interius;
Applicat interius, nudos astringit ad artus,
Tanquam dicat, Amo quod mihi sic socio.
Si nix aut imber, aut turbidus irruit aer,
C Cautus, ovem nostram tradit ad obsequium.
Te tradit ventis obicitque furentibus auris;
Te nix perfundit, te quoque grando quatit;
Sic intempestus quoties occurrerit æstus
Ipsa pati flammas cogeris aerias.
Interea lenis pretiosaque linea vestis
Intus tuta latet, frigore, sole caret.
Tecta tegunt homines, ligni præcordia cortex;
Tecta suis nucleis, et mihi servit ovis.
Gloria magna tibi! lætare quod hoc meruisti,
Ut natura meis te paret obsequiis.

OVIS.

Pro te verba facis et eget tua gloria verbis;
Quod deest officio, corrigis eloquio.
D Sed frustra tenuas, imo tenuare laboras,
Tam commune bonum quod refugit numerum.
Si dant ad vestes animalia plurima pelles,
Pauca ferunt vellus, nulla, reor, potius.
Lana, patet cunctis quod conferat utilitatis;
Pauca tamen referam, ne penitus sileam.
Per se lana placet, per se nigrescit et albet,
Per se multiplices sponte gerit species:
Lana placet simplex: peregrinos adde colores;
Fucos Assyrios exhibet et Tyrios,
Nam [*l.* non] tot habent species famosi vellere Seres
Par quoque Corycio nostra figura croco.
Quantum non sanguis, non sol, non flamma rubescit
Tam rubeus rutilas veste, Britanne, mea.
Dura quidem, tenuis sine flocco planaque vestis,

Digitized by Google

Lenis in attactu nec minus in intuitu (*sic*).
Gallia, quam quondam veteres dixere Comatam,
Addit multiplicem velleribus speciem.
Gens variæ mentis variæ vult tegmina vestis,
Veste probans animi mobilitate geri.
Mille gerit varias hic in uno tegmine virgas,
Discolor ut virga, virga sit ut reliqua.
Hic reliquum corpus albenti vellere tectus,
Hac viret, ast alia rubbeus est manica.
Hic sua per geminas dum findit pallia caudas,
Rusticus est nisi sit discolor hæc alii;
Sed cum multiplicis gens hæc tegumenta coloris
Unusquisque suum comparet ad studium,
Hanc tamen egregium facit hæc provincia pannum
Qui viret aut glaucus aut quasi cæruleus.
Has vestes dominis gestandas, Flandria, mittis,
Has flocco crispans, leniter has solidans.
Tu fucare modis mea vellera, Theutone, nescis;
Nec tamen ista manus est operosa minus.
Docto versatas tenues in pollice lanas
Transfers ad tenuis delicias operis.
Tinges, Rhene, leves pulchra nigredine vestes,
Virginibus mittis ordinibusque sacris.
Suevia dat rufos non tincto vellere pannos;
Illis regum pelles, his operit proceres.
Est color e rufo, viridi confectus et albo,
Quem flavum dicis si proprie loqueris;
Hanc speciem pannis innatam sponte coloris,
Hister, amanda paras regibus ad tunicas.
Nobilis hæc nulli vestis penetrabilis imbri,
Nil habet hoc majus munere Theutonicus.
Quod fulget variis distincta coloribus iris,
Tot vestes pingis, o mea lana, modis.
Has ovis et plura his affert utilitates,
Quas homo mirari, sed numerare nequit.

LINUM.

Ut laudetur ovis, species numerare coloris,
Quæ poscat ratio non penitus video.
Splendor enim cœli suus est, suus est viror agri;
Quod nix albescit id decor ejus erit:
Sic diversorum sua laus est forma colorum;
Non sit ovis: nunquid non color ullus erit?
Una quidem lini, sed quæ non accidit illi
Exterius, simplex, sponte placens species.
Teste quidem mundo, species hæc congrua lino,
Et, qua terra patet, nostra figura placet.
Candida, sollemnis pretiosaque linea vestis,
Congrua lætitiæ, nescia tristitiæ;
Nec mortale genus solummodo veste muamus [bea-
[mus,
Immo delicias conferimus varias.
Floribus intextis, aliis subtilia signis,
Tergendis manibus lintea porrigimus.
Alba superpositis mundi mensalia donis
Sunt epulis regum cultus et auxilium;
Quo, si quis pannos casu substernat ovinos,
Escas offensi rejicient animi.
Molliter insertis ornans subsellia plumis,
Artus quos profert linea theca fovet.

A Sic super extentum candens dat lintea linum
Molliter exstructis ambitiosa thoris.
Iis superadde suis extra crispantia villis
Ornamenta, nives assimilare potes.
Ditia dependent quæ stratum vela coronent:
Huic vivas species dinumerare potes.
Cui speciosa suis tentoria nixa columnis,
Regum divitias, æquiparare queas?
Nomen et effigies a papilione trahentes
Quis reseret pannos, dona rotunda, meos?
Bellica compositis requiescunt agmina castris;
Liber et hinc illuc expatiatur equus,
Linea graminei extenta palatia campis
Tu scis quam gratum dant procul intuitum.
Iis tectos domibus non lædit turbo vel æstus;
B Præstat præsidium, dulce refrigerium.
Publica commoditas, belli pacisque voluptas,
Significant majus spirituale decus.
In capitis cultum consumit fœmina linum,
Ut taceam membris quod facit in reliquis.
Quid jactando refers fieri tua vellera vestes?
Si jubeo, penitus non erit ulterius.
Si viduæ [*l.* dividuæ] partes panni, per frusta jacen-
[tes;
Cum vestem faciunt, quomodo conveniunt?
Transit acus pannum, modicum, mea munera, filum
Secum transfixo trajiciens oculo;
Hoc pacto vinctos unit mea gratia pannos
Ut vestem faciant et speciem capiant.
C Te quotiens levis lædit scissura, recurris
Suppliciter nostra rursus egens opera.
Tunc submissa jaces, tunc sobria, tunc nihil audes
Dilaniata jacens nostraque dona petens.
Ornatus rerum, justissima gloria, linum;
Quis numerare queat commoda quanta ferat?

OVIS.

Multa queunt dici strepitu majora minori;
Magni, si posses, te, video, faceres.
Non tibi communes soli, precor, assere laudes;
Nos quoque, si sapias, participare sinas.
Inter tot vestes, propter quia vestis adhæres
Hinc te magnificas, plusque valere putas;
Sed nobis et in hoc contingit gloria major,
Sanctorum nudis artubus hæret ovis.
D Qui mundum fugiunt, qui spe cœlestia tangunt,
Quos sociat summo libera mens Domino,
Ad non fallaces quos jam conscripsit honores
In proceres cœli dextra beata Dei.
Talibus ergo viris est intima lanea vestis;
Hæc est quippe pio congrua proposito.
Hic linum fugiunt, lanas ad corpora stringunt,
Quod, sibi ni scirent utile, non facerent.
Nostræ corruptas pellis fœtoribus auras
Dicebas lædi, si bene commemini;
Ut taceam vestes, reliquas quoque commoditates
Quas habet hæc pellis usibus in variis;
Deputet id pretio cujus sollertia digno,
Quod petitur sacris apta ministeriis?
Si non scribantur libris quæ verba leguntur

Digitized by Google

Ordo sacer sanctæ deperit Ecclesiæ.
Invenient quali sunt omnes ordine jussi,
Ad lavacrum nascens, ad tumulum moriens?
Non jam præsul erit, non Romæ papa sedebit;
Solvetur synodus Ecclesiæque gradus.
Præterea quidquid sollertia grata reliquit,
Quod dedit Ægyptus, quod docet Assyrius;
Omnes postremo res gestas a patre primo,
Quod fuit ante chaos, seria sive jocos;
Quod Phœbus musas, musæ docuere poetas;
Quæ ratio stellas, quæve polos moveat,
Quæ metuenda malis, quæ sunt speranda beatis;
Quid sit qui rebus præsidet ipse Deus;
Omnia novit ovis, per oves hæc præcipit orbis;
Ipsa Dei Patris mystica novit ovis.
Vilior in toto pars, viscera, corpore nostro
Dulcem dant usum deliciis hominum.
Quadam divina resonat dulcedine corda,
Aptæ vincta lyræ, psalterio, cytharæ.
Expellit curas sonus hic et mitigat iras,
Anxia corda levat, tædia cuncta fugat.
Vis inimica fugit, possessaque corda relinquit,
Cum bene docta manus excitat hos sonitus.
Orpheus, Amphion, cum musis Phœbus, Arion,
Dum chordas feriunt, nomen ad astra ferunt.
Neu sanctis operam putet hanc vilescere quisquam,
Qui stravit Goliath ejus amator erat.
Sex quater esse patres, cytharas phialasque te-
[nentes,
Ante Dei [*l.* thronum] dicit pagina sacra thro-
[num *l.* (Dei)
Collige quid sit ovis cujus pars infima cœlis
Suscipitur, sanctas exhilarans animas.

LINUM.

Non opus est verbis; ovium balatibus ipsis
Quale melos fiat nescio quem lateat.
Cum pastæ redeunt, tremulo stridore requirunt
Quos lactent fœtus; quam placet ille sonus!
Quod parat interdum tergus sibi scriptor ovinum,
Est equidem quævis gloria, sed facilis;
Justior hæc vitulis, hæc gloria justior hædis;
Hædorum pellis aptior his studiis.
Denique fac ovium nunquam genus esse creatum,
Hos usus nunquid mundus habere nequit?
Illud ludibrio dignum reor esse profecto
Quod jactas: sanctis artubus hæret ovis.
Est equidem verum, sed quid, precor, esse decorum
Ipsa tibi reputas corpora si crucias?
Ut carnem reprimant, carnem per dura fatigant:
Inter dura satis esse meretur ovis.
Quæque molesta ferunt, quæ sint magis aspera
[quærunt;
Ad victum cineres, ad requiem lapides;
Nunquid ob hoc aliquis præferri jure putabit
Aut stratis lapides, aut cereri cineres?
Ecclesiæ tangis mysteria, terrea transis,
Cœlestes jactas cum patribus cytharas;
In laudesque tuas veteres replicando figuras,
Plectra manu fortis commemoras juvenis.

A Quanta ferant sacri lino præconia libri
Forsitan ignoras, aut, puto, dissimulas.
In Moysis libris (Moysen recipit canon omnis),
Imo legisti mystica multa geri;
Multos ipse Deus linum sibi poscit in usus;
Pauca tamen breviter commemorare placet.
Quæ domus insignis spatio meritove decoris,
Incircumscriptum quæ capit aula Deum?
Et tamen ipse sibi dictans habitacula poni,
Linum præcipue quærit in hoc opere;
Cortinas istum bis quinque requirit in usum;
Ex his quippe domus fœderis efficitur.
Has Moysi mandat de bysso texere torta,
Et genus est lini mollis et egregii.
Ille Dei plenus venerando cum duce cœtus
B Tale per hospitium promeruere Deum.
Se bysso torta velatur fœderis arca,
Felix tam sacri cura ministerii!
Ad rem divinam vadens antistes ad aram,
Significativis fulget in exuviis.
Prima quidem manicis includit brachia strictis
Huic poderis nomen; tendit ad usque pedem.
Est quoque talaris, sed dignior, altera vestis;
Illustrat penitus hanc color aerius.
Non habet hæc manicas; dependent hujus ad oras
Apte pronixtis aurea mala polis.
Floribus et variis Abaneth spectabile gemmis;
Subligat has vestes balteus ille teres.
Inde tegens humeros ad renes pervenit Ephoth
Inscriptas gemmis fertque tribus geminis.
C Quam logion Græcus, essin quoque dicit Hebræus,
Quinta, minor spatio, dignior est merito.
Bis sex distinctas formis et nomine gemmas
Præfert hæc vestis pectore pontificis
Quattuor ordinibus; trinas ordo capit unus;
Tot titulat patres, quot numerat lapides.
Hinc caput exornat, sed non tamen omne, thiara;
Ceu videas sphæræ dividuum mediæ.
Tegmina nec restant femorum quæ turpia velant,
Cum redit apta sacris hora ministeriis.
Nam sacra proposito nil confert lamina nostro,
Impendens fronti nomen habens Domini.
At reliquas vestes, quas hic numeravimus, omnes
De bysso fieri præcipit os Domini.
D Ne sit ovis penitus tamen expers muneris hujus,
Hanc Moyses etiam quærit ad hanc operam.
Præparat ex ovium rubricato vellere tectum;
Id placet arcendis sordibus et pluviis;
Id tanquam fictum ne sit mihi suspiciosum,
Tu dic assidue quod legis in Moyse.

OVIS.

In libris Moysis revera plurima novi;
Plus lino libris invigilavit ovis:
Nam tu, vel nescis, vel si te scire fateris,
Quæ restant cæca supprimis invidia.
Per Moysen plebi dans ritum sacrificandi,
Quid velit in rebus eligit ipse Deus
Munere purgandum mandans in lege reatum,
Non linum penitus quærit ad istud opus;

Digitized by Google

Sollemni vero vel tempore quotidiano,
Placari nostri per sacra vult generis :
Si Dominum plebi vis, inquit, propitiari,
Mactabis geminos de grege lanigeros.
Unius ex illis mihi viscera lota cremabis,
Exit ab hoc fumo suavis odor Domino;
Alterius sacras fusus cruor eluit aras,
Pontifices mundat pontificumque stolas.
Præsulis hæc eadem conspersio consecrat aurem ;
Ipsa pedem dextrum consecrat atque manum;
Nos sacramus eam quæ sacrat cætera dextram,
Cuncta sacrat summi dextera pontificis.
Cauda jubetur ovis fieri profectio sacris,
Pars est Excelsi reticulum jecoris.
Nobis assiduum purgat synagoga reatum,
Se redimens agnis quotidie geminis.
Quid sacra commemorem totum vulgata per orbem,
Quæ quot verba ferunt, tot sacramenta gerunt?
Pressa domus Jacob graviter sub principe duro,
Fessa malis, gemitum dirigit ad Dominum ;
Ille super regem sua signa manumque potentem
Elevat, ut sancto laxet iter populo.
Nescia molliri præstat mens dura tyranni
Atque decem plagas promeruit validas.
Toto non potuit Nilo sitis una levari,
Quotquot enim fuerant flumina sanguis erant.
Ad populi mensas, ad regis strata vel escas
Intrat, ubique comes, rana, secunda lues.
Inde culex modo surrexit in aera limo,
Morsibus assiduis musca molesta nimis.
Quarta replet pestis gravioribus omnia muscis ;
Infestum canibus id solet esse genus.
Invidiosa prius armentis et grege tellus,
Clade gravi totis surda remansit agris.
Ulceribus subitis turgens Ægyptius omnis
Istud idem passi quærit opem medici ;
Septima, dura manus : rumbis et grandine mixtus,
Interimens homines, turbo necat pecudes.
Quæ superant pastæ segetes et ligna locustæ,
Grandine contusos depopulantur agros,
In triduo penitus quos fert non aspicit artus
Ad superos, stygias passus homo tenebras.
Per sexus omnes hominum pecorumque priores
Ægyptus plaga perdidit in decima.
A solio regis ad eum qui clausus in umbris
Lugebat vinctus, pervenit hic gladius.
Ne tam communis involveret omnia pestis,
Ipse Deus dictat plebs sua quid faciat.
Pignus, Hebræe, tibi memorabile posteritati,
Ne pereas, inquit, masculus agnus erit.
Hoc mihi libatum reverenter et ignibus assum,
Hoc celer in facto dente pedes avido.
Nec discinctus eris mea cum sacramenta vorabis,
Nec pede nudato, nec nisi cum baculo.
Restet ab his sacris ne pars vel parva cavebis ;
Si tamen, hoc aliqua contigit, igne crema,
Nec quasi communem, temere jactate cruorem ;
Constat in hoc penitus sanguine vestra salus.
Hac sparsos sanie postes ac limen utrumque,

A Cætera quæ feriet dextera præteriet.
Festa dies illum quoties redit annua festum,
Huic referet populo fœdere perpetuo.
Si sacrata piæ penetras mysteria causæ,
Non sine compuncto percipis hæc animo.
Exsilii finis, optatæ causa quietis,
Agnus promissæ pignus erat patriæ.
Quod mare salvato populo, Pharaone necato,
Obsequii geminum præstitit officium ;
Quodque die nubem meruit, quod noctibus ignem
Et panem cœli colloquiumque Dei ;
Agnus causa fuit ; de quo cum denique desit
Auditor dignus, plura loqui fugimus.
Quid sit ovis reputans et ovem reverenter honorans,
Judice me, stultum corrige propositum.

B LINUM.

In causa recipi pro judice non solet hostis,
Nec lis ista tuo constat in arbitrio.
Justa quidem veteri non deest reverentia legi,
Nec pietas illis errat in eloquiis ;
Sed tamen umbra fuit ; præter moralia quidquid
Lex jubet illa vetus esse scias aliud.
Legales umbras contemnimus atque figuras,
Ad lucem sanctæ vertimur Ecclesiæ.
De nobis ejus communis judicet usus,
Quem fidei celebres instituere duces.
Quod linum sacras circumdat vestibus aras,
Nec magnifacio, nec nihil esse puto.
Denique purgati pars abjectissima lini,
Ad loca sacra piis excubat officiis.
C Partitis vicibus, quod sol splendendo diebus,
Id peragit linum noctibus officium.
Iste manu factis splendor dans lumina templis ;
Tu nosti melius quid gerat interius.
Cum sacra facturus sacra sumit tegmina præsul,
Quis locus est lanis ejus in exuviis ?
Vestes prætereo quas nominat usus ab albo
Et quæ sacratos rite tegunt humeros ;
Ejus utraque manu sollemnis tempore cultus
De lino factis albicat exuviis.
Sacro fert etiam crispanti vertice mitram
Ne lino vel in hac parte sui careat,
De lino factam, mersus baptismate, mitram
Pignus homo vitæ suscipit in capite ;
D Supplet baptismum præceptaque munera linum,
Introitumque sacram pandit in Ecclesiam.
Omen erit felix, quoties in vestibus albis
Somnia dilectas obtulerunt animas.
Quid nisi mœrores, curas, aliquosve labores,
Quod mihi significet lanea vestis habet.
Cœlicolæ terris parere leguntur in albis ;
Si quoties veniunt nuntia læta ferunt.
Desit in hoc etiam tua ne tibi gloria, quidam
Angelus est nigris semper in exuviis.
Plurima, continui revolutis mensibus anni,
A Christo dictus, festa colit populus ;
Sed tunc præcipua fervet devotio cura
Cum sit præcipuæ mentio lætitiæ ;
Tunc penitus, penitus æterna lege cavetur,

Digitized by Google

Ne temeret sacros vestis ovina choros.
Tunc quoque, divino candente per omnia lino,
Longius a sanctis pulsa recedit ovis.
Tunc etiam, de quo tibi plaudis, laniger, ordo,
Laniger ordo tuus cui placet hic habitus,
Desuper induto solet hunc abscondere lino;
Vestes infaustas dissimulando negat.
Quilibet incautus sancti consortia cœtus
Si præsumit ovis horridus exuviis,
Protinus hunc animo velut omine saucia mœsto
Concio sacra fugat a statione sua.
Angelicas vestes festo candore nitentes
Veste profanari non patiuntur ovis,
Non jocus hæc aliquis, non lex jubet ista forensis;
Sed ritus sancta sanxit in Ecclesia
Quæ quidnam facto moneat vel clamet in isto,
Hoc etiam medii mens capit ingenii.
Ad bona nulla malis locus est, ad sancta profanis,
Tristibus et lætis res simul esse nequit.
Jam nisi pro venia noli mihi fundere verba,
Ut supplex parci promereare tibi;
Ne modo te vinci pudeat sub judice tali,
Judicio sanctæ vincimus Ecclesiæ. —
Hic ovis, opprobrio lædi testata, silendo
Erubuit, tandem subdidit ista tamen.

OVIS.

Nec nos diffugimus hoc uti judice, cujus
Est agnus sponsus et pater et dominus.
Cum sacra facturus sacra sumit tegmina præsul,
Dignior exstat ovis ejus in exuviis.
Ecclesias sanctas quas matres nominat usus
Vel vitæ merito, vel fidei senio,
Munere majoris illas extollit honoris
Pallia Roma suum dans per apostolicum;
Plenum sacratis patet hoc insigne decoris
Atque super reliquas eminet exuvias;
Simplex a dextra, duplex a parte sinistra,
Pendens ex humeris, mystica dona gerit.
Plurima, continui revolutis mensibus anni,
A Christo dictus festa colit populus;
Sed tunc præcipua fervet devotio cura
Cum sit præcipuæ mentio lætitiæ.
Sedulus officiis devotæ gaudia mentis
Tunc aperit proprium quisque per obsequium;
Nil adeo sacri testatur gaudia festi
Quam sacra festivis clara domus titulis;
Tunc pretiosa suis surgunt, aulæa figuris
Ac in se raptis ora tenent animis;
Tunc operosa suis Hispana tapetia villis
Illinc rubeas, virides inde ferunt species;
Tunc statio sacri, tunc ipsa sedilia cleri
Demulcent oculos munere tecta meo;
Ex solo doctus nostri splendore paratus
Percipiet celebrem quilibet esse diem.
Ecclesiis septem totum vulganda per orbem
Scribit dilectus mystica, Christe, tuus.
Hæc divina piis oracula plena figuris
Qua debet cura suscipit Ecclesia;
Sed nihil est quod sic pietas amplectitur illuc
A Quam laudes agni quæ celebrantur ibi.
Quem vidi positum mysteria maxima librum
Implebant intus, inquit, et exterius;
Nemo tamen clausi signacula solvere libri
Et quæ verba ferat pandere dignus erat.
Notitiæ mundi mysteria tanta negari
Cum flerem: Noli, vox ait una mihi;
Munera quæ meriti negat imperfectio carni
Ille subire potest cui dolus omnis abest.
Illinc velut occisi species apparuit agni
Luminibus septem, cornibus et totidem;
At pulcher numero, meritis pulcherrimus ordo
Patrum viginti quattuor astat ei;
Hunc quoque quæ celebrant animalia quattuor astant
Sedulitate pia, vir, leo, bos, aquila.
B Quærenti librum cœlo terræque negatum
Porrexit magni dextra sedentis ei.
Affectu tacito, pia gaudia munere tanto
Ille Dei populus non tenet ulterius.
Corpora prosternunt; in laudes ora resolvunt;
It sonus a cytharis ac odor a phialis.
Est, aiunt, agnus hoc fungi munere dignus;
Nos moriendo Dei reddidit agnus ei.
O vere magnum tibi, trux leo, rapta per agnum
Natio, lingua, tribus, nec sacer est populus.
Vocibus et dignis istorum consonat omnis
Illius excelsæ curia militiæ;
Qui nulli numero cœlestis subjacet ordo,
Laudes mente pari concinit, Agne, tibi.
Voces multiplicant quibus atria summa resultant
C Et labor hic felix tædia nulla capit.
Gloria, majestas, honor et divina potestas
Debentur meritis, Agne perempte, tuis.
Agne, tibi tellus, tibi subdita servit abyssus;
Tu regis, Agne, polos inferiusque chaos;
Agne, tui juris hæc sint et quidquid in illis;
Talia gratuitæ præmia mortis habe.
Collige quid paucis ferat hæc sententia verbis
Et vel nunc, agno judice, cede polo.
Si partem rerum numeras in cætera linum,
Agno jure subest, qui facit omne quod est.
Ambiguæ vocis ne plus errore traharis,
Hic agnus Deus est; hoc tenet alma fides.
Si cupis ad veniam, tibi dux ero; tu modo linguam
Maguiloquam sano corrige consilio.
D Possunt cuncta tibi suffragia nostra mereri;
Sæpe Deum miseris conciliavit ovis.—
Hic stupuit primum tenuitque silentia linum;
Inde recollecto subdidit hæc animo.

LINUM.

Certa fides nobis commendat dicta Johannis,
Præ reliquis caro debita discipulo;
Desipit ille tamen, neque tangit mente Johannem,
Fœtum si quis ovis credit inesse polis.
Ridiculum vere si sancti verba prophetæ
Ingenio [*l.* et] teneri corde capis pueri.
Alitibus nunquid pecorique ferisque paravit
Regna superna, Deus perpetuumque decus?
Inter viventes soli ratione vigentes,

Digitized by Google

His sedes adeunt, hanc requiem capiunt
Ranas e cœlo summisit visio Petro,
Inter cœlicolas has ideo reputas?
Est aliquid porro cur se similaverit agno,
Nec tamen ipse tulit vellera factus ovis.
Significativam speciem vidisse prophetam
Jus erat, id typicis convenit eloquiis.
Si debetur ovi pro munere gloria tali,
Et propter nomen vermis habebit idem;
Tum quoque serpentis; tum nomine sæpe leonis
Significamus eum, sed tamen est neutrum.
Sed pia divino non deest reverentia lino;
Quam res vera facit, non vetus umbra parit,
Hanc, nisi quod nostrum mysteria tanta relatum
Transcendunt, breviter commemorare placet.
Interea cordi tu suggere, Christe vel ori
Illi qui sapiat, huic quoque quid referat.
Vera Deo Patri Deus hostia; Filius illi
Arbore restituit, arbore quod periit.
Ante Creatorem gratum direxit odorem
Fumus quem talis victima sponte dedit.
Hostia Christus erat, Christus tamen ipse litabat;
A Domino factum, corda stupent hominum.
Hic semel oblatus solvit quoscunque reatus,
Traxit homo proprio seu generis vitio.
Hostem delusum, mors hæc eludere nondum
Desinit, ablatis quotidie spoliis.
Illa facit virtus modo sæpe resurgere rursus
Mortibus absorptat innumeris animas.
Hæc quasi præteritas, jam tersit gratia culpas
In nondum natis Ecclesiæ populis.
Quos primus habuit, quos tandem mundus habebit
A Electos omnes liberat ista fides.
Ille semel fusus redimendi sanguis ad usus
Funditur in sancta sæpius Ecclesia.
Quod, duce perfidia, tunc natio fecit iniqua,
Per pietatis opus transiit in melius.
Dividit iste calix illius dona liquoris,
Quo profusa fuit lancea quæ pupugit.
Qua pietate Deum celavit corpore totum,
Hac tegit humanis hæc sacra nunc oculis.
Exhorreret homo carnes cum sanguine crudo
Et consanguineos nollet inire cibos
Crede tamen penitus, versis ab origine rebus,
Esse creaturas hæc elementa novas;
Ni foret hoc aliud, nequaquam sumeret illud
Vel malus ad pœnam, vel bonus ad veniam.
B Non animas aleret, si panis corporis esset,
Nec mala compuncto tergeret ex animo.
Non vires homini ferret, non tolleret hosti,
Non carnem mentis subderet imperiis.
O quam sunt tuti, quam carnis lege soluti,
Quam sibi dissimiles, his epulis homines!
Ebria corda pio rapit ad cœlestia voto,
Si fuerit sumptus, ut decet, iste cibus.
Quid miraris homo? Deus est in corpore vero;
Unde prius redimit, inde modo reficit.
His tamen in verbis ridet sapientia carnis
Et divina suis subdere vult regulis (*sic*).
Dicunt: Quæ ratio, quis in his deprenditur ordo?
Ore nolunt (volunt?) illi claudere jura Dei
Et dum, quem nequeunt montem transcendere, tan-
C [guunt:
. . . . . (*Cætera desunt.*)

ANNO DOMINI MLIV.

SANCTUS LEO IX

PONTIFEX ROMANUS.

PROLEGOMENA.

SANCTI LEONIS VITA

Auctore Wiberto æquali.

(Apud Mabill., *Acta SS. ord. S. Bened.*, Sæc. VI, parte II, p. 49.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Præter auctores qui summorum pontificum gesta scripserunt, nonnulli beati Leonis IX Vitam seorsim edidere. Wibertus, ejus in episcopatu Tullensi archidiaconus, primo unum librum edidit de iis quæ ille, D antequam ad sedem apostolicam proveheretur, gesserat, Romanis relinquens, ut ipsemet in prologo loquitur, *ea posteris transmittere quæ papa Romanus egisset.* Verum postea mutata sententia, librum al-

Digitized by Google

terum primo adjunxit, in quo ea quæ beatus vir usque ad mortem peregit, fusius exponit. Auctor anonymus, et ipse quidem testis oculatus, historiam mortis ejusdem conscripsit, in qua accurate et particulatim narrat quo pacto beatus pontifex morti proximus sese toto triduo ad ipsam obeundam præparaverit; tum subjungit aliquot miracula, quæ statim post ejus obitum edita sunt. Hanc historiam ex vetustissimo codice Ecclesiæ Beneventanæ, litteris Langobardicis exarato, publici juris fecit Ferdinandus Ughellus in Italia sacra, tomo VIII, ubi de Beneventanis episcopis agit. Invenimus præterea in ms. codice archimonasterii Remigiani apud Remos anonymi cujusdam collectionem miraculorum, Vitæ beati pontificis a Wiberto scriptæ subjunctam, in qua miracula complura narrantur, quæ ad ejus tumulum paulo post illius mortem patrata fuerant. Quorum quidem duorum anonymorum opuscula, cum aliis item miraculis ex variis codicibus descripta, in unum consarcinavit Godefridus Henschenius, eaque edidit die 19 Aprilis Bollandiani simul cum Vita a Wiberto descripta. Ad hæc Bruno Signiensis episcopus Vitam beati Leonis conscripsit, quæ inter alia ejusdem Brunonis Opera typis vulgata est. Præterea, ut plurimos auctores omittam, qui de aliquot ejusdem sancti viri gestis data occasione scripserunt, Anselmus monachus sancti Remigii Remensis libellum edidit sub nomine Itinerarii papæ Leonis IX, in quo refert ea quæ beatus pontifex anno 1049 variis in Germaniæ et Galliæ locis patravit, potissimum Remis, ubi archimonasterii sancti Remigii ecclesiam dedicavit, ac in ea concilium habuit generale. Denique Desiderius Casinensis abbas, qui postea sub Victoris III nomine summus pontifex fuit, libro III Dialogorum nonnulla ejusdem sancti viri gesta et miracula narravit. Verum ex iis omnibus auctoribus sufficere nobis visum est, binos Wiberti libros hic edere, cum anonymi opusculo, quod ex Ughelli Italia sacra modo laudavimus. Cætera qui cupit, adeat Bollandum ad diem 19 Aprilis. Si quæ tamen in aliis auctoribus observatione digna occurrerint quæ ad beati pontificis acta illustranda conferre valeant, ea pro opportunitate in notulis ad Vitæ textum, aut in his observationibus prævis referre non omittemus.

2. Quanta sollicitudine Ecclesiam sibi a Deo commissam beatus pontifex gubernaverit, probant præter libellum quem ab eo contra Græcos editum laudat Wibertus, complures litteræ quas ad varios orbis Christiani episcopos conscripsit. Ex iis quædam habentur ad Africanos ad sublevandum istius tam celebris olim Ecclesiæ statum, quæ sub Barbarorum tyrannide gemebat; aliæ ad Gallos, Germanos et Italos datæ sunt ad disciplinam ecclesiasticam restituendam; nonnullæ ad Antiochenum patriarcham, ut eum in apostolicæ sedis obedientia confirmaret; aliæ ad imperatorem Constantinum Monomachum, ejus animi in recta fide firmandi gratia: denique ut cæteras omittam, quas pro variis ingruentibus negotiis data occasione edidit, ad Michaelem Cærularium Constantinopolitanum patriarcham non semel scripsit, ut eum ad pacem inter Græcos et Latinos conciliandam adhortaretur; cumque ille noluisset a calumniis quas in Romanam Ecclesiam evomebat abstinere, eum tandem per legatos suos, quos ea de causa Constantinopolim misit, e sede exturbavit; cujus sententiam exsecutioni mandari voluit imperator, qui eumdem Michaelem in exsilium deportari jussit. Non minus laboravit piissimus pontifex in simoniacis et uxoratis presbyteris exstirpandis. Istorum occasione decretum celebre edidit, quod a Petro Damiani laudatur in epistola ad Cunibertum episcopum Taurinensem, inserta opusculo 18 ejus Operum novæ editionis; quo scilicet cautum est ut *quæcunque damnabiles feminæ intra Romana mœnia reperirentur presbyteris prostitutæ, extunc et deinceps Lateranensi palatio adjudicarentur ancillæ.* Contra utrumque vitium multis in conciliis actum est, sub Leone ejusque successoribus, ut videre est in conciliorum collectionibus, ubi etiam epistolæ beati pontificis, quas modo laudabamus, editæ habentur.

3. Berengarium archidiaconum Andegavensem, qui contra realem præsentiam corporis Christi Domini in eucharistia insurgebat, beatus Leo ab ecclesiastica communione removit. Hæ controversiæ occasionem præbuerunt varias synodos congregandi ac edendi professionis fidei formulas, quibus fidei catholicæ integritas sartatecta servaretur; sed de his alias. Hic vero observasse sufficiat quanta fuerit pontificis nostri vigilantia in iis tum quæ ad ecclesiasticam disciplinam stabiliendam, tum quæ ad tuendam rectam fidem pertinebant. Unde mirum non est si Victor III in ejus laudem asseruerit ab eo omnia ecclesiastica renovata fuisse, novamque lucem, ex quo pontificatum assumpsit, visam esse mundo exoriri; sed illustrius est tanti pontificis testimonium, quam ut ipsum hic integrum non referamus. Hæc itaque sunt ejus verba, quæ quibusdam miraculis a beato Leone patratis præmittit in libro tertio Dialogorum : « Leo, de quo nobis est sermo præ manibus, vir per omnia apostolicus, regali genere ortus, sapientia præditus, religione conspicuus, omnique ecclesiastica doctrina apprime eruditus, ac qui, quemadmodum scriptum est, cœpit invocare nomen Domini : quemque etiam vidi, ejusque familiaritatem habere merui; sæpe etiam eo in ecclesia missas celebrante, cum illo ad divinum altare sacris indutus vestibus steti, eique Evangelium legi. A quo omnia ecclesiastica studia renovata ac restaurata, novaque lux mundo visa est exoriri. Hic sæpe sacerdotale concilium advocans, sacerdotes, diaconos et reliquos clericos non regulariter ordinatos removit, et in eorum locis ad veri et summi Dei cultum, qui digne ministrare possent, constituit. Quotidie quoque per se suosque discipulos ubique missos populis viam Domini, litteris et verbis prædicans, ostendebat, qui per apostolicam vitam sem-

Digitized by Google

per gradiens, apostolicos etiam viros in miraculis est imitatus. De quo quidem plura audire me contigit, » etc. His paucis verbis Victor absolvit summam elogii beati Leonis, qui similiter *totam Galliam illuminasse* dicitur in testamento Odalrici præpositi Ecclesiæ Remensis, ubi tanta cum eloquentiæ vi contra pravos ecclesiasticorum mores in concilio Remensi disseruisse memoratur, ut multi ejus verbis perterriti beneficia, etiam quæ legitime obtinuerant, dimittere cogitaverint. Ex his se fuisse fatetur Odalricus, qui eidem concilio intererat. Testis est Leo Marsicanus libro II Chronici Casinensis cap. 88, eumdem beatum pontificem, quandiu Romæ moratus est, solitum fuisse tribus diebus per hebdomadam, e Lateranensi ecclesia usque ad sanctum Petrum, privato habitu ac nudis pedibus, cum duobus aut tribus clericis, noctu, psallendo et orando, pergere. Historiam sanctimonialis cujusdam, beati Leonis amitæ, quæ signo crucis diabolum fugaverat, refert Petrus Damiani in opusculo 47, cap. 3 et 4, quam *ex ore beati Leonis IX papæ* ab Adhelaide augusta auditam fuisse testatur. Sed de his satis.

4. Dubitant nonnulli an unquam beatus Leo professionem monasticam emiserit : certe hunc ordini nostro ascribunt præter Benedictinos scriptores plerique etiam exteri; id ipsum diserte affirmat Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1048, ubi sic habet : « Bruno episcopus Tullensis... erat filius comitis de Elingem, et monachus ordinis nostri. » Bollandiani tamen, qui se optare aiunt in observatione prævia ut tantus pontifex inter ordinis Benedictini alumnos recenseri possit, postea in notis ad caput 5 Vitæ per Wibertum scriptæ, dicunt videri sibi ex Wiberti verbis colligi facile posse Leonem Benedictinis nequaquam esse ascribendum, cum sic loquatur : « Porro sequentia lecturi desinent profecto mirari hunc potius per sanctum Benedictum quam per alium quemlibet sanctorum, sospitate restitutum, ubi volvente sermonis rota perpendere poterunt ex paucis quanto zelo pii amoris erga monachorum institutionem et correctionem flagraverit. » Verum hæc verba beati viri monasticæ professioni non adversantur, quæ optime cum illo sancti pontificis in rem monasticam studio coaluerit. Certe nostrorum causæ favent pleraque sancti pontificis gesta. Etenim vix extra nostra monasteria in itineribus, quæ sane ab eo frequenter facta fuerunt, hospitabatur; et cum in monasteriis versabatur, potissimum in præcipuis, capitulo intererat et refectorio cum cæteris monachis. Sic Remis peracta basilicæ archimonasterii Remigiani dedicatione, ac soluto concilio, *in capitulum venit atque a fratribus societatem petiit et accepit*. In monte Casino cum dies esset Sabbati, mandato fratrum adfuit, pedesque duodecim monachis lavit, a quibus vicissim et ipse lotus est; postea in refectorium quoque ingressus communem cum aliis refectionem accepit, ut narrat Leo Chronici Casinensis libro II, cap. 85. Omitto ordinis nostri monachos, quos e monasteriis eductos in legationibus aliisque majoris momenti negotiis gerendis adhibuit, vel quos ad episcopales sedes evexit; denique cum esset morti proximus, Richerium Casinensem abbatem accersivit, ut Romam redeundo eum haberet itineris socium. Sed quid ejus rei argumenta aliunde quærimus, cum ipse beatus pontifex morti proximus se monachum fuisse disertis verbis dixerit? *Cellam*, inquit, *quam monachus incolui*, etc., apud anonymum in relatione ejus mortis, quam post ejus Vitam exhibebimus, num. 4. Hinc mirum non est si injurias monachis irrogatas sibi ipsi factas diceret, ut ipse ait in epistola ad Stephanum dominum Castelli-Novi, quam cum adhuc esset Tullensium episcopus scripsit. Habetur apud Perardum in collectione chartarum Burgundicarum; at in charta pro cella Bertiniacæ-curtis ibidem, sic loquitur : « Cum primum divina clementia me ad pontificatus honorem provexit, mox anhelare cœpi ad restaurationem meæ Ecclesiæ, ac monastici ordinis religionem, aut ubi erat, augmentare, aut ubi perierat, pro posse meo recuperare. »

5. Jam vero si de beneficiis quibus monasteria nostra beatus pontifex cumulavit, loqui libeat, innumera propemodum fuerunt. Casinensi abbati sandaliorum, dalmaticæ et chirothecarum usum permisit; monasterium Saxonanum intra Romanam urbem eisdem Casinensibus subjecit, eisque Terracinense monasterium confirmavit ac navem in Romano portu liberam concessit atque alia multa in eorum gratiam præstitit, quæ apud Leonem Marsicanum libro secundo referuntur. Sublacense monasterium, ab invasore fere destructum, in pristinum statum restituit. In Gallia Corbeiensis, Remigiani Remensis, Cluniacensis, sancti Arnulfi Metensis, Casæ Dei aliorumque monasteriorum prærogativas confirmavit et eorum possessiones asseruit. Monasteria suæ diœceseos, advocato beato Willelmo abbate tunc celebri, ad regulæ Benedictinæ praxim accuratam revocavit. Nulla est ferme in orbe Christiano provincia in qua ecclesiam aliquam ordinis nostri non dedicaverit et privilegiis munierit. In Hirsaugiensi monasterio, quod ab annis quadraginta et octo destructum fuerat, sub anathematis judicio monachos restitui imperavit, ut fusius exponit Trithemius in ejusdem loci Chronico. De eadem re scripsit chronographus Magdeburgensis, quem penes nos ms. habemus, ad annum 1048, ubi etiam, inter alia Leonis gesta, memorat elevationem e tumulo corporis sanctæ Richardis imperatricis in cœnobio virginum apud Andelaum in Alsatia, quod ipsa fundaverat. Idem pontifex Eduardum regem Anglorum a voto Romam petendi absolvit, modo pecunias, quas in itinere expendisset, conferret ad monasterium aliquod, vel de novo excitandum, vel restaurandum. Illius ea de re epistola exstat apud Spelmannum tomo I Conciliorum Angliæ, et apud Labbeum tomo IX Conciliorum generalium.

6. Nihil vero mirum est si tanta fuerit beati pontificis in ordinem nostrum propensio, cum eam jure

Digitized by Google

quasi hæreditario a parentibus suis acceperit. Ii enim non solum sua, sed et se ipsos sub habitu monastico serviendos Deo consecravere. Utrumque disertis verbis habet Wibertus, cap. 1, licet quibus id in locis factum fuerit non expresserit. At in Altorfiensi cœnobio, quod a beati Leonis parentibus conditum fuisse idem auctor affirmat, visitur vetus oratorium beato Gregorio sacrum, in quo iidem parentes beati pontificis, loci scilicet fundatores, sepulti memorantur; in Necrologio autem quod ibidem vidimus hæc habentur die 4 Septembris: « Ob. Heberhardus comes, qui requiescit in summo choro; item, domina Bertha comitissa ejus uxor; item, Hugo comes et monachus hujus loci, qui requiescit ante altare sancti Gregorii in capella; item, Hugo comes frater prædicti Hugonis, qui requiescit in hoc monasterio. Hi fuerunt fundatores monasterii. » Habent ejusdem loci monachi bullam, cujus apographum vidimus, qua beatus pontifex omnia bona a suis parentibus eidem monasterio collata confirmat ea lege ut sub regula beati Benedicti perseveraret. De Helvide vero ejus matre scribit Joannes de Bayon in Historia Medianensis monasterii quod, cum bellum inter Henricum Cæsarem et Theodoricum Metensem episcopum exarsisset, illa, firmatis castris quæ ad eam pertinebant, secesserit in monasterium Medianense, ubi piis operibus vacans, corpora sanctorum Lazari regis et Azæ ejus filiæ, quæ ante annos nonaginta et quinque in maceria basilicæ sancti Petri *ob Pannonicam gentem Gallias pulsantem* abscondita fuerant, detexit. Plura idem auctor habet de sancto Leone, quæ suis locis pro opportunitate commemorabimus. Ejus vero scriptoris notitiam, reverendissimo Patri domno Hyacintho Alliot Medianensis monasterii abbati e congregatione sancti Vitoni debemus, qui non solum hujus auctoris Historiæ exemplar ad nos transmisit, sicut et alia quæque vetera instrumenta et scripta quæ in Lotharingia et Alsatia et in vicinis Germaniæ monasteriis comparare potuit, sed nec curis aut laboribus, sive etiam sumptibus parcit, ut actis sanctorum nostrorum illustrandis aut annalibus Benedictinis concinnandis suppetias ferat. Ex eo nonnulla quoque didicimus de monasteriis quæ a beati Leonis parentibus constructa a Wiberto dicuntur. Quatuor potissimum recensentur, Hissa, sancti Cyriaci, Lutra et Wolfenheim. Quæ etiam Richerius libro II Chronici Senoniensis, capite 14, commemorat his verbis: « Anno, inquit, 1002, nativitas beati Brunonis..... cujus parentes Hessam monasterium sanctimonialium penes Sareborch ædificaverunt. Aliud quoque monasterium construxerunt, quod Aldorf dicitur, ordinis sancti Benedicti, quod in Alsatia situm est; tertium etiam, quod Lustrense dicitur; et quartum sanctimonialium in honore sanctæ crucis; item, in Alsatia, quod Wolfenheim nuncupatur. Quæ monasteria bonis propriis ita ditaverunt, ut ipsorum conventus largissime valeant sustentare.

Idem auctor, libro IV, cap. 21, omisso Lutrensi monasterio, tria alia a beati Leonis papæ patre ædificata et dotata fuisse scribit. Et quidem Lutrense monasterium ante annos fere quadringentos a beato Deicolo constructum fuerat, sæculo septimo incunte. At beati pontificis parentes et ejus avi, ut loquitur Wibertus, ad ipsum restaurandum nonnihil conferre potuerunt, decimo sæculo labente, quo tempore, ut refert auctor Vitæ ejusdem sancti Deicoli, Lutrense cœnobium, quod devastatum fuerat, restauratum est ab Hugone comite, postea monacho, et ejus filiis. Ea de re Ottonis Magni præceptum exstat in favorem Baldramni, qui ibidem abbas institutus fuit. Subsistit hodieque monasterium Lutrense, vulgo *Lure* dictum, in diœcesi Bisuntina, quod unicum cum Murbacensi monasterio abbatem habet, ita tamen ut ille abbas in comitiis imperii inter principes duobus suffragiis gaudeat; sed pace inter imperium et Galliam anno 1697 sancita, ea omnia quæ citra Rhenum sita sunt ad Francorum imperium pertinere debent, ac sic utrumque illud monasterium hodie sub Gallica ditione situm est. Hissa etiam nunc priscum nomen retinet, vulgo *Hesse*, una circiter leuca distans a Sarburgo (*Sarbourg*), Lotharingiæ oppido ad radices Vosagi montis. Hic locus in prioratum, uti vocant, simplicem redactus abbatiæ Altæsilvæ (*Hauteseille*) ordinis Cisterciensis unitus est. Altorfense (*Altorf*) monasterium, quod Sancti Cyriaci appellat Wibertus, hodieque subsistit ordini Benedictino addictum, haud procul a Molshemio Alsatiæ urbe non ignobili situm. De eo Bucelinus in Germania sacra. Wosenheimense denique cœnobium post varias fortunas in cellam redactum, ac pene omnino dirutum jacet. Ejus sola supersunt rudera, cujus ecclesiæ aliorumque ædificiorum muri absque tectis etiam nunc visuntur haud procul ab Egarsemio oppido. A quo uno circiter milliario Wosenheimensis partheon distabat, quatuor vero aut quinque a Columbaria (*Colmar*), supremi Alsatiæ senatus sede. Cæterum illud est ipsum ancillarum Dei monasterium Sanctæ Crucis, de cujus advocatia disceptabant Hugo et Gerardus, beati Leonis nepotes, tempore Gregorii VII, ut patet ex ejus epistola 14 libri II, ad Guarnerium Argentinensem et Burchardum Basilcensem episcopos, ubi idem pontifex testatur istud « monasterium Sanctæ Crucis, in terra hæreditatis suæ a beatæ memoriæ Leone papa fundatum, ac propriis opibus ejus constructum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui pie et sancte præsidebat, in proprium jus ab eo fuisse traditum. » Data est XIV *Kal. Novembris, indictione* XIII. Præter hæc Ludovicus beati pontificis avus, si Joanni de Bayon credimus, dicitur cellam ædificasse monachis Mauri monasterii (*Maurmunster*) in honorem sancti Quirini, haud procul a Dasburgo castro; quod quidem castrum præcipuam Hugonis beati Leonis patris sedem fuisse aiunt. Quin et alia cella eidem vicina habetur sub titulo sancti Leonis, cujus rudera supersunt in ve-

Digitized by Google

teri castro, quod sicut et comitatus ipse Dasburgensis in comitum Linangiorum Lutheranæ sectæ possessionem devenit. Qua vero ratione hic comitatus e beati Leonis familia transierit ad exteros, exponit Richerius in Chronico Senoniensi, libro IV, cap. 21. Castrum illud, quod validissimum erat, hodieque pristinum nomen retinet, *Dasbourg*, seu, ut vulgus loquitur, *Dabo* dictum, situm in rupe Vosagi montis versus Alsatiam, ad quam attinet, cum subjecto sibi oppidulo et vicino tractu, destructum fuit, jubente Francorum rege, anno 1678; sed jam ad beatum Leonem redeamus.

7. De Leonis extremo anno nulla videtur esse difficultas; eum quippe anno 1054 ad superos abiisse consentiunt omnes, præter solum Wibertum, qui annum sequentem assignavit. Id ex librariorum vitio in Wiberti textum irrepsisse censent Bollandiani; et quidem verisimile est hunc errorem provenisse occasione electionis Victoris II, ejus successoris, quæ nonnisi anno fere integro post Leonis obitum facta fuit. Sic tamen habent non solum editi, sed et codices 2 mss. Bibliothecæ Remigianæ apud Remos, quos consuluimus; sed ut ut sit, unico Wiberti testimonio præferendum censemus aliorum omnium scriptorum, etiam æqualium, consensum. Cæterum Leo statim post mortem coli cœpit, non solum Romæ ubi sacrum ejus corpus quotidianis miraculis coruscabat, verum etiam Beneventi, ubi ædificata fuit in ejus honorem ecclesia et festum ipsius celebratum. Idem de sua Signiensi ecclesia testatur Bruno. Nomen ejus exhibent Kalendarium breviarii ms. Casinensis monasterii, quod sub Oderisio abbate exaratum est, et primum ex Capuanis, quæ a Michaele monacho in Sanctuario referuntur. Quod et in aliis passim occurrere non dubitamus, in quibus sicut et in Martyrologio Romano, die 19 Aprilis celebratur. Non enim Romæ solum aut et in Italia festum ejus recolitur, sed et in aliis quoque regionibus memoria ejus celebris est; potissimum in Tullensi diœcesi, ubi sub ritu duplici celebratur, et apud nostros Remigianos semiduplici. Idem fit in diœcesi Basileensi, ex Joannis a Schonaw episcopi mandato. Nec dubium est quin idem præstetur in variis Galliæ, Germaniæ et Belgicæ locis, quæ, dum viveret, lustravit ac sua præsentia, et pontificali benedictione ac variis privilegiis consecravit ac communivit. Cæterum, si ob vitæ sanctimoniam cœlitibus ascriptus est, ob doctrinam inter ecclesiasticos scriptores locum obtinuit. De ejus Operibus nihil notandum occurrit quam quod cæteri jam observarunt. Sigebertus, recensitis ejus Operibus, eum ob ea quæ in sanctorum honorem composuit, Gregorio Magno comparat, cap. 149, De scriptoribus ecclesiasticis. Aubertus Miræus vero in notis ad hunc Sigeberti locum, adjicit præter epistolas ejus varias, quæ in Conciliorum editionibus et Baronii Annalibus habentur, ejusdem sancti pontificis homilias et sermones Lovanii anno 1565 et Coloniæ 1618, prodiisse, quod idem notavit cardinalis Bellarminus. Denique summam ejus in litteras propensionem probat, idque veluti mirabile proponit Wibertus libro II, cap. 14, quod nempe *ultra quinquagenarius tanto ferveret studio, ut divinarum lectionem Scripturarum Græco addisceret eloquio.*

PROLOGUS.

Viam universæ carnis ingresso pontifice Herimanno (1), successit venerabilis Bruno, vir natalium prærogativa atque morum elegantia mirabiliter donatus a Domino. Qui licet jam quasi postremus appareat in pontificalis decessionis catalogo, primus tamen enituit ex summi pontificatus privilegio: et velut Lucifer cœli statione novissimus, sed soli propinquior exiit, dum post longam decessorum seriem, suo sacerdotio Leucam urbem, imo totum Christianorum orbem illustravit, et verum Solem sibi vicinum, errorum fugando caliginem, vivacitate sui nitoris ostendit. Nec præjudicium incurrit ex posteritate qui ante sæcula divinitus præfixo destinatus est tempore. Immutabilis enim divinitas, cui cuncta assistunt acta et agenda simul, sic disponit alternationes mutabilium, ut non sibi quidquam serum aut præposterum sentiat in ordine rerum. Nempe, ut de reliquis interim taceatur, redemptio generi humano maxime necessaria, in fine sæculorum exhibita comprobatur; et qui plus omnibus laboravit Paulus, post apostolos omnes de cœlo vocatur, unde etiam abortivum semet nuncupasse invenitur. Verum ne diutius hic hæreatur, suscepto negotio stylus reddatur, ut de tanto præsule non tam audita, quam visa ad ædificationem plurimorum transcribantur. Et quidem benignitas ipsius dignata meam parvitatem familiarius sibi jugiter assistere, non suo studio effecit, ut plura de eo imitanda valuissem per memet dignoscere, nonnulla quoque veracium et gravium relatione, de quibus quædam vix summotenus perstringo, quædam etiam sciens prætereo, ne aut sim longus plus justo, seu adulatoris noter elogio; aut, quia adhuc superest, impugner illo Salomonis proverbio: *Ne laudes hominem in vita sua* (*Eccli.* XI, 30). Et quoniam propositum habemus dona Dei laudare in eo quæ sunt laudanda in pagano, non hominem laudamus, sed illum a quo et per quem omnis homo veniens in hunc mundum illuminatur, ut aut bona cogitet, dicat vel operetur. Nunquid vero tantum præsulem protestamur in hac misera vita, quæ utique est tota tentatio, sine peccato aliquando vixisse aut vivere, quod nec unius diei infanti valet evenire? Sed quibus est studii divinas virtutes in aliquo homine impressas ad utilitatem aliorum prædicare, peccata hominis quæ jam a Deo tecta sunt, nolint ad ejusdem

(1) Herimannus episcopus Tullensis ex hac vita migravit anno 1026

Digitized by Google

improperium retegere. Hinc est quod Israelitæ jussu Dei aurum et argentum in vasa formatum, ab Ægypto asportaverunt, effigiatum autem in idola omnino reliquerunt. Unde ab ipsius exordio noster jam ordiatur sermo, in quo plurimum nobis successisse credemus, si ea tantam, quæ in pontificatu Leucorum laudabiliter gessit ex aliqua parte quovis stylo posteris transmiserimus. Sapientum autem et præcipue Romanorum erit, si quæ ipse papa Romanus egit, catholicæ Ecclesiæ fideli pagina non ingrati transmiserint.

LIBER PRIMUS.

I. *Brunonis parentes et genus.* — Reverendus igitur Bruno utriusque parentis lineam adeo retinuit generosam, quatenus ab ipsis atavis, et supra, quicunque ad nostram potuerunt pervenire notitiam, aut regni seu imperii retentaverunt habenas, aut proximas regibus et imperatoribus gestaverunt insulas. Procreatus est autem in dulcis (2) Elisatii finibus, patre Hugone, matre vero Heilewide, quorum religiositas multorum ora consuevit ad laudem Dei aperire. Et pater ejus natione Teutonicus, imperatoris Conradi consobrinus (3), in patria lingua atque Latina disertissimus; mater quoque Latina, æque utriusque linguæ perita. Quorum patres et avi a prima indole, armis et animis supra modum acies fortiter compresserunt sibi resistentes, se suasque defensando partes, et circa senium abjecta omni superbia generis et luxu mundi, induerunt humilitatem et paupertatem Christi, patrimonia sua dando ecclesiis, cœnobia construendo in suis et ex suis prædiis; sicque tandem perfecte secuti Christum seipsos etiam abnegarunt, stultaque sapientia sæculi omnino posthabita, sapienti stultitiæ Dei atque monastico habitui tota cordis contritione submiserunt laudabilique per cuncta fine decesserunt. Etenim inter plurima, quæ sparsim divinis distribuerunt templis, duo monasteria instituerunt ex suis prædiis (4), scilicet Hissam in honore beati Martini pontificis, nec non alterum cœnobium venerationi sancti Cyriaci martyris. Quin etiam Lutrense cœnobium patrimoniis suis plurimum ampliaverunt. Quorum devotionem imitatus Hugo comes præcipuus et ejus devotissima conjux, parentes utique præfati domini Brunonis, cœnobium remotæ vitæ aptissimum construxerunt Wolfeinheim penes nobile castrum suum Eginiskeim (5) dictum, ex prædiorum suorum decimis, in quo ad præsens sanctimonialium congregatio consistit ad venerationem et gloriam almæ et victoriosissimæ crucis.

II. *Nascitur anno* 1011. — Illi denique ambo tantam tamque honestam exhibebant cunctis conversationem, ut etiam ecclesiasticæ personæ et diversis gradibus functæ, ab episcopis usque ad laicos, quiddam imitabile sibi in eis deprehenderent. Nam, ut modo de multiplici eorum erga Deum vigilantia taceamus, utrum integre reddidissent rerum suarum decimationem, sub judicio aquæ frigidæ perscrutabantur. Per quos dum decrevisset omnipotens Deus Ecclesiæ suæ præsulem destinare, genitrici gravidæ qualem quantamque prolem in utero gestaret, dignatus est præmonstrare. Nam quadam nocte vir in religioso habitu per visum eidem apparuit, et quia masculam sobolem magnamque ante Deum futuram concepisset edocuit, atque Brunonem nominari jussit. Qui undecimo Kalendas Julii, anno videlicet ab humanato Dei Verbo millesimo secundo, indictione quinta decima, ubi in hanc lucem fusus est, mirabile dictu, totum ejus corpusculum invenitur charaxatum [*cod.* 1 scalptum] quasi crucicularum stigmatibus. Cujus rei novitate mater permota, et ex prioris visionis pollicitatione certior effecta, præter suam consuetudinem a nulla nisi a seipsa pertulit eum sustentari lactis alimonia. Quem congruo tempore ablactatum, Bertoldo sanctæ Tullensis Ecclesiæ antistiti tradidit jam quinquennem liberaliter educandum litterarumque studio imbuendum. Qui videlicet Bertoldus genuinæ honestatis sectator mirabilis præ suis prædecessoribus, Leucam urbem filiis nobilium nobilitavit, in diversis speciebus thesauros ejus et decus valde ampliavit, ædificiis quamplurimis decoravit, litteralis exercitii personis adimplevit, monasteriorum normam intus et exterius restauravit.

III. *Ejus educatio. Adalberonis episcopi Metensis elogium.* — Tam idoneus itaque vir infantulum præfatum gratanter susceptum, et litteris fecit erudiri, et omni honestate ingenuis pueris competenti. In quo cum quotidianis corporis incrementis accrescebat ingenua indoles mentis, quæ eum præ cæteris consodalibus commendabat cunctis. Sicut enim doctissimus pater Hieronymus attestatur : « Mollis cera et ad formandum facilis quadam tractabilitate naturali divinitus formabatur, etiamsi exterioris artificis cessaret manus. » Unde, cœlesti præcunte et subsequente gratia, cunctorum in se benevolentiam provocabat, quia nihil extollentiæ in eo conspiciebant, ex regalis stemmatis atque divitiarum, formæ quoque ac ingenii excellentia, quibus solent

(2) Alsatia provincia notissima ad Rhem ripas, in qua Brunonis parentes multa bona possedisse satis patet ex iis quæ diximus in observationibus prævis.

(3) Hugo Conradi consobrinus dicitur, quod Adelais Conradi mater, et Hugo pater Brunonis ex duobus fratribus Eberardo Adelaidis patre et Hugone Brunonis nostri avo nati fuerint. Joannes Bayon ejus avum Ludovicum comitem de *Dasporch* appellat, quod de paterno avo intelligi non potest.

(4) De his monasteriis fuse egimus in observationibus prævis.

(5) Situm est in Alsatia superiori haud procul a Columbaria urbe, *Colmar*. Porro statuerat beatus pontifex, ut qui ex sui generis posteritate major natu in hoc castro moraretur, advocatiam monasterii haberet, ut discimus ex epistola 14 libri II Gregorii papæ VII.

Digitized by Google

carnales supra modum intumescere moxque detumescere. Erat quippe affabilis omnibus, etiam infimis, aspectu et affatu quoque hilaris, obedientissimus non tantum majoribus et coæqualibus, verum et suis minoribus. Ejus quidem collegæ, quamvis eo majusculi exstiterunt, duo Adalberones contribules sui, ex quibus prior immaturo est hinc raptus exitu, ducis videlicet Theodorici filius (6), alter autem Hezilonis ducis germanus, ac Frederici eximii principis natus, sub scholarum magistro, magister nepotuli sui Brunonis constitutus, quia tunc pro tempore habebatur sciolus. Qui postea ad antistitium Mediomatricæ urbis voto cleri et plebis, magis quam suo assumptus, vir huic nostro tempori refulsit apprime prædicandus. Nam a primævo, soli Deo placendi cupidus, supra ætatem suam et valetudinem, carnem suam cum vitiis crucifigere conatus est; adeo fervens igne divinitatis, ut ab ipsis Christiani tyrocinii rudimentis putaretur perfectissimus. Denique ut in præsentia de plurimo ejus cœlibatu, de columbina innocentia, de serpentina prudentia, de discreta acrimonia, deque matura gravitate, in tenera indole taceatur, in tantum semet jejuniis et vigiliis affecit, ut illud beati Job etiam historialiter dici possit : *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum* (*Job* XIX, 20).

IV. *Simul cum eo Bruno studiis vacat.* — Hinc ergo tali collegæ indivisibiliter gemino connexus affectu, spectabilis puer Bruno insistebat litterarum gymnasio, deque liberalitate sua sibi congaudebant mutuo. Quibus etsi adhærebant nobilia examina puerorum, ipsi tamen duo omnibus suis consodalibus præeminuerunt tam capacitate liberalium studiorum quam honestorum excellentia morum; nempe, ut primum competit rudibus, decurso artium trivio, non solum claruerunt prosa et metro, verum et forenses controversias acuto et vivaci oculo mentis deprehensas expediebant, seu removebant sedulo. Denique quadruvium naturali ingenio vestigantes degustarunt atque non minimum in ipso quoque valuerunt sicut sequentia ex parte indicabunt. Igitur, cum ibidem pariter educarentur prædicti pueri, domini Brunonis genitrix somnio hujusmodi edocetur de futura promotione filii sui. Nam videbat quasi seipsam a parte pontificalis cameræ venerandam basilicam (7) beatissimi protomartyris Stephani ingredi, sanctæque memoriæ præsulem Gerardum, in vita et post mortem clarificatum miraculis, occurrere sibi, ac solventem a propria cervice orarium, quod vulgo stola dicitur, eidem reposuisse in manica. Quod utique, ceu conjici potest, illud portendebat quod filium ipsius non tam sedis suæ quam boni studii successorem cœlitus præstituebat. Nam cum quintus a domino (8) Gerardo reverendus Bruno computetur, ab ipso tantum, et non ab aliquo sequacium ejus videtur prælectus, quoniam, Deo annuente, eum præ illis est imitatus. Sed, quia omnipotentis Dei pia dispensatio consuevit donis suis flagella et tentationes permiscere, quemadmodum novimus beato Job, atque apostolo Paulo, et pene cunctis electis contigisse, dicendum videtur qualiter in ipsius pubertatis ingressu fuerit periclitatus et, mox accedente cœlesti medicina, salvatus.

V. *A bufone sauciatur. Ex quo graviter laborans a S. Benedicto sanatur.* — Cum jam solito liberiorem a scholari jugo adeptus fuisset cervicem, multoties parentum suorum invisebat mansionem, delectatus non tantum genuina affectione quantum religiosa eorum conversatione et liberrima domus suæ in militibus et familia dispositione. Ergo quodam æstivo tempore, dum ex more cum eis apud nobile castrum, Eginisheim nuncupatum, moraretur, superveniente cujusdam nocte Sabbati, in amœnissimo cubiculo soporatur. Cujus dextram faciem venenosa illa rana, quæ bufo nuncupatur, sive rubeta, conscendit eique ex anterioribus pedibus unum in genis, alterum autem sub labio, et ex posterioribus priorem post aurem, alterum vero sub mento affigens, sugere ac stringere immaniter cœpit. Quo dolore expergefactus, horribilis animalis deprehendit faciei suæ incumbere perniciosum pondus. Tanto itaque tamque novo periculo attonitus, a strato se ocius corripuit et immodicum non perferens cruciatum, ictu palmæ post aurem libratæ virosum illum in eumdem stratum suum decussit, timens ne, si manu medium arreptum extrahere tentasset, acrius irreperet. Tunc nequam ille, licet in suo super lectum casu elisum sonitum reddiderit, tamen capitalem pulvillum denuo conscendere, ipso perspiciente, non distulit; nam lunaribus radiis tunc illustrabatur omne penetral cubilis. Nec mora; famulorum turba repentino dilecti domini sui clamore accita accurrit, lucernam secum exhibuit, sed pestiferum illud animal sub illorum ingressu nusquam comparuit. Inquiritur passim diligentissima vestigatione vernaculorum, sed omni supellectili cubilis eversa ac perscrutata, minime fuit repertum. Sed sive illud verum aut fantasticum fuerit, plagas tamen veras et dolores veros reliquit.

Quibus etiam totum vultum, guttur ac pectus tumefactus usque ad desperationem aliquatenus recuperandæ sospitatis est infirmatus. Uterque ejus parens omnesque sui super hoc miserabiliter duobus mensibus plenis consternabantur, solum funus jam efferri suspicantes, lugubrem illam exsequiarum pompam continuis suspiriis et lacrymis præstolabantur. Verum benignus Jesus, desperatis rebus succurrere solitus, super plenaria ejus sospitate subito parentes ejus est consolatus et Ecclesiæ suæ per hunc relevandæ secundum propositum suum recordatus. Nam cum jam duobus mensibus a lecto per se minime surgere potuisset, jamque, concrescente infirmitatis nimietate, sine loquela octo diebus permansisset,

(6) Adalbero Frederici filius sedem Metensem conscendit anno 1047; obiit anno 1072.

(7) Ecclesiam cathedralem Tulli S. Stephano sacram

(8) De hoc egimus in appendice sæculi superioris.

Digitized by Google

tandem quadam die apertis oculis, supino, ut recubabat, vultu, vigilans conspexit quasi luminosam scalam ab ipso suo grabato per se ipsam erigi, et fenestra ad pedes ejus transita usque in cœlum porrigi atque per eam quemdam nimiæ claritatis reverendæque canitiei senem descendentem in habitu monachali, cujus dextera gestabat crucem conspicuam in longo hastili. Qui ad ægrotum ut pervenit, sinistra manu scalam retinuit, dextra vero eamdem crucem primum ori ejus apposuit, deinde loca tumoris ex ipsa signavit et totius veneni incoctam putredinem post aurem extraxit; statimque via, qua venerat, reversus, dimisit infirmum habentem se melius. Nec mora; denique Adalberonem suum clericum, tunc tantummodo ejus assidentem lectulo allocutus, per eum optato nuntio paternam domum cunctam repressit a diutinis clamoribus. Post aliquot autem dies, omni veneno pustulæ illius rupta cute post aurem dextram ejecto, sospes et incolumis evasit sub maximo cunctorum miraculo atque gaudio. Qui, sicut nunc usque inter commonitoria colloquia tam evidentem Dei miserationem super se agnitam recitare suis familiarissimis est solitus, profitetur se in præfata exstasi beatissimum Patrem monachorum, Benedictum, illico luce clarius agnovisse ex qualitate vultus et habitus. Cujus corporis accidentalem dignoscentiam ita hactenus commemorat quasi præ oculis carnis adhuc habeat. Porro sequentia lecturi desinent profecto mirari hunc potius per sanctum Benedictum quam per alium quemlibet sanctorum restitutum sospitati, ubi, volvente sermonis rota, perpendere poterunt ex paucis quanto zelo pii amoris erga monachorum institutionem et correctionem flagraverit.

VI. *Hermanno episcopo Tullensi paret. Afflictis monachis Sancti Apri compatitur. Degit in aula imperatoris. Pauperem episcopatum pinguioribus præferre statuit.* — Hinc itaque decedente domino Bertoldo suo nutritore, succedenti Herimanno non recusavit æque parere, quasi illud beati papæ Gregorii dictum jugiter præ oculis mentis videretur habere : « Primus esse non audeat qui subesse non didicerit, ne obedientiam subjectis imperet quam prælatis non novit exhibere. » Compatiebatur equidem tunc temporis adversa passis, præsertim venerabilibus venerabilis viri Apri cœnobitis, in quos procacissimæ adulatorum et invidorum linguæ supra modum instigabant animum præfati antistitis. Nunc pro eis murum semet, quantum poterat, opponebat, nunc quod solum poterat, cum flentibus flebat. Ejus etiam adnitente auctoritate et industria, in statu, quem ab idoneis et prioribus præsulibus acceperat, integerrime permansit sub Herimanno institutio et præbenda canonica, intra beatissimi levitæ et protomartyris Stephani claustra. Verum quoniam « omnia tempus habent, » secundum quod dispensat temporis Conditor, temporis expers, qui per quædam aliena suos perducit ad sua, accidit ut eximius adolescens a parentibus et consanguineis assignaretur A glorioso imperatori Conrado contribuli suo, ejus educandus in aula atque excubaturus in basilica. Ubi nondum multis decursis diebus, omnium aulicorum benevolentiam perfecte est adeptus, utpote quem gratiosum exhibebat præco ejus conversationis ac prudentiæ, generis ac formæ decus. Unde cum ab eis ibidem Brunones æque vocarentur nonnulli, hic tantum Bonus Bruno meruit appellari. Quam prærogativam ita in dies augmentando sine sodalium invidia vindicabat sibimet ut et minoribus sese quadam rationabili condescensione aptaret majoribusque liberali dignitate per omnia congrueret. Præterea unico et patrio affectu ab Augusto Augustaque adeo est dilectus, ut etiam in secretissimis eorum consiliis gratanter admitteretur, et sententia ipsius reverenB ter dulciterque exspectaretur ac promulgata indubitanter susciperetur. Quem cum quotidie deliberarent incessanterque ambirent sublimare honore quam maximo, et, ut patenter dicam, donare pontificio temporalibus copiis supra modum locupletato, ipse, jam prænonitus domni Gregorii irreprehensibili et aureo stylo, cœpit hoc suspectum habere omnino, ne sibi divinitus imputaretur, quasi munus ab obsequio, a quo nonnullos consociorum suorum, ob aliquantulæ sublimationis spem, nulla corporis poterat revocare fatigatio, nulla rei familiaris annulatio. Unde, quia nec ab imperiali latere recedere sibi licebat, nec taliter obsequi libebat, in animo suo tantum Deo conscio et teste proponebat, ut si cum beneplacito ejus ad quantumlibet pauperrimæ C Ecclesiæ invitaretur regimen, alacrior ad id accederet quam si eum majestas regia ad supremæ potestatis et locupletationis dignitatem aliquo carnali affectu impelleret. Quod quidem tanto admirabilius est habendum in levitate juvenili quanto rarius deprehenditur et in gravitate senili. Sed jam dicendum videtur qualiter iste humiliari pro Deo cupidus, paulatim ab ipso fuerit mirabiliter exaltatus, sicut in libro Regum per prophetam testatur : *Glorificantem me glorificabo; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles* (*I Reg.* II, 30).

VII. *In Longobardiam milites ducit.* — Anno igitur ætatis vigesimo tertio, cum jam alteram adolescentiæ hebdomadam fuisset ingressus, et ab incarnato Dei Patris Verbo 1025, excurreret annus, D vice sui pontificis Herimanni in expeditione præfati Conradi imperatoris, Longobardiam et maxime super Mediolanum tunc rebellem præclarus Bruno est profectus, levitico officio insignitus. Namque illo suo antistite annis morbisque prægravato, ipse auxiliares militum copias imperatori venientes a Tullo, ducendas et disponendas suscepit tam ejusdem episcopi quam Augusti placito, salvo tamen per omnia proprii gradus sacramento. In illius itaque sæcularis militiæ dispositione, sic repente sagax apparuit et providus quasi hujusmodi negotiis tantum fuisset hactenus exercitatus. Metabatur castra suis, disponebat stationes cum vigiliis, sumptus et stipendia opportunis administrabat in locis et heris,

Digitized by Google

sobria sufficientia apparatas dapes distribuebat suorum singulis; quos sic per assignata et congrua unicuique officia curabat ordinare ut tantum pro se quique tam nobiles quam privati debuissent solliciti esse. Cujus certe sollicitudo, et suis erat tuitio, et hostibus dejectio, et sibi ipsi digna laudatio. Unde factum est ut reddendo « quæ sunt Cæsaris Cæsari, et Deo quæ sunt Dei, » per Apostolum suum præcipientis quatenus « omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, quoniam non est potestas nisi ab ipso; » per alienum quantocius ad suum pervenire promeruit. Et quia fideliter ac prudenter inservivit exterioribus, ad plenum remuneratus est interioribus, ut, super multa constitutus, et Conditori suo adhæreret celsius et proximo compateretur profundius.

VIII. *Fit episcopus Tullensis.* — Denique instante anno ab humanitate Filii Dei 1026, Leucus præsul Herimannus abstractus est carnis ab hospitio, cum quadragesimali tempore moraretur Coloniæ in quodam suo prædio. Extemplo clerus et populus provisore orbatus, concordi voto eademque sententia confœderatus, diu sibi desideratum et dilectum Brunonem consonis et continuatis expetit vocibus. Hinc totius recrastinationis impatiens, deprecatorios atque contestatorios super tam unanimi electione sua dirigit imperatori apices. Quorum, ut compendiose dicatur, causa ista fuit. Post præmissam debitæ salutationis reverentiam, nimium compunctam suæ calamitatis exponunt tragœdiam, dicendo se quaquaversum impeti atque inquietari pene quotidianis deprædationibus sive concertationibus, utpote in trium regnorum constitutos confiniis, in imperii sui videlicet finibus, in quibus tanto acrius ab hostibus laborarent quanto longius terrarum spatia ab ejus præsentia eos arcerent; præterea civitatem suam a Francorum regibus jugiter reposci diversis et multis machinationibus, cui damno reipublicæ ac suo vexationique suorum si dignaretur obviare, designaret eis pastorem nobilem ac sapientem quam maxime, cujus strenuitas et industria sibi infensam hostium rabiem valeret propulsare. Ad quem utique vestigandum non esset valde laboraturus, quando quidem cleri et plebis unanimitate delectus, penes ejus imperialem majestatem consanguineus Bruno haberetur, Deo bonisque hominibus dilectus. Hunc sibi notissimum, utpote suum ipsorum alumnum, et inter ipsos atque ab ipsis liberalium litterarum scientia eruditum, sine querela conversatum, et per singulos gradus Ecclesiæ regulariter ad leviticum ordinem provectum; hunc non modo cum suburbanis urbani, verum et omnes circum circa expeterent vicinæ plebes et comprovinciales episcopi. Aut concederet ergo eis cum beneplacito Dei istum, aut nullum : quoniam in promptu haberent illud beati papæ Cœlestini decretum (*Epist.* II) : « Habeat unusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minime obrepat, nec debitam alteri sibi audeat vindicare mercedem. Sit facultas clericis renitendi si se viderint prægravari, et quod sibi ingeri ex transverso noverint, non timeant refutare; qui si non debitum præmium, saltem vel liberum de eo qui eos recturus est debent habere judicium. » Et illud domni Leonis præclari doctoris : « Nullus invitis et non petentibus ordinetur, ne civitas episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit; et fiat minus religiosa quam convenit cui non licuit habere quod voluit. » Contra tam evidentem et canonicam auctoritatem, si posset eis terrena potestas violentiam inferre, non tamen benevolentiam eorum ab isto suo electo valeret aliquando avertere. Tandem igitur unanimi et præcordiali prece ipsorum moveretur imperialis ejus serenitas, et magis in hac parte attenderetur Ecclesiæ Dei utilitas quam illa quæ secundum sæculum pertractabat altius cum sublimare ejus consanguinitas. Interea et speciales litteræ domino Brunoni sunt directæ, quæ totius cleri, abbatum et cunctarum congregationum, universique Leucæ diœceseos populi taliter nitebantur desiderium seu negotium perorare: quod viduati pastore ipsum sibi concorditer solum delegissent et ab imperatore exigerent, propter Omnipotentis timorem pariter et amorem, nullo pacto eos inde perturbaret; ac ne paupertatem illorum, cujus hactenus bene conscius erat, abhorreret. Contestabantur eum per illum, qui cum esset dives, pauper pro nobis factus est; nec quod tanti præconii tantæque nobilitatis personam sibi viles et abjecti præoptarent, majoribusque ac suis meritis congruis urbibus inviderent, ad injuriam sibi aliqua, quam adhuc in eo non deprehenderant, arrogantia reputaret, propter eum qui se pro nobis humiliavit usque ad mortem. Liceret eis laboris sui fructu perfrui, et versa vice a nutritio suo nutriri, quia secundum Apostolum, *laborantem agricolam oportet primum de fructibus suis percipere* (*I Cor.* IX, 10). Consequens enim foret ut Ecclesia, quæ talem educare meruisset, talem et sibi mereretur destituta pastorem, qui etiam pro modulo divinitus concesso mortalibus, illud speciale boni et summi pastoris dicere posset: *Cognosco meas, et cognoscunt me meæ* (*Joan.* X, 14). Non vero eos lateret quod terreni principis pietas ad majora cum merito consanguinitatis et complacitæ illi conversationis promotum ire deliberaret. Itaque si ipsos post se clamantes exaudiendos censeret, continuis precibus de reliquo cœlestis imperatoris largitatem pulsarent, ut ei cœlestem ac terrestrem honorem accumularet. Si autem contemnendos putaret, quia eminentioris dignitatis apici sæculariter inhiaret, divina æquitas contemptus illorum ultrix sic accederet, ut nec ad illum cui intendebat, nec ad quemlibet alium honorem aliquando ascenderet.

IX. *Imperator electioni obsistit ob episcopatus paupertatem. Illius assensum Bruno obtinet.* — Hujusmodi ergo syllabis a domno Notberto, tunc laudabilis vitæ monacho, pridem autem sancti protomartyris Stephani canonico atque Liethardo adhuc quidem

Digitized by Google

canonico susceptis, qui præ sui comitibus itineris alacres et impigri exsecutores tantæ talisque causæ fuerant designati a clero et populis; plurimo varioque curarum æstu uterque afficiebatur, imperator scilicet ac dominus Bruno eidem charissimus. Et imperator quidem, quamvis gauderet dilectionem, quam erga ipsum venerabilem Brunonem meram et germanam debito affinitatis consideratioueque strenuitatis ejus possidebat, multorum laudibus vel testimonio commendari et approbari, non mediocriter tamen contristabatur, quia illud suum desiderium, quo appetebat illius temporaliter sublimiorem dignitatem, sentiebat præpediri. Timebat ne Deum offenderet, si Ecclesiæ ejus tam unanimi voto repugnaret; dolebat, si tantæ personæ pro meritis non responderet. Quid hic multis hæreo? in tanta mentis fluctuatione deprehensus, per legatos a latere suo directos, omnibus ingeniis inde jam sæpedicti domini Brunonis intentionem revocare est conatus, modo conflictationes creberrimas atque depopulationes illius Ecclesiæ commemorando, et paupertatem supra modum exaggerando; modo quod in extremis imperii sui finibus urbs illa posita, aut nunquam, aut rarissime æstimaretur digna imperatorum diversorio; modo quod eumdem nepotem suum sibi per omnia charissimum nequiret perferre æquo animo disgregari a se tanto terrarum spatio. Parceret igitur sibimetipsi, et tam suæ utilitati consuleret atque quieti, quam medullitus eum amantis imperatoris voluntati et perturbationi: potius surda aure illos præteriret, qui suam ipsorum necessitatem seu consolationem, quam ejus salutem et honorem pluris penderent; maxime cui ipse condignam suo generi ac merito dignitatem instanter prævideret. *Verum quia multa consilia in corde viri, voluntas autem Domini fiet* (*Prov.* XIX, 21), ut Salomon ait, longe aliter afficiebant subditum Deo animum reverendi Brunonis destinatæ illi syllabæ ab Ecclesiæ populis: quorum unanimi et humili invitatione sentiebat se ad humilia invitari ab ipso magistro humilitatis, qui Rex hominum fieri refugit, et ultro ad crucem venit, nec immemor illius (9) sui prioris propositi, quo malebat jugiter omni humilitate, vilitate et extremitate contentus Christo famulari, quam temporaliter cum aliqua corruptela integræ conscientiæ, id est quavis venalitate sublimari, quam trimodam compererat dictis beati Gregorii, scilicet a manu, ab obsequio, a favore. His utique tribus pedissequis ambitiosæ venalitatis animadvertens ecclesiasticas dignitates nimis confundi ac subrui, nec facile aliquem ab aliqua istarum immunem reperiri, nihil sibi tutius fore credidit, quam populari electioni ad humilia se vel adversa attrahenti assentiri, et imperiali suggestioni ad magna vel prospera incitanti reluctari. Denique laudabile est quemquam pro Deo prospera declinare: sed multo laudabilius constat adversis se sponte offerre. Hinc est quod Moyses ad principatum divinitus vocatus excusat, et se postposito alium postulat, dicendo: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es* (*Exod.* IV, 13); atque Isaias ad nuditatis ignominiam multiplicemque passionem, nec nominatim designatus, ultro se ingerit proclamando: *Ecce ego, mitte me* (*Isa.* VI, 8). His ergo et aliis virtutum incitamentis succensus, et oleo divinæ gratiæ repletus, rectæ intentionis flammam tanto spargebat alacrius, quanto flatibus carnalium affectionum impellebatur acrius. Fiebatque ut illa dissuasoria aura a Cæsare veniens et ejus aula magis augmentaret et confoveret, quam consopiret aut exstingueret ignem divini sacrificii devotæ mentis in ara. Itaque illam beati Petri sententiam qua dicit: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis* (*I Petr.* V, 6); gratanter amplexus, disruptis cunctæ dilationis nexibus, imperatori adhuc dissuadenti obtulit syllabas missas sibi a clero et plebibus, ingenua tamen, ut ita dicam virgineo pudore ora suffusus. Apicum autem tenore clarissimus princeps edoctus, ad lacrymas est permotus, et uberrimis fletibus attestantibus, extrinsecus palam fecit quanti eum haberet intrinsecus. Demum aliquanto interjecto silentio, linguam famine solvit in isto: « Meam sententiam super honore tuo, dulcissime mi nepos, jam diu deliberatam, superna video sententia impugnari, imo expugnari; cui cogor manus dando, sicut debeo suffragari, quoniam non sine pernicie nostrum amborum et multorum possum diutius refragari. Pietas Omnipotentis jam nunc tibi in hoc adsit, quæ quid ambobus nobis et omnibus expediat magis novit. Mihi ergo jam libet, quod evitare non licet. Tu tamen gratia Dei contentus, qua sola crederis ad illius Ecclesiæ regimen præelectus nullo venalitatis modo, nec ipsius conjugis meæ, nec cujusvis mortalium tuæ parti concilies affectus, ne hinc ex te per omnes tibi credendas oves serpat hujus simoniacæ pestis nævus. Procul dubio enim qui cœpit in te bonum opus, perficiet quantocius. In ipsius gratuita pietate tuum jacta cogitatum, et ipse te enutriet, secundum veridicum suæ divinæ sententiæ promissum. De nostri autem consilii et juvaminis solatio, quantumlibet illud sit, ne fias ullo modo dubius; quia super omnes tui ordinis, de tua re prosperanda semper ero sollicitus, quem nobis commendat et indefessus labor fidelis erga nos serviminis, et consanguineus invicem affectus avitæ propinquitatis. Tantum satage Omnipotenti fideliter deservire, et bonorum morum indolem, quæ in te a cunabulis est, studeas augmentare. » His aliisque verbis a regali dulcedine roboratus venerabilis Bruno, sponte laborioso se submisit oneri in solo fisus Domino, quippe qui noverat se non vocari ad prosperitatis gaudia, sed ad gravium laborum perpetienda pericula.

X. *Ex Italia discedit. Longobardorum insidias eva-*

(9) Ex verbis sequentibus, e regulæ Benedictinæ capite 7, desumptis, designari videtur monastica S. Leonis professio.

Digitized by Google

dit. — Adeptus ergo donum pontificalis culminis, in non minimo reliquit contribules aulicæ potestatis mœrore, qui ejus semper innitebantur consiliis salutaribus, quorumque causas sedulo procurabat interventor strenuus. Et licet ei congratularentur de attributo honoris culmine, sibi tamen dolebant quod carerent ejus contubernalis familiaritatis et affaminis prædulci solamine. Accepto autem ab imperiali potestate digrediendi commeatu, deferuntur illi nova adversitatis nuntia in ipso itineris procinctu, scilicet nisi præcaveat se fore passurum insidias a Longobardis patriensibus, qui per id adhuc temporis contra Augustum superbis rebellabant cordibus. Nam illis forte diebus regius exercitus Orbam (10) Mediolanensium oppidum oppugnabat, quia inibi infidi infidelitatis apostatæ imperatori subjectionem abnegantes latitabant. Commonetur ergo a familiaribus horum insidias, divertendo præcavere, astruentibus fore utilius aliam viam quamlibet longiusculam expetere quam incaute propter itineris compendium in manus eorum incidere. At ille expers timoris juxta illud Salomonicum : *Justus quasi leo confidens, absque terrore erit* (*Prov.* XXVIII, 1), « scuto fidei præmunitus, lorica justitiæ galeaque spei salutis adornatus, » taliter se a recto itinere dehortantibus infit : « Omnipotentis manibus cunctam nostræ salutis curam committamus, quia nemo valet illi nocere quem divina voluerit protectio defensare. Si autem me destinaverit igne tribulationis a peccatorum scoria expurgare, non abnuo voluntati pii Artificis me ad informandum committere, quoniam nec debet « figmentum ei qui se finxit, quare me fecisti sic, reclamando dicere. » Via regia absque diverticulo gradiamur, et quidquid nobis supernus arbiter præviderit, libenti animo patiamur. Tali itaque commonitorio suos sagaciter adhortatus, cœptum tendebat iter de cælesti auxilio jam securus. Sed qui erat vas humilitatis dicatum Deo, ne notaretur superbiæ cauterio, si omnino refutaret familiarium uti consilio, partim voluntati eorum obsequitur, scilicet ut a grege comitantium cum paucis disparatus eos itinere præiret diei unius. Interea in cunctis pene mansionum abditis Longobardorum occultantur insidiæ, ubi spes erat eum causa corpus reficiendi debere pernoctare, maximeque apud Iporeium (11) civitatem hujusmodi insidiarum parantur fraudulentiæ. At ipse, ut dictum est, paucis, hoc est, non plus quam quinque comitantibus, poli axe solis calore jam fervente, per medium ejusdem civitatis ingressus, ita secure, Dei annuente gratia, omnem illius urbis popularem frequentiam pertransiit, ut nec in allo- A quendo quidem ullus ei viam incommodaverit, neque sibi alium alloquendi necessitas ingruerit. Jam autem solis sphæra undas irradiante Oceani, urbem intrant ejus sequipedes comites post terga relicti, moxque ab omnibus insidiarum latebris accurritur, ac si diu quæsita canum præda violenter rapiuntur, in cunctorum vultibus solus Bruno requiritur, sed quem Christus eruerat, inter omnes solus Bruno minime reperitur. Toto noctis spatio fit de eo quæstio abieritne an veniat, sed nulla veri ratio ejus factum publicat. Nascitur suspicio quod jam pridem pertransierit; ad quem insequendum celeres diriguntur veredarii. Sed dilectus præsul jam ad extremos Italiæ fines pervenerat, locumque qui dicitur ad Cameram (12), subintraverat, ubi eum mirabili con- B silio divina protectio liberat. Nam sui pauci comites, longinquo defatigati itinere, ibidem ad recreandum disposuerant residere. Sed ille præsagus mente, solus uno contentus portas pertransit Cameræ, exspecturus socios parva refocillandos requie. Cum vero ab eis esset ablegatus intra spatium duorum sagitto jactuum, subito prædicti insecutores anhelo cursu adveniunt, lassos ejus comites jam discumbentes reperiunt, raptos retrogrado itinere celeriter Iporeium perducunt, sperantes se diu quæsitam prædam reperisse, quos Deus jucundo miraculo quodammodo voluit deludere. Tali itaque consilio divina virtus malorum nequitiam propria spe defraudavit sibique fidelem ab ipsorum rabie liberavit, cui etiam mox cuncta sua de integro salva restituit, suppetiante C ejus cognata, nepte Rodulfi regis Jurensis, conjuge sui germani, nomine Gerardi (13) strenuissimi atque elegantissimi militis.

XI. *Tullum advenit. Monasteriis reformandis incumbit.* — Auspicato ergo cursu cœptum iter exsequitur, a cunctis prætergrediendis urbibus per viam plausibiliter excipitur; a propriis civibus ejus desiderio inhianter attonitis favorabiliter præstolatur. Tandemque die Dominicæ ascensionis, tertio decimo (14) Kalendas Junii, omnium inexplebili gaudio susceptus, præsentibus cunctis Belgicæ Galliæ primoribus, electus ac laudatus, a suo consobrino domino Theodorico (15) Mediomatricorum præsule est pontificaliter inthronizatus. Quique sciens se esse debere in domo Dei lucernam non sub celante D modio, sed super refulgens candelabrum collocandam, sollicita studuit vigilantia mox expromere divinæ religionis ignem, quo semper incalucrat, ac sibi subditos ardenter in supernæ virtutis zelo verbis et exemplis accendebat. Et sicuti fertur exemplo sæculari, quoque magis tegitur tectus magis æstuat

(10) Bollandus legendum putat *Ortam*, cum ejus nominis oppidum habeatur in ea regione ad lacum qui etiam Orta vocatur.

(11) Eporedia episcopali sede et marchionatus titulo insignita in Pedemontio.

(12) Oppidum Maurienmævallis, vulgo dictum, *la Chambre*.

(13) Is a Joanne de Bayon dicitur comes Ekeimsheim, qui occisus est in conflictu quodam adversus Regnibaldum. Et dubio procul pater fuit duorum beati Leonis nepotum, qui memorantur in epistola jam laudata Gregorii VII, lib. II, epist. 14.

(14) Bollandus legendum censet, *decimo Kalendas Junias*, quia, inquit, Pascha fuerat die 10 Aprilis, cyclo Lunæ II, solis XXVII, littera Dominicalis B.

(15) Obiit anno 1046. A Sigiberto dicitur frater sanctæ Cunegundis uxoris beati Henrici imperatoris.

Digitized by Google

ignis, ita cœpit in eo diu clausus cœlestis amoris fervor inardere, sicut qui ab ipsius infantiæ bona in lole solitus erat Christi inspiratione fervescere. Suum itaque sagax studium super omnia convertit in propaganda religione monastica, quæ præter sancti confessoris Christi Apri cœnobium in omni sua diœcesi, jam proh dolor! longo tempore refrigerat; Medianensis (16) namque ac Sancti Mansueti monasterii prælatos, qui posthabito animarum sibi commissarum studio, in solo exteriorum dominatu se putabant constitutos, deposuit in ipso suæ electionis exordio, atque domno venerabili Guidrico, tunc per id temporis præposito præfati cœnobii beati Apri, commendavit, cujus provisione et solerti instantia ordo monasticus, ut adhuc in propatulo est, in eisdem locis ferventer recaluit.

XII. *Ejus ordinatio dilata. Ordinatur.* — Victoriosus vero rex Conradus, auditis fama vulgante ejus laudabilibus actis, in dies erga illum magis magisque ardebat affectibus pii amoris, præsagiens ipsum vas fidele ad reformandam sacræ religionis normam, et ad augmentandam jam defluentem Romanam rempublicam. Et quoniam causis instantibus usque in sequenti Pascha distulerat sibi a domno apostolico Romæ dandam imperialem benedictionem; itidem etiam isti vinculis perfectæ dilectionis astrictus differri jusserat ejus episcopalem ordinationem, ubi simul unaque in basilica sumerent utrique ab eodem cœli Clavigeri vicario prædestinati officii consecrationem. At ipse prædestinatus Deo amabilis Bruno, custos veræ humilitatis et servantissimus præceptorum Dominicæ auctoritatis, cognito quia hic terrenus honor sibi ab Augusto collatus aliquos invido dente mordebat, quodque Trevirorum archipræsul prolatione sui cujusdam privilegii huic regiæ voluntati obstare cupiebat, hic noster mox adiit regem obnixo precamine, ut a tali desisteret conamine, malens se honore hujus benedictionis carere quam in alicujus dissidio contradictionis contra quemquam remanere. Vix ergo et cum difficili labore domnum Augustum ab ea voluntate resipiscere cogens, ac ipsius dulci commeatu Belgicam Galliarum repetens, a domno archiepiscopo Trevirorum Poppone (17), pontificalem humiliter poposcit benedictionem, atque inter se statuerunt tempus hanc sanctam fieri ordinationem. Trevirim ergo venitur, consuetus ordo consecrationis inquiritur : ubi durus quæstionis scrupulus omnem rem peragendam diutius intricat, ita ut omni imperfecto labore jam dictus dulcis Pater frustratus domum redeat. Nam a prælibato archipræsule quoddam privilegium promulgatur, in quo hæc lex superflua atque impossibilis a nemine servanda continebatur, scilicet ut quisque suorum suffraganeorum ab eo ordinandus prius sub divinæ præsentiæ testimonio spondere debeat, quatenus in cunctis rebus agendis eum sibi ad consilium adhibeat, sublatoque omni excepto, nihil extra suum præceptum aut velle, aut. quasi quidam servus, agere præsumat. Memor itaque divinæ Scripturæ fidelis Bruno, quia displicet Deo infidelis et stulta promissio; omnimodis se abnegat hujus incongruæ rationis fore sponsorem, ne per impossibilitatis effectum mendacii incurreret offensam. Diuturno autem spatio hujusmodi alternatim perstitit litigium, nostrumque sæpedictum patrem re infecta contigit a Treviris habere regressum. Quo cognito divæ memoriæ Conradus augustus, ad suum palatium Wormatiæ utrosque convocavit concitus, ipsiusque innitente auctoritate, tandem vicit archiepiscopum justæ rationis præmonstratio, atque cessit a superfluo, quod injuste exigebat, professionis voto; tantum requisivit ab eo sponderi quod in ecclesiasticis negotiis agendis ipsius uteretur auctoritate consilii. Hac ergo accepta sponsione, quinto Idus Septembris cum summa omnium gratulatione fit sancta ordinatio, atque demum utrique inviolabiliter perstitere in perfectæ amicitiæ soliditate. Hoc vero idcirco tam expresse perstrinximus ut cujusmodi fuerit humilitatis hic vir liquido panderemus et, ad evitandum mendacii nævum, prout homini sit possibile, quantum exstiterit cautus.

XIII. *Monasteriis præficit Guidricum abbatem. Morum ejus comitas. Musicam callet. Ejus patientia.* — Igitur ad sedem propriam repedans læto cunctorum excipitur tripudio, moxque uti sua erga sanctum ac gloriosum Aprum major erat devotio, domnum religiosæ vitæ et conversationis virum jam dictum Guidricum, sub nomine abbatis eidem præfecit cœnobio, voluntate et petita domini Guillelmi (18) ipsius loci tunc temporis venerabilis patris: cujus sancta fama eis mare per cunctos fines orbis exstitit memorabilis. Hujus præsulis solatio non minimum sudavit prælibatus pater Guidricus in ampliando sui cœnobii decore; quod jam pene labens incœpit a fundamentis instruere, cui idem pontifex triginta librarum supplementum sua contulit largitate. Eumdem etiam delegit abbatem supra prænominatas Medianensis Sanctique Mansueti abbatias, quibus ad augmentandum in eis sanctæ religionis statum, nonnullas tribuit ecclesias. Quin et in Portus suavis (19) cœnobio a suo prædecessore, ex pontificalibus stipendiis inchoato, sed a se studioso labore ædificiis et sumptibus ad unguem adornato, substitui curavit.

(16) Monasterium Medianum, vulgo *Moyenmoutier*, in Vosago, monasterium vero S. Mansueti in suburbio Tullensi; utrumque perstat sub congregatione S. Vitoni, sicut et tertium beati Apri, in altero Tullensi suburbio *S. Evre*, de quo etiam hic agitur.

(17) Poppo Ecclesiam Trevirensem ab anno 1015 usque ad 1047 quo obiit, administravit.

(18) Is est beatus Guillelmus Divionensis, cujus Vitam dedimus ad annum 1031; qui Widricum sibi

(19) Cœnobium prope Mirecurtium, *Mirecourt*, in Lotharingia superiori, seu Vosegiensi, hodie in collegium, seu abbatiam nobilium canonicarum sæcularium, ordinis Benedictini, conversum, vulgo *Poncé* dictum. Moniales vero ibi a S. Leone anno 1045 institutas fuisse scribit Joannes de Bayon in Historia Mediani monasterii.

Digitized by Google

devotam sanctimonalium constituit congregationem atque nobilis generis vitæque laudabilis quamdam, nomine Berrennam (20), ipsi cœtui matrem ordinavit; cujus instanti sollicitudine divini fervor servitii ibidem florescendo crevit, et, divina opitulante gratia, in longas post generationes crescendo florebit. Inerat quoque ei mirabilis et honesta morum elegantia adeo ut cum splendido corporis decore, quem illi super cunctos illius temporis contulit Omnipotentis munificentia, quidquid agebat cunctorum animis complaceret, quidquid dicebat, omnium corda intimo amoris effectu delectaret. Cum serpentina astutia tantum pollebat in eo columbina simplicitas, ut ab hujus sæculi prudentibus omnium videretur superior in prudentia, et a divina sapientibus mire coleretur pro puræ mentis innocentia. Tanta largitatis abundabat charitate, ut pene cuncta distribuens indiscrete in aliorum opulentia, ipsum multoties contingeret indigere. Eleemosynarum virtuti ante omnia et super omnia insudabat, nec pro ullo sæculari impedimento quemquam diem omittebat quin omni mane ipse per se pauperum turbæ deserviret, ac Dominico exemplo eorum vestigia abluendo victum sufficientem tribueret. Devotione contriti cordis et compunctione lacrymosorum gemituum inundabat mirabiliter adeo ut nihil sacræ orationis, nullum divini sacrificium officii superno vultui præsentaret quin continuo lacrymarum flumine faciem et pectus irrigaret. Tali se holocausto in conspectu divinæ majestatis mactabat assidue, sciens certissime « sacrificium gratum Deo spiritum contribulatum » fore. Sapientia divinarum humanarumque artium in eo refulgebat amplissima, maxime artis delectabilis musicæ peritia, qua antiquis auctoribus non modo æquiparari poterat, imo in mellifica dulcedine nonnullos eorum præcellebat. Nam componens responsoria in veneratione gloriosi martyris Cyriaci (21), sanctique Hidulfi Trevirorum archiepiscopi, nec non beatæ Odiliæ virginis, atque venerandi Anglorum apostoli Gregorii doctoris, divini laudes servitii mirifico decore ampliavit. Humilitatis quoque ac patientiæ donum ita in eo enituit ut, si forsan aliquem subjectorum pro suæ culpæ noxa increpareret, utque fieri solet, ille impatientiæ motus felle multa improperiorum convicia arguenti præsuli irrogaret; iste pro verborum injuriis non verbera, sed lacrymas condolendo impenderet.

XIV. *Invidos patitur. In morbum incidit. A sancto Blasio sanatur.* — His ergo aliisque bonis actibus perspiciens eum cluere humani generis adversarius, ejus piæ religioni modis omnibus contraire nititur; et licet non possit eum usquequaque a recto deviare tramite, tamen per suos satagit satellites tentationum et adversitatum spiculis a sancto proposito deterrere. Nam quidam hujus primores patriæ eum sapientiæ luce fulgere cernentes et in disponendis regni consiliis apud imperialem majestatem super cunctos pollere invidentes, dum apud aulicos, quos omnes sibi nimio amore devinxerat, nequeunt ei moliri insidias, apud exteros contra eum tractant artificiosas calliditatum machinas. Itaque Odonem (22) vicinæ commarchiæ Francorum comitem, in beatum præsulem concitant, eumque multiplici adversitatum molimine ab imperialis fidei stabilitate dejicere laborant. Videres fidem in uno Brunone contra multorum fraudes viriliter decertantem, miranda patientia multorum spicula hostium æquanimiter perferentem, præcordiali compassione subditorum sibi dispendia dolentem, ipsis inimicis affectuosa charitate quam facillime indulgentem. Sed non est necesse quos bellorum motus, quas Ecclesiæ sibi commissæ devastationes, prædas, incendia pertulerit recensere, dum Omnipotentis gratia, de cunctis ejus æmulis in nequitia radicatis, citum dignata est finem imponere ac sibi fidelem famulum pia consolatione per visum voluit relevare. Siquidem dum adhuc adversitatum angoribus arctaretur, quadam nocte multiplicum sollicitudinum fessus laboribus, miseriam sibi subjecti populi revolvendo, lacrymabiliterque suis eam reputando criminibus, soporatur ac videt in somnis quemdam angelici vultus præferre sibi sphæram supra solis splendorem fulgidam, quæ videbatur in se totius mundi retinere machinam, in qua etiam specialiter ei ostendebantur duo præclaræ formæ homines. Quorum dum nomina eorum discere cuperet, hujusmodi vox suas pervenit ad aures : Hos Mariam Magdalenam, Galienumque noveris esse episcopum, quorum consortio te frui in futuro lætaberis. Dumque eamdem sphæram lætabundus accipiens manibus sibi in sinum vellet ponere, præsago futurorum est experrectus sopore. Nec mirum hunc beatæ Mariæ dici fore consortem, cum par erga Deum dilectionis affectus, et continuus lacrymarum velut fontanarum aquarum decursus, ejus meritorum illum reddiderit participem.

Quamvis autem a nobis adhuc ignoretur, quis iste Galienus exstiterit, non est tamen dubium magni esse eum meriti, quem divina vox tantæ laudis viro coæquaverit. Quam visionem subsecuta est efficax divinæ gratiæ consolatio, præfato Odone comite per

(20) Boll. *Berzennam*. Joannes de Bayon supra laudatus *Berhennam* appellat.

(21) S. Cyriacus patronus est monasterii Altorfensis, S. Hidulfus Mediani monasterii, S. Odilia parthenonis cognominis, seu Hoemburgensis in editissimo monte, unde omnis pene Alsatiæ regio ultra Rhenum ad Sylvam Nigram conspici potest. Sancto autem Gregorio dicatum est vetus oratorium in Altorfio monasterio, in quo beati ipsius Leonis parentes sepulti dicuntur. Responsoria autem hic memorata ab Humberto postea cardinali, sed tunc monacho Medianensi, uli etiam vetus oratorium S. Gregorii, anno 1044, composita fuisse memorat Joannes de Bayon.

(22) Is est Odo Campaniensis nuncupatus, Odonis comitis ex Berta Rodulfi Ignavi Burgundionum regis absque liberis defuncti sorore; qui cum Burgundiæ regnum adversus Conradum ambiret, occisus est a Gozelone prope Barrum. Sepultus est in Majori Monasterio prope Turonos, juxta patrem suum loci restauratorem.

Digitized by Google

bellicosum nostræ patriæ ducem Gozilonem turpiter morti tradito, ac pace per hunc beatum præsulem restituta, non solum Lotharingiæ regno, verum etiam adjacentibus provinciis Christi annuente suffragio. Nam ejus intercurrente sapientia, legatione et consilio, est Romano adjunctum et corroboratum imperio regnum Austrasiæ, quod dudum ab origine tenebat Rodulfus rex Jurensis Burgundiæ, et idem jam dictus pontifex est directus legatus pro pacis concordia inter suprafatum Conradum Romanorum principem ac Robertum Franciæ regem. Quam legationem quam honeste compleverit, est testis Francia, quæ adhuc quasi novum refert, quanta in eo resplenduerit sapientia, quæ humilitas, quæ denique in cunctis cœptis efficacia; quam decorus fuerit habitu mentis et corporis, quam congruus in inferendis verbis legationis. Quem cuncti ut patrem nimio amore suscipiebant, quem omnes ut sanctum summa veneratione excolebant. Itaque tanta firmitate pacem et concordiam inter utraque regna stabilivit, ut quoad vixerunt præmemorati principes, cum sibi succedentibus filiis utrisque Henricis (23), nullus quantumcunque fraudulenta arte discordiam inter duo regna serere valuerit. Sed invidus humani generis hostis perpendens se nequire ejus devotionem per suos satellites a recto tramite deviare; per se in illum divino permissu insurgens, nimio corporis aggravat languore continuatim annuali tempore. Aderat tota lugubris plebis multitudo, de ejus sospitate desperans; aderat etiam cœtus medicorum dolorem desperativis verbis augmentans; omnium rigabant ora lacrymæ, ipsi quoque jam defecerat spes vitæ. Tunc divino admonitus instinctu, jubet se nocturnali hora ante sancti Blasii altare ferri, confisus se ejus dignis meritis a præsenti angustia citissime liberari. Itaque ibidem raptus in exstasi, non dico per somnum, qui eum omnino aufugerat, videt quasi sanctum Blasium ab altari progressum sese invisentem atque modum languoris compatienter exquirentem, cunctisque suis languentibus præcordiis apertis, veluti ipse ea conspicaretur, misericordi manu abluentem ac medicamine refoventem, omnibusque suo loco restitutis, eo quo venerat redeuntem. De qua exstasi regressus, sospes de lecto surgens, circumstantes advocat, visionem lætus pandit quam viderat ac, sicuti prælibatus martyr jusserat, responsorium: *Quis Deus magnus sicut Deus noster* (*Psal.* LXXVI, 14), cum præsentibus in voce jubilationis concinit, et nocturnis impletis officiis, pedibus propriis alacer domum rediit.

XV. *Brunonis matris pietas. Quæ in morbum incidit. Petit ut sine ornatu sepeliatur. Obit.* — Verum quoniam majora exarare stylus properat, videtur congruum, ut quiddam de ejus matre dignum memoratu brevi referat. Nam quanta illi fuerit devotionum serenitas, quanta usque ad novissimum quadrantem eleemosynarum largitas, quam diutina in divinis orationibus, vigiliis jejuniisque instantia, quam longanimis in carnis maceratione pœnitentia, non est facile promere verbis, cum ipse finis in quo omnis laus canitur secure manifeste prodiderit, Siquidem in tantam corpulentiam superflui abundantia humoris ejus corporis quantitas excreverat, ut vix rheda posset vehi quo opportunitas commonebat. Quæ gravitas corporis, quoniam sibi videbatur intolerabilis, multoties Christi gratiam profusis exoravit lacrymis, ut sicut unius matris eam protulit alvus mundo, ita unius mulieris ulnis possit terreno mandari sepulcro. Cujus vocem exaudivit Oriens ex alto. Nam diutini maceratione languoris ita ad ultimum fuit tenuata, ut pene cuncto humore carnis exsiccato, sola ossa, cute et nervis sese tenentibus, viderentur tantummodo cohærentia. Itaque ad extremam vitæ metam veniens, cunctis distributis quæ ipsa per se, exceptis mariti redditibus, ex proprio sumptu in usus pauperum expendendo quotidie aggregaverat, sacra inunctione ac vivificæ communionis participatione munita, din exanimis et absque ullo vitali flatu jacuit, cuncta ejulante familia cum pauperum viduarum atque orphanorum catervis. Quæ subito resumpto spiritu rediens, ac confusum deplorantium clamorem sedari præcipiens, omnes domo eliminari jubet. solamque Regelwidem [*Boll. al.* Regilindam] cœnobii sanctæ Crucis abbatissam cum proprio retinet marito. Quibus cum fletu admirantibus, quid sibi vellet ait: « Non me lugeatis quasi morituram, quoniam nunc mihi adfuit piissima Dei genitrix Maria quæ me dulcissima affabilitate consolans, promisit secum æternaliter victuram et in sempiterna gloria feliciter conregnaturam. Unum ergo te, o amantissime conjux, suppliciter oro ne meæ petitionis verba quæ dictura sum molesto feras animo. » Cumque ille ignarus futurorum gratanter se impleturum sponderet, quæcunque illa ex prompta voluntate juberet, ait: « Peto ut sicut nuda egressa sum de utero matris meæ, ita me nudam in tumulo suscipiat alvus terræ; et quidquid ornamenti ad consepeliendum mihi paraveras, in usus pauperum fideliter erogare studeas. » Cujus petitioni quanquam invitus jam præfatus sponsus annuit, eamque cum summa alacritate mentis hominem exutam modo quo constituerat sepulturæ tradidit. Hæc autem ideo tam studiose retuli ut patescat præsentibus et futuris quantæ fidei et devotionis hæc mulier exstiterit, quamque fervens in eleemosynarum largitate fuerit. Sed congruum videtur hic anchoram nostri navigii figere, quatenus aliquantulum respirando, reparatis armamentis, cœptum valeamus æquor efficaciter transmeare.

LIBER SECUNDUS.

I. *Bruno quotannis Romam visitat. Itineris comites a lue sanat. S. Petrum in somnio videt. Alia visio.*

(23) Henricus scilicet I Franciæ rex, Roberti filius, et Henricus II, seu III, Niger dictus, imperator qui Conrado II Salico dicto, suo patri successit anno 1039.

Digitized by Google

— Suscepti munus operis Christi suffragio annuente prosecuturi et qualiter ad apostolicam dignitatem pervenerit vir beatus quæque ei ibidem contigerint, imo quæ per eum ejusque temporibus Dominus efficere voluerit monstraturi, opportunum videtur præcedentes causas ad id pertinentes ostendere, et quomodo superna gratia ei ventura revelaverit notificare. Summa inerat ei devotio primum pastorem clavigerum cœli annuo revisere recursu, et pro ovibus a Deo sibi creditis ejus juvamen supplici exorare precatu. Itaque quodam tempore solitum aggressus iter, comitante cœtu clericorum, nec non laicorum, quingentorum numerum superantium, qui pro ipsius meritorum dignitate, affabilitate, sanctitate, individuum ejus sequebantur comitatum; cunctis subrepsit lues dira Italici corruptione aeris, ita ut nulli hac tabe infecto esset spes in crastinum differendæ mortis. Vir autem Domini immodice mœstus de afflictione sese comitantis turbæ, festinum reperit remedium, divina gratia præcurrente. Nam sanctorum, quæ secum vehebat, propria manu tinctis vino pignoribus, maximeque sancti Apri articulis, cui se commendabat devotius, quicunque hujusmodi poculum quantulumcunque libasset, mox convalescebat, quantuscunque languor invasisset, si tantum liquoris illius saporem gustare valuisset. Ipse etiam pene dietim toto itinere divini sacramenti victimam offerendo, et inter missarum solemnia populos astantes ad correctionem morum, pœnitentiamque commonendo, cunctos piis hortatibus ad superna capessenda animavit et ab imminentis mortis articulo sanctis precibus liberavit. Itaque toto noctis interstitio turba comitum et patriensium, quorum necessitas intererat, ad ejus hospitium cum luminaribus excubias celebrabant, ac mane per sanctorum merita, ejus annuente suffragio, integram sospitatem reportabant.

Iis ergo causis per cunctas Romaniæ partes celerrime divulgatis, vir Domini summa veneratione excolitur, ejusque dilectio omnium cordibus funditus inculcatur. Hic autem suus erat mos assiduus ut nocturnæ quieti membra traditurus, sanctorum pignoribus sese attentius commendaret, et a sæcularibus absolutus curis in sancta contemplatione animum relaxaret atque in ipsa meditatione necessarium corpori soporem susciperet. In hac ergo pia intentione quadam nocte soporatus, per visum ad principalem ecclesiam urbis Wangionum (24) est adductus, ubi contemplabatur quasi consistentem infinitam multitudinem albatorum, quorum major pars videbatur esse sacerdotum, inter quos unum recognoscebat quondam sibi familiarem Bezelinum archidiaconum, qui ejus comes in Romano itinere exuerat hominem. Quem interrogans quæ esset tanta multitudo, audivit hos omnes mundanam finisse vitam in principis apostolorum servitio. De hoc intra se miranti, veluti cœlorum claviger beatus Petrus superveniebat, et illam multitudinem sancta communione ejus manibus participaturam esse aiebat. Quam pontificaliter indutam [*ed.*, Quem... indictum] idem beatus Petrus, cum protomartyre Stephano, ad altare prædictæ ecclesiæ cum ineffabili cantus melodia deducebant, et sacris peractis officiis, omnes de ejus manibus vivificum munus percipiebant. Visum quoque ei fuerat quod post sacram communionem ipsi sanctus Petrus quinque calices aureos conferret (25), alteri autem se subsequenti tres, tertio vero unum calicem tribueret. Hæc ergo suis familiaribus referens, quid portenderent secum mirabatur; sed quis eorum fuerit exitus in sequentibus suo loco dicetur. Alio itidem tempore illi per somni quietem videbatur, quod quasi persona cujusdam deformis vetulæ eum importune impeteret, et veluti familiari, sed tamen sincero colloquio sibi adjungi exposceret. Quæ tam horrendi vultus, discissæ vestis, hirsutis capillis atque turpiter erectis videbatur, ut vix quidquam humanæ formæ in ea recognosceret. Cujus deformitatis horrore nimium perculsus, eam plurimum volebat evitare, sed ipsa tanto magis illi nitebatur insistere. Qua importunitate victus vir Domini, ei signum crucis in faciem imprimebat; at illa ad terram veluti mortua proruens, in admirabilem pulchritudinem denuo resurgebat. Cujus visionis terrore experrectus, ad nocturnas surrexit vigilias, denuoque in hujus rei admiratione sopori reddidit membra: cui videbatur in somnis adesse venerabilis abbas Odilo, quem quasi rogabat sibi portendere, quæ esset hujus visionis significatio. Qui lætissimus ei tali respondit oraculo: Beatus es tu, et tu animam ejus de morte liberasti. Hæc non esse ficta probat idonea virorum ac venerabilium testificatio, domni videlicet Walteri Leucorum claustri decani, nec non intimi consecretalis ejus Warnecheri, qui asserunt se audisse talia cum lacrymis ab illo referri, et quid signarent quamplurimum admirari. Nec incredibile esse videtur, talia ei a summa divinitate præmonstrata fuisse, cum crebro nocturna in lecto suspiria, et frequentes pectoris tunsiones ac stratus sæpe a veridicis cubicularii repertus irrigatus lacrymis, ostendunt illum divina visione fuisse dignum. Nulli autem dubium est quid significet prælibatæ mulieris visio, quicunque legit pene simile somnium Magni Constantini pro restituenda urbe Byzantio (26). Nam certum est horribiliter extabuisse per diversas orbis partes ecclesiasticum decorem, imo Christianam religionem, et per eum, Christi adminiculante suffragio, ad pristinum reductam esse honorem.

II. *In conventu Wormatiæ papa eligitur. Sub*

(24) Wangionum civitas seu Wormatia, urbs episcopalis notissima, sub Moguntina metropoli.

(25) Hanc visionem auctor infra interpretatur de annis, quibus tam ipse quam duo ejus proximi successores pontificatum tenere deberent.

(26) Hanc Constantini Magni visionem refert Sozomenus libro II Historiæ ecclesiasticæ, cap. 3.

Digitized by Google

peregrini habitu Romam petit. Flavii exuberantiam comprimit. Romam advenit. Canonice in pontificem eligitur. — Interea apud Wangionum urbem ante præsentiam gloriosi Henrici secundi Romanorum Augusti fit pontificum reliquorumque procerum non modicus conventus. Inter quos hic Christo dignus præsul convocatur : quippe sine cujus consilio intra imperialem curiam nihil magni disponebatur. Et repente, illo nihil tale suspicante, ed onus apostolici honoris suscipiendum eligitur a cunctis. Quod onus humilitate commonente diutissime refugiens, dum magis ac magis cogitur, triduanum consulendi deposcit spatium, in quo jejuniis vacans et orationibus omnino sine cibo potuque permansit. Cumque denuo repurgaretur ad obedientiæ completionem, spontanee coram omnibus suam dixit confessionem, conatus quasi quadam suorum enormitate scelerum, communem permutare electionem. Quis autem queat ejus inundantiam fletuum referre, quos in publica confessione emisit, cum etiam omnium affectus in nimias lacrymas excitaverit? Unde unanimiter cunctorum ore hæc pia vox resonabat : Nolit Deus ut filius tantarum lacrymarum pereat. Videns ergo nullo modo se posse effugere imperiale præceptum et commune omnium desiderium, coactus suscepit injunctum officium, præsentibus legatis Romanorum, ea conditione, si audiret totius cleri ac Romani populi communem esse sine dubio consensum. Sicque ad propriam Leucorum scilicet sedem repedans, cum summa devotione ibidem Domini celebravit Natalem cum coessentia quatuor pontificum, Hugonis scilicet de Cisa (27) urbe Italorum, legati Romanorum et Everardi archiepiscopi Treverorum, Adalberonis quoque Metensis atque Theoderici [*ed.*, Theodori] Virdunensis præsulis. Inde humilitate magistra, contra omnium apostolicorum morem, sumpto (28) peregrino habitu, Romanum arripuit iter, indefesse sacris orationibus ac divinæ vacans contemplationi, non tam pro rerum commissarum sibi, quam pro cura animarum, nimiæ intentus sollicitudini. In qua meditatione apud urbem Augustam suspensus, divinam promeruit consolationem, dum in revelatione audivit angelica voce resonare harmonicam modulationem dulcissime consonantem : Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis; invocabitis me et ego exaudiam vos, et reducam captivitatem vestram de cunctis locis. Qua pia consolatione animatus, et de superno adjutorio certior jam factus, cœptum iter perficere aggreditur, utque tanti meriti personam decebat, eum infinita multitudo undequaque supervenientium comitatur. Inter quos quædam religiosæ vitæ ancilla Dei ei adhæret, quæ eum talibus ex præcepto divino admonet verbis : Mox ut prima vestigia intra valvas ecclesiæ principis apostolorum posueris, ne sis immemor his divinis uti verbis : *Pax huic domui* (*Matth.* x, 12), et omnibus habitantibus in ea. Quam Dominicam jussionem et humiliter suscepit, et devote adimplevit.

Venit ergo cum tanto comitatu super Teronem fluvium (29), qui ita crescendo proprium prætergressus erat alveum ut per septem dies totum ibi cogeret remorari populum. Vir autem Domini, de afflictione plebis diu secum exspectantis, mœstus cœleste auxilium invocat ac benedictionem ecclesiæ sancti Joannis in vicino constructæ inchoat. Sed antequam divinum esset peractum officium cœptæ consecrationis, ita fluvius est mitigatus demissis undis, ut mox securum iter omni transgredienti præbuerit. Quod omnis præsens multitudo hujus beati viri meritis contigisse affirmavit. Omnipotentis igitur roboratus solamine, Romam appropiat, cui tota urbs cum hymnidico concentu obviam ire parat; sed ipse pedes longinquo itinere nudis plantis incedit, et magis ad mentis devotionem quam ad laudum delectationem animum inflectit. Quis autem ejus contriti cordis in devota oratione affectus, quis denique referre queat continuos lacrymarum velut rivorum decursus, cum nullius cogitatui sit penetrabile, nedum verbis effabile? Postquam ergo diutissime se taliter Christo mactavit in cordis altari, « hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, » etiam astanti clero et populo, divinam, qua plurimum affluebat, ingreditur proferre exhortationem. Imperialem de se electionem in tam laborioso officio brevi sermunculo promulgat, eorum voluntatem, qualiscunque erga se sit, pandere expostulat; dicit electionem cleri et populi canonicali auctoritate aliorum dispositionem præire; affirmat se gratanti animo in patriam rediturum, nisi fiat electio ejus communi omnium laude; ostendit se coactum ad tam grande onus suscipiendum venisse. Cumque videret unanimem omnium acclamationem, ad correctionem vitæ cœptam repetit exhortationem, supplex cunctorum expetit orationem atque absolutionem.

Itaque, divina favente gratia, cunctis applaudentibus, consecratur ac Dominica quadragesimalis initii, pridie Idus Februarii, apostolicæ cathedræ inthronizatur. Quantus vero fervor devotionis ad Omnipotentis servitium in eo excreverit, quanto solertiæ vigore ad res ecclesiasticas disponendas enituerit, quis brevi explicare valeat, cum pene nec

(27) Sic habet codex Remigianus et alii mss. apud Bolland. Editi habent *Pisa*, sicut et Joannes de Bayon in Historia Mediani monasterii; sed Hugo tunc Pisanæ Ecclesiæ non præerat. Nullam tamen *Cisam* urbem episcopalem in Italiæ tabulis reperire licuit. Legendum forte *Assisia;* tunc quippe Ugo ejusdem urbis episcopus vivebat, qui anno 1050 corpus S. Rufini transtulit, ut monet Ughellus Italiæ sacræ tomo I, col. 234.

(28) Ex hoc loco plane revincitur eorum sententia, qui asserunt Leonem Cluniaci habitum peregrini sumpsisse, ex Hildebrandi consilio, qui eum arguebat quod purpuram gesserit antequam Romæ susciperetur. Hujus commenti primus auctor videtur esse Otto Frisingensis. Vide Vitam a Brunone Signiensi scriptam.

(29) Tevero fluvius, qui ex Apennino monte fluens in Tiberim delabitur.

Digitized by Google

totus mundus ad hæc enarranda sufficiat? Non autem sub clavi silentii occulendum æstimo quantam indulgentiam ejus dignis precibus Hugoni ipsius germano divina contulerit miseratio. Nam jam dudum ante ejus ad apostolatum electionem exuerat hominem, atque hic beatus, causa prædictæ ordinationis Romam tendens, Populetum (30) advenerat; ubi ejusdem prænominatus frater cuidam boni testimonii clerico per visum apparuit, illiusque suffragium apud dominum apostolicum supplici oramine depoposcit. Siquidem videbatur memorato clerico prælibatus Hugo, in loco ineffabili amœnitate referto, cum multis collætantibus in cuiuli sella residere, sed sine suppedaneo scabello pedes ad ima pendentes retinere. Quem cum prædictus requireret clericus super qualitate sui status, respondebat bene sibi esse in omnibus, nisi quod ad infima laboriose penderet non firmis pedibus. Petebat quoque ut idem clericus fratrem suum hunc beatum ad apostolicam euntem consecrationem exoraret, quatenus in introitu valvarum ecclesiæ Principis apostolorum sui meminisset, dicens quod ejus precibus divina pietas sibi indulgentiam concederet. Quam visionem præfatus clericus sancto pontifici retulit, ac eum ad Christi gratiam pro salute fratris exorandam animavit. Qui postmodum per visum eidem domno apostolico apparens, lætus innumeras reddidit gratias, quia ejus meritis superna clementia a cunctis eum laboribus absolverat.

III. *Leonis nomen suscipit. Mire ditatur. Fama ejus pervolat.* —Igitur hic Deo devotissimus mores et vitam Magni Leonis imitatus, cujus et vocabulo fuerat insignitus, imo Leonem de tribu Juda pro posse secutus, omnibus exemplum bene vivendi fiebat; « lucerna ardens et lucens, non sub modio, sed super candelabrum » præeminebat, utque verus sal terræ, condimentum supernæ sapientiæ cunctorum mentibus infundebat. Verum, licet omnium virtutum gemmis Christi decoraret diadema, hæ tamen splendidius in eo relucebant : misericordia et patientia, celer erga delinquentes in danda indulgentia, mira compassione collacrymans propria confitentibus scelera, in eleemosynarum largitate etiam usque ad sui indigentiam indiscrete prærogans omnia. Sed quoniam cunctis divino instantibus servitio solet stimulus supervenire adversitatis, divina scilicet probatio, quæ ostendit cujus fervoris sit erga Deum cujuscunque mentis affectio; hic pater venerandus, dum in initio sui adventus Romæ commoratur, aliquanto angustiæ et mœroris dolore perstringitur. Nam ibidem adveniens, nihil pontificalium sumptuum invenerat; jam enim erant in domesticos usus absumpta, imo in eleemosynarum prærogationem cuncta quæ secum attulerat distributa. Defecerant cunctorum ejus comitum plenæ delatæ crumenæ; non erat ulla spes opis, nisi proprias vestes ad minus pretium vendere, et quacunque secreta arte benignissimum patrem in patriam fugiendo reducere. Quorum renitendo consilio, vir beatus in divino confidere solatio sagaciter admonebat; sed tamen illorum afflictioni misericordi affectu ex intimis condolebat. Instante autem die quo cuncti comites ejus disposuerant clanculo recedere, ecce adsunt legati nobilium Beneventanæ provinciæ, deferentes xenia apostolicæ congrua dignitati, ejus benedictionem atque solatium suppliciter deposcentes promereri. Quos Deo dignus præsul, ut suam decebat honorificentiam, suscepit, sacra benedictione roboravit, non tam lætus de oblatione munerum, quam Deo rependens grates de devotione fidelium. Dehinc ad præsentes præ nimia anxietate pridem diffidentes conversus, continuo charitativa increpatione in eos invehitur, et de Dei misericordia nunquam amplius desperare nec diffidere cohortatur. Extunc beati viri fama divulgatur per populos et usque ad mundi fines, cunctasque gentes ejus pervagatur rumor; Christi ubique prædicatur gloria in suo admirabili famulo, nomen papæ Leonis quocunque orbe terrarum reboat ore consono. Nec mirandum rationabilem creaturam in ejus resonare laudem, cum etiam irrationabilia animalia, mirum dictu! ejus prædicando nomen humanam formarent vocem. Nam, sicut a veridicis fertur relatoribus, apud Beneventum gallus frequenti voce ejus nomen repetebat, et naturalem emissurus vocem, cunctis mirantibus (31), *papa Leo* insonabat.

IV. *Canis loquitur. Leo oblata sibi pauperibus dat. Concilia cogit. Coloniam venit.—Tum Remos, ubi ecclesiam S. Remigii consecrat. Concilium celebrat.*— Dicitur etiam illis temporibus in finibus Apuliæ canis exstitisse, qui latrando solitus erat humanis verbis *Deus meus* inclamare. Non autem est incredibile brutum animal in ea regione Dei misericordiam quocunque modo invocasse, dum certum est Christi religionem ibidem pene omnino deperisse, accolasque illius patriæ alienæ potestati (32) subditos esse, ut ad invocationem superni auxilii saltem irrationabilis pecudis excitarentur voce. Fama igitur eximiæ laudis ejus, usquequaque propalata, præter solitum multos animabat ad visenda summi apostolorum principis limina, qui omnes ejus recreabantur consolatione et roborabantur benedictione; si quibus autem obstabat impossibilitas ejus frui præsentia, cum fide propria ei dirigebant xenia, recepturi ab eo apostolicæ benedictionis donaria. Illud etiam habebat consuetudinarium cum aliis bonis actibus quia, si quid apostolico more suis offerebatur pedibus, nihil patiebatur in suos subtifex, statim galli voce humana clamarent : *Leo papæ*. Vide Richerium Chronici Senon. lib. II, cap. 14.

(30) Incertum an eo nomine Populonium, vel Forum Popilii intelligendum sit, utraque enim urbs Romam adeunti æque obvia fuit.

(31) Hujus galli occasione, nonnulli, uti videtur, scripserunt quod, quacunque transiret beatus pon-

(32) Normannis scilicet, qui tunc Apuliam obtinebant

Digitized by Google

rumve expendi usus, sed cuncta pauperum largiebatur necessitatibus. Inter multos ergo, qui ejus ambiebant præsentiam invisere, rex Danamarchiæ (33) transmisit illi avem psittacum in munere, in quo quædam divina apparuit gratia, admirabili virtute. Quamvis enim quædam aves humana formare verba discant magistra fame, hæc tamen, ut fertur, nullo cogente, toto itinere dum ad domnum papam deferretur, *Ad papam vado*, recinebat; et mox, ut ei est præsentata, nemine docente, voce dulcisona, *papa Leo* inclamabat. Si quando etiam hic pastor venerandus, exteriorum dispositione lassatus, sese in secreto conclavi reciperet, aut forte nimiis sollicitudinibus afflictum ejus animum aliqua mœstitudo arctaret, hæc avis ægritudinis illius levamen frequenter aderat, et concinne ac recise, papa Leo, resonans, robur mentis illi excitabat. Nec videatur cuiquam reprehensibile hunc justum in sui consolatione hujus avis usum modulatione, cum legamus beatum Augustinum pro exitu suæ matris inconsolabiliter lamentantem, musicam melodiam ad levamen mœroris sibi adhibuisse, sanctumque Antonium rigori monastico aliquantulum oblectamenti certo tempore concessisse.

Quantam autem solertiam in catholica lege conservanda adhibuerit, in primo Romano concilio (34), quod multis episcopis considentibus habuit, demonstravit; ubi statuta quatuor synodorum principalium viva voce corroboravit, decretaque omnium antecessorum suorum pontificum tenenda confirmavit; Simoniacam etiam hæresim damnavit, quæ jam nonnullas mundi partes invaserat, et in eodem concilio quosdam deposuit episcopos, quos prædicta hæresis nævo suæ nequitiæ maculaverat. In quo concilio quid contigerit, non congruit reticere, ubi Christus auctoritatem ejus sua dignatus est gratia roborare. Nam episcopus (35) de Sutrio reus ejusdem culpæ accusatus, voluit injuste se excusare, falsis prolatis testibus; sed, peracturus jusjurandum, repente est divinitus perculsus, et, inter manus exportatus non longo post tempore humanis rebus est exemptus. Cunctis hoc audientibus nimius incutitur timor, ne quem in ejus præsentia ad falsum judicium humanus impelleret pudor. Decimas quoque a cunctis dandas Christianis, quarum nec mentio erat apud Apuliam et per quosdam orbis fines, ecclesiis restituit; venditiones altarium sub anathemate prohibuit; sed constituit ut partes decimarum ad episcopum pertinentes, aut quisque præsul sibi teneret, aut cuicunque vellet tribueret; partem autem ad altare pertinentem proprio pastori ecclesiæ gratis concederet. Incestas consanguineorum nuptias, in multis orbis partibus indiscrete habitas, discidit, pluresque nobilium hoc turpi devinctos nexu separavit. Alia quoque perplura canonum capitula studuit renovare, quæ, ne fastidium gignant, hic supersedimus recitare. His sanctis insudans studiis, antiquam repetit patriam, suscipiturque a totius gentis nobilissimo atque reverendissimo archiepiscopo Herimanno apud Coloniam. Cujus petitu concessit dominus papa hoc privilegium sedi Ecclesiæ Coloniensis, ut ad altare sancti Petri, septem presbyteri cardinales quotidie divinum celebrarent officium in sandaliis. Dedit ei quoque officium cancellarii (36) sanctæ Romanæ sedis, ejusque successoribus, tribuens illi ecclesiam sancti Joannis ante portam Latinam.

Hinc invitatur ab Herimaro abbate venerandi cœnobii Sancti Remigii, Remorum pontificis, ad consecrandam (37) ecclesiam in ejus honore restructam; ubi non est dictu facile quanta multitudo a finibus terræ, Hispanorum, Britannorum, Francorum, Scotorum, Anglorum advenerit ejus invisere præsentiam. In qua præsentia adfuit etiam non modicus cœtus pontificum, cum quibus advenit venerandus Chrysopolitanorum [*i.*, Bisuntinus] archipræsul Hugo, Deo et hominibus amabilis, præ cunctis jucundæ eloquentiæ et affabilitatis; cui in restituendis suæ rebus ecclesiæ nemo prædecessorum aut successorum est comparandus, in quo Christi tunc apparuit virtus admirabilis. Nam gloriosus apostolicus, ibidem habito episcoporum concilio, quosdam Simoniaca infectos hæresi deposuit ab injuste suscepto officio. Inter quos Hugo Lingonensis episcopus, multis ac horribilibus infamatus accusationibus, est vocatus ad reddendam rationem. Quique prædictum archipræsulem Chrysopolitanorum, utpote eloquentissimum, sibi expetiit causidicum ac prælocutorem. Hic igitur coactus a domino apostolico, illius suscepit causam dicendam, sed repente obmutuit ante cunctorum præsentiam, ut profecto patesceret Deum noluisse falsis excusationibus verorum criminum tanti pontificis inquinari linguam. Lingonensis igitur Hugo, hoc miraculo exterritus, noctu, judicium concilii metuens, aufugit. In crastinum vero in synodo idem episcopus requisitus, et non adesse repertus, lecta sententia, tertio vocatus est [*Rem. add.*, et excommunicatus]. Tunc Vesontionensis episcopus surrexit, et quomodo eumdem reum conatus defendere, obmutuerit, coram omnibus patefecit. Quod audiens domnus papa, hoc miraculum meritis beati Remi-

(33) Codex Remigian., *Dalamarciæ;* cod. S. Maximini apud Bolland, ut et Joannes de Bayon, *Dalmatiæ;* alius cod. *Dalamichiæ*.

(34) De hujus synodi decretis agit Petrus Damiani in epistola seu opusculo ad Henricum Ravennatem archiepiscopum.

(35) Hunc Kilinum appellat Ferdinandus Ughellus, tomo I Italiæ Sacræ, ubi de episcopis Sutriensibus.

(36) Hermannus archicancellarii munere functus legitur in epistola beati Leonis ad Joannem Salernitanum, quæ data dicitur per manum Friderici . . . . . et Hermanni archiepiscopi et archicancellarii. Exstat. tom. IX Conciliorum editionis Labbeanæ.

(37) Hujus dedicationis historiam superius exhibuimus ad annum 1049, quo peracta est.

Digitized by Google

gii ascripsit, et cum omnibus qui aderant surgens, gratias Deo, inde domno sancto Remigio cum magno psallentio reddidit. Postmodum tamen præfatus episcopus Lingonensis, divino commonitus instinctu, ad dominum rediit papam, et cum ingentibus lacrymis publice crimina confessus, spontaneam suscepit pœnitentiam, et Romam nudis vadens pedibus, ab eodem nostro pio pastore promeruit absolutionem. Et in redeundo, nimiis affectus jejuniis corporisque maceratione, in bona perseverantia vitam reliquit præsentem (38).

V. *Concilium Maguntiæ. Leo Augiæ dæmoniacum liberat.* — Inde per urbem Mediomatricorum remeans, petitu venerabilis abbatis Guarini, consecravit ibidem sancti pontificis Arnulfi basilicam, ibique, exoratus a domno Sigifrido (39) Gorziensi abbate, composuit in veneratione gloriosi martyris Gorgonii nocturnalium responsoriorum dulcisonam melodiam. Hinc generale apud Maguntiam concilium habuit, in quo Spirensis præsul Sibicho (40), criminali reatu accusatus, voluit se expurgare terrifico sacramento Dominici corporis; sed, ut fertur, maxilla ejus mansit contorta paralysi, quandiu præsentis vitæ spatium duxit. Quod ideo hic breviter volui adnotare, ut audientibus fiat notum quam horribile sit etiam secura conscientia hujusmodi judicium adire, sacra dicente Scriptura: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (*Hebr.* x, 31). Demum domnus papa apud Augiam (41) in honore vivificæ crucis ecclesiam dedicavit, ubi divina pietas in proprio famulo suam gratiam mirifice ostendit. Nam inter sacra missarum solemnia ibidem adducitur catenis nexus dæmoniacus, qui vix a multitudine poterat coarctari, alienaque violentia possessus, horrendos emittens stridores, clamores, atque fremitus, hymnidicam totius cleri harmoniam suis diris evincebat vocibus. Itaque Christi servus sacrum incœpturus canonem, non valens hujusmodi pati inquietudinem, utpote ad Deum totam directurus mentem, a longe signo crucis edito, manu indixit silentium; et citius dicto obmutuit dæmonium, et homo, vinculis solutus, sospes cunctis admirantibus domum propriam repedavit.

VI. *Romam reversus. Scyphum fractum restituit. In Apuliam vadit. Clinicam sanat. Concilium Sipontinum. Romam revertitur.* — Romam igitur rediens, plebem de sua diutina absentia mœstam lætificavit; ubi superna gratia ejus mirabile meritum omnibus publicavit. Siquidem prædictus Herimarus abbas cœnobii sancti Remigii Remorum pontificis, ei quemdam scyphum pretiosi mazeris (42) ob sui memoriam obtulerat, quem vir sanctus pro charitate dantis in proprios usus sibi servari constituerat. Sed quadam vice minister, ei potum daturus, in multas partes casu confractum repererat. Cujus particulas electus Domini quocunque erant sibi deferri præcepit, et nihil tale futurum suspicatus, cunctas suo loco quasi delectando reposuit, astantibusque lætabundus dixit: Potens est Omnipotentis majestas in pristinam integritatem has restituere fracturas. Quo dicto, protinus consolidatæ sunt partes, ita ut ad memoriam facti signum fracturæ ad instar subtilissimi capilli circumquaque appareret; sed, quod magis mirum erat, nihil intra positi liquoris effluceret. Hujus rei adest testis congruus, venerandus Hugo jam dictus Chrysopoleos archiepiscopus, qui cum lacrymis se præsentem adfuisse testatur, et devoto furto se illud vas sancto viro abstulisse lætatur. Semper autem memor officii sibi a Deo commissi, ut « fidelis servus et prudens in tempore dispensans mensuram tritici, » iter sumpsit peragraturus fines Apuliæ, ut Christianam repararet religionem, quæ ibidem videbatur pene deperisse, maximeque inter accolas regionis et Normannos concordiam componere satagens, quos dudum adjutores contra exteras gentes susceperant principes regni, sed tunc sævissimos tyrannos ac patriæ vastatores non sponte sustinebant. In hoc ergo sancto opere sollicite intentus venit Beneventum, ubi aliquandiu commoratus, cuidam clinicæ (43) divina præeunte gratia vitale præbuit auxilium. Nam per annos fere quindecim diutino confecta languore, de proprio grabato, nisi aliorum deportata manibus, nequibat exire; ita cuncta ejus membra paralysis erant dissoluta ægritudine. Cui per revelationem ostensum est ut de lympha qua beatus pastor sacras abluerat manus et post celebrationem missarum hauriret, et absque mora sospitatem reciperet. Qua impetrata atque cum fideli spe hausta, in crastinum sospes sacra missarum solemnia adiit, Deo sanctoque pontifici gratias redditura. Itaque zelo sanctæ religionis fervens præsul venerandus, apud Sipontum habito concilio, duos deposuit ab

(38) Obiit in cœnobio sancti Vitoni Virdunensis, cui præerat frater ejus Waleraunus, de quo multa habes supra in Vita beati Richardi ejusdem loci abbatis. Scripsit librum De corpore et sanguine Domini adversus Berengarium, qui a nostro Acherio editus est.

(39) Ex hoc loco emendandi Sammarthani, qui Sigifridum inter Gorzienses abbates non recensent. De Gorziæ monasterio, quod a Chrodegango episcopo Metensi fundatum est in honorem S. Gorgonii, cujus corpus a papa obtinuerat, diximus in sæculo superiori, ubi sancti Joannis hujus loci abbatis Vitam dedimus.

(40) Sigebothonem alii appellant. Reginobaldo successit anno 1039. Spirensemque Ecclesiam annis undecim administravit.

(41) Celebre olim monasterium, vulgo *Richenow*, quod hodie pauci incolunt monachi ob mensam abbatis episcopatui Constantiensi unitam.

(42) Bollan. *marmoris*, ex Cod. miss. ut ait, at non solum editi sed et ms. Codex sancti Remigii habet *mazeriis*; quo nomine videtur exprimi aliquod pretiosum ligni genus. Nam Bruno Signiensis hunc scyphum ligneum fuisse afferit, et Desiderius Casinensis, seu Victor III. illud vas, *poculum lignarium* appellat. De ejusmodi scyphis Cangius in Glossario, ad vocem *Mazerini*.

(43) Sic dicitur, quod in lecto jugiter decumberet, κλίνη quippe *lectum* signat.

Digitized by Google

officio archiepiscopatus, qui cum mercede sanctum assumpserant ministerium, vitio elationis unos ambiens præcellere alterum. Inde repetito gressu Romam rediit, ubi superna admonitus revelatione beatum Gerardum suæ sedis, Leucorum videlicet, olim præsulem in numero sanctorum computandum statuit. Eodemque anno in patriam regressus, ipsius sanctos artus cum summa gloria transtulit. Quæ omnia diluciде sunt exarata in ejusdem Vita (44) et miraculis.

VII. *Episcopus ipsi contradicens punitur. Item et Ravennensis.* — Erat autem huic viro Dei non modica concertatio contra pervasores rerum sanctæ Romanæ sedis, maximeque contra Ravennatem episcopum, spiritu repletum contumaciæ et rebellionis; cui nonnulli favebant palatini, gloriæ invidentes domni apostolici. Quorum caput in fomento discordiæ erat Nizo (45) episcopus Frisingiæ, super quem divina virtus hujusmodi horrendam ultionem dignata est ostendere. Nam pro responsis imperialibus in Italiam directus, Ravennam devenit, et in favorem Ravennatis detrectatoria verba contra hunc beatum proferre cœpit, inter quæ, ducto sub gutture digito, ad hæc blasphema prorupit: Hoc guttur gladio abscindatur, nisi cum deponi fecero ab honore apostolatus. Quo dicto, eodem momento ipsum intolerabilis dolor guttur invasit, et impœnitens die tertio vitam obiit. Archiepiscopus autem Ravennatium ob incorrigibilem præsumptionem est a sancto papa anathematizatus. Ideoque imperiali jussu Ausburgiam vocatus, cum justitia redditis quæ injuste pervaserat, absolutionem est petere coactus. Quia cum licet corde contumaci ante pedes sancti stratus jaceret, cunctusque cœtus præsentium pontificum ei absolutionem peterent, ait vir beatus: «Secundum ejus devotionem tribuat illi omnipotens cunctorum scelerum absolutionem.» Ille vero surgens, cum subsannatorie subrideret adhuc superbia tumidus, venerandus pastor in lacrymas resolutus, inquit secreto circumstantibus: « Heu! mortuus est miser iste. » Nec mora; ille languore corripitur, et vix in patriam revectus, vita et honore, quo tumebat celeriter privatur.

VIII. *Leo dæmoniacam liberat. Udonem sibi Tulli substituit. Hungaros imperatori reconciliare tentat. Futura mala prævidit. — Concilium Mantuæ. Mortui loca sacra visitantes.* — Magnificus autem pastor Romanam revisens sedem, dum paschalibus solemniis apud sanctum Laurentium esset celebraturus divini sacramenti oblationem, inter sacra missarum solemnia ei quamdam obtulerunt mulierem quæ, plena dæmonio, sanam amiserat mentem. Quam incessanter debacchantem cernens, fremitumque circumstantium ac eam vinctam trahi non ferens, A econtra vexillo crucis edito, omnes a longe stare præcepit; sed illam mox immundus pervasor reliquit, et sana mente incolumis ad propria repedavit. Sollicitus autem de salute animarum primum sibi specialiter commissarum, Romæ positus venerabilem primicerium Udonem (46) elegit sibi successorem sanctæ sedis Leucorum, atque ad eum sibi subrogandum imperiali majestati proprium direxit legatum. Si quidem, ob honorum morum honestatem sanctæque religionis fervorem et piæ devotionis intentionisque devotionem, illum hoc officio dignum judicabat, et paterno eum amplectens affectu proprium filium vocitabat. Sperabat quoque ejus prudentia, qua in divinis humanisque affluenter pollet, perfici posse, si quid minus plene peregisset in suæ B primitivæ sedis augmentatione. Quod etiam nunc ex plurima parte fit, Christi annuente suffragio, et, ut vere credimus, in dies erga Dominum accrescet ejus sancta devotio. Sed nunc ejus laudibus supersedendum, quia omnis laus in fine securius cantabitur. Non modicus quoque ei inerat fervor in angenda republica. Idcirco Hungariæ principes, à Romano nuper imperio dissidentes, multiplicibus legatis adierat, ne detrectarent solita subjectione imperatori prisca persolvere tributa, quod et consenserant, si præteritorum commissorum eis concederetur indulgentia. Quapropter sancta commonente pietate coactus est tertio antiquam patriam repetere, et, pro reorum miseratione qui contra imperium C moverant bellum, persuasoriis precibus imperiales aures expetere. Sed quia factione quorumdam curialium qui felicibus sancti viri invidebant actibus, sunt Augusti aures obturatæ precibus domni Apostolici, ideo Romana respublica subjectionem regni Hungariæ perdidit, et adhuc dolet finitima patriæ prædis et incendiis devastari. Dum autem pro regni pace sollicite laborans ibidem aliquandiu moratur, divina prædestinatio ei in somnis revelare voluit quid sibi futurum portenderetur. Nam videtur sibi quod, stans in edito, familiares suos ad se de periculo confugientes reciperet, eisque sub pluviali veste, quæ cappa vocitatur, inclusis, sanguine eorum sibi vestes infici conspiceret. Qua visione certus redditus mœstitudinem sibi suisque affuturam, et, sicut triticum in area Domini recondendum, D ad tentationem sese præparat sustinendam. Itaque repedans in Italiam, concilium apud Mantuam habendum constituit. Quod factio quorumdam pontificum severitatem ejus justi judicii timentium perturbavit. Nam familiæ eorum fautrices scelerum, subitum contra domni apostolici familiam moverunt tumultum, secure astantem ante basilicam in qua publicum habebatur concilium, ita ut vir sanctus cogeretur a medio consessu surgere, et ante por-

(44) Hanc Vitam exhibent Bollandiani die 23 Aprilis. Nos vero de S. Gerardo egimus sæculo superiori, pag. 891, ubi habetur bulla ejus canonizationis, pag. 894.

(45) Sirmondi editio *Vizonem*. Nicerus dicitur à Gualterio in Catalogo episc. Frisingensium.

(46) Ed. mendose *Odonem*. Et quidem Udo dicitur passim in compluribus instrumentis. Antea bibliothecarius et cancellarius fuerat Ecclesiæ Romanæ, ut patet ex bulla S. Leonis pro S. Mansueto.

Digitized by Google

tam ad sedandum strepitum procedere. Cujus præsentiam non reveriti Deo odibiles, eo magis magisque in nequitia pertinaces, nitebantur ad eum exarmatos confugientes ante oculos ipsius confodere, et a valvis ecclesiæ, ne ibi tutarentur, repellere, ita ut impetus sagittarum et saxorum circum ejusdem sancti aures et ora volitaret, atque quosdam ejus veste defendi cupientes vulneraret. Qui tumultus admodum difficulter sedatus, cœptum rigorem concilii imperfectum coegit relinqui. Sed in crastinum cuncti hujus seditionis incentores, severa examinatione damnandi, a piissimo patre sunt misericordi indulgentia absoluti, ne videretur causa ultionis asperitatem in eos exercere judicii. Videtur etiam indignum sub sera oblivionis obcludere quod, ejus temporibus, ad divinam laudem apud Narniam gestum refertur memorabile. Cujus rei testes visorii, a minimo usque ad maximum, cuncti illius urbis dicuntur exstitisse. Nam biennio antequam ibidem hic venerandus papa Dominicum celebraret natalitium, contigit quodam die æstivo tempore infinitam multitudinem juxta eadem mœnia habere transitum. Ejus terrore attonita universa plebs muros ascendit, quasi ob capiendæ civitatis defensaculum. Quæ multitudo infinitum terræ spatium, quantum humanus posset comprehendere visus, implebat, et præ celeri gradu orientem versus transcurrebat. Videbantur autem cuncti miro candore habitus, vultusque ac capitis canitie venerandi, pene consimilis formæ qualitate decori. Quod mirandum omnes a muris urbis aspectantes stupidos reddidit, et a primo mane usque ad horam nonam excurrere non destitit. Sole autem declinante, cœpit illa admiranda multitudo paulatim rarescere. Unus quoque ex muro spectantium fidentior reliquis, ausus est extra procedere, et e vicino cum tremore astans spectabat, si quem eorum posset cognoscere. Tunc inter extremos videt quemdam sibi olim familiarem, ipsius urbis civem, boni testimonii et devotæ mentis hominem, qui jam non diu præsentis vitæ excurrerat finem. Quem cum divina adjuratione nomine tenus appellans ad se vocitavit, et quæ esset illa tanta multitudo sibi manifestari depoposcit. Cui inquit : « Licet sis indignus divina mysteria cognoscere, tamen noveris nos peccatrices animas, adhuc immeritas cœlestis regni gaudia possidere, vice pœnitentiæ loca sancta continuatim circuire, et nunc de Sancti Martini Majori Monasterio venientes, ad beatæ Dei genitricis Mariæ cœnobium in Farfa (47) iter agere. » Quo dicto disparuit, ac nimio illum terrore confectum reliquit, quique integro anno languens recubuit in lecto, et hæc eadem domno apostolico retulit ore proprio

A IX. *Hæresis Fermentaceorum. Contra eam Leo scribit. Nicetas Pectoratus resipiscit. Michael episcopus C. P. excommunicatur.* — Ea tempestate orta est hæresis Fermentaceorum, quæ calumniatur sanctam Romanam sedem, imo omnem Latinam et Occidentalem Ecclesiam, de azymis vivificum Deo offerre sacrificium. Quam calumniam etiam scripto ediderunt episcopi, Michael (48) Constantinopolitanus et Leo Acridanus, pervicaciter exhalantes pestiferas mephites contra sanctam et apostolicam fidem. Hæc quidem calumnia Græco sermone edita, et Joanni Tranensi episcopo, in suggillationem omnium Latinorum directa, cum fuisset Trani exhibita fratri Humberto (49) sanctæ ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopo, in Latinum est translata ejus studio, at-
B que delata domno papæ Leoni nono. Itaque gloriosus apostolicus libellum composuit luculentissimum adversus jam dictas præsumptiones et nimias vanitates eorum, conatus illos ad viam veritatis adducere; sed postmodum incorrectos ecclesiastico damnavit anathemate. Prædictus etiam frater Humbertus edidit contra eorum putida scripta responsionem instar dialogi, ab ipso Latine scriptam apocrisiariatus sui tempore Constantinopoli, et jussu imperatoris religiosi et orthodoxi Constantini Monomachi Græce editam, sub nominibus Constantinopolitani, et Romani, anno Domini millesimo quinquagesimo quarto. Domnus quoque Fredericus tunc cancellarius, post a Deo electus Romanæ sedis apostolicus (50), invective respondit quibusdam ob-
C jectionibus, quas ediderat Nicetas monachus Constantinopolitanus, qui et Pectoratus, contra Latinam Ecclesiam; quem libellum titulaverat : De Azymo, de Sabbato, et de nuptiis sacerdotum. Quæ invectio de Latino translata, et publice coram prædicto imperatore est recitata, idemque Nicetas coactus est damnare et comburere sua scripta, habita disputatione apud monasterium Studii in urbe Constantinopolitana. Siquidem gloriosus apostolicus direxerat Constantinopolim sanctæ Romanæ sedis apocrisiarios, præfatum scilicet Humbertum, et Petrum Amalfitanorum archiepiscopum, Fredericum quoque tunc diaconum et cancellarium. A quibus Nicetas cupiens perfectam suarum propositionum solutionem, iterum sponte anathematizavit omnia dicta et facta
D vel tentata adversus primam et apostolicam sedem; sicque ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Michaele autem Constantinopolitano episcopo præsentiam illorum et colloquium devitante, atque in stultitia sua perseverante, præfati nuntii domni apostolici adierunt ecclesiam sanctæ Sophiæ, et super ejus obstinatione

(47) Majus Monasterium situm prope Turonos, ut nemo nescit. Farfa autem celebre est monasterium in Sabinensi diœcesi in Umbria.

(48) Michael, cognomento Cerularius, ad quem egregiam epistolam, seu potius librum, scripsit beatus pontifex. Cæterum hic schismatis Græci parens anno 1058 e sua sede pulsus est.

(49) Humbertum Mediani monasterii monachum fuisse passim scribit Joannes de Bayon in ejusdem loci Historia, atque ibi oblatus monasterio a parentibus anno 1015 dicitur. Ejusdem Humberti libri contra Græcos editi sunt a Baronio in appendice tomi XI Annalium : Leonis vero epistolas apud Labbeum habes, tom. IX Conciliorum

(50) Dictus Stephanus X, cujus elogium infra habes ubi de SS. Casinensibus.

Digitized by Google

conquesti, clero ex more ad missas præparato, jam hora tertia die sabbati chartam excommunicationis super principale altare deposuerunt, sub oculis præsentis cleri et populi. Inde mox egressi, etiam pulverem pedum suorum excussere in testimonium illis, juxta dictum Evangelii (*Luc.* IX, 5), proclamantes : *Videat Deus et judicet* (*Exod.* V, 21). Hinc ordinatis ecclesiis Latinorum intra ipsam Constantinopolim, et anathematizatis cunctis qui deinceps communicarent ex manu Græci Romanum sacrificium vituperantis, accepta orthodoxi imperatoris licentia, in osculo pacis cum donis imperialibus sancto Petro sibique collatis, alacres sunt reversi. Itaque imperator adversus Michaelem commotus, quod ad concilium in sui præsentia et nuntiorum domni apostolici venire detrectaverit, imo seditionem vulgi contra eum incitaverit, amicos et affines ipsius honoribus privatos a palatio eliminavit, contraque ipsum usque in finem graves iras retinuit.

X. *Expeditio in Nortmannos. Nortmannorum sævitia.*—Interea piissimus pastor sollicitus pro ovibus sibi a Deo creditis, ac clementi condolens affectu inauditæ afflictioni Apuleiæ gentis, collecto aliquanto comitatu, rursum movit iter versus Beneventum, nisus omnimodis Normannorum sævissimum mitigare impetum. Non est nostrum lacrymosis expendere verbis quid sibi in hoc itinere contigerit, dum ipse brevi scripto (51) imperatori Constantinopolitano cuncta intimaverit. Ait enim inter alia : « Illa sollicitudine, qua omnibus Ecclesiis debeo invigilare, videns indisciplinatam et alienam gentem Normannorum crudeli et inaudita rabie et plusquam pagana impietate adversus Ecclesiam Dei insurgere, passim Christianos trucidare, et nonnullos novis horribilibusque tormentis usque ad defectionem animæ affligere, nec infanti aut seni seu femineæ fragilitati aliquo humanitatis respectu parcere, nec inter sanctum et profanum aliquam distantiam habere, sanctorum basilicas spoliare, incendere et ad solum usque diruere, sæpissime perversitatem ejus redargui; commonui, obsecravi, prædicavi; opportune importuneque institi; terrorem divinæ et humanæ vindictæ denuntiavi. Sed quia, sicut Sapiens ait : *Nemo potest corrigere quem Deus despexerit* (*Eccles.* VII, 14); et : « Stultus verbis non corrigitur (*Prov.* XVIII, 2), » adeo obstinata et obdurata ejus malitia permansit, ut de die in diem adderet pejora pessimis. Unde non tantum exteriora bona pro liberatione ovium Christi cupiens impendere, sed superimpendi ipse peroptans, visum est mihi ad testimonium nequitiæ ipsorum nihil sic expedire ad repressionem contumaciæ (52) quam humanam defensionem undecunque attrahendam fore, audiens ab Apostolo principes non sine causa gladium portare, sed ministros Dei esse, vindices in ira omni operanti malum, et quia principes non sunt timore boni operis sed mali (*Rom.* XIII, 3, 4); et reges atque principes missos a Deo ad vindictam malefactorum (*I Petr.* II, 14). Suffultus ergo comitatu, qualem temporis brevitas et imminens necessitas permisit, gloriosi ducis et magistri Argyrii fidelissimi tui colloquium et consilium expetendum censui, non ut cujusque Normannorum, seu aliquorum hominum interitum optarem aut mortem tractarem, sed ut saltem humano terrore resipiscerent, qui divina judicia minime formidant. Interea nobis eorum pertinaciam salutari admonitione frangere tentantibus, et illis ex adverso omnem subjectionem ficte pollicentibus, repentino impetu comitatum nostrum aggrediuntur; sed et adhuc de victoria sua potius tristantur quam lætantur. Sicut enim tua pietas scribere curavit ad nostram consolationem, pro ista sua præsumptione majorem in proximo exspectant sibi superventuram indignationem, post illam quam experti sunt suæ catervæ diminutionem. Nos quoque, divinum adjutorium affore et humanum non defore confidentes, ab hac nostra intentione liberandæ Christianitatis non deficiemus, nec dabimus requiem temporibus nostris (*Psal.* CXXXI, 5), nisi cum requie sanctæ Ecclesiæ periclitantis. » Et hæc quidem domnus apostolicus.

XI. *Per medios hostes papa transit illæsus. Occisorum funera curat.* — Itaque pessima gens Normannorum, peracta cæde familiæ mitissimi papæ, non sine magno detrimento suorum, aggreditur oppidum, Civitatulam cognominatum, ubi idem beatus, ignarus eorum quæ acta erant, tardantem suum exspectabat comitatum. Qui cum imminentes hostes cerneret et quid suis contigisset intelligeret, cum ea quæ sibi remanserat clericorum frequentia cœptum iter versus Beneventum arripuit, et cunctis hostibus attonitis, quasi leo confidens, absque terrore per medium illorum transiit. Ergo tam admirandam perpendentes confidentiam, mutatis animis, in ejus sunt conversi obsequelam; cujus osculantes vestigia sibi immeritam deposcebant indulgentiam. Quibus vir sanctus, pauca locutus pro tempore, ipsis deservientibus studuit funera cæsorum honorifice procurare, tumulans ea in vicina ecclesia ab antiquo diruta tempore. Et quoniam pro fide Christi afflictæque gentis liberatione devotam mortem voluerunt subire, multiplicibus revelationibus monstravit eos divina gratia in cœlesti regno perenniter gaudere. Nam et ipsi diversis modis sese ostenderunt Christi fidelibus, dicentes se non esse lugendos exsequiis funebribus, imo in superna gloria sanctis conjunctos martyribus. Ab eisdem quoque illorum interfectoribus super ipsos restructa venusto opere basilica ac concione Deo servientium ibidem aggregata, omnipotentissima Dei virtus multa per eos exercet miraculorum insignia. Ferocissima vero gens Norman-

(51) Id habes inter alias epistolas hujus beati pontificis, in tom. IX conciliorum generalium.

(52) Ea in Leone reprehendit Petrus Damiani in epistola ad Firmium episcopum, asserens non sic egisse Gregorium Magnum. Verum multis argumentis hanc Petri sententiam refellit Baronius ad annum 1053 quem legesis.

Digitized by Google

norum his exterrita gestis, crudelitate deposita, A pos, quibus cohabitabat, ex tunc ut compatriotas amicabilius tractavit, ac venerabili papæ, quoad vixit, in omni subjectione fideliter deservivit.

XII. *Ejus pia exercitia. Scripturam sacram Græce addiscit.* — Eximius autem pastor Beneventum veniens, ipsis Normannis etiam injussis per totum iter obsequialiter illum comitantibus, non modico illic anni spatio est commoratus, semetipsum sanctis exercens virtutibus, patientia, vigiliis, jejuniis et orationibus. Siquidem omnem lecti mollitiem refugiebat, sed, sumpto ad carnem cilicio et tapeti terræ instrato recubans, capiti lapide apposito, nocturnis horis paululum somni insumebat, reliquumque noctis spatium cum integri decantatione Psalterii ac innumera genuum inflexione excurrebat. Idem quoque B Psalterium per singulos repetens dies cum oblatione divini sacrificii, cursum multiplicium orationum indefesse transigebat. Illud etiam erat in eo mirandum quod, ultra quinquagenarius, tanto fervebat studio ut divinarum lectionem Scripturarum Græco addisceret eloquio. Et quoniam visceribus pietatis et misericordiæ supra quam credi potest affluebat, innumera pauperum multitudo indefesse ad ejus largitatem accurrebat, quibus absque discretione necessaria ministrabat.

XIII. *Leprosum in suo lecto collocat. Dæmoniacam liberat.* — His itaque piis insistens actibus, dum quodam sero cuncta ejus familia causa nocturni secessisset soporis, ipse prævio lumine cum puero deambulabat C per vacuum sui palatii spatium, viditque in angulo jacentem leprosum scissis panniculis ac ulceribus obsitum, lurida putredine tabidum, qui, nimia pressus ægritudine, nequibat gressum movere vixque poterat ex effeto corpore verba proferre. Cui venerandus pater genibus affixis diu est familiariter locutus, et propriis involutum vestibus suis intulit humeris ad lectum qui sibi pontificali more fuerat præparatus; intrinsecusque januis obseratis ac ministro soporato, ipse solitæ institit psalmodiæ in vicino oratorio. Demum post diutinam horam assueto usu humi cubaturus rediit, leprosum quem exstructo locaverat toro minime reperit, excitatum puerum interrogat quorsum pauper abierit. Ille attonitus cunctos circuit angulos domus, ostiorum solli- D cite tentat aditus, sed omnia invenions obserata, cum summa admiratione regreditur. Hoc ergo facto stupidus domnus apostolicus dat fessa soporiferæ quieti membra, et nescio quid divini in somnis cernens, mane puero cum terrifica admiratione imperat ne cui, quoad viveret, ullo modo panderet quod actum fuerat. Credo, illi in somnis Christus, ut beato Martino pontifici, ejus indutus vestibus apparuit, aut velut Martyrius monachus (53), leprosum de suis exsilientem ulnis cœlum ascendere vidit, et causa humilitatis, ne sibi pro humana laude virus subreperet superbiæ, hoc voluit latere miraculum; tamen non absque re sub tanta comminatione jussit hujusmodi celari factum. Rursus quodam die ibidem solus cum solo clerico sanctæ psalmodiæ insistebat, cum ecce quidam rusticus secum insanam deducens filiam advenerat; quam multoties pessimo torqueri dæmonio suspiriose clamabat, ejusque meritis liberari cum lacrymis deposcebat. Cujus precibus pius pater diutius nitens contradicere, jussit eum sanctorum suffragia, quorum innumeræ ibi continentur reliquiæ, supplici voto exorare. Sed rusticus in proposito obstinatus, imo in solidæ fidei stabilitate firmatus, dicebat se exinde non recessurum donec ejus benedictione divinum promereretur auxilium. Itaque vir sanctus, ipsius importunitate devictus, granum salis in proximo repertum benedixit ac in os puellæ cum divini invocatione nominis projecit; moxque, dæmone cum purulento expulso sanguine, lætus pater cum sospite filia domum repedavit. Possent autem de hoc sancto plurima admiranda referri, sed studioso est cedendum lectori, vel incredulo auditori, ideoque brevi ejus memorantes transitum, finem cœpto imponamus operi.

XIV. *Incidit in morbum Beneventi. Romam venit. Deducitur ad oratorium sancti Petri. Oleo sacro et Eucharistia munitur. Obit. Sepelitur.* — Boni ergo certaminis cursu consummato, abundantiori supernæ beatitudinis in dies æstuabat desiderio, et tanquam cum Paulo diceret: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14), sic funditus curis hujus vitæ curabat abrenuntiare, ut in corpore adhuc positus videretur beatam angelicæ conversationis puritatem exercere. Pro defunctorum quoque requie incorruptorum sacramentorum celebrationi solito frequentius invigilabat. Et quanquam hic labor ei fuisset præcipuus toto tempore sui incolatus, ferventiori tamen studio et copiosiore votorum numero insistebat tam glorioso operi circa diem sui obitus. Et quoniam divinitatis providentia, tum indulgendo, tum verberando operatur salutem sibi obsequentium, ad virtutis cumulum eum adeo flagellavit afflictione salutifera ut, perdito omnis cibi desiderio, irrepentis morbi dolor eum continuare cogeret quæ olim sponte exercebat jejunia, solius lymphæ poculo marcido corpori præbente sustentacula. Interea evoluto anni orbe, instabat ejus ordinationis dies anniversarius, in quo solito devotius quotannis Christo piis insistebat precibus. Quamvis itaque languoris invalescens molestia fatigati divinis operibus corporis jam debilitaret præcordia, Spiritu sancto tamen roboratus, a quo totus ejus vitæ dirigebatur cursus, cum apostolicæ dignitatis honore eo die missarum celebrans solemnia, Beneventanos, cum quibus tunc morabatur, gratificæ affabilitatis exhilaravit lætitia. Et hoc fuit ultimum

(53) De eo agit beatus Gregorius homina 39 in Evangelia. Vitam vero illius exhibet Bollandus ad diem 25 Januarii.

Digitized by Google

in divinis sacramentis obsequium, quasi vivificis valedicens mysteriis, quibus semper se præbuerat dignum. Certificatus autem de suæ vocationis termino, Romam se ferri fecit lecticæ vehiculo. In quo itinere sic eum conciliavit divinitas non solum suis, verum etiam his qui nuper fuerant inimici, ut copiosa multitudo Normannorum, quos supra retulimus diu cum hoc viro habuisse dissidium, totius animi sinceris-sima devotione se invicem prævenirent ad ejus obsequium. Et decebat utique fortissimum defensorem Christianæ religionis ut, regis sui Christi aditurus palatia, deduceretur nobili triumpho victoriæ, præeunte scilicet hostium jam subjugatorum mansuefacta multitudine. Aliquantulum ergo commoratus in Lateranensi palatio, præstolabatur quid de se statueret interni Judicis clementissima dispositio. Beatus autem Petrus, non immemor diutini sudoris quo sibi in regendo ovili Ecclesiæ adfuerat cooperator hic vir memorabilis, eum sibi vicinius deliberavit conjungere, utpote participem futurum magnifici honoris et gloriæ quam summi Pastoris præeunte gratia Romanæ impertivit Ecclesiæ. Divina itaque revelatione est edoctus quod non alias eum remaneret carnis resolutio, nisi in locis beati Petri vicinis oratorio. Nec mora: gratulabundus super tali visione, seque intelligens vocari divini respectus miseratione, lectica denuo subvectus, oratorium beati Petri est ingressus. Ibi ex imo cordis fundo lacrymis permanantibus, ad Deum extendens puram mentem cum manibus, diutissime clementiam Domini secretis invocavit precibus. Dein delatus in vicinam episcopii domum, visitatus est frequentia fidelium summæ dilectionis gratia ad eum confluentium. Quorum pia consideratio perpendens non diutius eum retinendum carnis ergastulo decrevit ut, quoniam plures episcoporum, abbatum cæterorumque fidelium confluxerant turbæ, eis præsentibus inungeretur sacri olei liquore. Super quo facto exhilaratus usquequaque munitusque Dominici corporis et sanguinis communione, Teutonica lingua, ut testati sunt qui adfuerunt, tali cum Deo locutus est oratione: « Miserator Domine, omnium Redemptor, unica salvatio, si judicas expedire oculis tuæ majestatis ut adhuc communi utilitati populorum tuorum inserviam, merear, oro, celeri medicina tuæ visitationis instantis ægritudinis evadere molestiam; sin aliud aliquid deliberat tuæ divinitatis providentia, deprecor, Domine, ut quantocius concedatur mihi exire hujus corporis habitaculo. Finitis precibus astantes respiciens singulis pro sibi exhibito obsequio gratias retulit, fessaque membra ad requiem componens tolerabilius solito se dolorem sentire perhibuit. Credidit circumstantium fidelium multitudo mox eum depositurum carnis exuvias, suspiriosisque singultibus proficiscenti animæ competentes solvebat exsequias. Quorum voces comprimens beatus vir: « Hoc, inquit, quod nunc agitur differte in horam tertiam diei crastinæ, exspectantes quid de me placeat omnipotentiæ Dei. » Vigilantiori igitur affectione, postero die, adfuit hora tertia copiosa fidelium frequentia, et circa horam nonam, resolutum carne spiritum cœlosque petentem deducunt commendatione devotissima. Affluente autem totius Romanæ plebis multitudine, cum summo honore ejus celebratæ sunt exsequiæ, et, sicut ipse disposuerat, sepultus est juxta beati pontificis Gregorii altare ante fores ecclesiæ. Et merito in decore sepulturæ illi exstat conjunctus quem in divina religione ac sanctæ Ecclesiæ instauratione est fideliter imitatus. Cujus vitam et sanctitatem quidam brevi disticho sic est prosecutus:

Victrix Roma dolet nono viduata Leone,
Ex multis talem non [*al.*, vix] habitura Patrem.

Exemptus est autem hic vir magnificus ab hujus vitæ laboribus, ætate quinquagenarius, anno incarnationis Dominicæ millesimo quinquagesimo quinto (54), Leucorum episcopatus vigesimo octavo, apostolatus autem sexto. Siquidem Romæ sedit annis quinque, adjectis duobus mensibus et novem diebus, impleta visione quam supra de revelatione calicum retulimus. Nam quinque calices, ei a beato Petro collati, signabant quinquennale ejus vitæ spatium; reliqui tres, sui successoris Victoris triennium; sequens unus, beatæ memoriæ Frederici in apostolatu unius anni cursum. Sed quoniam adhuc restant plurima ad dicendum quæ ad ejus tumbam fiunt divina pietate miracula, Romanis relinquimus exaranda, in quorum diatim ostenduntur præsentia. Nostrum est ejus merita devotis precibus exorare, ut viscera pietatis et misericordiæ, quibus in præsenti abundabat vita, nunc in superna positus gloria nobis dignetur aperire; quatenus, ejus sancto suffragio scelerum nostrorum abruptis nexibus, supernæ mereamur esse participes gloriæ, eo annuente qui in sanctis suis facit mirabilia, a quibus etiam sibi cantatur laus et gratiarum actio in sæcula sæculorum. Amen.

(54) Omnes omnino auctores sancti Leonis obitum ad annum 1054 revocant; post cujus mortem sedes anno fere integro vacavit.

Digitized by Google

DE OBITU S. LEONIS PAPÆ IX.

(Apud Mabill. *Acta SS. Bened.* Sæc. VI, parte II, ex codice antiquissimo bibliothecæ Beneventanæ, litteris Langobardicis exarato.)

I. *Auctoris ætas.* — Anno millesimo quinquagesimo quarto ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, indictione VII secundum Arnicam, XIII Kal. Maias, depositione exsultemus beati patris nostri Leonis papæ IX, regnante Henrico imperatore filio Conradi imperatoris Romæ. Ad laudem et gloriam Domini nostri Salvatoris Jesu Christi et Leonis papæ certamus hunc intimare laborem certaminis, quod oculis nostris vidimus, omnis presbyter et diaconus et cuncti catholici Romanæ Ecclesiæ. Sæpe vidimus in ejus vita multas eleemosynas largientem hospitibus, pauperibus, civibus et peregrinis, ita ut thesauros Ecclesiæ et cuncta quæ habere poterat, plurimam partem viduis et orphanis et Deum timentibus erogaret. Propterea Romanorum perfidia contra eum murmur et bella suscitabant. Verum ut inexpugnabilem murum suæ Ecclesiæ Dominus contra dementes hæreticos erigeret, huic viro in litterarum studiis plerique catechizati fuerant. Iste almificus Leo humilibus suaviter blanditus est; iste superborum colla confringens; iste derogatoribus suæ vitæ necessarium victum subministrans, virginitatem prædicans, matrimonia casta defendens, ubicunque exemplis omnium studia erga se, etiam gentilium, convertit. Ex multis tamen pauca hujus sancti viri in medium proferamus, et præcipue ea quæ imminente ejus morte acciderunt.

II. *Leo æger clerum adhortatur. Mortem sibi imminere prævidit.* — Post multos igitur labores et ærumnas, post periculosa bella terroresque et insidias, quæ cum matris Ecclesiæ persecutoribus pro ovibus sibi commissis gesserat, quinto sui pontificatus anno, gravi detentus infirmitate, convocatis ad se diversarum diœcesum episcopis diversisque ecclesiastici ordinis viris, ait ad eos : « Fratres coepiscopi, inquit, mei, et matris filii Ecclesiæ ac corporis mei intima viscera, quibus Dominus Ecclesiam suam regendam tradidit et ligandi atque solvendi dedit potestatem, vobis Dominicus grex commissus est. Quam ob rem vos enixe deprecor quatenus, memores evangelici sermonis, qui ait : *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit* (*Matth.* XXV, 13), scientes quod talentum suum multiplicatum fenerator ipse non dimittet : super gregem suum sagaciter vigiletis, ovesque vestras ab incursibus luporum viriliter defendatis. Quam excusationem ergo, fratres charissimi, habere poterit, qui Dominicam ovem, quam ipse Dominus humeris suis dignatus est ponere, negligenter perdiderit? Vigilate itaque, precor, et cujus sitis dispensatores ostendite; me quoque, quem Dominus indignum suæ Ecclesiæ beati Petri vicarium fecit, vestræ fraternitati commendo. Nam meæ resolutionis prope est tempus. Dominus enim me de hac vita vocare dignatus est. Nocte siquidem præterita cœlestem patriam in visione vidi; cumque obstupescerem, ostensi sunt mihi inter cætera fratres illi qui in Apuliæ finibus pro Christi Ecclesia occisi sunt inter martyres coronati; qui cum mihi una voce dicerent : « Veni, et mane nobiscum, per te enim hanc recepimus beatitudinem, » ex alia parte vox quædam intonuit, dicens : « Nequaquam nunc, sed infra triduum huic sociaberis collegio : hic est locus tuus et sedes parata. » Dum hæc et his similia prosequerentur cives superni, sancta visio recessit. Quamobrem triduo me, fratres, precor, sustinete, et quod dico indubitanter ce me videbitis. » His dictis præcepit cunctis ut recederent suisque necessitatibus providerent, erat enim prope nox. Accepta itaque licentia, quidam abierunt; alii vero, quibus ferventior inerat amor, eadem nocte cum eo perseverantes permanserunt, qui postea cæteris referebant, dicentes illum per totam noctem solo tenus prostratum in oratione permansisse.

III. *In ecclesiam defertur. Deum precatur. Humanam miseriam exponit. Se monachum fuisse declarat.* — Mane autem facto, convenientibus cunctis, vir venerabilis sarcophagum, quod sibi præparaverat, et se quoque in loco deferri in ecclesiam beati Petri præcepit. Quod videntes Romani, æstimantes illum mortuum esse, Lateranense adeunt palatium, quatenus more solito omnem illius diriperent supellectilem; sed tanta fuerunt sancti merita ut nulli quidem intrandi permitteretur facultas. Interea venerabilis vir, cupiens jam *dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* I, 23), cunctis qui aderant salutifera verba et omni dulcedine plena non cessabat proferre. De quibus disputare per singula, quia ad alia festinantes tendimus miracula enarranda, abstinemus. Cumque finem fecisset loquendi, intuens signum salutis, magis quam antea precibus effusis, omnibus qui aderant absolutione facta delicta dimisit, si tamen ejus præcepta quæ prius dederat, observare curarent. His ita peractis, intuens in cœlum iterum fudit orationem : « Domine, inquit, Jesu Christe, qui solus es pastor bonus, et cui omnis creatura deservit, tu dixisti : *Quærite et invenietis, petite et accipietis* (*Matth.* VII, 7); exaudi me propitius famulum tuum pro Ecclesia tua, cui indignum me vice apostoli tui Petri præesse volnisti. Tibi, Domine, eam com-

Digitized by Google

mendo, illam defende inexpugnabili muro tuæ protectionis, et ab ea repelle omne schisma omnemque hæreticorum perfidiam, quatenus tibi vero Deo fideliter serviant. Custodi et protege eam ab omnibus inimicorum insidiis, ne dedigneris, pro qua sanguinem tuum pretiosissimum fudisti. Si quos etiam pro tua fide ligatos vel excommunicatos ab ea crudelius separavi, tu clementissime, precor, absolve. » Cumque complesset orationem, tantæ suavitatis odor de beati Petri altari exire cœpit ut cuncta superare videretur aromata. Transacto denique unius horæ spatio, præcepit sibi panem et vinum afferri. Quibus oblatis, gratias agens benedixit; et comedens quantum tribus vicibus potuit ore suscipere, reliquum cæteris pro benedictione distribuit. Quo facto perrexit ad tumbam quam in ecclesiam deferri præceperat. Quam intuens lacrymabiliter : « Videte, inquit, fratres mei, quam vilis quamque fragilis et transitoria sit humana gloria. Videte, inquam, et unusquisque vestrum qui in fragilis mundi fulget honoribus me semper in exemplum et præ oculis habeat. Considerate omnes quam versatilis sit humanæ sortis conditio. Ego qui ex nihilo propemodum ad humanæ gloriæ fastigium evectus [sum], ab hoc nunc iterum fere ad nihilum sum redigendus. Cellam quam monachus incolui in spatiosissima palatia jamdudum vidi conversam : modo ad hujus sarcophagi angustias iterum est remeandum. Respicite, inquam, quomodo post splendidas vestes aranearum telis sim cooperiendus, et jamjam in vermium escam destinandus. Hodie vobiscum caro et sanguis sum, cras convertar in cinerem. » Deinde ad sepulcri lapidem conversus, flebili admodum voce hæc verba protulit : « Benedictus sis inter lapides. Benedicat te, qui te ex nihilo fecit, et meæ terræ ac corporis voluit esse custodem. Sis, precor, mihi fidissima petra, ut, quemadmodum supra apostolicum lapidem suam firmavit Christus Ecclesiam, sic mihi contingat usque ad diem judicii te meorum ossium fidum habere custodem, ut in die illa, cum districtus Judex venerit, meo ac tuo me reddas Creatori. » Hæc illo dicente, omnis quæ astabat multitudo conversa est in planctum. Quibus ille ait : « Sufficit, inquit, fratres mei, quod hucusque hodie mecum perseverastis. Ite jam unusquisque ad vestra, et cras mane ad me venite, ut quid futurum sit videatis. » Dictum factumque est. Ipse vero nocte in oratione prostratus totam duxit insomnem.

IV. *Invisitur a SS. Petro et Paulo. Obit.* — Hora autem appropinquante matutinali, cadentibus de cœlo jam stellis, ipsi qui aderant labore, ut in tali negotio, fatigati et vigiliis, somno irruente, parcat dederunt membra quieti; quibus nec vere vigilantibus nec omnino dormientibus, apparuerunt duo viri in vestibus albis cum eo loquentes, et nescio quid scribentes. Cum autem illi qui aderant subtiliter perquirerent quinam essent illi qui in tali hora suo molesti essent domino, in ipsa ostensum est eis visione illos apostolos Petrum et Paulum fuisse. Interea sol apparuit terris, et delectabilis visio recepta est in cœlis. Mane igitur facto convenientibus cunctis, venerabilis vir, diem præstolans extremum, in ecclesiam beati Petri se iterum deferri præcepit. Quod cum factum esset, prostratus ante altare, diutius cum lacrymis secum oravit. Completa igitur oratione, suum rediens ad lectum, commonere populum, prout poterat, non desinebat; sed quia hora extrema jam appropinquabat, convocatis ad se episcopis, confessionem fecit, ac signum crucis sibi imponens cœlestibus sacramentis se munivit. Quo facto, silentium petens, ut parum quid somni acciperet in lectum caput declinans, hora quasi dimidia quievit, atque in ipso pacis somno illa sanctissima anima carne soluta est. In cujus obsequio Beati Petri cymbalum a semetipso nullo cogente sonare cœpit.

V. *Dæmoniacam liberat.* — Altera igitur post ejus obitum die, quædam mulier dæmonio plena, de longinquis partibus ad limina beati Petri et Pauli adducta est; cumque ad beati Leonis tumulum duceretur, inter cætera per os ejus dæmon clamavit, dicens : « O Leo, o Leo, cur me de sede mea catenis igneis retrahis? » Unde unus de circumstantibus episcopis ait ad eum : « Adjuro te per verum æternumque Deum ac judicem, ut dicas mihi si Leo, de quo dicis, cum sanctis veraciter sanctum possideat locum? » Cui dæmon tanto contristatus sacramento, mentiri non audens, licet invitus respondit : « Vere, inquit, inter sanctos coronatus sanctum ac venerabilem obtinet locum; per quem de hac quam novem annis et duobus mensibus possedi domo vobis videntibus sum ejiciendus. » Cumque hoc dixisset, una de circumstantibus mulier, audacior cæteris, ut mos est feminarum, dedita verbositati, in hujusmodi fere deridens prorupit verba : « Quacunque hora Leo ejecerit de corpore isto dæmonia, ego regina ero; et insuper, eos quos ipse interficere fecit ad vitam revocabo. » Mira Dei virtus! vix hæc locuta fuerat cum dæmon, altera dimissa, eam crudeliter vexare cœpit. Sicque factum est ut quæ ad sancti corpus supplex venerat, recepta sanitate, sospes ad propria remearet; quæ vero verba derisoria proferre est ausa, meritam incurreret pœnam, et justo Dei judicio alterius jam liberatæ inde asportaret mala. Ex eo tempore Leonis nomen claruit, et ingens timor universos invasit. Sed quis beati Leonis cuncta valeat evolvere miracula? qui hoc perficere conabitur, prius eum tempus desinet quam materia. Hoc tamen unum, quod dicturus sum, de multis reticendum esse non arbitror.

VI. *Item aliam.* — His igitur peractis, populus perseverans jam assueta Leonis exspectabat miracula; et quod devota præstolabatur mente, perpetratum sine mora conspiciebat in opere. Nam eadem fere hora dæmon per os mulieris de qua jam dictum est clamare cœpit ac dicere : « Heu! heu! Leo, cur iterum de hac domo me ejicis? nonne te eam mihi donante possideo? cur tam cito mutaris?

Digitized by Google

Nimis turpe est, quam jam dudum dedisti, tam cito mutare sententiam. » Tunc unus de episcopis adjurans eum, ait : « Quomodo, scelerate, scis quod hodie sis ab hac muliere revocandus et ejiciendus? » Cui dæmon respondit : « Qua hora, inquit, heri muti linguam resolvit, cum Marco (55), et Marciano Frequentinensis sedis episcopo Beneventum perrexit, atque eis dem comitantibus Apuliam petens, in loco quo pugnatum ab eo jam fuerat cum inimicis devenit; nunc autem huc properat quatenus me hinc ejiciat. » Tunc episcopus, nihil indiscussum relinquens, subjunxit : « Quonam igitur signo eorum poterit deprehendi adventus? » Cui dæmon : « In ea quam ad altare pendere videtis lampade; » et his dictis conticuit. Transactis itaque duarum fere horarum spatiis, odor mirus factus est per totam beati Petri ecclesiam, ac, videntibus cunctis, supramemorata lampas altius solito ex se ascendere cœpit, et in ea tria luminaria apparuerunt ardere. Quo facto, dæmon ejulans mulierem aliquantisper vexare cœpit, et, ut prædixerat, adveniente Leone, suum in se retorquens furorem nusquam comparuit.

VII. *Ecclesia in ejus honorem Beneventi.* — Longe itaque divulgata fama miraculorum beatissimi Leonis, Beneventi cœpta est ædificari ad ejus honorem ecclesia (56) ut quem Beneventani cives vivum a Normannis carcere detentum aspexerant, jam mortuum et spatiis cœlestibus perfruentem venerarentur. Interea accidit ut Nicolaus quidam de castello Molliniana, et Berardus de loco Carrara, quorum alter perdito brachio dextro, retractis poplitibus et nervis, alter vero frigus et febrim usque ad dysenteriam passus ; cum uterque se deferre fecissent ad prædictam ecclesiam quæ construebatur Beneventi, illico omnium judicio desperatam recuperarunt sanitatem. Rusticus quidam ex oppido Ordonum, cum annualiter votive festum beati Leonis excoleret, contigit ut præ nimia oppressione laborum quos in agro gerebat, die Dominico, quando festa annuntiantur populo, minime ecclesiam adierat. Erat autem dies festus sancti Leonis in quinta feria sequenti, quod prædicto rustico erat incognitum. Ille itaque valde mane surgens, sumpsit secum unum puerulum quem filium unicum habebat, et securem rostrumque fossorium mox ut applicuit suo agro, dimisit prædictum puerulum filium suum ad sarcinam; ille vero fodere anxie cœpit; ex alia parte lupus ore aperto tulit filium ejus puerulum et fugam arripuit. Quod a longe cernens pater, currere post lupum cœpit, hæc clamitans : « O sancte Leo, patrone mi, adjuva me nunc in præsenti et redde mihi unicum filium meum. » Quæ vix locutus fuerat, cum ecce lupus dimisit puerum ita illæsum ut in vestimentis nec vestigium quidem appareret dentium lupi in ea parte qua eum lupus arripuerat. Reversus itaque rusticus ad oppidum, hæc omnia narravit, sentiensque eam ipsam diem esse anniversariam in memoriam beati Leonis, novo se astrinxit voto ad eam quotannis solemniter custodiendam ; sicque nedum Beneventi, sed per totam Apuliæ oram, celeberrimum evasit Leonis nomen, Deo sic disponente ut his in eisdem locis in quibus, paucis ante annis profligato ejus et Ecclesiæ exercitu, ipse captivus detentus fuerat, postmodum, ingruente miraculorum ejus fama, iidem qui adversus eum steterant in prælio, supplices et venerabundi ejus memoriam excolerent, et magis ac magis erga sanctam Ecclesiam fideles se præstarent ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, cujus nomen per cuncta sæcula sit benedictum. Amen.

(55) Marcus episcopus Lacernensis colitur die 14 Junii, et Marcianus episcopus Frequentinus, vulgo *Frigento*, die 14 Julii. Utraque hæc sedes est sub Beneventana metropoli.

(56) Waldericus tunc Beneventanæ Ecclesiæ præerat, anno 1053, ab ipso Leone, ut testatur Ughellus, consecratus.

DE SANCTO LEONE IX

PONTIFICE ROMANO

COMMENTARIUS.

(Apud Bolland. *Acta SS. Aprilis* tom. II, die 19.)

§ 1. *Acta varia scripta, veneratio sacra : reliquiæ.*

1. Sæculum Christi undecimum illustravit doctrina et sanctitate Leo Papa nonus, ante Pontificatum Romanum Episcopus Tullensis sub Metropoli Trevirensi in Belgica prima, Bruno appellatus, ex nobilissima Dapsburgensi in Alsatia familia prognatus. Res ejus gestas libris duobus distinctas scripsit Wibertus, ejus apud Tullenses Archidiaconus, qui in prologo præfatur « se de tanto Præsule non tam audita quam visa, ad ædificationem plurimorum transcribere ; « utpote quem » benignitas ipsius dignata est familiarius sibi jugiter assistere. » Quæ vult auctor intelligi de rebus ejus ante Pontificatum Romanum in juventute et Episcopatu Tullensi gestis, et libro priore indicatis; quas scripsit cum ipse in Pontificatu Romano adhuc viveret, volens tunc scri-

Digitized by Google

benda Romanis relinquere quæ dein Papa Romanus egit. Verum, mutato consilio, postmodum ea libro secundo proposuit. Vitam hanc ex Mss. primus edidit Jacobus Sirmondus typis Parisiensibus anno MDCXV. Nos eam pluribus locis auctam et emendatam damus ex duplici codice Ms., altero ex imperiali monasterio S. Maximini prope Treviros accepto, altero aliunde transmisso, et forsan ex bibliotheca monasterii S. Huberti in Ardenna, ubi scimus extare. Molanus in suis Notis ad Usuardi Martyrologium indicat, « in Gerardi-monte ad S. Adrianum esse Vitam ejus, per contemporaneum, duobus libris. »

2. Alius, et quidem oculatus testis, descripsit accurate quomodo S. Leo se ultimo triduo præparavit ad felicem obitum : adjungitque illustria et plane miranda miracula, quæ intra sex ab ejus transitu hebdomadas ultra septuaginta ad ejus sepulcrum Romæ patrata sunt. Damus hæc a nobis Florentiæ anno MDCLXI descripta ex codice Illustrissimi Senatoris Caroli Strozzi, signato num. 690, fol. 201 : et in titulo addebatur ea desumpta esse ex Collectione Officiorum Mss. At miracula plura erant in Ms. Hubertino, nobis olim a D. Romualdo Hancart dicti monasterii Priore transmissa, quæ inde edimus, et sub finem ex præfato Ms. nonnulla supplemus. Ferdinandus Ughellus, tomo VIII Italiæ sacræ, in Beneventanis Archiepiscopis, pag. 129, ex codice Beneventano, litteris Longobardicis exarato, dedit eadem de gestis triduo ante obitum, et nonnullis miraculis, sed contractiora, et hinc inde alia phrasi amplificata, quæ benevolus Lector poterit ibidem reperire. Ex dicto tamen tomo Ughelli damus quæ ibidem continentur de ecclesia S. Leonis Beneventi post obitum ejus erecta, et nonnullis ibidem miraculis patratis : quorum plura subnectimus ex dicto codice Strozziano. Aliquod ex his extractum compendium describi curavimus Romæ, a Petro Calo factum, quod omittimus.

3. Inter familiares et fidos amicos habuit « S. Leo Hildebrandum, » postea « Summum Pontificem et Gregorium VII » dictum, qui præfuit Ecclesiæ ab anno MLXXIII usque ad ann. MLXXXV, quod obiit XXV Maii, ad dictum diem Martyrologio Romano inscriptus. Ab hoc sancto Pontifice accepit nonnulla, quæ edidit lib. 3 Dialogorum Desiderius Abbas Casinensis, postea Victor Papa III. Item S. Bruno Astensis, Episcopus Signiensis, Vitam aliquam conscripsit S. Leonis IX, inter reliqua opera ejus Venetiis anno MDCLI excusam : quam, ne moles excrescat, hic omittimus, cum pauca aliqua ex Actis excerpta, aut a S. Gregorio VII accepta indicentur, quorum in Notis mentionem facimus. « Anselmus monachus Remensis (uti indicat Sigebertus de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 153) scripsit itinerarium noni Leonis Papæ a Roma in Gallias, ad hoc maxime ut notificaret quanta auctoritate Remis vel in aliis urbibus Synodum celebrarit : quanta justitia et subtilitate examinaverit causas ecclesiasticas : qua discretione peccantes correxerit : quomodo ei virtus Dei cooperata sit. » Sunt ea omnia in tomis Conciliorum edita sub titulo Concilii Remensis anno MXLIX habiti, ex quibus nonnulla inserimus, ceteris omissis, cum istic legi possint ; non recensemus alia, et passim nota chronica, aut alios tractatus qui ejus meminerunt. Aliquorum suis locis mentionem facimus.

4. Sacra veneratio cum pio S. Leonis obitu cœpit, ob multiplicia quæ mox contigerunt miracula : inter quæ recensetur lampas ad illius tumulum sexto post obitum die divino igne accensa, et sequenti mense cereus de tumba ejus acceptus bis ultro accensus. Et non solum Romæ sed Beneventi mox in veneratione fuit, ubi cœpta est ad ejus honorem extrui ecclesia, et annuum festum ejus publice promulgari et devote coli. Ejus festivitatem in Ecclesia Signiensi celebratam fuisse testatur S. Bruno Episcopus Signiensis. Memoria inscripta etiam est antiquis Martyrologiis ; ex quibus aliquod Usuardi, sed Remis auctum, unde Molanus suum edidit, in quo sub finem antiquo charactere ista addita sunt ad diem XIX Aprilis : « Eodem die apud Ecclesiam S. Petri Romæ, depositio Domni Leonis Papæ noni, qui Ecclesiam B. Remigii dedicavit. » Cujus elogii prior pars adscripta est Adonis Martyrologio Ms. Leodiensi cœnobii S. Laurentii. In Ms. Bruxellensi S. Gudilæ ista habentur : « Eodem die S. Leonis noni Papæ et Confessoris ; qui primum Episcopus Tullensis ab Imperatore Henrico ad Papatum promotus, ex hoc conscientiam habens resignavit : et denuo rite electus, post laudabilem vitam in ecclesia S. Petri tumulatur, clarens miraculis. » Ejusdem memoria celebratur in Ms. Romano Ducis Altempsii, et Ms. Florario Sanctorum, item apud Bellinum Parisiis anno 1521 excusum, Maurolycum, Galesinium, Molanum, Saussajum, Canisium, et cum iis in hodierno Martyrologio Romano his verbis : « Romæ S. Leonis Papæ noni, virtutum et miraculorum laude insignis. » Eumdem refert in Natalibus Sanctorum Canonicorum Constantinus Ghinius : Benedictinis monachis annumerant Wion, Dorganius, Bucelinus, Menardus. Sed hic miratur lib. I Observationum « nullam mentionem fieri monachatus hujus S. Leonis in ejus Vita, « et excusat » potuisse hoc præternitti, ut alia multa ; quæ ad hujus Pontificis vitam spectant, quæ tamen in aliis historicis reperire est : Sed non indicat quibus. » Arnoldus Wion allegat Trithemium in Chronico Hirsaugiæ, et Fratrem Franciscum Yvanez monachum Benedictinum Hispanum in Epitome virorum illustrium Ordinis S. Benedicti. Verum horum auctoritas vacillat : quia Acta ante Episcopatum, accurate a Wiberto indicata, aliud suadent. Interim optamus illum Ordini Benedictino, ut saltem colant tanquam singularem benefactorem, uti merito eum colunt monachi Remenses S. Remigii et quidem officio duodecim Lectionum. Tullenses per totam diœcesim celebrant festum officio solemni sub ritu duplici : quorum Breviarium habemus anno MDXXXV excusum. Romani in Basilica Vaticana S. Petri etiam

Digitized by Google

officio duplici ejus festum hoc die peragunt, præscriptis in Missa Gloria et Credo, eo quod etiamnum possideant sacrum ejus corpus.

5. « Sepultus » olim fuit, « sicut ipse disposuerat, juxta beati Pontificis Gregorii altare ante fores ecclesiæ, » uti in fine Vitæ tradit Wibertus. At Romanus Canonicus ejusdem basilicæ, qui sæculo præcedenti vixit, in descriptione Vaticanæ basilicæ ista asserit : « Leo Papa nonus requiescit infra ecclesiam B. Petri, in pilo marmoreo prope portam Ravennaticam : de quo sunt apud nos multa et magna miracula. Hic condidit privilegium Canonicorum B. Petri de confirmatione suarum Ecclesiarum. » Lucius Saccus in descriptione historica Suessæ civitatis (quæ inter Capuam et Cajetam in Campania est sita) refert cap. 7 « Corpus S. Leonis Papæ noni fuisse sub Paulo V anno MDCVIII repertum absque altero brachio, quod Suessæ asservatur, et tunc fuisse in Congregatione Cardinalium ostensam epistolam, qua constabat per antiquam et indubitatam traditionem dictum brachium Sinuessæ asservari. » Aliquas etiam hujus Leonis reliquias esse Bononiæ in ecclesia S. Stephani, tradit Masinus in Bononia perlustrata. Corpora sacra quatuor Leonum Pontificum Romanorum fuisse ostensa Kalendis Augusti anno MDLXXX, et iterum XXV Maii anno MDCVIII dictum est XI Aprilis, ad Vitam S. Leonii Magni pag. 21.

§ II. *Ratio temporis. Acta primo anno in Pontificatu Romano. Controversiæ nonnullæ decisæ.*

6. Natus est S. Leo XXI Junii anno MII; quinquennis ut instrueretur traditus Bertholdo Episcopo Tullensi, ac dein hujus successori Herimanno. Inde translatus ad aulam Conradi imperatoris, et Diaconus factus, anno MXXV in Longobardiam militem Tullensem duxit. Anno sequente MXXVI absens in Episcopum Tullensem electus, ex Italia redux Tullum venit die ascensionis Christi, consecratus die IX Septembris. Et hæc ex ipsis Actis certa sunt atque indubitata. Eo autem Tullensem Episcopatum sancte dirigente fuerunt Pontifices Romani, Joannes XIX, dein Benedictus IX : quo ex Sede Apostolica pulso, et schismate Silvestri III composito, factus est Papa Gregorius VI anno MXLIV. Verum his tribus depositis electus est Clemens II antea Episcopus Bambergensis anno MXLVI : quo anno sequente MXLVII mortuo, iterum sedit Benedictus IX : contra quem electus est Damasus II ante Episcopus Brixinensis, consecratus anno MXLVIII, die XVII Julii : sed cum sedisset dies XXIII, extinctus est, ut creditur, veneno. Post hunc eodem adhuc anno designatus in Conventu Wormatiensi, hic noster Episcopus Tullensis, tunc Bruno dictus, qui cum Tulli Natalitia Christi celebrasset, XXVII Decembris iter aggressus est per Germaniam, quando Augustæ Vindelicorum « audivit angelica voce resonare harmonicam modulationem. » Inde iter accelerans, ob inundationem aquarum fuit coactus *per septem dies* cum suo comitatu subsistere : et tamen hiemali illo tempore Romam appulit, forsan sub finem Januarii aut initium Februarii anni MXLIX, si (ut dicitur ab Anselmo in Itinerario) « dignitatis Pontificiæ infulis insignitus fuerit in Hypapante Domini, » sive festo Purificationis Deiparæ, dein solenni ritu « inthronizatus XII Februarii Dominica prima Quadragesimæ, » uti in ejus Actis tradit Wibertus.

7. Hic aliqua controversia oboritur cum Ottone Frisingensi et aliis eum secutis, quasi « S. Leo ad Sedem B. Petri destinatus, assumpta purpura Pontificali per Gallias iter egisset, et Cluniaci ab Hildebrando redargutus purpura deposita peregrini habitum assumpsisset, et ducens secum Hildebrandum, Romam venisset. » Fuit Otto Frisingensis integro sæculo junior, mortuus anno MCLVIII. Magis ergo credendum Wiberto testi oculato, qui asserit, « Tulli, sumpto peregrino habitu, Romanum iter arripuisse, et apud urbem Augustam Angelica modulatione recreatum : » neque tempus fuit intermedium, quod itineri Cluniacensi attribueretur. S. Bruno Episcopus Signiensis Hildebrandum Wormatiæ adfuisse scribit, in ipsa designatione S. Leonis ad Summum Pontificatum : « Illis diebus, *inquit*, erat ibi monachus quidam Romanus, Hildebrandus nomine, nobilis indolis adolescens, clari ingenii, sanctæque religionis. Hunc igitur beatus Episcopus vocavit ad se, et rogavit eum ut simul Romam rediret... Et tunc Episcopus Romam veniens, prædictum monachum secum adduxit, multum in hoc ipso B. Petro serviens, quod illum hominem secum reducebat, cujus consilio et sapientia Romana Ecclesia aliquando regenda et gubernanda erat. Hic est enim Gregorius Septimus Papa, » etc. Hujus Sancti Pontificis Vitam scripsit Paulus Bernriedensis auctor coævus, in eaque tradit illum « aliquantum temporis moram fecisse in aula Henrici Imperatoris : *addit deinde* Leonem Papam nonum, hujus laudabilis viri prudentiam et sanctitatem ex corde veneratum, et amplexatum ejus per omnia consilia : et hanc eorum concordiam plurimum in agro Dominico spinis erutis fructificasse : interea illum, subdiaconum ab eodem Papa ordinatum, monasterio S. Pauli, miserabiliter desolato, prælatum fuisse. » Postmodum « spiritualis agricola, Sanctus videlicet Leo Papa, considerans et admirans multum fructum palmitis hujus, eo quod ipse maneret in Christo et Christus in ipso, dilatavit in eo mansionem Christi, per impositionem Ordinis Levitici ; et, ut fructum plus afferret Romanæ Ecclesiæ, Archidiaconum instituit. » Hæc ibi. Ex quibus omnibus colligimus S. Leonem non fuisse in dicto itinere Cluniaci, neque inde, sed ex aula Imperatoris adduxisse Hildebrandum ; neque hujus admonitione, deposita Cluniaci purpura, assumpsisse peregrini habitum, quem ab initio itineris acceperat. Fuit Hildebrandus primum tergiversatus invitanti, objiciens « quia non secundum Canonicam institutionem, sed per sæcularem et regiam potestatem, Romanam Ecclesiam arriperet : Leo vero, ut erat natura simplex atque mitissimus,

Digitized by Google

patienter ei satisfecit reddita de omnibus, sicut ille voluerat, ratione. » Hæc Bruno.

8. Altera controversia desumitur ex Chronico Casinensi Leonis Marsicani Episcopi Ostiensis, anno MCXV vita functi, qui scribit lib. 2, cap. 81 « S. Leonem Pontificem, eodem quo ordinatus est anno, orationis gratia montem Garganum petiisse. » Verum id contigisse anno sequenti infra patebit. Videtur auctor hic annos a Paschate incœpisse, et sic primum etiam annum S. Leonis inchoasse, et hoc posito, consequenter singula accurate suis annis attribuisse cum, infra ostendemus. Verum, ut Anselmus in ejus Itinerario docet, explevit « Romæ Quadragesimalis temporis jejunia, succedentiaque Dominicæ resurrectionis celebravit solemnia. » Præterea Hermannus Contractus, qui eodem anno quo S. Leo mortuus est, monachus Augiensis, scilicet MLIV, ista scribit : « In Quadragesima ordinatus, Leonis noni nomen accepit. Qui in proximo Pascha Udalricum, Augiensis cœnobii Provisorem, Romam venientem, Abbatis benedictione consecravit: et ejusdem monasterii privilegia, antiquitus a Sede Apostolica tradita, sua auctoritate confirmavit et innovavit, Indictione II, VII Kalendas Aprilis, » id est pridie Dominicæ Palmarum; ergo hanc Palmarum festivitatem non celebravit dicto anno in monte Casino, quod ex Leone Marsicano assumebatur: sed, ut infra dicetur, anno sequenti.

9. « Idem Papa, » inquit Hermannus Contractus, « in hebdomada post Albas, » id est post Dominicam in Albis, « Synodum cum Episcopis Italiæ Romæ celebravit. » Scilicet, ut Wibertus infra explicat, adversus Simoniacos, et Episcopos tales deposuit; item decimarum usum præscripsit, et incestas nuptias discidit. Varia etiam de hac Synodo tradit B. Petrus Damianus in epistola ad Henricum Ravennatem Episcopum, quæ apud Baronium et in tomis Conciliorum allegatur. Deinde, teste eodem Hermanno, « idem Papa in hebdomada Pentecostes aliam Synodum Papiæ congregavit, indeque per montem Jovis cum pluribus Romanorum in Transalpinas partes devenit : » ac primo, ut scribit Anselmus in Itinerario, « adiit Imperatorem, in regione commorantem Saxonica : » qui ambo « Coloniam Agrippinam advenerunt in Apostolorum Petri et Pauli natalitio : » ibidemque S. Leo Herimanno Archiepiscopo varia privilegia concessit; et Herimaro Abbati Remensi cœnobii S. Remigii, istic obviam facto, addixit, « se in solennitate S. Michaelis Archangeli » Remos « venturum, et in ecclesia B. Mariæ Missarum sacra celebraturum. Festum vero gloriosi Patris Remigii, pretiosi corporis ejus elevationi; et subsequentem diem basilicæ consecrationi, ceteros deinde tres Synodi deputat celebrationi. Ceterum Papa Colonia digressus, Tullum in Exaltatione sanctæ Crucis venit : inde circumjacentium regionum Episcopis et abbatibus litteris suæ auctoritatis mandari præcepit ut in præfixa die sibi occurrerent, ad Synodum celebrandam in basilica præfati Francorum Apostoli...

« 10. Denique domnus Papa, a Leucorum urbe digressus, iter ad Remensem ducens urbem arripuit; in vigilia S. Michaelis ad Curmolensem villam venit : die vero sequenti ad Sanctum pervenit Remigium, Archiepiscopis tribus comitantibus, Trevirensi videlicet, Lugdunensi, Vesontionensi, aliisque viris honorabilibus : inter quos erat Joannes Episcopus Portuensis, et Petrus Ecclesiæ Romanæ Diaconus et ipsius Urbis Præfectus. In atrio Basilicæ disponitur decentissima processio, Episcopis tribus, Silvanectensi videlicet, Andegavensi, Niverneusi, longe digestos ordines antecedentibus, textumque Evangelii cum aqua benedicta et aromatum odore ferentibus. Sic Papam advenientem suscipiunt cum digna modulatione : qui, expleta oratione, adstantes lætificavit benedictione Apostolica, et exinde deducitur ad civitatis mœnia. Ibi Remensis Clerus, cum Archiepiscopo suo aliisque Episcopis obviam procedens, usque ad ecclesiam S. Mariæ comitatur. Ibi Sacerdotalibus redimitus insignibus processit ad Missarum celebranda solennia. Die subsequenti ad S. Remigium remeavit, imminentem tanti Patris solennitatem in crastino celebraturus. Quo die circa horam tertiam, redimitus infulis Sacerdotalibus, ad gloriosi Patris Remigii sepulcrum procedit cum thymiamateriis et crucibus, sociatis sibi Archiepiscopis quatuor, Remensi videlicet, Trevirensi, Lugdunensi, Vesontionensi cum quibusdam aliis, sed et ipsius loci Abbate, Domnoque Hugone venerabili Patre cœnobii Cluniacensis, et illius Ordinis plurimis. Cum quibus litania facta... feretrum Sancti a suo loco paululum removit : et, ubi competenter dispositum fuit, cum præfatis Archiepiscopis et Abbatibus, suppositis humeris illud devote lacrymans extulit... Collocato eo in ecclesia sanctæ Dei Genitricis super sanctæ Crucis altare, Archiepiscopus Vesontiensis Missarum solennia de ipsius gloriosi Patris celebravit festivitate.

« 11. Diei interea elapso curriculo, nox subsequitur : mane autem Domnus Papa convocatis Episcopis, intra dedicandi monasterii abdita, singulis singula ad consecrandum delegavit altaria et missarum solemnia idem Pontifex ex dedicationis celebravit festivitate. Lecto Evangelio, pulpitum conscendens exhortationis sermonem fecit ad circumstantem populum, multa ex ipsius templi sanctificatione concionatus utilia : diem illam celebrem esse præcepit per Remensis Episcopii confinia... Constituit etiam ut ad altare, quod in honore Apostolorum Petri et Pauli et Clementis et Christophori Martyrum gloriosique Confessoris Remigii consecraverat, et non indiscrete a quibusque sicut hactenus sacrosancta mysteria agerentur : sed secundum morem Romanæ ecclesiæ septem tantummodo Sacerdotes digniores ad hoc officium deputarentur. Deinde explicitis divinis Officiis, Apostolica benedictione sanctificans populum dimisit. Die vero altera, quæ est quinto Nonas Octobris, congregati sunt in memorata basilica Episcopi viginti, cum quinquaginta fere Abbatibus et aliis Ecclesiastici

Digitized by Google

ordinis quamplurimis... Quibus residentibus surrexit Petrus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, exponens de quibus in Synodo sermo esset habendus : de multis videlicet illicitis, id est, de Simoniaca hæresi; de ministeriis ecclesiasticis et altaribus quæ a laicis tenebantur; de pravis consuetudinibus quæ ab eis in atriis ecclesiarum accipiebantur; de incestis conjugiis, et eis qui legitimas relinquentes uxores adulterinis iterum nuptiis implicabantur; de monachis et Clericis a sancto proposito et habitu recedentibus : item de Clericis mundiali militiæ studentibus; de rapinis pauperumque injustis captionibus ; de Sodomitico vitio et quibusdam hæresibus quæ in eisdem pullulaverant partibus. » Hactenus ex Itinerario ab Anselmo scripto seu Concilio Remensi excerpta; reliqua ibidem legi possunt, et quæ ad elevationem corporis S. Remigii et dedicationem Ecclesiæ spectant, erunt ad Kalendas octobris elucidanda. De Simoniacis tunc depositis agit infra Wibertus.

12. Remis eum profectum Metas, consecrasse basilicam S. Arnulphi, et responsoria composuisse de S. Gorgonio Martyre, ac dein Moguntiæ Concilium celebrasse tradit Wibertus in Actis. Adamus Bremensis l. 3 Historiæ Ecclesiasticæ cap. 31 appellat « Synodum generalem, habitam præsidente Domno Apostolico, et Imperatore Henrico, cum Episcopis Bardone Moguntinensi, Eberhardo Trevirensi, Hermanno Coloniensi, Adalberto Hamburgensi, Engelhardo Magdeburgensi cæterisque Provinciarum Sacerdotibus. In eo Concilio quidam Spirensis Episcopus, nomine Sibico, cui crimen adulterii imponebatur, examinatione Sacrificii purgatus est. Præterea multa ibi sancita sunt ad utilitatem Ecclesiæ : præ quibus Simoniaca hæresis, et nefanda Sacerdotum conjugia holographa Synodi manu perpetuo damnata sunt. » Hermannus Contractus asserit « fuisse Synodum quadraginta Episcoporum. » Inde S. « Leonem adiisse Alamanniam, et Augiæ festum S. Clementis et Dominicam ante Adventum VI Kalendas Decembris egisse. » Addit Wibertus ibidem « Ecclesiam in honore vivificæ Crucis dedicasse, et inter Missarum solennia dæmoniacum liberasse. » Inde, teste Hermanno, « per Augustam Bajoariamque transiens, natalem Domini Veronæ coluit. »

§ III. *Res gestæ anno ML et MLI.*

13. Anno Christi ML Romam regressus, scyphum fractum redintegrat; Apuliam petit, et Beneventi clinicam sanat; et in Concilio Sipontino prope montem Garganum duos Archiepiscopos deponit : quæ in Actis exponit Wibertus. Huc supra diximus referenda, quæ Leo Ostiensis lib. 2 Chronici Casinensis cap. 81 scribit, et sunt ista : « Sanctus Pontifex Leo, eodem quo ordinatus est anno, orationis gratia montem « Garganum in diœcesi Sipontina » petiit. Inde rediens, in ipsa festivitate Palmarum, ad hoc monasterium valde devotus accessit; et reverentissime susceptus a Fratribus, ipso die Missam solemniter celebravit : atque in refectorio cum Fratribus comedens, post prandium in Capitulum venit : ubi maximas Fratribus pro tam honorifica susceptione sua gratias agens, ac pro viribus semper monasterium ipsum exaltaturum spondens, descendit. Postridie vero ecclesiam S. Mauritii apud insulam quæ Limara dicitur, ab ipso Abbate constructam, et S. Salvatoris in territorio Atinensi solenniter dicans, Romam reversus est. Ad quem profectus Abbas, privilegium ab eo, juxta sucrum prædecessorum morem, honorabiliter sumpsit : in quo idem sanctus Pontifex sandaliorum usum et dalmaticæ ac chirothecarum in præcipuis festivitatibus, tam illi quam omnibus in hoc cœnobio regulariter promovendis, ob honorificentiam sancti hujus loci Apostolica Auctoritate concessit. Quo etiam tempore idem Apostolicus monasterium sancta Jerusalem, quod Sessorianum appellatur, intra Romanam urbem situm, jam dicto Abbati cum suis omnibus juribus tradidit : et illi exinde privilegium faciens, solam sibi Abbatis consecrationem (quem tamen Casinensis abbas eligeret) reservavit. » Fuit hic Abbas Casinensis Richerius, natione Bavarus, quem tradunt ante apud Leodienses Abbatem, Conrado Imperatori carum, in hujus comitatu venisse Casinum, et, coram ipso electum in Abbatem an. MXXXVIII, obiisse an. MLV, III Idus decembris.

14. Romam ergo reversus « Domnus Papa Leo, » inquit Hermannus Contractus, « post Pascha Synodum item Romæ collegit, ubi, » teste Wiberto, « Gerardum, suæ Sedis, Leucorum videlicet » seu Tullensem, « olim Præsulem, in numero Sanctorum computandum statuit. » Secundo, ut B. Lanfrancus, qui dicto Concilio interfuit, scribit, in Commentario contra Berengarium de Corpore et Sanguine Domini cap. 5, cum « Leo Synodo præsideret, ac resideret secum non parva multitudo Episcoporum, Abbatum, diversique Ordinis a diversis regionibus religiosarum personarum... promulgata est in Berengarium damnationis sententia, privans eum communione sanctæ Ecclesiæ, quam privare sancta Dominici corporis communione satagebat. » Dein cum « B. Lanfrancus fidem suam exposuisset, omnibus placuit, nulli displicuit. » Tertio, uti observat « ex scripto Chronico Andreæ Danduli » Baronius ad hunc annum n. 3, « Leo Papa decrevit Pallium Dominico Patriarchæ Veneto (imo Gradensi) eidemque privilegium concessit, ut Crucem ante se deferret, Patriarchalemque Sedem approbavit, et Episcopis Venetiæ provinciæ et Istriæ scripsit, ut huic tanquam Primati suo obedirent, eumque revererentur. » Verum Ughellus tomo V Italiæ sacræ hæc omnia scribit peracta in Concilio Vercellensi, hoc adhuc anno habito, cui ait dictum Dominicum Patriarcham interfuisse.

15. In Ms. Strozziano supra indicato dicitur : « S. Leo Papa, pius ac mitis, causa orationis Venetias ad S. Marcum Apostolum et Evangelistam pervenisse, » Nam, teste Hermanno Contracto, post Concilium Romæ habitum, « ultra Romam progrediens, nonnullos locorum Principes et civitates tam sibi

Digitized by Google

quam Imperatori jure jurando subjecit, Beneventanosque adhuc rebellantes excommunicavit... Ipso autem autumno Domnus Papa Synodum Vercellis collegit, et Hunfridum Archiepiscopum, pro quadam inter Ravennatem et Romanam Ecclesiam contentione, ab officio suspendit. » Ipse Leo, in epistola ad Principes Britanniæ, id «Concilium Kalendis Septembris futurum » scribit; « et mense Septembri eodem præsidente Pontifice celebratam esse Vercellis Synodum » indicat, cui interfuit ante memoratus Lanfrancus; idemque confirmat Guitmundus, Archiepiscopus Aversanus l. I de Veritate Eucharistiæ. « Mox, inquit, incipientibus, his » Berengario eique adhærentibus, « audiri, Catholici viri graviter commoti atque intolerabiliter ferentes, præsidente per semetipsum beatissimæ memoriæ Domino Papa Leone Vercellis Concilium ponunt. Ibi (verba sunt Lanfranci) in audientia omnium, qui de diversis hujus mundi partibus illuc convenerant, Joannis Scoti liber de Eucharistia lectus est ac damnatus : sententia Berengarii exposita ac damnata : fides sanctæ Ecclesiæ audita et concordi omnium sensu confirmata. Ab hac sententia nunquam discessit S. Leo in omnibus suis Conciliis, seu quibus ipse præsentiam suam exhibuit, seu quæ per Legatos suos in diversis provinciis congregari instituit. »

16. His factis, inquit Hermannus Contractus, « Gallias et Episcopatum suum, Leucorum civitatem invisit: » et, quod indicat Wibertus, « Gerardi Episcopi Tullensis sanctos artus cum summa reverentia transtulit. » Hujus sancti Episcopi Vitam illustrabimus ad diem XXIII Aprilis. Tunc secum S. Leo ex monasterio S. Mansueti apud Tullenses « duxit Humbertum, virum, » inquit Lanfrancus cap. 2, « religiosum, fide Christiana et sanctissimis operibus perseveratissime decoratum, scientia divinarum ac sæcularium litterarum apprime eruditum, et ad prædicandum Siculis verbum Dei Archiepiscopum ordinavit, postea vero sancta Romana Ecclesia Præsulem sibi Cardinalem constituit. » Est in diœcesi Tullensi Romaricus mons in Vogeso, haud procula Mosellæ ripa, ubi S. Romaricus cœnobium Sanctimonialium construxit sub regula S. Columbani : ibi inquit idem Lanfrancus epist. 13, « S. Leo, Romanæ Sedis Summus Pontifex, Romaricensem se præsente ecclesiam dedicavit, cunctaque quæ ante Missam fieri ordo depoposcerat, sine casula consummavit. » Joannes Ruerus prima parte Antiquitatum Vogesensium lib. IV cap. 12 asserit, « Leonem Papam nonum, cum Tullensis Ecclesiæ Primicerium creasset Odonem, cum omni honore, solemnitate et reverentia Sanctorum Confessorum Catalogo adscripsisse Romaricum, Amatum, et Adelphum. » Erant olim sub Ludovico Pio corpora eorum elevata et translata ad altare, ac postea in loco a S. Romarico apparente indicato deposita : quæ latius erunt discutienda ad dies eorum natales, quibus coluntur, S. Adelphus XI Septembris, S. Amatus XIII ejusdem mensis, et S. Romaricus VIII Decembris. Eodem etiam tempore « S. Arnulphi ecclesiam Metis dedicavit, » uti habet Chronicon Senoniense lib. II capite 18.

17. Quoniam vero S. Leo permansit in transalpinis et Germanicis ditionibus usque ad mensem Februarium anni sequentis, videntur multa ex iis peracta, quæ Joannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad hunc ann. ML attingit his verbis : « Iste sacratissimus Papa Leo nonus multa in Germania bona fecit, ecclesias et capellas et altaria in diversis locis absque numero propria in persona consecravit; et quod Pontificuli plures hodie facere erubescunt, ad quod tamen obligati sunt ratione officii, Summus Pontifex non obligatus facere non despexit. » Hæc Trithemius, qui ad dictum annum ML late describit accessum S. Leonis ad Adelbertum Comitem de Calune, monasterii Hirsaugiensis Advocatum quando corpus S. Aurelii Episcopi Armeni, quod Roma olim, cum monasterium extrueretur, eo delatum, et in persecutione Nordmannica sub terra fuerat absconditum, mandato dicti Papæ quæsitum, et in camera subterranea inventum est. Præterea quia Abbatia Hirsaugiensis ab anno MII vacarat, S. Leo mandavit Comiti restitui monachos, et omnia monasterio sublata reddi. Quæ poterunt latius ad Vitam S. Aurelii discuti, seu XXV Maii quo die vita functus est, seu XXV Augusti quo corpus istic depositum olim fuerat, aut alio ejus cultui assignato : post quem S. Leo IX, ob tam illustria beneficia præstita, dicti monasterii alter Patronus colitur.

18. Habitus dein conventus aliquis est Augustæ Vindelicorum, ad quem evocatus supra memoratus Hunfridus Archiepiscopus, præsentia Imperatoris et aliorum Pontificum, a Leone Papa qui eum ab officio suspenderat, absolutus est : quod factum fuisse quarto Nonas Februarii, ipso Purificationis festo indicat Hermannus Contractus : addens « caritative » se invicem discessisse, et Papam Romam reversum esse: » ubi inter sacra Missarum solennia die Paschatis dæmoniacam liberavit. « Post Pascha Synodum Romæ collegit : ubi inter alia Gregorium Episcopum Vercellensem, propter adulterium cum vidua quadam avunculi sui sponsa admissum, et perjuria perpetua, absentem et nescientem excommunicavit : quem tamen non multo post Romam venientem, et satisfactionem promittentem, officio priori restituit. » Ita Hermanus. Creduntur tunc statuta esse quæ Petrus Damiani in epistola ad Cunibertum Episcopum Taurinensem, inserta opusculo 18, dissertatione 2 cap. 7, ita allegat : « in plenaria plane Synodo sanctæ memoriæ Leo Papa constituit ut quæcumque damnabiles feminæ intra Romana mœnia reperirentur Presbyteris prostitutæ, ex tunc et deinceps Lateranensi palatio adjudicarentur ancillæ. Romæ » etiam « positus Primicerium Odonem elegit » sibi « successorem Sanctæ Sedis Leucorum, » uti scribit Wibertus in Actis.

19. Ad hunc annum spectant, quæ Leo Ostiensis

Digitized by Google

lib. II Chronici Casinensis cap. 84 refert his verbis : « Sequenti anno prædictus Pontifex rursus ad monasterium venit, et in crastinum et die altero Apostolorum Petri et Pauli Missas solemniter celebravit. Et cum die illo Sabbatum esset, ingressus ad mandatum Fratrum, pedes duodecim monachis lavit : et ipse vicissim ab illis lotus, in refectorium quoque cum eis una bibiturus ingressus est. » En festum SS. Petri et Pauli die sabbatino, quod contigit hoc an. MLI, littera Dominicali F, quæ supra a nobis dicta confirmant. « Inde perrexit Beneventum, urbemque ab excommunicatione prædecessoris sui benignus absolvit. » Imo ipso anno præcedente « Beneventanos adhuc rebellantes excommunicasse » narratur ab Hermanno Contracto. Videtur eo lem in itinere profectus « ad monasterium Sublacense, inventoque monasterio sine Rectore, contristatus est, et habito Concilio ordinavit in eodem cœnobio Humbertum, ductum ex Francia. Sublacianos ad se vocavit, quorum requirens monumenta chartarum, notavit falsissima, et ex magna parte ante se igni cremari fecit. Pontificali itaque præcepto confirmavit monasterium Sublacum et totam Abbatiam. » Quæ ex antiquo Chronico monasterii ejusdem refert Baronius a I hunc annum n. 6. Idem Papa litteris Apostolicis, signatis « XI Kalendas Augusti, anno Pontificatus tertio, Indictione IV, » et missis Joanni Archiepiscopo Salernitano, confirmavit jura Metropolitana ejusdem ecclesiæ.

20. Hoc eodem anno S. Eduardus Rex Angliæ, facta pace cum Comite Godwino, ex voto Romam profecturus, ob resistentes sibi Proceres regni consuluit S. Leonem Pontificem; qui in voto dispensavit, et alia injunxit pia opera his verbis : « Præcipimus tibi sub nomine sanctæ obedientiæ et pœnitentiæ, ut expensas, quas ad iter illud præparaveras, pauperibus eroges, et monasterium monachorum in honore S. Petri Apostolorum Principis aut novum constituas, aut vetustum emendes et augeas, et sufficientiam victualium Fratribus de tuis redditibus constituas : quatenus dum illi assidue inibi Deum laudaverint, et Sanctis augeatur gloria, et tibi indulgentia. » Reliqua possunt legi a nobis edita ad Vitam S. Eduardi 5 Januarii, cap. 2 et 3.

§ IV. *Res gestæ anno MLII et MLIII. Felix obitus anno MLIV.*

21. Anno Christi MLII, Pontificatus sui quarto, varia iterum itinera suscepit S. Leo, ac primum videtur indicare Leo Ostiensis citato cap. 84. « Altero itidem anno Capuam veniens, rursus Beneventum perrexit, inde Salernum : inde ut Normannos expelleret, Imperatorem adiit militum petiturus auxilia. » Aliam itineris ejus postea versus Germaniam suscepti rationem suggerit Wibertus in Actis, scilicet ut Henricum Imperatorem et Andream Regem Hungariæ dissidentes reconciliaret. Sigebertus in Chronico ad hunc annum ista habet : « Rex Hungarorum ab Imperatore dissentit : pro quo reconciliando Leo Papa ad Imperatorem venit, sed, amicis discordiæ interturbantibus, id frustra fuit. » Plura interim in hoc itinere præstita fuerunt a S. Leone. Nam « Ratisponæ Nonis Octobris, anno Pontificatus sui quarto, » edidit diploma de Corpore S. Dionysii Areopagitæ ibidem existentis, Regi Francorum et aliis ejusdem regni Prælatis et subditis inscriptum. Est hæc ardua controversia a pluribus agitata, maxime ab iis qui volunt hunc eumdem Dionysium Areopagitam esse, qui Parisiensium factus Apostolus ibidem cum SS. Eleutherio et Rustico est martyrio coronatus. Alii hunc Dionysium Areopagitam asserunt Athenis III Octobr. martyrio coronatum; et Dionysium Parisiensium episcopum, ducentis fere annis serius, Parisiis IX Octobr. occisum cum SS. Eleutherio et Rustico; ejusque corpus esse ibidem in cœnobio S. Dionysii : quo etiam misit Innocentius Papa III anno MCCXV corpus S. Dionysii Episcopi Corinthiorum, uti diximus ad hujus Vitam XIII Aprilis. Reliqua ex epistola S. Leonis haberi possunt, eruntque ulterius examinanda III et XI Octobris.

22. Solum ex Wigulejo Hundio lib. I Metropolis Salisburgensis, in Gebhardo III Episcopo Ratisponensi, ista referimus : « Sub eo Leo nonus Pontifex Maximus, ab Andrea Rege Hungariæ pro pace cum Imperatore Henrico III construenda accitus, Ratisponam venit, et S. Wolfgangum in numerum Divorum retulit, similiter et S. Erhardum, nec non ossa B. Dionysii (de quibus diu dubitatum fuit, num haberentur in æde S. Emmerani) vidit, attrectavit, et Apostolico diplomate confirmavit, quod illic servatur, præsente Imperatore Henrico, Gebhardo Episcopo Ratisbonensi aliisque multis Episcopis et Cardinalibus, quin etiam Parisiorum Legatis præsentibus comprobavit et confirmavit. Ecclesiam item S. Emmerani nuper incendio vastatam cum crypta occidentali consecravit : tabulatum in ejusdem ecclesiæ summitate suis sumptibus fieri jussit; sed et Sacellum Simonis et Judæ Thadæi, supra fornicem Capitulo contiguum, in eadem urbe consecravit. » Contradus de Monte-Puellarum, in Vita S. Erhardi a nobis edita cap. 2 confirmat « Leonem IX transtulisse corpus B. Erhardi, temporibus Imperatoris Henrici III sub anno Domini MLII. » Coluntur S. Emmeranus XXII Septemb., et S. Wolfgangus XXXI Octobr., ambo Episcopi Ratisponenses. Sed pergit Hundius. « Cum vero Leo Pontifex Ratispona Northergam proficisceretur, Comites de Swartzenburg illi obviantes rogant, ut sacellum quoddam in honorem sanctæ Crucis, quod hodie Prugdorffium appellatur, dedicet. Sanctus Pater Sacellum a longe visum consecrat. Cum autem morosi interpellatores hac longinqua consecratione sibi illudi existimarent, et ut præsens sacellum consecraret flagitarent : Ite, inquit Beatissimus Pater, et nisi omnia consecratæ Ecclesiæ indicia inveneritis, veniam, et præsens vestram ædiculam consecrabo. Sed cum illi omnia integra comperissent, laudantes Deum acquieverunt. Exstant ejus eventus monumenta adhuc hodierno die. » Hactenus Wigulejus Hundius, quæ omnia Andreas Bru-

Digitized by Google

ner parte II Annalium Bajorum elegantiori suo stylo exornavit.

3. « Tunc inter ipsum Apostolicum et Imperatorem factam esse commutationem de Benevento et Bambergense Episcopio asserit loco citato Leo Ostiensis, et latius prosequitur Hermannus Contractus his verbis : « Imperator cum Domno Papa multisque Episcopis et Principibus Natalem Domini Wormatiæ egit; ubi cum Papa, sicut dudum cœperat, Fuldensem Abbatiam, aliaque nonnulla loca et cœnobia, quæ S. Petro antiquitus donata feruntur, ab Imperatore reposcens, exegisset : demum Imperator pleraque, in ultra Romanis partibus ad suum jus pertinentia, pro Cisalpinis illi per concambium tradidit. » Addit, quæ supra ex Leone Ostiensi retulimus et sunt ista: « Cumque idem Papa de Normannorum violentiis et injuriis, qui res S. Petri se invito vi tenebant, multa conquestus esset, ad hos etiam inde propulsandos, Imperator ei auxilia delegavit... Ad horum igitur nefaria et inextricabilia scelera illis ex partibus eliminanda, indigenasque ab eis liberandos Dominus Papa intendens, summa cum charitate ab Imperatore Romam reversurus digreditur. » Annus tunc MLIII cœperat. Secuti sunt autem eum plurimi Theutonicorum, partim jussu dominorum, partim spe quæstus adducti : multi etiam scelerati et protervi, diversasque ob noxas patria pulsi. Quos ille omnes tum consuetæ misericordiæ nimia compassione, tum etiam quia opera eorum ad imminens videbatur bellum indigere, clementer et gratanter suscipiebat. Transiens ergo per Alemanniam, Purificationem S. Mariæ Augustæ egit, Mantuæque Quinquagesima acta, et nonnullis suorum orto inibi tumultu occisis, infra dies Quadragesimæ Romam pervenit. » Hæc ibi: incidebat dicto an. MLIII Dominica Quinquagesima in diem XXI Februar., quando eum Mantuæ Concilium habendum statuisse, sed factione quorumdam perturbatum scribit Wibertus in Actis. Hippolytus Donesmundi lib. II Historiæ Mantuanæ pag. 203 hunc accessum Leonis Papæ describit, quasi sacrum Christi cruorem, qui ibidem asservatur, coram adoraturus advenerit, frustraque conatus impetrare Romam auferendum, populi pro eo retinendo in seditionem versi collaudarit zelum ; et novam S. Andreæ ecclesiam, licet non plene absolutam dedicarit, ac modica pretiosi thesauri particula excepta (quam Romam ad S. Joannis Lateranensis ecclesiam detulit) reliquum cum S. Longini Martyris corpore in præparatum ad id locum deposuerit. De S. Longini corpore, cum sacro Christi cruore Mantuæ reperto, egimus XV Martii ad Acta utriusque Longini § 3.

24. Romæ post Pascha iterum Synodum habitam esse affirmat Hermanus Contractus : sed qua de re non indicat. Certe non, uti in Conciliorum tomis exauditur, de Canonizatione S. Gerardi Episcopi Tullensis, quod actum est anno ML : non etiam de Primatu Patriarchæ Gradensis, quod eodem anno ML aut Romæ aut Vercellis factum fuisse supra ex Baronio et Ughello ostendimus. Potius arbitraremur ob Hæresim Fermentaceorum coll. ctum, quam tunc exortam fuisse scribit Wibertus, asseritque libellum luculentissimum adversus eam hæresim a S. Leone scriptum : quæ est in tomis Conciliorum epistola prima, in XLI capita distincta. Direxit etiam Constantinopolim Apocrisiarios sanctæ Romanæ Sedis, Humbertum tunc Silvæ-Candidæ Episcopum, Fredericum post S. R. E. Cardinalem, tunc Cancelliarium, et Petrum Amalphitanorum Episcopum. Dein Roma Casinum venit, ibique restitutus fecit monasterium S. Stephani, supra Terracinam positum, ut pluribus tradit Leo Ostensis cap. 87.

25. « Movit » postea « contra Normannos exercitum Leo Papa (verba sunt Hermanni Contracti). Cumque illi pacem petentes subjectionem servitiumque illi promitterent, et quæ prius injuste sibi usurpantes invaserant, ejus beneficio gratiaque retinere se velle dicerent; idque Papa abnegans, ut et injuria captas res S. Petri reposceret, eosque perperam pervaso cedere loco juberet; illi, quia numero longe præstabant, quasi rem injustam sibi propositam refutantes, se potius bello obvium ituros, armisque acquisitam patriam armis defensuros, vel morte occubituros, denuntiant. Sicque XIV Kalendas Julii valida pugna confligentes, prima acie a Theutonicis pene victi sunt: sed succenturiatis copiis ex insidiis nostros circumvenientes, Italis citius terga vertentibus, Theutonicis maxima ex parte, sed non inulte occumbentibus, occulto Dei judicio ; sive quia tantum Sacerdotem spiritualis potius quam pro caducis rebus carnalis pugna decebat, sive quo nefarios homines quam multos, ad se ob impunitatem scelerum vel quæstum avarum confluentes, contra itidem scelestos expugnandos secum ducebat; sive justitia divina alias quas ipsa novit ob causas nostros plectente, quamvis nimis cruentam hostes adepti sunt victoriam ; ipseque Dominus Papa in quodam ab eis castello obsessus, cum expugnata jam jamque munitione necessitate coactus, communionem eis prius interdictam reddidisset, acceptus ab eis, Beneventum cum honore reductus est : ibique tempore aliquanto detentus, nec redire permissus, » scilicet a Beneventanis. Nam teste Leone Ostiensi, « Comes Normannorum Hunfridus Pontificem adiit, et in sua illum fide suscipiens cum suis omnibus Beneventum perduxit, spondens quandocumque Romam ire disponeret, ipse illum Capuam usque deduceret. Intravit autem idem Papa Beneventum mense Junio, vigilia S. Joannis Baptistæ, mansitque ibi usque ad mensis Martii duodecimum diem : ibique infirmatus vocato prædicto Comite, ab eo Capuam usque perductus est. Ibi desuper decim dies remoratus, accersito tandem Abbate Casinensi sui itineris socio, Romam rediit : ibique post paucos dies quievit. Ad cujus tumulum Deus plurima tunc temporis signa effecit. » Hæc Leo Ostiensis. Hermannus Contractus qui S. Leoni paucis duntaxat mensibus supervixit in fine sui Chronici addit, « memorari eum miraculis claruisse. »

26. Desiderius Abbas Casinensis, Cardinalis titulo

Digitized by Google

S. Crucis, dein Summus Pontifex creatus anno MLXXXVI et Victor III dictus, hoc de eo testimonium profert : « Leo vir per omnia Apostolicus, Regali genere ortus, sapientia præditus, religione conspicuus, omnique Ecclesiastica doctrina apprime eruditus, ac qui (quemadmodum scriptum est [*Gen.* IV, 26]) cœpit invocare nomen Domini, quemque etiam vidi, ejusque familiaritatem habere merui : sæpe etiam, eo in ecclesia Missas celebrante, cum illo ad divinum altare sacris indutus vestibus steti, eique Evangelium legi : a quo omnia ecclesiastica studia renovata ac restaurata, novaque lux mundo visa est exoriri. Hic sæpe Sacerdotale Concilium advocans, Sacerdotes, Diaconos, et reliquos Clericos non regulariter ordinatos removit, et in eorum locis, ad veri A et summi Dei cultum, qui digne ministrare possent, constituit. Quotidie quoque per se suosque discipulos ubique missos populis viam Domini, litteris et verbis prædicans, ostendebat : qui per Apostolicam viam semper gradiens, Apostolicos etiam viros in miraculis est imitatus. » Hæc Desiderius, ex quo aliqua miracula infra referemus. Concludimus autem hunc prævium Commentarium cum hisce Leonis Ostiensis verbis : « Hic sanctus Pontifex, inter innumera suæ bonitatis insignia, quandiu Romæ remoratus est, omni tempore tribus per hebdomadam diebus a Lateranensi ecclesia usque ad S. Petrum, privato habitu nudisque pedibus, cum duobus aut tribus Clericis, noctu psallendo et orando, pergebat.

HISTORIA MORTIS ET MIRACULORUM S. LEONIS IX

ex Mss. Strozziano, Hubertino et Beneventano collecta.

PROLOGUS.

1. Anno millesimo quinquagesimo quarto Domini nostri Jesu Christi, indictione VII, decima tertia Kalendas Maias, depositione exsultemus Beati Patris nostri Leonis Papæ IX, regnante Henrico Imperatore filio Conradi imperatoris Romæ(57). Ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, et ad memoriam Beati Leonis Papæ, certamus hunc intimare laborem certaminis, quem oculis nostris vidimus, omnes presbyteri et diacones et cuncti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholici. Sæpe vidimus in ejus vita multam largitatem, vel eleemosynas erogantem pauperibus civibus ac peregrinis, ita ut cunctos thesauros Ecclesiæ et cuncta quæ habere poterat plurimam partem viduis, orphanis et Deum timentibus erogaret. Propterea Romanorum perfidia contra eum murmur C et bella suscitabat : nam ut inexpugnabilem suæ Ecclesiæ murum Dominus contra dementes hæreticos erigeret, huic viro in litterarum studiis plerique catechizati fuerant. Iste almificus Præsul Leo humilibus suaviter blanditus est, iste superborum colla constringens, iste derogatoribus suæ vitæ necessarium victum subministrans, virginitatem prædicans, matrimonia casta defendens, virtutum certamina gloriosa collaudans, lapsum Clericis, atque monachis pravitatem accusans, etiam ubi res tulit Gentilium exempla dulcissima varietate permiscuit ; sed tamen hoc non erat suæ voluntatis, sed, ut ita dicam, gra- B vissimæ necessitatis, ut probaret ea quæ a sanctis prophetis ante sæcula prædicta sunt, tam Græcorum quam Latinorum, et aliarum gentium linguis vel litteris ; vere totus explicans, totus exornans, et per disputationis genera semper æqualis incedens. Cum vere dixerimus Catholicam hominis illius scientiam ; sana doctrina, quocunque conversatus est loco, stabilis permanet firmitate fidei (58), nam ista pauca excerpsimus de ejus Vita, plura vero ad magistrorum peritiam dimittamus ; et de ejus mirabilibus, quæ vidimus, fideliter doceamus.

CAPUT PRIMUM.

Extrema S. Leonis acta et monita : piissimus obitus.

2. Quinto decimo Kalendas Maias, cum gravi infirmitate longe macerareturin corpore, idem Dominico die (59) quinto decimo post Pascha, vocavit omnes Episcopos et Clericos ad se, et ita locutus est eis, dicens : Audite, Fratres mei et Coepiscopi, me enim Dominus de hac vita vocavit. (60) Memores vero estote Evangelici sermonis dicentis : « Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit (*Matth.* XXV, 13). » Rogo enim vos, charissimi, ut in me aspiciatis et cogitetis qualiter flores hujus mundi cito marcescant. Nam infelix ego, qui indignus Apostoli Petri honorem suscepi, modo quantum ad corporis partes fere ad nihilum sum redactus. Nam ita mihi obscuratur præsens mundus iste, quasi jam habitem in obscurissima domo : quia in hac nocte in visu

(57) Addebantur plura in Ms. Strozziano : scilicet *Monomacho imperatore totius orbis, et regnante Dominico Contareno Duce Venetiarum et Dalmaticorum, nec non Dominico Patriarcha in civitate Gradensis ecclesiæ, Venetiæ ad laudem, B. Leo papa pius ac mitis, causa orationis, ad S. Marcum Apostolum et Evangelistam pervenit, et ibidem susceptus est.* Congruunt tempora. Præfuit memoratus *Contarenus* ab anno 1041 usque ad annum 1069, et Patriarchæ Gradensis *Dominici* meminit S. Leo in epistola ad D Episcopos Venetiæ et Istriæ : quos voluit illi tanquam Primati subesse.

(58) In Ms. Beneventano apud Ughellum, plurimis omissis, ita concluditur Prologus : *Ex multis pauca hujus sancti viri in medium proferamus, et præcipua ea quæ imminente ejus morte acciderunt.*

(59) Nam Pascha celebratum fuit 3 Aprilis.

(60) Hæc latius explicantur in Ms. Beneventano.

Digitized by Google

vidi illum quoslturus sum mundum; et videor quasi jam non habitem sæculum istud, sed potius illud quod in visione prævidi; pro quo timens et timidus nimium sum. Vidi enim multa quæ videre expavi. Verum gavisus sum in nostris Fratribus, qui pugnantes in Apulia pro Deo sunt trucidati. Vidi enim illos (61) in Martyrum numero, et eorum sicut aurum splendentia vestimenta; tenentes omnes palmæ ramos in manibus suis, plenos floribus immarcessibilibus, excelsaque voce me vocabant dicentes : Veni, mane nobiscum, quia per te hanc gloriam possidemus. Hinc ex alia parte respondendo unius aliam vocem audivi : Nequaquam, sed die tertia in nostro erit collegio : quia locus ejus iste est, et sedes ejus inter nos feliciter præparata consistit. Si vero meæ visioni non creditis, probate ea quæ dixi. Si super tres in sæculo isto permansero dies, visio hæc cassa et vana deputetur; et si die nuntiata transiero, servanda vobis sunt quæcunque dico. Nunc unusquisque ite ad loca vestra, et aurora lucescente ad me venite. Multis secundum ejus præceptum ad domos recedentibus suas, steterunt quidam cum eo per totam noctem : a quibus dicitur et mire testificatur, quod totam illam noctem, in tanta mole ægritudinis positus, pervigilem duxerit, atque in terra prostratus pro grege sibi commisso in oratione permanserit.

3. Mane facto, adveniente omni Clero et cuncto populo Romano, præcepit ut se ad tumulum suum marmoreum ducerent in ecclesiam : quo facto jussit lectum in quo jacebat in ecclesiam mitti. Romani vero videntes tumulum ejus ad ecclesiam deportari, irruerunt unanimiter pergentes ad palatium Lateranense ut illud exspoliarent, sicut mos illorum erat; sed tale fuit meritum et virtus Beatissimi Leonis, ut nec unus potuerit pergere, nec infra palatium introire. Hæc videntes, omnes confusi et perterriti timore cum grandi verecundia reversi sunt. Inter hæc beatissimus Pontifex, cum intra ecclesiam S. Petri suum thorum deportari præcepisset, convocatis omnibus qui aderant ex fidelibus, jussit eos sedere et intentis auribus sua præcepta audire. Quibus residentibus cum summo silentio, dixit : (62) Fratres et conservi Domini nostri Jesu Christi, estote memores præceptorum Dei, et ambulate in bonis actibus, dum adhuc lumen habetis. Præcipio enim ut nullus emere præsumat villam aut vineam seu terram, vel aliquam rem pertinentem ad regimen sanctæ Ecclesiæ per possessionem ad usum suum tenere : qui hoc facere præsumpserit, æterni Judicis iram sine dubio incurret. Item præcipio ut usus jurandi vestro deleatur ex corde : multa enim dignoscimini incurrisse perjuria, quæ ego propter Deum vobis dimisi, licet in eadem iterum cecidistis. Præterea contestor vos omnes, ut consanguineæ vestræ non commisceamini.

Item præcipio ut advenientibus ex cunctis pene partibus hominibus ad orandum Deum et ejus Apostolum, pro sua et omnium Christicolarum salute, nullus impedimentum exhibeat : etiam præcipio ut ex omnibus frugibus terræ quas vobis Deus dederit, et de animalibus, ei primitias detis; nisi talia feceritis, salvi esse nequibitis.

4. Hæc et his similia dicens ad populum, vocavit juxta se omnes Episcopos et Clericos, cum quibus veram faciens confessionem et conversus hinc ad partem Orientis; incumbens in lectulo suo respexit sanctam Crucem, et perfusus lacrymis oravit diutissime; et dimittens peccata eorum qui canonice fuerant obligati ab illo, absolvit eos : imo et cæteris omnibus : Si servaveritis, inquit, quæ vobis præcepi, de præteritis malis vobis indulgentia detur. Et hæc dicens iterum respexit in cœlum, et sic oravit : Domine Jesu Christe, Pastor bone, qui per Evangelium tuum hesterno die (63) dicere dignatus es : Ego sum pastor bonus, qui pro ovibus meis pono animam meam? Tu, pie Pastor, de cœlo descendisti, et B. Mariam sancto Spiritu obumbrasti, et quem omnis mundus capere non potest in solo ejus utero mirabiliter habitasti, servilemque formam pro nobis peccatoribus induisti, et duodecim Apostolos elegisti, quibus ligandi et solvendi licentiam propriam tribuisti, et Petrum Apostolum fundamentum Ecclesiæ esse fecisti, dicens illi : « Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum in cœlis (*Matth.* xvi, 19). » Tu, Domine, dixisti : « Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis (*Matth.* vii, 7); » ideo obsecro clementiam tuam et peto, ut mihi, quem indignum voluisti ejus cathedram sanctissimam residere, petitionem meam tribuere solita pietate digneris. Rogo enim ut Ecclesiam tuam sanctam Catholicam, diffusam per universum mundum, custodias; pacem ei tribuas; a visibilibus et invisibilibus inimicis eam protegas atque defendas, omnemque pravitatem hæreticorum atque perfidiam ab ea repellas. Deprecor quoque clementiam tuam, ut fidelibus tuis fratribus nostris, qui ad defendendam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam sanguinem suum fuderunt, absolutionem tribuas omnium peccatorum, et eos in eo numero sociare jubeas, qui pro tuo nomine suas animas posuerunt; ut fideles omnes cognoscant quia tu es omnium bonorum fidelis remunerator. Imploro etiam, immense Deus, clementiam tuam, ut omnem pravitatem infidelium vel hæreticorum disrumpas, ut cognoscant te verum Deum esse Jesum Christum. Obsecro quoque pietatem tuam, ut omnium qui anathematizati sunt vel excommunicati vincula et peccata digneris absolvere et fac illos ad tuam converti veraciter

sed fere paraphrasticōs.

(61) Hæc et sequentia eadem simili fere phrasi habet S. Bruno Signiensis.

(62) Sequentia in Ms. a scriptore festinante et ad alia tendente omissa excusantur.

(63) Igitur hæc pridie ante mortem 18 Aprilis acta : nam 17 fuit isto anno 1054 celebrata Dominica II post Pascha, cujus est Evangelium istud ex Joannis 10.

Digitized by Google

veritatem, ut cognoscant me non invidia victum egisse, sed ad confirmandam fidei veritatem, et benedictio tua super eos piissima ostendatur. Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis : « In quamcumque domum aut civitatem intraveritis, dicite : Pax huic domui (*Luc.* IX, 4) ; » rogo pietatem tuam, ut quamcumque ambulavi civitatem vel provinciam, pacem et concordiam eis concedas qui pro pace et benedictione tua me receperunt, et in nomine tuo mihi obedientiam fecerunt. Tu enim dixisti : « Qui vos recipit, me recipit, et qui me recipit, recipit eum qui me misit (*Matth.* X, 40). » Domine, qui non meis meritis, sed pietate tua, Vicarium Apostoli tui Petri me constituisti, et ligandi et solvendi potestatem dedisti; dignare benedicere famulos et famulas totius provinciæ, per quam ambulavi : et quos oculis meis vidi et corporaliter benedixi, spiritualiter repleantur et ab omnibus peccatis absolvere eos digneris, et fructifica in eis prædicationem quam prædicavi eis : et perfidiam Judæorum vel hæreticorum resipiscere jubeas, eosque per totum mundum ad te dignare convertere et tuam voluntatem implere : provinciisque omnibus et civitatibus, per quas ambulavit servus tuus, da plenitudinem frumenti, vini et olei, ut cognoscant quod in tuo nomine ambulaverim, sicut Apostolis præcepisti : « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Matth.* XVI, 14). » Ego quidem in tuo ambulavi præcepto, docui, obsecravi, increpavi, tu scis, omnia fideliter fieri : sed quia pius pater es, dignare convertere omnes adversarios tuos ad tuam pietatem, ut te verum cognoscant Deum, qui es benedictus in sæcula sæculorum. Tunc omnes qui ibi erant responderunt, Amen.

5. In illa hora tantus odor procedens ab altari S. Petri Apostoli totam ecclesiam replevit, ita ut nullus putaret ex hominibus nisi Paradisi amœnum esse odorem. Hoc facto jussit sibi ferri aureum scyphum, plenum pane et vino. Quo adducto, comedit de eo quantum potuit accipere ore (64), ac præcepit dari præsentibus Episcopis, qui similiter ex eo comedentes dederunt cunctis adstantibus. Hoc ita peracto, levavit oculos suos in cœlum, et oravit secrete quasi unius horæ spatio : et post elevans vocem, leniter dixit : Magne Deus, humani generis Redemptor, qui per Apostolos tuos Petrum et Paulum Simonis perfidiam de alto [cadere] præcepisti invocato tuo nomine : sicut eos exaudire dignatus es, ita exaudire dignare me servum tuum, et ad te converte Theophylactum et Gregorium et Petrum qui in toto pene mundo Simoniacam hæresim solidaverunt : et ita fac eos cognoscere viam veritatis, ut derelinquant errorem suum, et ad te, mitissime Domine, revertantur. Tu enim promisisti dicens : « Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XXXII, 11) : » revoca illos ab errore, qui convertisti Paulum persecutorem ; converte illos, ut te verum Deum cognoscant Patrem, Filium, et Spiritum sanctum : et omnes circumadstantes responderunt, Amen. Et iterum dixit circumstantibus : Ite, filii, unusquisque ad domum vestram, et crastina hora diei prima revertimini ad me. Et mox surrexit de lectulo in quo jacebat : et perrexit ad tumulum sibi præparatum ; et incumbens super illum cum lacrymis dixit : Cernite, fratres, ex tantis divitiis et honoribus, quam parvam et vilissimam mansiunculam exspectamus : ego enim tantis usque modo repletus divitiis, et dignitatibus decoratus, ex omnibus hoc solum marmor quod videtis exspecto. Et elevans manum suam signo sanctæ Crucis illud signavit : Benedictus tu inter lapides, qui non mea dignitate, sed misericordia Dei, mecum sociari dignus fuisti : me cum gaudio suscipe, et retributionis tempore præsenta me thoro resurrectionis. Credo enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Et hoc lacrymans dixit (65).

6. Et reversus ad lectulum suum, benedixit omnes qui ibidem erant : quorum quidam reversi sunt ad propria, quidam cum illo perseverantes postea nobis retulerunt quod cum tota nocte perseverantem in magnis precibus audivissent, et eum publice audivissent orantem : Domine Deus Sabaoth, respice in me servum tuum, et exaudi orationem meam, et dignare per tuam gratiam omnes te orantes in veritate audire : concede ut prædicatio tua non vacua sit omnibus audientibus eam, sed ostende veritatem tuam in nobis : et ubi invocatum fuerit nomen tuum per me servum tuum, illos qui invocant exaudire digneris de quacumque tribulatione clamaverint : et si fuerint aliqui ex fidelibus qui memoria meum anniversarium pernotare voluerint, sive per ecclesias sive per eleemosynarum distributionem, dignare eis, Domine, restituere centuplum, et post hoc sæculum eis vitam æternam concedas. Non dignitate mea, sed bonitate tua hoc peto ; tu enim dixisti : « Petite et accipietis (*Matth.* VII, 7). » Peto incessabiliter ut a te exaudiri valeam, quo ad tuam des fidelibus gratiam. Pulso ut januas mihi tuas aperias. Non quæro secundum meritum meum, sed secundum pietatem tuam : non pulso secundum justitiam meam, sed secundum magnam misericordiam tuam. Non nomen meum peto ut exaltetur, qui meritis non sum talia dona : sed ut Apostolicam Sedem sublimare digneris, propter nomen tuum, Domine, qui es benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

7. Sequenti vero nocte viderunt quidam religiosi viri non dissimilem visionem, duos candidissimis vestitos vestibus viros stare ante lectulum prænominati Pontificis, tenentes chartam in manibus, loquentes cum eo et scribentes, quos (66) veraciter cognoverunt esse Apostolos Christi Petrum et Pau-

(64) Ms. Beneventanum, *quanta potuit tribus vicibus ore suscipere.*

(65) Idem : *Hæc illo dicente, omnis quæ astabat multitudo conversa est in planctum.*

(66) Idem, *In ipsa visione ostensum est eis.*

Digitized by Google

lum. Hoc videntes surrexerunt a somno : et campanæ cœperunt pulsari tempore matutino. Cumque dies illuxisset, congregatis omnibus Episcopis, Presbyteris et Diaconibus, cunctoque Clero et populo Romano in ecclesia B. Petri, surrexit de lectulo, hinc et inde a ministris suis gubernatus duobus, ad ipsum B. Petri sacrum altare : ante quod cum lacrymans prostratus fuisset in terram, oravit quasi spatio horæ unius : et reversus ad lectulum jussit silentium fieri, monens populum sermone brevi. Hinc munivit corpus suum signo gloriosissimæ Crucis Christi, et vocatis Episcopis confessionem fecit, et jussit sibi ab uno Episcoporum cani Missam : a quo accipiens Corpus Christi et Sanguinem, dixit : Audite propter Dominum, habete silentium, forsitan possem propter modicum accipere somnum : et cum inclinasset caput in lectum quasi horam dimidiam quievit : in qua quietudine obdormivit in pace. Tunc unus de Episcopis surrexit et tetigit illum, putans vivere illum : quem cum cognovisset defunctum, nuntiavit cæteris Coepiscopis qui aderant omnes Dominum exorare. Mira dicturus sum, quæ Dominus in suis factis dignatus est. Hora qua eximius Præsul suam animam Christo commendavit, nullo ministrorum pulsante, a se ipsa S. Petri campana sonare cœpit. Qua scilicet hora quidam Albertus nomine, cæteri quinque de Tudertina urbe protestati sunt vidisse se quasi stratam paliis fulgentibus adornatam et innumeris coruscantem lampadibus, qua anima ejus ab Angelis ducebatur ad cœlum (67). Tanta itaque fuit quietudo in ejus obitu per totam urbem Romanam, ut nec arborum frondes aura modicum agitaret. Obiit autem Beatissimus Leo Papa XIII Kalendas Maias, feria IV, et sepultus est in pace. Vere enim Deus sua pietate pium Leonem fecit. Sed ne temporis tarditas me comprehendat, ad ea quæ dicturus sum attingam : nam ista pauca detersimus de ejus Vita de multis; sed de miraculis quæ per eum Dominus dignatus est post ejus transitum ostendere, fideliter doceamus.

CAPUT II.

Miracula post mortem usque ad vigiliam Ascensionis.

8. Altera vero die post ejus obitum, quædam mulier de Tusciæ partibus venit ad ecclesiam Beati Apostoli : et cum cœpisset per gradus ascendere, cœpit eam dæmon vexare et per os ejus clamare et dicere : O Sancte Leo, quare catenis igneis me vinctum trahis? non te læsi unquam. Et cum ducta fuisset ad tumulum ejus, cœperunt adstantes increpare dæmonem et dicere : Dic, maledicte, quomodo huc venisti, aut unde in Christianos tantas vires sumpsisti ad vexandum. Dæmon respondit : Ego et ii qui adsunt mihi, missi sumus subvertere animam hominis, et tamdiu tentare quoad usque nostra faciamus adimplere mandata. Cumque nobis obtemperans consentit servire, corpus ejus quasi domum propriam intramus, quod quidem multo tempore habitamus occulte. Tunc dixerunt quidam de Sacerdotibus : Dic, scelerate, et cum occulte in hominis corpore habitatis, quomodo tunc eum primum læditis. Dæmon respondit : In primis incipimus in illo mittere somnolentiam, prigitiam et famem : et dum dormiendo et pigritando quiescit, maximum acquirimus lucrum. Cumque totum corpus ejus nostræ subdidimus potestati, contingit eum ad ecclesiam ire, et inter bonos et Catholicos viros commisceri : quorum eloquentiam spiritualem non valentes sufferre, incipimus ira excitati lacerare corpus ejus, eo quod ultra non possumus occultari. Tunc dixit unus de adstantibus Episcopis : Adjuro te per viventem in sæcula sæculorum, ut dicas nobis si Leo Dei servus et Papa inter Sanctos fruitur aliqua potestate. At ille cum gemitu et suspirio dixit : O malefice, quare nominasti illum adversarium nostrum et seductorem totius provinciæ. per quem tanta gens subversa est, et a nostro collegio separata; nos etiam quotidie expellit et vinculis catenarum constringit, atque ejicit de habitaculis : unde vagi et instabiles ac venales, per deserta et infructuosa loca perambulantes, in nullo unquam requiem invenimus. Et Episcopus ait : Non ad ea quæ interrogavi respondes ; sed alia videris enotare. Et dæmon respondit : Leo, vester Papa ac Dominus, vere inter Sanctos est, inter quos magnum obtinet triumphum : qui non cessat quotidie persequi nos, ut nostrum possit nomen evacuare : per quem et hodie de hac domo ejiciendus sum. Talia eo dicente, mulier quædam respondit, inter cæteros mente perfida, dicens (68) : In hora qua Leo Papa dæmones fugaverit, ego regina ero; et omnes quos fecit gladio perimi, ego statim resuscitabo. Vix talia compleverat verba, subito a dæmonio crudeliter cœpit vexari; illa autem mulier, quæ a Tusciæ partibus venerat, eadem hora a dæmonio est liberata. Tunc omnes populi qui aderant cœperunt præ timore esse perterriti, clamantes unanimiter : Sancte Leo, parce nobis, quia injuste egimus.

9. In illa hora duo viri contracti venerunt ad tumulum ejus, habentes nodosa et contorta genua sua, quorum calcanei natibus adhærebant : qui venientes, sani reversi sunt, nullum signum habentes pristinæ infirmitatis. Ipso item die hora vespertina, venit quidam vir mutus et surdus, et sinistrum latus aridum habens, totusque phantasmate quodam maculatus; qui cum fuisset ad sacrum tumulum deportatus, solutus est a vinculis quibus corpus illius tenebatur. Tunc omnes cœperunt Deum salutis auctorem continuatis laudibus honorare, qui tanta mirabilia operatur per Sanctum Pontificem suum Leonem. Romani igitur videntes tantas virtutes,

(67) Desiderius Casinensis : *Ab hac instabili luce, ad Christum, qui vera et æterna lux est, cœlorum lætantibus civibus, Angelicis subvectus manib s, commigravit*

(68) Plurima ex iis habent Bruno Signiensis et Petrus Calo.

Digitized by Google

currebant certatim cum cereis et oblationibus, gaudentes et exsultantes.

10. Alia vero die venit quidam vir de Francia, qui habebat corpus suum ferreo cingulo coarctatum, ita ut per gyrum corporis sanies multa decurreret in terram : quod videntes qui aderant nares sibi præ nimio pavore et fetore obturaverunt, deprecantes Dominum ut per S. Leonis merita misero illi succurrere dignaretur. Res mira! statim ferrum crepuit, et multa fusa sanie homo redditus est penitus sanitati : ex quo gavisi omnes Deum et servum suum S. Pontificem collaudare cœperunt.

11. In illa hora dæmon per os mulieris illius quæ superius dixerat : Hora qua Leo Papa dæmones fugaverit, ego regina ero; et quos ipse fecit perimi gladio, ego resuscitabo, cœpit clamare dicens : Heu! heu! quare ingredimur et coarctamur exire cum tormentis? Nihil te læsimus, Leo, quare nos non permittis vel una requiescere hora? Tunc Episcopi qui aderant dixerunt : Maledicte, revertere unde huc advenisti, et exi ab illa. Qui respondit : Non possum reverti unde exivi, quia signata est : nam hesterno die exivi de domo mea, et hanc in commutationem recepi. Dixitque Episcopus : Et quare de ista ultro exis? Ille respondit : Quia Leo mihi eam dedit ad possidendum heri propter blasphemias quas locuta est in eum ; sed tamen ille mobilis est, et sermones ejus non sunt veri : hesterno die dedit nobis et hodie ejiciet nos de ista habitatione. Tunc dixit Episcopus : Et unde scis quod hodie ejiciet? Respondit dæmon : Vidisti heri, quando mutam linguam resolvit, ipsa hora perrexit cum Marco Episcopo Apuliæ et cum Marciano Episcopo (69) Frequentinæ (70) Ecclesiæ Beneventum. Dixit Episcopus : Pro qua causa perrexerunt. Respondit dæmon : Nescio, sed scio quia in Apulia sunt, ubi pugnam contra Sanctos Normani commiserunt. Ait Episcopus : Vere sunt sancti Alemanni, qui sunt ibidem interfecti? Ait demon : Triginta et quinque sunt sanctificati ex eis per quos signa et mirabilia fiunt in loco illo, eo quod sponte venerunt et cum fidelitate pro justitia pugnare maluerunt. Cæteri illic tunc mortui in paradiso sunt omnes, sed quia invite venerunt, inter illos minime deputati sunt. Illi quoque triginta quinque propria voluntate venerunt, et gaudentes morti se tradiderunt, propter Deum quem coluerunt, et per ipsos multa mala crescunt in nobis. Ait Episcopus : Venerunt ipsi Sancti Romam? Respondit dæmon : Vere, inquiens, hodie venient cum Papa Leone. Dixerunt quidam de Presbyteris, qui præsentes aderant : Et unde sciemus quando huc venient? aut quando cognoscere poterimus? Dæmon respondit? Citius jam prope Romam sunt : quibus venientibus ego hic stare ultra non potero. Sunt enim hic et alii fratres mei : dum illi venerint, omnes mecum fugam arripient. Vos autem aspicite in lampade ante signum ejus, et cognoscetis signum adventus eorum. Tunc vere secundum dæmonis dictum, quasi circa horam quartam, odor magnus factus est per totam ecclesiam; et aspicientibus in lampadem, viderunt eam ascendere prope ecclesiæ tegmenta, cum qua et tres ardere lampades visum est. In ipsa hora cœpit dæmon ululare sicut lupus, et modicum vexans mulierem exivit ab ea. Tunc circumstantes cœperunt laudare Deum et B. Leonem famulum ejus (71).

12. Tertia die post sepulturam B. Leonis Noni Papæ, facta sunt duo miracula ad tumulum ipsius, videlicet duo homines, qui diu ante januas Apostolorum Principis jacuerant contracti, per meritum B. Leonis Papæ abierunt erecti, et hoc pene tota civitas novit, quæ eos contractos antea vidit. Mulier quædam, spatio sedecim annorum languens et contracta, jacens in grabato, ejus ad tumulum devecta est : et quia fideliter credidit, sana et erecta illinc rediit : et hæc similiter civibus nota est. Altera vero mulier de Lateranis, Stephana nomine, uxor cujusdam Petri, dæmonium habens, ad tumulum illius venit : ubi sanguinem vomens et volutans se tres nigros carbones ore reddidit; cum quibus et dæmonium abscessit, et illa, sensu recepto, laudans Deum rediit.

13. In Letania majore, ad tumulum illius lampas divino igne accensa est. Nec hoc semel actum, sed bis et ter, et hoc vidit quæ illa die fluxit ad ecclesiam B. Petri omnis Romana multitudo. In Merculana regione (72) quædam mulier, Rogata nomine, habens dæmonium ab ipsa infantia, auditis miraculis ad tumulum venit : ubi jacens immundos spiritus ita reddidit, videlicet prius murem tria capita habentem, secundo ranunculum, tertio lacertam quarto ranam, quintoscabronem (73) : et post multam effusionem sanguinis, sanitati restituta est, multis testibus non solum auditu sed et visu probantibus. Mulier quædam, nomine Stephania, habitans trans Ti-

(69) Sunt hi duo Sancti in magna veneratione Beneventi, *S. Marcus* Episcopus Lucernensis, et Patronus Bovinensis in Apulia, qui colitur 14 Junii ; et *S. Marcianus* Episcopus Frequentinus, qui colitur 14 Julii ; ambo sub Metropoli Benevento.

(70) *Frequentum* vulgo *Frigento*, Hirpinorum antiquissima civitas, in Principatu ulteriore, 12 mill. passuum Benevento distat.

(71) Sequentia miracula in Ms. Hubertino accuratius notantur : quare ea potius inde accipimus, facta collatione cum Ms. Strozziano.

(72) Nominantur hodie quatuordecim *Regiones* Urbis, vulgo *Rioni* : sed eæ vel nunc aliter distinctæ sunt quam olim, vel in plures partes subdivisæ singulæ, quarum hæc una fuerit, vel etiamnum sit : nam qua ratione infra nominatur *regio Colossæi*, id est Amphitheatri (quæ alibi quam Romæ quæri non debet, et tamen non est una ex 14 dictis, sed pertinet ad Regionem Montium) ita persuademus nobis alias quoque, hic nominatas, esse ipsius Urbis Regiones : quas Romanis civibus relinquimus illustrandas, quoniam chorographorum diligentia ad hasce minutias sese extendere nequit. Ecclesia S. Matthæi, 22 in Regione Montium, *S. Matthæi in Merulana* dicitur.

(73) Videtur poni pro *Scarabeo* majori.

Digitized by Google

berim, dæmonio vexata longo tempore, audita fama beati Corporis venit, et duos carbones una cum multo sanguine evomuit. Quo facto sanitati restituta est, et mente recepta visa est ab omnibus astantibus redire libera. In regione Arenula (74), quidam habitabat Joannes nomine, qui, nervis contractis, manum aridam ab utero matris habebat. Hic beati viri veniens ad tumulum, extensam et validam eam reportavit.

14. Homo quidam, veniens de longinquis regionibus, in pœnitentia ferro ligatus, ante tumulum stetit, et dum diutius incumbens orationi commissa sua defleret, Divinæ pietatis dono, ferrum, ubi magis solidum fuerat, crepuit. Sanctimonialis quædam similiter ferro ligata, ad loculum accessit; et eodem modo soluta a ferro, benedicens Dominum, qui est in Sanctis suis mirabilis, ad propria incolumis rediit. In una die restituti sunt duo juvenes sanitati, quorum unus habens os retortum ad aurem dexteram, et manum aridam cum toto latere: quem mater nomine Maria, uxor Joannis Orbitani, deflens scapulis apportavit; sed duplo læta miraculo, gaudens cum filio rediit, et hic est notus omnibus apud S. Angelum morantibus. Alter vero ab infantia officio ambarum manuum privatus, sanitati restitutus, manuum suarum laboribus vivit.

15. Multis astantibus loquelam recepit mutus quidam, nomine Guido, de Casamala ortus. Puer quidam, Petrus nomine, officium recepit manus dexteræ. Puer quidam de regione Coloseo habebat manum dexteram aridam, cum toto latere et pede: quem mater, Stephania nomine, deflens ad tumulum ipsum apportavit; et sanitati restitutus est multis astantibus et videntibus. Homo quidam, Benedictus nomine, Phlebotomator (75), habitans in regione Septemviis, ulceribus plenus, auditis miraculis ad tumulum venit; ibique per meritum beati Pontificis sanus factus est, ita ut nec signum cicatricis in carne ejus appareret. Quidam vir Majus nomine, de Palliano (76), habitans trans Tiberim, a dæmonio vexatus per annos quindecim, audita fama beati viri, venit ad tumulum ejus, et duas blactulas (77) cum multo sanguine evomuit, cum quibus et dæmonium abscessit. Quidam juvenis, Franco nomine, qui cæcus exstitit, lumen recepit, nepos ostiarii S. Mariæ de Monte acuto. Juvenis quidam de civitate Tiburtina, Joannes nomine, filius Joannis, ab utero matris mutus, astantibus multis loquelam recepit.

16. Homo quidam Benedictus nomine, habitans in Camoo Martio, habebat filium nomine Gratianum qui sinistrum pedem habebat aridum. Hic per meritum B. Leonis sanitati restitutus, gaudens cum patre rediit. Quidam vir, nomine Petrus, filius Nuccii phlebotomatoris, habitator ipsius regionis, ab utero matris mutus, astantibus multis loquelam recepit. Quædam mulier de Fallari (78), dæmone vexata, ad tumulum venit, ibique liberata est. Mulier quædam de Aquapendente, manum habens aridam, auditis miraculis, ad locum venit, et officium manus recepit. Quidam vir, ortus de Tuscanis partibus manum habens aridam, per meritum B. Leonis [sanitati] restitutus est. Quædam mulier, Maria nomine, habitans in Castro Cornazano, manum sinistram habens aridam, ad tumulum venit: ibique sanata est. Altera mulier, Beatrix nomine, de Apuliæ partibus, manum dexteram habens aridam, similiter sanitati restituta est. Quidam Juvenis ibidem visum recepit per merita B. Leonis. Mulier quædam, Ermengarda nomine, relicta Petri textoris de Castro vico (79), manum sinistram habens aridam, per meritum B. Leonis Papæ, videntibus multis officium manus recepit.

CAPUT III.

Miracula patrata a Vigilia Ascensionis usque ultra Octavam Pentecostes.

17. In vigilia Ascensionis Domini, per intercessionem Beatissimi Papæ Leonis, sanatæ sunt tres feminæ: una manum recepit, altera auditum, altera visum. In vigilia noctis Ascensionis Domini, mulier quædam, Berta nomine, famula Petri opificis, qui dicitur de Udo, habitans in regione Campitello (80), dæmonium habens, ibi liberata est. In eadem noctis vigilia, quædam mulier cujus nomen ignoramus, ambas manus, quas gerebat contractas, sanas recepit. Quo facto quoddam miraculum ibi mirifice accidit. Quidam Joannes de Civitate, habitans in regione Campo Martio, cereum de tumba ejusdem beatissimi Papæ Leonis accensum in manu accepit et exstinxit. Hoc facto, dum secure exstinctum teneret, subito accensum vidit. Quem ille non bene exstinctum credens, iterum exstinxit. Et quis Dei miracula valet perscrutari? iterum se in manu illius accendit. Hic etiam cereus in testimonium servatus est.

18. In die Ascensionis Domini sanata est puella Amata (81) nomine, patre genita Engelberto. Hi fuerunt ex partibus Campaniæ de Rocca de Risa: hæc autem ita fuit contracta ut nunquam pedibus ambularet. Una alia puella, nomine Maria, filia Ciceæ, quæ habitabat in regione Arenula, lumen recepit, quæ per annos quindecim non viderat. Quidam

(74) Ms. Strozzianum *Ternula*.

(75) Φλεβοτομία, *venæ sectio*, hinc *Phlebotomare* apud Bedam et alios, pro *venam incidere*. *Phlebotomatus*, *Phlebotomator*, etc.

(76) Agri seu Campaniæ Romanæ oppidulum est.

(77) Pro vermibus hic *blactulæ* dici videntur, quasi diminutive a *blatta*.

(78) Urbevetani territorii oppidum haud ignobile. *Falaris* autem prænominata urbs olim episcopalis fuit vicina civitati Castellanæ, nunc ejus episcopo subjecta.

(79) In Sabinis locus est *Vico di Sarrento* dictus, quem præ aliis synonymis intelligi persuadet urbis Romanæ vicinia.

(80) Hæc una est ex 14 nominatis, et inter eas prima: nomen a Capitolio, quod complectitur, habens; eo modo corruptum, quæ vulgo pro Capitolio *Campidolio* dicitur.

(81) Ms. Stozzianum, *Amriata*.

Digitized by Google

puer patre rustico genitus, de civitate Ortana, erat ita contractus, ut unum latus in sua potestate non haberet; sed Dominus eum per sanctissimi Pontificis meritum sanavit, et latere recepto cum gaudente patre votum ei vovit, et incolumis rediit. Et fere hora noctis erat media, cum duos cæcos mirifice sanavit: unus Pipo, alter vero Adelbertus dicebatur: isti enim de Lama (82) civitate fuere. Et quemdam, Randifium nomine, filium Berardi Comitis Mursicani, qui lancea percussus fuit, et ita attractus, quod pedem unum ad terram ponere non valebat; sed, jubente Deo, per meritum beati Pontificis sanus recessit. Quædam puella omnimodo manibus et pedibus ita contracta fuit quod nunquam ambulare valebat, nec manum ad os ducere; et per meritum B. Leonis officium membrorum recepit, et sana recessit.

19. Proxima die post Ascensionem Domini, duæ mulieres quæ a spiritu immundo vexabantur, per sancti viri meritum sanitati pristinæ restitutæ sunt. Investituram Culcitræ, quod est magnum et inauditum miraculum, quædam mulier Amantii Diaconi famula lavare ivit, quæ proprie erat de lecto beatissimi Leonis Papæ. Ex qua dum aquam extorqueret, inter crura sua tenuit, et ita media parte sui corporis stupefacta fuit, ac si paralysim haberet. Sed ad istud malum supervenit aliud: nam ulceribus plena visa est in eadem parte corporis; et hæc venit ad tumulum B. Leonis, et sana recessit.

20. Quædam puella, Rogata nomine, filia Mariæ, feria septima mense Maio intrante, eodem mense die quarto decimo, ad venerabile ejus sepulcrum, sinistrum brachium contractum ferens, venit; ejusque sancta suffragatione sanitatis beneficium consecuta est, et hæc erat de Castro quod vocatur Stabla (83). Quidam de civitate Florentina, cum servis suis, ad tumulum ejusdem beatissimi Leonis venit cæcus; et gratia divina comitante lumen recepit, et præ gaudio magno quod inde habuit, eosdem servos libertate donavit. Quidam Romanus, Adelbertus nomine, dum ferro recideret vineam suam, contigit quod de domno Apostolico Leone turpiter loqui non exhorruit. Sed istud facinus absque culpa non evasit: quia malignus spiritus corpus illius repente invasit, et graviter vexare cœpit. Hoc autem vivente illo actum est. Sed divina favente gratia, cum post obitum illius veniret ad sepulcrum ejus, per meritum ipsius sanatus est.

21. Quidam Grimoaldus nomine, de S. Benedicto, de monte Cassino, in Dominica quæ dicitur Pascha Rosata (84), ad tumulum Beati Pontificis ita mutus ægritudine advenit, quod nemo loquelam ejus intelligere valeret: sed, Dei favente gratia, per meritum B Leonis rectam loquelam recepit. Quidam puer, qui fuit de Verona utroque pede contractus, Dei comitante gratia per meritum beati viri ibi sanatus, cum parentibus rediit. Quædam mulier de Aquapendente a dæmonio erepta est, nocte eadem quæ dicitur de Pascha Rosata. Quidam puer, Petrunculus nomine, de Sena, cum parentibus ad tumulum venit: hic enim pedibus manibusque contractus erat. Quem ego dum rogatu Senensium qui pro anima sua (85) cum adduxerant, ad tumulum Beati Pontificis erexissem; repente me vidente, coram omni populo, officium membrorum recepit. Quidam Presbyter Franco nomine, de Cora (86) oppido, quinque annis vexatus fuit, et cum in die Dominica quæ dicitur Pascha Rosata ad tumulum ejusdem Sanctissimi viri adductus fuisset, statim dæmonium per sanguinem evomuit, cadens in terram mortuus. Et cum omnis populus eum asportare vellet, quia exanimem videbant, divina favente gratia, per meritum B. Leonis ad vitam sanus rediit, omni populo qui aderat Domino et Sancto gratias referente.

22. Quidam Benedictus nomine, filiam suam, nomine Bonam, causa recipiendæ sanitatis, ad tumulum beati Pontificis attulit, quæ erat ambabus manibus contracta: sed, divina favente gratia, per meritum Beati Pontificis recepit sanitatis gaudia. Fuit in Marsicana (87) villa de Monte, quædam mulier de Civitate Spoletana, diu cæca: quæ dum orationis gratia beati viri sepulcrum requireret, in Sabinensi Episcopatu, antequam ad locum ubi corpus ejus requiescit perveniret, per meritum sancti Pontificis lumen recepit, ac iter quod cœperat gaudens peregit. Quidam puer de prædicta civitate, quinque annos habens, atque a nativitate gressu et loquela carens, parentum auxilio ad sepulcrum Sancti ductus, per meritum ejus gressum et loquelam simul recepit. Item alius ejusdem territorii, septem annorum, per tres annos gressu pedum caruit: sed dum ad sepulcrum Antistitis accederet, per meritum ejus subito erectus est. Quidam (88) puer, Leo nomine, de monte Casino, in eadem Dominica claudus ita advenit quod nullo modo absque duobus sustentatoriis baculis incedere valebat: sed per meritum B. Pontificis absque ductore, abjectis baculis, sanitatem membrorum secum reportavit.

(82) Forte *Larina*, quæ est civitas Capitanatæ in regno Neapolitano, alias in eadem Capitanata est *Torre della Lama*.

(83) Istud credo, quod *Castel a mare di Stabia* vulgo dicitur, ditionis Pontificiæ oppidum ad sinum Neapolitanum.

(84) Ita *Pentecosten* nominant Itali: nominis causam reddunt auctores Vocabularii della Crusca, quod eo fere tempore Rosæ floreant.

(85) Clarius infra, n. 36, *Pro mercede animæ suæ*.

(86) Vulgo *Cori*, Campaniæ Romanæ oppidum.

(87) Duplex *Marsicum* hodie nominatur in confiniis citerioris atque ulterioris Principatus, aliud *vetus*, aliud *novum*: vetus hic designari crediderim, cum novum a Regni Neapolitani Chorographis ad fluvium constituatur.

(88) In Ms. Hubertino *quidam puer*: ipsum autem Ms. hic desinit: quare cætera dantur ex solo Strozziano.

Digitized by Google

Puer quidam, qui fuit duobus pedibus attractus, cernente populo mirifice extensus est : mox ille qui nunquam ambulavit, currendo ad arcam S. Petri ire cœpit; et innumerabilis multitudo qui aderant Domino Deo et S. Leoni laudes immensas reddidere.

23. Trigesimo et secundo die (89) depositionis ejusdem Pontificis mutus quidam de episcopatu Castellano, de quadam plebe ejusdem episcopatus, quæ dicitur Graciolum, venit ad sepulcrum jam dicti Pontificis : ubi præsente (90) Episcopo suo et multis qui eum agnoscebant, loquelam recepit, cujus rei testis est Ordinans Episcopus qui bene eum agnovit. Quidam Vetulus monachus de Monte Casino, nomine Joannes, erat mutus et surdus et cæcus et dextra manu attractus : has autem passiones per annos novem portavit in corpore. Sed cum sensisset quotidie divulgari miracula sanctissimi Confessoris nostri Leonis Papæ, votum ei in suo corde devovit, quod si eum orationibus suis beatus Papa salvaret, veniret ad tumulum ejus eum luminaribus. Hæc cum dixisset, subito divina respectus gratia, salutem pristinam recepit sui corporis ; itaque sanus apparuit ac si has infirmitates nunquam habuisset. Ut autem se sanum vidit, votum quod Domino ac sanctissimo Confessori vovit, adimplevit, et ad tumulum ejus venit, laudesque ei retulit, et cum omni populo qui ibidem aderat gaudens annuntiavit, qualiter Deus per suum Confessorem ei dignatus est pristinam sanitatem reddere. Quidam Petrus nomine, de civitate Cajeta, filium suum parvum Joannem, qui habebat latus sinistrum cum manu arida per annos septem, ad famam sanctissimi Leonis cum eodem filio causa recipiendæ salutis advenit. Cumque filius tumbam oscularetur, et pater lacrymaretur, divina respectus puer gratia salutem pristinam recepit gaudensque cum patre ad propria remeavit.

24. Quædam mulier vetula, nomine Maria Marsicana, de castello Alvo, triginta annos a dæmonio fuit vexata : sed secunda feria, quæ est proxima Pentecostes, hora diei nona, dæmonium in modum muscæ evomuit. Altera autem mulier, Berta nomine, de terra S. Benedicti, eadem die et hora dæmonium cum vomitu fœtido evomuit : gratia sit Deo et sanctissimo Pontifici qui eam saluti restituit.

25. Quidam parvulus, qui per multa tempora cæcus fuerat, hora nona in octava Pentecostes lumen recepit : pater ejus Arnulfus vocabatur, et erat quidem de terra S. Benedicti. Quidam homo, Lodoicus nomine, de terra de Forcone, cum filio qui erat attractus genibus advenit ad tumulum beatissimi Confessoris: et dum residerent juxta tumulum, patre orante ac flente, repente noster sanctissimus Papa contulit eis salutis dona. Ita ille, qui nunquam absque baculis incedere valuit, abjectis illis, coram omni populo qui aderat, de altare B. Petri firmiter ire currendo cœpit ; et laudes cum patre ei reddidit, qui eum per merita B. Leonis sanavit. In eadem die mulier quædam, quæ per multa tempora graviter fuit a dæmonio vexata, advenit, quæ cum oscularetur tumbam, statim per vomitum sanguinis antiquus hostis habitaculum corporis ejus deseruit, et salutem recepit. Hæc autem de terra quæ vocatur Camerino (91) fuit. Puella quædam, Læta nomine, quæ fuit attracta manu sinistra, cum matre, Dei comitante gratia, pervenit ad tumulum : et dum Sanctum tetigisset, subito manum, quam per paralysim amiserat, recepit sanam.

26. Erat mulier quædam in urbe Roma, quæ emebat et vendebat piper et thymiama : dum quidam simplex vir a partibus Croatiæ venisset, emit ab eadem muliere thymiama quod deferret ad tumulum B. Leonis Papæ. Qui adtoxicatus maleficiis mulieris, dedit denarium, visumque est illi accipere multum : accepit autem nihil. Cumque perrexisset ad tumulum, prostratus in oratione surrexit, mittensque in sacculo manum ut thymiama proferret, invenit illum nihil habentem. Tunc ille cœpit proclamare magnis vocibus dicens : O sancte Leo, inter Romanos hæreticos voluisti manere : ego si in domum iero propriam de te plurimam blasphemiam loquar, nisi vindicer ex maleficia illa muliere et iniqua. Eodem die, dum ea mulier in portico esset faciens negotia mala, mittens in suo sacculo manum ut piper venderet, invenit illum serpenticulis plenum, a quibus vulneratam manum produxit. Cognoscens itaque reatum suum, cucurrit ad tumulum B. Leonis, coram omni populo sua manifestans commissa. Tunc videntes omnes qui aderant manum mulieris totam vulneratam a serpentibus, timore magno perterriti stupuerunt. Mulier vero, non sufferens dolores, clamavit vocibus magnis: S. Leo, beatissime Papa, ignosce mihi iniquæ et libera me a tormentis horum serpentium, quibus crudeliter crucior. Tunc ille qui emerat ab ea thymiama illud, videns hoc, dicere cœpit : Dignus es, beatissime Leo, magnis honoribus, qui ad te venientes protegis, et iniquorum facta constringis : gaudeo quidem in virtute tui triumphi : ne, quæso, irascaris mihi indigno quia iniqua locutus fuero contra te : miserere mei. Mulier autem non cessabat clamare : S. Leo, succurre mihi, miserere, et libera me ab his tormentis quæ patior : promitto enim nullo tempore pessima quæ gessi negotia exercere. Hæc cum la-

(89) Fuisset hic ipsa Vigilia Pentecostes, atque hoc miraculum deberet præcedere quædam antescripta.

(90) Anno 1053 cuidam Benedicti IX privilegio subscripsit *Benedictus Fullaritanæ* et *Castellanæ episcopus* (unitæ enim sedes erant, et manserunt, abolito tamen prioris jam tum desolatæ appellatione) ; postea Ughellus tom. I Italiæ sacræ Castellanæ civitatis episcopos tres, eodem Petri nomine, subjungit, nulla rationabili causa distinguendi apparente ; nam primus, qui anno 1059 Concilio Romano subscripsisse invenitur, per P. primam nominis sui litteram, et ultimus, cujus memoria postrema exstat ad annum 1183, solum annos 24 involvunt, qui facile ab uno eodemque homine potuerunt expleri ; imo etsi hic esset idem qui hic indicatur, non erit incredibilis annorum etiam 52 Episcopatus.

(91) Nota Episcopalis urbs in Marchia Anconitana.

Digitized by Google

crymis illa dicente, et cæteris qui aderant una cum viro illo simplice pro ea orantibus, affuit divina clementia et mulierem illam a peste liberavit; quæ sanitatem ad plenum recipiens, dedit illi homini tripliciter quod prius abstulerat ei: et omnes qui hoc viderunt et audierunt benedixerunt Deum et S. Leonem famulum ejus.

MIRACULA BENEVENTI PATRATA

partim ex Ms. Beneventano a Ferdinando Ughello in episcopis Beneventanis edita, partim ex Ms. Strozziano accepta.

PRÆMONITIO UGHELLI.

27. Non prætereundum quod, Walderico (91*) Præsule, ad cœlum evolavit Leo IX Pontifex Maximus: cui post obitum, cum multis claruisset miraculis, Beneventanus populus sanctissimo viro, et de ejus civitate (92) bene merito, ejus nomine intra civitatis mœnia ecclesiam ædificarunt, et quolibet anno solemni ritu ac fastu eam incolere cœperunt: cujus et causa ejusdem miracula aliquot in Beneventana regione meritis illius patrata litteris consignari fecerunt. Quæ cum in antiquissimo codice litteris Longobardicis exarata in bibliotheca Beneventana invenisset noster Cœlestinus, fideliter conscripsit, mihique transmisit: ut ad augendam pietatem hoc in loco lectoribus exhiberemus. Quod libenter fecimus, cum in iis aliqua contineantur, quæ ab aliis, qui Vitam sanctissimi Pontificis litteris demandarunt, omissa fuerint. Auctor anonymus est et Leonis synchronus.

HISTORIA MIRACULORUM.

28. Longe divulgata fama miraculorum beatissimi Leonis, Beneventi cœpta est ædificari ad ejus honorem ecclesia: ut, quem Beneventani cives vivum a Normannis carcere detentum aspexerant, jam mortuum et spatiis cœlestibus perfruentem venerarentur. Interea accidit (93) ut Nicolaus quidam de Castello Molliniana et Berardus de loco Carrara, quorum alter perdito brachio dextero, retractis poplitibus et nervis; alter vero frigus et febrim usque ad dysenteriam passus; cum uterque se deferre fecissent ad prædictam ecclesiam, quæ construebatur Beneventi, illico omnium judicio desperatam recuperarunt sanitatem.

29. Rusticus quidam ex oppido Ordonum (94), eum annualiter votive festum B. Leonis excoleret, contigit ut præ nimia oppressione laborum quos in agro gerebat, die Dominica, quando festa annuntiantur populo, minime ecclesiam adierat. Erat autem dies festus S. Leonis in quinta feria sequenti (95), quod prædicto rustico erat incognitum. Ille itaque valde mane surgens, sumpsit secum unum puerulum, quem filium unicum habebat, et securem rastrumque fossorium. Mox ut applicuit suo agro, dimisit prædictum puerulum suum ad sarcinam: ille vero fodere anxie cœpit. Ex alia parte lupus ore aperto tulit filium ejus puerulum, et fugam arripuit. Quod a longe cernens pater, currere post lupum cœpit, hæc clamitans: O Sancte Leo, Patrone mi, adjuva me nunc in præsenti, et redde mihi unicum filium meum. Quæ vix locutus fuerat, cum ecce lupus dimisit puerum ita illæsum, ut in vestimentis nec vestigium quidem appareret dentium lupi, in ea parte qua eum lupus arripuerat. Reversus itaque rusticus ad oppidum, hæc omnia narravit: sentiensque eam ipsam diem esse anniversariam in memoriam B. Leonis, novo se adstrinxit voto ad eam quotannis solemniter custodiendam. Sicque nedum Beneventi, sed per totam Apuliæ oram, celeberrimum evasit Leonis nomen: Deo sic disponente ut is in eisdem locis in quibus paucis ante annis, C profligato ejus et Ecclesiæ exercitu, ipse captivus detentus fuerat, postmodum, ingruente miraculorum ejus fama, iidem qui adversus eum steterant in prælio, supplices et venerabundi ejus memoriam excolerent, et magis ac magis erga sanctam Ecclesiam fideles se præstarent, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, cujus nomen per cuncta sæcula sic benedictum. Amen. (96),

30. Hæc sunt miracula quæ Deus fieri voluit per beatissimum Leonem famulum ejus in Benevento.

(91*) *Valdericus* initio Julii anno 1053 in episcopum a S. Leone Papa consecratur apud Ughellum: qui addit illustrem bullam tunc ei concessam pro confirmatione Ecclesiarum subjectarum.

(92) *Sunt qui scribant cum Baronio ab Henrico II Imperatore Pontifici Leoni IX Romano oblatum Beneventum, ut annua pensio ab Ecclesia Bambergensi Romanæ Ecclesiæ pendi solita ea ratione compensaretur.* Ita Ughellus in Præfatione de Beneventana metropoli, qua de re et nos egimus hic in Prolegom. n. 23. D

(93) Refertur etiam hoc duplex miraculum in Ms. Strozziano, et prius castellum dicitur *Marca*, secundum *Carre*: videntur juxta Beneventum requirenda hæc loca: alias *Carrara* et *Modigliana* ad Hetruriæ ducem pertinent.

(94) Forsitan *Ortana*, quæ duplex est: altera *ad mare* dicta in Aprutio citeriore; altera in ulteriore, dicta *Marsorum*.

(95) Anno forsan 1061 littera Dominicali G, et sic ultimum hoc miraculum post alia, mox ex Ms. Strozziano subjicienda, patratum foret.

(96) Hactenus ex Ms. Beneventano: nunc ex Strozziano prædicto.

Digitized by Google

Joannes quidam nomine, ex castello vocabulo Serra (97), contractus dolore capitis ex quadam occasione, videlicet dum in area discuteret fruges hordei, volatu unius grani ejusdem frugis in oculum caligine obsitus lumen videre non poterat; quem Dei virtus et S. Leonis Papæ primum in Benevento curavit, restituto sibi lumine. (98) Item quidam puerulus, habens brachium ad humerum stupefactis nervis spatio septem annorum, veniendo ad præfatam ecclesiam, quæ construebatur Beneventi in honorem B. Leonis Papæ, Dei misericordia et precibus ipsius, pristinam sanitatem recepit. Alius vero Joannes de cujusdam civitatis regione, vocabulo Vico (99), dum esset passus paralysin, perdidit officium linguæ et brachiorum et aliorum membrorum, tribus annis, in tantum ut nec quoquam posset, nisi reptans cum scabellis per terram, ambulare : sed in ecclesia eadem pristinam sanitatem recepit. Rursum alius Joannes, de castro nomine Celone (100), dum contra Dei legem percussit matrem suam, divina ultione amissis quatuor digitis pedum et duobus manuum ex morsu cancri, nervis etiam tibiarum contractis (sic ut non bene erectus, sed flexis poplitibus ambularet Beneventum), in via sanatus est.

31. Item mulier quædam, vocabulo Uzancia ex Benevento, cujusdam Balzani clerici, forte casu e lecto cecidit : ruinæ autem lapsu in tantum tibia ejus stupefacta est, ut nullo modo ambulans, in lecto tribus annis ægritudine cubaret : quæ tandem cum invocaret auxilium B. Leonis, statim [sanitati] restituta est, atque confestim ad præfatum locum, ubi ecclesia construebatur in honore ejus, perrexit, Deoque et B. Leoni gratias reddidit. Puella quoque nobilis feminæ uno anno in lecto infirma cubans, ut nequaquam ingredi, vel egredi, nisi brachiis suorum supportata valeret : quæ, dum repertus est sanguis (101) ejus et deportatus cum hymnis et laudibus in ecclesia episcopii; illuc ducta et prostrata ante altare sanctæ Dei Genitricis, confestim erecta est et ambulavit. Puer quidam, Dominicus nomine, ex castello Vicari (102), arreptus a dæmonio, venit Beneventum ductus a matre; quem sic ablatum ab officio linguæ ut nequaquam loqui vellet nisi nimis fustigaretur, et hoc duo vel tria verba non plus, meritum B. Leonis ita sanus reddidit, ut recte et expedite loqueretur.

32. Ex territorio civitatis vocabulo S. Agathæ (103), quæ confinis est Beneventi, narratur quod adolescens, nomine Nicolaus, dum incoleret transacto mense Maii vineas cum patre et fratre, subito cecidit in terram amisso linguæ officio aliorumque membrorum omnium : quod accidens pater et frater valde condolentes cœperunt flere : dehinc invento asino imposuerunt illum ibi et deduxerunt eum domum. Die vero alia usi meliori consilio, iterum in lecto illum ponentes, Beneventum duxerunt ad prænominatam ecclesiam, ubi meritis B. Leonis redditus est perfectæ sanitati, in tantum ut qui mutus venerat et alienis delatus humeris, Dei loquens magnalia sanus et lætus veloci gressu suis pedibus ad propria remearet, castellum videlicet unde venerat, Torrelicosi (104) vocabulo. Femina quædam ex regione Murronis (105) civitatis pluribus a dæmonibus vexata, audiens rumorem miraculorum B. Leonis, assumpsit spem (quæ non frustrata est) quod si ad jam præfatam basilicam veniret, a dæmone illo curaretur : quod et fecit; quæ dum staret [ante altare], dæmonium quod decipere illam erat solitum, instar corvi ab humeris ejus avolavit, et nusquam amplius eam vexavit : [sic] Dei favente gratia et intercessione B. Leonis, curata est a dæmone.

33. Quidam oriundus ex civitate Confinia (106) nomine, audita fama signorum ejus, venit cum aliis ejusdem loci Beneventum; et per intercessionem B. Leonis Papæ sanitatem quam amiserat consecutus est. Quidam [contractus brachio], cum per dies sex in præfata ecclesia degeret, somno opprimitur : sed a turba hominum coactus est fugere et vigilare. Qui bene vigilans surrexit, opemque divinam sibi attributam sensit : cœpit enim extendere brachium, quod contractis nervis ad collum ligatum habuerat, et hac illacque volvere, et quæ solitus erat, expedite cum eo agere. Quod cum viderent qui aderant, omnipotenti Deo et S. Leoni benedixerunt. Rursus unus adolescens et duæ puellæ in festivitate B. Augustini sanitatem ibi consecutæ sunt : quorum una puella ex civitate Monopoli erat, altera vero ex Frequentina (107) civitate : adolescens vero ex finibus Apuliæ, iste autem et puella quæ Frequentina oriunda fuerat, per quinque annos oculorum lumina amiserunt : sed largiente Dei misericordia et intercessione B. Leonis,

(97) Duplex etiam *Serra* est in Capitanata, altera cognomento *Capriola*, altera della *Castagna*; hæc 40, illa 30 circiter P. M. Benevento distans.

(98) Hic interserebantur miracula supra relata de Nicolao et Berardo seu Bernardo sanatis.

(99) Forsitan *Vito*; nam in tabulis Chorographicis inter Trojam et Beneventum notant *oppidum S. Viti*. Eædem tamen etiam Vicum notant, sed in quadruplo majori distantia ad extimos fines Capitanatæ versus mare.

(100) An *Celano* ad locum Fucinum, qui nunc ab eo nomen habet in Aprutio ulteriori?

(101) Nihil alibi de hujus sanguinis inventione legimus : ex venæ sectione reservatus Beneventi ab aliquo fuerit, et in oblivione aliquandiu manserit.

(102) Alias etiam *Biccaro* juxta Trojam, circiter 18 P. M. a Benevento.

(103) Præter duo hujus nominis oppida in Ulteriori ac Citeriori Calabria, tertium est in Capitanata, haud longe a Lesina vicinum mari, et multo minus quam duo illa Benevento distant, vix tamen minori intervallo quam 40 M. P.

(104) Tabulæ chorographicæ simpliciter *Torre* nominant, estque jam dicto oppido proximum in ipso littore maris.

(105) Vulgo *Morrone*, trans Apenninum, in Comitatu Molisino.

(106) Nicolaus Samson in Tabula Alphabetica locorum Italiæ *Confidiani castrum* nominat, in regno Neapolitano.

(107) De *Frequentina* supra egimus ad num. 11. lit. c. *Monopolis* urbs quoque Episcopalis est inter Barium et Brundusium ad mare Adriaticum.

Digitized by Google

ambo eodem die cœperunt videre sic ut nunquam melius : illa autem quæ ex Monopoli erat, unum latus totum habens perditum, similiter consecuta est sanitatem per merita B. Leonis Papæ. Ad quod spectaculum tota civitas Beneventus confluxit, horumque trium miraculorum testis exstitit, dum in laudem Dei hymnos et gratiarum actiones altis vocibus personuit.

34. Quædam mulier, de finibus Beneventi, habens unicam filiam, quæ ab infantia manuum et pedum officio carens nullo modo, contractis omnibus nervis, vel ambulare poterat vel opus manibus operari : hæc cum audisset famam miraculorum quæ in præfata ecclesia Christus per suum servum Leonem sanctissimum dignatus est operari, a sua matre super asellum posita, deportata est ibi. Cumque per sex dies perseveraret ibidem jacens, et, plurimis sanitati restitutis, ipsa nihil boni consequeretur, dixit matri suæ : Mater, quoniam nostra peccata merita Sancti superant, celeriter eamus hinc : indignæ enim sumus consequi sanitatem ab illo. Quam mox ejus genitrix asello imposuit, et ad propriam domum ire cœperunt. Vere pius Dominus petentes se nunquam repellit et suos Sanctos omnibus glorificat modis. Nam cum prolongasset ab ecclesia quasi stadiis quinque, matre paululum remorante, cum asellum in quo sedebat ipsa vellet pausare, vehiculum, quod brachium sustentabat cum manu ejus, in terram cecidit : statimque oblita suæ infirmitatis, quasi sanus vir, post baculum in terram se dedit, ut eum aufferret rursum et resideret asellum. Sed dum pedes ejus terram tetigissent, virtutem Christi sensit super se in tantum evenisse, ut veniens ejus genitrix reperiret eam totam sanissimam, juxta asellum expeditis pedibus ac toto corpore stantem, et voce clara cœlestem medicum collaudantem. Quæ mox ad ecclesiam S. Leonis Papæ, ex qua egressæ fuerant, revertentes palam sibi obviantibus Domini annuntiaverunt virtutem, ibique Christi et S. Leoni gratias et laudes egerunt ; admirante populo et collaudante ipsius Christi gratiam et gloriam et virtutem : qui ut voluerit, suos ubique ita glorificat Sanctos, ut et humanum semper laudes consequi mereantur, et cum illo sine fine in cœlo inter Angelos glorientur. Amen.

MIRACULA DUO.

A Desiderio abbate Casinensi, dein Victore papa III, descripta.

35. Post obitum beatissimi Pontificis Leonis multa et magna ad ejus tumulum, aliisque in locis, per eum Domino tribuente claruere miracula. E quibus omissis cæteris, duo tantum ædificationis gratia subnectam, sicut a veridicis viris nobis relata sunt. Victor Papa (108), qui in regimine Sacerdotali ei successerat, audita fama miraculorum ejus, quod per eum Dominus talia operaretur, fidem non accommodabat. Sed quia, ut ait Apostolus, « Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus (*I Cor.* XIII), » omnipotens Dominus experimento eum docere voluit quæ audita a pluribus minime credere volebat.

36. Curiensis quidam Episcopus, cujus nomen e memoria excidit (109), cum supra memorato Pontifice Victore a Germania veniens, ejus in obsequio Romæ morabatur. Hic puerum ab utero matris mutum habebat, quem pro mercede animæ suæ pascens ac vestiens, quocumque ibat, secum ducere consueverat, in cujus vacuo ore nec indicium quidem linguæ inesse videbatur. Qui etiam episcopus, ex mirabilibus ad B. Leonis tumulum, similiter ut Papa, incredulum animum gerebat. Cum igitur quadam die ad sedem sui episcopatus, jam accepta licentia, reverti decrevisset, ecclesiam B. Petri apostoli orationis gratia ingressus, postquam B. Petro se intentius commendavit suis cum clientibus, equis ascensis, puero in eadem ecclesia oblito, festinus viam quæ eum ad suam ducebat patriam, egressus Urbe gradiebatur. Cum itaque longiuscule adhuc esset ab Urbe profectus, repente ei in memoriam rediit quod mutum puerum in ecclesia B. Petri reliquisset. Qui mox substitit, ac famulos suos, a quibus puer reduci deberet, quosdam remisit. Igitur cum illi apostolorum Principis basilicam essent egressi, conspiciunt puerum ante tumulum B. Leonis stantem, atque cum his qui circumstabant loquentem. Illis itaque mirantibus, et qualiter hoc sibi evenisset quærentibus, puer inquit : Postquam dominus meus, hac in ecclesia me relinquens, discessit, huc ad sepulcrum B. Leonis me contuli ; si forte omnipotens Dominus officium, quo carebam, vocis meritis ejus mihi restituere dignaretur. Nec sum meo, quod corde poscebam, voto fraudatus : sed mox ut ante ejus venerandam memoriam lacrymans aliquantulum prostratus jacui, illico recepta voce loquens, ut ipsi videtis, surrexi. Ab illa utique die, quod mirabilius est, cœpit in ore ejus lingua, quæ defuerat, paulatim crescere, ita ut intra paucos dies pleno ore linguam perfecte reciperet ; et verba sine impedimento sonaret. (110) Denique qui missi fuerant, curaverunt puerum ad Episcopum ducere, et quem tacentem reliquerat, B. Leonis suffragantibus

(108) Hic est *Victor II*, creatus cum Sedes fere integro anno vacasset, die 13 Aprilis 1055 ; mortuus 28 Julii anno 1057. At Sede vacante patrata erant miracula supra relata, quando aberat Victor, Eystadii in Germania Episcopus Gebebardus nomine.

(109) *Diethmarus* scilicet apud Rhætos in Alpibus Germanicis anno 1040 creatus Episcopus, mortuus 1070, cum, teste Bruschio, laudabiliter et utilissime triginta annos præfuisset. Consule etiam Guillimannum lib. IV de rebus Helveticorum, cap. 2, et alios.

(110) Idem miraculum narratur a S. Brunone, acceptum ab Episcopo Portuensi.

Digitized by Google

meritis ei loquentem adducunt. Regressus igitur episcopus Romanum Pontificem adiit : et quod omnipotens Dominus per B. Leonem operari dignatus fuisset, ostendit. Ex tunc cœperunt ipsi ejus veneranda merita cunctis prædicare, qui aliis antea referentibus non patiebantur audire.

37. Illustris vir Maximus, Romanæ urbis civis, nuper retulit mihi de eodem venerabili Præsule quæ narro. Bernardus quidam pessimæ mentis miles exstitit, qui Apostolicæ Sedi contrarium se in omnibus, quibus potuit, modis exhibebat. Sed in bello, quod a vicinis circa Urbem manentibus, conjurantibus cum (111) Cadalao Parmensi episcopo, qui tunc Apostolicam Sedem invadere tentabat, cum militibus qui Romanam Ecclesiam defendebant, commissum est, justo Dei judicio confossus interiit. Hic igitur, audita fama miraculorum quæ omnipotens Deus meritis B. Leonis fidelibus populis exhibebat, non solum non credebat, verum etiam ore sacrilego deridebat et blasphemabat. Cum denique quadam die in conventu appareret populi, et sermo inter eos de signis et virtutibus B. Leonis exortus esset, cœpit ridere dicens : Si Sanctus est, ut dicis, contrahat mihi digitum meum. Cumque compescerentur ab iis qui astabant, ne de sancto viro talia loqueretur, dimisso conventu, discessit. Cum ecce forte canis, qui eum sequebatur, suem in platea inventum invasit. Ille vero, ne porcus discerperetur, festine cucurrit, et injecta manu canem tenere voluit : sed mox porcus blandi ore digitum ejus momordit, sicque ab illa die omni tempore quo vixit digitum contractum habens, nullatenus eum extendere potuit. Unde factum est ut qui Dei famulum irridere præsumpserat, ipse contracto digito omnibus derisui haberetur. Hæc de tanto Patre B. Leone dicta sufficiant, quia ad aliorum narranda gesta properamus.

(111) *Cadalous* contra Alexandrum II fuit anno 1061 electus Antipapa, uti diximus 2 Februarii 3 ad Vitam Beati Petri Damiani § 5.

IN S. LEONEM

NOTITIA EX GALLIA CHRIST.

(Tom. XIII, pag. 985.)

Pater Brunonis Hugo consobrinus erat Conradi imperatoris, cognomento Salici; mater ejus Heilewidis, seu Helvidis, nobilitate non impar; pietate haud dissimiles, qui amplissimum patrimonium condendis monasteriis egenisque sublevandis impenderunt, exemplo majorum suorum. Hi ex prædiis suis tria instituerunt cœnobia, scilicet Hissæ in honorem sancti Martini, prope Sareburgum, pro sanctimonialibus; aliud virorum, sub titulo sancti Cyriaci martyris, apud Attorfium; alterum quoque puellarum, sub titulo sanctæ Crucis, puta Woffenheimium in Alsatia prope Engesheimium castrum suum, cujus in gratiam ipse Bruno, ad summi pontificatus apicem elatus, bullam indulsit. Fratri vel sorori Brunonis tribuitur fundatio prioratus sancti Quirini in Alsatia, quem Joannes de Bayone a Ludovico, Brunonis avo materno, vult fuisse conditum. Quam maxime nobili huic familiæ debet Lutiense cœnobium diœcesis Vesontionensis, ut legitur in Vita ipsius Brunonis sub nomine Leonis IX papæ scripta a Viperto, qui sic loquitur : « Pater Brunonis, natione Teutonicus imperatoris Conradi consobrinus; quorum patres et avi, abjecta omni superbia generis, monasticum habitum tota cordis contritione sumpserunt, laudabilique per omnia fine decesserunt... quin etiam Sutrense cœnobium patrimoniis suis ampliarunt. »

Ortus est Bruno in castello Alsatiæ, quod dicitur Engenesheim, toto corpore crucis signis insignito, XI Kalend. Julii an. 1002. Cum quintum attigisset annum, Bertoldo Tullensi episcopo educandus et litteris informandus a pia genitrice Helvide, quæ eum ipsa lactaverat, traditus est. Qua in schola duos habuit collegas propinquos suos, natu majores, Adalberones nuncupatos, quorum alter, Theodorici ducis filius, immaturo fato functus est; alter, Hezelonis ducis germanus, magister nepotuli sui Brunonis exstitit. Cum uterque in humanioribus litteris et philosophia claruissent, jurisprudentiæ studio se se addixerunt. Quadam autem nocte dum Bruno in castro Engesheimensi apud parentes suos, quos inviserat, in cubili soporaretur, venenosa rana conquievit super vultum ejus, venenumque in sanguinem infudit. Malum ita accrevit, ut jam nulla sanitatis spes remaneret. Forte, dum nocte Bruno vigilaret, conspicere credidit S. Benedictum, crucem manu gestantem, qua hic sanctus venenum dissipavit. Monasticen in suburbano S. Apri monasterio ex eo tempore creditur amplexus fuisse. Equidem morti proximus hæc de se dixisse traditur : « Cellam, quam monachus incolui, in spatiosissima palatia jam dudum vidi conversam. » Vipertus in ipsius Vita alludens ad caput 7 regulæ S. Benedicti, hæc ait : « Non immemor sui prioris propositi quo malebat jugiter,

Digitized by Google

omni humilitate, vilitate et extremitate contentus, Christo famulari. » Accedit quod idem Bruno in charta de instauratione monasterii S. Apri, « in quo, inquit, ante episcopatum nostram Societatem collocavi, in episcopatu autem positus, quibus potui ampliavi. » Bertoldo e vivis exempto, Tulli stetit apud Herimannum ejus successorem, idem quod ejus antecessori exhibens obsequium, curamque adhibuit ut vita communis et canonica in claustro S. Stephani instituta vigeret. Exinde missus in aulam a parentibus, Conradi imperatoris promeruit gratiam, quem in Italiam adeuntem ad subjiciendum Mediolanum, quod rebellaverat, comitatus est, secum ducens copias quas Tullensis Ecclesia imperatori in bellicis expeditionibus suppeditare tenebatur. Hanc provinciam ab Herimanno episcopo infirmitatibus gravato rogatus accepit, riteque complevit.

Inter hæc mortuus est Herimannus anno 1026 Kalendis Aprilis, et in ejus locum suffectus est Bruno absens a clero et populo, qui, litteris ad Conradum regem in Italia versantem, et ad Brunonem ipsum, qui in comitatu ejus erat, missis per Notbertum monachum atque Liethardum canonicum, Brunonem sibi episcopum dari vehementer expetierunt, virum apprime nobilem ac strenuum, qui Tullenses a frequentibus vicinorum insultibus protegere valeret. Petitioni eorum primum restitit Conradus, quippe qui eum ad ampliores honores destinabat. At Bruno censu inopem Ecclesiam locupletiori præferens, electioni assensit et regem ipsum ad Tullensium vota inclinavit, effecitque ut non a Romano pontifice, ut rex exoptabat, sed a metropolitano suo consecraretur. Mox itaque ex Italia non sine insidiantium periculo Insubrium in patriam reversus, Tullum accessit, ubi die Dominicæ Ascensionis summo omnium gaudio susceptus, a consobrino suo Theoderico Metensi præsule in sede pontificali collocatur. Jam vero cum a Poppone Trevirensi metropolitano ordinandus esset, ab eoque exigeretur ut nihil absque ejus consilio in episcopatu ageret, acquiescere noluit; ob idque dilata ipsius consecratio est in sequentem annum, quo reversus ex Italia Conradus utrumque Wormatiam accersivit, atque ordinandum ad id solum astrinxit, ut in ecclesiasticis negotiis, majoris scilicet momenti, metropolitani consilio uteretur. Hoc pacto Bruno v Idus Septembris cum summa omnium gratulatione ordinatur. Post consecrationem studium suum mox convertit ad propagandam religionem monasticam quæ in omnibus diœcesis suæ præterquam S. Apri monasteriis valde interfuerat, maxime in sancti Mansueti et in Mediano monasterio, ubi locorum abbates, posthabito animarum sibi commissarum studio, in solo exteriorum dominatu se constitutos putabant. Hos in ipso suæ electionis exordio loco movit, et venerabili Widrico, qui præpositi munus apud S. Aprum gerebat, utrumque monasterium commisit. Illum etiam monasterio S. Apri præfecit abbatem ad preces Willelmi Divionensis abbatis, cœnobii ejusdem reformatoris, cujus sancta fama eis mare per cunctos fines orbis tunc memorabilis erat, atque pro labentis monasterii refectione eidem Widrico triginta librarum subsidium mirabiliter impendit. Privilegium in hujus monasterii gratiam ab imperatore Conrado assecutus est anno 1033. Ecclesias de Solini monte et Wolferel-Curte in plenaria synodo habita m Id. Octobris 1036 indulsit ad præfati Widrici preces monachis S. Benigni Divionensis. Eodem anno tradidit S. Mansueto ecclesiam de Gossani-Curte et altare Bertiliaci, quæ reliquerat Stephanus canonicus, cum ad Cluniacenses monachatum susceptum abiit; sequenti anno Dodoni abbati S. Mansueti præbuit ecclesiam Paterniaci villæ super Mosam fluvium. Præterea in Portu Suavis parthenone, quem Herimannus antecessor inchoaverat, ædificia perfecit, ibique devotam sanctimonialium constituit congregationem, quibus nobilis generis vitæque laudabilis abbatissam præposuit, Berzennam nomine : cujus assidua sollicitudine divini fervor servitii ibidem maxime crevisse traditur. Circa id tempus judicium tulit in gratiam Raingardis viduæ. Eximiæ staturæ tantam comitatem et prudentiam jungebat, ut omnium venerationem et existimationem sibi colligeret. Summopere laudatur ex ingenti in pauperes munificentia, atque etiam ex pietate ac fide, quæ tam viva fuit, ut nunquam sacrificium offerret, quin prius lacrymarum copiam effudisset. Musices arte peritus, laudes plurimorum sanctorum ab Humberto cardinali metrice compositas modulatione exornavit. Propter industriam in tractandis rebus, a Conrado imperatore ad Robertum Franciæ regem missus est legatus, et inter eos firmam solidamque constituit pacem. Odonem Campaniæ comitem, qui ad obsidendam urbem Tullensem accesserat, repulit ac coegit ad solvendum obsidionem, opera ferente Conrado rege, penes quem mansit regnum Austrasiæ, a Rodulpho III, Burgundiæ Transjuranæ [rege?] antea possessum, quod Campaniæ comes invadere nitebatur. Non ita multo post in lethalem morbum Bruno incidisse traditur, ex quo S. Basilii meritis, ad cujus altare deferri voluit, habito ita convaluit, ut qui alieno portatus auxilio fuerat, inde propriis viribus alacris domum redierit. Eodem circiter tempore piam matrem Helvidem sancte defunctam perdidit. Hæc morti proxima, adstante Regelwide Woffenheimi abbatissa, maritum suum enixe rogavit ut ipsam absque ulla pompa sepeliri curaret et quidquid ornamenti ad ipsius sepulturam expendere forte vellet, in usus pauperum erogare non gravaretur. Mos hic Brunoni fuit, ut uno quoque anno apostolorum limina visitaret : forte dum in comitatu quingentum hominum hanc ageret peregrinationem, omnis turba pestilentia correpta est, quam sanctus præsul ex vino, in quod sacras immerserat reliquias, sanavit. Cœnobii cujusdam, quod Golterus de Daguliaco ex consensu conjugis suæ Adilæ in juris sui prædio condidit, ratam habuit

Digitized by Google

fundationem an. 1043. Hoenburgense monasterium in honorem B. Mariæ dedicasse dicitur ad annum 1045.

Jam vero Tullensem episcopatum Bruno viginti duobus abhinc annis obtinebat, cum una voce prælatorum et optimatum in Wormatiensi conventu, ab Henrico III imperatore celebrato, in summum pontificem, mortuo Damaso II, electus est; cui electioni nequaquam acquiescere voluit, nisi clerus et populus Romanus eam probasset. Facta est igitur hæc electio an. 1048, paulo ante festum Natalis Domini, quod ille in sua Tullensi Ecclesia celebravit. Dehinc assumpto peregrini habitu, tertio post festum die Romam in plurimorum prælatorum comitatu contendit. Romæ probata ejus electione Dominica prima Quadragesimæ pridie Idus Februarii 1049, apostolicæ cathedræ appositus est, Leo dictus ejus nominis IX. In pontificatu nomen ac titulum episcopi Tullensis primis duobus annis retinuit. Eodem anno in Galliam iter aggressus, concilium Ticini habuit infra octavam Pentecostes, post quod in Saxoniam convenit imperatorem. Unde ambo Coloniam profecti, illic festum SS. apostolorum Petri et Pauli celebrarunt. Suam vero dilectam Tullensem Ecclesiam invisere Leo non est cunctatus, ubi solemnitatem exaltationis S. Crucis exegit. Tunc ad Hermanni sancti Remigii Remensis abbatis preces, Remos accedens 29 Septembris, in festo S. Michaelis, translationem egit corporis S. Remigii, ecclesiam dedicavit, et concilium inchoavit 3 die Octobris. Romam redux, in synodo habita anno 1050, mense Maio, Gerardum Tullensem episcopum in sanctorum numerum retulit, festumque ejus jussit celebrari VIII Kal. Maii; imo et corpus ipsius Tullum denuo reversus e terra levavit mense Octobri anni ejusdem. In sequenti vero, dum Romæ versaretur, episcopatum Tullensem, quem huc usque retinuerat, Udoni primicerio tradidit, bullamque pro bonorum ac privilegiorum confirmatione indulsit. In Germani a constituendæ pacis gratia inter Henricum imperatorem et Andræam Hungariæ regem regressus an. 1052, Andræam omni compositioni obsistentem ecclesiasticis subjecit censuris. Priusquam e Germania discederet, ab imperatore validum obtinuit exercitum ad debellandos Normannos. Unde cum hisce copiis Alpes trajiciens, per dies Quadragesimæ an. 1053 Romam pervenit. Castris utrinque in Appuliam promotis, VIII Kal. Julii fortiter ab utraque parte pugnatum fuit, sed Normanni fuere victores. Leo ex prælio in castellum se recepit, moxque acriter obsessus est et captus. Normannis tamen reddita, quam ademerat, sacra communione, IX Kalend. Augusti incolumis ab Hunefrido Normannorum duce Beneventum deductus, ibi aliquantum temporis detentus est usque ad paschale tempus anni insequentis, quo Romam adire permissus, feliciter diem clausit XIII Kal. Maii, miraculis ante et post obitum editis clarus. Obiit quinquagenarius, sexto pontificatus anno: sepultus ad altare S. Gregorii in basilica Vaticana. Libros de rebus ab eo gestis duos scripsit Wibertus Tullensis archidiaconus ejus familiaris, quos Bollandiani ediderunt tom. II Aprilis ad diem 19 ejusdem mensis.

NOTITIA ALTERA.

(Apud Mansi, *Conciliorum ampl. Collect.*, tom. XIX, col. 633.)

Leo, qui hujus nominis vulgo IX appellatur, ex comite Dagspurgensi, episcopo Tullensi in Leucis, cui nomen Bruno fuerat, maximo bono totius Ecclesiæ catholicæ creatus est pontifex Idibus Februarii, anno 1019, tempore Henrici imperatoris II. Cardinales per legationem ab imperatore petiverunt suo nomine eligi et præsentari aliquem idoneum qui Benedictum jam tertium sedem apostolicam violenter invadentem ejicere posset. Delegit imperator Brunonem ex nobili Francorum prosapia oriundum, Tullensium episcopum, eumque purpura pontificali indutum a se dimisit, ut coram cœtu cardinalium se eligendum præsentem sisteret. « Cum per Gallias iter ageret, inquit Otto Frisingensis, contigit eum Cluniacum venire, ubi forte tunc præfatus Hildebrandus, prioratus, ut dicitur, obedientiam administrabat. Is vero Leonem adiens, æmulatione Dei plenus, constanter eum de incœpto redarguit, illicitum esse inquiens per manum laicalem summum pontificem ad gubernationem totius Ecclesiæ violenter introire. Verum si suis se credere velit consiliis, utrumque, et quod majestas imperialis in ipso non exacerbetur, quodque libertas Ecclesiæ in electione renovetur, se pollicetur effecturum. Inclinatus ille ad monitum ejus purpuram deponit, peregrinique habitum assumens, et ducens secum Hildebrandum, iter carpit. Igitur ad Urbem usque venientes consilio Hildebrandi a clero et populo Bruno in summum pontificem eligitur. » Ita Leo, sicut illi more apostolico præcedentibus prophetiis et visionibus ante quinquennium divinitus revelatum fuerat, legitime electus est Romanæ Ecclesiæ pontifex optimus, meritis valde insignis, et ob vitam quam ducebat angelicam, angelorum consortio dignissimus. De quo hoc memorabile refert Sigebertus, quod cum ex Galliis Romam tenderet, audiverit voces angelorum cantantium: *Dicit Dominus: Ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis* (*Jer.* XXIX). Unde factum esse

Digitized by Google

credo quod simul ac consecrationem pontificiam Romæ accepisset, nihil ibi moratus, Sipontum in Apulia ad visitandam ecclesiam Sancti Michaelis in rupe Gargana sitam, et ad promerenda apud Deum suffragia sanctorum angelorum, celeberrimam ejus temporis peregrinationem accurrerit. Ex hac peregrinatione reversus, monasterium Cassinense ingressus, peracto ibidem missæ sacrificio, pro honoribus sibi exhibitis gratias egit, et monasterium simul et abbatem multis privilegiis donavit. Tullensis Ecclesiæ tantus amator exstitit, ut titulum priorem Tullensis episcopatus relinquere non voluerit. Patrimonium suum impendit in erectionem monasterii Sanctæ Crucis, illudque amplissimis redditibus locupletavit. Rebus Ecclesiæ in Italia compositis, venit in Germaniam, habitisque ibidem conciliis pluribus, quoad mores eamdem reformavit. Cumque ex Galliis in Italiam se conferret, ex Lotharingia secum duxit Humbertum, virum omni virtute et doctrina excellentissimum, eumque ad prædicandum Siculis verbum Dei archiepiscopum ordinavit, ex quo postea sanctæ Romanæ Ecclesiæ factus est cardinalis. Donatione abbatis monasterii Sancti Remigii in Gallia susceperat ligneum scyphum benedictionis causa oblatum, quem pro amore tanti pontificis valde observabat; qui cum de manu ferentis ministri casu decidisset, et fractus fuisset, valde contristatus eam ob rem pontifex, jussit sibi fragmenta offerri præmissaque oratione, altera pars alteri adjuncta fuit. Presbyterum quemdam, qui per cancellarium sedis apostolicæ, data pecunia corruptum, litteras absolutionis furtim obtinere studuerat, redditis illi cum imprecatione apostolica muneribus dementavit. « Quandiu Romæ remoratus est, inquit Leo Ostiensis, omni tempore tribus per hebdomadam diebus a Lateranensi ecclesia usque ad Sanctum Petrum privato habitu, nudisque pedibus, cum duobus aut tribus clericis noctu psallendo et orando pergebat. » Decimam partem oblationum, quas prædecessores in suum usum convertere consueverant, ipse utilitati basilicæ principis apostolorum cessit. Suenonum Danorum regem, cognomento Magnum, trium regnorum dominum, coegit dimittere uxorem quam duxerat consobrinam. Ad componendas dissensiones inter imperatorem et Andream Hungariæ, Roma evocatus venit in Germaniam; sed delusus a rege Hungariæ nihil effecit. Adversus Nortmannos auxilium imperatoris petiit et impetravit. Cum Wormatiæ una cum imperatore natalem Redemptoris celebraret, postero die, propter inobedientem diaconum auctoritate apostolica suspensum, ipsi cum Luitpoldo Moguntino orta fuit illa controversia, quam abbas Urspergensis refert; et de ea pro suo odio quod schismaticus in Romanos pontifices conceperat, male judicavit. Eodem tempore in Germania existens, abbatiam Fuldensem, et Bambergam sedi apostolicæ antehac donatam, pro Benevento aliisve civitatibus et juribus in Italia ab imperatore acceptis, permutavit. Cum Nortmannis infelici prælio pugnavit: fugato enim toto exercitu, Teutonicorum militum alii cæsi, alii capti fuerunt; imo ipse pontifex in Nortmannorum manus ac potestatem venit, non sine vincentium Nortmannorum dolore et pœnitentia. Unde factum quod eidem, quanquam victus esset, ob reverentiam apostolici culminis, in omnibus tanquam victori morem gererent, ipsumque cum suis omnibus, prout petierat, relaxarent et honorifice in locum quem vellet tutum deducerent. Petrus Damiani, in epistola ad Firmianum episcopum, adversus Leonem bella tractantem et militaribus copiis se miscentem scripsit; eumque hac de re, quasi rem malam et ecclesiastico ordini inconvenientem egerit, reprehendit et suggillat. Sed cum hac de re aliter universa sentiat Ecclesia, ignoscendum est mœrenti eremitæ qui Germanorum et Gallorum loricatos et galeatos episcopos perstringens, stylum nimis laxavit, et, ut in hujusmodi affectibus frequenter accidere solet, metam redarguționis excessit. Petrus patriarcha Antiochenus sapiens quæ sunt catholicæ fidei, simul ac creatus est patriarcha, more majorum, catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ communionem per epistolam una cum fidei professione ad Leonem missam expetivit; et, ut ex reddita Leonis epistola constat, impetravit. Post acceptam et refutatam impiam Michaelis Constantinopolitani patriarchæ epistolam, pro pace inter Latinos et Græcos concilianda, et pro bello adversus Nortmannos conficiendo, legationem misit Constantinopolim ad Constantinum Monomachum imperatorem. Fungebantur legatione Humbertus episcopus Silvæ Candidæ, Fridericus archidiaconus cancellarius, cardinales, et Petrus episcopus Amalphitanus. Rerum ab ipsis Constantinopoli gestarum commemoratio brevis et succincta exstat apud Baronium. Antequam a legatione reverterentur, Beneventi infirmatus in comitatu Gunfridi Nortmanni olim hostis sui, Romam delatus, sancte et pie obdormivit in Domino XIV Kalendas Maii, postquam sedisset annos 5, menses 2 et dies 8. Sepultus in basilica sancti Petri, juxta sepulcrum sancti Gregorii, miraculis celeberrimis claruit. Cessavit episcopatus menses undecim et dies viginti quatuor.

Digitized by Google

DE SCHISMATE GRÆCORUM

PER MICHAELEM CERULARIUM IN ROMANAM ECCLESIAM EXCITATO

Et de eorum objectis in Latinos.

(Mabill. *Acta* SS. *ord. S. Bened.*, Sæculi VI parte II, Præf., pag. III.)

1. Jam anni fere ducenti a schismate Photiano efflu- A xerant, cum necdum bene obducta cicatrice, aliud non minus perniciosum, et hactenus insanabile exortum est. Post mortem quippe Alexii patriarchæ Constantinopolitani, quæ anno millesimo quadragesimo quarto, mense Februario accidit, subrogatus est in ejus locum Michael, cognomento Cerularius, qui a Joanne germano Michaelis imperatoris in exsilium actus fuerat ob tyrannidem affectatam, testante Joanne Curopalata. Hinc neophytus ad patriarchale evectus fastigium, Alexandrino et Antiocheno patriarchis suas prærogativas detrahere conatus, demum in Romanum pontificem, totamque Latinam Ecclesiam se convertit, specie quidem ut cum Romano pontifice et Latina Ecclesia communionem sarciret, sed re ipsa ut causas utrique conviciandi B quæreret ac prætexeret. Tunc Romanæ Ecclesiæ præerat Leo IX, Damaso secundo suffectus anno millesimo quadragesimo nono, quo tempore Græci in Apulia contra imperatorem rebellaverant. Hac occasione Cerularius litteras scripsit ad Leonem papam, *cum multa*, ut ipse (112) aiebat, *humilitate* : « tum ut Leo cum Græcis eadem sentiret, removeretque scandala quæ de Latinis circumferebantur circa orthodoxam fidem, tum ut ipsum sibi benevolum redderet, quo per eum Francorum auxilium contra Græcos rebelles imperatori procuraret. » Eodem tempore Petrus patriarcha novus ecclesiæ Antiochenæ, quæ, uti et Alexandrina, quamdam semper communionem cum Latinis retinuerat, litteras cum fidei C catholicæ professione misit ad Leonem pontificem, qui ejus promotionem laudavit confirmavitque. Non tulit hanc Petri Antiocheni moderationem Cerularius, magnopere improbans quod Romanum pontificem in sacris diptychis commemoraret. Quin etiam, adjunctis sibi Leone Acridano archiepiscopo Bulgarorum, et Niceta Pectorato, variis scriptis Leonem papam et Latinam Ecclesiam exagitavit. Respondit ad Cerularii litteras Petrus (113) Antiochenus ea qua præditus erat moderatione, et objectiones in Latinos ab eo factas partim insuper habuit. « Et alia quidem, inquit, visa sunt detestanda, qualis est particulæ *Filioque* adjectio ad sanctum Symbolum, alia vero sanabilia; quædam denique digna quæ dissimulentur. Ubi autem nec circa Deum nec circa D fidem periculum est, propendendum semper ad pacem et fratrum amorem. Denique multa itidem apud orientales tolerari, quæ post multum laboris ac studii non potuerint exscindi. Quod si eorum, inquit, qui sub nobis degunt, superiores evadere non valemus, quo pacto illam gentem superbam altæque cervicis a suis consuetudinibus revocare poterimus? Cæterum non facile aures præbendas inanibus calumniis, nec suspicionibus temere habendam fidem. » Demum epistolam ita concludit : « Atque hoc divinam tuam beatitudinem admittere exhortor : ne, dum omnia requirimus, omnia amittamus. » Hæc epistola scripta est post mortem Leonis papæ, quæ anno 1054 accidit, cujus successori scribendum monet Petrus, ut objecta vel neget vel excuset.

2. Verum Leo papa, urgenti malo præsens remedium adhibiturus, legatos cum litteris direxerat ad Constantinum Monomachum imperatorem, scil cet Humbertum cardinalem et episcopum, Petrum Amalphitanum archiepiscopum, et Fridericum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellarium; qui, visitato primum Casinensi monasterio, ut suæ legationis successum Deo commendarent, in urbem regiam profecti sunt. Hos benigne et honorifice excepit imperator, contra quam Cerularius, quem legati in errore obfirmatum anathemate percuserunt. Humbertus primum Mediani monasterii in Tullensi diœcesi monachus, indeque Romam profectus cum Brunone electo pontifice, atque ab eo creatus cardinalis et episcopus Silvæ Candidæ seu Sanctæ Rufinæ, præcipuas hoc in negotio partes habuit, isque unus voce ac scriptis, quæ exstant, Cerularii objecta et errores refutavit, et Nicetam Pectoratum ad resipiscentiam adduxit. Petrus Amalphitanus archiepiscopus a Cerulario frustra culpatur, tanquam ob facinora e sede sua pulsus, quem *piæ memoriæ* virum vocat Petrus Damiani (114); unde redarguans putidum impostorem Bennonem, qui eum ob malas, ut ipse nugatur, artes infamare conatur, ut Gregorio VII ejus discipulo labem adspergat. Tertius e Legatis Fridericus, Godefridi Tusciæ ducis frater, Leonis papæ et Henrici imperatoris propinquus erat, postea Casinensis monachus et abbas, dein cardinalis, ac demum summus pontifex ad breve tempus sub nomine Stephani X.

3. Objectionum capita quæ Cerularius Latinis exprobrabat, partim eadem, partim alia erant ab

(112) Cerul. epist. ad Petr. Antioch.
(113) Coteler. tom. II Monum. p. 145 et seqq.
(114) Petr. Dam. init. opusc. XXXIV.

Digitized by Google

iis quæ Photius sæculo nono jam opposuerat. Hæc in summa refert Cerularius in epistola ad Petrum Antiochenum : « Nimirum quod Latini particulam *Filioque* Symbolo adjecissent; quod azymo pane in sacrificio utantur; quod feria quarta carnem, parasceve caseum et ova edant, sabbato jejunent, suffocata et polluta comedant; quod monachi adipe suillo utantur, eorumque infirmi carnibus vescantur; ad hæc, quod sacerdotum nuptias prohibeant Latini; et in Missa tempore communionis unus ministrantium azyma comedat, et reliquos salutet; quod annulos in manibus episcopi gerant ut sponsi; insuper, quod baptismum unica mersione peragant; denique, quod omnes barbam radant. » Quid ad hæc responderit Humbertus, singillatim exponere otiosum fuerit. Illud unum observare licet, quod negat Latinos suffocato et sanguine ad id tempus usos fuisse. Pressius objecta ipsa refellit in multis Petrus Antiochenus in epistola (115) ad Cerularium; excusatque Latinos quod barbam radant, et quod episcopi annulos gerant. « Quod autem polluta manducent ipsi Latini, eorumque monachi edant carnem et adipem porcinum, illa quoque invenies, inquit, modo indagaveris, apud quosdam e nostris fieri, » quod Magni Basilii testimonio probat, et exemplo sancti Pachomii, quem in suo sancto monasterio sues e micis ac mensæ reliquiis pavisse dicit : « Quibus mactatis, carnem quidem hospitibus in cibum præbebat, interanea vero ac extremitates pedum capitisque senibus monachis et infirmis apponebat. Egregium vero scilicet ac suave obsonium, inquit, lentem et fabam, defectu boni olei, cum adipe suillo coctas comedere! » Ex illa nihilominus Cerularii objectione in monachos, quod carnibus infirmi vescerentur ex regulæ sancti Benedicti indulgentia, occasionem forte sumpsit sanctus Bruno Cartusianorum auctor, ut carnium esum suis, etiam infirmis, interdixerit; tametsi in statutis Guigonis non fiat diserta illius abstinentiæ mentio cap. 38, ubi propter solos infirmos emendorum piscium facultas conceditur. At in prima parte compilationis statutorum antiquorum sæculo XIII factæ, *esus carnium, cui Ordo renuntiavit*, nulli infirmorum, ne quidem leprosis, conceditur cap. 44; qualem abstinentiam venerabilis Stephanus, Grandimontensis ordinis auctor, suis etiam discipulis disertis verbis interdicit in regulæ suæ cap. 57. Quod vero nonnulli Græcorum Latinis objiciebant, quasi honorem sacris reliquiis et imaginibus detraherent, id falsum revincit (116) Petrus Antiochenus, tum ex cultu quem Romani reliquiis sanctorum apostolorum Petri et Pauli exhibebant, « tum ex eo quod videmus, inquit, Francos peregrinos in nostra omnino veneranda templa intrare, omnemque honorem ac reverentiam sacris imaginibus impertiri. Itaque rogo, subdit ille ad Cerularium, supplico obtestorque, mente tuos sacros pedes amplectendo, ut de eo quod exactius est remittens divina tua beatitudo, rebus sese accommodet. Metuendum enim est ne, dum vult discissum sarcire, pejorem scissuram faciat; dumque prolapsum erigere contendit, majorem efficiat casum. Utinam hanc moderationem Græci omnes semper in animo habuissent, vel modo saltem haberent! »

4. Interim moritur Leo papa : quo nuntio accepto, legati Romam reditum parant. Hos donis muneratos dimisit imperator, eisque munera haud exigua beato Petro offerenda præbuit. Eorum insuper precibus annuam censum, id est binas auri libras, Casinensi monasterio (118) quotannis persolvendas instituit. Verum eos in reditu Trasimundus Theatinus comes intercepit spoliavitque. Invidiam nihilominus apud Henricum Germaniæ regem passus est Fridericus cancellarius, quasi pecuniis ac donis suffarcinatus rediisset, ob id regi invisus quod frater ipsius Godefridus in eum rebellasset. Hac pulsatus calumnia Fridericus, Richerium Casini abbatem, qui tunc Romæ aderat, convenit, seque in monachum admitti postulavit. Annuit facile Richerius, præmissoque cum suis Casinum Friderico, ipse post paucos dies subsecutus est cum Henrici regis nuntiis ad principes missis; quibus præsentibus, ille abjecta qua tunc utebatur pretiosissima veste, sacræ religionis habitum induit; postea factus abbas, dein cardinalis a Victore II, ac demum post Victoris obitum pontifex sub nomine Stephani X, anno 1058. Ubi primum iniit pontificatum, nihil antiquius habuit quam ut Græcos ad Ecclesiæ communionem revocaret. Quapropter legationem decrevit in Orientem ad urbem Constantinopolitanam, designato ad id muneris Desiderio (7) Casinensi abbate, cui collegas duos adjunxit, Stephanum cardinalem, et Mainardum postea Silvæ Candidæ episcopum, dato eis mandato ut quam citius fieri posset reverterentur. Verum quominus hæc legatio suum consequeretur effectum, pontificis obitus brevi subsecutus intercessit. Tentata subinde Græcorum ad Ecclesiæ communionem reductio, sed hactenus (quod magnopere dolendum) exiguo et fere nullo fructu.

5. Illud obiter observandum quod Leo IX habet in epistola ad Cerularium, ubi Ecclesiæ Constantinopolitanæ exprobrat levitatem in ordinandis eunuchis ejus episcopis, aiens loco unius ex eis ordinatam fuisse feminam ferri : quod sane Leo Cerulario haudquaquam exprobraturus fuisset, si fabula de Joanna papissa vulgata fuisset; quam a Cerulario in Leonem ipsum, adeoque in Romanam Ecclesiam, facile regeri posse præsensisset. Verum hæc fabula jam demum apud eruditos sic male olet, ut de ea plura dicere vetet pudor; tametsi heterodoxi quidam eam propugnare pergant, ut ridiculo commento suos asseclas pascant. Tantum addo, quod a nemine hactenus notatum, in veteri carmine de Romanis pontificibus, quod in Eugenio III desinit, nullam de fabulosa illa Joanna fieri mentionem, uti nec in car-

(115) Coteler. ubi supra, n. 149.
(116) Ibid., p. 158 et seq.
(117) Chron. Casin., lib. II, c. 89.
(118) Ibid., lib. III, c. 8.

Digitized by Google

nime Frodoardi. Sic enim habet, post Valentinum, poeta ille anonymus nondum editus :

Gregorius quartus, et Sergius, et Leo quartus
Pontifices dicti ; post quos legimus Benedictum.
Hinc, Nicolae, tuo tua gaudet Roma decore.

Ex quo intelligitur hanc fabulam medio sæculo duodecimo necdum inventam fuisse, quam Martino Polono plerique tribuunt ; tametsi in nonnullis ejus exemplaribus, quale est unum apud clarissimum abbatem Franciscum de Campis, nihil simile habetur. Fatendum est tamen illam tunc temporis, id est sub finem sæculi tertii decimi vulgatam fuisse, eamque apud Joannem Iperium reperiri.

LEONIS IX PAPÆ OPUSCULA.

DE CONFLICTU VITIORUM ATQUE VIRTUTUM LIBELLUS.

Exstat ad calcem editionis Operum sancti Leonis Magni, Venetiis anno 1553 data.

ADMONITIO PRÆVIA.

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VII, art. S. Leon IX, pag. 470.)

Plusieurs bibliographes (Bell. *Scrip.*, p. 279 ; Lab. *Scrip.*, t. II, p. 18 ; Sig. *Scrip.*, c. 149, not. ; Cave, p. 524.) attribuent à Léon IX quelques homélies ou sermons imprimés, selon eux, à la suite de ceux de saint Léon le Grand, dans les éditions de Louvain 1565, de Cologne 1568, 1598, et d'Anvers 1583. Mais ils ne spécifient rien en particulier, et ne nous en donnent point d'autre connaissance. N'ayant pu déterrer aucune de ces éditions, nous avons été assez heureux pour en trouver une autre de Cologne de 1548. A la fin de celle-ci est imprimé, sous le nom de saint Léon pape, un traité *Du combat des vices et des vertus*. Pierre Canisius, qui en est l'éditeur, atteste qu'il se trouve dans des manuscrits fort anciens, entre les écrits du grand saint Léon ; mais il avoue en même temps qu'il n'est point de ce pape. L'unique preuve qu'il en donne est la diversité de style. A celle-ci, qui est palpable, il pouvait en joindre une autre qui est sans réplique : c'est que l'auteur du traité renvoie sur la fin la personne à qui il l'adresse à la règle de Saint-Benoît, de laquelle il fait un grand éloge, comme contenant toutes les instructions suffisantes pour mener une vie chrétienne.

Trois raisons nous persuadent que ce traité, qui est peut être la même chose que les homélies ou sermons dont parlent les bibliographes cités, appartiennent à notre saint pape : 1° Il porte le nom de Léon dans les anciens manuscrits, et n'est point un écrit de saint Léon le Grand ; 2° l'éloge qu'on y lit de la règle de Saint-Benoît convient parfaitement à Léon IX, qui l'avait professée ; 3° enfin, le style, qui est coupé, aisé, coulant, retient les caractères de celui de notre savant pontife. Il n'y a qu'une difficulté solide qu'on puisse opposer à notre sentiment, c'est que l'auteur, parlant de la ville de Milan, la désigne comme le lieu où il écrivait ; mais on peut l'entendre aussi du lieu où faisait sa demeure la personne à qui l'écrit est adressé. S'il est véritablement de notre saint pape, il put le composer pendant sa prison de Bénévent. L'auteur témoigne qu'il était fort occupé, et qu'il lui avait fallu prendre sur son sommeil pour trouver le temps de l'écrire.

Ce traité est divisé en vingt-cinq chapitres, dans chacun desquels l'auteur introduit un vice et la vertu opposée, qui combattent l'un contre l'autre, commençant par l'orgueil et l'humilité, et finissant par l'amour de ce monde et le désir des biens futurs. Le fond principal en est tiré de l'Ecriture sainte, et l'éditeur en faisait tant de cas, qu'il le qualifie un livre d'or.

Apostolica vox clamat per orbem, charissime, atque in procinctu fidei positis, ne securitate torpeant dicit : « Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur (*I Tim.* III). Et ecce Christianitas in suis principibus jam religiosa, jamque fidelis est. Desunt pie viventibus in

Digitized by Google

Christo Jesu vincula, verbera, flagella, carceres, equulei, cruces, et si qua sunt diversorum genera tormentorum. Quomodo ergo verum erit quod per Apostolum sonuit, ut omnes pie viventes, persecutionem patiuntur ? An forte nemo pacis tempore vult pie vivere in Christo Jesu, et ideo desunt ista ? Quis hoc vel desipiens dixerit ? In hac ergo Apostoli sententia non specialis quorumdam, sed generalis omnium persecutio debet intelligi. Et quidem sunt multi intra sinum matris Ecclesiæ constituti, qui pie viventes in Christo, contumeliis assumuntur, opprobriis, injuriis, derisionibus lacessuntur. Ista nec illa generalis persecutio, quam Apostolus omnes pie viventes pati descripserat, cum sint quidam religiosi, quibus nemo pravorum audeat in faciem derogare.

Alia vero quædam intelligenda est, quæ immanior, et magis noxia est, quam non materialis intorquet severitas, sed vitiorum gignit adversitas. Dum enim contra humilitatem superbia, contra Dei timorem inanis gloria, contra veram religionem simulatio, contra subjectionem pugnat contemptus, contra fraternam congratulationem invidia, contra dilectionem odium, contra libertatem justæ correctionis detractio, contra patientiam ira, contra mansuetudinem protervia, contra satisfactionem tumor, contra spirituale gaudium sæcularis vita, contra virtutis exercitum torpor vel ignavia, contra firmam stabilitatem dissoluta vagatio, contra spei fiduciam desperatio, contra mundi contemptum cupiditas, contra misericordiam obduratio, contra innocentiam fraus et furtum, contra veritatem fallacia et mendacium, contra ciborum parcimoniam ventris ingluvies, contra moderatum mœrorem inepta lætitia, contra discretam taciturnitatem multiloquium, contra carnis integritatem immunditia atque luxuria, contra cordis munditiam spiritualis fornicatio, contra amorem patriæ cœlestis appetitus sæculi præsentis, opponens, semet immergit: quid aliud, quam crudelis pie viventium persecutio adversus conglobatas virtutum acies desævit ? O quam durus, o quam amarus est superbiæ congressus ! quæ angelos de cœlo projecit, homines de paradiso eliminavit; cujus exercitus, atque armorum conflictus vitia sunt, quæ breviter comprehensa tetigimus. Sed videamus quemadmodum castra cœli et inferni dimicent, arma Christi et diaboli consilia decertent.

SUPERBIA DICIT :

Certe multis imo etiam pene omnibus melior est verbo, scientia, divitiis, honoribus, et cunctis quæ vel carnalibus vel spiritualibus suppetunt charismatibus. Cunctos ergo despice, cunctis temetipsum superiorem attende.

HUMILITAS VERA RESPONDET :

CAP. I. « Memento quia pulvis et cinis es (*Gen.* III), » « quia putredo et vermis es (*Job* XXV); » quique si aliquid es, nisi tanto te humilies, quanto magnus es, perpendis omnino quod es. Nunquid altior es quam primus angelus ? Nunquid splendidior in terra quam Lucifer in cœlo ? (*Isa.* XIV.) Quod ille de tanta sublimitate per superbiam cecidit, tu ad tantam celsitudinem superbiens de imis conscendens ? qui illa, quandiu hic vivis, conditione teneris, de qua per quemdam sapientem dicitur : « Corpus quod corrumpitur aggravat animam et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX). » Quam densissimis putamus in terra superbiæ tenebris, lutum involvi, si potuit in cœlo stella, quæ mane oriebatur, lucis suæ globos amittere ? Audi ergo potius lucem veritatis dicentem : « Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* VIII). » In quo autem esset sequenda, alibi præmonuit dicens : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI). » Audi, tumor superbiæ, audi dicentem adhuc humilitatis magistrum : « Omnis qui se exaltat humiliabatur, et qui se humiliat exaltabitur (*Luc* XIV *et* XVIII). » Et illud : « Super quem requiescit Spiritus meus nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos ? » (*Isa.* LXVI.) Audi quid etiam de illo ait Apostolus, qui te ad hæc sectanda invitat; ait enim : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Phil.* II). » Si igitur tanta humilitate se deprimit divina majestas, superbire in aliquo non debet humana infirmitas.

INANIS GLORIA DICIT :

Age bonum quod vales, ostende cunctis bonum quod agis, ut bonus a cunctis dicaris, ut sanctus et venerabilis ab omnibus prædiceris, ut Dei electus noscaris, ut nemo te contemnat, nemo te despiciat, Sed universi debitum tibi honorem persolvant.

TIMOR DOMINI RESPONDET :

CAP. II. Si boni aliquid agis, non pro transitoriis; sed pro æternis honoribus age. Occulta quod agis, quantum vales. Quod si ex toto non vales, sit in animo occultandi voluntas, et non erit de ostentatione ulla temeritas : nec criminis erit aliquando manifestare, quod semper vis celatum habere. Sic denique duas Redemptoris sententias sibi quasi contrarias videberis adimplesse, quibus dicitur : « Faciente te eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua : sed sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi (*Matth.* VI). » Et : « Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Luc.* II). » Cave prorsus, ne in te illa sententia conveniat, qua hypocritis dicitur : « Omnia opera sua faciunt, ut beatificentur ab hominibus (*Matth.* XXIII). » « Amen dico vobis receperunt mercedem suam (*Luc.* X). » Attende tibi in cunctis quæ agis, ne elatione pulsatus, cum his qui de miraculorum signis gloriantur audias : « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* X). »

Digitized by Google

SIMULATIO VERÆ RELIGIONIS DICIT :

Quia nihil boni in abscondito facis, ne a cunctis cognitus detesteris : finge te foris esse quod intus non appetis.

RELIGIO VERA RESPONDET :

CAP. III. Imo magis satage esse quod non es. Nam ostendere hominibus quod non es, quid aliud quam damnatio est ? Memor esto itaque, quod dicitur : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia. Pharisæe cæce, munda prius, quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat et id quod deforis est mundum (*Matth.* XXIII). » Itemque illud, quod inculcando repetitur : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, quia similes estis sepulcris dealbatis quæ a foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia (*Matth.* XXIII). » Sic et vos a foris quidem patetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. Nec non et illud, quod de talibus scriptum legitur : « Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (*Matth.* VII). »

INOBEDIENTIA DICIT :

Quis tu, ut pejoribus obtemperes, deterioribus famulatum exhibeas ? Te magis, quam illos decuerat imperare, qui tibi non possunt ingenio, vel industria coæquari ? Obtemperare igitur magis Domini imperio et non tibi sit cura de aliquo.

SUBJECTIO BEATA RESPONDET :

CAP. IV. Si Domini obtemperandum est imperio, humano subdi necesse est magisterio. Ipse enim dicit : « Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit (*Luc.* XVIII); » Ita, inquis, oportet : sed si talis qui imperat esset, per quem Deus imperat. Sed Apostolus contra : « Non est, inquit, potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo sunt ordinata. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. (*Rom.* XIII). » Quales esse enim debeant hi qui imperant, non est a subditis discutiendum. Et quidem primis Ecclesiæ pastoribus Dominus dicit : « Scitis, quod reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem exercent inter eos, benefici vocantur. Vos autem non sic (*Luc.* XXII). » Sed « qui vult major esse in vobis, erit omnium servus (*Marc.* X). » Sic et « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* XX). » Sed tunc, quod non omnes tales futuros esse prævidit, subjector omnium personas in discipulis assumens præmonuit, dicens : « Super cathedram Mosi sederunt Scribæ et Pharisæi. Quæ vobis dicunt facite : quæ autem faciunt, nolite facere : imponunt enim in humeros hominum onera gravia et importabilia : digito autem suo nolunt ea movere. (*Matth.* XXIII). »

INVIDIA DICIT :

In quo illo, vel illo minor es ? Cur ergo æqualis eis, vel superior non es ? Quanta vales, quæ ipsi non valent ? Non ergo tibi aut superiores esse, aut etiam æquales esse debent.

CONGRATULATIO FRATRUM RESPONDET :

CAP. V. Si cæteros virtutibus antecellis, tutius in loco infimo quam in summo temetipsum conservas. Semper enim de alto pejor fit ruina. Quod si tibi, ut asseris, quidam superiores, aut æquales sunt, quid te lædit, quid te nocet ? Cave prorsus, ne dum locum celsitudinis invides, illum imiteris, de quo scriptum est : « Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui ex parte ejus sunt (*Sapient.* II). »

ODIUM DICIT :

Absit, ut illum diligas, quem in omnibus contrarium habes ; qui tibi derogat, qui tibi insultat, qui te injuriis exasperat, qui tibi peccata tua improperat, qui te dictis, operibus, atque honoribus præire festinat. Nisi enim tibi inviderent, nequaquam se tibi ita præferret.

VERA CHARITAS RESPONDET :

CAP. VI. Nunquid quod hæc, quæ narras, odio habenda sunt in homine, propterea non est amanda Dei imago in homine? Sicut Christus, qui in cruce positus inimicos suos dilexit, ante crucis tormentum admonuit dicens : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est (*Luc* VI). » Sic et per Salomonem et Apostolum dicitur: « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi (*Rom.* XII); » « hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus (*Proverb.* XXV). » Cui sententiæ idem Apostolus ex proprio subjungit, dicens : « Noli vinci a malo, sed vince in bono malum (*Rom.* XII). » Quo contra de his qui fratres odisse noscuntur, per Joannem dicitur : « Qui odit fratrem suum homicida est. Et scitis quod omnis homicida non habet in semetipso vitam æternam manentem (*I Joan.* III). » Et rursum : « Qui odit fratrem suum in tenebris ambulat, et in tenebris est usque adhuc : et nescit quo eat, quia tenebræ cæcaverunt oculos ejus (*I Joan.* II). »

At, inquis, sufficit mihi quod amantes me diligo. Dominus contra ait : « Si enim diligitis eos qui vos diligunt quam mercedem habebitis? Nonne et Publicani hoc faciunt? » (*Matth.* V; *Luc.* VI.) Quid tu quoque ad hoc objicere vales? Certe, « qui odit fratrem suum, manet in morte, et qui diligit, in Deo manet, et Deus in eo (*I Joan.* III, IV). » Omnem ergo amaritudinem fellis evome, et quoquo pacto valueris charitatis dulcedinem sume. Nil enim suavius illa, nil est beatius. « Deus, inquit Joannes, charitas est (*I Joan.* IV). » Et egregius prædicator : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* V). » Unde nec immerito charitas fraterna delictorum facinora tegere dicitur, sicut scriptum est : « Universa delicta operit charitas (*I Petr.* IV). »

DETRACTIO DICIT :

Quis potest sustinere, quis silentio tegere, quanta ille vel ille prava committit, nisi qui forte consentit ?

Digitized by Google

LIBERTAS JUSTÆ CORRECTIONIS RESPONDET :

CAP. VII. Nec tacenda sunt mala proximi, nec consentienda : sed charitate fraterna in faciem proximus redarguendus est, non autem ei occulte detrahendum. Quod si objicitur : idcirco fratrem coram oculis increpare nolo, ne exasperatus correctione, non proficiat, sed magis ex correctione scandalum sumat, occurrit divina Scriptura, et versa vice magis scandalum denuntiat dicens : « Sedens adversus fratrem tuum detrahebas, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum (*Psal.* XLIX). » Magis enim scandalum sumit qui sibi detrahentem intelligit, quam qui corripientem sustinet. Et quia nonnunquam errata delinquentium ad tempus tegenda sunt, ut aptiori tempore corrigantur, propterea subjungitur : « Hæc fecisti et tacui. » Ne autem ex hoc discreto silentio detractores sibi applauderent, qui dum semper occulte derogare malunt, nunquam in apertam increpationem prosiliunt, adhuc subinfertur : « Existimasti inique quod ero tui similis. » Ac si diceretur : Iniquum est cogitare ut inde detractor similis appearem : unde ad tempus reticens, locum aptæ correctionis exspecto. Unde et protinus subditur : « Arguam te, et statuam contra faciem tuam ; » veluti diceretur : Non in occulto, ut tua consuetudo est, sed in aperto, ut mea est consuetudo aptum tempus corripiendi exspectans peccatorem arguam, et ejus delicta contra faciem illius statuam. At, iniquis, non odio, sed amo, quem ita in absconditis dijudicans reprehendo. Et ego : Imo magis hinc odis, et non diligis, unde detrahis et non corripis. Quam sit autem detestanda detractio proximi, plerisque in locis eloquia divina testantur, unde est illud : « Detrahentem adversus proximum suum occulte, hunc persequebar (*Psal.* C). » Et illud : « Qui detrahit fratri eradicabitur (*Jacob.* IV). » Nec non et illud apostoli Pauli : « Videte nedum invicem mordetis, ab invicem consumamini (*Galat.* V). »

IRA DICIT :

Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non possunt : hæc patienter tolerare, peccatum est. Quæ etsi non eis cum magna exasperatione resistitur, contra te deinceps sine mensura cumulantur.

PATIENTIA RESPONDET :

CAP. VIII. Si passio Redemptoris ad mentem reducitur, nihil tam durum, quod non æquo animo toleretur. « Christus enim, ut ait Petrus, passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus (*I Petr.* II). » Ipse enim dixit : « Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus ? » (*Matth.* X.) Et alio in loco : « Si me persecuti sunt, et vos persequentur (*Joan.* XV). »

Sed quanta sunt in comparatione passionum illius, quæ patimur? Ille enim opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spinearn coronam, crucemque sustinuit ; et nos miseri ad nostram confusionem uno sermone fatigamur, uno verbo dejicimur. Et quid agimus de eo, quod dicitur, « Si non compatimur, nec conregnabimus? » (*Tim.* II.) Quapropter retundendi sunt iræ stimuli, et ejus metuenda damnatio. Si quidem « qui irascitur fratri suo reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit consilio; qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis (*Matth.* V). » Ubi autem remedium invenitur, patet ex eo quod subditur : « Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade reconciliari prius fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum (*Matth.* V). » Ac si diceretur : Nec in corde tacitam precem effundas, nisi prius offensum proximum satisfaciendo ad lenitatis mansuetudinem perducas. Munus enim nostrum est oratio nostra ; altare vero nostrum est cor. Ille autem qui hoc facere (quoties inter duos ira fuerit excitata) studuerit, præmissam damnationem nequaquam incurrit. Sed sunt multi qui petenti sibi veniam, delicta non remittunt. Contra quos illa Domini sententia venit, qua dicitur : « Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis remittet vobis peccata vestra (*Matth.* VI). »

Plura sunt, inquis, quæ committit, et me sæpius offendit. Ad hæc non ego, sed Dominus respondet : Nam cum Petrus ad eum diceret : « Quoties peccabit in me frater meus, dimittam illi usque septies? » Ille ad eum : « Non dico tibi, inquit, usque septies, sed usque septuagies septies (*Matth.* XVIII). » Quam multi autem sunt qui suas injurias tarde relaxant, Dei vero citius indulgent : fitque nonnunquam ut occasione Domini injurias vindicandi, suas vindicant irati. Quid quoque de illis dicendum est, qui furore cæcitatis usque ad verba proruunt maledictionis, nisi hoc quod Apostolus ait : « Neque maledici regnum Dei possidebunt? » (*I Cor.* VI.) Quod Jacobus exaggerando detestans ait : « Linguam nullus hominum potest domare : inquietum malum, plenum veneno mortifero. In ipsa benedicimus Dominum et patrem, et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet fratres mei hæc ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam? » (*Jac.* III.) Hac de causa alibi etiam dicitur : « Mors et vita in manibus linguæ (*Prov.* XVIII). »

PROTERVIA DICIT :

Nunquid stultis, nunquid insensatis, ac brutis animalibus lenia verba, et non magis asperrima (ut talibus decet dum delinquunt) objicienda sunt?

MANSUETUDO RESPONDET :

CAP. IX. Non tua in his persuasio, sed Apostoli sequenda est præceptio, qui de hac sententia dilectum discipulum admonet, dicens : « Seniorem non increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut sorores, in omni castitate (*I Tim.* I *et* V). » Et rursum : « Servum, inquit, domino non oportet litigare, sed mansuetum

Digitized by Google

esse ad omnes : doctorem patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt. » Rursumque : « Argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina (*II Tim.* IV). » Quod videlicet malum proterviæ, deterius adhuc subditis quam prælatis nocet. Sæpius enim contigit ut leniter ac cum charitatis dulcedine prolatam correctionem spernant, et contra humilitatis verba, despectionis emittant jacula. Unde scriptum est : « Qui arguit derisorem, ipse sibi facit injuriam. » Quo contra de illo qui per increpationem proficit, dicitur : « Argue sapientem et amabit te (*Prov.* IX). »

TUMOR DICIT :

Testem habes Deum in cœlis, non tibi sit curæ quid de te suspicentur homines in terris.

HUMILIS SATISFACTIO RESPONDET :

CAP. X. Non est danda detrahendi occasio, non susurrandi suspicio, sed si adsunt quæ corrigantur, manifestanda, aut certe si desunt, humili protestatione neganda : quia et Apostolus monet, « nullam occasionem dare diabolo maledicti gratia (*I Cor.* VIII). » Quod etiam in illis detestatus est, qui Christianam fidem censentes, in idolis ad comedendum recumbebant, et quanquam ipsum idolum pro nihilo ducentes, immolata quasi innoxios cibos sumerent; infirmas tamen fratrum conscientias per hoc factum ad nefandos idolorum ritus, trahebant.

TRISTITIA DICIT :

Quid habes unde gaudeas, cum tanta mala de proximis portas? Perpende quo mœrore omnes intuendi sint, qui in tanto contra te amaritudinis felle versantur.

SPIRITALE GAUDIUM RESPONDET :

CAP. XI. Geminam esse tristitiam novi, imo duas esse tristitias novi : unam scilicet quæ salutem, alteram vero quæ perniciem operatur : unam quæ ad pœnitentiam trahit, alteram quæ ad desperationem perducit. Tu quidem unam ex illis cognosceris, sed omnino quæ mortem operaris. Non est igitur in his contristandum quæ suades, sed contra magis gaudendum in iis quæ necdum intelligis, quia et dator gaudii perennis dixit : « Cum persecuti vos fuerint homines, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter nomen meum, gaudete et exsultate in illa die, ecce enim merces vestra est in cœlo (*Matth.* V). » Memento quæ nostræ religionis apostoli, « ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » Nullus ergo mœroris locus esse debet, ubi tanta lætitia succedit.

TORPOR VEL IGNAVIA DICIT :

Si lectioni continuato studio insistis, oculorum caliginem incurris. Si indesinenter lacrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis. Si protelatis vigiliis psalmorum censum persolvis, insaniam capitis acquiris. Si quotidiano labore te conficis, ad opus spiritale quando te surgis?

VIRTUTIS EXERCITIUM RESPONDET :

CAP. XII. Quid tibi ad hæc perferenda tam longa temporum proponis spatia? Nunquid scis si crastina die vivas? Imo etiam si vel unam horam in hac vita facias? An forte mente excidit, quod Salvator in Evangelio dicit : « Vigilate, quia nescitis diem, neque horam (*Matth.* XXV). » Quapropter discute corporis inertiam, semperque memento, quia regnum cœlorum non tepidi, neque molles, non desides, sed violenti, vimque facientes diripiunt (*Matth.* II).

DISSOLUTA VAGATIO DICIT :

Si Deum esse credis ubique, cur unum singulariter locum, quo tanta perpetrantur custodis, et non potius ad alia transis.

STABILITAS FIRMA RESPONDET :

CAP. XIII. Si ita est ut asseris, quæ ubique Deum esse fateris, ergo nec iste locus deserendus est, quem fugere appetis, quia et in ipso Deus est. At inquis : Meliorem inquiro, meliorem invenio. Sed ego respondeo : Nunquid meliorem, aut etiam talem invenis, qualem diabolum, et hominem perdidisse cognoscis? « Memor esto itaque quia primus angelus de cœlo corruit (*Isa.* XIV); » « et primus homo de paradiso expulsus est (*Gen.* III); » et ad ærumnam hujus sæculi pervenit. Attende, quia Lot exercitio malorum probatus inter Sodomitas sanctus fuit ; « in ipsa autem securitate torpens, debriatus, cum filiabus peccavit (*Gen.* XIX). »

Quod videlicet vagationis studium adhuc alteram speciem reddit, dum quosdam et in uno loco perseverantes a spiritalibus retrahens, vel terrenis negotiis implicare, vel rebus utilissimis satagit occupare, contra Apostoli dicta agens, qui ait : « Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit (*II Tim.* II). » Et rursum : « Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite (*I Thess.* V). »

DESPERATIO DICIT :

Quæ et quanta commisisti, quæ gravia crimina, quæ innumerosa delicta, et pene in melius necdum vitam mutasti, necdum conversationem utiliter correxisti? Ecce enim, ut cernis, mala semper consuetudine obligatus teneris. Conaris exsurgere, sed peccatorum oneribus prægravatus, relaberis. Quid ergo agendum est quando de præteritis certa damnatio imminet, de præsentibus nulla emendatio succurrit, nisi ut non amittantur rerum temporalium voluptates, dum consequi nequeunt futuri sæculi oblectationes?

SPEI FIDUCIA RESPONDET :

CAP. XIV. Si de criminibus et delictis agitur, ecce David adulterio simul et homicidio reus, de inferni faucibus Domini misericordia describitur liberatus. Ecce Manasses omnium peccatorum nefandissimus, impurissimus ac sordidissimus, illecebrosissimus quoque, et sceleratissimus per pœnitentiam de morte ad vitam rediit. Ecce Maria Magdalena, innumeris fornicationis sordibus inquinata, ad fontem piatatis anxia currens, Dominique vestigia lacrymis rigans, capillis detergens, deosculansque, et

Digitized by Google

lambens, unguentoque perungens ablui meruit. Ecce Petrus negationis suæ vinculis astrictus, amarissimis lacrymis infidelitatis nodos resolvit. Ecce seditioni et effusioni fratrum sanguinis latro obnoxius, unius horæ momento, unaque confessionis voce, de cruce ad paradisum transiit. Ecce Saulus Ecclesiam persequens, multos pro nomine Christi perimens et, ut ita dixerim, martyrum cruore totum se inficiens, Apostolus factus, in vas electionis est mutatus.

Ubi ergo tot tantaque procedunt exempla, non dent locum desperationi mala colloquia, cum etiam scriptum sit : « In quocunque peccator conversus ingemuerit, salvus erit (*Ezech.* XVIII). » Et rursum : « Nolo mortem impii, dicit Dominus (*Ezech.* XXXIII). »

De conversatione vero in melius nequaquam mutata, quid aliud respondeam, nisi ut, quod heri quisque non egit, agat hodie dum adhuc vivere licet? Nec differat de die in diem, semperque pro viribus desuper acceptis, pravæ consuetudini resistens, dicat mane et vespere : « Ecce nunc cœpi, hæc est immutatio dexteræ Excelsi (*Psal.* LXXVI). »

CUPIDITAS DICIT :

Certe sine culpa est, quod quædam habenda concupiscis, quia non multiplicari appetis, sed agere pertimescis, et quod male alius retinet, ipse melius expendis.

MUNDI CONTEMPTUS RESPONDET :

CAP. XV. Ista nec apud sæculares homines sine periculo vel offensione procurantur, quia quanto quisque amplius habere cœperit, tanto amplius habere concupiscit ; sitque ut modum in concupiscendo non habeat, dum innumeris hujus sæculi curis deservire festinat. Ut enim Scriptura dicit : « Avarus pecuniis non impletur (*Eccle.* V).» Quæ nimirum quam sit detestanda, Paulus indicat, dicens : « Et avaritia, quæ est idolorum servitus (*Ephes.* V).» Quæ quod sit noxia, idem exponens ait : « Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem (*Tim.* VI).» Quæ quam sit detestanda, quidam sapiens denuntiat, cum dicit : « Avaro nihil est scelestius (*Eccle.* X). » Quam sit hæc iterum noxia, Jacobus aperit, dicens : « Agite nunc, divites, plorate, ululantes in miseriis quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt. Vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium erit vobis, et manducavit carnes vestras sicut ignis (*Jac.* V). » Sed nec Redemptor noster præterire voluit cupiditatis malum, quam noxium esset. Ait enim : « Difficile, qui pecunias habent, regnum cœlorum intrabunt (*Luc.* XVIII). » Et rursum : « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum (*Ibidem*). »

Si igitur sæcularibus vivis ita est periculosa cupiditatis industria, quanto magis periculosior est illis qui habitu et conversatione jam sæculares esse desierunt, qui totum quod vivunt, Domino esse devoverunt? Ad quos specialiter Redemptoris transeunt verba, quibus destrui possit morbus avaritiæ : « Nolite, inquit, solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Quærite autem primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis (*Matth.* VI). » O quam beata, o quam secura, quam amplectenda sententia. Nullus enim in hac vita ita securus est, ut ille qui nihil præter Christum appetit possidere. Cuncta namque, quæ sunt necessaria, sub hac sponsione probatur habere, sicut Paulus ditissimus, pauper dicebat : « Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor.* VI). » Omnia utique non superflua, sed tantum necessaria, ipso confirmante ac dicente : « Habentes victum et vestitum, his contenti sumus (*I Tim.* VI). » Sed forte dicis : Ideo a sanctis religiosisque viris plura habenda sunt, ut melius ab ipsis quam a popularibus erogentur Christi pauperibus. Et ego consentio, sed prælatis, non autem subjectis, quos maxime illud mulieris Loth exemplum deterret, quæ, dum post tergum a Sodomis exiens respexit, in statuam salis conversa spiritum efflavit (*Gen.* XIX). Unde et Christus tale quid præcavendum denuntiat, dicens : « Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei (*Luc.* IX). » Hinc Petrus ait : « Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ quam post cognitionem retrorsum converti ab eo, quod traditum est illis sancto mandato (*I Pet.* II). » Continget enim eis illud veri Proverbii : « Canis reversus est ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti (*Prov.* XVI). » Qui nimirum avaritiæ morbus nunquam melius compescitur, nisi cum dies mortis sine oblivione meditatur, cum qualis post modicum in sepulcro futurus sit homo, consideratur. Hoc certe fixum manebat in illius memoria qui dicebat : « Homo putredo, et filius hominis vermis (*Job* XXIII).» Hoc ab illo non recesserat, qui dicebat : « In omnibus operibus tuis memorare novissima tua et in æternum non peccabis (*Eccli.* VII).» Quid tunc, rogo, quid tunc divitiæ conservatæ proderunt? Audi quid : « Nudus egressus sum de ventre matris meæ, nudus revertar illuc (*Job.* I). » Audi quid : « Nihil intulimus in hunc mundum ; sed nec auferre quid possumus (*I Tim.* VI).»

OBDURATIO DICIT :

Si ea, quæ possides, egentibus tribuis, unde subjectos absque pecunia nutris?

MISERICORDIA RESPONDET :

CAP. XVI. Si apostoli modum in hac parte tenueris, utraque perficere valebis. Hinc enim idem ipse ad Corinthios ait (*II Cor.* VIII) : « Si voluntas prompta est, ex hoc quod habet, accepta est, non secundum quod non habet. Non enim ut aliis sit remissio, nobis autem tribulatio ; sed ex æqualitate in præsenti tempore vestra abundantia illorum inc-

Digitized by Google

piam supplcat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ fit supplementum, ut fiat æqualitas sicut scriptum est : « Qui multum habuit, non abundavit, et qui modicum, non minoravit (*Exod.* xvi). » Hinc quidam justus prolem dilectam admonet, dicens : « Si multum tibi fuerit, abundanter tribue ; sin autem exiguum, et hoc ipsum impertire (*Tob.* iv). » Hinc quoque incarnata Veritas dicit : « Verum quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis (*Luc.* xi). » Audi quoque quod scriptum est : « Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam (*Jac.* ii). » Quo contra propheta admonet dicens : « Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris (*Isa.* lviii). » Memento quid purpurato diviti contigerit, qui non ideo damnatus est quod aliena tulerit, sed quod egenti pauperi sua non tribuerit, et in inferno positus, ad petenda minime pervenit, qui hic parva negavit (*Luc.* xvi). Quid etiam ad sinistram positis judex cœli dicturus sit, attende : « Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, » et cætera, quæ ibi (*Matth.* xviii) terribiliter enumerantur.

Furtum et fraus, quanquam gradus habeant locutionis, unum est tamen quod dicunt.

FURTUM DICIT :

Si aliena non tollis, ex proprio vel dives vel sufficiens esse non vales.

FRAUS DICIT :

Si cuncta quæ tibi prælatus servanda commisit, illibata consignas, et ne in modicum quid reservandum existimas, unde vel propriis utilitatibus consulis, vel amicis et commilitonibus places ?

INNOCENTIA AD UTRAQUE RESPONDET :

CAP. XVII. Melius est pauperem et insufficientem esse, nullique ex dato placere, quam aliquem lædere furto vel fraude. Qui enim aliena quolibet modo injuste præripit, ipse sibi regni cœlestis aditum claudit. Unde et prædicator egregius quondam redarguit dicens : « Omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis ? Quare non magis fraudem patimini ? Sed injuriam facitis, et fraudatis (*I Cor.* vi) ; » et hoc fratribus : « An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt ? » (*Ibid.*) Atque inter cætera subjunxit : « Neque fures, neque rapaces, regnum Dei possidebunt (*Ibid.*). »

Fallacia atque mendacium, et ipsa unum dicunt. Fallacia fit ingenio, mendacium vero simplici verbo.

FALLACIA IGITUR DICIT :

Ut ex multis unum proferamus, cum in non dando, aliquem illudere quæris. Quid in petendo moras innectis ? Non habeo quod tribuere possim. Celat utique in corde quæ habet, vel quod sibi conservet, vel quod alii, si voluntas inest, tribuat.

MENDACIUM SUBJUNGIT :

Omnino quod postulas non habeo, scilicet non artificioso ingenio, sicut fallacia, sed simplici negationis verbo oportet decipere quemquam.

VERITAS AD UTRAQUE RESPONDET :

CAP. XVIII. Nunquam Deus falli potest. Sed te potius, quam Deum fallis, quia quolibet modo mentiatur, « os quod mentitur, occidit animam (*Sap.* i) ; » « et oribus mendacibus pars illorum erit in stagno ignis ardentis sulphure (*Apoc.* xxi). »

VENTRIS INGLUVIES DICIT :

Ad esum Deus omnia munda condidit : et qui saturari cibo respuit, quid aliud, quam muneri concesso contradicit.

CIBORUM PARCIMONIA RESPONDET :

CAP. XIX. Unum horum quæ dicis verum est. Ne enim homo fame moreretur, omnia Deus ad esum munda creavit. Sed ne comedendi mensuram excederet, abstinentiam imperavit. Atque inter cætera sua mala, saturitate maxime panis periit Sodoma, Domino attestante, qui de Jerusalem per prophetam loquitur, dicens : « Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ saturitas panis. » Quapropter sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quisque accedere, nequaquam scilicet voluptatem in illis appetens, sed necessitati succurrens. Hinc incarnata Veritas per Evangelium ait : « Attendite, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate (*Luc.* xxi). » Quo contra de insatiabili Judæorum voracitate Apostolus dicit : « Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis ; nunc autem et flens dico inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, et gloria in pudendis eorum qui terrena sapiunt (*Philip.* iii). » Et rursum : « Esca ventri, et venter escis. Deus autem et hunc et hanc destruet (*I Cor.* vi). » Ille autem hoc vitium superat plene, qui in sumendis dapibus non solum parcimoniam tenet, ut scilicet refectionem semper esuriens imperet, verum etiam, accuratiores simul et suaviores epulas, excepta corporis infirmitate et hospitum susceptione, contemnit.

INEPTA LÆTITIA DICIT :

Utquid animi gaudium intus abscondis ? Egredere in publicum lætus : Dic foris aliquid, unde vel tu, vel proximi tui rideant. Fac eos lætos tua lætitia.

MODERATUS MŒROR RESPONDET :

CAP. XX. Unde tibi inest tanta lætitia ? Nunquid jam diabolum vicisti ? Nunquid jam inferni pœnas evasisti ? Nunquid jam de exilio ad patriam venisti ? Nunquid jam de tua electione securitatem accepisti ? An forte in oblivionem venit quod Dominus dicit : « Mundus gaudebit, vos autem contristabimini : sed tristitia vestra vertetur in gaudium ? » (*Joan.* xvi.) An forte a memoria excesssit quod idem alibi dicit : « Væ vobis qui nunc ridetis, quia plorabitis et flebitis ? » (*Luc.* vi.) Quodque per Salomonem dicitur : « Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat (*Prov.* xiv). » Et e contra, per Evangelium dicitur : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* v). » Rursumque per Salomonem dicitur : « Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit ; sed omnia in futurum reservantur incerta

Digitized by Google

(*Eccli.* IX). » Comprime ergo inanem lætitiam, quia nondum evasisti pœnalem ærumnam. Nonne apud homines insanus judicatur qui carceralibus tenebris reclusus gaudere conatur?

MULTILOQUIUM DICIT :

Non ille reus tenebitur, qui plura quidem, sed bona loquitur : sed ille, qui saltem rara, sed mala dicere probatur.

CUI DISCRETA TACITURNITAS RESPONDET :

CAP. XXI. Verum est quod dicis. Sed dum multa bona proferri videntur, sæpe contingit ut a bonis locutio inchoans ad aliquod pravum derivetur, hoc ipsum sancta Scriptura pronuntiante : « Quia in multiloquio peccatum non deerit (*Prov.* X). » Quasi forte inter innumera verba declinentur criminosa; sed nunquid declinari possunt inutilia atque otiosa, de quibus ratio in futurum erit reddenda (*Matth.* XII). Tenendus ergo est modus in loquendo, et ab ipsis nonnunquam utilibus verbis parcendum, sicut beatus Psalmista legitur fecisse. Dicit : « Humiliatus sum, et silui a bonis (*Psal.* XXXVIII). »

IMMUNDITIA DICIT :

Non est grande facinus, sive concubitu maris et feminæ, vel propriis vel alterius inquinari manibus.

INTEGRITAS CARNIS RESPONDET :

CAP. XXII. Non sic ait Apostolus. Quid ergo ait? « Neque immundi (inquit) regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI). »

LUXURIA DICIT :

Cur te in voluptate tua modo non dilatas, cum quid te sequatur, ignoras? Acceptum tempus in desideriis perdere non debes, quia quam cito pertranseat, nescis. Si enim misceri Deus hominem in voluptate coitus nollet, in ipso humani generis exordio masculum et feminam non fecisset (*Gen.* II).

CASTITAS ILLIBATA RESPONDET :

CAP. XXIII. Nolo ignorare te quid post hanc vitam recipias. Si enim caste et pie vixeris, sine fine gaudebis. Si vero impie et luxuriose, æternis incendiis subjacebis. Inde autem magis castius vivere debes, unde quam cito acceptum pertranseat tempus, ignorare te dicis. Quod autem in exordio generis humani ad hoc masculum et feminam Deum creasse profiteris, ut mutuis se amplexibus miscere deberent, omnino verum forte dicis ; sed nubendi licentia quibusdam tribuitur, hoc est, qui virginitatem et castimoniam vidualem nequaquam professi sunt. Quibusdam autem non tribuitur, id est, qui virgines vel continentes esse decreverunt. Fornicatio vero nulli impune conceditur. Non attendis, aut contemnendum putas quod Apostolus lubricis dicit : « Fugite fornicationem, fratres. Quodcunque enim peccatum fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (*I Cor.* VI). » Quod si hoc parvipendendum existimas, audi quod postea in sempiternam deplores et gemas : « Neque adulteri, inquit, neque fornicarii, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt (*Ibid.*). » O quam parva est concubitus hora, qua perditur vita futura ! Quod, rogo, emolumentum affert corpori, quodve tribuit lucrum, quæ tam cito animam ducit ad Tartarum?

SPIRITALIS FORNICATIO DICIT :

Nunquid damnandum aliquid agitis, qui in corde libidini consentit, et ad opus concupiscentiæ libidinis non pertransit?

MUNDITIA CORDIS RESPONDET :

CAP. XXIV. Omnino delinquit, qui castimoniam animæ non custodit. Unde auctor munditiæ in Evangelio dicit : « Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* V). » Quo contra per beatum Job dicitur : « Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine (*Job* XXXI). » Quam enim partem haberet in me Deus desuper, et hæreditatem omnipotens de excelsis? Nisi enim auctori nostro cogitatio pravi consensus displiceret, nequaquam per Isaiam diceretur : « Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. » Et in Evangelio Pharisæis : « Quid cogitatis mala in cordibus vestris? (*Matth.* IX.) » Sed nec apostolus Paulus diceret : « Cogitationum inter se invicem accusantium, aut etiam defendentium, in die qua judicabit Dominus occulta hominum, secundum Evangelium meum (*Rom.* II). »

AMOR PRÆSENTIS SÆCULI DICIT :

Quid pulchrius, quid honestius, quid venustius, quidve potest esse delectabilius, quam quod in præsenti vita quotidie cernimus? O quam mirabilis cœli camera, in aere jucundo, in lumine solis, in augmento lunæ atque defectu, in varietate stellarum et cursu. Quam oblectabilis terra, in nemorum floribus, in fructuum suavitatibus, in pratorum rivulorumque amœnitatibus, in segetum culmis luxuriantibus, in vinearum foliis et botrionibus [botris] plenis palmitibus, in silvarum umbris et palmis virentibus, in equorum et canum cursibus, in cervorum et caprarum saltibus, in accipitrum volatibus, in pavonum, columbarum, turturumque pennis et collis, in domorum pictis muris et laquearibus, in organorum, omniumque musicorum (resonis) tinnulis cantibus, in mulierum venustis aspectibus, earumque superciliis et crinibus, oculis et genis, gutture et labiis, naso, manibus, atque extrinsecus adhibitis auro, et gemmis distinctis monilibus : et si qua sunt alia, quæ modo non recolit sensus.

AMOR PATRIÆ CŒLESTIS RESPONDET :

CAP. XXV. Si te ita delectant quæ sub cœlo sunt, si carcer ita pulcher est, civitas et domus qualis est? Si talia sunt, quæ colunt peregrini, qualia sunt ea quæ possident filii? Si mortales et miseri in hac vita taliter sunt remunerati, immortales et beati, qualiter sunt in illa vita ditati? Quapropter recedat amor præsentis sæculi, in quo nullus ita nascitur, ut non moriatur, et succedat amor futuri sæculi, in quo sic omnes vivificantur, ut deinceps non moriantur; ubi nulla molestia inquietat, nulla

Digitized by Google

adversitas turbat, nulla necessitas angustat, sed perennis lætitia regnat.

Sed quæris quid sit ibi, nisi tanta et talis beatitudo persistat. Aliter dici non potest, nisi quidquid boni est, ibi est, et quidquid mali est, nunquam ibi est. Quod, inquis, bonum est? Quid me interrogas? A propheta et apostolo diffinitum est? « Quod, inquit, oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum (*Isai.* LXIV, et *I Cor.* II). » Ad hanc felicitatem multis sæculi divitiis constipatus David anhelabat, cum dicebat : « Quid mihi restat in cœlo, et a te quid volui super terram (*Psal.* LXXII). » Multis regalium conviviorum dapibus abundans dicebat : « Satiabor, dum manifestabitur gloria tua (*Psal.* XVI); » et rursum : « Sitivit anima mea ad Dominum vivum. Quando veniam et apparebo ante faciem Dei (*Psal.* XLI); » rursumque : « Quia incolatus meus prolongatus est (*Psal.* CXIX). » Hinc et Paulus : « Cupio dissolvi et esse cum Christo (*Philip.* I). » Multo autem melius

His ita decursis, quanquam multa prætermiserim, tamen, ut mihi videtur, hostis nostri fornicantis castra monstravi, quibus pie viventes in Christo Jesu non desinit impugnare : sed nec his contentus ad alia convertitur argumenta, dum quibusdam in somnis sæpius vera prænuntiat, ut eos quandoque ad falsitatem pertrahat, dum dormientes ante horam, vel tempus exsuscitat, ut eos vigiliarum tempore somno pravissimo deprimat, cum psallentes atque orantes sibilis, stridoribus, latratibus diversis, et inconditis vocibus, actis etiam lapidibus vel stercoribus perturbat, ut eos quoquo pacto a spirituali opere retrahens, inanes efficiat.

Tu autem homo Dei, vigilanti studio attende quæ dico, et mihi adhuc magis stupenda narranti fidem præbeto. Cujusdam relatione nuper cognovi quod dico. Vir quidam religiosus atque in monastico habitu constitutus, nostro nunc tempore antiqui hostis est inaudita tentatione pulsatus, ita ut idem malignus spiritus vestimentorum ejus particulas extra illum etiam incompositas immunda colluvione crebrius fœdaret. Quæ in tantum erat horrenda, fetida et noxia, ut pars vestium quam tetigisset, nulli deinceps esset usui apta, quanquam fuisset abluta. De quo cum interrogatus fuissem cur omnipotens Deus talem versuto serpenti potestatem in eum dederit, respondi ut cordis ejus immunditiam foris ostenderet : quod nunquam in exteriori habitu fecisset, nisi interiorem omnino corrupisset aut infidelitate et blasphemia, aut certe inani et vana gloria. Sanies quippe intus in corde foras per vestimenta fluit. Quem quia longe positus ego quidem non vidi, sed tamen (ut arbitror) hæc in illo vere prævidi. Quod si non est ita, nunquid tamen factum putatur sine causa? Est præterea gestum, ut in eo munditiam cordis fœditas illa servaret, ne hanc callidus hostis inanis gloriæ macula fœdaret, sicuti Paulus, ne de magnitudine revelationum tumeret, stimulum carnis accepit (*II Cor.* XII). Sit itaque horum quodlibet, aut certe si non fuerit, nunquid tamen extremum, si positurus sum, verum non erit? Verum est omnino, verum est quod dico, non esse colluvionem illam extrinsecus animæ noxiam, si ipsa servare studuerit intus cordis munditiam.

Interea sicut tu ipse indicare curasti, audio quosdam apud nos dicere, non posse aliquem in patria suæ nativitatis perfectum esse, illud in argumentum assumentes, quod Dominus dixit : « Nemo propheta acceptus est in patria sua (*Luc.* IV). » Quos primum oportet ratione veritatis refelli, et sic demum qualiter intelligenda sit prolata sententia demonstrari.

Audiant igitur patienter qui hæc dicunt, quia, dum sensum sacræ Scripturæ prudenter non considerant, pene omnes sanctos contemnunt; si enim ita est, ut asserunt : ergo quotquot ex Romanis conversi apud Romanos degunt; quotquot ex Græcis apud Græcos; quotquot ex Italis apud Italos; quotquot ex Gallis apud Gallos; quotquot ex Hiberis apud Hiberos; quotquot ex Germanis apud Germanos; quotquot ex Aquitanicis apud Aquitanicos; quotquot ex Britannicis apud Britannicos; quotquot ex Anglis apud Anglicos religiose vivunt, imperfecti erunt. Ecce Paulus et Antonius ex Thebæis apud Thebæos perfecti sunt. Ecce Hylarion ex Palæstinis apud Palæstinos perfectus est. Ecce Macharius ex Ægyptiis apud Ægyptios perfectus est. Ecce Oxirinchus civitas ex propriis civitatibus tota perfecta est. Ecce, ut ad vicinos nostros veniamus, Protasius et Gervasius in propria hac Mediolanensi civitate, propriaque domo manentes, ac per decem annos monachorum vitam exercentes, ita perfecti fuerunt, ut martyres fierent. An forte nostra sola provincia extra hanc regulam erit excepta, ut non de propriis, sed tantum de exteris habeat monachos?

Satagendum magis est ut, ubi quis fuerit, juxta perfectorum regulam vivat, non parentum, non propinquorum, non affinium illecebris a via perfectionis declinet. Sic certe juxta Salvatoris sententiam (*Luc.* XIV), patri matrique, fratribus, sororibus, uxoribus, filiis, domibus, agris, et cunctis quæ possidet, renuntiare valebit. Hoc autem dico, non quo successores, qui de regno ad regnum, de publico ad eremum transeunt, summa laude non ducam; sed quo illos etiam, qui magis affectibus patriam fugiunt, quam gressibus, felices atque perfectos ostendam. Obsecro itaque illos, qui hoc apud nos fieri posse denegant, ut vigilanti studio considerent, cur non dixerit Dominus : Nemo propheta perfectus est in patria sua (*Luc.* IV), sed ibi quid aliud intelligendum est, nisi quia acceptum dixit nequaquam receptum? Quodque de prophetis antiquis et seipso intelligi voluit, qui apud incredulos Judæos non fuerunt accepti, sed magis spreti, Stephano ad eos dicente : Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc homi-

Digitized by Google

cilæ et proditores fuistis? Quis autem non videat quantæ temeritatis, quantæque sit præsumptionis aliquem sibi prophetæ nomen assumere?

Tu igitur cum charitatis affectione tales redargue; et juxta regulam Patrum vivere semper stude, maxime autem sancti confessoris Benedicti. Non declines ab ea quoque, nec illi addas quidpiam, nec minuas. Totum enim quod sufficit, habet, et nusquam minus habet. Cujus verba atque imperia sectatores suos perducunt ad cœli palatia.

Ecce, frater charissime, inter cæteras meas occupationes hunc tibi sermonem nocturnis horis, licet inculta venustate, dictavi atque conscripsi. Quem quia epistolarem modum transire cognovi, libellum potius De conflictu vitiorum atque virtutum nuncupare malui, in quo si ædificationis aliquid repereris, hunc legendum et aliis tradere debes.

SANCTI LEONIS IX

ROMANI PONTIFICIS

ORATIO AD ADELBERTUM COMITEM

De restitutione monasterii Hirsaugiensis.

(Anno 1049).

(Apud Baronium, *Annal.* tom. XI, pag. 184, ad ann. 1049.)

MONITUM.

Arguendus erroris Trithemius cum in Chronico Hirsaugiensi monasterii non hoc anno (1049), sed sequenti ponit sancti Leonis adventum in Germaniam, et celebratum ab eo concilium Moguntinum. Qui etiam quæ tunc de ejusdem monasterii restitutione intercesserunt inter ipsum pontificem et ejus sororis filium Adelbertum comitem, sic describit.

Anno Dominici Nativitatis 1050 [1049] indictione tertia [secunda], sanctus Leo papa nonus ad componendas res et statum Ecclesiarum, pacemque Galliis reddendam, Roma egressus cum cardinalibus multis venit in Germaniam. Erat eo tempore comes Adelbertus de Calwe monasterii Hirsaugiensis advocatus, sed desolationis patronus, qui non solum restituere contempsit per proavos S. Aurelio impie ablata, verum se justo omnia possidere titulo arbitratus, nihil minus quam de reparatione monasterii cogitabat. Contigit igitur anno prænotato, qui fuit desolationis monasterii octavus et quadragesimus, supra millesimum vero Domini, sicut diximus, quinquagesimus, quod idem Leo sanctissimus papa, comiti præfato sanguine junctus, Roma egressus, Italiaque transmissa per fines Sueorum iter suum versus Moguntiam dirigeret. Quod cum Adelbertus comes præfatus rescisset, avunculum videlicet suum sanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ pontificem suas transiturum per terras, obviam illi properans humillimis eum precibus devicit quatenus in hospitium nepotis intrare non despiceret. Papa, tum devotione invitantis, tum sanguinis ratione permotus, petenti assensit, castellum comitis intravit, qui perhumaniter exceptus, doctrinæ salutaris verbum, ut sui moris erat, seminans, mentes hostium suorum ad amorem cœlestis patriæ erigere summopere studebat. Quadam die pontifex recreationis animi causa comitem dextra complexus, de castello non procul ad vicini montis verticem exivit, ad quem inter loquendum :

« Quam aptus, inquit, o fili, locus mihi videretur « montibus circumseptus undique, quem et aqua- « rum copia utilem, et solitudo reddit quietum, in « quo servorum Dei monasterium construi debeat, « qui Creatori nostro laudes continuas persolventes « pro salute multorum devotius exorarent. »

Cui comes : « Est, inquit, beatissime Pater, in « vicino ecclesia ab antecessoribus meis in honorem « cujusdam sancti Aurelii, cujus et corpus in ea « fertur sepultum, olim ad monachorum habitacu- « lum cum reliquis mansionibus necessariis con- « structa, in qua cum dudum monachi per annos non « paucos omnipotenti Deo religiose servivissent, pos- « tremoque a regulari disciplina misere torpentes, « cum nullis admonitionibus majorum acquiescerent, « a progenitoribus meis tanquam scandalum plebis « inde projecti sunt. »

His sacratissimus pontifex auditis ad locum personaliter accessit, libros qui remanserunt volvit, cupiens historiæ cognoscere veritatem. Erat ibi clericus inter cæteros senex nomine Bertholdus, qui olim in loco viderat monachos Deo famulantes. Is pontifici rem omnem sicut gesta fuerat aperuit, et

Digitized by Google

quomodo avus comitis Adelberti cœnobium bonis spoliasset omnibus, expulsisque monachis paucos in locum clericos posuisset.

Quibus cognitis sanctus præsul ingemuit, sed cordis sui dolorem prudenter dissimulans, ubinam corpus divi haberetur Aurelii ab eodem clerico quæsivit. Qui cum diceret se a majoribus suis audivisse sacras S. Aurelii reliquias tempore quo Northmanni vastaverunt Galliam per quemdam abbatem hujus loci sub terram fuisse absconditas, et usque eum in diem incognitas omnibus permansisse, sanctus papa, accitis operariis, terram in diversis ecclesiæ locis fodere cœpit, et thesaurum absconditum diligenter inquirere; sed posteaquam cassso labore diu laborassent artifices, et nihil penitus reperissent, cœperunt omnes qui aderant de inveniendo corpore sancti desperare.

Tunc sancto in orationibus pontifice prostrato, ipsoque cohortante artifices ne desperent, unus ex his, cæteris in arte sua magis peritus, qui nuper ex dominio Venetorum cum filiis adveniens, multa huic loco suis laboribus impendit bona, industriose perquirens singula loca, tandem ex repercussione malleorum deprehendit terram subtus esse cavatam : ad cujus consilium in eodem loco fodere artifices cœperunt : qui tandem non sine magna difficultate humo remota, cameram subterraneam invenerunt pulchre satis formatam, in qua sarcophagus apparuit extrinsecus admodum ornate dispositus. Quem cum sanctissimus papa vidisset, magno repletus gaudio præcepit ut omnes ad orationem genua flecterent, et Deum pro confessoris sui desiderata inventione collaudarent. Oratione completa sanctus Leo propius accedens, jussit aperire sepulcrum : quo recluso, suavissimus odor exhalavit, qui omnes qui aderant mira suavitate sui reficeret. Invenerunt itaque sanctissimi confessoris Christi Aurelii sacratissima ossa sericiis involuta pannis, pulchre in formam corporis debito collocata ordine, et ad caput ejus tabulam ex plumbo ista continentem :

CORPUS S. AURELII EPISCOPI
TEMPORE ARNULPHI REGIS REPOSITUM
HERDERADO ABBATE
OCTAVO KALENDAS SEPTEMBRIS.

Cum sanctus papa hunc titulum coram omnibus legisset, ingemuit, dicens : « Væ illis qui locum tanti præsulis sanctificatum meritis et præsentia desolarunt, et clauso sarcophago, ne reliquiæ sancti quovis modo subtraherentur, cum suis ad castellum comitis est reversus. » Postera die, cum sanctus papa Leo tempus vidisset intentioni sui complendæ opportunum, vocatis comite sæpe dicto Adelberto et Wiltrude uxore ejus, devotissima femina, in præsentia suorum cardinalium, cæteris exclusis, dixit ad nepotem :

« Hesterno vidimus die, chare nepos, sacras confessoris Christi reliquias honore debito spoliatas, « ipsumque locum pro amore cœlestis patriæ omnipotenti Deo et sacræ monasticæ religioni olim « a progenitoribus tuis rite dicatum, multis quoque « annis a Petro Dei famulo inhabitatum, quem tui « majores avus genitorque, pessima et crudeli avaritia ducti, abbatis possessionibus et bonis desolatum fecerunt : et quod omni scelere sceleratius « est, monachis expulsis, officinam sanctarum virtutum, introductis dissolutissimæ vitæ sæcularibus « clericis, in omnium speluncam vitiorum commutarunt. Tu quoque, pravis majorum inhærens « vestigiis, sicuti probato sumus edocti testimonio, « non solum ea quæ illi sacrilegio polluti a servorum Dei cœnobio injustissime abstulerunt, sine « Dei timore possides, sed tuæ salutis penitus immemor, totum quod illi parcendo reliquissent « intactum, rapuisti : Deumque et S. Aurelium, « imo cives supernæ patriæ universos irritando « tibi adversarios fecisti. Neque enim parvum « peccatum æstimandum est quod in Deum et « sanctos ejus committitur, cum apud ipsos etiam « homines injusta rerum alieni juris usurpatio sce« lus gravissimum judicetur. Ecce tu una cum « progenitoribus tuis pactum violasti, primumque « tuorum corrupisti, imo annihilasti sanctum testamentum, et quæ illi omnipotenti Deo simplici ac « sancta devotione pro animarum remedio suarum « obtulerunt, tu Deum et sanctos ejus, impia crudelitate et crudeli avaritia succensus, spoliare non « timuisti, factus inimicus et adversarius non modo « Dei et sanctorum ejus, sed et tibimet ipsi generique tuo hostis declaratus, et crudelis antistes, « ipsam propaginem ex tuo semine generandam « gravissimo scelere innodasti, quæ quandiu sacri« lega hæreditate etiam nesciens polluitur, aut in « paucis generationibus deficiens exterminabitur, « aut in hac vita miserabilis evadet, æternis post mortem suppliciis pro demeritis cruciauda. Tibi autem « quæ spes æternæ felicitatis consequendæ poterit « esse, o fili mi, cum per tam manifestum scelus et « sacrilegium Deum omnipotentem cum omnibus sanctis suis inimicum tibi feceris, hostemque et adversarium? periculosum est tibi penitusque damnabile, crede nobis, Deum habere contrarium, qui, « etsi patienter injurias videatur ferre suas in hoc « tempore, vindex cum sit justusque judex, æternis « hanc patientiam post mortem suppliciis, non dubites, vindicabit.

« Nos vero, quibus cura salutis tuæ tuorumque « est, non modo ratione pastoralis culminis, qua, « licet immeriti, saluti omnium sumus debitores « ex officio, verum etiam ex sanguinis cognatione, « qua nobis sorore natus intime conjunctus, te « tuosque perire non patiemur in æternum, quantum « in nobis est. Unde auctoritate omnipotentis Dei « et beatorum apostolorum ejus Petri et Pauli, « quorum gerimus vices in terris, te monemus et « requirimus, atque sub æternæ damnationis inter« minatione, perque districtum Dei judicium te « contestamur ac sub anathemate districte præ-

Digitized by Google

« cipientes tibi mandamus, quatenus prædictum A « dignationem omnipotentis Dei, sanctorumque
« locum, clericis expulsis, quos auctoritate aposto- « Petri et Pauli apostolorum, et omnium electorum
« lica omni beneficio et residentia in eadem hac « Christi noveris incursum, teque sub anathematis
« hora decernimus privatos, in pristinum statum « vinculo auctoritate apostolica constrictum, divini
« reducere cures, monachosque et abbatem secun- « examinis judicio fore obnoxium, gravissimis ge-
« dum regulam divi Patris Benedicti, quemadmodum « hennæ tormentis cum impiis sine fine pnnien-
« a principio ibi fuisse memorantur, instituas, « dum. »
« eisque omnia et singula per tuos progenitores, Hac pontificis oratione compunctus, ad genua
« teque vel alios quoscunque ablata sine mora ejus comes procidit, seque peccasse graviter cum
« restituas, et si quid amplius ad hæc perficienda lacrymis publice confessus, omnia quæ juberetur
« requiritur necessarium, de tua substantia fide- facturum pro viribus promittit, veniam commis-
« liter et sine ulla contradictione pro æternæ vitæ sorum absolutionemque postulans a pontifice au-
« amore legaliter impendas. Hæc ibi quanto citius divit :
« perficienda una cum conjuge tua nobis dilecta « Si perfeceris ea, quæ præcipientibus nobis te
« consummandaque auctoritate omnipotentis Dei, « facturum promittis, veniam tibi non solum com-
« in remissionem tuorum peccatorum serio injungi- B « missorum cum absolutione impendemus, sed
« mus. Quæ si (quod absit) neglexeris, nostrorum- « etiam præmia felicitatis æternæ multimoda in
« que mandatorum contemptor inventus fueris, in- « cœlo tibi reposita repromittimus. »

NOTITIA BRUNONIS

EPISCOPI TULLENSIS, POSTMODUM LEONIS IX PAPÆ,

De instauratione cœnobii S. Apri.

(Circa annum 1030.)

(Apud Mabill. *De re diplomatica*, lib. VI, pag. 602, ex autographo.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Pa- C pinare. Unde contigit ut plures eorum quærentes
tris, et Filii, et Spiritus sancti, ego Bruno, gratia societatem adipiscerentur, plerique vero etiam mo-
Dei Leuchorum præsul, clero et populo præsenti, nachi efficerentur : sicque crescente fidelium devo-
atque universis hujus ecclesiæ filiis, tam viventibus tione cœpit sæpefatus sublevari locus donantium
quam et successuris. largitate. Nam quisquis in societatem fratrum sese

Scitur a pluribus qualiter tempore domni Bertoldi, offerebat, largiebatur spontaneus transitoria, ut par-
hujus sedis pontificis, per dominum abbatem Wil- ticipatione Deo servientium mereretur permansura.
helmum, locum Sancti Apri omni religione destitu- Quapropter de expensis eorum aggressi sunt facere
tum Deus visitaverat, quem vix evictum precibus memoriale æternum, ut talium eleemosyna in
idem præsul Bertoldus adduxit a Burgundiæ parti- conspectu fidelium præsentium et futurorum con-
bus, eique ibidem regulariter præfecit fratribus. spicua, et in hoc sæculo sit in benedictionis memo-
Sed quia vita monastica, dum nescitur, videtur riale ante Deum in remuneratione perpetua. Itaque
quasi contraria ; cum vice mutata, viderent et au- Sancti Apri antiquum monasterium vetustate laps-
dirent de ordine monachorum inusitata, et inter- abundum, semel et bis olim igne concrematum,
diceretur quibusque curiosis fratrum familiaritas, ab ipsis fundamentis renovandum constituerunt
quæ passim prius cunctis communis et facilis exsti- D erigere in domicilium. Et ut sciatur quibus bene-
terat; his et aliis occasionibus cœpit oriri querimo- factoribus construitur, eorum vocabula pariter et
nia contra locum, et cum diffamatione vituperationis expensas nominatim subter assignaverunt, suique
scandalum, ut quidam sapiens ait : *Omnis subita mutatio rerum non fit sine quodam fluctu animorum*. piam recordationem jugiter devotione recolendam
Unde factum est ut a vicinis murmurantibus et posteris reliquerunt. Exinde supplicamus hujus no-
detrahentibus, blasphemantibus et accusantibus, stræ sedis successores antistites ne, juxta magnitu-
locus adversitatem diu sustineret, quam a quibus- dinem structuræ facultates loci æstimantes, obliti
dam excitabat non tam malitia quam minus peccans paternitatis, duri fiant oppressores. Et ut noverint
ignorantia. Reddita autem pace . . . . . sede quam justa sit hæc nostra deprecatio, legere dig-
residente pontifice, cœperunt qui olim adversati nentur chartam quam Gauzlinus episcopus cum regali
fuerant . . . . . resipiscentes rem inquirere, præcepto fecit et firmavit sæpe dicto loco, in quo
et ab ea quam crediderant i . . . ventam, venerari ante episcopatum nostram societatem collocavi :
et diligere, et boni odoris famam undecunque pro- in episcopatu autem positus, rebus quibus potui
ampliavi, et continua nostri memoria ut per singu-

Digitized by Google

las diei horas habeatur ibi, a fratrum fideli devotione omnibus diebus vitæ meæ obtinui.

Hæc sunt nomina eleemosynatorum cum eleemosynis suis.

Domnus imperator Chaonradus libras XV et auri uncias IV.

Domna imperatrix libras III et duas uncias auri.

Domnus episcopus Mettensis II.

Comes Leitfridus VI et semis.

Comtissa Alberada I et cortinam optimam cubitorum LXXII, et annonæ mod. CCCC.

Ductrix Mathildis lib. unam et semis.

Heinricus Advocatus V.

Filista conjux ejus V.

Hugo de Brisciaco III.

Widricus Grossus V.

Heinricus de Fau V.

Heinricus de Tussiaco V.

Hildeburgis de Barro V.

Oda de domno Martino uncias auri IV et semis.

Mainfredus lib. V.

Emma VI.

Walderada V.

Mainherus de Calmis V.

Lambertus canonicus V.

Ingobertus V.

Domnus abbas Richardus I.

Domnus abbas Norbertus I.

A Domnus abbas Sigifredus I.

Domnus abbas Poppo IV.

Domnus abbas Erlinus unam et semis.

Domnus abbas Herbertus II.

Domnus Azechinus unam et semis et V solid.

Eleemosynæ conversorum. Domnus Herbertus primicerius V. Domnus Herbertus archid. XVIII et cappam purpuream. Domnus Gozelinus V. Domnus Girbertus XII. Domnus Albertus VI. Domnus Theodericus VII. Domnus Goisfridus unam et semis. Domnus Harwardus I et pallam unam. Domnus Teudo vineas ad X carr. vini. Comes Oddo X lib.

Nec minori gratiarum actione suscipiunt quod eis cives et suburbani nostri in carropera fecerunt, cum saxa ingentia et lapides muralis ordinis totis

B viribus, spontaneo nisu et prompta voluntate convexerunt, ruinasque veterum murorum totius monasterii manibus mundaverunt, cervicibus asportaverunt, quando necdum attigerant incensionum, deprædationum et vastationum infelix infortunium. Et quia nominatim eos non capit præsens charta, capiat illos cœlestis regni aula pro ea quam ædificaverunt Deo et sancto Apro in hac mortali vita.

Præterea hic annumerari dignum est illos quorum fuit multo major benevolentia quam potuisset esse largiendi facultas, qui solidos quinque, aut decem, aut quindecim, aut nummos duodecim vel sex, aut plus minusve contulerunt.

SANCTI LEONIS IX

DIPLOMATA

DATA CUM ADHUC EPISCOPUS TULLENSIS AGERET.

I.

Bruno, episcopus Tullensis abbatiæ Sancti Apri possessiones confirmat.

(Anno 1034.)

[Dom Calmet, *Histoire de Lorraine*, Preuves, I, 413.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, omnium quæ subsistunt æternaliter creatricis atque moderatricis, Bruno, sanctæ Tullensis Ecclesiæ, humilis præsul.

Divinæ dispositionis gratia agitur quotiescunque animus uniuscujusque ad bonum velle inspiratur, maxime ille qui plus cæteris in hoc mundo aliquid habere cernitur, cum invigilat ut de rebus terrenæ dominationis Dei clementia sibi propitietur; nobis tamen pastoribus Ecclesiæ pia sollicitudo indicitur ut grex Dominicus in ea constitutus nostra providentia pascatur, et gemina vitæ substantia sub temporali administratione fulciatur. Idcirco universis Ecclesiæ nostræ, cui Deo auctore præsidemus, tam præsentibus fidelibus quam etiam post longe sequentibus, certa ratione manifestum esse volumus

C quod ad locum Sancti Apri devenientes, et victualem monachorum administrationem pie considerantes, nobis in futuri districtione judicii non modice profuturum esse credimus si ea quæ ad alimenta fratrum illic Deo servientium pertinent augeremus; ut per hoc et memoriale nostrum in eo loco certius consisteret, et servorum Dei pro adeptione salutis nostræ oratio perpetualiter non cessaret. Hujus itaque rei gratia ducti, ac paterna sollicitud ne permoti, altaria ecclesiarum quas modernis temporibus ab ingenuis hominibus, seu a quibuslibet vicinis noviter acquisitas possidere videntur, consilio fidelium nostrorum per synodale decretum eis donatione firma concessimus : ea scilicet stabilitate et lege qua cætera altaria totius abbatiæ tenuerant ab antiquo tempore, id est ut, decedentibus vicariis quibus

D tantummodo curam animarum per eorum electionem committimus, ipsi eadem altaria redimere nequaquam compellantur, sed solummodo electione sua ut dictum est, succiduos vicarios exhibeant, qui de manu nostra curam animarum suscipiant. Altaria

Digitized by Google

vero quæ illis concessimus, hæc sunt, videlicet, altare ecclesiæ in villa quæ dicitur Vallis-Curia; altare ecclesiæ in villa quæ dicitur S. Germani Archadis; altare ecclesiæ in Saponaria; altare ecclesiæ in Mollenis-Villa; altare ecclesiæ in Claregio. Habebant etiam dimidiam ecclesiam in Tantonis-Villa, quam vir recordabilis memoriæ Rainardus, ex comite in prædicto monasterio monachus factus, cum omni patrimonio quod ibidem possederat, ad cœlestes thesauros transtulerat, dum maneret in vita; nam altera dimidia pars de præbenda fratrum canonicorum hujus sedis erat. Et quia altare non poterat dividi lege supradicta, tradidimus utrumque donatione communi, quatenus de hac pietate fratres præsentialiter in memoriam reducant, quantum pro bona voluntate omnipotenti Deo pro nobis instanter supplicare debeant. Petimus denique et obsecrantes deprecamur successorum nostrorum paternam benevolentiam, ut hæc nostræ largitatis oblatio firma habeatur et rata, sicuti et ipsi quoque sua decreta constituturi sunt servare perenniter illibata; scientes procul dubio se ita pro bona voluntate remunerandos, sicuti pro temeritate eorum quæ pro animarum remedio constituta sunt, ab auctore mundi gravius puniendos. Ut autem hæc nostræ traditionis concessio in futuris temporibus firmior habeatur ac perpetualiter illæsa conservetur, manu omnium fidelium nostrorum eam corroborari fecimus, et auctoritatis nostræ gratia durare per succedentia tempora decernimus.

Ego Bruno indignus episcopus manu propria subscripsi.

Signum Gibuini primicerii.
Signum Dudonis Virdunensis primicerii
Signum Ulderici archid.
Signum Ebydrici archid.
Signum item Udelrici archid
Signum Lamberti archid.
Signum Benzelini archid.
Signum Geberoni archid.
Signum Lanzelini archid.

Data XVIII Kal. Julii, anno ab incarnatione Domini 1034, indictione II, anno vero domni Conradi regis X, imperii nono, pontif. quoque domni Brunonis VIII, comite Rainardo juniore.

Ego Harduinus sacerdos et mon. jussu domni abbatis Vidrici scripsi.

Acta Tullo in plenaria synodo.

II.

Bruno Tullensis Ecclesiæ episcopus consecrat oratorium Bertiniacæ curtis.

(Anno 1036.)

[Perard, *Recueil de diverses pièces servant à l'histoire de Bourgogne*, pag. 185.]

In nomine Dei omnipotentis, nomine triplicis, numine simplicis, Bruno humilis Leucorum episcopus, Dei dono, id quod est.

Noverit industria fidelium Christi, tam futuri temporis quam præsentis, quod vice quadam dum, ex more pastorali, nostri parochiam pontificii perambularemus, contigit nos apud Bertiniacam cellam hospitari cum fidelibus. Itaque eo loci dominus abbas Divionensis, Halinardus nomine dictus, cujus cella illa intererat, pariterque domnus abbas, Vuidricus noster, de cœnobio sancti Apri, ambo conversatione laudabiles, convenere gratia nostri. Porro locus ille satis eleganter Dei servitio exstiterat constructus et dedicationis benedictione nondum munitus, et, quod nobis gratius, disciplinate a monachis religiosis incolebatur. Igitur præfati abbates petierunt illud nos dedicare oratorium, utpote ecclesiam nostræ diœcesis et regiminis. Quorum annuendo preci explevimus quod nostri erat officii. Ordinatis vero de quibus interpellabamur rebus omnibus, consulti fidelium commorati sumus ut sanctum Christi martyrem Benignum, cujus honori illum sacravimus locum, quavis donatione sustentaremus quatenus per hoc stabiliretur inibi memoriale nostri, et vivi et defuncti. Diu ergo super his meditantibus nec ad manus quod dari posset celebre habentibus suggestum est altaria de duabus ecclesiis, quæ erant sancti illius, sub nostra ditione pendere darique possibile nostro consisteret velle.

Sed quia res perspicuas sæpe contingit quadam dubietatis caligine impediri, verebamur ne illata, subita et indiscussa donatio contraheret in posterum aliquid sinistri et ne fieret quandoque seminarium scandali; sed quoniam legis præsidio et æquitatis lance id facere conabamur, statutis induciis distulimus quod sedem nostram repeteremus. Denique postmodum, una dierum, convocari fecimus nostri cleri concilium, cujus in medium recitatur petitio abbatum prædictorum. Relatum est omnibus qui aderant concilio id nec perfici nec stabiliri posse absque testamentis utrinque cum chirographo notatis. Horum laude, et petitione et arctius cæteris domno abbate Vuidrico insistente, donavimus sancto Benigno duo altaria, videlicet de Solvis monte et Volferci curte, eo rationis tenore quandiu inibi regulariter celebraretur ordo vitæ monasticæ; sin secus, quoniam, proh dolor! potentes sæculi tales non sunt quales ante habiti sunt, si forsan episcopus Singonensis per cupiditatis zelum usibus suis illud rapuerit monasterium, sive, pulsis exinde monachis regularibus, pomposa sæcularitas idem subintroierit cœnobium, hæc altaria, illi Ecclesiæ concessa sine ulla controversia, absque apostrophali garrulitate, in nostram redeant potestatem. Et quia thesaurus rerum omnium memoria est, ne posteri nostri ullo perturbationis errore præpediantur, sed conventio ista sine velamine fieri illis aperta reveletur, hæc testamenta in alterutram partem chirographo notare fecimus, ut comprobatione veri testimonii sit tenentibus et tollere volentibus idoneus defensionis locus.

Signum Brunonis pontificis, manu propria hoc testamentum confirmantis; S. domni abbatis Hali-

Digitized by Google

nardi ; S. Gregorii præfatæ cellæ prioris ; S. Vuidrici abbatis ; S. Hunaldi abbatis ; S. Gibuini primicerii ; S. Vualterii decani ; S. Odelbrici archid. ; S. Lietardi archid. ; S. Gelizonis archid. ; S. Herlwerti archid. ; S. Vuidrici archid. ; S. Lamberti archid. ; S. Stephani archid. ; S. Rodulphi archid. ; S. Beselini archid. ; S. Raynardi ejusdem civitatis comitis ; S. Hugonis fratris domni episcopi ; S. Milonis ; S. Bruchardi ; S. Stephani ; S. Bosonis ; sig. Heinrici advocati ; S. filii ejus Sigifridi.

Igitur quoniam, secundum Apostolum, « nobis est videndum quomodo caute ambulemus, quoniam dies mali sunt, » hunc censum de istis altaribus non perdonamus, sed pro solida vestitura nobis nostrisque successoribus persolvendum reservamus. Cum autem contigerit ea vicariis viduari, potestatem libere obtineant, sine respectu episcopi et archidiaconi, alios imponendi et illis ea vendendi.

Acta sunt hæc Tulli, in plenaria synodo habita VIII Idus Octobris, luna XIII, epacta prima, concurrente IV, bissexto, anno incarnationis Dominicæ 1036, indictione V ; anno regni Chonradi XIII, imperii vero X.

Ego Dizilinus cancellarius, indignus levita domus sancti Stephani, scripsi et publice relegi.

III.

Bruno, Tullensis episcopus, fundationem prioratus de Daguliaco (de Deuilly) *confirmat.*

(Anno 1044.)

[Dom Calmet, *Histoire de Lorraine*, I. *Preuves*, pag. 417.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Bruno episc. Divinæ legis præcepto commonemur bonum facientes non deficere, sed de die in diem sanctorum loca accrescendo, Christi annuente gratia, in eleemosynarum largitate proficere pro viribus. Itaque noverit universitas credentium, quod Galterius de Daguliaco, cum consilio et voluntate conjugis suæ Adilæ, construxerit in antiquo sui juris prædio quoddam cœnobiolum monastico ordini congruum, quod pro sua suorumque prædecessorum ac successorum salute monasterio Sancti Apri in suburbio Leuchorum urbis sito perpetua possessione tradiderit subjectum, et quasdam suæ hæreditatis ecclesias ad subsidium fratrum Deo ibi servientium perpetuo retinendas jure eidem loco delegaverit, et ad confirmandum suæ donationis testimonium, hanc chartam in præsentia nostra cum auctoritate apostolica conscribi inde et roborari fecerit. Inter Francos scilicet Mairetum (*entre Frain et Maré*), mansos duos in dote prædicti cœnobii ecclesiæ, cum terris, pratis et mancipiis Durando et uxore ejus Gisla et filiis ejus. Ecclesiam de domno Valerio (*Domvallier*), cum V solidis et dimidio de fisco, et modiis V avenæ cum capella Sirei-curtis (*Sérécourt*), et mancipiis Thiberto et Durando cum sua matre. Ecclesiam Malisei-curtis (*Morizécourt*, *autrefois Malsécourt*) cum duodecim denariis de fisco, et mancipiis Grimaldo et uxore ejus ac filiis ejus, et Roberto. Medietatem ecclesiæ de Domno-Petro (*Dampierre, présentement la Petite Martigny*) cum manso uno, et terra, et prato. Medietatem ecclesiæ de Aureliani mansionibus (*Oreilmaison*). Ecclesiam Totelenei-curtis (*Telaincourt*) cum duodecim denariis de fisco et uno receptorio, et cum mancipiis Joseleino et Haimone, cum fratribus et sororibus eorum uxoribusque ac filiis, et Humberto cum liberis. Ecclesiam Seivillæ cum receptorio. Et duodecim denariis de fisco. Ecclesiam Madonis villæ, cum quinque solidis de fisco et totidem modiis avenæ, et cum capella Morlenicurtis (*Morlaincourt*), et cum tribus receptoriis in anno, et mancipiis Rainfredo, cum uxore et liberis, terris et pratis. Medietatem ecclesiæ Ciricis-curtis (*Xircourt*) cum receptorio uno et duodecim denariis. Ecclesiam Sancti Hilarii-montis (*Hilairmont*) cum receptorio uno, et duodecim denariis cum omni prædio in silvis, pratis, terris cultis et incultis, servis et ancillis. Tres partes ecclesiæ Faucaudicurtis (*Foucaucourt*) cum duobus receptoriis et totidem solidis, et cum medietate eleemosynarum et oblationum, et cum omni prædio in silvis, vineis, pratis, terris cultis et incultis, servis et ancillis. Tertiam partem Radalli-villæ cum receptorio uno et sex denariis, et cum servo Rainero ejusque manso. Ecclesiam de Monasteriolo (*Le Mouserot*) cum receptorio uno et sex denariis, et cum servo Rodulfo et uxore ac liberis, ac manso. Ecclesiam de Frasnello (*Frenel*) cum servis Josperto et Angelrada, et Bernardo cum medietate liberorum. Medietatem ecclesiæ de Roverio (*Rouvre en Saintois*), et de alia medietate sextam partem cum duobus receptoriis, et quindecim denariis, et cum mancipiis Folberto et uxore ac liberis, et manso. Ecclesiam de Masnillo (*Mainil*) cum servo Balduino et uxore ac liberis, cum duobus receptoriis et duodecim denariis. De ecclesia sancti Hilarii medietatem, cum duabus capellis Mannonis-curtis (*Manoncour*), Girandi-curtis (*Girancour*), et servo Thiebaudo cum uxore et liberis, et banno territorii ipsius ecclesiæ cum tribus receptoriis et quindecim denariis, et cum tertia parte eleemosynarum et oblationum. Campum qui adjacet monasterio, usque ad silvam quæ vocatur Banosus, et ultra silvam alterum campum usque ad rivum, aliumque inibi cum silva apposita, quem dedit Erembertus presbyter pro suæ animæ remedio. Moleadinum versus occidentem, cum duobus pratis adjacentibus. Campum a Romoldo villico datum, juxta nostram corvatam situm. Mansum apud Mannonis-curtem ab Everardo presbytero datum, cum terra et prato ibi adjacente et vineam ab Eremberto presbytero datam. Apud Martiniacum (*Martigny*) pratum ad tres carros, datum pro remedio Alhrici. Alodum de Rosolio (*Ronceux*) cum servis et ancillis, pratis, terris cultis et incultis, silvis, aquis, cum piscatione suæ partis, Albertum cum uxore et liberis. Pratum etiam apud Gimiriacum ad duodecim carros

Digitized by Google

feni. Prædia apud Bonfagit (*Bonfay*), et Danvillam; usum silvæ adjacentis castro suo, concessit monachis hominibusque eis subditis quomodo sui uterentur servi. Usum etiam aliarum silvarum et pascuarum aquarumque in omnibus suis prædiis, servis ejusdem cellæ concessit ibidem manentibus, ut utantur sine omni servitio more suorum servorum. De mercato etiam castro suo adjacente concessit eis decimum denarium, scilicet de teloneo, de justitia vel de omni alio redditu. Unum ex furnis banalem. Widricus etiam abbas cœnobii Sancti Apri plurima ornamenta contulit prædictæ cellæ, et apud Vallerias vineam ad quinque carros vini, quæ dicitur Clausus Lamberti in pago Tullensi. Concessit quoque, ut si servus S. Apri acciperet uxorem ex ancillis hujus cellæ, absque omni refragatione eam teneret, similiterque servum hujus ancillæ Sancti Apri facta stabili communitate in conjugium susciperet. Advocatiam autem prædicti loci Walterius sibi et uxori suæ Adilæ retinuit, et post eos uni suorum hæredum qui major natu fuerit. Constituit autem ne ulli suorum hæredum hanc advocatiam tenenti cuiquam in beneficium eam dare liceat, sed ipse eam in suo dominio possideat, quæ post eos ad filium suum Odelricum deveniat, et post eum quicunque propinquior hæres castrum Daguliacum jure possederit, eamdem advocatiam teneat. Summam autem servitii sibi suisque hæredibus pro memoria advocatiæ dandi omnibus annis statuit, extra quam nihil amplius requiratur, id est, duos solidos monetæ ejusdem pagi in festo sanctæ Mariæ de Candelis; de justitiis autem clamationum quas præpositus ejusdem loci per se potuerit diffinire, nihil advocatum concessit accipere. Sed si monachus non valeret contumaciam alicujus evincere, advocatum sibi in adjutorium advocaverit, tunc trium denariorum summam accipiat, ita tamen ut duas partes monacho habere prius faciat, reliqua omnia dispositioni abbatis Sancti Apri cœnobii ordinanda permittit. Ego vero Bruno Dei gratia præsul indignus, pro bona fidelis viri intentione, ecclesiam inibi constructam Deo et beatæ Mariæ dedicavi, eamque a subjectione ecclesiæ de domno Valerio cum omnibus appendiciis suis removi, et quidquid infra atrium continetur potestati monachorum subjeci, et auctoritate apostolica interdixi ut nullus aliquo temerario ausu, sive episcopus aut quilibet, in loco illo de aliqua violentia infra atrium facta justitiam expetat, nisi monachi per vicarium suum clamaverint, aut aliqui maligni rebellaverint; in qua ecclesia tria altaria constructa, et a nobis benedicta, ipsamque privilegio auctoritatis apostolicæ cum vinculo perpetuæ anathematis hac libertate donavi, ut nemo deinceps ea infringere nec sigillare aut in eis divina officia celebrare nisi permissione aut jussione monachorum præsumat. Et qui extra in castro vel in suburbio commanserint, parochiales ejusdem ecclesiæ et subditos vicario et monachis per omnia esse decrevi. Præterea pro bono affectu quem erga ipsum et Sancti Apri locum habui, ad supplementum eleemosynæ, quatuor altaria cum suis redditibus eidem loco tradidi, scilicet altare Totileni-curtis, altare Medonis-villæ (*Médonville*), altare Faucaudis-curtis, altare de ecclesia Sancti Hilarii, ea conditione ut jam in reliquo decedentibus vicariis non redimantur, secundum morem aliarum ecclesiarum, sed ab eo qui cœnobio præfuerit idonei vicarii eligantur, et ab episcopo cura eis animarum tantummodo injungatur. Ut autem hæ nostræ convenientiæ firmius stabiliantur, decrevimus omni anno duodecim denarios ejusdem pretii ad altare S. Stephani Leuchorum sedis, pro memoria subjectionis, in Purificatione sanctæ Mariæ, a loci ejusdem cellæ præposito persolvi. Si autem aliquis successorum nostrorum per succedentia tempora hanc eleemosynam infirmare aut infringere, vel contra justitiam nostræ devotioni refragare voluerit, pastorali auctoritate et etiam anathemate constringatur atque ad rectitudinem redire cogatur. Et ut hæc nostra traditio firmior vel stabilior habeatur, hanc chartam in præsentia nostra in plenaria synodo recitari fecimus, testibusque subscriptis roborandam tradidimus, laude et consensu omnium clericorum nostrorum, omnesque qui huic nostræ sanctioni rebellaverint perpetuo anathemate a communione sanctæ Ecclesiæ separavimus, nisi resipuerint et Deo digne per pœnitentiam satisfecerint.

(*Quod sequitur stramento et scriptura paulum differre videtur a præcedentibus.*)

Hanc quoque diffinitionem præbendariam auctoritate qua supra omnia disposuimus, inter monachos et capellanum ordinare summa pace cum consilio ipsius domini, qui cellam construxerat procuravimus, et subtus ascribere ad memoriam posterorum fecimus, scilicet quinque modia frumenti cum siligine, vel pisæ, vel fabæ, v modios spelte, quinque annonæ, privatas missas, primam missam ad corpus defuncti, peras, nuptias, purificationes mulierum, sepulturam albatorum, confessiones, festum sanctarum animarum, absque candela in quinque festivitatibus annualibus, singulos denarios, et in ipsis festivitatibus cum fratribus refectionem eleemosynam defuncti quantum vivus donaverit, monachis autem quorum ecclesia est reliqua omnia concessimus; et omnes qui huic ordinationi obviaverint, sub perpetuo anathemate damnavimus.

Signum Gebisonis primicerii et cancellarii.

Sig. Stephani archidiaconi.

Sig. Roberti archidiaconi.

Sign. Widrici archidiaconi.

Sign. Rainardi com.

Sign. Conraudi com.

Anno pontificatus domni Brunonis XIX, urbis comite Rainardo juniore; Segettensis pagi ubi ipsa cella sita est, comite Ricuino juniore.

Ego Lambertus levita ad vicem domni Gebizonis primicerii et cancellarii rogatus scripsi et subscripsi.

Digitized by Google

(*Quod sequitur est atramenti primitivi et manus ejusdem cum initio diplomatis.*)

Ego Bruno Dei gratia Leuchorum præsul-margitus subscripsi et signavi.

Signum Hugonis de Cysa urbe Italorum.
Sign. Herberardi (119) archiepiscopi Trevirorum.
Sign. Adhelberonis Metensis episc.
Sign. Theoderici (120) Virdunensis episcopi.
Sign. Hugonis Chrisopolitani archiepiscopi.
Sign. Widrici abbatis sancti Apri.
Sign. Herberti primicerii.
Sign. Herberti archidiaconi.
Sign. Valtheri comitis.
Sign. Rainardi comitis.
Sign. Odelrici comitis.
Sign. alterius Oderrici comitis.
Sign. Henrici advocati.
Sign. Gomberti.
Sign. Norberti.
Sign. Reimbaldi.

Data sunt hæc anno ab Incarnatione Domini 1043, indictione II, epacta XIV, concurrente VI, regnante Henrico secundo Romanorum Augusto.

(119) Il ne fut fait archevêque qu'en 1047.

(120) Il ne fut aussi evêque qu'en 1047.

SANCTI LEONIS IX

ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLÆ ET DECRETA PONTIFICIA.

I.

Leonis IX papæ bulla qua Berardo I, Farfensi abbati, ejusque monasterio, bona, jura ac privilegia omnia confirmat.

(Anno 1049.)

[Muratori, *Rer. Ital. Script.* II, II, 585.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Berardo, abbati monasterii quod ponitur in Pharfa, tuisque successoribus in perpetuum, perpetuam in Domino salutem.

Cum piæ petitiones nostris auribus inculcantur, decet nos assensum præbere, et talibus desideriis non resultare, quatinus sacra loca temporibus nostris proficiant et augeantur, et in nullo, quod absit! minuantur. Igitur quia petistis a nobis quatinus ex nostra largitate nostroque dono concederemus vestræ religiositati monasterii vestri confirmationem, ejusdemque honorem, quæ habet modo, et habiturum est in perpetuum, videlicet fundum Massam in quo est ecclesia Sancti Valentini. Ex fundo Muciani uncias tres. Fundum Paternum, in quo est ecclesia Sancti Johannis. Fundum Carbonianum. Fundum Septiniani. Fundum Pipiliani. Fundum Agelli. Fundum Mutellæ. Fundum Loriniani. Fundum Urbanæ. Fundum Bucciniani. Fundum Albuciani; et alios fundos cum domibus, vineis, olivetis atque colonis. Confirmamus autem vobis vestrisque successoribus prænominatos fundos, vel uncias, seu ecclesias cum casis, vineis, pratis, silvis, salictis, nec non aquimolis, et universis appendicibus, colonis atque familiis, vel omnibus ad eos generaliter et in integrum pertinentibus, sicuti primitus, et nunc ab ipso vestro monasterio possessa sunt tam in comitatu Sabinensi, nec non et Narniensi, sive in comitatu Reatino, vel Furconiano, Asculano, Firmano, Aprutiensi, et Pinnensi, Romano etiam, et Tuscano, omnesque adjacentias ejusdem monasterii atque pertinentias, cum omni integritate concedimus detinenda, tam ea quæ modo juste possidetis, quam ea quæ in futurum, largiente Domino, potueritis acquirere tu et successores tui, sicuti per privilegia sanctæ recordationis domni Adriani quondam papæ, et Pauli, eidem venerabili monasterio confirmata sunt, permanenda. De teloneis quoque mercatorum, et pontium, et decimas ad monachorum stipendia et pauperum dari a præsenti secunda indictione tuæ religiositati tuisque successoribus abbatibus vestri monasterii in perpetuum concedimus, ex eisdem omnibus percipiendas; nec non et oblationes mortuorum. Statuentes apostolica censura ex auctoritate beati Petri apostolorum principis sub divinis obtestationibus et anathematis interdictionibus, ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum, vel aliæ cuilibet magnæ parvæque personæ, ipsa prænominata loca vel quæ in posterum, auxiliante Deo, vestro monasterio fuerint acquisita, sicuti supra sunt instituta, a potestate et ditione vestra vestrorumque successorum, ac vestri monasterii auferre vel alienare quoquo modo liceat. Si quæ autem temerario ausu magna parvaque persona contra hoc nostrum privilegium agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatam, et a regno Dei alienam, et cum omnibus impiis æterno incendio ac supplicio condemnatam. At vero qui pio intuitu curator et observator hujus nostri privilegii exstiterit, gratiam atque misericordiam vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manus Petri scriniarii sacri palatii, in mense et indictione secunda.

Digitized by Google

Datum IV Kal. Martii per manus Petri diaconi bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno pontificatus domni Leonis noni papæ primo, indictione II.

II.

Leonis IX papæ bulla, per quam monasterium Perusinum Sanctæ Mariæ Vallis-Pontis eripit Perusinis episcopis.

(Anno 1049.)

[Muratori, *Antiq. Ital.*, VI, 333.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Joanni, abbati monasterii Sanctæ Mariæ Vallis Pontis, tuisque successoribus abbatibus, perpetuam in Domino salutem.

Quia ad hoc, annuente Domino, non nostris meritis, pervenimus, ut omnium Ecclesiarum cura ad nos respiciat, quam maxime circa illas Ecclesias sollicitare debemus quæ propriæ sub manibus nostris consistunt. Inde est quod ad petitionem tuam, dilectissime fili Joannes abbas, aures nostras infleximus, eamque implere decrevimus, ut scilicet confirmaremus et corroboraremus vestro monasterio, et vobis ac successoribus vestris abbatibus, mobilia et immobilia bona quæcunque, quocunque modo ad usum ad vos et monasterium vestrum et nunc pertinent et in perpetuum pertinebunt; et ut de decimis et primitiis similiter faceremus, et de clericis a quocunque contigerit ordinandis; ut fotrum nemini conditionaliter præbeatis præter papæ, ad quem proprie pertinetis, sicut in præcepto piæ memoriæ decessoris nostri domni Clementis papæ continetur. Quapropter per hujus nostri præcepti seriem confirmamus atque corroboramus vestro monasterio, ut diximus, ac vobis ac successoribus vestris abbatibus quæcunque modo ipsum vestrum monasterium possidet, et in perpetuum possidebit, sive sint mobilia, sive immobilia, quocunque modo evenissent et evenient. Decimas etiam et primitias de ipsis bonis ut more solito accipiatis, constituimus, et ut liceat vobis vestrisque successoribus, cuicunque vultis episcopo cleriros vestros ordinandos offerre. Quin etiam prohibemus ne quis a vobis exigat fotrum, præter papa solum. Ab omni etiam alienatione liberos vos et securos reddere volumus; unde apostolica auctoritate cassamus et evacuamus illa præcepta quæ a Benedicto et Gregorio injustis pontificibus Andreæ episcopo Perusino collata sunt de eodem vestro monasterio. Pro qua corroboratione, constitutione et evacuatione statuimus apostolica censura, sub divini judicii exterminium, ne quis unquam nostrorum successorum pontificum, aut quælibet alia magna parvaque persona, et specialiter episcopus Perusinus, contra hoc nostrum præceptum agere præsumat. Quod si quis forte tentaverit, anathematis vinculo a Domino Deo innodetur, nec nisi digna satisfactione solvatur. Qui vero custos et inviolator hujus nostri præcepti exstiterit, a Domino Deo benedicatur, eo quod inconvulsum permanere laudavit. Bene valete.

Datum VII Kalendas Aprilis, per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domni Leonis IX papæ primo, indictione secunda.

III.

S. Leonis IX privilegium pro Ecclesia Trevirensi (121).

(Anno 1049.)

[Hontheim, *Hist. Trevir. diplom.* I, 386.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo Eberhardo, Trevirensium archiepiscopo, vestrisque successoribus, salutem in Domino.

Æternum divinæ dispensationis consilium, quo decrevit per tempora distribuere omnia, nulla rerum mutabilitate mutatur, nullaque temporum diversitate variatur. Unde factum est ut hujus æternæ dispositionis immutabilis ordo nostram de Tullensi episcopatus humilitate mediocritatem ad apostolicam promoveret sublimitatem; gratuito quidem dono, non aliquo exigente nostro merito. Quocirca vestra fraternitas, dulcissime frater, nos, nostra charitate vita, comitata est, et Romæ nobiscum aliquantulum remorata. Interea loci cum unicuique suum jus suumque rectum, quod vel ablatum penitus, vel aliquantulum immutatum esset, omnimodis restituere cuperemus, dilectionis vestræ privilegia nobis attulistis, quæ (122) primatum Galliæ Belgicæ subscripto modo vestris antecessoribus datum a nostra apostolica sede asserebant, pro eo quod in exordio religionis vestra Trevirensis Ecclesia prima illis in partibus fidei rudimenta percepisset, per egregios dogmatistas Eucharium, Valerium, Maternum, quos beatissimus Petrus apostolorum princeps instruxit,

(121) Eo majorem præsens Trevirensis primatus confirmatio meretur attentionem, quod, non obstante aliorum oppositione, quasi in contradictorio sancita fuerit, neque a solo Romano pontifice, sed a synodo, cui nec soli Itali interfuere. Hildebrandus certe, in Ecclesia Coloniensi enutritus, nolebat magistram suam Trevirensis sedis elatione deprimi, quæ itaque quantaque egerit, ut hoc confirmationem synodalem impediret, sub nomine Gregorii VII postea creatus Romanus pontifex his verbis ad Annonem archiep. Coloniensem anno 1074, perscribit epist. 79, lib. I Regesti: « Ob recordationem disciplinæ, qua tempore antecessoris nostri in Ecclesia Coloniensi enutriti sumus, specialem ei præter cæteras Occidentales Ecclesias dilectionem impendimus; et sicut adhuc Romanæ Ecclesiæ filii testantur, tempore beati Leonis papæ, Trevirensi episcopo pro honore Ecclesiæ vestræ, quod idem beatus Leo ægre tulit, viribus totis restitimus. » Si autem hac sua oppositione nihil nocuit confirmato per Leonem primatui Hildebrandus, in hoc ei prodest rei gestæ fidelis narratio, in Gregorii VII epistolis servata, ut vel inde etiam appareat, Trevirensis primatiæ jura supra Coloniensem archidiœcesin sese protendisse, tanquam Galliæ Belgicæ partem.

(122) *Primatum Galliæ Belgicæ*. Sed, ut quid hic, et in sententia depositionis Thiedgaudi de anno 863 *Belgicæ* tantum *primas* audit Trevirensis præsul, qui ante Germaniæ Galliæque dicebatur? Tribuunt hoc Zech *de Primat. German.* cap. 2, § 17, et alii, declinanti splendori et auctoritati civili Trevirorum Augustæ.

Digitized by Google

et instructos ordinavit, et illuc ad prædicandum direxit. In quibus privilegiis etiam antiquiora privilegia incendio memorantur consumpta ; quæ prænominatis sanctis eorumque successoribus, id est Agritio, Maximino, Paulino, Severo almificis utique viris, a primordio authentice concessa erant de eodem. Quæ etiam privilegia Theodorico Trevirensi archiepiscopo Joannes XIII papa, Benedictus VI, nec non alius Benedictus VII Egberto similiter Trevirensi archiepiscopo temporibus Ottonis primi et secundi pia dispositione contulerant. Nos autem ea intuentes et diligenter perpendentes, dignum duximus cum consilio et consensu totius cleri et populi Romani, idipsum de primatu, sicut constitutum erat, confirmare, atque nostris apostolicis apicibus corroborare. Quod ubi in ecclesia S. Petri in Dominica Passionis cuncto clero cunctoque populo nos ipsi sursum in ambone consistentes præsentia vestra [nostra] revelavimus, et eadem privilegia legi fecimus pro amore discipulorum S. Petri, quos prætulimus, Eucharii, Valerii et Materni, ab omnibus acclamatum est, jure primatum ipsum vobis vestrisque successoribus deberi, qui in cathedra sedetis discipulorum sancti Petri. Quapropter omnibus ipsis laudantibus et respicientibus pro investitura ipsius primatus, Romana mitra caput vestrum insignivimus, qua et vos et successores vestri in ecclesiasticis officiis Romano more semper utamini, semperque vos esse Romanæ sedis discipulos reminiscamini. Quod tamen in synodo nostra, quam circa XVII post ipsum paschalem diem Deo præsidente celebravimus, episcopis et archiepiscopis nec non et aliis ordinibus consentientibus melius et firmius stabilivimus; ea tamen ratione ut singulis annis vos vestrique successores semel legatos vestros ad nos nostrosque successores mittatis, per quos vobis de nostris utilitatibus illis in partibus agendis remittamus, et semper vos ipsi tertio anno Romam visitationis gratia, ut dulcissimi fratres ad primogenitum fratrem veniatis, nisi forte inevitabilis necessitas ingruerit. Quapropter desideriis vestris annuentes, secundum præfatorum privilegiorum tenorem per hoc nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium decernimus et confirmamus ipsum vobis vestrisque successoribus primatum hoc modo, ut habeatis primum locum post legatum apostolicum in Galliam Germaniamque destinatum, etc. Et si missus Romanæ Ecclesiæ defuerit, post imperatorem vel regem sedendi, quæque alia in privilegiis Theodorico concessis enarrata suis locis.

Ego Halmardus Lugdunensis Ecclesiæ indignus archiepiscopus in prædicta synodo residens, salva priscarum constitutionum firmitate et (123) Lugdunensis Ecclesiæ auctoritate hoc decretum laudavi, manuque propria roborans subscripsi.

Ego Joannes Portuensis episcopus in prædicta synodo residens, confirmavi et subscripsi.

Ego Cadalous episcopus subscripsi.

Ego Benedictus Tusculanæ [Tusculanæ] Ecclesiæ episcopus subscr.

Ego Gerhardus Florentinus episcopus subscr.

Ego Crescentius S. Sylvæ Candidæ, gratia non meritis episcopus, subnotavi.

Ego Hugo Asiliensis [Assisiensis] episcopus subscr.

Ego Wido Astensis episcopus subscr.

Ego Wido Vulturnensis episcopus subscr.

Ego Cunibertus Taurinensium episcopus subscr.

Ego Henricus Spoletus episcopus subscr.

Data Idibus Aprilis per manus Petri diaconi et bibliothecarii, et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domini Leonis IX papæ I, indict. II.

IV.

Leo papa ad Cawallonem Rettonensem abbatem.

(Anno 1049.)

[Morice, *Mémoires pour servir à l'histoire de Bretagne*, I, 396.]

LEO episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo CATWALLONI abbati monasterii Sancti Salvatoris, constructi in loco qui dicitur Rothonensis, videlicet in Britannia constituti, suisque successoribus ibidem regulariter promovendis in perpetuum.

Suscepti nos officii cura compellit omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerere et libramine æquitatis omnibus in necessitate positis, quantum Deo donante possumus, subvenire ; præcipue tamen illis venerabilibus locis, quæ juris sanctæ Romanæ Ecclesiæ esse dignoscuntur et singulis annis sibi censum persolvunt; pro debito honore summæ et apostolicæ sedis, cujus membra sunt, attentius subvenire et consulere debemus. Proinde, juxta petitionem tuam, præfato monasterio, cui tu præesse dignosceris et quod juris sanctæ Romanæ Ecclesiæ esse dignoscitur, unde per singulos annos, census trium denariorum aureorum sibi redditur, hujusmodi privilegia præsenti nostræ auctoritatis decreto indulgemus, concedimus atque firmamus, statuentes nullum regum aut imperatorum, nullum quacunque dignitate præditum, de his quæ eidem venerabili loco, quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt, sicuti constat de Bella Insula, quam Gaufridus, dux Britannorum, de proprio jure præfato monasterio contulit, quam Alanus postea filius ejus concessit et in perpetuum, ut tu asseris, et qui tecum sunt testificantur, firmiter confirmavit. Quod nos etiam auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostra confirmamus

(123) *Salva Lugdunensis Ecclesiæ auctoritate.* Hac Lugdunensis reservatione non obscure firmantur quæ supra de Trevirensi primatu *per Gallias* ejusque juribus statuimus. Ab illo specialibus Ecclesiæ suæ privilegiis metuebat Halmardus, non primatui; quem demum anno 1079 in Gebuini Lugdunensis archiep. gratiam concessit Gregorius PP. VII, scilicet super quatuor provincias, Lugdunensem, Rothomagensem, Turonensem et Senonensem.

Digitized by Google

et in perpetuum ipsam insulam, tibi et successoribus tuis sine inquietudine habere concedimus (*deest aliquid*), vel in futurum, Deo miserante, collata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve specie minuere vel auferre audeat. Sed cuncta, quæ ibi oblata sunt vel offerri contigerit, tam a te quam a tuis successoribus, prout tempore sine inquietudine volumus possideri, eorum quidem usibus, pro quorum sustentatione concessa sunt, modis omnibus profutura. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum ac sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat reumque se divino judicio existere de perpetrata cognoscat iniquitate. Et nisi resipuerit et ad emendationem congruam venerit, a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi alienus fiat; cunctis autem hanc constitutionis nostræ paginam servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Datum Laterani, Idibus Aprilis.

V.

S. Leo IX Eberhardo archiepiscopo Trevirensi asserit cellam Quatuor Coronatorum, archiepiscopis Trevirensibus a Benedicto VII olim collatam.

(Anno 1049.)

[Vide supra in Benedicto VIII et *Gesta Trever.*, edit. Wyttembach et Muller, I, 150.]

VI.

S. Leo IX monasterii S. Salvatoris Septimiani libertatem et privilegia confirmat.

(Anno 1049.)

[Ughelli, *Italia sacra*, III, 68.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Petro abbati monasterii S. Salvatoris in Septimo, suisque successoribus abbatibus, perpetuam benedictionem et salutem.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Propterea, inclinati precibus vestris, per hujus nostræ præceptionis seriem confirmamus et corroboramus tibi monasterium ipsum S. Salvatoris cum omnibus bonis ejus mobilibus et immobilibus, seseque moventibus, quæcunque ad eum juste et legaliter pertinent. Nec non etiam censemus ut securum ipsum monasterium ab omni læsione sit, et sine molestia sit episcopi; et ut ordinationes presbyterorum vel cæterorum graduum in eodem monasterio a quolibet catholico episcopo tribuantur; et ut eleemosynæ tam vivorum quam et mortuorum sine calumnia episcopi eidem monasterio tribuantur, et ut de possessione monasterii decima a vobis accipiatur. Et quicunque se ad monasterium sepeliri petierit, a monachis sepeliatur. Et ut præter ab Apostolico, ne judicetur, nec ad synodum abbas vocetur, sicut nec ab alio consecrationem accipit. Statuentes apostolica censura, ut nullus nostrorum successorum pontificum, nullus marchio, nullus dux, nullus comes, nullus episcopus, nulla præterea persona hominum magna vel parva, contra hanc nostram præceptionem agere præsumat. Quod quicunque fecerit, anathematis vinculo feriatur. Qui vero custos et observator hujus nostræ præceptionis fuerit, benedictionem a Domino Deo consequatur.

Datum XIV Kalend. Maii per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii S. apostolicæ sedis, anno domini Leonis IX papæ primo, indict. II.

VII.

S. Leo IX Joannem ex Tuscanensi factum episcopum Portuensem testatur a synodo in ecclesia S. Salvatoris sancitum esse. Ecclesiæ Portuensis privilegia confirmat.

[Ughelli, *Italia sacra*, I, 120.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo nobis in Christo fratri et coepiscopo nostro Joanni, Portuensis Ecclesiæ antistiti, suisque successoribus in perpetuum, in Domino salutem.

Supplicantium desideriis annuendum nobis esse et ratio et benignitas poscit, quia quod rationabile est impendere, benigne quidem non negare. Quapropter quia transmigrationem fecisti de sede Tuscanensi ad eamdem sedem Portuensem, dignum duximus in synodo prius de hoc ventilare, utrum juste facta fuerit vel injuste, quod et fecimus residentes in synodo et ecclesia Salvatoris. Cumque ibi diligenter esset examinatum qua ratione de episcopatu ad episcopatum transiens, inventum est tam necessitatis quam utilitatis causa hoc factum fuisse, et judicatum est hoc fieri potuisse. Quæ etiam fuerit necessitas, quæ utilitas, satis patenter est expressa: necessitas, quia jam Romana Ecclesia in filiis, quos ipsa lactaverat, defecerat, quorum tu pars superstes eras; congrua utilitas vero, sive pro rebus ipsius Ecclesiæ, quæ tibi nota erat præ aliis, sive pro consiliis dandis, sive etiam pro mediatione Romanæ Ecclesiæ et imperatorum, quorum tu sæpe mediator fuisti. Hac igitur re inclinati decrevimus petitioni tuæ satisfacere, scilicet ut tibi tuisque successoribus ipsum Portuensem episcopatum confirmemus, quia utique libenter facimus. Et primum ipsum episcopatum Portuensis Ecclesiæ, quæ posita esse videtur foris prædictam Portuensem civitatem, cui vocabulum est S. Hippolyti, cum vineis, et hortis, seu clausuris vineatis, et olivetis in circuitu ejusdem ecclesiæ, pariter et clausuram de vinea una in integrum sitam in Cardetum, et in Finilia, clausuras duas cum vineis, et terris, in Basi. Omnia hæc posita in insula majore, imo et ecclesiam S. Mariæ, et aliam ecclesiam S. Laurentii, cum cellis, et hortis, atque vineis, clausuras quinque. In una quidem ecclesia est S. Gregorii, et Theodori, et in alia ecclesia S. Viti, sicuti a muro et fluvio Tiberis, atque limitibus circumdatur, tertia est in ripa fluminis, quarta juxta S. Mariam usque ad Trajanum, quinta juxta S. Laurentium usque in Trajanum, nec non et clausuram de vinea in locum qui vocatur Scarajo, et aliam petiam quæ ponitur in clausura, et vineæ petiam unam in terra Cucuzuba, et aliam in Montone; verum etiam et fundum in integrum qui

Digitized by Google

dicitur Baccanum, cum appendice sua, quæ vocatur Criptula, in quo sunt cisternæ antiquæ positæ juxta eamdem civitatem Portuensem, sicuti incipit a primo latere, ab arbore quæ vocatur tamarix, et dirigitur in columnella, quæ in campo stare videtur, milliario n distante ab eadem civitate, et deinde pergente recto itinere per salariam, et usque ad alteiam piscatoriam, et deinde redeunte ad mare per Buccinam, et circumeunte littus maris ad S. Nympham, et usque ad focem micinam cum locis qui dicuntur Vincera usque ad balnearia, atque locum qui vocatur Portus Trajani, nec non et castellum aliud minus in integrum, cum omni sua pertinentia, et in civitate Constantiniana, omniaque ibidem habere dignoscitur, una cum ecclesia BB. apostolorum Petri et Pauli, cum cryptis, ubi animalia ipsius ecclesiæ manere videntur, et deinde usque ad S. Mariam, quæ ponitur in arcu cum crypta, et domum quæ vocatur Balneum Veneris, et usque ad viam publicam infra ipsum castellum, atque cannetum de ista civitate, nec non monasterium S. Agnetis cum salariis, et vineis, quæ incessum habere videtur : porro et fundum in integrum, qui vocatur Polmus, cum casis, vineis et terris, pascuis, extendentem se usque ad furnum antiquum juris prædicti episcopii, et in eodem fundo monumentum antiquum esse videtur, via Portuensi, milliario ab ureb Roma plus minus decimo. Itemque et insulam majorem in integrum cum hortis et vineis seu terris in locum qui vocatur Scarajo; qui olim fuit portus Trajani, inhærentem eidem fundo Baccani, et cum omnibus ad eum pertinentibus : pariterque et fundum qui vocatur Judæorum, et fundum qui vocatur Gualdus cum omnibus eorum pertinentibus, positus juxta prædictam civitatem, et filum Salinæ in integrum extensum in una fila. Item et in Baccano et in Genestula, et in illa novem, omnia fila Salinarum, quæ ad vestrum episcopium pertinere noscuntur, seu et fundum in integrum, qui vocatur Gualdus major, cum ecclesia S. Aureæ, et monumento suo, et terra Semitaritia, quæ appellatur Planura, in qua cisternæ esse videntur, posita inter fluvium, formam Arcionum. Nec non et confirmamus vobis curtem in integrum quæ dicitur Galeria, in qua est ecclesia S. Mariæ cum caminatis seu triclineis atque diversis cubiculis, omnibusque suis ædificiis, quæ infra se habere dignoscitur cum omnibus finibus, terminis, limitibusque suis, terris, casalibus, sylvis, atque pantanis cum ponte, et ipsum rivum qui vocatur Galeria, usque ad flumen, cum locis ad aquimolam faciendam, vel cum omnibus ut superius dictum est sibi generaliter et in integrum cultum et assolatum, situm in campo qui vocatur Meruli, constitutum via Portuense, milliario ab urbe Roma plus minus duodecimo, sicuti affines incipiunt a toto curte a primo latere, prata Caraci, quæ vocantur Meruli, et deinde usque ad montem quem olim detinuit Joannes de Mincia, et hæredes Stephani Numenclatoris, et deinde ultra viam per casale quod olim detinuit A Joannes de Sergio, et transit aliam viam carrariam, et venit in casale quod detinent hæredes Franconis Transtiberim, sicuti per fines marmoreos designatur, et deinde per casale SS. martyrum Cosmæ et Damiani, et transit per fossatum antiquum, quod verno tempore ducit aquam in rivo Galeriæ, et ascendit per ipsum rivum usque in molam de sylva, et revolvit per viam carrariam usque in vallem mediam de Monte, qui vocatur Zumili, et usque in Staffili, qui stat in Lintistino, et usque in caput de valle Stabla, et per fossatum ipsius vallis pergit a pede fili Salinarum, concludente totum campum usque in pedicam quæ vocatur Viscoli, et piscina Galiarda, concludente ipsam pedicam, quæ sunt fila triginta, et pergente juxta fila quæ stant monasteria B de Miranda usque in stagnum majus, et per ripam stagni usque in Burdunaria, et a pede fili usque in Baccani, et terram de supradicto episcopio, et formam quæ vocatur Arcione, et per ipsam formam usque in rivum qui vocatur Galeria, et Pantanum de Ricorde usque in primum affinem de pratis Caraci. Infra hos vero fines, loca et vocabula sunt hæc, S. Cæsareus, Palmis, Sorbilanum, Clusa vetere, Pantanum majus, Medianum, Mons ruginosus, mons de Zumilis, mons Canaparvis, celsa, limes, major, stagnellum maledictum, tiocli, piscina gagliarda, olivastrum, stagnellum peregrinum cum omnibus eorum pertinentiis. Nec non et confirmamus vobis perpetualiter quatuor in integrum principales uncias de toto stagno majore Portuense cum omni piscaC tione, redditione et statione sua, vel cum omnibus ad ipsas quatuor uncias pertinentibus, sicuti a prædecessoribus nostris supradictæ ecclesiæ Portuensi concessum est. Verum etiam concedimus et confirmamus vobis vestrisque successoribus turrem in integrum quæ vocatur de Albo, cum casis, vineis, hortis, terris, campis, pratis, pascuis et sylvis, pantanis et rivis, cultis et incultis, vacuis, plenis, et cum omnibus ad ipsam turrem generaliter et in integrum pertinentibus, sicut affines ejusdem designant, a primo latere rivus qui vocatur Galeria, a secundo latere fluvius Tiberis, a tertio latere Pulverinula, et a quarto latere forma quæ vocatur Arcionum. Concedimus etiam ipsis hominibus qui per tempora habitaturi sunt infra turrem, ut nullius D potestati, nullius ditioni subditi sint, nec alicui serviant, aut hostem faciant, nisi episcopo qui in dicto episcopio fuerit; nec non et confirmamus tibi tuisque successoribus in perpetuum omnes res et facultates, mobiles et immobiles, de illis hominibus qui sine hærede et intestati moriuntur in dicta civitate Portuensi, sive in Transtiberi, aut in insula Lycaonia, sive ubicunque vestri episcopatus juris esse videntur, constituimus ipsam Portuensem ecclesiam legitimam hæredem, ita ut episcopus ipsius ecclesiæ habeat potestatem ordinandi omnia juxta suam voluntatem, eo tenore ut non pereant, scilicet mortuis in æternum prosint. Insuper etiam concedimus et confirmamus vobis vestrisque successoribus in per

Digitized by Google

petuum ex jure sacri nostri palatii Lateranensis, quod ad publicum nostrum pertinet, castaldum Portuense, vel quidquid usque hactenus nostri castaldiones de tota Portuense civitate, sive de portis, vel de navibus, nec non et de tota Burdonaria, vel quidquid extra vel infra ubique ad illum pertinuit de jam dicto ministerio, vobis vestrisque successoribus in perpetuum tribuimus possidendum, ita ut qualemcumque hominem ibidem constituere volueritis castaldionem aut mandatarium, in vestra potestate consistat, et quidquid de ipso ministerio acquisierit, vobis vestrisque successoribus deferatur, quidquid vobis exinde faciendum, tamen si nostro comiti vel nostrorum successorum placuerit de illo, quod ad nostrum palatium pertinet, fidelitatem juret. Isti namque comites, qui pro tempore fuerint a nobis vel a nostris successoribus, nullo modo alium castaldionem aut mandatarium audeant ordinare vel constituere, præter illos quos vos vel vestri successores ordinatis vel constituitis; qui si fecerint, vel de jam dicto castaldico aliquid violenter abstulerint, vel quæ a nobis, vobis vestrisque successoribus tradita sunt, frangere aut contradicere voluerint, unusquisque IV lib. auri persolvat, medietatem nostro palatio, et medietatem vestro episcopatui, et quod ab eis in castaldiones ordinatum fuerit, evacuetur. Si vero exinde contumax exstiterit, usque ad vestram satisfactionem excommunicatus existat.

Itemque concedimus et confirmamus vobis vestrisque successoribus in perpetuum de civitate Portuensi piscatores et duos curiales, qualescunque de eis eligere volueritis in perpetuum, ita ut ulterius nullam dationem nullumque servitium faciant, neque ad placitum adstringantur ab aliqua persona, scilicet tibi tuisque successoribus hanc committimus potestatem. Item confirmamus tibi tuisque successoribus casale unum in integrum, quod vocatur Genesianum, quod et Mallianum vocatur, cum insula modica ultra rivum in ipso loco posita, cum omnibus ad eum pertinentibus posita via Portuense juxta Mallianum, juris monasterii S. Pancratii, etiam confirmamus vobis vestrisque successoribus in perpetuum totam insulam quæ vocatur Lycnonia ubi est ecclesia S. Joannis Baptistæ et S. Adalberti, unde querimoniam posuistis in synodo, quam celebravimus in ecclesia Salvatoris, quare contra Crescentium S. Sylvæ Candidæ Ecclesiæ episcopum, qui eamdem ecclesiam suo episcopatui vindicabat, cum vero ambæ partes ante præsentiam nostram et totius synodi staretis, placuit ut si scripturam exinde haberes, in medium videndam legendamque proferres. Statim attulisti privilegium quod antecessori tuo Benedicto episcopo, qui dicebatur de Pontio, Benedictus VIII, antecessor noster, fecit de integritate totius episcopatus. Quod cum lectum esset, nominatim ibi inventa est ecclesia illa, quam, sicut in querimonia tua dixisti, ipse tuus antecessor dicaverat tempore Othonis III imperatoris, a quo ædificata fuit in honorem S. Adalberti, qui suo tempore martyrium pro Christi nomine suscepit. At episcopus ille rogavit sibi a nobis dari inducias ad certum terminum, ut afferre vobis posset justitiam quam se habere dicebat; nos vero, quia synodus ea die terminabatur, concessimus; cumque terminus advenisset, tu ad nos humiliter et solus, ille autem magna hominum multitudine fretus ad nos venire despexit. Residentes tamen nos cum judicibus nostris ad eum legatum, ut ad nos veniret, direximus, scilicet nonnisi cum suis redemptis adjutoribus venire se dixit. Quo dicto cum tota sua multitudine recessit, scilicet nos ad ejus contumaciam non respicientes, ex consilio judicum archidiaconum nostrum Hugonem usque ad domum ejus misimus, ut sequenti die ad nos veniret, sicut episcopus cum episcopo rationem habiturus; cumque die altera simili modo resideremus exspectantes eum, non venit, scilicet epistolas quasdam veniam præferentes misit, cumque nihil rationis diceret, ut amplius exspectari deberet, laudantibus omnibus judicibus, frater Alinardis Lugdunensis archiepiscopus canonicam et diffinitivam protulit sententiam, primam de contumacibus puniendis, secundam de ecclesiis quæ sunt intra limites episcopatus, quomodo ad eum pertineant. Qua prolata sententia a nobis, et ab omnibus laudata, confirmata fuit. Quapropter tam tibi quam tuis successoribus eamdem ecclesiam per hoc nostrum privilegium concedimus, confirmamus, querimonia tam illi episcopo quam successoribus ejus perpetuo interdicta de eadem ecclesia, sita in prædicta insula, cum curtibus et oratoriis infra easdem curtes, et cum omnibus ad eas generaliter et in integrum pertinentibus, cum hortis, et aquimolis suis, sita infra hanc urbem Romanam, sicuti extenditur ab uno capite, ubi dividitur flumen, et usque in aliud caput ipsius insulæ, ubi adunatur, pari modo concedimus, et confirmamus vobis vestrisque successoribus in perpetuum omnem ordinationem episcopalem, tam de presbyteris quam de diaconis, vel diaconistis, sive subdiaconis, consecrationem ecclesiarum vel altarium, quæ in tota Transtiberi necesse fuerit facienda, nisi forte cardinales, diaconi vel subdiaconi, aut acolythi sacri Lateranensis palatii efficiantur, scilicet omnia tibi tuisque successoribus, vel quibus episcopis a vobis invitati fuerint ordinandi, benedicendi et consecrandi concedimus potestatem; et ne parochia vestra ab aliquo pervadatur episcopo, fines ejus per hoc nostrum privilegium insinuare tuæque ecclesiæ confirmare curamus, incipiente primo termino a fracto ponte, ubi unda dicitur per murum Transtiberinæ civitatis per portam Septimianam, per portam S. Pancratii, per silicem vero ipsius portæ usque ad pontem marmoreum qui est super Annonem, et ducit per ipsam silicem usque ad paritorium, inde revolvit per paludes usque in mare, indeque per mare duo milliaria ultra pharam usque in focem majorem, inde autem per flumen majus usque Romam in fracto

Digitized by Google

posite juxta Marmoratam per pontem S. Mariæ usque ad pontem Judæorum per medium flumen, et recte ad medium pontem fractum, ubi de unda duximus, qui est primus affinis absque Transtiberinis catholicis ecclesiis S. Mariæ in Transtiberim, S. Chrysogoni, et S. Cæciliæ, vel monasterii S. Pancratii et monasteriorum SS. Cosmæ et Damiani, tamen in prædictas ecclesias quidquid ab episcopis necesse fuerit faciendi Portuensibus episcopis, ab ipsis invitatis tribuimus potestatem. Itemque concedimus et confirmamus in jam dicto episcopatu plebem S. Mariæ et S. Apollinaris in mola rupta, et plebem S. Stephani in Pansi, et plebem S. Mariæ in Apuniana, vel omnes ecclesias exiguas vel magnas cujuslibet nominis, quæ infra jam dictos affines fuerint vel esse possunt, absque illis, quas jam diximus, Transtiberim sitis. Interea sancientes jubemus, sicuti a nostris antecessoribus jussum est, ut in flumine quod juxta Portuensem urbem decurrit, nullus audeat molendina aut pontem præter jussionem tuam vel successorum tuorum episcoporum juxta priscam consuetudinem quoquo modo constituere; et cum vel a vobis vel ab aliis, quibus tamen faciendis vos injunxeritis, constitutum aut factum fuerit, ipsa molendina vel pons vestro arbitrio dispensentur; de ponte vero si factus fuerit cum plaustro onusto victum vel vinum nemo audeat hinc illuc, neque inde huc penitus transmeare. Iterum sancientes jubemus ut nullus presbyter, vel cujuslibet ordinis clericus de toto episcopatu audeat ad placitum constringere aut ad finiendas contentiones compellere, aut aliquod servitium ab eis exigere, præterquam Portuenses episcopi, in cujus parochia sunt. Quicunque vero præsumptor, sive dux, sive comes, vel vicecomes, aut cubicularius, vel a nostra apostolica sede missus aut qualiscunque interveniens potestas de ipsa civitate Portuense dominatum tenuerit, de quocunque fuerit ordine, prædicta omnia immobilia loca, aut prænominatum castaldum, vel duos piscatores, et duos curiales, vel omnes prædictos clericos a jure, et potestate, atque ditione præfati, episcopii auferre vel minuere voluerit, vel parochiam infringere tentaverit, aut homines in prædicta turre habitantes, vel ubicunque proprietas episcopii mansionata fuerit, ad publicum servitium revocaverit, sciat se compositurum ipsi episcopatui auri purissimi libr. xx, et insuper anathemati subjaceat. Statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, et anathematis interdictione, ut nullus unquam successorum nostrorum pontificum, vel alia quælibet magna parvaque persona ea quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate vel augmento prædicti episcopatus statuta sunt, refragari aut in quoquam transgredi, aut aliquid deinde minuere audeant, scilicet sicut superius a nobis statutum vel concessum est, ita perennibus ac perpetuis temporibus sine aliqua minutione permittat in æternum permanere. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hoc nostrum privilegium venire aut in quoquam dirumpere præsumpserit, et sicut a nobis superius statuta sunt, firma manere non demiserit, et in aliquo offenderit, sciat se, nisi resipuerit, auctoritate Dei omnipotentis et B. Petri apostolorum principis, atque nostra, qui ejus fungimur vices, anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, atque cum Juda traditore D. N. Jesu Christi cum diabolo et omnibus pompis ejus æterno incendio concremandum. Qui vero pio intuitu custos et observator hujus nostri privilegii exstiterit, benedictionibus gratiam vitamque æternam a justo Judice Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen. Bene valete.

Datum x Kal. Maii per manum Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii S. Apostolicæ sedis, anno Domini Leonis IX papæ I, indict. II.

Ego Eberchardus Treverorum archiepiscopus quamvis indignus interfui et subscripsi.

Ego Alinardus Lugdunensis archiepiscopus hoc decretum laudans, manu propria subscripsi.

Ego W. episcopus subscripsi.

Ego Ropraudus episcopus scripsi.

Ego Cunibertus episcopus Taurinen. scripsi.

Ego Cadalus Parmensis episcopus scripsi.

Ego Oppizo Pisensis episcopus scripsi.

Ego Guido X Ulterensis episcopus scripsi.

Ego Henricus Spoletanus episcopus scripsi.

Ego Arnulfus episcopus scripsi.

Ego Martinus Pistorien. episcopus scripsi.

Ego Petrus Clusiensis episcopus scripsi.

Ego Dux episcopus interfui.

Teuderius Arbinensis episcopus interfui.

Ego Benedictus episcopus Forosempronien. interfui.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat, etc. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc. Amen.

VIII

Privilegium S. Leonis IX pro Richerio abbate cœnobii Montis Casini.

(Anno 1049.)

[Tosti, *Storia della badia di Monte Casino*, I, 255.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, charissimo nobis in Christo Domino Jesu filio Richerio et religioso abbati sacratissimi monasterii B. Benedicti confessoris Christi, siti in monte qui vocatur Castro Casino, suæque almæ congregationi perpetuam in Domino salutem.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et petentium desideriis congruum impertire suffragium. Igitur quia postulastis a nobis quatenus monasterium S. Benedicti in monte Casino situm, cujus abbatis consecrationem nuper et dono piissimorum Henrici et Conradi Romanorum imperatorum suscepimus, et per nos et successores nostros in perpetuum more antecessorum nostrorum privilegio nostro muniremus, et a potestate omnium archiepiscoporum et episcoporum subtraheremus, et sub inter-

Digitized by Google

dictione anathematis loca sua defenderemus, concederemus, et confirmaremus : inclinati precibus tuis prædictum monasterium tibi a nobis successoribusque tuis et a nostris successoribus in perpetuum nulla pravitate Simoniaca interveniente consecrandis, concedimus et confirmamus cum omnibus ecclesiis, monasteriis, cellis, castellis, terris cultis et incultis, vineis, aquimolis, hortis, pratis, silvis, pertinentiis adjacentiisque suis, ubicunque vel qualitercunque ad jura ejusdem monasterii pertinere dignoscitur....

Insuper etiam omnem cujuslibet ecclesiæ pontificem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere præter sedem apostolicam, prohibemus, ita ut nisi ab abbate ejusdem monasterii fuerit invitatus, nec missarum solemnia ibidem præsumat omnimodo celebrare. Post vestrum vero obitum nemo inibi abbatem constituat, nisi quem consensus et voluntas communis fratrum ex ipsa congregatione elegerit, et electus ad nos vel successores nostros consecrandum gratis et sine pretio veniat. Quod si aliunde venerit, quod de vobis dici non potest, qui de monasterio nostro et a nobis consecraturi venistis, vel ab alio archiepiscopo, vel episcopo consecrari se maluerit, tunc consecratus et consecrator anathema sint. Promulgantes, etc....

Bene valete.

IX.

S. Leo IX Richerio abbati Casinensi ejusque successoribus monasterium S. Crucis, Romæ situm, subjicit.

(Anno 1049.)

[Gattula, *Hist. Casin.*, 252.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Richerio abbati monasterii S. Benedicti, quod ponitur in monte Casino, tuisque successoribus perpetuam in Domino salutem.

Creditæ speculationis impellimur cura, etiam ardore Christianæ religionis, et studio divini cultus promovemur, pro venerabilium locorum percogitare stabilitatem, atque Deo servientium securitatem, ut hoc proveniente pio labore, et animæ Christo dicatæ, quæ se illis diebus vitæ suæ servituras decreverunt perseverent imperturbate. Nec non et illa maneant fine tenus firma, quæ a Christianis in Dei laude contrectata sunt. Quia igitur constat monasterium Jerusalem, quod etiam dicitur S. Crucis, jam elapso tempore a congregatione monachorum Dei tali loco competens vacasse et sollicito nullo præposito in eo aut monachis habitantibus traditum : permoti proinde compassione tanti piaculi, ac compulsi dolore, apostolica auctoritate providimus monasterio tibi commisso idem monasterium sociare, quatenus et præsenti secunda indictione, atque in perpetuum a te tuisque successoribus cum sibi omnibus in integro subjacentibus disponatur, atque eum Dei timore regatur, et vestro conjunctum subsistat monasterio, ita ut in eodem venerabili loco Domino Deo nostro laudes exsolvere debeatis. Nullam vos rationem exinde vel ei pertinentibus nisi solo Deo ac nostræ auctoritati solvendam statuimus. Fabrica etiam seu luminariorum concinnatio indifferenter vobis sine dubio procurantibus efficiatur. Nulla proinde in exsolvendis Dei laudibus, vel in luminariis concinnandis mora proveniat, sed devota sinceritate peragere festinate, ne per incautæ desidiæ culpam judicii vos futuri metus concutiat. Potius elaborare studete ut divina placetur vestro conatu clementia, possitque movere hoc, quod a nobis justa deliberatione decretum est futuris inconvulse perpetuisque temporibus. Consecratio tamen abbatis loci ipsius a vobis secundum Deum electi semper exspectetur a nostra apostolica sede, sub cujus existit jure. Numerus autem monachorum ibidem Deo serviturorum tantus semper existat, quantus secundum loci posse sufficiat, quam duodecim, qui etiam secundum ipsius loci posse victum habeant et vestitum, ut nulla in perpetuum divini servitii negligentia sit: hoc enim argumentum et incrementum ejusdem ecclesiæ fecimus, ut ex abundantia vestri monasterii ejus paupertas suppleatur, et tam nobis quam vobis vestrisque successoribus merces æterna reddatur.

X.

S. Leo IX canonicorum Ecclesiæ Veronensis possessiones et privilegia confirmat.

(Anno 1049.)

[Ughelli, *Italia Sacra*, V, 761.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis in Christo filiis Totoni archipresbytero, Amelrico archidiacono et Arduino præposito, omnibusque canonicis S. Veronensis Ecclesiæ tam præsentibus quam futuris, perpetuam in Domino salutem.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et petentium desideriis congruum impertire suffragium. Quapropter ex parte omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus S. et B. Mariæ semper Virginis beatorumque apostolorum Petri et Pauli cæterorumque sanctorum quorum nomina in libro vitæ ascripta sunt : nec non ex auctoritate sanctorum canonum omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ducibus, marchionibus, comitibus, seu cunctis, magnis parvisque personis præcipimus, ut vestras personas, seu prædia, ac beneficia, omnemque vestram justam possessionem et investituram beneficiorum prædictæ canonicæ, quam usque nunc tenuistis, nulli liceat lædere, divestire, inquietare vel investituram abstrahere. Similiter præcipimus ut nullus vestrum aliquo ingenio ab episcopo vestro beneficia, quæ soliti estis investire, requirat, vel investituram ex illius manibus accipiat. Similiter præcipimus de omnibus rebus vestræ canonicæ, tam de curtis quamque et de castellis seu villis, xenodochiis, factitis, incensitis, libellariis, decimis, servis et ancillis, terris, vineis, pratis, saletis, montibus, planiciis tam infra civitatem quam extra civitatem quæ a fidelibus vobis sunt collatæ,

Digitized by Google

vel fuerint, ut nulla magna parvaque persona se intromittat; sed liceat vobis quieto eas tenere ordine sicut per mercedem meorum antecessorum pontificum, seu imperatorum, et regum hactenus tenuistis, eo videlicet ordine qui in vestrarum chartularum paginibus continetur. Et de nulla alia Ecclesia super vos archipresbyter, vel archidiaconus præferatur, vel aliquis ex clero sine electione cunctorum fratrum vestram societatem o d'netur. Quod ob hoc dico quia spero vestram ecclesiam nunquam carituram clericis qui ad hos honores sint utiles. Si vero archipresbyter et archidiaconus de supradictis ecclesiæ bonis sine voluntate et laudatione fratrum dare tentaverit, omnimodo interdicimus ne scandalum in Ecclesia fiat. Si autem, quod absit! archipresbyter et archidiaconus uno tempore mortui fuerint, liceat præposito fratrum officio illorum investituris, donec archipresbyter vel archidiaconus ordinatus fuerit. Si enim ab aliquo aliquid inventionis scriptum repertum fuerit ad destruendam rectitudinem ordinum, aut hæreditatem vestram, vel ea quæ supra diximus, præcipimus ut omnimodo destruatur et nunquam compareat. Si vero, quod absit! ut aliquis contra hoc nostræ auctoritatis scriptum agere tentaverit, vel vos in his quæ supra diximus offenderit, si infra annum non emendaverit, illius irritus fiat conatus, et illum vivum terra deglutiat sicut Dathan et Abiron in seditione Core, lepra Naaman Syri super eum veniat, et maledictio quæ fuit data in monte Ebal, et anathema maranatha, et omnes illæ plagæ et maledictiones, quibus Deus Pharaonem et Ægyptum percussit, et quæ sunt scriptæ in quinque libris Moysis, et Judæ traditori sociatus, cum Anania et Saphira pœnam luat æternam, et nostro seu nostrorum successorum subjaceat judicio.

Dat. Non. Maii mensis per manum Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno D. Leonis papæ I, ind. II.

XI.

S. *Leo IX monasterii Cluniacensis, petente Hugone abbate, privilegia confirmat.*

(Anno 1049.)

[*Biblio heca Cluniacensis*, pag. 1824.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo in Christo filio Hugoni abbati Cluniacensis monasterii nostri, in honorem beatorum apostolorum Petri et Pauli fundati, tuisque successoribus abbatibus perpetuam in Domino salutem.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Deo in sidereis arcibus promerebimur, si venerabilia loca nostro tempore aut ad meliorem fuerint statum perducta, aut ne unquam in aliquo minuantur, corroborata. Quapropter inclinati precibus tuis, dilectissime fili, ipsi monasterio nostro Cluniacensi, cui Deo auctore præesse videris, per hoc nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium, sicut et fecerunt privilegiis suis antecessores nostri, confirmamus atque corroboramus quidquid rerum et facultatum modo habet, et usque in perpetuum est habiturum; ne ab aliqua humana temeritate aliquid unquam exinde mutiletur sed in sua integritate omnia custodiente Deo permaneant in usum, et salarium fratrum ibidem nunc servientium, et per sæcula serviturorum. In qua apostolicæ munitionis tuitione locum etiam ipsum antiqua et per prædecessores nostros ei concessa libertate donamus, non nova facientes, sed vetera confirmantes. Ne scilicet ullus mortalium, sive sit imperator, sive rex, sive dux, seu marchio, vel archiepiscopus, vel episcopus, aut aliqua alia humana potestas super idem Cluniacense monasterium aliquam in aliquo potestatem exercere præsumat. Nec post solutionem tui corporis aliquem ibi præferre et ordinare audeat, sed in arbitrio semper et electione fratrum consistat quemcunque de sua congregatione secundum Deum et secundum regulam S. Benedicti sibi præferre et imponere abbatem voluerint: cujus consecratio non a constituto episcopo, sed a quolibet, quicunque ipsi congregationi placuerit, expetatur, non aliquo pretio redimenda, sed gratis accipienda. Quod etiam de omnibus ecclesiasticorum graduum ordinationibus, et altarium sive ecclesiarum consecrationibus præcipimus et confirmamus, ut liceat vobis vestrisque successoribus, a quocunque ea velitis episcopo gratis exposcere, nullusque vobis audeat contradicere. Quam prærogativam a prædecessoribus nostris monasterio vestro concessam, et a nobis merito confirmatam, idcirco eidem contribuere decrevimus ut, sicut hactenus sub apostolico tantum jure et ditione constitit, ita amodo semper consistat, nec aliorsum respiciat, quatenus sub apostolicæ defensionis umbraculo positum semper crescat, semper augescat, nullam pravorum hominum tyrannidem, nullam humanam potestatem metuens, ut quotidiana Deo obsequia devote, ut solent, et quiete ibi agantur, nec agentes in aliquo per aliquem sollicitentur, molestentur, inquietentur. In qua prærogativa etiam chrismatis libera receptio a quoquo velitis episcopo consistit. Quæ omnia, sicut præmisimus, quemadmodum a prædecessoribus nostris sancita reperimus, ita quoque nos stabilire et confirmare decrevimus. Statuentes apostolica censura, sub divini judicii obtestatione, ut nulla unquam magna parvaque persona spirituali vel sæculari dignitate prædita, omnive dignitate privata, contra hoc nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium venire aut in quoquam illud infringere pertentet. Quod quicunque ausu temerario impiaque præsumptione contra Deum et sanctum Petrum, contraque animam suam fecerit, in tunc † tantum se noverit nostræ apostolicæ maledictionis aculeo transpunctum, nostræ apostolicæ excommunicationis telo perfossum, nostri etiam apostolici anathematis gladio transverberatum, nec ipsi per

Digitized by Google

dignam satisfactionem saluti pristinæ reparandum. Qui vero se ab hoc observaverit, et inviolatum hoc nostrum privilegium permanere laudaverit, hic benedictionem, gratiam et omne bonum a retributore omnium bonorum Deo et in præsenti sæculo consequatur et in futuro.

Datum IV Id. Junii per manus Petri diaconi, bibliothecarii ac cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domni Leonis IX papæ primo, indict. II.

XII.

S. Leo IX monasterii Fuldensis possessiones et privilegia confirmat.

(Anno 1049.)

[Dronke, *Cod. diplom. Fuld.*, 359.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Eberhardo pio et religioso abbati venerabilis monasterii Salvatoris Domini nostri Jesu Christi et Sancti Bonifacii, quod situm est in loco qui vocatur Bochonia, juxta ripam fluminis quod vocatur Fulda, et per te eidem venerabili monasterio tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere, et poscentibus juste et religiose alacri devotione assensum impertiri. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Deo procul dubio promeremur, si venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur quia postulastis a nobis, decrevimus nostra apostolica præceptione reconcedere ac reconfirmare perpetualiter vobis vestrisque successoribus prædictum monasterium Salvatoris Domini nostri Jesu Christi et Sancti Bonifacii, situm in loco qui vocatur Bochonia, juxta ripam fluminis quod dicitur Fulda, cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus sibi pertinentibus, quas nunc habet et in futuro Deo auxiliante *habebit*. Concedimus etiam atque donamus vobis, charissime ac dilectissime fili, vestrisque successoribus abbatibus in perpetuum, pro magno nostro amore et nimia dilectione quam circa vos habemus et habere deinceps cupimus, monasterium Sancti Andreæ apostoli quod vocatur Exaiulum, situm Romæ juxta ecclesiam sanctæ Dei genitricis Mariæ semper Virginis quæ vocatur ad Præsepe, cum omnibus mansionibus, caminatis, cellis, vinariis et coquina, cum vineis, hortis diversisque generibus pomorum, cum curte et puteo et introitu per portam majorem a via publica et cum omnibus ad idem monasterium generaliter pertinentibus tam intra quam extra urbem sitis, quæ ei juste ac recte pertinere dignoscuntur. Prohibemus autem omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in idem vestrum Fuldense monasterium quamlibet ditionem habere vel auctoritatem præter nostram apostolicam sedem, specialiter episcopum in cujus diœcesi constructum esse videtur, ita ut nisi ab abbate monasterii ipsius fuerit invitatus nec missarum ibidem solemnia celebrare præsumat. Dona vero et oblationes decimasque fidelium absque ullius personæ contrarietate, firmitate perpetua ipsi monasterio vestro secundum prædecessorum nostrorum privilegia confirmamus et corroboramus. Decernimus etiam ne alicui personæ magnæ vel parvæ liceat aliquam vim vel controversiam inferre eidem monasterio in rebus et familiis ejus. Et ne femina unquam illuc ingredi præsumat, nostra apostolica interdicimus auctoritate, et ne quis unquam placitum ibi habeat vel in cæteris ejus locis nec servos nec colonos ad aliquod servitium constringat, nisi cui abbas ad utilitatem suæ necessitatis assensum præbuerit. Eligendi quoque sibi abbatem quando opus fuerit fratres inter se potestatem habeant secundum regulam sancti Benedicti sine ullius contradictione personæ. Cæterum vero hoc deliberantes decernimus ut congruis temporibus nostræ sollicitudini ecclesiasticæ intimetur, qualiter religio monastica regulari habitu dirigatur concordiaque convenienti ecclesiastico studio mancipetur, ne forte, quod absit! sub hujus privilegii obtentu animus gressusque rectitudinis vestræ a norma justitiæ aliquo modo retorqueatur. Concedimus etiam tibi quem bene eruditum et bene eloquentem virum esse novimus, dulcissime fili prædicare verbum Dei auctoritate sancti Petri apostoli et nostra ejus indigne vicarii, et ut tam vos quam successores vestri ante alios abbates Galliæ seu Germaniæ primatum sedendi in omni loco conventuque nostra apostolica auctoritate obtineatis. Usum quoque dalmaticæ et sandaliorum in missarum solemniis licentia nostræ apostolicæ auctoritatis concedimus tam vobis quam successoribus vestris secundum quod in privilegiis prædecessorum nostrorum habetur. Abbas vero non nisi a nostra apostolica sede benedicatur, a qua benedici debet. Et si in aliquo crimine accusatus fuerit, de eadem nostra apostolica sede tantum judicium exspectet. Illud etiam generaliter addendum dignum duximus, ut quidquid auctoritate antecessorum quorumlibet nostrorum regum et imperatorum ipsi vestro Fuldensi monasterio constat fuisse concessum, sit etiam nostra apostolica auctoritate per hoc nostrum privilegium confirmatum atque corroboratum, statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, ne quis unquam nostrorum successorum pontificum Romanorum regum, ducum, marchionum, comitum et præterea archiepiscoporum ac cujuslibet dignitatis vel conditionis hominum contra hoc nostrum privilegium quidquam audeat attentare. Quod si quis præsumpserit, sciat se nostri anathematis vinculo usque ad dignam satisfactionem insolubiliter innodatum; qui autem pio intuitu se custodierit et ne in aliquo infringatur in se observaverit, benedictionis gratiam et peccatorum suorum absolutionem a retributore omnium bonorum Deo consequi mereatur, ut in cœlesti sede glorietur.

(*Sign. pap. symb.*) Bene valete.

Datum per manus Petri diaconi et bibliothecarii sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis, mense Junio, anno domni Leonis IX primo, indict. II.

Digitized by Google

XIII.

S. Leo IX privilegia a prædecessore suo Clemente VI Nivellensi Ecclesiæ concessa confirmat.

(Anno 1048.)

[Miræus, *Opp. diplom.*, I, 661.]

Leo, servorum Dei servus, omnibus Christi fidelibus, apostolicam benedictionem.

Noverint, tam posteri quam præsentes, quod abbatissa Nivellensis, Richela nomine, una cum Godscalco ejusdem loci præposito, obtulit mihi quoddam præceptum domni Clementis papæ qui me in apostolica sede præcessit, quod ab illo datum nostræ auctoritatis astipulatione confirmari rogavit. Illud autem præceptum hoc modo se habet.

Juxta confinium, quo Lotharingi junguntur Francigenis, est abbatia quædam sita, Nivella scilicet, S. Gertrudis virginis, terrarum quidem affluens copiis, sed miserrime perdita rabie indomitæ gentis.

Cui oppressioni pie condoluit Henricus imperator, et condolendo vehementer subvenit, restituens servituti virginis ipsum Burgum vel villam prædictam, cum omnibus utensilibus suis, cum mercato teloneo, moneta, moceria, cum cambis et molendinis, cum terris cultis et incultis, pratis, silvis, pascuis, et cum omni familia ibidem manente, cum hæreditate omnium in ea residentium.

Nullus vel comes vel advocatus habeatur, nisi quem abbatissa elegerit, nec hic requirat placitum vel aliquod judicium, nisi invitatus per abbatissam vel præpositum. Hoc primatum, regni definitum consilio, imperialis firmavit præceptio et consignavit sigillo. Unde et nos movit debita ejusdem Ecclesiæ miseratio, et imperialis dilectio monuit ut quod firmavit præcepto firmetur et hoc nostro privilegio. Ubi nostra apostolica auctoritate intendimus ne quis alius sacerdos in illo altari missam audeat celebrare, nisi soli episcopi et soli hebdomadarii qui ibi pro tempore sunt deputandi.

Quisquis igitur tantæ perditionis fuerit, qui hanc libertatem Ecclesiæ injuste infringere præsumpserit, vel, de cæteris rebus Ecclesiæ sanctimonialium usui deputatis usurpando, sibi vindicaverit, vel præbendam eorum in pejus vertendo mutaverit, detrimentum ullo modo ingesserit, nec satisfaciendo resipuerit, apostolicam incurrat maledictionem et excommunicationem.

Datum VI Kalendas Augusti, per manus Petri diaconi, bibliothecarii sanctæ et apostolicæ sedis, anno domini Leonis IX primo, indictione secunda.

XIV.

Diploma Leonis papæ IX Theoderico abbati concessum. — Regum et imperatorum privilegia confirmat et jus eligendi abbatis.

(Anno 1049.)

[Martene, *ampliss. Collect.* II, 67.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Theoderico religioso abbati venerabilis monasterii Sancti Petri Sanctique Remagli Stabolao positi sulsque successoribus in perpetuum.

Tunc summæ apostolicæ dignitatis apex in hoc divini prospectus amore dignoscitur præfulgere, si in acquirendis Dei laudibus sui impensius studeat laboris exhibere certamen. Ob hoc nos debita ejusdem apostolicæ pastoralis compellit sollicitudinis cura, ut quæ ad stabilienda piorum pertinere dignoscuntur locorum, ubertim promulgare et apostolicæ institutionis censura debeamus confirmare. Igitur quia postulasti, frater, a nobis quatenus monasteria a venerabili Patre Remaglo constructa, id est Stabolaus et Malmundarium sita in saltu Arduennensi, in honore sancti Petri apostolorum principis privilegio nostræ auctoritatis muniremus; et quia justa visa est nobis petitio tua, assensum tibi per hujus nostri privilegii constitutum præbemus et roboramus apostolica auctoritate secundum præcepta regum et imperatorum in præsentia nostri relecta. Ratum itaque decernimus quidquid dedit primus constructor locorum, Sigibertus videlicet rex Francorum, qui Germiniacum in pago Remensi, et molendina duo sub uno tecto super Suppia, et vineam cum vinitore in Bethereo, et thelonea quæ ad portum Vetraria sunt super fluvios Taunaco et Iita, et portum qui dicitur Sellis et Vogatium super fluvium Ligerim, ipsi adhuc viventi sancto Remaglo tradidit. Eadem quoque firmitate vigoramus acta et instituta regum Clodovei, Dagoberti, Childerici, Theoderici, qui eadem præceptis suis confirmaverunt, aliaque perplura addiderunt, nec non imperatorum Caroli, Ludovici, Lotharii, et trium Ottonum, Henrici etiam primi et secundi et tertii augustorum, qui constructores et defensores fuere locorum ipsorum, et quidquid de terminis et immunitate Leuguæ in eorum præceptis continetur, stabile esse judicamus. Concambia etiam quæ facta sunt de Lukesengeis et Astelebrunna sive etiam quæ a Christianis hominibus pro salute animarum suarum ad ipsa monasteria collata sunt et condonata: a Fretherico comite *Ferieres* et *Causes*, a Fretherico duce *Sprismont* allodium cum ecclesia, et quæcunque ab initio constructionis locorum usque in præsens eorum manet possessio et imposterum concedenda sunt, ut firma stabilitate perpetuoque jure inconvulsa permaneant, decernimus et confirmamus. Nullum habeant advocatum nisi unum et alterum ab ipso, qui uterque bannum advocatiæ ab imperatore accipiat, nec secundum prædictorum præcepta imperatorum quisquam eorum præsumat, aut in villis vel possessionibus quæ ad ipsa monasteria respicere videntur placita tenere, mansuras aut precarias habere, redhibitiones vel freda exigere, parefredos sumere, vel cuiquam violentiam inferre sine permissu abbatis et voluntate, nullique personæ cujuscunque dignitatis sit vel ordinis, ipsam abbatiam licet unquam in beneficium vel concambium accepere. Quod si quis, quod absit! hæc omnia tentaverit infirmare, beati Petri nostraque auctoritate cum æterno percutimus anathemate. Præterea san-

Digitized by Google

cimus, sicut ab iisdem imperatoribus est diffinitum, ut defuncto per successionem abbate, utrinque in unum e duobus monasteriis confluentibus monachis, habeant sine simulatione, sine exceptione personæ, sine respectu pecuniæ, secundum sancti Benedicti regulam, abbatem eligendi liberrimam optionem : ea tamen præponderante ratione, cum Malmundariensium pace, ut quia beatus Remaglus utriusque monasterii constructor et Tungrensium antea episcopus et pastor maluit in altero eorum, id est Stabolaus, locum sepulturæ sibi eligere, ipsi primam electionis obtineant viam, si apud eos melior meritis et probabilior inveniatur. Si autem non illic, sed Malmundarii melior reperiatur, utrique loco præficiendus ab eo potius quam ab externis assumptus intromittatur. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit his quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dictorum monasteriorum statuta sunt refragari, aut hæc in quoquam transgredi, hunc a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ segregamus, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, et cum diabolo et angelis ejus æternis incendiis concremandum deputamus. At vero qui pio intuitu observator et custos exstiterit hujus nostri apostolici constituti ad cultum Dei respicientis benedictionis gratiam et misericordiam a misericorde Deo nostro multipliciter consequatur et vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Data Maguntiæ III Nonas Septembris per manus Petri Diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domni Leonis noni papæ I, indictione III.

XV.

S. Leo IX, petente Milone, monasterii S. Bercharii Dervensis abbate, ecclesiæ in vico Villa libertatem tribuit.

(Anno 1049.)

[Mabill., *Annal. ord. S. Bened.*, IV, 737, ex chartario Dervensi.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus sancti.

Ego, Dei clementia, Leo humillimus papa, volo ut agnoscant fideles universi sanctæ hujus Leuchorum sedis, qualiter abbas Milo ex sancti Bercharii monasterio meam adierit præsentiam, petens ut cuidam altari suæ ecclesiæ libertatem pro Dei amore, cujus servitium illo disponebat, ordinare traderem. Est autem ecclesia illa super Blesam fluvium in vico, qui dicitur villa, in qua monachos ad serviendum Deo decernebat instituere. Quod ostendens meis et hujus Dei ecclesiæ filiis, clericis seu laicis, censuerunt ut ejus petitioni præberem assensum, quatenus ipse abbas et congregatio ac successores eorum pro mea parvitate sive successoribus meis semper precentur Domini misericordiam. Quorum consilium amplectens, concessimus omnem libertatem prædictæ ecclesiæ, ut inibi habitantes monachi absque ulla emptione altare sancti Mauricii ad honorem dicatum perpetualiter possideant. Propter quod capellanus, qui curam animarum Villa habuerit, synodum atque concilium provideat, censumque persolvat; quando vero alius successerit, oblatus a monachis absque ulla servitute locum tenebit. Si quis ergo præsumpserit hæc ullo modo transgredi quæ prædicto indulsimus locello, sciat se anathematis innodatum vinculo; qui vero illis largitatem fecerit aliquam, a piissimo Domino nostro Jesu-Christo multiplicia consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur. Ut autem hoc opus pietatis nostræ consistat semper inviolabile, manu mea ac dominorum pontificum, cum clericis ac laicis qui adfuerunt, censui esse roborandum.

Ego Leo sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ præsul Tulli confirmavi.

Signum Halinardi Lugdunensis archiepiscopi.

Signum Evrardi Trevirorum archiep., Joannis Portuensis episcopi, Alberonis Metensis episcopi, Widonis Leuchorum primicerii, Stephani archidiaconi, Alberonis archidiac., Rodulfi archidiac., Lamberti archidiac., Widrici archidiac., Vlrici archidiac., Walteri decani, Warneri decani, Duranni presbyteri, Alberonis, Rotberti, Milonis abbatis Dervensis, Alberti prioris, Hingonis, Wandalgeri.

Ego Petrus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus, bibliothecarius et cancellarius, subscripsi.

Ego Joannes subdiaconus scholæ cantorum subscripsi.

XVI.

S. Leo IX Parthenonis S. Mariæ Portus Suavis, a Bertholdo quondam episcopo Tullensi construi cœpti, ab ipsoque perfecti, possessiones et privilegia confirmat.

(Anno 1409.)

[Dom Calmet, *Histoire de Lorraine*, I, *Preuves*, *col.* 432.]

Leo epsicopus, servus servorum Dei, omnibus orthodoxis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ gubernatoribus, et omnibus veræ religionis veræque fidei cultoribus præsentibus et futuris.

Perspicue cognoscimus, et certa lege tenemus, quod pro cunctis bonæ actionis studiis et spiritualibus animæ incrementis, corona nobis a Deo et merces præparetur in cœlis; unde sicut destituta sanctæ religionis loca solerter sunt corrigenda, et ad statum rectitudinis sollicitudine pervigili revocanda, ita et cœpta in se ipsum bona a nobis sunt cœnobia solidanda atque fovenda, præsertim cum nobis divina providentia custodiam animarum et regimen contulerit ecclesiarum, quibus oves suas vitalibus alimentis pascere, bene incœpta confirmando, et quæ vigent diligentius educando, præcepit. Hæc ergo me considerante, dum in initio nostræ ordinationis fui Dei dono Leuchorum præsul electus, interea sollicitudinis meæ studio mihi innotesci contigit, quod prædecessor meus dominus venerabilis Bertholdus, quoddam cœnobium ex pontificalis præbendæ sumptibus, in villa quæ Portus Suavis dicitur, construere cœperit, sed fine præreptus, bonum opus ad finem usque minime provexerit; cujus san-

Digitized by Google

etiam intentionem conspiciens, et aliquantulam portionem in ejus mercede devotionis adipisci cupiens, cœptum laborem Christo favente perexplere studui, cœtumque sanctimonialium Deo ibidem serviturarum congregavi, et locum in veneratione gloriosæ Virginis Genitricis Mariæ, et sanctæ virginis Mennæ ibidem corpore quiescentis consecravi; postquam autem ad onus apostolatus sanctæ Romanæ sedis fui evocatus Dei dispensatione, contigit me fines Galliarum revisere, pro sancta Dei corroboranda religione; dumque in sanctæ Dei Tullensis ecclesiæ sede remorarer, quam adhuc retinebam in nostræ ditionis ordinatione, adiit nostram præsentiam Berenna abbatissa ejusdem cœnobii, poscens res a nobis vel ab aliis Deo devotis collatas, nostra apostolica auctoritate corroborari. Ejus petitionem utilem fore cernentes, confirmavimus eidem loco, sancti Petri auctoritate, cuncta quæ dudum delegavimus, scilicet viginti duos mansos et semis in eadem villa Portus Suavis, cum banno et districtu, et quidquid ibidem possidemus in silvis et pratis, aquarum decursibus, terris cultis et incultis; tria etiam molendina in ipsa villa, et ecclesiam Sancti Mauritii, cum capella Sancti Andreæ, de quibus nullus census nullumque servitium alicui debet solvi. Ecclesiam de Babainvilla (*Bainville*) cum capella de Xuilleyo (*Xuilly*), et capellam de Mazeriis (*Maisières*); medietatem ecclesiæ de Saviniaco (*Sepvigny*), medietatem capellæ de Sampiniaco (*Champougny*); medietatem ecclesiæ de Morlain-curte (*Morlaincourt*), capellam de Lagniaco (*Lagny*); ad Faveriis (*Favières*), medietatem ecclesiæ et dimidium mansum allodii cum servis et ancillis. Concedimus etiam altaria prælictarum ecclesiarum absque ullius pretii redemptione in futuris temporibus perpetuis possidere; tertiam partem terræ de Cauleyo (*Chauloy*), cum dimidio banno; quatuor vineas ad Domnum-Germanum (*Dom-Germain*), et vinum decani; ad Straflede-villare, mansum unum; ad Grandem-Frasnum (*Fresnel-la-Grande*) dimidium mansum. Confirmamus quoque eidem loco illa quæ post constructionem ipsius cœnobii prædicta abbatissa suo studioso labore acquisivit. Ad Humberticurtem (*Humbercourt* ou *Ambercourt*) tres quartarios, et dimidium molendinum, quem dedit ipsi monasterio Dado miles. Ad Bactris dimidium mansum, et silvam apud Valdonis-curtem (*Vaulioncourt*), quem dedit Mamsedis uxor Windrici, ad Bossevini-frontum tres quartarios cum silva et pratis, quæ dedit Odilla uxor Elbonis, inter Domnum-Martinum (*Dom-Martin*) et Morli-curte, mansumque quem dedit Vindistoldis uxor Biralli de Vendopera; ad Domnum-Martinum super aquam arandum quartarium et semis, et tres partes medietatis ecclesiæ; medietatem ecclesiæ de Puteolis (*Puisieux*) et altare ejus, et quartarium alodi de Puteolis, quem dedit Radulphus pro uxore sua. Præterea decernimus ut eidem cœnobio præficiatur abbatissa, quæ secundum regulam sancti Benedicti præesse et prodesse queat. Quoties quælibet abbatissa ab hac luce migraverit, ab eisdem, laude episcopi, digna eligatur abbatissa; sin vero inter eas electio digna effici nequierit, ex alia qualibet congregatione idonea abbatissa expetatur. Inhibemus igitur et universo cœtu præsentium fidelium annuente præcipimus, ac sub invocatione divini nominis contestamur unumquemque antistitem ipsius sedis, successorum videlicet nostrorum, ne unquam de hac præscripta facultate ancillarum Dei, quam illis per testamentum concessimus, subtrahere quidquam vel diminuere præsumat, neque ipsam aliquando congregationem exordinare vel injuste perturbare audeat; sed quoties ei ad eas venire placuerit causa charitatis, et piæ sollicitudinis, veniat; et si qua inter eas ordinanda vel corrigenda sunt, clementer ac secundum Deum ordinare vel corrigere studeat. Si quis tamen, eorum iniqua cupiditate persuasus, hanc ordinationem nostram a nobis constitutam infringere aut violare tentaverit, iram Dei omnipotentis incurrat, ac pœnam sempiternæ damnationis irremediabiliter persolvat, nec sit illi pars cum Deo in retributione justorum, sed habeat partem cum principe tenebrarum, feratque judicium divinæ ultionis, transfixus anathemate perpetuæ maledictionis. Qui vero pio intuitu hujus privilegii nostri custos et observator exstiterit, a Domino Deo gratiam consequatur, et æternæ gloriæ particeps efficiatur.

In cujus bullæ circulo est scriptum : MISERICORDIA DOMINI PLENA EST TERRA. *Et in medio circuli :* LEO PAPA. *Postea magnum* B. L. *pro suscriptione.*

Datum Kalendis Octobris per manum Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, anno II (124) domini Leonis papæ IX, indictione III, cum plumbo et chorda in pergameno.

XVII.

S. Leo IX diem dedicatæ ecclesiæ S. Remigii (1 Octobris) celebrem esse præcipit per Remensis episcopii confinia.

(Anno 1049.)

[Mabill. *Acta SS. ord. S. Bened.* Sæc. VI parte I, pag. 726.]

LEO episcopus, servus servorum Dei, fratribus et filiis catholicis per universum regnum Francorum constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Compertum charitati vestræ credimus quod post consecrationem nostram, illam videlicet qua benignitas Dei humilitatem nostram sanctæ Romanæ Ecclesiæ præesse voluit, Germaniam Galliamque visitavimus, ac Remorum urbem adeuntes, maximo voto et summa devotione ecclesiam beati Remigii, ut longe ante desideravimus, Deo annuente, et ejusdem sanctissimi viri patrocinantibus meritis, cum magna gloria dedicavimus, atque post consecrationem ecclesiæ in eadem synodum celebrantes, plurima ad utilitatem Christianæ religionis neces-

(24 Leg. 1.

Digitized by Google

saria, consilio coepiscoporum nostrorum, assensu etiam et laude cleri et populi, quorum innumera multitudo ad tantæ devotionis celebritatem confluxerat, statuendo confirmavimus: quæ omnia capitulis digesta inter canones haberi præcepimus, et postea, in omnibus synodis quas habuimus, idipsum confirmare curavimus. Et quoniam beatissimum Remigium gentis Francorum prædicatorem et apostolum scimus, venerari et honorare illum, quem Dominus in terris et in cœlo mirificavit, prout possumus, debemus, præsertim cum semper in nostro pectore inde ipsius amor ferventius ardeat, quod pretiosissimum corpus ipsius sanctissimi viri propriis manibus transferentes in locum sibi præparatum, miraque pulchritudine exquisiti operis decoratum reposuimus. Unde vestram admonere volumus dilectionem ut, sicut nos in ejus obsequiis perpenditis gratulari, ita et vos causa nostri amoris, maximeque ex debito paterni honoris, solemnitatem ejus, quæ est Kalendas Octobris, celebrem habeatis; quia etsi aliis non est apostolus, tamen vobis est: nam primitiæ apostolatus ejus vos estis in Domino. Hunc itaque honorem patri et apostolo vestro exhibete, ut juxta promissum Domini, longævi super terram vivere, et ejusdem Patris precibus æternæ beatitudinis felicitatem mereamini possidere. Valete.

XVIII.

S. Leo IX in synodo monasterium S. Remigii Remense privilegiis ornat.

(Anno 1049.)

[Mabill. *Acta SS. ord. S. Bened.*, Sæc. VI parte II, pag. 726.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Herimaro abbati, et omni congregationi monachorum Sancti Remigii perpetuam salutem.

Divinæ bonitatis non immemor et ingratus, quæ sua gratia humilitatem meam in sede apostolica sanctæ Romanæ Ecclesiæ sublimavit, ne mea negligentia mihi discrimen, ecclesiarum autem faciat ruinam, ecclesias quæ nostro apostolatui subjacent, catholice ordinare, regere et emendare, nec non apostolica auctoritate immunes et liberas facere proposui, si sancti Spiritus benignus favor mihi annuerit. Unde, ex debito nostri apostolatus, post aliquas ecclesias quas zelo succensus charitatis visitavi, et, divina misericordia me præveniente, ut potui, emendavi, ad hanc beati Remigii ecclesiam dedicandam, de ecclesiasticis etiam causis tractaturus et definiturus, adveni, confidens sanctissimis meritis ipsius adjuvari ad obtinendam Dei misericordiam, si aliquid dignum et memorabile egerim ad ipsius honorem et gloriam. Hac igitur dedicata ecclesia, placuit huic idonea et laudabilia auctoritatis et nostræ visitationis relinquere monumenta. Deliberamus itaque, et coram hac sancta synodo promulgamus, statuimus et confirmamus, ut hæc ecclesia hoc privilegium nostræ auctoritatis supra cæteras Franciæ ecclesias habeat, quatenus nulla ecclesiastici ordinis magna vel parva persona in hoc altari quod consecravimus, missam celebrare præsumat, nisi Remorum archiepiscopus, et hujus loci abbas, et cui licentiam concedet; permissa eadem licentia canonicis Remensis ecclesiæ bis in anno, in Pascha scilicet et in Rogationibus, septem presbyteris legitimis ad hoc officium deputatis, quos et scientia ornet, morum gravitas et vitæ probitas commendet. Præterea, quia hæc ecclesia ab iniquis pervasoribus graves et multiplices suarum rerum est passa injurias, ne quisquam amodo villis beati Remigii, quas possidet vel possidebit, aut hominibus intra vel extra ipsas villas positis, graves consuetudines imponat et iniquas, auctoritate beati Petri apostolorum principis prohibemus, et quæ hactenus injuste fuerint impositæ, eadem sancta et inviolabili auctoritate, ne ulterius fiant interdicimus, servata hac in omnibus auctoritate, ut consuetudines quæ juste ei antiquitus sunt constitutæ, ratæ permaneant et inviolatæ. Hoc etiam nostra auctoritate confirmamus, quod Wido Remorum archiepiscopus partem quam in mercato habebat, quod erat XII Kalend. Novemb. beato Remigio nostro obtentu donavit, ea conditione ut nemo in ipso mercato quinque denariorum pretium per violentiam auferat, nullus, nisi hujus loci abbas, aut cui ipse jusserit, ibi quidquam accipiat. Nullus ad idem mercatum convenientes, quod XII Kalend. Novemb. statuimus et promulgamus, veniendo et redeundo cædat, impediat, aut per vim eis aliquid auferat. Statuentes sub divini obtestatione judicii, ut qui hoc privilegium sanctæ Romanæ sedis violare præsumpserit, æternam damnationem incurrat. Sub eadem obtestatione, nostro precatu et præfati archiepiscopi voluntario assensu, remissus est ecclesiæ sumptus quem in festo sancti Remigii accipiebat Remensis archiepiscopus.

Datum III Nonas Octobris per manum Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domni Leonis papæ IX I, indict. III.

XIX.

Bulla Leonis IX Gedulfo Stabulensis Ecclesiæ thesaurario concessa, qua omnes possessiones ad dotem altaris concessas aliaque privilegia Stabulensis thesaurarii confirmat.

(Anno 1049.)

[Martene, *Ampliss. Collect.* II, 69.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Gedulfo, Stabulensis ecclesiæ thesaurario, cunctisque suis successoribus apostolicam benedictionem.

Pastoralis curæ vigilantia propria nos sollicitudine hortatur ut omni studio commodis ecclesiarum Dei intendamus, et quidquid quieti fratrum et firmamento possessionum conduxerit, hilari animo et munifico præbere debeamus. Quia igitur frater Gendulfus, Stabulensis Ecclesiæ ædituus, notitia nobis et familiaritate acceptus, provi-

Digitized by Google

dentiam nostram adivit, petens ut officio cui deservit nostræ auctoritatis decreto firmamentum adderemus. Nos, et æquitate justitiæ et sedula fratris petitione commoniti, præsentis edicto paginæ omnes possessiones quæ ad dotem altaris supradictæ ecclesiæ pertinere noscuntur, inviolatas permanere constituimus. Præcipimus etiam ut, sicut hactenus idem frater, cum suis antecessoribus, ratiocinia sua in eis qui vinum aut plures denarios ad altare pro censu capitis persolvunt, sine contradictione accepit, ita deinceps cum successoribus suis immobili firmitate obtineat; id est quidquid pro interfectione viri sui, vel pro effusione sanguinis, vel pro imparibus nuptiis sæculari jure persolvitur, ad thesaurarium ecclesiæ sine ulla refragatione perveniat. Nec liceat abbatibus aut alicui B præpositorum, vel censum ipsum, vel ratiocinia quæ ex supradictis et aliis rebus proveniunt, in feodum dare, vel alio quocunque modo ipsis ædituis ullam diminutionem vel alienationem inde facere. Quod quicunque præsumpserit, beati Petri et nostra auctoritate anathematis vinculo irrevocabiliter illigetur. Hoc, quod pro amplitudine possessionum suarum illi ecclesiæ pernecessarium est, beati Petri auctoritate immobili decreto firmamus, et, quia beatus Remaclus utriusque loci primus fundator, relicto Tungrensi episcopatu cum insulis pontificalibus, eisdem locis primus abbas præfuit, omnibus eorumdem locorum abbatibus firma et libera ligandi atque solvendi potestas permaneat, et rerum suarum invasores a Christianitate suspendere iterumque et communioni sanctæ restituere prævaleant. C

Data Remis III Nonas Decembris (125), per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ et apostolicæ sedis, anno Dominicæ incarnationis 1049, anno domni Leonis noni papæ secundo, indictione IV.

XX

S. Leonis IX privilegium de immunitate prioratus Sancti Marculfi, seu ecclesiæ de Corbiniaco, a monasterio Sancti Remigii dependentis.

(Anno 1049.)

[Marlot, *Metropolis Remensis Historia*, II, 108.]

Congruit apostolatui nostro pro universis Ecclesiis Dei, ne damna rerum suarum sustineant, sed magis D in melius augeantur et crescant, curam habere. Igitur, quia fraternitatis tuæ dilectio nos postulavit quatenus monasterium quod corpore beati Marculfi nobilitatur, et in episcopatu Laudunensi situm est, privilegio sanctæ sedis apostolicæ muniremus, quo ad Dei omnipotentis laudem et ejusdem Marculfi honorificentiam nullius hominis avaritia et temeritate valeat in quoquam minus violari, sed potius augeatur et crescat : propter interventum tuæ dilectionis confirmamus et corroboramus hoc nostro auctoritatis privilegio eidem monasterio omnes possessiones, etc.

Datum III Nonas Octobris per manum Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domni papæ Leonis noni primo, indictione tertia.

XXI.

S. Leo IX confirmat privilegia abbatiæ S. Dionysii.

(Anno 1049.)

[Doublet, *Histoire de l'abbaye de Saint Denys*, pag. 461.]

Leo, servus servorum Dei et Ecclesiæ Romanæ episcopus, regibus et ducibus, principibus atque dominatoribus, et cis qui nunc sunt et venturi sunt futuris temporibus.

Quoniam justis petitionibus assensum nostrum præbere et Ecclesiæ sanctæ vigilanter utilitatibus B oportet inservire, Deo nostro sine dubio per hoc speramus nos placere, si res et ecclesiasticas constitutiones, a sanctis Patribus ita ut constitutæ sunt, cogamus permanere, et, ne deinceps ab iniquis impune corrumpantur, nostra auctoritate roborare. Quapropter notum facimus præsentibus et futuris, omnibus videlicet regibus et ducibus, principibus et dominatoribus, seu cunctis apostolicæ sedis fidelibus, quod venerabilis abbas Hugo et monachus monasterii beati Dionysii martyris, ubi ipse sanctus in corpore requiescit, nostram benevolentiam precibus imploravere, quatenus privilegia eidem monasterio a domino Dagoberto Francorum rege, ipsius loci fundatore, concessa, sed et Clodovius filius ejus, regumque simul eorum omnium immunitatum confirmationes, quicunque suam illi monasterio beati Dionysii martyris auctoritatem promulgantes præstiterunt, sed et privilegium quod fecit Dominus et venerabilis Landericus, Parisiacæ urbis episcopus, una cum consensu suorum canonicorum pariterque regionis illius episcoporum, de libertate et emissione clericorum in suis ordinibus omnibus, quod videlicet omnes, secundum metas a se discretas, in circumscripto loco ecclesiis servientes a sua et omnium suorum successorum potestate absolvit, et abbati et fratribus monachis supradicti monasterii regendum et disponendum contradidit, sanctorumque prædecessorum nostrorum, Romanorum pontificum, Zachariæ, Stephani, Leonis, Adriani, Nicolai privilegiorum decreta sancta et apostolica auctoritate confirmata, nec non privilegium domni Æneæ Parisiensis urbis episcopi et episcoporum illius patriæ de prædicti loci corroboratione, temporibus Caroli regis factum, nos demum manum imponentes, nostra etiam auctoritate dignaremur roborare.

Providentes ergo eidem ecclesiæ et ad munimentum prælati ibi abbatis, atque fratrum præsentium et futurorum, qui in ipso venerabili monasterio Deo militare videantur, utile fore, auctoritate beati Petri apostoli (cujus nos immeriti vicarii sumus) et nostræ privilegio paginæ prædictorum regum seu prædecessorum nostrorum et episcoporum venera-

(125) Pro III *Non. Decembris* legendum III *Non. Octobris*; nec reliqua temporis signa vitiis pura sunt. JAFFÉ.

Digitized by Google

bilium ejusdem patriæ decreta roboramus, regum omnium potentiam sive successorum nostrorum a Christo creditam auctoritatem obtestantes, ne locum sancti Dionysii, Christi martyris, suis auctoritatibus et privilegiis roboratum, vel per se, vel per sibi subditos quoquo modo temerari patiantur in ævum. Sancientes igitur promulgamus ne ullus aliquando Parisiacæ urbis episcopus, quaqua ratione vel quacunque causa, abbati vel fratribus prædicti loci de parochianis suis, facto apud eum clamore super his quæ malefacerint, justitiam deneget : quod si fecerit, sicut singulari privilegio domnus Stephanus, antecessor noster, concessit eis potestatem eligendi ex se et habendi episcopum, ita et nos per singulare privilegium nostrum eis concedimus ut, vice nostri nominis, habeant potestatem percutiendi eos anathemate et relaxandi post satisfactionem, sicut constitutum vidimus et corroboratum approbavimus in privilegio jam dicti Æneæ Parisiensis episcopi, facto consensu canonicorum suorum, Suessionis in regali synodo residente rege Carolo et concedente, præsentibus et eidem annuentibus super parochianis suis, et hujus constitutionis violatores anathematis gladio percutientibus, tam metropolitanis illius patriæ, scilicet Hincmaro Remensi, Wanilone Senonensi, Venilone Rothomagensi, Rodulfo Bituricensi, Herardo Turonensi, Frotario Burdigalensi, quam et suffraganteis eorum, qui plenius in eodem privilegio inveniuntur. Præcipimus quoque ne quis eorum episcoporum, a quibus ista postulare voluerint, eis oleum, chrisma, tabulas, benedictiones, ordines suis temporibus, prout ipse abbas vel fratres, vel successores eorum expetierint, præsumat denegare : et ne quis episcoporum Parisiacæ urbis hæc eis deneget, vel alium qui eis contulerit interpellare pro hoc quoquo tempore tentet, omnino interdicentes prohibemus. Hoc etiam jubemus ut pro causis et responsis ecclesiæ suæ nostram atque nostrorum successorum audientiam licenter habeant appellare et adire, nullusque eos interim condemnare et res eorum invadere conetur, quod a nostris utique prædecessoribus, eis ante constitutum est. Quod si quisquam cujuscunque potentiæ, vel persona cujuscunque ordinis vel ætatis hoc nostræ, nostrorumque prædecessorum auctoritatis privilegium quoquo modo ausus fuerit violare, sempiterno damnetur anathemate, ligatus beato Petro, nobisque a Deo concessa potestate ; conservatores autem perpetua fruantur benedictione.

Datum tertio Non. Octob., per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ et apostolicæ sedis, anno domni Leonis papæ IX primo, indict. III.

XXII.

S. Leo IX in synodo Moguntina quadraginta episcoporum, præsente Heinrico imperatore, Simoniacam hæresim damnat, repudiatoque Bertaldo, ecclesiæ Vesontionensis invasore, Hugonem archiepiscopum suncit, eique crucis palliique usum concedit.

[Theiner, *Disquisitiones criticæ*, pag. 205.]

(Anno 1049.)

Leo episcopus, servus servorum Dei, omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris.

Gratias agentes Deo et Domino Jesu Christo, qui mediocritatem nostram nullis meritis fultam ad apostolicæ tamen sedis culmen evexit, et synodalibus decretis de corpore sacræ Christianitatis, cui ipse caput est, aliqua inconvenientia et etiam nocentia amputare concessit, per hanc nostræ præceptionis paginam innotescimus eorum aliqua quæ gessimus in synodo Moguntina, in qua nobis consedit prudentissima filii nostri Henrici II Romanorum imperatoris majestas, multorumque fratrum et coepiscoporum nostrorum nec non abbatum reverenda sanctitas, honestorum clericorum atque laicorum religiosorum præsente non parva multitudine. Damnata enim simoniaca hæresi eaque radicitus exstirpata, cum de divinis officiis et sacris ordinibus diversa emergerentur negotia, ecce quidam Bertaldus nomine coram se protulit seque archiepiscopum Vesonticæ esse clamavit, eaque de re querimoniam se velle facere, quia multis jam annis esset consecratus nec receptus, inimo alius sedem suam invasione possideret. Quo dicto rogans sibi clam causidicum fratrem nostrum Coloniensem archiepiscopum Lermoennum laudante synodo nobisque annuentibus assecutus est. Qui sumens causam ejus dicendam a rege Burgondionum Rodulfo exorsus est, cui idem Bertaldus famulabatur indebitamque subjectionem impendebat, cum forte contigit Hectorem archiepiscopum Vesonticensem a corporis vinculis absolvi ejusque cathedram remanere vacuam. Bonefacio vero regis idem Bertaldus, dictante causidico suo, professus est investituram se ejusdem archiepiscopatus accepisse, eoque rege præcipiente a suffraganeis episcopis consecratum fuisse et in sede episcopali sedisse et etiam ordinationes fecisse : sed contradicente sibi episcopatum quodam comite Willelmo, postea expulsum a Walterio antecessore Hugonis ejusdem sedis archiepiscopi, qui etiam nostræ synodo intererat, contra quem de sua sede clamabat. Dicebat etiam quod, post expulsionem suam, a Romano pontifice pallium cum privilegio acceperit ac suscepti honoris confirmationem; cui querimoniæ ipsum Hugonem archiepiscopum jussimus respondere, qui etiam nostra indulgentia Bremensem archiepiscopum Albertum in suum suscepit causidicum. Quo dictante taliter objecta cœpit repellere : quod eidem Bertaldo sedem quam requirebat nec ipse abstulerit, nec antecessor suus, quia nunquam in sedem ascendisset, nunquam ibi quidquam episcopaliter egisset, pro eo quod nec clerus nec populus eum elegerit, nec ab eis receptus est, sed omni contradictione repulsus, quia magnam pecuniam ut episcopus fieret regi dedisset, et quia contra jus loci fecisset, qui semper electionem sui episcopi ipse habuisset. Se vero in eadem ecclesia cum officio cantoris fungeretur, mortuo antecessore suo, momoravit a clero et populo electum et etiam invito

Digitized by Google

abstractum, et, cum jam in episcopatu 18 annum duceret, nunquam se amplius quidquam calumniæ ab eodem Bertaldo perpassum in aliqua synodo, cum jam multis interfuisset, sed nec etiam aliquid super hac re verbum alicubi contra se fuisse prolatum, cum quiete pastorale officium sumpsisset et quiete tunc usque administrasset. Requisitus est autem a synodo ipse Bertaldus si quid proposuisset evidentibus testimoniis probare potuisset, quod scilicet in sede sederit ibique ordinationes fecerit, super hoc etiam quod electus esset a filiis Ecclesiæ, quod canones præcipiunt fieri debere. Quid plura? Consilium petiit, concessimus. Reversus, quæ propposuit cum probare non posset, interrogavimus a sancta synodo quid super hoc decerni debuisset. Itaque pari consensu et communi consulto, prolatis sanctorum canonum sententiis, decre it sancta synodus eumdem Bertaldum, a filiis Ecclesiæ non electum, non receptum, non pro pastore habitum, sed semper repudiatum, semper repulsum, invitis dari non potuisse nec debuisse, ideoque perpetua taciturnitate ab hujusmodi querimonia debere cessare: Hugonem vero archiepiscopum a clero et populo expetitum, electum, sedem tanto tempore tranquille possidentem, nulla unquam calumnia ab eodem Bertaldo inquietandum, perpetua pace debere eumdem episcopatum possidere, quia ille pastor esset qui per ostium intraret, qui vero aliunde, fur et latro. Quam sententiam justam et canonice prolatam nostra et apostolica auctoritas roboravit, laudante dulcissimo filio nostro pronominato Augusto, cunctoque, qui aderat, clero et populo. Placuit etiam universæ synodo nostro apostolico tutamine eumdem Hugonem archiepiscopum muniri debere, imposito nostræ auctoritatis anathemate, ne unquam deinceps liceret Bertaldo aliquam calumniam inferre tum ipsi archiepiscopo, tum etiam ejus Vesonticensi ecclesiæ: quod et fecimus, proprio ore synodo respondente Fiat, fiat. Quapropter dignum duximus, tam ad hujus rei memoriam futuro tempore habendam, quam ad exemplum posteris dandum, omnia sicut promissa sunt scribenda esse. Quibus ita terminatis, una cum episcopali officio, etiam archiepiscopalia insignia eidem Hugoni archiepiscopo per hanc paginam concedimus et confirmamus, crucem videlicet et pallium et quidquid antecessores ejus ab antecessoribus nostris constat promeruisse, ut qui pollet meritorum laudabili dignitate, tam in virtute scientiæ quam in morum honestate, polleat etiam ornamentorum pulchritudine in omni archiepiscopalis culminis plenitudine, semperque meminerit in exteriore decore interiorem decorem procurare, ut, forma factus dominici gregis, exemplum boni operis de se præbeat suis, virtutem pontificatus simul cum nomine habens, pontem se faciens et pro se populum Dei ad eum transmittens. Hanc vero paginam, ut omne quod legitur certius habeatur, propriæ manus subscriptione et ipsi corroboravimus, et augusta manu coepiscoporumque nostrorum, qui ibi affuerant, prius subscriptionibus confirmari jussimus ad laudem Dei et Domini nostri Jesu Christi.

Henricus Dei gratia secundus Romanorum imperator Augustus.

Johannes Portuensis episcopus.
Hic duo Romani.
Bardo Magontinensis archiep.
Burchardus Alvestedensis eps.
Albertus Spragensis eps.
Ruod Padebrunnens. eps.
Sibico Spirens. eps.
Geheardus Astetens. eps.
Arnulfus Wormaciens. eps.
Adalbero Wizilburgens. eps.
Theodericus Constannens. eps.
Herimannus De Castello Felicitatis eps.
Herimannus Coloniens. archiep.
Benno Trajectens. eps.
Bruno Mindens. eps.
Albericus Osembrungens. eps.
Robertus Munigardevordensis eps.
Tetuinus Leodiens. eps.
Hugo Crisopolitanus archieps
Theodericus Bisileens. eps.
Hebreardus Trevirens. archieps.
Adalbero Metens. eps.
Hescelo Strasburgens. eps.
Henricus Augustens. eps.
Ascelinus Bavenbergens. eps.
Stephanus Antiquæ Urbis eps.
Ascelinus Eldmensens. eps.
Balduinus Salseburgens. archieps.
Geheardus Ratisponens. eps.
Nizo Frisigiens. eps.
Duo episcopi Leuticicorum.
Theodoricus Verdunens. eps.
Hunfredus Magdeburgens. eps.
Bruno Smannens. eps.
Umaldus Merseburgens. eps.
Tancardus Brandenburgensis eps.
Ebbo Nuenburgens. eps.
Albertus Bremens. archieps.
Walo Iburgens. Danorum eps.
Tetuinus Concordiens. eps. de Aquileia.

Datum XIV Kal. Novemb per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domni Leonis papæ primo, indictione tertia. XXIII.

S. Leo IX monasterium Laureshamense, petente Heinrico imperatore, tuendum suscipit, bonaque ejus confirmat.

(Anno 1049.)

[Mansi, *Concil.*, XIX, 691.]

Leo IX episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo eis domino UDALRICO, religioso abbati venerabilis Lauressamensis Ecclesiæ, et per te in eodem venerabili monasterio tuis successoribus in perpetuum.

Quoniam concedenda sunt quæ rationabilibus de-

Digitized by Google

sideriis pertinere noscuntur, nostri apostolatus auctoritas ad roborandam piam devotionem sancta loca construentium in præstandis privilegiis debet minime abnegari. Igitur, quia excellentia spiritualis filii nostri domini H. piissimi imperatoris Augusti postulavit a nobis quatenus monasterium N., quod constructum esse certum est a piissimis imperatoribus Carolo Magno et filio ejus Ludovico eorumdemque successoribus, ubi modo venerabilis abbas N. regulari institutioni præesse videtur, privilegii sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis modis omnibus decoretur, scilicet ut nullius juri et ditioni submittatur : ideo piis desideriis spiritualis filii nostri faventes, hac nostra apostolica auctoritate decernimus id ipsum præfatum monasterium et modo et usque ad finem sæculi sub patrocinio sanctæ Romanæ et apostolicæ matris Ecclesiæ, cum omnibus quæ ad illud pertinent, permanendum. Decernimus igitur, sub divini judicii obtestatione et beati Petri apostolorum principis, nostræque humilitatis interdictione, ut nullus in aliquo gradu constitutus, vel in quolibet ordine et ministerio, audeat moleste causis ejusdem monasterii incumbere, aut de rebus aut possessionibus quoquo modo auferre aut alienare, seu ipsos monachos inibi Deo servientes inquietare præsumat, nec quamlibet malitiam et jacturæ molestiam ibidem inferre conetur, dum profecto illud, ut sæpe prædictum est, firma stabilitate et juris lictione, sub patrocinio sanctæ nostræ Romanæ matris Ecclesiæ permanendum sancimus. Addimus præterea post obitum abbatis ut nemo ibidem abbatem constituat, nisi quem consensus et communis voluntas fratrum ibidem regulariter viventium ex ipsa congregatione elegerit, nullumque præmium sive donum pro consecratione illius abbatis, qui tunc temporis fuerit, præsul accipere contendat; et si eum gratis ordinare noluerit, vel a nostra Romana matre Ecclesia, vel a quolibet venerabili episcopo nostra auctoritate ordinetur. Promulgantes nempe, et hoc auctoritate beatissimi Petri apostolorum principis, coram Deo et terribili ejus futuro examine, per hujus nostri apostolici privilegii constitutionem sancimus ut universa quæ ab antecessoribus successoribusque nostris in rebus mobilibus et immobilibus concessa sunt, nec non et possessiones quæ a regibus et principibus seu quibuslibet Christi fidelibus collatæ sunt, fuerintve in posterum, inconcussa stabilitate ad jus et dominium sancti Nazarii martyris perpetuis temporibus perseverent, nec licentia sit, ut dictum est, ex omnibus ejusdem monasterii pertinentibus cuiquam vel magnæ vel parvæ personæ diripere quidquam vel auferre, ut profecto ad Dei laudem securum et tranquillum juste id quod subjectum juri et patrocinio fuit decrevimus, bene dotatum et in melius dotandum permaneat. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc quæ ad honorificentiam Domini Dei et Salvatoris nostri pro stabilitate ipsius monasterii et quiete monachorum statuta sunt, transgredi, sciat se anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et omnibus impiis eum incendii atrocissimo supplicio deputatum. At vero qui pio intuitu custos et observator eorum exstiterit, omnimodæ benedictionis gratiam, omniumque peccatorum suorum absolutionem et indulgentiam, et cœlestis vitæ beatitudinem cum sanctis et electis a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum, Amen.

Data XI Kal. Novembr. per manus Petri diaconi et bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domni Leonis P. primo. Indict. III.

XXIV.

S. Leo IX parthenonis S. Mauri Virdunensis possessiones et privilegia confirmat.

(Anno 1049.)

[Dom Calmet, *Histoire de Lorraine*, I, *Preuves*, pag. 424.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, fratri Theodorico Virdunensis Ecclesiæ præsuli, suisque successoribus in perpetuum.

Si devotis Dei fidelium petitionibus assensum dederimus, videlicet ut res sanctarum Ecclesiarum eorum procurationi commissas, unde duplici refectionis pastu sustentari debeat grex Dominicus, nostri apostolici privilegii auctoritate firmare velimus, universalis sanctæ Ecclesiæ statui profuturum minime dubitamus, imo ab ipso divinæ misericordiæ fonte large remunerari credimus. Unde omnium catholicorum Deoque placentium universitas noverit jam dicti Theodorici dilectissimi præsulis consensu, et Ave abbatissæ pio precum interventu, locum in suburbio Virdunensi juxta rivulum Scanciæ situm et in honorem sancti Joannis Baptistæ et sancti Joannis evangelistæ confectum, ubi sanctorum Mauri, Salvini atque Aratoris corpora ab ejusdem urbis venerantur incolis, quæ Ileimo episcopus renovavit, et instruxit propter aquæ commoditatem, ut moniales quas ibi sub monastica regula ordinavit, usualia omnia sua intra fines loci ipsius habere possint, me apostolicæ auctoritatis munimine firmare, ne quidquid idem episcopus cæterorumque Dei fidelium pia devotio ibidem contulerat, ab aliquo sanctæ Ecclesiæ inimico post hæc violari contingat : res autem ecclesiæ eidem pertinentes quas confirmare statuimus, præsentis pagina descriptionis demonstrat : videlicet villam ad Calvum-Montem, et ei omnia pertinentia; villam Marselum, et quidquid ad eam pertinere videtur; Hattonis Masnile, Caslon-Villam, Vilegium, cum vineis et familia Amalgisi; villam Adase, cum omnibus sibi pertinentibus; Gundrici-Curtem similiter; ad Labriam mansos VIII cum familia, Berlei-Curtem, ad Briodorum mansos VIII cum molendino et ejus appendiciis. In Molengeia-Curte mansos VII cum farinario; subtus Leodium, in loco qui dicitur ad sanctum Remigium, VII mansos cum ecclesia. In Samongeia, mansos VII et dimidium. Ad Grimaldi-Curtem mansos XI cum farinario. Subtus Virdunum Novam-

Digitized by Google

villam IX mansos et dimidium. Ad Tullidam VIII mansos et dimidium. Petri-Villam in Arduena, et villam quæ dicitur Nervia, mansos XX cum familia. Ad Parperiam decimas, cum omnibus indominicaturis. In Tranculfivilla ecclesiam unam. Ad Sampiniacum unam. Ad Sanctum Julianum unam. Unam in Mandris. Ad Villam unam. Ad Caslon unam cum capella. Ad Imbeiam unam. Ad Trogium I. Ad Ranserias unam. Ad Malameias unam. Ad Prodagion unam. Ad Arberti-villam, unam et quartarium cum piscaria. Ad Domnum-Petrum unam. Ad Lovum-Montem unam; ad Ornam, unam; ad Bras, unam; ad Unfli-villam, unam. Ad Romanas I. Ad Pilon I. Capellam S. Lamberti in civitate, et S. Medardum ipsius ecclesiæ abbatiæ adjacentem. Ad S. Hilarium piscariam cum manso I. In Samongeia piscariam I. Teloneum in civitate. Infra muros mansos duarum librarum; molendina duo subtus novum pontem. In Floraco super fluvium Airam, mansos IX. Comitissa Auda eidem ecclesiæ, in qua et sepulta est, contulit, et ad domnum Johannem mansos XII cum ecclesia supra Cosantiam, et prædium quod acquisivit. In Lovomontem, et Brabant, ecclesiam in honorem Sanctæ Crucis, quam Heimo episcopus rebus undequaque acquisitis dilatavit, canonicis inibi constitutis, qui hebdomadarii in jam dicto monasterio divinis inserviant officiis, nec canonicam nisi ab abbatissa recipiant. Earum autem rerum hæc sunt nomina. Ad Romanas mansos III et dimidium, cum banno. Ad Asenam bannum, cum sylva. Ad villam mansum I cum molendino. Ad Crucem alodem cum sylva. Ad Caston-Curtem mansum dimidium. Ad Aldem-Villam alodem; juxta civitatem Cumminas III. Ad Aldeberti portam I. Ad Dodam-Vallem I. Ad Dormarvallem I. Ad Elnam quartarios VII, infra muros II vineas. Ad Ronnei-villam mansos II et quartarios tres. Mansos in civitate qui persolvunt solidos VIII, clibanum unum. Ad Novam-Villam mansos I et dimidium. Hæc omnia quæ præscriptio nostra continet, tam urbana quam ruratica, in ædificiis, vineis, pratis, sylvis, campis cultis et incultis, utriusque sexus mancipiis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscariis ecclesiis, capellis, sicuti jure et legaliter atque canonice ad hoc monasterium pertinent, ita vobis successoribusque vestris concedimus episcopis, et confirmamus in perpetuum; ita quod ad altaria ecclesiarum in episcopio vestro sitarum, sicut eis concessistis, nulli liceat aliam introducere personam, nisi quam ex sororum suarum consilio abbatissa conduxerit. Eligendi vero abbatissam secundum Dei timorem et canonum decreta liberam ipsis concedimus facultatem. Sed si controversia orta fuerit, ad episcopum pertinebit ut, sicut bonus pastor, idoneam ecclesiæ illi provideat personam, vel de sua vel de alterius diœcesi. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hoc nostrum privilegium attentarit, sciat se auctoritate Dei omnipotentis apostolorumque principis Petri, et nostra anathemate innodatum, ut a regno Dei fiat alienus, atque inde traditoris Domini nostri Jesu Christi socius in inferno, et excommunicationi subjaceat, donec resipiscens ad satisfactionem et congruam emendationem venerit. Qui vero pio intuitu curator et observator hujus nostri apostolici privilegii exstiterit, benedictionis gratiam et cœlestis regni gaudium a Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Datum nono Kalendas Novembris per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domini Leonis papæ IX primo, indictione III.

XXV.

S. Leonis IX privilegium quo canonicis Ecclesiæ Virdunensis omnes eorum possessiones confirmantur.

(Anno 1049.)

[Mabill., *Dere diplom.*, Supplem., pag. 99, ex archetypo ecclesiæ Virdunensis.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Rotmiro primicerio canonicæ sanctæ Mariæ principalis Ecclesiæ Virdunensis, atque Warmundo decano, et per eos cæteris canonicis, tam præsentibus quam futuris, perpetuam in Domino salutem.

Officii nostri est miseriis et calamitatibus condescendere, et auxilium quod valemus impendere; quia, si in nobis unde procedere debet exemplum pietatis, pietas non invenitur, in quo inveniri debeat nescitur. Redeuntibus igitur nobis a Remense synodo, contigit Virduni hospitari et non lætari, sed potius lacrymari. Respeximus enim crudele urbis excidium, quale nullus possit non dolere hominum. Etenim tyrannorum ingressa civitatem sævitia, totam diruit per dira incendia, qui ignis nec ipsi ecclesiæ sanctæ Mariæ pepercit, sed passim et ubique dominans conflagravit: ex qua conflagratione, inopinato superveniente, instrumenta etiam chartarum vestrarum præbendarum consumpta sunt, ita ut nullum remaneret. Quapropter lacrymabiliter omnes ad vestigia nostra prostrati nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium vobis postulastis fieri de eisdem præbendis, usibus et salariis vestris, ab antiquis temporibus concessis. Igitur inclinati precibus vestris, per hoc nostræ apostolicæ sanctionis privilegium confirmamus et corroboramus vobis vestrisque successoribus in perpetuum easdem præbendas, sub jure ipsius beatissimæ Dei Genitricis a fidelibus constitutas ad quotidiana divinorum officiorum servitia. Rerum vero earumdem præbendarum nomina petistis etiam huic privilegio inseri, cum nullum privilegium antecessorum nostrorum vobis remanserit, ubi videantur haberi. Sunt autem ista cum bannis et centanis: Lemnia cum ecclesia ad Oschera et duobus mansis et omnibus appendiciis suis; ecclesia ad Domnum-Agericum cum terris; Nuvilleniacum cum ecclesia, molendino et omnibus appendiciis; Usionis curtem ad Pusionem quinque

Digitized by Google

mansos et dimidium cum banno et silva; Superiacum-minorem cum ecclesia et silvis et omnibus appendiciis; Bella-villa cum banno, centana, molendinis et Malberti-monte; ad Ex. dimidius mansus cum molendino et prato; Mons cum banno, centana, ecclesia, molendinis et omnibus appendiciis; Agerici-villa cum banno centana; Berthinea-villa, Porario, Pictavilla; Profundo-rivo et ecclesiis, molendinis omnibusque appendiciis; Monaldi-villa cum banno, centana, ecclesia omnibusque appendiciis; ad Monaldi-villam mansus 1, inter Haldi-curtem et Villare mansus 4; ad Maroam mansi 2; ad Apletium molendinum 1; ad Grossum-rubrum medietas unius ecclesiæ. Inter Erpeiam-curtem et Soli 7 mansi cum banno et centana; ad Gislahadi-villam mansi 2 cum banno, centana et molendino; ad Frasnidum ecclesia 1; ad Alnidum 1; ad Domnum-Eligium 1; Udesvillare mansus 1; cum dimidio molend. ad Ramisvachum mansus 1; cum banno, centana et aliis terris, vineis et sil.is; Laumereagie cum ecclesia et omnibus appendiciis; Aquæ-ductus cum ecclesia, silvis et omnibus appendiciis; Stadonis (*Eston*) villa cum silvis et omnibus appendiciis; Miseriacum cum ecclesia, molendino, Sumomonte ac Losoni-curte; Arenceium cum silva et prato; Frumisiacum cum Warch et ecclesia omnibusque appendiciis; Domnus-Lupus cum ecclesia et molendinis; ad Sasleium mans. 1; ad Todennam 4 partes unius ecclesiæ cum terris, silva et prato; ad Wammam quartam partem unius ecclesiæ cum tribus quartariis terræ et prato; ad Milleium septem quartarios terræ cum silva et prato; ad Salmoreium medietatem unius ecclesiæ; Lineium cum ecclesia et dimidio molendino; Fontane cum ecclesia et molendino; Haraldi-mons cum ecclesia et omnibus appendiciis; Wandersaltis cum ecclesia et omnibus appendiciis; Merla cum ecclesia, molendino et omnibus appendiciis; Superiacum-major et Subterior-villa cum ecclesia, molendinis et omnibus appendiciis; Consauradum cum ecclesia, molendinis et omnibus appendiciis; ad Brailannum septem quartarios terræ cum vinea et silva; Moslavilla cum ecclesia, molendino et omnibus appendiciis; Flabasium cum ecclesia; Haudimons cum silvis; ad Junchereium mans. 1, cum banno et centana; Anselli-sartum cum ecclesia et omnibus appendiciis; Post-villare cum ecclesia, molend. et omnibus appendiciis; Moreium cum ecclesia et omnibus appendiciis; ad Areium quantum ibi habet cum portu et piscariæ; Beslaric cum duabus ecclesiis; ad Haudicurtem mansi 3; ad Balareias mans. 1; medietas silvæ sancti Martini et præbendæ fratrum, advocationes et altaria de ecclesiis nostris; molendinum super Braecolum in media civitate; Junchereium ante castellum Ramerudis; ad Ars vero mansi 4 cum 1 quartario, silva, banno, centana, vineis et molendino: quæ omnia Dado piæ memoriæ episcopus Virdunensis Ecclesiæ ea conditione cum communi consilio comitis Hagenonis aliorumque suorum fidelium fratribus habenda dedit, ut quicunque homo sive mulier de omni Virdunensi episcopatu, cujuscunque beneficii vel de quacunque lege esset, qui in eadem potestate permanere vellet, fratribus perpetualiter esset, et de suo capite unum modium vini persolvisset. Si vero filii aut filiæ ex eis procreati ad alias redire voluissent potestates, a villico ejusdem potestatis prosecuti semper persolvissent summam census prænotati: quod ut firmius in perpetuum stare possit, precati sunt eadem lege conditionis a nobis sibi privilegio firmari, sicut prædictus episcopus, quando dederat, facere studuit. Quæ omnia superius seriatim notata non solum vobis confirmamus et corroboramus; sed etiam quæcunque a fidelibus Christianis vobis vestrisque successoribus amodo fuerint contributa: statuentes apostolica censura, sub divini judicii obtestatione, ut nulla hominum persona, magna vel parva, cujuscunque sit dignitatis vel ordinis, cujuscunque sit sexus et ætatis, contra hoc nostri apostolici privilegium venire pertentet. Quod qui ausus fuerit, nostri anathematis gladio usque ad dignam satisfactionem sit percussus; qui vero illud observaverit, illæsus et in omni parte inconcussus, divinæ benedictionis gratiam mereatur et æternæ vitæ particeps efficiatur.

Leo papa. Gloria Domini plena est terra. Bene valete.

† Data VII Kal. Nov. per manus Petri diaconi bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domni Leonis noni papæ I, indict. III.

Appensa est plumbea bulla cum hac inscriptione: LEONIS PAPÆ.

XXVI.

S. Leo IX Veteris Monasterii S. Mariæ Virdunensis, a sese consecrati, possessiones confirmat.

(Anno 1049.)

[Dom Calmet, *Histoire de Lorraine*, I, *Preuves*, pag. 423.]

LEO episcopus, servus servorum Dei, fratri THEODORICO Virdunensi præsuli, et suis successoribus in perpetuum.

Si devotis Dei fidelium petitionibus assensum dederimus, videlicet ut res sanctarum ecclesiarum eorum procurationi commissas, unde duplici refectionis pastu sustentari debent grex Dominicus, nostri apostolici privilegii auctoritate firmaverimus, universalis Ecclesiæ statui profuturum minime dubitamus, imo ab ipso divinæ misericordiæ fonte remunerari credimus. Unde omnium catholicorum Deoque placentium universitas noverit, jam dicti Theodorici dilectissimi præsulis consensu, et Ermenfredi Virdunensis archidiaconi interventu, locum, Vetus Monasterium antiquitus dictum, ab ipso Ermenfredo funditus renovatum; imo a me ipso in honore sanctæ Mariæ Magdalenæ devote dedicatum et consecratum, me apostolicæ auctoritatis mu-

Digitized by Google

mine confirmare; ne quidquid Heymo episcopus cum cæteris successoribus, præfatus etiam Theodoricus præsul contulit, ab aliquo sanctæ Ecclesiæ inimico post hæc violenter auferri contingat, etc. Si quis autem temerario ausu supradictarum rerum invasor exstiterit, quod absit! sciat se nostri anathematis vinculo innodatum, infernalis gehennæ incendio cum Juda traditore cruciandum, nisi resipiscens de male factis pœniteat et commissa justa satisfactione corrigat.

Datum septimo Kalendas Novemb. per manus Petri diaconi, bibliothecarii, cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domini Leonis papæ primo.

XXVII.

S. Leo IX ecclesiam SS. Simonis et Judæ Goslariensem, in synodo Moguntina concessam sibi ab Heinrico imperatore, tuendam suscipit ejusque bona confirmat, advocatiamque et præpositorum instituendorum potestatem imperatori tribuit.

(Anno 1049.)

[Mansi, *Conc.* tom XIX, col. 725.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, omnibus Christi fidelibus.

Sancti propositi votum non solum divino effectu impletur, sed etiam humano suffragio adjuvatur. Sit autem notum omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, quia filius noster charissimus secundus Henricus imperator augustus quamdam ecclesiam a se funditus constructam in honorem sanctæ Dei Genitricis dominæ nostræ virginis Mariæ et BB. apostolorum Simonis et Judæ, positam loco Goslaria, ubi fratres sunt sub canonica degentes regula, quibus præposuit quemdam presbyterum nomine Rumaldum, tam pro animæ suæ suæque conjugis Augustæ filiæ nostræ Agnetis remedio quam pro salute etiam parentum suorum Conradi et Gisilæ divæ memoriæ, pio affectu piaque intentione sancto Petro ejusque apostolicæ sedi per scripturam propria manu signatam penitus concessit per manus nostras, scilicet indigni vicarii ejusdem apostolorum principis, cum essemus cum eo Moguntiæ, ibique synodum haberemus, ut ipsa ecclesia posita sub apostolico jure in perpetuum libera et quieta persistat ab omni jure et dominio, ab omni læsione et molestia, suam integritatem habens in omnibus rebus et facultatibus, quas modo habet in prædicto loco Goslaria in Egeln et Iheresleb, et in Scemmenstete, et in Gerstete, et in Valentre juxta Rhenum sito, aliisque locis et villis, et quæcunque in perpetuum habitura est, sive sint mobilia sive immobilia. Quod donum de manibus prædicti filii nostri Augusti suscipientes, decrevimus per hoc nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium omne robur apostolicum eidem ecclesiæ Sanctæ Mariæ, et sanctorum apostolorum Simonis et Judæ contribuere et condonare, ut, integra in suis rebus suisque possessionibus in sæcula constans, nullum metuat vel ab imperatore, vel a rege, vel aliqua persona publica vel privata, dispendium ac detrimentum. Dignum tamen duximus eidem charissimo filio nostro Augusto ejusque successoribus advocationem ipsius sacri loci ea ratione relinquere, ut semper in potestate habeant præpositos secundum Deum ordinare, non autem ex bonis ipsis aliquid alicui in proprium dare, sive in beneficium tribuere. At, si contra prohibitionem nostram quisquam eorum tentaverit agere, liberum jubemus esse præposito, et canonicis qui ibi pro tempore fuerint, sic omnimodo ad Romanam ecclesiam deinceps respicere, ut nihil metuant de imperiali vel regia conditione. Episcopus autem in cujus diœcesi istius ecclesiæ constructum est monasterium, nihil in eo habeat juris aut potestatis præter ecclesiasticum regimen, et secundum canonica instituta episcopalem potestatem. Statuimus igitur apostolica censura, sub divini judicii obtestatione, ut nulla potestas imperialis vel regia, ecclesiastica vel sæcularis, vel quævis hominum persona magna vel parva, cujuscunque sit sexus vel ætatis, contra hoc nostræ apostolicæ corroborationis privilegium venire pertentet. Quisquis vero, quæve quodvisve fuerit, usque ad dignam satisfactionem nostri apostolici anathematis vulnere sauciatus existat. Qui vero ab hic prohibitis se custodierit, et quidquid hic legitur illibate observaverit, plenam habeat a nobis benedictionem, et a Deo sempiternam salutem.

Datum IV Kalen. Novemb. per manus Petri diaconi bibliothecarii, et cancellarii S. apostolicæ sedis, anno domini Leonis PP. I, indict. III.

XXVIII.

Bulla S. Leonis IX, pro S. Deodato in Vosago. — Redux a concilio Moguntino, varia sancti Deodati canonicis concedit privilegia.

(Anno 1049.)

[Martene, *Thes. Anecd.* I, 169.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, tibi, S. Deodate, et per te servientibus tuis, quicunque in ecclesia tua tibi pro tempore servierint in valle sita, quæ dicitur Galilæa, perpetuam in Domino salutem.

Quia divinæ dignationis nutu, non nostris meritis exigentibus, de Tullensi sede ad omnium sedium primam, videlicet apostolicam demigravimus, necesse habemus omnibus omnia esse, omnibusque benefacere, sed illis vel maxime locis qui ad cultum Dei et divina officia a Christi fidelibus sunt constructa. Quapropter, cum rediremus a synodo Moguntina, quam pro statu Germanicæ et Gallicanæ Ecclesiæ disposuimus celebrare, ubi contigit nos ad ecclesiam tuam, S. Deodate, venire, sitam in valle Vosago quæ dicitur Galilæa, ducti amore tuo, dum adhuc Tullensis episcopatus vacaret ab episcopo, dignum duximus indulgere beneficium servitoribus tuis qui pro tempore fuerint, census scilicet et oblationes quas illic confluentes populi ad remedium animarum suarum altari dederint, sive regio munere seu reliquorum fidelium oblatione, tam in sacris voluminibus donariisque et ecclesiasticis ornamentis, quam in his quæ deinceps inibi servientes

Digitized by Google

Deo proprio labore addere potuerint, amodo eas oblationes fratres in commune habeant. Et, quandocunque prælatus ejusdem Ecclesiæ a Deo fuerit vocatus, quem illa congregatio ex sese unanimiter elegerit, præpositus subrogetur, et ad altaria benedicenda, vel sacros ordines principiendos quem voluerint episcopum expetant, nullaque Ecclesia quidquam separare vel auferre ab eis præsumat, et nemini, nisi invitatione aut permissione totius congregationis, liceat monasterii ipsius septa intrare. Quod si quilibet pontificum, ab eis communiter postulatus, pro ipsorum utilitate accesserit, mox, secundum voluntatem congregationis expleto suo ministerio, prandioque sumpto abeat absque requisitione ullius muneris, quatenus fratres de percepta quiete, juvante Domino, per tempora exsultent, et pro statu Ecclesiæ catholicæ quietius Deum exorent. Si autem aliquam transgressionem suæ regulæ fecerint, et a proprio pastore objurgari noluerint, nec non prælatus, qui et idem eorum episcopus, seditionem congregationis sedare per se nequiverit, tunc alios sub eadem regula servientes ad ipsum monasterium convocet, qui sententia regulari scandalum deprimere curent, cujus rei concessionem his nostris apicibus corroboramus et confirmamus, et etiam cætera bona, tam mobilia quam immobilia, ubicunque manentia, quæ modo habet et possidet ipsa tua, S. Deodate, ecclesia, et usque in perpetuum habere poterit, vel per quoscunque Christi fideles, majores vel minores utriusque sexus cujuscunque ætatis, ut nemini liceat auferre quidquam vel diminuere quolibet modo ex bonis ipsis, tam præsentibus quam futuris; statuentes apostolica censura, sub divini judicii obtestatione, ut nulla hominum persona, magna vel parva, contra hanc nostram apostolicam concessionem et confirmationem obviare pertentet. Quod quicunque ausus fuerit usque ad condignam satisfactionem nostri anathematis subjaceat periculis. Qui vero custos et observator hujus nostræ concessionis et corroborationis fuerit, a retributore omnium bonorum benedicatur, et æternam vitam consequi mereatur.

Datum XVI Kal. Decembris per manus Petri diaconi bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domini Leonis IX papæ primo, indictione tertia.

XXIX.

Bulla S. Leonis IX, ad Mathildem abbatissam monasterii S. Fabiani et Felicitatis, qua confirmat monasterii ipsius privilegia, cujus ecclesiam consecraverat, translato in illud corpore S. Richardis.

(Anno 1049.)

[Martene, *Thesaur. Anecd.* I, 170, *ex schedis Stivagiensis monasterii.*]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilectæ in Christo filiæ Mathildi abbatissæ venerabilis monasterii Sancti Fabiani sanctæque Felicitatis, quod appellatur Helionis, situm in pago Helisatiæ, tuisque successoribus abbatissis perpetuam in Domino salutem.

Præclaris votis divina miseratione præstatur effectus. Inde est quod nobis, a synodo quam Maguntiæ habuimus redeuntibus, contigit per vestrum monasterium venire, et ecclesiam benedicere ac dedicare divino numini quam noviter construxeratis, sed nondum perfeceratis ad plenum, et etiam vestris precibus illuc transferre corpus beatæ Richardæ primæ constructricis ejusdem venerabilis loci, quem per donationis paginam una cum conjuge suo Carolo imperatore augusto contradidit. Itaque, inclinati vestris intercessionibus, ad exemplum prædecessorum nostrorum, pro futuri temporis cautela nec non stabilitate ejusdem loci, concedimus et confirmamus vobis idem monasterium, quod per hoc nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium, cum omnibus rebus et facultatibus suis, quas modo habere videtur, et deinceps, auxiliante Domino, sive a regibus, sive a cujuscunque dignitatis et ordinis hominibus, quoquo pacto acquirere poterit; sed et in ipso majore altare novæ ecclesiæ a nobis consecrato, prohibemus alicui sacerdoti missam celebrare, nisi quem vos vestrique successores voluerint. Ipsum vero monasterium integrum, sicut jam prædiximus, concedimus vobis et confirmamus; ea ratione ut omnibus diebus vitæ vestræ sub vestra ditione vel regimine, sicuti vobis secundum Deum visum fuerit, disponere omnino permaneat. Cum autem divina vocatione de præsenti hac luce ad Dominum migraveritis, statuimus de propria congregatione, quam sibi unanimitas præfati monasterii ancillarum Dei concorditer elegerit, absque cujuscunque hominis contrarietate vel obstaculo, fieri abbatissam, præstante videlicet nobis et successoribus nostris annualiter tres pannos lineos pontificali usui aptos. Quod si in biennio aut in triennio persolutum non fuerit, solummodo persolvatur; nec a successoribus nostris aliquid amplius modo quolibet requiratur. Quapropter præsenti decreto jubemus ut nullus imperatorum, vel regum, aut cujuscunque dignitatis vel ordinis homo audeat, sub quolibet obtentu vel occasione, præfatum monasterium, quod pro amore beatorum apostolorum Petri et Pauli ac sempiterna scilicet animæ suæ remuneratione prælibata gloriosissima imperatrix Richarda, una cum charissimo conjuge suo Carolo serenissimo imperatore Augusto, et quod beato Petro principi apostolorum per donationis paginam obtulerunt, inquietare vel aliquatenus molestare, aut ad jus suum vel alienum transferre, sed neque in hominibus ac facultatibus ejus aliqua contradictione aut invasione quoquo tempore facere præsumat, sed liceat jam dictis ancillis Dei cum abbatissa propria in Dei omnipotentis servitio quiete vivere ac sub defensione sanctæ apostolicæ Ecclesiæ, cui Deo auctore deservimus, degere securiterque permanere. Si autem, quod absit! et fieri non credimus, aliquis contra hoc nostrum apostolicum privilegium venire, facere, vel ausu temerario tentaverit, perpetui anathematis vinculo innodatus, ac perpetua ultione cum

Digitized by Google

Juda traditore, nisi resipuerit, maneat condemnatus. Qui autem verus custos ac observator exstiterit, benedictionis gratiam ac misericordiam a Domino Deo nostro consequi mereatur.

XXX.

S. Leo IX parthenonem S. Crucis Woffenheimensem, ab Hugone, suo patre, Heliwigdique matre conditum, sedi apostolicæ subjicit privilegiisque ornat.

(Anno 1049.)

[Dom Calmet, *Histoire de Lorraine*, I. *Preuves* pag. 425.]

Leo episcopus, servus servorum Dei.

O sancta et admirabilis crux, † in qua Jesus Christus Dominus noster pependit! Devictus amore, imo constrictus debito, ecclesiam patris mei Hugonis, et matris meæ Hfilwilgdis, amborumque fratrum meorum Gerardi et Hugonis videlicet jam defunctorum, meique memor adhuc viventis, et apostolica sede, licet indignissime, tamen sedentis, ab eisdem meis parentibus fundatam, et suo studio dedicatam, mihique jure hæreditario delegatam, prædictus legalis successionis jure, nostræ apostolicæ sedi substituo et substituendam perenniter ad defendendam contra omnes homines ei adversaturos vel adversari conaturos, ut scilicet nulla quorumlibet hominum persona quidquam vel exercendæ potestatis in eodem loco eique appendentibus locis sibi usurpet, sed quiete et libere tam ab omni jure humano quam ab omni infestatione semper maneat suæ integræ libertati donatus, nullique nisi nostræ apostolicæ sedi subjectus. Si autem episcopus, in cujus diœcesi est, consecrationes altarium seu sanctimonialium gratis facere voluerit, faciat; alioquin a quocunque episcopo velit abbatissa, ecclesias, et sanctimoniales suas benedici faciat, eo tamen fœdere ut, nec hujus libertatis nec alicujus alterius rei occasione, liceat regi, vel imperatori, episcopo, vel archiepiscopo, aut alicujus alius dignitatis vel conditionis homini, aliq i.l dominii in eodem loco, inque rebus ejus exercere, seu advocationem aliquam habere; sed ipsa advocatia, sicut nunc eam commisi nepoti meo Henrico castrum Hegensheim habenti, ita semper dum vixerit in eo consistat, nec pro ipsa advocatione plus nisi quod de villicatione quæ dicitur Orbeis, juste suscipiat; ita tamen ut unus villanus semper remaneat idoneus cum beneficio suo, qui decimas ecclesiæ villæ ipsius ipsamque ecclesiam custodiat, ipsi tuo venerabili loco sancta ac vivifica crux †, qui etiam ab omni advocati ditione sit absolutus, ut suum secure persolvat officium. Postquam vero Henricus nepos meus diem clauserit extremum, ipsi qui major est natu inter possessores castri supradicti, si plures exstiterint, advocatia debeatur, et tunc sit in electione abbatissæ ipsius tui loci sæpe memoranda gloriosissima crux †, tuæque congregationis quem sibi eorum instituere velint. Cui non plus attineat pro advocatiæ mercede, quam quod præfatum est et constitutum est pro Henrico. Quod si nemo superstes fuerit hæres, tunc non alio, sed ad genus nostræ parentelæ recurrant, indeque sibi quemcunque propinquiorem velint advocatum suscipiant, ut semper ipsa advocatia maneat in nostro genere. Præterea sive sub hoc Henrico nepote meo, vel sub quolibet advocatorum futurorum, ipsum in rebus amplius creverit monasterium, quicunque advocatus fuerit, excepto villicationis lucro villæ prædictæ, non plus emolumenti ex ipso incremento sibi vendicare audeat quam duodecimam partem; ita ut, si minus quam duodecim mansi sint, tam diu sustineat advocatus donec impleatur numerus duodecimus, et tunc talem mansum accipiat qualem abbatissa ei dederit, sive in ipso loco sive in alio, ejusdem utilitatis. Hoc etiam sit: si plus quam duodecim fuerint in iis quæ supersunt ad duodecim quæque res sint, sive in villis, sive in terris ac vineis, interim exspectet usque dum compleatur numerus. Si autem de omnibus monasterii rebus, sive mobilibus sive immobilibus, plus quam constitutum est sibi usurpare præsumpserit, et infra duodecim hebdomadas est admonitus, aut eamdem rem vel aliam, existimationis ejusdem ipsi venerabili loco, sacratissima crux †, non reddiderit, tunc liceat abbatissæ nostram sedem appellare, et apud Romanum papam deponere querimoniam super injustitiis monasterio suo ab advocato illatis. Quod si advocatus papæ judicio juste rem inclinantis culpam correxerit, advocatia in eo remaneat; si vero refutaverit, liceat abbatissæ ejusque congregationi de nostro genere propinquiorem, qui magis idoneus possit inveniri, advocatum acquirere alium sibi. De electione vero abbatissæ, post mortem ipsius Kuentzæ, quam per nos ipsi benediximus, ista constituimus, ut sit in ipsarum sororum arbitrio quam inter se eligere, sibique secundum Deum præponere velint, si inter eas idonea possit inveniri; alioquin aliunde sibi expetant quamcunque meliorem invenire valeant. Benedictionem vero abbatissæ et donum nulli alii nisi apostolicæ nostræ sedi concedimus; et in consecratione abbatissæ, si aliqua negligentia de penso subtus nominato fuerit, districte determinetur. Pro donatione igitur libertatis istius, o crux † ipso sole nitidior, cunctisque creatis pretiosior, Petro apostolo ipso tuo monasterio concesso pro salute animæ meæ, meorumque parentum, ibidem in Christo tuo Domino nostro dormientium, penso annuatim constituto tempore nostræ apostolicæ sedi ab abbatissa ipsius loci solvendam, Rosam videlicet auream, penso duarum Romanarum unciarum, aut factam sicut fieri solet, aut tantumdem ad faciendam tempore Quadragesimæ, mittendam octavo die antequam a nobis et successoribus nostris consuete portari in quarta Dominica præcedente, videlicet die Dominico, cum cantatur Introitus; *Oculi mei semper ad Dominum.* Hoc autem semper memoriale libertatis istius existere decrevi, ut, quia eo tempore victoria recensetur Domini nostri Jesu Christi, qui in te passus est, o crux † sacratissima, tunc timenda,

Digitized by Google

nunc appetenda et colenda. Tui quoque monasterii A
in meo patrimonio siti, et a me omnimoda libertate, ut superius dictum est, donati, Romæ non fiat oblivio, ubi caput sibi vindicat omnis religio, et ubi immeritus vicem sumpsi apostolatus. Ut vero firmum et inconcussum nostræ ordinationis decretum perseveret, nostræ apostolicæ auctoritatis censura statuimus ne quis unquam audeat prætergredi ultra quam hic scriptum habetur, et ne unquam quis impius temerator tyrannico ausu quidquam rapere sibique usurpare de rebus ejusdem ecclesiæ, quas ei vel mei parentes contulerunt, vel ipse contuli, aut quilibet Christianorum ibi collaturus est, præsumat. Quod quicumque tentaverit, ad usque dignam satisfactionem, nostri apostolici anathematis obligationem incurrat, et a te, o crux † metuenda, maledictionem: qui vero ab hac temeritate consilio saniori se servaverit, hic nostræ benedictionis abundantia dignus erit, et omnipotentis Dei gratia non carebit.

Datum decimo quarto Kalendas Decembris, per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domini Leonis papæ primo, indictione tertia.

XXXI.

S. Leo IX monasterii Altorfiensis in Alsatia inferiori, a suis parentibus conditi, bona juraque corroborat, ibique altare S. Stephani memorat a sese dedicatum esse.

(Anno 1049.)

[Grandidier, *Histoire d'Alsace*, I, 255, et Schœpflin, C
Alsatia diplomatica, I, 164, teste Jaffe. — « Sacræ devotionis. »]

XXXII.

S. Leo IX confirmat fundationem et advocatiam monasterii S. Crucis in Werdea.

(Anno 1049.)

[Cocquelines, *Bullar. ampl. Collect.*, I, 306.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Gunderardæ dilectæ in Christo filiæ a nobis ordinatæ et consecratæ noviter, facto a patre tuo Manegoldo S. Crucis monasterio, tibique successuris perenniter abbatissis, perpetuam in Domino salutem.

Sacræ devotionis labor, quia semper divino favore juvatur, semper optata fine terminatur. Ideo, filia, tui patris ampla in Deo devotio laudabilem fructum I)
produxit; cum proportione sanctæ et vivificæ crucis, in qua Dominus noster Jesus Christus salus nostra pependit, decenter auro et gemmis ornata, tunc ab autocratore Constantinopoleos nomine Romano dono data. Cum ad eum missum esset ab imperatore Chuonrado ut filiam suam nuptum traderet ejus filio, fundavit ecclesiam in petra, quia non ædificavit super arenam; ut incumbentibus ventis, venientibus fluviis, descendentibus pluviis, quod ædificasset, [non] rueret, sed firmiter fundatum perenniter permaneret.

2. Ut vero votum suæ constructionis Deo solveret secundum illum qui dixit: « Vovete, et reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera »: nos a Maguntina synodo Romam versus redeuntes, ad ipsum Dei templum venire invitavit, quod a nobis III Non. Decemb. merito honore dedicatum, sic tandem juri S. R. E. et beatissimo Petro apostolo prompto donavit et obtulit animo, teque filiam suam, quam jam Deo in monastica conversatione et habitu sacraverat, ejusdem rogavit a nobis fieri abbatissam loci. Id auspice Deo, fecimus, attendentes in te, quantum homini est possibile, timorem Dei, cordis compunctionem, mentis humilitatem, morum gravitatem, in adolescentibus membris prætendentem jam senectutem. Et constituentes eumdem locum esse in perpetuum ancillarum Dei monasterium, ubi tu de te et sororibus tuis primas Deo primitias offeras religionis, merita castitatis, B
omnisque bonitatis.

3 Hoc tamen nomine nostræ apostolicæ sedi parens tuus eamdem fecit oblationem, ut, dum ipse vivit, ipsius loci advocatiam habeat; similiter et, post mortem ipsius, quem nunc habet filius. Qui filius si hæredem habuerit, ipse quoque advocatus sit. Si vero vel ipsi Manegoldo, vel ejus filiolo nemo filius superstes exstiterit, tunc liceat abbatissæ ipsique congregationi advocatum sibi secundum Deum eligere, petendum tamen ab apostolica sede.

4. Lex vero omnium advocatorum post Manegoldum talis erit: ut quisquis eorum digne non administraverit advocationis officium, liceat abbatissæ ipsique congregationi de eo apud papam conqueri. Qui si C
vocatus ab eo fuerit et monasterio satisfecerit, advocationem suam retineat. Quod si venire distulerit, aut si venerit et non satisfecerit, tunc liceat abbatissæ ipsique congregationi ex consensu papæ talem sibi advocatum eligere qui secundum Deum sit. Post obitum vero tuum, de ipsa congregatione, quæ melior sit, eligatur, si idonea inventa fuerit, eoque donum et consecrationem abbatiæ a papa recipiat: alioque de alia congregatione idonea eligatur, a papa similiter donanda et consecranda.

5. Decernimus, præterea, ut in altari majori, quod nos ipsi consecravimus, nullus audeat missam celebrare, nisi sit episcopus vel abbas, tresque sacerdotes hebdomadarii ad hoc officium deputati, eorumque successores. Episcopus quoque, in cujus D
parochia locus est, nihil sibi in eo vindicare audeat, præter ordinationem facere clericorum et monialium, si tamen gratis fecerit. Sin autem, ordinationes expetent ab alio quocunque velint episcopo.

6. Ut vero locus ipse in quadragesimali tempore solvat papæ annuam pensionem, statuit idem Manegoldus pensionem ipsam esse anabolagium, id est fanonem, stolam cum auro, manipulum et cingulum. Nos vero, quia locus ipse conditus est propter eam, quæ supra dicta est, sanctæ et vivificæ Crucis portionem; eamdem inibi semper manere volumus, cupimus et optamus, et a nemine auferri: statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, ut nullus imperator, nullus rex, nullus episcopus, nulla potestas, nulla præterea magna parvaque persona eamdem

Digitized by Google

vivifici ligni portionem ab ipso monasterio audeat auferre quolibet modo, vel aliquid facere contra omnia quæ superius scripta sunt; sed nec etiam aliquid diminuere de bonis ejusdem monasterii, quæ modo habet, et usque in æternum habebit, quolibet furto, quolibet raptu, quolibet alienationis modo. Il qui præsumpserit, donec digne satisfecerit, anathema sit. Qui vero pio intuitu custos et observator hujus nostri privilegii exstiterit, a Domino Deo Benedictionem consequatur, et æternæ vitæ particeps efficiatur. ✠.

Data III Non Decembr. per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis. Anno domini Leonis IX, papæ I (126).

XXXIII.

S. Leonis IX epistola ad Edwardum Anglorum regem pro monasterio Exoniensi

(Anno 1049.)

[*Monasticon Anglicanum*, tom. I, pag. 221.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Edwardo Anglorum regi, salutem charissimam cum benedictione apostolica.

Si bene habes et bene vales, inde non modicas Domino Jesu Christo referimus gratias, et hoc optamus ut ita luculenter possideas regni gubernacula ut in æterna maneas tabernacula. Et, quia audivimus te circa Dei Ecclesias et ecclesiasticos viros studiosum et religiosum esse, inde multum gaudemus, et hoc admonemus atque benigne rogamus ut ita in Dei opere perseverare studeas, quatenus Regi regum Deo placere valeas, atque cum illo in cœlesti regno permaneas. Notum itaque est nostræ pietati qualiter Leofricus episcopus sine civitate sedem pontificalem tenet, unde multum miramur, non de illo solo, sed et de omnibus illis episcopis qui talia agunt. Cum vero ad vos nostrum miserimus legatum, de aliis dicens, nunc autem de nostro fratre jam dicto Leofrico præcipimus atque rogamus ut, propter Domini et nostri amoris causam, adjutorium præbeas, ut a Cridionensi villula ad civitatem Exoniam sedem episcopalem possit mutare. Hæc et alia bona opera ita agere studeas, ut a Christo Domino æternum regnum acquirere valeas. Vale, charissime, semper in Domino

XXXIV.

Bulla S. Leonis IX pro abbatia Electensi.

(Anno 1050.)

[*Gall. Christ.*, VI, Instrum., 106.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo filio G. venerabili abbati monasterii beatæ Mariæ virginis, quod vocatur Etelsus, et per te cunctis successoribus abbatibus in perpetuum.

Quoties illa a nobis tribui postulantur quæ incunctanter rationi conveniunt, animo nos decet libenti concedere et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Et ideo postulastis a nobis ut præfatum monasterium apostolicæ auctoritatis serie munirenus, et omnia ejus pertinentia perenni jure ibidem inviolabiliter permanendo confirmaremus, et ut absque omni jugo seu ditione cujuscunque personæ constabilire nostri privilegii pagina corroboraremus. Propterea, tuis flexi precibus, per hujus nostræ auctoritatis privilegium statuentes, decernimus ut cuncta loca urbana vel rustica, id est, curtes, mansos, salas, castella, casales, vineas, terras diversaque prædia, culta vel inculta, cum colonis vel colonabus, servis et ancillis, quæ ab aliquibus Christianis eidem monasterio concessa sunt, vel quæ et per aliqua munimina ad eumdem pium locum pertinere videntur, cum magna securitate quiete debeatis possidere, et per te universi successores tui abbates in perpetuum, scilicet monasterium sancti Pauli Vallonensis, et S. Mariæ Urbionis et terra, Coplata vocitata, et ubicunque reperiri poterunt quæ eidem sancto loco jure debentur, absque ulla contradictione hominum seu feminarum, apostolica auctoritate interdicimus ut semper teneat ille locus gloriosissimus ita ut nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, seu quælibet magna parvaque persona abhinc et in antea habeat licentiam monasterium illud vendere, nec adpreciari, sed neque ex præfatis omnibus rebus, quæ inibi pertinere videntur, audeat invadere, molestare.... consecrationem libenter impertiat. Abbates quoque, qui in eodem loco consecrandi sunt, de ipsa congregatione communi consilio eligantur, et non aliunde, nisi propter indigentiam bonarum personarum petantur.

Et, si discordia eligendi inter eos emerserit, quem major pars numero ac sanctitate elegerit fiat abbas. Quod si episcopus aliquis donationem ex consecratione requisierit, ac neque consecrare voluerit, liceat electo abbati adire ad unum episcopum quemcunque voluerit vicinum, et consecrationem gratis accipere. Insuper auctoritate apostolica judicamus ut nulli archiepiscoporum vel episcoporum monasterium ipsum, vel abbatem qui ibidem fuit, abhinc inantea, seu aliquem ex congregatione, vel aliquem pertinentem ad ipsum monasterium excommunicare vel anathematis vinculo innodare, seu aliquod altarium ejusdem loci vel aliquam ecclesiam exconciliare liceat. Quod si aliquis præsumpserit, ipse excommunicatione nostra constringatur, et dictum monasterium cum abbate et omnibus suis absolutum ab imposita sibi excommunicatione apostolica auctoritate maneat. Statuentes, apostolica censura sub divini judicii obtestatione et anathematis interdictione, ut nulli unquam summorum pontificum vel aliæ cuilibet magnæ parvæque personæ contra hoc

(126) Gretserus, in fine notarum in hanc bullam, ei subjectam asserit crucem inclusam gemino circulo; cujus peripheriæ inscriptum legitur : *Misericordia Domini plena est terra.* In ipso circulo : *Leo P.*; cætera vero antiquitate consumpta reor. Sic enim restituendam puto inscriptionem, *Leo PP. IX*, ut in aliis sigillis notatum vidi.

Digitized by Google

nostrum apostolicum privilegium venire vel usurpare liceat. Si quis autem temerario ausu, etc.

Datum, VI Idus Aprilis, per manus Petri diaconi bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domni Leonis noni PP. II, indictione IV (127).

XXXV.

S. Leo IX approbat prædecessorum privilegia monasterio Corbeiensi concessa.

(Anno 1050.)

[D'Achery, *Spicil.* III, 349.]

LEO episcopus, servus servorum Dei, FULCONI abbati Corbeiensis monasterii siti in pago Ambianensi, perpetuam in Domino salutem.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et petentium desideriis congruum impartiri suffragium. Ei ideo, quia postulasti a nobis quatenus, exempla antecessorum nostrorum sequentes, privilegio nostræ apostolicæ auctoritatis monasterium vestrum ejusque bona [tam] præsentia quam futura muniremus, et etiam prærogativam, ipsi monasterio collatam ab episcopis Ambianensibus et archiepiscopis Remensibus nec non apostolicis viris antecessoribus nostris, corroboraremus: inclinati precibus tuis, per hanc nostræ apostolicæ auctoritatis censuram confirmamus et corroboramus quidquid invenitur in privilegiis antecessorum nostrorum, Benedicti, Nicolai, Christophori, ut scilicet præfatum vestrum monasterium, rerum suarum liberam obtineat dominationem, et quæcunque eidem monasterio in auro, in argento, in agris, in famulis, in quibuslibet aliis rebus fuerint oblata, in tua tuorumque successorum abbatum fratrumque maneant dispositione et libera potestate: nec liceat episcopo Ambianensi quidquam portionis ex eis accipere vel exposcere; nec in abbate vel in fratribus vel in ipso cœnobio potestatem exercere, sive in cellis ejusdem monasterii, videlicet Busco, Braczo, Taneta, Naurdi, Uscia, Thenis, sive in clericis vel in laicis, vel in famulis omnibusque possessionibus ad respectum ejusdem monasterii ejusque cellarum pertinentibus, sicut ipsi monasterio jam dudum concessum cognovimus, et collaudatum ab episcopis Ambianensibus et archiepiscopis Remensibus cæterisque universis episcopis Galliarum.

Prohibentes ne quis unquam Ambianensis episcopus potestatem habeat ipse, vel œconomus, vel archipresbyter, aut archidiaconus ejus, accedendi ad vestrum monasterium ejusque cellas, nisi forte vel necessitate vel dilectione ab abbate monasterii fuerit vocatus: ea tamen ratione ut nec in ecclesiis eidem monasterio subjectis, vel in earumdem ecclesiarum clericis molestationem vel perturbationem agere audeat; vel novam consuetudinem abbati vel fratribus statuat, disponens aliquid contra voluntatem eorum: qui tamen monachorum vel canonicorum, et quas abbas cum fratribus petierit ordinationes differre non debebit. Similiter altarium et basilicarum consecrationem tam in ipso monasterio quam in possessionibus ejusdem: chrisma quoque et oleum consecratum singulis annis, nec aliquod propterea munus exposcere.

Constituentes etiam ut nullus per Galliarum Germaniarumque provincias, sive laicus sit sive clericus, in ecclesiis, agris vel famulis aliquam suam voluntatem exerceat, præter voluntatem abbatis et fratrum, etiamsi rex sit, dux, marchio, archiepiscopus vel episcopus.

Sancimus præterea inter se abbatem eligere fratres secundum Deum, nec aliquem principem hoc audere agere, nec ipsum abbatem postquam electus fuerit, nisi in probabili crimine deprehendatur, dejici; sed canonice examinetur et dijudicetur. Quam nostram sanctionem si quis violaverit, admoneatur sati factionis ab Ambianensi episcopo; si vero non obedierit, etiam a Remensi archiepiscopo: quod si nec hunc audierit, liceat fratribus monasterii Romanam sedem appellare, et Romanus pontifex non differat eumdem violatorem ore proprio anathematizare.

Ultimo, quia ad apostolicam sedem tam devotus, fili charissime, venisti, placuit munificentiæ nostræ usum tibi dalmaticæ et sandaliorum concedere, ea tamen ratione ut non negligas annis singulis nuntium ad apostolicam sedem dirigere tuique conveniens monasterii notificare, ut vos valeamus si necesse fuerit adjuvare. Statuentes apostolica censura ne quis unquam mortalium, sive sit rex sive comes, archiepiscopus vel episcopus, aliave parva magnaque persona contra hoc nostrum privilegium venire attentet. Quod qui fecerit, ad usque dignam satisfactionem vinculo anathematis innodatus sit. Qui vero illibatum custodierit, a Domino Deo benedicatur et æternæ vitæ particeps efficiatur. Amen.

Data XIV Kal. Maias per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domini Leonis IX papæ secundo, indictione quarta (128).

XXXVI.

Privilegium S. Leonis IX pro monasterio Vizeliacensi

LEO episcopus servus servorum Dei, GAUFRIDO abbati Vizeliacensis cœnobii, quod est in honore Domini nostri Jesu Christi et veneratione ejusdem Genitricis et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et beatæ Mariæ Magdalenæ ejusque successoribus in perpetuum.

Quoniam postulastis a Romana sede, cui Deo auctore deservimus, vobis confirmari privilegia ab antecessoribus nostris vestræ ecclesiæ collata, dignum duximus vestram petitionem adimplere. Proinde monasterium prædictum in pago Avalensi in finibus Burgundiæ constructum opibusque ditatum quorumdam sanctæ Ecclesiæ...., privilegio nostræ aposto-

(128) Leg. ind. III. JAFFÉ.

(128) Leg. *tertia*. JAFFÉ.

Digitized by Google

hicæ auctoritatis decreto indulgentes, vobis concedimus, confirmamus, corroboramus, ut nulli regum, nulli antistitum, nulli quacunque prædito dignitate, liceat ipsum monasterium perturbare, vel ea quæ ibi a jam dictis fundatoribus, vel ab aliis fidelibus oblata sunt, vel in futurum offerri contigerit, sub cujuslibet causæ, occasionisve specie, minuere vel auferre sive suis usibus applicare, sed sine inquietudine in sustentatione ejusdem monasterii, et usibus abbatum et monachorum sub regula sancti Patris Benedicti ibi Deo militantium volumus ea et præcipimus possideri : ea videlicet conditione ut nullus successorum nostrorum pontificum in hac sancta sede, cui auctore Deo servimus, unquam vel usquam quiddam ex eisdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut sub censu quolibet concedere per futura tempora patiatur, sed censum tantummodo in testamento traditionis a fundatoribus qui ex eodem monasterio hanc sanctam hæredem Romanam fecerunt Ecclesiam, etiam delegatum, unam videlicet libram argenti annis singulis successores nostri accipientes, per paternitatis suffragium eidem monasterio sollicitudine pastorali vigilanter contra omnes infestantes impendere studeant. Item constituimus ut, obeunte abbate prædicti monasterii, non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem consensus monachorum secundum timorem Dei et institutionem Regulæ sancti Benedicti elegerit, et hujus apostolicæ sedis pontifex præviderit ordinandum, aut suggestione monachorum consenserit ordinatum.

Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nullum de regibus, nullum de episcopis vel sacerdotibus, vel de quibuscumque fidelibus, per se, suppositamve personam, de ordinatione ejusdem abbatis, vel clericorum, aut presbyterorum, vel de largitione chrismatis, aut consecratione basilicæ, vel de quibuscunque causis ad idem monasterium pertinentibus, audere in qualibet specie xenii loco quidquam accipere, neque eumdem abbatem pro ordinatione sua aliquid dare præsumere, ne, hac occasione, ea quæ a fidelibus pio loco offeruntur consumantur. Neque episcopus civitatis ipsius parochiæ, nisi ab abbate ipsius monasterii invitatus, ibidem publicas missas agat, neque stationes in eodem cœnobio indicat, ne servorum Dei quies quomodo populari conventu perturbari valeat, neque paratas, aut mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium et religiosorum virorum atque beneficentiam, quam jubet Apostolus cunctis exhibendam, pro possibilitate loci et facultatum, non modo ibidem fieri [non] denegamus, verum etiam suademus : ut tamen et modus in numero congregationis adeo conservetur, ut nec pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium destitutionem loci inducere valeat. Privilegium quoque a prædecessore nostro piæ memoriæ papa Nicolao eidem monasterio collatum nostra auctoritate confirmamus, excepto duntaxat quod ipse sub nomine ancillarum Dei quæ ibidem pro crebris infestationibus sæculi nunc ordinabiliter manere nequeunt, illud delegavit : nos vero, aptioris utilitatis gratia, sub habitu monachorum esse congruenter decernimus. Si quis vero regum, episcoporum, sacerdotum, abbatum, judicum, comitum, aut sæcularium personarum, contra hanc nostræ institutionis paginam venire tentaverit, percussus apostolico anathemate, potestatis honorisve sui dignitate careat, reumque se coram divino judicio cognoscat, et nisi ea quæ a se male acta sunt defleverit, a sacratissimo corpore Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque aterno examini districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Data v Kalendas Maii per manus Petri diaconi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno II domini Leonis IX papæ, indict. III.

XXXVII.

S. Leo IX Willelmo comiti Nivernensi sub excommunicationis pœna præcipit ut monasterio S. Bercarii Dervensi ablata restituat.

(Anno 1050.)

[Mabill., *Annal. ord. S. Bened.*, IV, 327.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Willelmo Nivernensi comiti apostolicam benedictionem.

Mandamus et præcipimus tibi ut rectum facias Deo, et sanctis apostolis Petro et Paulo, et sancto Berchario, et monachis inibi considentibus, de prædiis illorum, sicut jam tibi præcepimus, et tu abbati illorum convenisti. Quod nisi feceris, si, quatuor proclamationibus factis, ad me de hac re quinta facta fuerit, profecto excommunicaberis. Vale.

Data Kalend. Maii per manus Petri bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno domni Leonis noni papæ secundo, indictione tertia, abbati sancti Bercharii, quem eodem die ad abbatem in capella sua Lateranensi benedixerat, et ei nomen suum, quod fuit Bruno, imposuerat (129).

XXXVIII.

S. Leo IX, in synodo quinquaginta quinque episcoporum, Gerardum, quondam episcopum Tullensem, numinibus ascribit, dieque 25 mensis Aprilis coli jubet.

(Anno 1050.)

[Mabill. *Acta SS. ord. S. Bened.*, V, 894.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, cunctis

(129) Brunonem antea vocatum fuisse Wandelgerum discimus ex ipsius litteris, quibus concordiam init cum Rodulfo comite super quadam silva, apud villam Losam sita, cujus partem, quam tenebat comes, Dervensibus dimittit, uti et filii ejus Walterus et Simon, cæterique hæredes, ea conditione ut qualibet secunda feria cujuslibet septimanæ celebretur missa pro sua hæredumque suorum salute, et unus pauper in eodem monasterio victum et præbendam habeat in perpetuum.

Digitized by Google

catholicæ Ecclesiæ filiis in Christo salutem et apostolicam benedictionem.

Virtus divinæ operationis in omnibus est mirabilis, maxime tamen in sanctis suis, quos præscivit et prædistinavit conformes fieri imagini Filii sui, quos etiam vocavit et sanctificavit (*Rom.* VIII, 29, 30) antequam sæcula fierent, antequam ipsi exstarent. Et quia ipse Dominus in Evangelio dicit : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* V, 17); verum procul dubio esse quotidie ostendit quando dicit scilicet eos sanctificandos quos vocavit, eos vocandos quos prædestinavit sola gratuitæ miserationis bonitate, nec humani generis merito, quia naturaliter omnes sumus filii iræ et filii gehennæ. Cur autem hæc dicere cœperimus, continuo patefaciemus, quia sicut *nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum* statuit, *ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Matth.* V, 15); sic et Dominus noster Jesus-Christus agit, illos clarificando miraculis in mundo quos secum vivere et gloriari facit in cœlo, ut, quia per adoptionem facti sunt filii Dei, præveniente gratia pateat eos hæredes esse regni quod promisit Deus diligentibus se. Paulo igitur ante nos in episcopatu Tullensi (unde nutu Omnipotentis et omnia suo arbitrio disponentis, nec ullis nostrorum meritorum profectibus, ad apostolicam sedem translati sumus) fuit episcopus, nomine Gerardus, qui, duo talenta, intellectum et operationem, a cœlesti Patrefamilias accipiens, divinam legem, quam medullitus intellexit, sic opere adimplere studuit ut fieret dignus accipere illam desiderabilem a Deo salutationem : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 21). Sic enim Domini sui talenta erogavit, sic animas lucratus est, verba salutis prædicando, ut geminatam Domino suo pecuniam repræsentaret, et sibi æterna beneficia cumularet. Lumbos sibi præcinxit, castitatem servando; lucernas in manibus portavit, exempla bonæ operationis aliis præbendo; exspectavit Dominum a nuptiis sanctæ Ecclesiæ, non dormiendo, sed vigilando prima, secunda, tertia vigilia, anxius ad ejus aspectum, secundum illud quod quotidie psallebat : *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te* (*Psal.* XLI, 2); item : *Sitivit anima mea ad te; quam multipliciter tibi caro mea!* (*Psal.* LXII, 2.) At, quia sic semper animo suspirabat ad Deum, ejus virtute comitatus angelicam ducens vitam, quotidie Christum in pauperibus ad mensam suscipiens, quotidie piis actibus insistens, nec docendo nec agendo nisi quod sanctum et Deo gratum esset, multis effulsit miraculorum prodigiis, sanctitati ejus testimonium perhibentibus; unde adhuc plures testes existunt. Quod et idem, post mortem carnis, cum Christo nostro spiritu vivens, glorians sæpe operatus est et sæpe adhuc operatur, curans diversos languores diversasque infirmitates. Quamvis autem venerabile corpus ejus multis, ut duximus, hactenus coruscarit miraculis, et ipse in numero sanctorum divino sit deputatus judicio; nondum tamen in catalogo sanctorum sortitus est humanam corroborationem, quod Dei miseratrix clementia nobis servis suis reliquit agendum, ubi ad culmen conscendimus Apostolicum. Residentibus ergo nobis Romæ in synodo in ecclesia Salvatoris cum multis coepiscopis nostris, circa sexto nonas Maias, relatum est auribus nostris ab Udone Tullensi præposito, eadem nocte, ipsum domnum Gerardum in visione apparuisse cuidam venerabili monacho, nomine Albizoni, qui synodo intererat, quem ipse Udo nimiis precibus constrinxerat exorare Dominum, ostendere sibi cujus meriti esset apud Deum ipse domnus Gerardus, qui tot miraculorum radiis coruscabat. Videbatur ergo illi ipsum assistere sibi, quem nunquam corporaliter viderat, nec etiam nomen ejus audierat, et dicere seipsum Gerardum esse, pro quo Deum deprecaverat exorare. Ad quod ille gavisus sedulo scisitari cœpit an esset apud Deum in numero sanctorum. Cui læto vultu respondit procul dubio se esse cum Deo, dignumque ac justum fore eos honorari in terris ab hominibus qui honorantur in cœlis ante Deum ab angelorum agminibus. Quam visionem ipsi ore proprio divulgavimus in synodo, exponentes ipsius domni Gerardi vitam venerabilem, conversationem mirabilem, miraculorum multitudinem, efficaciam divinæ virtutis ad corpus ejus exuberantem; et sequenter sanctam synodum interrogavimus si deberet ut sanctus venerari, et sanctus deinceps nominari. Ad quod, tam archiepiscopi quam episcopi, tam abbatis quam clerici ac laici, quorum utrorumque magna intererat multitudo, quasi uno ore clamaverunt ipsum domnum Gerardum virum esse sanctum, a Deo inter sanctos numeratum, et ab hominibus inter sanctos numerandum et venerandum, pro eo quod, vivens in carne, testantibus miraculis, ut vir sanctus exstitit, et carne exutus, qualis in mundo fuerit, in cœlesti beatitudine positus mundo quotidie eisdem miraculis innotescat. Decrevimus igitur, sic sancta annuente ac laudante synodo, ut ex hoc sanctus habeatur, et sanctus colatur nono Kalendas Maias, tam Leuchæ, sicut sanctus Mansuetus et sanctus Aper, quam ubique terrarum, sicut cæteri sancti; cujus sancti venerabile corpus per nos ipsos cupimus transferre, et digno honore, digno loco in altare proprio collocare ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui ideo factus est pro nobis homo ut non solum solveret nos a peccatis, sed etiam conferret nobis præmium æternæ beatitudinis, et mansionem in cœlis, ubi ipse cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Nomina episcoporum atque abbatum qui interfuerunt synodo Romæ : Dominicus patriarcha Gradensis, Alinardus archiepiscopus Lugdunensis, Leodegarius Viennensis archiepiscopus, Hugo Bisontiensis archiepiscopus, Humbertus Siciliensis archiepiscopus, Hildebrandus Capuensis archiepiscopus, Petrus

Digitized by Google

Comsanensis archiepiscopus, Joannes Portuensis archiepiscopus, Joannes Senensis episcopus, Vido Volaterrensis episcopus, Crescentius Silvæ-candidæ episcopus, Joannes Veletrensis episcopus, Joannes Ostiensis episcopus, Joannes Sabinensis episcopus, Joannes Tiburtinus episcopus, Benedictus Salernitanus episcopus, Leo Gageranus [*f.*, Gaietanus] episcopus, Atto Camerinensis episcopus, Joannes Siscionensis episcopus, Adalbero Metensis episcopus, Obiso Pisensis episcopus, Henricus Populonii episcopus, Atenulfus Cæsenatis episcopus, Crescentius Cerensis [*id est*, Ceretanus] episcopus, Azo Centumcellensis episcopus, Gerardus Reatinensis episcopus, Bonizotus Cariellensis episcopus, Joannes Suanensis episcopus, Gerardus Rosellanus episcopus, Theodericus Orbietensis episcopus, Aldedus Wilgradensis episcopus, Leo Murensis episcopus, Mazio Montis-viridis episcopus, Bonus Petroraus [*f.*, Perusinus] episcopus, Henricus Spoletanus episcopus, Bernardus Patauiensis episcopus, Walterus Veronensis episcopus, Ysembardus Teanensis episcopus, Petrus Bituricensis [Bulterrensis] episcopus, Arto Marsicanus episcopus, Leo Seranus episcopus, Benedictus Berulensis episcopus, Aso Solinensis episcopus, Attigrinus Imolensis episcopus, Gerardus Florentinus episcopus, Fridericus Genuensis episcopus, Gosfridus Constantiensis episcopus, Mannis Redonensis episcopus, Hugo Niuernensis episcopus, Isembaldus Pictaviensis episcopus, Arnolfus Santonensis episcopus, Arduinus Tuderanus episcopus, Hugo archidiaconus Ecclesiæ Romanæ, Petrus ejusdem Ecclesiæ diaconus, etiam cancellarius et bibliothecarius, Sico primicerius ipsius Ecclesiæ, Richardus abbas Sancti Benedicti, Hugo abbas Cluniacensis, Airardus abbas Sancti Pauli, Joannes abbas Sancti Sabæ, Reinerus abbas Sancti Cosmæ, Petrus abbas Sancti Bonifacii, Joannes abbas Sancti Vitalis, Joannes abbas Sancti Laurentii, Bonactus abbas Sancti Joannis, Richerus abbas Sancti Juliani, Liufridus abbas Sancti Vincentii, Gosfridus abbas de Reigelliaco, Valerandus abbas Sancti S. Vitoni, Gervinus abbas Sancti Richarii, Vincentius abbas Sancti Januarii, Leo abbas Sancti Cornelii, Martinus abbas Sancti Blasii, Felix abbas Sancti Andreæ, Richardus abbas sancti Ragneberti, Dudo abbas Sanctæ Mariæ, Peneresius abbas Sancti Salvatoris, Agino abbas Sancti Silvestri, Adam abbas Sancti Isaac, Theuso abbas Sancti Petri, Bonizo abbas Sancti Petri, Vincentius abbas Sancti Januarii, Urlinus abbas Sancti Apollinaris, Wido abbas Sancti Severi, Leuzo abbas Sanctæ Mariæ, Albricus abbas Sancti Zenonis, Joannes abbas Sancti Salvatoris, Bonactus abbas Sancti Salvatoris, Lætus Sancti Angeli, Stephanus abbas Sancti Thomæ, Rodulfus abbas Sancti Petri.

XXXIX.

Privilegium Leonis IX pro ecclesia Carrofensi.

(Anno 1050.)

[Labbe, *Biblioth. nov. mss.* II, 757.]

Hugoni religioso abbati ex monasterio S. Salvatoris Karroffensis cœnobii, confirmat bona monasterii quæ enumerat. Item illa quæ in pago Arvernico habentur, vel in circuitu ejus, quæ quondam fuerant ablata eidem loco, et moderno tempore sunt restituta ipsi per Guillelmum principem Arvernorum et per filios ejus, id est castellum S. Yvonii et quidquid ad ipsum pertinuit, et ecclesiam Cadiloco, et ecclesiam Molangia, et ecclesiam Nobiliacus, et ecclesiam Chrosogilo, et villam Perusiam, et ecclesiam Gaudiniacus, et omnia quæ his ecclesiis pertinent.

Data v Nonas Maii per manus Petri diaconi, Bibliothecarii et cancellarii, S. A. sedis, anno domini Leonis IX papæ II, indictione III.

XL.

S. Leonis IX epistola ad principes Britanniæ. — Sententiam pro Turonensi Ecclesia adversus Dolensem pronuntiat, resistentes et Simoniacos atque ab eis ordinatos excommunicat.

(Anno 1050.)

[Marten. *Thesaurus Anecd.* III, 869.]

Leo, sanctæ sedis apostolicæ gratia Dei papa E. (130) Britonum principi Analo (131) comiti et cæteris principibus Britanniæ secundum Deum vivere volentibus vita et salus.

In scriptis veterum reperimus omnes episcopos tuæ patriæ archiepiscopo Turonico subjectos esse debere. De qua re Nicolai papæ temporibus, et Joannis, Leonisque, et cæterorum quorum nomina inserere longum est, clamor factus est. Ex quibus Nicolaus papa litteras Salomoni regi Britonum direxit, in quibus præcipit, ut omnes suæ patriæ episcopi Turonicæ Ecclesiæ subjecti sint. Alii vero apostolici eosdem apostolica auctoritate ob id excommunicaverunt. Ad nos quoque in Remensi concilio clamor hujusmodi delapsus est : nos statim, ut ipse vester archiepiscopus cum suis suffraganeis Romano concilio præsens adesset, non solum de hac causa redditurus rationem, sed etiam de hoc quod simoniacus cum suis suffraganeis esse comprobatur et exlex, quærens quæ sunt mundi, non quæ Jesu-Christi; legatos etiam Turonici archiepiscopalis adesse præcepimus. Legati Turonici adfuerunt, vestrates pontifices cum suo capite se subtraxerunt. Nullo itaque modo probare potuimus illum vestrum præsulem archiepiscopum esse debere, præsertim cum archiepiscopus sine sede civitatis, sine pallio archiepiscopali non possit haberi. Excommunicamus omnes hos de quibus sermo est ex auctoritate Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sanctique Petri et nostra, non solum propter hanc præsumptionem qua subjici Turonicæ Ecclesiæ dedignantur, sed

(130) Lege C., scilicet Conano, hujus nominis secundo, qui tempore Leonis papæ Britanniæ ducatu potiebatur.

(131) Legendum videtur *Alano*, filio scilicet Hoelli ducis, qui etiam postea dux evasit Britanniæ scilicet anno 1084.

Digitized by Google

etiam propter Simoniacam hæresim qua polluti sunt, et ordinatos a se contaminare videntur, tali ratione, ut divinum officium non peragant, neque audiant, neque benedictionem tribuant. Simili etiam sententia ab eis ordinati feriantur. Tibi autem, charissime fili, mandamus ut te ab eorum conventibus cum omnibus fidelibus subtrahas, deinde eos commoneas, ut nostris præceptis obsecundent, Simoniacam hæresim deponant, secundum Deum vivant. Et hoc te auctoritate hortamur apostolica, ut per totum regnum tibi commissum pacem facias, justitiam diligas, subditos pie regas. Turpe est enim ut cum unus ex maximis Galliæ principibus habearis, naturalibus sis viliis subjugatus. Et si secundum Deum te vivere audiero, bonumque exemplum præbere subjectis, benedictione S. Petri et nostra donaberis. Sin aliter egeris, et excommunicatis te adjunxeris; ut illi, nostra auctoritate excommunicatus sis. Quod si vester archiepiscopus cum suis suffraganeis de hoc quod Turonicus pontifex clamat, deque Simoniaca hæresi excusare se rationabiliter voluerint, Vercellensi concilio Kalendis Septembris futuro præsentes sint, nosque ibi, si Deus permiserit, erimus causas eorum audituri. Vale.

XLI.

S. Leonis IX Bulla qua monasterio Sanctæ Mariæ in Gradibus Arretinæ Diœcesis omnia illius jura confirmat.

(Anno 1050.)

[Muratori, *Antiq. Ital.* V, 1019.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Albizoni religioso viro, in Domino Deo omnium æternam salutem.

Sub multa et incomprehensibili abysso judiciorum divinitatis, inter confratres et conservos nostros eminentiorem gradum adepti, tanto intentius cum timore et tremore nostram ipsorum salutem debemus, eis condescendendo et consulendo, incessanter operari, quanto certius scimus . . . . . dispositionis et actionis nostræ rationem posituros illi, cujus universæ viæ misericordia et veritas merito creduntur, et videntur in omni administratione mundi. Quapropter qui . . . . sapientibus et insipientibus debitores sumus, Doctoris gentium monita cogimur . . . . reddere cunctis, quæ si denegare minime debemus alicui externorum, nec in su . . quanto magis domesticis fidei in interioribus, maxime cum id a nobis exigitur, quod Omnipotenti plurimum placere nullo modo dubitatur? Quare, charissime fili, quoniam humill. . . . . apostolicam et magistram omnium sedem, et prece nobis gratissima inculcasti, ut auctoritatis nostræ præcepto tutaremus a quorumvis rapacitate, et hominum nequam infestatione, ac . . . . . monasterium beatissimæ virginis matris Domini et genitricis Dei Mariæ, situm in Aretina diœcesi, in nullo . . . . . tuæ tam justæ petitioni, sed eidem optamus per omnia suffragari, nec denegandum tuæ religiositati duximus tutelam specialem, qui omnibus debemus et . . . . . Non enim parum tibi in A Domino congaudemus, quod ecclesiam illic primitivam, et olim celeberrimam, sed, peccatis facientibus, jamdiu neglectam et omnino derelictam, restruere, aliquantulumque reparare fueris conatus, tam patrimonii seu beneficii tui quam etiam fratrum, et consanguineorum tuorum aliorumque religiosorum collationibus, quatinus inibi Deo deserviret perpetim ordo monasticus. Quam utique ecclesiam quia conditor noster inter alia innumera nobilitavit et honoravit fracti calicis et resolidati miraculo, atque gloriosi beati Donati pontificis martyrio, et nos eam gratanter honoramus nostræ apostolicæ sedis præcepto. Salva itaque debita subjectione, quæ ex præfato loco episcopum Aretinum jure solet attingere, hujus nostri præcepti tenore perpetualiter confirmamus B et decreto sancimus quidquid idem cœnobium in rebus mobilibus vel immobilibus, tam tua quam cujuscunque donatione, in præsentiarum videtur possidere, et quidquid illic a piis adaugebitur aut donabitur in futuro tempore, ut nemo inde quidquam præsumat subripere, fraudare, alienare, minuere . . . . . quovis ingenio prædicta inibi hactenus conquisita, et Deo propitio conquirenda serva . . . . . monachorum ibidem Deo servientium utilitati, quos pro nullo alio ordine ecclesiastico permittimus aliquando perturbari, juxta statuta sanctæ Chalcedonensis synodi, taliter hoc ipsum decernentis : Quæ semel Deo dicata sunt monasteria, consensu episcoporum, maneant perpetuo monasteria, C et res, quæ ad ea pertinent, monasteriis reserventur, etc.

Si quis autem præsenti nostro decreto, a nobis pro Deo et secundum Deum promulgato, contraire quolibet modo præsumpserit, et insuper si aliquas oblationes vivorum sive defunctorum præfato loco delegatas sibi vindicare, vel aliis contradere tentaverit, quasi sacrilegus et Deo rebellis, donec forte resipiscat, districto anathemate se multandum apostolica auctoritate noverit. Qui vero integre et devote illud observaverit, nec consenserit sacrilegis, sed potius pro posse ac nosse suo restiterit, mereatur copiam supernæ benedictionis, et præmium sempiternæ salutis. Amen.

Bene valete.

D Datum IV Kalendas Junias, per manum Petri diaconi bibliothecarii, anno domini Leonis noni Papæ II, indictione III.

XLII.

S. Leo IX monasterii S. Salvatoris, in monte Amiato siti, possessiones et privilegia confirmat.

(Anno 1050.)

[Ughelli, *Italia sacra*, III, 626.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Theuzoni venerabili abbati monasterii S. Salvatoris, sito in comitatu Clusino territorio monte Amiato, tibi tuisque successoribus perpetuam in Domino salutem.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabiliter et congrue a fidelibus petantur, ob devotionem pii conditoris nostri oportet nos in privilegiis

Digitized by Google

præstandis nostram nullo modo denegare munificentiam. Igitur, quia vestra dilectio a nostræ sublimitatis apostolatu humiliter rogavit quatenus prædictum monasterium Sancti Salvatoris constitutum in supranominato comitatu et territorio privilegiis apostolicæ sedis decoretur, ut sub ditione juris sanctæ nostræ, cui Domino auctore præsidemus, Ecclesiæ constitutum, nulliusque alterius Ecclesiæ juri vel ditioni subnittatur; quare vestris piis desideriis per hanc nostram auctoritatem id quod postulatis libenter concedimus. Et ideo cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio quamlibet jurisdictionem, vel potestatem, sive auctoritatem, præter sedis apostolicæ pontificem habere prohibemus, ita ut nisi ab abbate monasterii ejusdem fuerit invitatus, nec missarum solemnia ibidem omnino celebrare præsumat. Hoc denique hac nostra apostolica auctoritate constituimus, ut nulla alia magna seu parva persona eidem venerabili monasterio, sive in servis Dei, vel in famulis, aut etiam in servis, vel ancillis, nec non et in liberis, vel in cunctis rebus ad id pertinentibus, videlicet in casis, et possessionibus, quoquo modo aliquam molestiam inferre præsumat. Pariterque concedimus et confirmamus eidem sancto monasterio primitias vel decimas de suis hominibus, sive de præceptalibus, atque sacrum baptismum licenter celebrare, et in ecclesia S. Benedicti, et S. Mariæ, sicuti ei concessum est a partibus regum, per præcepti paginam, vel quidquid ibidem contineri videtur, vel si quid ab antecessoribus nostris pontificibus sanctis, videlicet Stephano, Adriano, Joanne, Formoso, vel ab aliis antecessoribus pontificibus eidem monasterio concessum est, ut totum hoc integrum apostolica auctoritate vobis, vestrisque successoribus concedimus et confirmamus. Chrisma quoque et oleum sanctum a quacunque ecclesia voluerit, vel potuerit, licenter accipiant; statuentes apostolica censura præcipimus ut nullus dux, marchio, comes, vicecomes, castaldius, vel aliquavis magna seu parva persona ullum districtum in aliquibus locis ipsum monasterium habere vel judicare, seu aliquid placitum tenere audeat, nisi ab ipsius monasterii abbate invitatus fuerit. Hac quoque apostolica auctoritate præcipiendo sancimus, ut neque episcopus, vel alius quisquam de ordine clericorum ecclesias, parochias, cellas, vel prædia, vel quæcunque loca, seu res præfati monasterii auferre aut alienare quoquo modo præsumant, aut quamlibet controversiam, sive injuriam, seu aliquam domi jacturam in rebus, possessionibus, vel in nullis utensilibus sive ornamentis, prædicto monasterio inferre audeat. Hæc omnia quæ superius memorata sunt, videlicet decimas, primitias, oblationes, ad sæpe dictum monasterium pertineant, necnon et baptismum, chrisma, et oleum, tibi dilecto filio nostro Theuzoni abbati, tuisque successoribus in perpetuum a præsenti quarta indictione per hanc nostri privilegii paginam apostolica auctoritate confirmamus atque concedimus secundum prædictum modum. Denique statuimus, cum dictus abbas de hoc sæculo migraverit, neque rex, neque dux, neque marchio, neque episcopus, neque comes, neque ulla alia persona ibidem abbatem ordinare præsumat, sed congregatis in unum cunctis ejusdem monasterii fratribus, ac communi consensu, Dei providentia, qui dignus hoc honore visus fuerit, ex propria congregatione abbatem ibi ordinent. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra ea quæ ab hac nostra auctoritate pie et firmiter per hoc nostrum privilegium statuta sunt contraire tentaverit, vel hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii statuta sunt refragari, aut quoquo modo transgredi, præsumpserit, sciat se auctoritate beati Petri apostoli anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, æterni incendii supplicio cremandum, nisi quod male peccavit digne correxerit. At vero qui pio intuitu custos et observator exstiterit hujus nostri apostolici privilegii, hic confirmationis [et] benedictionis gratiam a misericordissimo judice Domino nostro vitamque æternam cum omnibus electis Dei consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Datum VIII Id. Augusti, per manus Petri diaconi bibliothecarii et cancellarii S. apostolicæ sedis, anno domini Leonis IX papæ II, ind. IV.

XLIII.

S. Leo IX monasterium S. Victoris Massiliense, Petro abbate in synodo Vercellensi petente, tuendum suscipit, eique abbatiam S. Victoris Valentinensem concedit.

(Anno 1050.)

[Mansi *Concil.* XIX, 779.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Petro abbati monasterii S. Victoris Massiliensis martyris et omnium apostolorum, tuisque successoribus abbatibus perpetuam in Domino salutem.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Deo in sidereis cœtibus promerebitur, si venerabilia loca nostris temporibus ad meliorem fuerint, Deo juvante, cultum perducta, et a læsione pravorum hominum protecta. Quia vero tu, dilectissime fili, cum ad synodum nostram Vercellensem venisti, tutamen nostræ apostolicæ defensionis, privilegium monasterio tuo, quod proprie est S. Petri, supplici devotione a nobis postulasti: inclinati precibus tuis, per hujus nostræ apostolicæ præceptionis seriem, prædictum monasterium S. Victoris martyris omniumque apostolorum, cui tu præesse meruisti, ut liberum ab omni humana conditione et jugo consistat, pro eo quod sub jure sancti Petri positum, libertatem meruit adipisci, nostra apostolica auctoritate semper esse decernimus; quin etiam interdicimus ne quidquam molesta-

Digitized by Google

tionis, quidquam violentiæ aut rapinæ in rebus ejusdem monasterii et etiam cellis nominatim sacrilega manu committere audeat. Concedimus etiam ipsi vestro monasterio abbatiolam quamdam sancti Victoris nomine apud Valentinam civitatem sitam, quam nobis in ipsa synodo ipsius civitatis episcopus Pontius manibus nostris reddidit et per omnia refutavit, tuncque usque injuste detentam ab abbate S. Theodofredi ex tempore desolationis monasterii S. Victoris. Statuentes apostolica censura ne ulla unquam hominum persona, cujuscunque potestatis vel conditionis, cujuscunque sexus et ætatis, contra hanc nostræ apostolicæ auctoritatis defensionem venire prætentet. Quod si ausus fuerit, cuspide anathematis transverberatus erit usque ad dignam satisfactionem. Qui vero se ab hac præsumptione custodierit, benedictionem a Domino Deo consequatur et æternæ vitæ particeps efficiatur.

Data VII Idus Septembris per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno Domini 1050, Leonis noni papæ II, indictione IV.

XLIV.

[Heinrico] imperatori Romanorum et regi Burgundionum, episcopis et principibus regionis illius Romanum monasterium commendat.

(Anno 1050.)

[*Mémoires et Documents de la Société d'histoire de la Suisse*, p. 419.]

Leo episcopus, servus servorum Domini, H. dilectissimo filio imperatori Romanorum et regi Burgundionum, episcopis et principibus regionis illius, salutem et apostolicam benedictionem.

Volo scire dominationem vestram et successorum vestrorum quia monasterium quod vocatur Romanum fuit quondam commendatum antecessoribus nostris ad servandum et custodiendum et tuendum, non ad dandum et vendendum, nec ad beneficium dandum; sed qua occasione illud accidit, paucis vobis me dicere libuit. Multorum relatione didici quod dominus Stephanus venerabilis hujus Romanæ sedis episcopus, quibusdam necessitatibus impeditus et a Longobardis graviter angustatus, necesse habuit consilium quærere a Francorum rege; quia carebat tunc Romanus orbis persona imperatoris, et qui consules et dictatores videbantur non erant tantæ virtutis ut possent sanctam Ecclesiam Romanam liberare a tot imminentibus turbinibus. Erat enim tunc temporis in partibus Galliæ rex pius, nomine Pipinus, ille Pipinus cujus filius fuit hæres et imitator Karolus Magnus; qui audiens necessitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vocavit prædictum dominum papam Stephanum, ut ad se veniret et de principibus tres secum deduceret cum quibus late consilium inveniret, quo ejus Ecclesiæ subveniret. Annuens precibus regis, usque Parisios venit. Susceptus est honorifice, ut pontifex summus, a rege et regni principibus; et tanto honore et reverentia illum rex coluit, ut utrosque decuit, multoque tempore secum retinuit; in quo loco multa miracula per eum Dominus dignatus est operare. Ut de cæteris taceam, ut libri illius monasterii (Romanensis monasterii *ou Romainmoutier*), loquuntur, visus est præsentiam apostolorum Petri et Pauli et beatorum martyrum ibi quiescentium sibi allocutos, ut ecclesiam illam apostolorum auctoritate sublimaret, et supradictum regem P. et filios ejus reges eligeret et consecraret, et divina et apostolica auctoritate præciperet ut nullus mortalium per succedentia tempora in illo regno, nisi de illorum prosapia et propagine regem ordinare auderet. In supradicto vero negotio et itinere in quibusdam Jurensibus partibus posito monasterio jussit sibi hospitium præparare; sed susceptus et servitio habitantium fruitus, ut erat pius et misericors, hospitium benigne suscepit : et ex charitate locum benedixit et sanctificavit, et ad honorem apostolorum ecclesias ibi consecravit et Romanum monasterium nominavit. Qui locus, ut audivimus, postea a malis hominibus et ab impertunis vicinis destitutus est; sed Domino annuente a rege Chonrado et Matilda, ejus conjuge nobilissima beatæ recordationis, Maiolo et successoribus ejus monachis commendatus, per illorum studium ad sæcularem honorem et ad religionem monasticam deductus est, et restitutus. Illa ordinatio beati Maioli et regis et reginæ fixa et stabilis permaneat. Cæterum volo ut res ad nos semper respiciat; ita ut si aliquis ibi injuriam fecerit et ex nostra parte et successorum nostrorum reclamationem audierit et noluerit emendare, ad plenum sciat se apostolica auctoritate excommunicandum.

XLV.

S. Leo IX monasterii S. Mansucti possessiones et privilegia confirmat.

(Anno 1050.)

[Dom Calmet, *Histoire de Lorraine*, I, *Preuves*, 429]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Dodoni, abbati monasterii Sancti Mansueti, quod in suburbio nostræ civitatis Tulli situm est, ejusque successoribus regulariter promovendis in posterum.

Sicut rationi contraria procul est abjicienda petitio, ita in his quæ bene desiderantur, effectum negari non convenit. Tuis igitur, fili in Christo charissime, precibus annuentes, ad perpetuam vestri monasterii pacem ac stabilitatem, præsentis decreti stabilitate sanximus, ut in eo non episcopus, non alia quævis persona, gravamen vel quampiam vexationem exercendi jus habeat, nec de redditibus, rebus, vel chartis, de villis vel de cellis, sive de omnibus illi pertinentibus, quocunque modo, qualibet exquisitione, minuere, vel dolos aut immissiones aliquas facere præsumat, sicut in beati Gerardi chirographis et antiquis ipsius loci privilegiis continetur. Ut autem fratres inibi servientes Deo liberius vacent, mansum integrum, in quo idem situm est monasterium, vel quidquid intra parochiam hodie juste pos-

Digitized by Google

sidet, sive in futurum possederit, ab omni banno A sæculari liberum et quietum, ab omni exactione immune, sub ea dimensione, quæ in supradicti episcopi chirographo est descripta, possideant. Confirmamus etiam vobis cellam apud Medium-vicum, cellam de monte Barro, cum parochia sua, ecclesiam de Germaio, ecclesiam de Boncio, cum capella de Ornezons, ecclesiam de Godelincort; ecclesiam de Parneio; ecclesiam de Bladiniaco; ecclesiam de Marceio, ecclesiam de Tulliaco, ecclesiam de Purnes, ecclesiam de Boverons, ecclesiam de Andeliers, ecclesiam de Serto, ecclesiam de Limeis, cum omnibus appenditiis vestris, cum altaribus et decimis; ut nullo modo cuicunque personæ ex prædictis rebus liceat minuere vel auferre, neque ecclesiam sive capellam intra supradictos terminos ausus sit con- B struere. Confirmamus similiter vobis omnes villas vestras, videlicet Angeriacum cum piscaria integra in omni usu et banno; Molosiacum, Sessiacum, et alterum Sessiacum cum silva et banno. Tulliacum, Sartum cum silva et banno, Gibonis mansum, Purnes, Germaium, cum silva et banno, et cum omnibus mancipiis utriusque sexus ad prædictas villas pertinentibus. Præterea quæcunque idem cœnobium hodie juste possidet, sive in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juste atque canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus illibataque permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel C temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum quæ pro congrua sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si quis sane principum, sacerdotum, judicum, atque sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate inrecuperabiliter careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et nisi vel illa quæ ab illo male ablata sunt restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem D eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Amen. † Ego Leo catholicæ Ecclesiæ episc. anno incarnationis Domini 1050, indict. IV.

Data Tulli in majori ecclesia XI Kalendas Novembris per manus Udonis Tullensis nostræ Ecclesiæ primicerii, cancellarii et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno apostolatus domini Leonis noni papæ secundo, episcopatus Tullensis vicesimo sexto.

XLVI.

S. Leo IX canonicorum ecclesiæ S. Stephani Tullensis privilegia confirmat.

(Anno 1050.)

[Dom. Calmet, *Hist. de Lorraine*, I, *Preuves*, p. 455.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilectissimæ Tullensi Ecclesiæ gloriosi protomartyris Stephani, et per eam charissimis filiis ibidem Deo perpetuo famulantibus, perpetuam in Domino salutem.

Si utilitatibus sanctæ Matris Ecclesiæ famulantium opem ferimus, ob cœlestis recompensationis munus profecto id nostræ saluti accrescere indubitanter speramus; et cum eorum sancta devotio ad divinum cultum per nos ferventius augmentatur, non minimam portionem in eorum retributionis mercede ab æterno judice nos suscepturos confidimus. Quapropter notum sit universis Christi fidelibus, præsentibus et futuris, quod nobis pro divinæ religionis statu, apud Vercellas in apostolica synodo residentibus, adierit nostram præsentiam, cum multis aliis Deo devotis, Udo primicerius sanctæ Tullensis Ecclesiæ, de qua ad hoc apostolicum onus electi sumus, non nostris meritis, sed divina gratia evocanto, quamque adhuc tenebamus sub nostræ totius provisionis ordinatione; exorans ut canonicis ejusdem sedis, Deo sanctæque Mariæ genitrici ejus, et beato protomartyri Stephano famulantibus, privilegium villarum, ecclesiarum, et rerum diversarum, etiam vinearum per omnia loca jacentium, pertinentium ad eorum usus, nostræ auctoritatis confirmatione roboraremus : cujus petitioni paterne per omnia satisfecimus. Deinde nostram eamdem Tullensem ecclesiam vehementi desiderio visere cupientes, et charissimum ipsius gregem, quem desolatum reliqueramus, scilicet clerum et populum illius, paternæ charitatis amplecti cupienti animo desideraremus; maxime ad transferendum de tumulo gloriosum corpus sanctissimi prædecessoris confessoris nostri Gerardi, divina admonitione sollicitantes, ad ipsam ecclesiam, affectu tanti desiderii completo, pervenimus, et corpus gloriosi confessoris nostri Gerardi, per gratiam Dei transtulimus, quem ad laudem et gloriam Omnipotentis omnium Christi fidelium, sicut dignum et justum fuerat, secundum quod humanæ et nostræ apostolicæ auctoritati convenit, magnificamus. Dum enim adhuc præsentes essemus, et ad sustentandam ecclesiam de pluribus scrutaremur, manifesta veritate comperimus quosdam non ministeriales, quædam de privilegio beati Gerardi et nostro, occultis tergiversationibus capitula corrodere, qui judicio convicti, non valuerunt procedere, dum causa, testimonio atque judicio Rainardi comitis, et aliorum veridicorum dominorum civitatis, cognoscitur prævalere; per quos etiam ecclesia nostram apostolicam dignitatem suppliciter convenit, et eadem nostro privilegio confirmari summopere rogavit. Nos enim casatorum omni ecclesiæ consilio, atque fidelium dominorum civitatis judicio, in conspectu tantæ multitudinis quæ ad solemnitatem

Digitized by Google

translationis gloriosi confessoris convenerat, satisfecimus fratrum petitioni, de quibus hæc littera sequens indicium erit. Pro mercedis nostræ augmento apud Deum decernentes, confirmamus vobis fratribus sanctæ Tullensis Ecclesiæ mansiones vestras infra civitatem, et extra, ab omni banno et justitia sæculari liberas, nec a modo vestri episcopi, neque Tullenses comites, neque dux, neque aliqua sæcularis exaltatio in villis vestris advocatiam vel servitium, vel aliquod debitum exigat, quo imperatores et reges, et gloriosus confessor sanctus Gerardus omnino vestræ dispositioni, usque ad nostra tempora, cognita veritate, sub anathemate reliquerunt liberas; vineas, terras, mansos, homines cujuslibet sexus, sive res, terras, ubique commorantes et conjacentes, omni sæculari potestate seclusa, vestris usibus libere sine voce contradictionis, simili modo relinquimus et confirmamus. Si enim vestros homines, cujuscumque sexus fuerint, de villis vestris contigerit exire, nulli personæ, nullo banno sit licitum illos retinere ut suos, nec de illorum posteritate ubicunque fuerint, fiat, sicut vulgo, belle reinvestitura; sed quocunque ierint, liceat eos vobis veluti prius libere possidere. Unum hominem de vestris ad custodiam vinearum Barri, vester claustralis villicus eliget, et dabit custodiam. Deinde ad jurandam fidelitatem tantum hominibus, villico civitatis illum repræsentet, in omnibus potestatibus in quibus jure antiquo decimas indominicatas episcoporum recipitis, unum hominem a banno liber cum censu suo et manso, primo sicut sanctus Gerardus instituit, ad custodiendas decimas habeatis, et quamvis ille obierit, alium de eadem potestate accipiatis. Confirmamus etiam mansum unum in Paterniaco, cum omnibus appenditiis suis, omnino liberum, cum cæteris omnibus qui in villa eadem sunt; tam in pascuis quam in viis et semitis habentem libere plenarium usum; bannum etiam piscaturæ Mosellæ, incipientis superius a rupe molendini Sancti Apri et Sancti Vedasti, usque ad rivulum decurrentem de summitate montis, nomine Castelli, nullius personæ, nullius banni piscatura intercurrente absque vestra licentia; necnon et medietatem ecclesiæ cum conductu vicarii in Totonis villa, quam venerandus præsul Gauzelinus tradidit vobis, ob sui commemorationem anniversarii. Homines vestri infra civitatem vel extra commorantes, usum banni civitatis communem cum omnibus cæteris habeant, nec ulli justitiæ sæculari nisi vestræ sint subditi; nisi de forensibus mercimoniis, si cum cæteris bannalibus mercatoribus fuerint constituti per villicum civitatis. Si indigentia ministrorum coquinæ vel pistrini in claustrali servitio vobis evenerit, liceat vobis in curia episcopi vestri quoslibet assumere, vel in quolibet civitatis vel episcopatus cœnobio, si ibi præstant idonei reperiri vestro claustrali servitio. Hæc omnia supradicta vobis fratribus apostolica censura confirmamus sub divina obtestatione, ut nullus imperator, nullus dux, neque comes, neque aliqua sæcularis persona, nec archiepiscopus, nec episcopus, et præterea nulla hominum persona, cujuscunque conditionis sit vel professionis, contra hanc nostram constitutionem venire prætentet; quod quicunque fecerit, nostro apostolico anathemate usque ad condignam satisfactionem percussus existat. Qui vero se custodierit et observaverit, nostra benedictione vitæ æternæ particeps efficiatur. Amen.

Datum Tulli in majori ecclesia per manus Udonis Tullensis Ecclesiæ primicerii, cancellarii et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, XI Kalend. Novembris, anno Dominicæ incarnationis millesimo quinquagesimo primo, indictione IV, anno apostolatus domini Leonis IX papæ II.

XLVII.

Privilegium S. Leonis IX ad sanctum Hugonem de ecclesia de Raningis.

(Anno 1050.)

[*Bullar. Cluniac.*, 12.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Hugoni venerabili abbati Cluniacensis cœnobii ejusque successoribus in perpetuum.

Quoniam postulasti a nobis, frater charissime, confirmari apostolica auctoritate quædam bona concessa a quibusdam viris Deum timentibus nostræ Cluniacensi ecclesiæ; per hanc nostræ præceptionis paginam confirmamus illa tibi tuisque successoribus, secundum petitionem tuam, quonlam eam rationabilem conspeximus et honestam. Proinde scuto nostræ defensionis corroboramus prædicto cœnobio ecclesiam cum prædio, quod dicitur Raningas, sub nomine cellæ constructam, quam dedit bonæ memoriæ Riquinus de Dornejo, consentiente uxore sua, Loanceda nomine, nostro præfato monasterio; videlicet ipsum prædium Raningas cum omnibus appendiciis suis, terris cultis et incultis, pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, pascuis, servis, ancillis, et omnibus usuaribus, quæcunque ibi visi sunt possidere, ecclesias, servos, et ancillas, prædia quoque, sicuti sunt a prædicto Riquino scripta, laudante et consentiente Tullensis ecclesiæ pontifice, salva tamen auctoritate et honore suæ Ecclesiæ, confirmamus tibi in perpetuum. Prædium etiam, quod Hugo de longa aqua dedit sancto Petro Cluniacensis ecclesiæ, qui caput est hujus vestræ cellæ, confirmamus tibi. Insuper et alia quæcunque a bonis hominibus prædicto loco postea sunt concessa vel juste acquisita, vel quæ in futurum poterunt acquiri, eodem modo laudamus et confirmamus, statuentes apostolica censura ut nullus rex, archiepiscopus, episcopus, dux, comes, vicecomes, vel aliqua alia judicialis persona audeat aliquam inferre calumniam contra hanc nostram defensatricem paginam, quam quicunque studuerit servare et custodire illæsam, habeat nostram benedictionem cumulatam; qui autem contrarius exstiterit, anathematis nostri jaculo percussus in morte animæ jacens ad vitam æternam nunquam, nisi resipuerit, mereatur resurgere.

Digitized by Google

Data VII Kalendas Novembris, per manus Udonis Tullensis, primicerii sanctæ apostolicæ sedis, cancellarii et bibliothecarii anno domni Leonis IX, indict. IV.

XLVIII.

S. Leo IX monasterii S. Vincentii Metensis possessiones juraque, petente Adalberone episcopo, confirmat.

(Anno 1050.)

[Dom Calmet, *Histoire de Lorraine*, I, *Preuves*, 437.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo confratri Adelberoni, Metensi episcopo.

Divino jure admonemur justæ intentioni Deo fidelium congaudere, et eorum bonæ voluntati cooperatores existere, ut in ipsorum sancta operatione, partem et consortium remunerationis valeamus percipere. Quapropter, charissime frater, tuæ sanctæ devotioni congaudemus tuamque dignam postulationem apostolica autoritate collaudamus, quia studiose laboras ut semper amplificetur et crescat per te Deo servientium cœtus. Unde quod postulas, tu, atque Folchuinus abbas tui cœnobii de Sancto Vincentio martyre, decrevimus ubertim promulgare, et apostolicæ institutionis in privilegiis atque decretorum censura confirmare. Convenit nempe nobis apostolico moderamine sancta venerabilia loca, quæ dudum fuerant in ruinis, magnaque inopia ac paupertate degentia, opportune ordinare, seu ad meliorem sine dubio statum perducere; præsertim ubi illa petuntur, quæ non ad commodum petentium temporale, sed ad perpetuam providentiam pertinent Deo servientium animarum, scilicet ut venerabilis locus qui a beatæ memoriæ Deoderico prædecessore tuo Metensi pontifice in uno conglobatus atque annexus est cum propriis congregationibus quæ regulariter in psalmis, hymnis et orationibus, Deo Salvatori nostro Jesu Christo pervigiles excubias exhibent, ab insolentiis exterioribus circummunitæ jugiter valeant pii famulatus obsequia in monasterio Sancti Vincentii exhibere. Et quoniam constat tuam religiositatem hujus privilegii confirmationem postulare a nobis, propter immutationes temporalium rerum, variosque hominum casus, munitionem Sancti Vincentii martyris, cum omnibus ad idem monasterium pertinentibus, atque corroborationem ipsius in Christo congregationis, et successorum ejus, in perpetuum fieri censuimus : quatenus nonæ omnium redituum episcopii, et de singulis cortibus mansus, quæ a prædicto Deoderico et ejus successoribus eis donata sunt, sicut a te quoque laudabiliter conceduntur, ita in posterum usque in finem conserventur. Et ut illa congregatio inconcussa in unum perseverans, sedulas laudes Deo persolvere valeat, et sicuti a Deo eorum studia imbuta sunt, jugiter perseverare liceat, atque sub uno abbate tam prædictus locus constitutus in honore S. Vincentii indivisus sit et indivisa congregatio, nec cuiquam licentia præbeatur, ut refugiens rigorem studiosæ sibi regulæ, huc illucque vagetur, vel aliis reconferre conetur monasteriis, quod a nobis contra regulam sub anathematis vinculo prohibetur. Quapropter statuentes atque promulgantes coram Deo et terribili ejus futuro examine, per hujus nostri privilegii apostolici atque constituti paginam sancimus, et beati Petri apostolorum principis auctoritate decernimus atque obtestamur tam apostolicæ sedis futuros pontifices quamque qui episcopalem administraverint actionem, vel etiam magna parvaque persona, aut quispiam cujuscunque sit dignitatis prædituspotestate, ne ea quæ a prædicto Deoderico episcopo, vel quocunque alio, venerabili loco tradita atque concessa, et tricennali possessione a monachis ibi Deo servientibus possessa fuerint, quoquo modo, a quoquam licentiam habeant sæpius nominatum locum Sancti Vincentii in unum adunatum, atque spiritaliter apostolicæ exarationis stylo conjuncta, disjungere, vel aliquid exinde alienare. Et ut illud monasterium Sancti Vincentii respiciens sit ad sedem episcopalem protomartyris Christi Stephani jubemus, atque abbas in pontificis vices supplendas primatum habeat; sed et si episcopus defuerit, liceat ei in festivis diebus ad sedem episcopalem accedere, ibique cum dalmatica et sandaliis missas celebrare. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea quæ ab hac nostra auctoritate pie et firmiter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, contraire tentaverit, vel hæc quæ a sæpe dicto Deoderico Metensium præsule, vel quolibet alio, ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii, videlicet Sancti Vincentii, statuta, et a Deo servientibus in eo triginta annis possessa sunt, refragare, auferre, vel alienare præsumpserit, sciat se auctoritate beati Petri apostolorum principis vinculo anathematis innodatum, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, æterni incendii supplicio concremandum : sic deputatus, nec unquam a prefati anathematis nexibus sit absolutus. At vero qui pio intuitu observator in omnibus exstiterit, gratiam benedictionis a misericordissimo Domino nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps efficiatur, et catena beati Petri a sancta Romana Ecclesia ei data aperiat ei januam paradisi. Si vero aliquis inde aliquid minuerit, ea quam diximus catena, claudat ei polorum regna. Præterea, confrater charissime, quod postulas ut cellam de Caliniaco, ubi disposuisti monachorum cœtum, aggregare appendentem ad prædictum cœnobium Sancti Vincentii, liberam faciam a censu quem Tullensi Ecclesiæ hactenus consueverat, more aliarum capellarum, persolvere ; tibi laudamus, liberamque in perpetuum constituimus, eo tenore, ut illic stabiliatur ordo monasticæ religionis. Si vero (quod absit) contigerit ut ibidem, pro prælati alicujus culpa, defuerit monachorum congregatio ; prædictus census denuo requiratur a Tullensis sedis pontifice, more consuetudinario. Et ut hæc quæ diximus absque ulla refragatione rata firmaque stabiliter solidentur, nostræ subscriptionis firmitate roboravimus, nostrique si-

Digitized by Google

gilli impressione contra omnium reclamantium voces insigniri præcipimus.

Data Tulli IV Nonas Novembris, per manus Udonis Tullensis primicerii, et sanctæ apostolicæ sedis cancellarii et bibliothecarii, anno ab Incarnatione Domini 1051, domini vero Leonis noni papæ anno secundo, indictione IV.

XLIX.

S. *Leonis IX bulla pro monasterio sanctorum Bertarii et Ata'eni.*

(Anno 1050.)

[Mabill. *Annal. ord. S. Bened.*, IV, 740.]

Leo servus servorum Dei, ecclesiæ beatorum martyrum Bertarii et Ataleni, quæ dicitur Blederici villa, positæ in comitatu Santensi, et per eam sanctimonialibus, ibidem perpetuo famulaturis, perpetuam in Domino salutem.

Ad apostolatus nostri curam procul dubio creditur pertinere ut venerabilia loca nostris apostolicis fiant munita, et nobis proficiat ad salutis augmentum quod eis proficit ad tutaminis fulcimentum. Quapropter æquum et salutare visum fuit nobis ut prædictam ecclesiam a Raynardo comite suisque progenitoribus conditam apostolicæ auctoritatis scuto muniremus, eamque in monastico ordine permanere decerneremus. Ea igitur auctoritate, qua in terris, licet indigni, vice tamen fungimur beatissimi Petri apostoli, confirmamus et roboramus, per hanc nostri apostolici privilegii paginam, eidem sancto et venerabili loco omnia quæ ab eodem Raynardo comite ejusque parentibus et aliis quibuscunque fidelibus Christi concessa et concedenda sunt in perpetuum : prohibentes nostra apostolica auctoritate ne unquam a monastico ordine locus ipse auferatur, sed semper sub regula sancti Benedicti permaneat, et nominatim quæ ipse Raynardus comes huic loco pro remedio animæ suæ contulit, quarum quidem potestatum nomina hic subscribi fecimus, integram videlicet Bledericivillam, cum ecclesia et omni integritate sua; Romaldi-villam cum omni integritate; Salsuris cum omni integritate; Pantevillare cum omni integritate; allodium de domno Basolo; Ligisdicurtem cum integritate, allodium de Unzoniscurte. Post quorum donorum firmissimam contraditionem, sicut ipse prædictus comes jam expetierat, eam a nobis, dum in solo episcopatu Tullensi præfuimus, consecrari, imo et consecrata est; ita et modo in apostolatus culmine, divina præcunte clementia, misericorditer sublimati constituimus, idem illic ad laudem Dei, ac sanctorum venerationem, deinceps congregationem sanctimonialium venerabiliter stabiliri, et sub beatæ Dei genitricis ac virginis Mariæ, Sanctique protomartyris Stephani Tullensis ecclesiæ confirmari, eo tenore, ut quicunque de ejus corporis posteritate Fontemiacum castellum justa hæreditate possederit, advocatiam ipsius loci habeat solide. Quod si forsan ad ejus successionis progeniem nemo superstes remanserit, ad propinquiorem et natu majorem, qui de stirpe ipsius Raynardi descenderit, aut ex cujus hæreditate idem locus est inceptus, prædicta advocatia perveniat; et annuatim, in Inventione sancti Stephani, debitum censum instituta congregatio ipsius loci pro subjectione persolvat, scilicet cereum unum, duodecim denariis Tullensibus appretiatum. Donum igitur abbatiæ in manu episcopi Tullensis semper consistat, et quæcunque de ejusdem præfati comitis stirpe in eodem cœnobio idonea inventa fuerit, provisionem loci, sub nomine abbatissæ, suscipiat; sin autem inibi nequiverit reperiri, de loco sancti Romarici aliqua de ejus progenie digna ad abbatissam sumatur, et si etiam in his utrisque cœnobiis nulla poterit inveniri, potestatem episcopus habeat, aut de eisdem locis, aut de aliis infra Tullensem episcopatum aliam dignam personam perquirere, et in loco illo secundum Deum præficere. Si quis ergo, quod absit! et quod fieri minime credimus, ab hac nostra publica sanctione discordare pertentaverit, et præstito alicujus pretii commento, non secundum Dominum prælationem loci statuerit, aut locum destruere, vel de appendiciis imminuere voluerit, habeat advocatus liberam potestatem adeundi regem, et ibi causas monasterii sagaciter exponat, et hujus nostræ apostolicæ præceptionis diruptionem, et ut reformetur summopere studeat. Si vero advocatus de facultatibus monasterii vi, aut malo ingenio quidpiam diminuere voluerit, aut etiam hanc nostram apostolicam confirmationem infringere, commonitus bis ac tertio a præsule, si cum justitia culpam emendare voluerit, advocatia sibi permaneat; at si contra episcopi admonitionem vel excommunicationem incorrigibilis permanserit, advocatia careat, et præsul alium advocatum requirat qui fideliter loci defensionem provideat. Et ne aliquid de appendiciis ecclesiæ usurpare præsumat, statuimus ut in festivitate sanctorum martyrum Bertarii et Ataleni ibidem detur ei servitium, videlicet modius unus frumenti, modius unus vini : et si vinum defecerit, tres solidi monetæ ipsius pagi, et porcus duorum annorum. Hinc vero de rebus vel justitiis abbatiæ nullo modo se præsumat, nisi forte ab abbatissa in adjutorium vocatus fuerit, et tunc pro sua præsentia et adjutorio tertiam ejusdem abbatiæ accipiat partem. Ut autem hujus rei confirmatio cautius in perpetuum firmiusque servetur, nonnisi magnis precibus Lanhardis filiæ ipsius jam sæpe dicti Raynardi comitis, et diligenti suorum consilio fidelium, scilicet Richuini et Cunonis, atque Rhindrici seu Theobaldi, utrique locorum, videlicet sanctæ Tullensis Ecclesiæ, alterum in dicto cœnobio sua, prout visum est, similia privilegia assignavimus, quorum cautissimo privilegio, nec episcopi Tullensis lædatur auctoritas, nec ecclesiæ ancillarum Dei aliqua proveniat ab episcopo injusta incommoditas; statuentes apostolica censura, sub divini judicii obtestatione, ut nullus imperatorum, nullus rex, nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nullus vicecomes, nullus advocatus,

Digitized by Google

nullus archiepiscopus, nullus episcopus, et præterea nulla hominum persona cujuscunque sexus et ætatis, contra hanc nostræ apostolicæ auctoritatis confirmationem et constitutionem venire pertentet. Quod quicunque fecerit, nostro apostolico anathemate usque ad satisfactionem dignam percussus existat; qui vero se custodierit et observaverit ad confirmationem et constitutionem, nostra benedictio accumuletur, et vitæ æternæ particeps efficiatur.

Data octavo Idus Decembris, per manus Udonis Tullensis primicerii, cancellarii et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domini Leonis IX papæ II, indictione IV.

L.

Bulla S. Leonis IX de consecratione ecclesiæ Hohemburgensis ab ipso facta.

(Anno 1050.)

[*Gall. Christ.* IV, 471, ex authentico in archivo serenissimi principis episc. Argentin. asservato.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, ecclesiæ Dei Genitricis Mariæ, ubi requiescit corpus sanctæ virginis Odilæ, quæ dicitur Hohemburc, et per eam sanctimonialibus perpetuo inibi famulaturis perpetuam in Domino salutem.

Visitantibus nobis pio respectu Alsatiæ partes, contigit venisse Hohemburc, et cum nobis juste sit omnium Ecclesiarum assidua sollicitudo, hæc etiam intercesslt benevola devotio et parentum nostrorum semper inibi devote famulantium et in Christo quiescentium debita constrinxit recordatio, ut præfata ecclesia, quam velut incultam invenimus, Spiritui sancto dedicaremus habitaculum; quod ut oportebat fecimus. Ad quod videlicet templum in honore S. Dei genitricis et S. Nicolai dedicatum, venerabilis abbatissa, nomine Bertha, pro remedio animæ suæ et parentum suorum prædium cum mancipiis, quod possidebat ad villam Archenheim dictam et apud Meinoldesheim, Sahsenheim, Uresheim, Gersheim contradidit. Prætercа et nos statuimus ut ad duo altaria, quorum unum ad caput beatæ Odilæ, alterum in majori ecclesia, nemo celebret missarum solemnia, nisi episcopus ipsius diœcesis et idonei ipsius ecclesiæ hebdomadarii; et præterea quæcunque venerit idonea persona, non tamen sine ipsius loci prælatæ seu congregationis, si ipsa minime interfuerit, communi consensu et licentia.

Insuper et altari S. Odilæ sacerdos religiosus quotidie ad ministrandum provideatur, qui et capellani officio in ministerio prælatæ digne fungatur. Et quia convenit nostro apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, sicut in privilegiis habetur prædecessorum nostrorum, ita et visum est nobis ecclesiæ et sanctimonialium inibi Deo famulantium desideriis congruum debere impertiri assensum. Unde hoc nostræ auctoritatis stabile concedimus et confirmamus privilegium, statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, ut præfata Ecclesia prædictum prædium inviolabiliter obtineat, et quæcunque a fundatoribus, sui aliis Christi fidelibus concessa sunt, sicut Rodsheim, Torolsesheim, Avelsheim, Sahselsheim, Bladensheim, Scafersheim, Ehenheim, Renchirchen, Ingemarsheim, Ehenheim, Egensheim, Sigoliesheim, Alege, Sunthusen, Argensheim, Scopfheim, Gersheim, Bercheim, Tullengen, Salica terra ad S. Naborem, et quæ concedenda sunt nemini liceat exinde aliquid imminuere, vel auferre, sed omnia sanctimonialibus inibi Deo famulantibus integerrima permaneant. Illud etiam confirmandum decrevimus, ut, abbatissa ipsius loci aliqua vita decedente, sanctimoniales abbatissam, quæ eis legitime præsit, habeant potestatem sine discrepatione eligere, sane ut de suis, si condignam religiosamque invenire potuerint, absque omnium contradictione eligant, præcipimus; sin aliter, quo meliorem reperire potuerint accipiant, et electam consecrandam episcopo adducant, quæ et subditas suas ab episcopo consecrari in suo ordine faciat. Omnem namque aream montis, quæ tempore B. Odilæ, sicut antiqua relatione accepimus, a solis spiritualibus possidebatur, ita subjicere præfatæ abbatissæ decrevimus, scilicet ut omnem ipsum montem infra septa gentilis muri, nullus hominum colere aut possidere sine permissione abbatissæ audeat, nullus aliqua inquietudine pacem perpetuo locis in illis a nobis indictam violare præsumat

Præterea decernimus ut nullus, cujuscunque potestatis seu conditionis sit, a præfata ecclesia aliquid exigere potenter aut violenter audeat, sed semper quieta et secura in divinis laudibus consistat. Ipsa quoque abbatissa bona monasterii nullo modo injusta libertate dispergat, sed ut fidelis dispensatrix summi imperatoris omnia pauperibus Christi et utilitati ecclesiæ non vanitati mundi profutura diligenter colligat prudenterque custodiat, ne ovibus Christi, quas spiritaliter et carnaliter pascere debet, temporalia desint pascua, ut liberius quærant et inveniant æterna. Quod si non fecerit, et semel aut bis vel ter commonita incorrigibilis exstiterit, judiciali censura coram Ecclesia canonice deponatur, et utilior loco suo proponatur. Igitur ea auctoritate, qua S. Petri vice fungimur, irrevocabiliter confirmamus ut nullus imperator, nullus rex, nullus archiepiscopus, nulla alia magna parvaque persona, contra hanc confirmationem aliquo modo venire pertentet. Quicunque hoc fecerit nostro apostolico anathemate percussus existat, donec humiliter resipiscat. Qui vero custodierit, vitæ æternæ particeps efficiatur. Eodem quoque anathemate percussus existat, si quis hebdomadariorum sacerdotum Hohemburgensem ecclesiam contentione vel rebellione gravare audeat. Ipsi etiam hebdomadarii nil in monte præter domos necessarias, ab abbatissa pro beneficio eis concessas, possideant. Amen.

Data XVI Kalendas Januarii, per manus Udonis Tullensis, primicerii, et sanctæ apostolicæ sedis cancellarii et bibliothecarii, anno domini Leonis IX papæ II, indictione IV.

Digitized by Google

LI.

Privilegium S. Leonis IX Agaunensibus canonicis tributum.

(Anno 1050.)

[*Gall. Christ.* tom. XII, p. 427.]

In timore Dei æterni et Salvatoris nostri Jesu Christi, Leo, humillimus servus servorum Dei, et in apostolici culminis arce non meritis propriis, sed ætherei clavigeri aliorumque apostolorum principis Petri, divina opitulante gratia, sublimatus. Dominus noster Jesus Christus, ut a primi parentis piaculi cautione humanum genus liberaret, de cœlis ad terras descendit et proprio suo cruore redemptum B. Petro pascendum commisit: quod ministerium successionis serie, ad nos usque quamvis indignos pervenit. Quapropter oportet omnes Christianos ad sanctam matrem Ecclesiam et apostolicam sedem concurrere, eo modo ut conditor effectum devotionis consequatur, et piæ constructionis oraculi in privilegiis largiendis non denegetur auxilium; cunctisque universalis Ecclesiæ filiis notum esse volumus quia, dum in illius partibus orbis naufragantem Ecclesiam relevando Gallias tenderemus, ad eum locum, cui Agaunum nomen est, pervenimus, quem pretiosi martyres Mauritius et ejus commilitones suo sanguine perfuderunt, ubi triduo commorati quanquam patrociniis sanctum divitem locum apostolicis privilegiis decoratum, omni tamen thesauro et beneficiorum plenitudine destitutum, prout potuimus, consolavimus, corum denique martyrum festa celebravimus.

Ibi etiam astantibus nobis Petro archidiacono nostro, et episcopis Allinardo Lugdunensi, et Hugone Vesontiensi et Frederico Genevensi, et Aymone Sedunensi, qui nunc eidem præest Ecclesiæ, relata est nobis, præmissis reliquis, luctuosa miseriarum sarcina illius loci canonicis illata, privilegii tamen auctoritate ante prohibita: quod non liceret canonicis in fine vitæ propria bona distribuere, neque viventibus de ecclesiasticis rebus præter prælati sui voluntatem quidquam ordinare. Nos autem hujus inauditum facinus prædictis episcopis et maxime eidem episcopo, Aymoni videlicet illis prælato, ut imperatori Henrico nobis apud Coloniam obviaturo intimarent, præcepimus quatenus ejus consilio et D juvamine sedaremus ruinam tantæ violentiæ, quorum non solum tunc, sed multoties audita lacrymabili querimonia, miseratus prædictus piissimus ille imperator Henricus postulavit a nobis ut idem monasterium Agaunensium, in quo ipse Aymo sub canonicorum regula abbas esse dignoscitur, privilegio cum sedis apostolicæ infulis decoraremus, et sub sancta cui, Deo auctore, præsidemus Ecclesia, constitutum præteritorum regum ordinem, gloriosissimi videlicet regis Sigismundi ac aliorum regum post statuta et privilegia ejusdem monasterii nostri quoque pontificatus honore cohonoraremus, ut nullo tempore corrumperentur, ut neque super illos canonicos A prælatus aliquis sine communi eorum consilio vel electione mittatur, neque ex communibus ecclesiæ rebus post congruam eorum dispositionem quidquam tractetur, nec licet prælibati violentia in eorum diripienda propria vel communia bona temere præsumendo prævaleat, sed omnia privilegii auctoritate eorum decretis ordinentur.

Et si forte eorum aliquis præoccupatus fuerit morte frater, si defuerint parentes, ita ejus bona Ecclesiæ, familiæ et pauperibus distribuant ut noverint oportere, et ne prælatus aliquis potestatem aliquam inibi exercendo, vocem lætitiæ eorum perturbet, sub anathematis vinculo colligamus; et in episcopatu Lausannensi quamdam curtem, nomine Auronum, quondam eis sublatam violentia prælatorum, B restituimus cum ecclesiis et reliquis appendiciis, ut ad mensam fratrum semper deserviat. Propterea piis fratrum precibus aures accommodantes et prædicti monasterii congregationi divinis mandatis inhærenti sedisque apostolicæ regulam servanti, per hujus præceptionis nostræ auctoritatem, id quod exposcunt, effectu mancipamus.

Leo cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio vel in ecclesiis, in ejus curtibus sitis nullum pontificium prioratus permittimus habiturum, sed ut illum qui civitatem Sedunam, pro nomine Vallesiam, habuerit, quamlibet ditionem seu potestatem vindicare in ea præter auctoritatem sedis apostolicæ prohibemus, ita ut, nisi a prælato eccle- C siæ vel a fratribus invitatus, nec missarum ibidem celebranda mysteria quispiam præsumat accedere, vel suam dominationem exercere, nec ulla conciliabula prætendere, nec eleemosynis S. Mauricio collatis participare, neque decimas illic a S. Sigismundo vel ab aliis collatas quispiam tentet auferre, eo quod sub tuitione apostolici privilegii consistunt, et inconcusse cuncta secundum conditoris ejus desideria permanere cunctis temporibus constituimus per hujus decreti nostri paginam, atque interdicimus omnibus cujuslibet dignitatis honore præditis, sub anathematis vinculo constringimus quicunque hujus seriem institutionis, vel ipsarum scripturarum sanctiones de denariis ac libertatis honore, quæ a regibus vel aliis fidelibus constitutæ D sunt, et præfato monasterio sub privilegiis indultæ quolibet modo vel tempore voluerit corrumpere.

Leo Deo auctore in hac serie privilegii ob amorem Dei et sanctorum martyrum honorem a me facta relegens subscripsi, ac episcopos hos subtus adnotare jussi.

Petrus, peccator, jussus a domino papa subscripsi.

Gregorius peccator, jussus a domino papa subscripsi.

Hugo, peccator, jussus a domino papa subscripsi.

Hermanus, peccator, jussus a domino papa subscripsi.

Digitized by Google

LII.

S. Leo IX ecclesiæ SS. Martini et Agerici Virdunensis possessiones, petente Theodorico episcopo, confirmat.

(Anno 1051.)

[Dom Calmet, *Hist. de Lorraine*, I, Preuves, 441.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, ecclesiæ sanctorum confessorum Martini et Agerici, et per eam Balderico abbati, suisque successoribus, eorumque monachis Deo inibi perpetuo famulaturis, æternam in Domino salutem.

Convenit apostolico moderamini, ut ecclesiastico prudenter ac sapienter in omnibus provideatur honori, ne si, quod absit, summi pontificis præcesserit incuria, aliorum pastorum ad deteriora magis quam ad meliora declivium grex et pabula male tractentur desidia. Quapropter precibus Theoderici Virdunensis episcopi, idem bonæ conversationis prædictus abbas, fidelis ecclesiæ suæ provisor, ad nos satis humiliter ac decenter veniens, hoc nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium sibi rogavit, et obtinuit. Taliter ergo justæ petitioni accommodato assensu, bona omnia quæ a quibuscunque Christi fidelibus præfatæ ecclesiæ concessa vel unquam concedenda sunt, et nominatim illa quæ sine alicujus contradictione, et libera omnino potestate, bonæ memoriæ Rambertus Virdunensis episcopus contradidit, et de quibus apud monasterium Sancti Pauli ad eamdem civitatem situm facere cœpit stabile concambium, quod et venerabilis ejus successor Richardus ob charitatem Dei et memoriam antecessoris sui, qui ecclesiam illam monachorum incœpit et Deo miserante elaboravit, hac sacra nostræ apostolicæ confirmationis pagina corroboramus et firma stare sancimus. Præterea præcipimus et sancta primæ sedis auctoritate prohibemus, ut nullus imperator, nullus rex, nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nullus vice-comes, nullus advocatus, sed neque archiepiscopus, neque episcopus, vel aliqua ecclesiastici ordinis seu mundanæ conditionis magna parvaque persona, in hanc constitutionem vel confirmationem insurgere audeat. Si quis autem animæ suæ futurum detrimentum non timens, nec saluti suæ præcavens, culpam de infringendo privilegio seu perverse immutando incautus incurrerit, sciat se statim, nisi cito resipuerit, insanabili percussum jaculo divini anathematis. Qui vero salutaria nostra præcepta et consilia debita subjectione et sibi prospicua humilitate servaverit, prospera commoditate salutis, et dono accumuletur apostolicæ benedictionis.

Sic signata et subscripta : Misericordia Domini plena est terra. Leo Papa.

Datum IV Idus Januarii, per manum Udonis Tullensis ecclesiæ primicerii, et sanctæ apostolicæ sedis cancellarii et bibliothecarii, anno Domini Leonis noni papæ tertio (132), indictione quarta.

(132) Leg. *secundo*. Jaffe.

LIII.

S. Leo IX Ecclesiæ Vesontionensis bona, rogante Hugone archiepiscopo, confirmat, eique privilegia quædam concedit.

(Anno 1051.)

[Dunod, *Histoire de l'Église de Besançon*, I, *Preuves*, page 36.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Hugoni sacræ Chrysopolitanæ Ecclesiæ archiepiscopo, suisque successoribus in perpetuum.

Gratias agimus Deo et Domino nostro Jesu Christo, qui nullis nostris præcedentibus meritis, tamen ad apostolicæ sedis culmen nos evexit; unde ad apostolatus nostri curam videtur pertinere omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerere, earumque augere honorem. Quoniam autem postulasti a Romana sede, beatissime frater, ut bona quæ Omnipotentis clementia, tuis temporibus fecit Ecclesiæ tibi divinitus commissæ, nostra auctoritate munirentur, placuit nobis tuæ petitioni pro voto consentire, præsertim cum idem sacer locus cui, Deo disponente, videris præsidere, tanta dignitate resplendeat ut non tantum archiepiscopalis sedis auctoritate sit sublimatus, verum et multorum Patrum apostolicorum virorum roboratus privilegiis, servata æquitatis suæ reverentia, permaneat insignis. Ad hoc et nos majoris tituli invitat exsultatio, quod memoratus locus decoretur patrocinio protomartyris Stephani, cujus servat *brachii* pignus inæstimabile, munus exoptabile; et, ut verius fateamur, *propriis oculis* conspeximus ejusdem sacratissimi pignoris *os quassatum ictibus lapidantium Judæorum, dum illud recondidimus infra altare quod consecravimus te præsente*, astantibus confratribus nostris coepiscopis Alinardo Lugdunensi archiepiscopo, Georgio Colosensis ecclesiæ Hungrorum archiepiscopo, necnon Sutricensi episcopo Kilino, Genevensi Friderico, Widone Cabilonensi, Gualtero Matiscenci; abbatum quoque et honestorum clericorum reverendæ sanctitatis, laicorum præsente infinita multitudine; quique in tenore tuarum precum addidisti ut quoniam altare per manus nostras fuerat consecratum, ab apostolica sede aliquam consequeretur dignitatem. Inclinati ergo tuis justis precibus, ascensum tibi pietatis non distulimus præbere. Confirmamus igitur per hanc nostram præceptionis paginam bona omnia quæ vel tua industria, vel quorumlibet fidelium data sunt devotione. Statuimus denique ad honorem nostri protomartyris, super sanctum prædictum altare, non ministrari nisi semel in die; et nullus præsumat super id accedere ad sacrificandum, nisi quem archiepiscopus loci ad hoc destinaverit cum consensu fratrum; scilicet septem e fratribus illius congregationis, qui melioris vitæ eligantur, et *cardinales* vocentur; quorum unus sit ejusdem Ecclesiæ decanus, et sicut est major in congregatione, ita prior polleat dignitate. Horum itaque quicunque ibi celebraverit missam, induat dalmaticam, et tunc

Digitized by Google

demum audeat celebrare cum omni reverentia et religione; sandaliis quoque utantur, et *mitra, tam ipse sacerdos, quam diaconus, necnon subdiaconus*, in festivitatibus Domini et Salvatoris nostri, et beatæ Dei Genitricis, et sancti Michaelis archangeli, et natalitiis apostolorum et sanctorum martyrum Stephani, Vincentii, Agapiti (*cujus caput recondidimus cum brachio sancti Stephani in eodem altari*), et beatorum Ferreoli et Ferrucii, et in festivitate omnium sanctorum et dedicatione ejusdem loci; sicut et denegamus omnibus episcopis et abbatibus, nisi forte invitati fuerint; statuentes apostolica censura ut nullus ecclesiastici ordinis horum quidquam infringere audeat. Confirmamus vero nostro apostolico tutamine ut nullus imperator, seu rex, dux, comes, vice-comes, archiepiscopus, episcopus, vel aliqua cujuslibet ordinis potestas, contra hoc scutum apostolicæ defensionis ire audeat, vel de bonis ecclesiæ quæ ad præbendam fratrum pertinent quidquam imminuere, vel in beneficium alicui dare. Si quid vero horum quæ possederit a quoquam dictum fuerit litigiosum, nulli prius prehendere liceat, quam negotii ipsius determinatio judicialiter sit facta. Si quis autem contra hoc apostolicum munimen ausu temerario venire tentaverit, nostri anathematis gladio feriatur, nisi resipuerit. Qui autem custodierit hoc mandatum, nostræ benedictionis cumulum mereatur.

Datum tertio Idus Januarii per manus Widonis Tullensis primicerii, sanctæ apostolicæ sedis cancellarii. Anno domini Leonis IX papæ secundo, indict. tertia [1049].

LIV.

S. Leo IX rogatu Heinrici imperatoris monasterii S. Maximi Trevirensis possessiones et privilegia confirmat.

(Anno 1051.

[Dom Calmet, *Hist. de Lorraine*, I, *Preuves*, p. 434.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, ecclesiæ in honorem sancti Joannis evangelistæ sanctique Maximini confessoris in suburbio Trevirorum specialiter dedicatæ, et præterea Theodorico abbati, suisque successoribus, monachis etiam ibi Deo famulantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacri apostolatus ordo et sanctæ Romanæ sedis pia devotio id semper exigit a nobis, ut vigilanter Ecclesiarum sollicitudinem gerere, et utilitates famulorum Dei digne providere debeamus in omnibus. Idcirco propter amorem Domini, et ob petitionem dilectissimi filii nostri, Henrici videlicet imperatoris Augusti, ecclesias et villas ad victualia monachorum in præfato cœnobio Deo famulantium specialiter pertinentes, nostræ apostolicæ auctoritatis privilegio ad usus illorum, prædecessorum nostrorum more, confirmare decrevimus. Volumus itaque, et sacræ primæ Sedis auctoritate sancimus, ut in ecclesiis, villis, ac possessionibus, quæ ad præbendam prædictorum fratrum a regibus et imperatoribus, Dagoberto videlicet ac Pippino, Carolo, Ludovico, Arnulpho, Henrico, Conrado, et a fratribus Ottonibus, sive a præfato filio nostro charissimo, Henrico scilicet imperatore Augustissimo, concessa vel attributa sunt, nullius personæ magnæ vel parvæ violentiam patiantur, sed victum inde atque habitum consequantur: hoc est, Apula, Schwabenheim, Brincisheim, Evernisheim, Heinfinesheim, Vehinoheim, Scheringesfell, Budenheim, Alsontia, Basinbach, Siemera, Mamendal, Narheim, Luesderovorf: et de his ecclesiis, Gozolvesheim, Albucha, Weldenotein, Wanheim, Flanheim, Nusum: et de villa Gundershausen aliisque ad eam pertinentibus, id est Buosbach, Holtzhausen, Daffendal, Sueppenhausen: et ex his locis Rivenacha, Leovum, Gracho, decima vallis, cum suis pertinentiis, Mayrchidilh, Billiche, Keriskee, Daleheim, Bislee, Wilre, Druhdildinga, Mambra, Murni, Iringa, ecclesia in Steinsela, Diedenhovum, Wimarcs, Kircha, Berge, Crusta, Luterens, Darre, Tavena, Lindiche, Mersche, Bisanga, et quæ infra et extra civitatem Metis in domibus aut vineis, agris, aut areolis habent, quæve in pago Bengouve, his in locis Ratheresdorf, Bustal, Franchingun, Eheno, vel Meisbrach possident, aut quæ juxta Massam fluvium in Carmiringun et Fractura, aut in pago Eiffela, his locis Vahisheim, vel Lieznich, ad idem monasterium pertinent; curtem etiam quamdam vocabulo Prichina in pago Einriche sitam, quam sicut eisdem fratribus præfatus dilectissimus filius noster, Henricus videlicet imperator Augustus, ante aliquot annos abstulit, ita in nostræ apostolicæ auctoritatis patrocinio commonitus reddidit. Et ne quis ea ulterius a præbenda fratrum cuiquam præstando subtraheret, suo præcepto firmavit, nosque ut idem faceremus devotissime postulavit, quatenus iidem fratres de prædicta villa, aliisque ad eam pertinentibus sagimen interdum habeant; et secundum præceptum sanctæ regulæ hospites suscipiant, et infirmorum debiliumque curam agentes, peregrinorum ac pauperum usibus fideliter inde deserviant; femoralia etiam ac mantelas et mensalia ad usus necessarios inde percipiant. Igitur ut iidem fratres prælibata loca cum omnibus pertinentiis suis, et omnes totius abbatiæ ecclesias, cum decimis, dote, dotalibusque ad ipsas pertinentibus; et cunctas salicas decimationes, quas in usus hospitum, peregrinorum ac pauperum concedimus, sub eorum cura teneant, et juxta suum arbitrium secure, quiete, et pacifice possideant: divina obtestatione, et hac nostra apostolica confirmatione taliter illis roboramus, ut nullus imperator, nullus rex, nullus abbas, nullus dux, nullus comes aut vicecomes, nullæ ecclesiasticæ dignitatis vel mundanæ conditionis magna parvaque persona, alicui libero homini, sive alterius ecclesiæ vel Domini famulo, vel ministrorum aliquid inde præstare, vel a præbenda fratrum quoquo modo abalienare præsumat, sed juxta id quod sanctæ apostolicæ sedis juri subjectum esse debet, et sub mundiburdio regum et imperatorum constat, absque omni contradictione ad usus monachorum perpe-

Digitized by Google

tualiter permaneant. Si quis autem (quod absit) nefario ausu præsumpserit hæc, quæ vel a nobis aut aliis prædecessoribus nostris S. R. Ecclesiæ pontificibus sanctissimis ad laudem omnipotentis Dei pro stabilitate jam dicti venerabilis cœnobii statuta sunt, infringere aut in quoquam violare studuerit, ex auctoritate omnipotentis Dei per interventum beati Petri apostolorum principis, cujus vice fungimur, et nostræ humilitatis apostolicæ constitutione, anathematis vinculo inextricabiliter innodamus.

Data XVII Kalend. Februarii per manus Udonis sanctæ apostolicæ sedis cancellarii et bibliothecarii, Tullensis primicerii, anno Domini LEONIS IX papæ II, indictione IV, Incarnationis Domini 1051.

LV.

S. *Leo IX majoris ecclesiæ Lucensis canonicorum bona confirmat.*

(Anno 1051.)

[Ughelli, *Italia sacra*, I, 805.]

LEO episcopus, servus servorum Dei, canonicis principalis ac majoris ecclesiæ in civitate Luca, Deo ac S. Martino confessori, regularem vitam inibi ducendo, et castitatem servando famulaturis, perpetuam in Domino salutem.

Cum ad bona Ecclesiarum firmiter obtinenda magna sit adhibenda sollicitudo, ut eorum qui caste ac regulariter sancto altari servire desiderant, animæ serventur et corpora, avidiori est procurandum desiderio, quia, dum inibi laborant fideliter deservire, oportet eos in canonicum usum victus ac vestitus accipere, ne, dum ista præ necessitate quæritant, culpam vagationis incurrant. Huic siquidem vestro defectui benevolam compositionem ac benignam provisionem volentes impendere, piæ apostolicæ auctoritatis pagina omnia quæ ad communem usum regulariter vivendi modo habetis, vel in perpetuum habituri estis, aut episcopi vestri concessione, qui nunc est benevolus et hilaris vester adjutor frater, et coepiscopus noster Joannes, aut successorum suorum, vel aliquorum fidelium charitativa donatione, volumus rata vobis, et confirmata, et nulla ratione violanda esse, et si Dominus Deus humilitatem Ecclesiæ suæ misericorditer respiciens Ecclesiam vestram ab uxoratis presbyteris, et omnino a Dominica oblatione repellendis liberaverit, pro incestis casti, pro immundis mundi restituantur, et bona quæ habent ecclesiastica, quæ illi luxuriose vivendo dissipantur, in communem usum canonice cohabitantium redigantur, sicque horum exoptabilius interitus pastoralis fiat familiæ desideratissima salus, nec in præbendis dandis aliquam pretii aut venditionis molestiam ab episcopo suo sustineant hic fidelis conventus. Usque modo igitur tenebræ, nunc autem lux facta in Domino, ut filii lucis ambulate, ut unanimes uno ore honorificetis Deum, et Patrem D. Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, qui et vos conservet, et confirmet in fraterna concordia, dissipator vestræ congregationis dissipetur, contradictori contradicatur. Quilibet episcopus vester vos in hoc ignorans, et de quo dictum est assimiletur, quia *omnis ignorans ignorabitur*, coadjutor vester per Martinum sanctum semper adjutus congaudeat opamus divinæ retributioni vere dicens : *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

Datum IV Id. Martii, per manus Frederici cancell. Vice domini Herimanni S. apost. sedis archicancell. et Colonien. archiep. anno D. Leonis IX papæ III, ind. IV.

LVI.

S. *Leo IX Ecclesiæ Tullensis possessiones quasdam, petente Udone episcopo, confirmat.*

(Anno 1051.)

[*Défense de l'Eglise de Toul, Preuves*, p. 12.]

LEO episcopus, servus servorum Dei, UDONI episcopo sanctæ Tullensis Ecclesiæ, et per eum omnibus successoribus suis, salutem et apostolicam benedictionem.

Si utilitatibus sanctæ matri Ecclesiæ famulantium opem ferimus, ob cœlestis recompensationis munus profecto id nostræ saluti accrescere indubitanter speramus, et cum eorum sancta devotio ad divinum cultum per nos ferventius augmentatur, non minimam portionem in eorum retributionis mercede ab æterno Judice nos suscepturos confidimus. Quapropter, Udo, fili charissime, æquum et salutare visum fuit nobis ut beneficia, tam ecclesiastica quam sæcularia, ad episcopalem mensam Ecclesiæ Tullensis pertinentia et ipsius dignitati obedientia, apostolicæ auctoritatis scuto muniremus eaque libera et inviolabilia ab omnibus cujuscunque conditionis vel professionis fuerint, permanere decerneremus.

Ea igitur auctoritate, qua in terris, licet indigne, vice tamen fungimur beatissimi apostoli principis apostolorum Petri, confirmamus et roboramus per hanc nostri privilegii paginam hæc de quibus judicium erit sequens littera, quæ ex antiquo usque ad nostra tempora sine calumnia audivimus et cognovimus inconcussa, scilicet abbatiam sancti Apri cum omnibus appendiciis, et abbatiam sancti Mansueti cum universis adjacentiis, abbatiam etiam Mediani monasterii sitam in comitatu Colmontensi in Vosago, super fluvium Rabasonem, dicatam in honorem sancti Petri cum omnibus appendiciis ejus, quam antecessor noster Gauselinus, venerabilis antistes, illius miseræ servituti et desolationi paternæ condescendens, et ad revelandam paupertatem monachorum qui per potentiam sæcularis malitiæ jam exsulaverant maxima honestate sui et sapientia ab avo et genitore domini Ottonis imperatoris, impetravit ad augmentum Tullensis Ecclesiæ, quæ similiter dominus Otto imperator sanctum Gerardum prædecessorem nostrum reinvestivit cum omni integritate, ut absque contradictione alicujus, dominio Tullensis Ecclesiæ tenenda perpetualiter reformaretur; et simul statuimus et confirmamus cum denominatis superius abbatiis abbatiam, quæ dicitur Buxerias, dicatam in honore sanctæ Dei genitricis et virginis Mariæ, et abbatiam sanctæ Mennæ vir-

Digitized by Google

ginis, in loco qui dicitur Portussuavis, et abbatiam sanctorum Bertarii et Attaleni, loco qui dicitur Bledericivilla.

Similiter confirmamus tibi, fili Udo charissime, et Ecclesiæ tuæ abbatiam sancti Petri et sancti Bercharii, in saltu Dervensi sitam, et abbatiam sancti Genulphi Verone, cum appendiciis, curias etiam, cum omnibus appendiciis earum, ad servitium et mensam episcopalem pertinentes, etiam confirmamus, scilicet quamdam curiam Bercheim, quam Gauzelinus episcopus tantum ad usum suum et successorum a prædictis regibus satis sibi necessariam et ecclesiæ suscepit et quiete tenuit et successoribus episcopis reliquit; mercatum etiam illius curiæ cum banno et moneta, quæ tibi, fili charissime, gloriosus imperator Henricus et Ecclesiæ tuæ perpetualiter contulit. Confirmamus etiam abbatiam sancti Salvatoris cum omnibus possessionibus suis, curiam etiam Bodonis monasterii cum omnibus ad eum pertinentibus, curiam etiam de Berga, curiam de Leberduno, curiam de Luciaco, curiam de Scrupulo, curiam de Brureyo, curiam de Buckileio, curiam de Bonivilla, curiam de Salvineio, curiam de Parneio supra Mosam, curiam de Blamiaco, villam Caldeniacum cum omnibus appendiciis, earum silvis, pratis, vineis, pascuis, aquarum decursibus, terris cultis et incultis, mancipiis, curiam etiam de Archiriaco non longe multum a valle sancti Deodati sitam cum omnibus ad eam pertinentibus.

Confirmamus similiter sanctæ Tullensi Ecclesiæ cœnobium sancti Deodati, quæ olim abbatia exstitit, et Galilea dicebatur, sitam in Vosago saltu, in territorio undique Tullensis Ecclesiæ, debitam funditus ab ipso fundatore ex antiquitate ipsius fundationis ipsi Tullensi Ecclesiæ; quam olim episcopi, decessores nostri, per reclamationem prædecessoris nostri sancti Gerardi a domino Ottone rege recuperaverunt et cum integritate tenuerunt, habentes in hoc regale præceptum et apostolicum Romanæ sedis privilegium, quæ per injuriam et odium, et maxime Lotharii regis excommunicati zelo, et ira, et invidia, a loco Tullensi usurpativa fraude sublata fuerat et in beneficium concessa laicis. Comitatum Tullensem ad sedis Tullensis potestatem omnino pertinere confirmamus, quem jam dictus episcopus Gauzelinus ab avo, genitore domini Ottonis imperatoris, integre obtinuit, casamenta ecclesiæ nullus casatorum in alodium transferat, quia contra legem Dei hoc esset et sacrilegium. Hæc omnia prænominata, dum sanctæ Tullensis Ecclesiæ frater et episcopus fuimus, vidimus, inconcussa legitima possessione tenuimus et quieta. Confirmamus etiam non nominata, acquisita vel acquirenda, quæ per legitimum tenorem vel donationem poterit retinere Tullensis Ecclesia. Confirmamus igitur et statuimus sub obtestatione justi judicii divini ut nulla persona cujuscunque dignitatis, professionis sexusque fuerit, contra hoc nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium et confirmationem venire pertentet: quod quicunque ausus præsumpserit ultione divina et auctoritate apostolorum Petri et Pauli, et nostro apostolico anathemate usque ad condignam satisfactionem extra Ecclesiam fidelium Christi percussus permaneat; qui vero custodierit, nostra benedictione sanctificetur et æternæ vitæ particeps efficiatur. Amen.

Anno Dominicæ Incarnat. 1051.

Datum Romæ VIII Kal. Aprilis.

LVII.

S. Leo IX Edwardum, Anglorum regem, ob seditiosum regni statum voto liberat Romam eundi, et ei præcipit ut pecunias ad iter decretas pauperibus dividat et in novum B. Petri monasterium condendum aut vetustum reficiendum consumat.

(Anno 1051.)

[Labbe *Conc.* XI, 1189.]

Leo episcopus servus servorum Dei dilecto filio suo Edwardo, Anglorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam voluntatem laudabilem et Deo gratam agnovimus, gratias agimus Deo, per quem reges regnant, et principes justa decernunt. Sed quia prope est Dominus in omni loco invocantibus eum in veritate, et sancti apostoli cum suo capite conjuncti, sunt unus spiritus, et pias preces æqualiter audiunt; et quia constat periclitari regionem Anglicam ex tua discessione, qui freno justitiæ seditiosos ejus motus cohibes, ex auctoritate Dei, et sanctorum apostolorum, et sanctæ synodi, absolvimus te a peccato illius voti, pro quo Dei offensam times, et ab omnibus negligentiis et iniquitatibus tuis, ea nimirum potestate usi, quam Dominus in beato Petro concessit nobis, dicens: *Quæcunque solveritis super terram, soluta erunt et in cœlis* (*Matth.* XVI). Deinde præcipimus tibi sub nomine sanctæ obedientiæ et pœnitentiæ, ut expensas quas ad istud iter paraveras, pauperibus eroges, et cœnobium monachicum in honorem sancti Petri apostolorum principis, aut novum construas, aut vetustum emendes, et augeas, et sufficientiam victualium fratribus de tuis reditibus constituas, quatenus dum illi assidue inibi Deum laudaverint, et sanctis augeatur gloria, et tibi indulgentia. Cui loco quidquid contuleris, vel collatum est, vel conferetur, ut ratum sit, apostolica autoritate præcipimus; et ut semper habitatio monachorum sit, et nulli laicæ personæ nisi regi subdatur, et quæcunque privilegia ibi instituere volueris, ad honorem Dei pertinentia, concedimus, et robustissima auctoritate confirmamus, et infractores eorum æterna maledictione damnamus.

LVIII.

S. Leo IX ecclesiæ S. Trinitatis Piscariensis bona confirmat.

(Anno 1051.)

[Muratori, *Rer. Ital. Script.*, II, II, 860.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Dominico venerabili abbati ecclesiæ sanctæ et individuæ Trinitatis, quæ est in insula Piscaria, quæ etiam Casa Aurea vocatur, ubi corpus beati Clementis papæ et

Digitized by Google

martyris requiescit, tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolatui nostro digne petentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impertiri suffragium; ex hoc enim lucri potissimum præmium a Conditore omnium Deo procul dubio promerebimur, dum piis petitionibus annuentes, ea quæ distorta vel injuste sublata sunt, nostro pio fuerint sine dubio moderamine restituta atque directa. Quapropter tibi, frater charissime, quem magis bona ecclesiæ tuæ in quantum possibilitas tua obtinet, augere quam minuere vel destruere novimus, charitativa, ut oportet, dilectione in recta tua pulsatione aperimus ostium misericordiæ apostolicæ, confirmantes et corroborantes per sanctum summæ nostræ sedis privilegium, sine omni læsione vel aliqua perturbatione, obtinere ecclesiam tuam omnia quæ usque modo possedit, vel modo possidet, vel possessura est in posterum. Unde ex apostolica apostolorum principis Petri, et nostra, cujus vicem gerimus, auctoritate, præcipimus atque interdicimus ut nullus sub nostri apostolici regiminis jure degentium, scilicet, imperator, rex, dux, marchio, archiepiscopus, episcopus, comes, vel vicecomes, aut aliquis exactorum alicujus rei, tam laicorum quam ecclesiasticorum, aut magna, aut parva cujuscunque conditionis persona invadere, distrahere, violare aut perturbare præsumat præfatæ bona ecclesiæ in cellis et castellis, in villis, ac prædiis, vel possessionibus, et quæ ubique in pagis vel territoriis quibuslibet præscripta legalia vel per præcepta possidet regalia. Si quis autem contra hujus nostræ præceptionis privilegium.... præsumpserit, aut præsumentibus consenserit, aut fautor exstiterit, et non potius observare in integrum studuerit, et nostram apostolicam hanc præceptionem, interdictionem transgredi præsumpserit, sciat se auctoritate beati Petri apostolorum principis, cœlorum regni clavigeri, nostroque anathematis vinculo innodatum, et a regno Dei alienatum, atque cum diabolo et ejus atrocissimis pompis transgressorem, sanctorum Patrum canonica traditione deputatum. Quoniam scriptum est, terminos Patrum nostrorum nulla auctoritate illicitæ temeritatis transgredi præsumi; et quia opportunitatis exigit ratio propter vos, et transgressores canonicæ correctionis debere freno constringi. Illius insuper spirituali jaculo perdat animam, cujus temporali gladio Malchus amisit auriculam. Qui autem observator exstiterit, ditetur dono apostolicæ benedictionis, etc., bene valete.

Datum x Kal. Julii per manum Federici diaconi, et bibliothecarii, ac cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, vice domini Heremanni Coloniensis archiepiscopi et archicancellarii, anno D. Leonis IX papæ III, indictione IV.

LIX.

S. Leo IX Ecclesiæ Salernitanæ jura metropolitana, petente Joanne archiepiscopo, confirmat

(Anno 1051.)

[Baron. *ad an.* 1051, tom. XI, 195.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, sanctæ venerabili Salernitanæ Ecclesiæ, quæ est beatæ et semper virginis Dei genitricis Mariæ, ubi etiam gloriosum Matthæi apostoli et evangelistæ corpus cum beato martyre Fortunato requiescit, et per eum confratri nostro Joanni ejusdem Ecclesiæ archiepiscopo, in perpetuum.

Officium sacerdotale assumere, si interiori vigilantia perpendamus, oneris est magis quam honoris; quippe cui propria curare non sufficiat, nisi et aliena bene gesserit. Nam ad hoc pastoralis regiminis curam aggreditur ut aliorum in se sollicitudinem pia provisione suscipiat, ut in eorum se custodia vigilanter disponat, ne nostra forte desidia invidus hostis rabida, quod absit, quemquam fauce devoret, et eorum ad nostram non immerito applicetur pœnam perditio, qui commissos sollicita custodire cautela negligimus. Exhibeamus ergo quod dicimus, et quibus divini dispensatione consilii præesse nos contigit, prodesse quantum possumus festinemus, ut, dum creditor rationem nobiscum posturus advenerit, lucrum nos fecisse reperiat, et sua, sicut promisit, remuneratione lætificet. Et quoniam ad præsens ecclesiam istam nullis bonis nostris honorare, ditare, vel, ut oportet, adaugere possumus, sua sibi confirmare et indiscissa vel imminuta pia devotione censemus conservare. Unde fratris Joannis archiepiscopi petitioni libentissime annuentes, hoc apostolatus nostri privilegium fieri decrevimus, statuentes apostolica censura ut quæcunque imperatores, reges, principes, aut qui nunc clare principatur Guaimarius, ad hanc domum Domini contulit bona, vel omnia a quibuscunque Christi fidelibus concessa, vel in perpetuum sunt concedenda, rata semper et inviolata permaneant,

Confirmamus etiam tibi ipsum ex integro archiepiscopatum Salernitanum cum sibi adjacentibus parochiis suis. Et insuper licentiam et potestatem damus ordinandi et consecrandi in his subjectis nobis locis, hoc est, Pestanensem episcopatum cum parochiis, et adjacentiis suis, et Nolanum, et Consanum cum parochiis et adjacentiis suis, necnon Maluivanum, et Cusentinum, simulque episcopatum Bisunianensem, atque episcopatum Acerentinum cum omnibus parochiis et adjacentiis eorum. Nec non liceat tibi ordinare episcopos super congruentia loca, secundum regulam sanctorum Patrum, in ipsa integritate Salernitani archiepiscopatus. Et non habeant potestatem successores nostri in cunctis prædictis episcopatibus, quos vobis apostolica auctoritate concessimus, deinceps in perpetuum episcopos consecrare, quemadmodum vobis concessum est.

Si quis autem contra hujus nostræ præceptionis privilegium agere præsumpserit, aut præsumentibus

Digitized by Google

consenserit, aut fautor exstiterit, et non potius observare illud integrum studuerit, sed nostram apostolicam hanc præceptionis interdictionem transgredi præsumpserit, sciat se auctoritate beati Petri apostolorum principis cœlorum regni clavigeri, nostroque anathematis vinculo et innodatum, et a regno Dei alienatum, atque cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, transgressorem sanctorum Patrum canonica traditione deputatum. Quoniam scriptum est : Terminos patrum nostrorum nulla auctoritate illicitæ temeritatis transgredi præsumi (*Prov.* XXII). Et quia opportunitatis exigit ratio protervos ac transgressores ex canonicæ correctionis freno debere constringi; illius insuper speciali [spirituali] jaculo perdat animam, cujus temporali gladio Malchus amisit auriculam. Qui vero hujus nostri privilegii constitutionem et confirmationem observaverit a Domino Deo benedicatur, et æterni regni, beato interveniente Matthæo evangelista, particeps effici mereatur.

Datum XI Kalendas Augusti, per manus Friderici diaconi sanctæ apostolicæ sedis bibliothecarii et cancellarii, et domini Herimanni Colomensis archiepiscopi et archicancellarii, anno domini Leonis IX papæ tertio, indictione quarta.

LX.

S. Leo IX monasterii S. Mariæ in Gorgona insula siti privilegia confirmat et auget.

(Anno 1051.)

[Ughelli, *Italia Sacra*, III, 358.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, ecclesiæ sanctæ Dei genitricis ac virginis Mariæ in insula Gorgona, ubi etiam corpus beati Gorgonii requiescit, et per eam tibi Bono abbati, tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini recte petentium adimplere desiderium, et justis supplicationibus impertiri suffragium. Quia postulasti a nobis, fili charissime, quatenus concederemus, et confirmaremus, seu corroboraremus tibi tuisque successoribus, per nostri privilegii paginam, monasterium in honorem S. Mariæ Matris Domini dedicatum, et in insula Gorgona positum : quæ insula, sicut in S. Petri privilegiis legitur, sub jure et ditione S. matris nostræ Romanæ consistit Ecclesiæ. Igitur, inclinati precibus tuis, concedimus et confirmamus, seu corroboramus tibi tuisque in perpetuum successoribus per hujus nostri privilegii paginam ipsum monasterium cum prædicta insula, ut semper sint monachorum habitacula, ne fiat spelunca latronis, quæ prius fuit domus orationis. Abbas siquidem in eodem cœnobio nunquam ordinetur pro pretio, sed qui secundum regulam S. Benedicti cum fratrum consilio invenitur melior in ipso monasterio; et quæcunque a viris religiosis et Deum timentibus in usum et sumptum monachorum inibi Deo servientium concessa vel in perpetuum concedenda sunt, sive ex hac parte maris, sive ex alia, per hanc nostram præceptionem, confirmationem confirmamus et corroboramus tibi tuisque successoribus in perpetuum, statuentes apostolica censura ut nullus imperator, nullus rex, nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nullus vicecomes, nullus castaldio, et præterea nullus episcopus, vel cujuslibet ordinis seu dignitatis magna parvaque persona, contra hanc nostræ præceptionis, concessionis et corroborationis paginam audeat pertentare. Qui vero hujus nostri privilegii violator exstiterit, anathematis et excommunicationis vinculo sit alligatus, et cum Juda proditore Christi, nisi resipuerit, sit æternæ damnationi traditus. Et qui observator fuerit, ab omnipotente Deo benedicatur et spiritualibus gaudiis repleatur. Statuimus etiam ut a Romano pontifice abbas hujus monasterii accipiat consecrationis benedictionem.

Datum XVII Kalend. Novembris per manus Federici diaconi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii et cancellarii, vice domini Herimanni archicancellarii et Coloniensis archiepiscopi, anno d. Leonis IX PP. III, indict. IV.

LXI.

S. Leo IX monasterii Sublacensis possessiones confirmat.

(Anno 1051.)

[Muratori, *Antiq. Ital.* IV, 1062.]

. . . Unde tibi, sancte ac venerande Pater, tua tibi confirmamus omni diligentia, omni devotione . . . ac salutem in tuorum pia et devota observatione digna soror tua virgo Scholastica tecum hæc omnia habeat et in perpetuum possideat.

Fraterna charitate, speciali reverentia ergo quæcunque vobis a Christi fidelibus concessa sunt, vel possidentur vel in posterum possidebuntur sub obtentu summi Judicis et auctoritate sancti Petri apostolorum principis, per privilegium sanctæ Romanæ sedis confirmamus et roboramus vobis. In primis specum tenebrosum, corporis tui per aliquod tempus pro Christo vile reclinatorium, tibi actu et nomine regularis . . . Pater magne discretionis, sancte Benedicte, sicuti specialiter tibi solitario solitarium elegisti, ita etiam a te solo specialiter disponimus possideri. Ita omnia volumus a te, et a tua sorore fraterna communione teneri, etc.

Datum secundo Kalendas Novembris per manus Frederici diaconi, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ sedis cancellarii, vice domini Herimanni archicancellarii et Coloniensis archiepiscopi.

LXII.

S. Leonis IX bulla confirmatoria privilegiorum ac jurium Farfensis cœnobii.

[Muratori, *Rer. Ital. Script.*, II, II, 583.]

(Anno 1051.)

Leo episcopus, servus servorum Dei, ecclesiæ venerabili sanctæ virginis matris beatæ Mariæ, quæ ponitur in Pharpha, et pro ea Berardo abbati, et juste intrantibus suis successoribus in perpetuum.

Digitized by Google

Initium sapientiæ timor Domini : cujus timore ac debita reverentia commoniti, pro glorioso Filio et casto, gloriosæ Matri simul et castæ honorem libenter exhibemus pia devotione, et suis servitoribus necessarium ac regulare cupimus suffragium, ut dum nostro adjutorio bene deserviunt, participes præmii, corporis et animæ suscipiamus commodum. Inter hæc siquidem pure ad serviendum Deo viventi, nostræ voluntatis beneficio volumus, imo et quam maxime desideramus, ut sicut inter cæteros nominis fama, ita et necessariis rebus gloriosius exaltetur per nostram humilitatem sancta Pharphensis ecclesia. Argentum enim et aurum non est nobis : quod autem habemus, libenter ei, qui nobis hoc tribuit gratis, Domino nostro et angelorum, ac nostræ Dominæ reddimus : scilicet cor humile, bonam voluntatem, et devotam, ut oportet, servitutem secundum nostræ fragilitatis possibilitatem. Solebant semper ecclesiis bona sua confirmari, imo et confirmantur adhuc per apostolica summæ sedis privilegia, quæ Deo largiente non refutabit ex nostra parte humiliter suscipere specialis spirituum et hominum regina, mater humilitatis, Domina nostra, pia, et mitis, ac bona Maria. Suscipe ergo, sancta Virgo, sancta Parens, cum Filio tuo bona tua, non a nobis data, sed nostro tibi firmata privilegio. Tene quæ tenes; cum benedictione Filii tui posside quæ possides. Benedicta quidem es inter omnes mulieres : tua tibi nullus auferat; in bonis tuis te offendere nulli unquam liceat; et vice sua tibi, Berarde in Christo fili dilecte, fideli monasterii hujus abbati, hoc sacræ paginæ scriptum concedimus ad observandum, ut simul et scriptum ecclesiæ reserves, nec non et omne bonum tibi commissum. Sancta itaque apostolica auctoritate omnia quæ supradicta habet in eodem loco ecclesia, confirmamus et corroboramus, sicut modo possidet, et ab initio infra possedit, et extra : videlicet, quidquid habere videtur in territorio Sabinensi, id est ecclesiam Sancti Benedicti, et curtem Sancti Gethulii, et castellum de Tribuco, et Podium filiorum Palumbæ, et alveum Pharphæ totum : et hæc omnia cum omnibus pertinentiis suis in integrum. Ecclesiam Sancti Angeli in Tancia cum gualdo et omnibus pertinentiis; castellum de Bucciniano, et Roccam in integrum cum Massa a papa Benedicto ipsi monasterio concessa; Castrum Pharæ. Hæc iterum omnia simul cum omnibus suis pertinentiis et subjacentiis. Terram de Ortella; in civitate Ortana ecclesiam Sancti Theodori in integrum. In Viterbio ecclesiam Sanctæ Mariæ in integrum. In Tuscano cellam Sanctæ Mariæ juxta flumen Minionem cum gualdo, et cum ipso Monte Gosberti, seu et Ripa Aduella, et Marino portu. In comitatu Narniensi monasterium Sancti Angeli, et ecclesiam Sancti Antimi in integrum. In comitatu Perusino cellam Sanctæ Mariæ in Diruta, et Sancti Apollinaris, et Sancti Blaxii, et Sancti Mentani cum ecclesiis, castellis, villis, et omnibus pertinentiis, et adjacentiis suis. Et juxta Tiburtinam civitatem ecclesiam Sancti Adriani in integrum. In Collina ecclesiam Sancti Andreæ cum omnibus suis pertinentiis. In urbe Roma ecclesiam Sanctæ Mariæ, et Sancti Salvatoris cum criptis, et muris, et Campum Agonis in integrum. In comitatu Asisino cellam Sancti Benedicti in integrum. In comitatu Firmano cellam Sanctæ Mariæ in Clenti, et monasterium puellarum quod dicitur Sancti Salvatoris, et ecclesiam Sancti Benedicti in Ripa, et cellam Sanctæ Victoriæ cum omnibus earum pertinentiis et adjacentiis. In comitatu Asculano cellas : unam Sancti Salvatoris juxta flumen Asum; alteram Sanctæ Mariæ in Ophida in integrum. In comitatu Teatino cellam Sancti Stephani in integrum. In comitatu Senogalliensi curtem de Luzano. In comitatu de Camerino curtem de Sala bona. In comitatu Auximano curtem de Monte Paulisco in integrum. Hanc ergo majorem et principalem Sanctæ Dei genitricis ac Virginis Mariæ ecclesiam in Pharpha, cum omnibus supradictis, et aliis etiam cellis suis majoribus, et earum ecclesiis suis minoribus, cum castellis, vicis, et oppidis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, et vineis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, piscariis et piscationibus, portibus maris et littoribus, et universis, quantiscunque qualibuscunque pertinentiis, et cum omnibus quæ a Romana sede obtinet per apostolica privilegia, vel ab imperatoribus, et regibus per præcepta, immotam, et quietam ab omnibus esse sancimus. Et quodcunque sibi a quibuscunque fidelibus Christi concessum est, vel in posterum conceditur, si divinæ pietatis respectum desiderat, nullus invadat, nullus minuat, vel subtrahat. Si quis enim piam Matrem Domini scienter offenderit, bonam voluntatem Filii ejus unigeniti, imo et primogeniti Salvatoris nostri habere omino non poterit. Decimas et oblationes mortuorum quiete ista teneat ecclesia. Nec ordinatio monachorum, vel presbyterorum hujus monasterii, vel cellarum ejus, a quovis ibi fiat episcopo, nisi quem abbas invitaverit, aut, si non adest, suo præcepto ejus congregatio, scilicet quia ita habetur in privilegio bonæ memoriæ *Pauli papæ*, ut synodum nullus hic celebret episcopus, nec alio venire constringat presbyteros ipsius abbatiæ, quoniam quod ab ipso hic locus per privilegium obtinuit, nos infringere nolumus. Et consecrationes ecclesiarum a quovis quærat abbas religioso episcopo; habeat simul et chrisma. Ad idoneum abbatem eligendum, secundum Sancti Benedicti regulam, sit communis consensus, et impleatur petitio fratrum. Scriptum est autem in canonibus : *Invasores ecclesiarum sine dilatione excommunicentur*. Cujus rei gratia necesse est ut omnis invasio in universa cesset Ecclesia, maxime in locis quæ sibi dicata tenet beata Maria, cui qui aufert sua, timeat incurrere anathema. Magna enim excommunicatio, Filii matris Virginis est indignatio. Exaltata super choros angelorum Maria, exaltet conservantem bona sua. Pro Dominæ suæ reverentia princeps apostolorum Petrus ditet illum semper

Digitized by Google

benedictione apostolica, annuente hoc Virginis Patris, ac Virginis matris Dei omnipotentis gratia. Bene valete.

Datum III Idus Decembris per manus Frederici diaconi sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii vice domni Herimanni archicancellarii et Coloniensis archiepiscopi, anno domni Leonis IX papæ III, indictione V.

LXIII.

Bulla S. Leonis IX qua Stephano Aniciensi episcopo ejusque successoribus usum pallii concedit, ea lege ut a pontifice Romano ordinentur.

(Anno 1051.)

[*Gall. Christ. a.* II, 227.]

Leo, servus servorum Dei, Stephano, sanctæ Aniciensis Ecclesiæ venerabili episcopo, perpetuam in Domino salutem.

Si pastores ovium solent gelu pro gregis sui custodia die ac nocte ferre, etc. Pallium autem fraternitati tuæ concedimus ad missarum solemnia celebranda, pro beatæ ac gloriosæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ digna reverentia, cujus in hac ecclesia Aniciensi, quæ et Vallavensis, seu Podium Sanctæ Mariæ dicitur, specialius ac præcordialius præ cæteris ecclesiis sibi dicatis colitur, amatur, veneratur memoria a cunctis qui circumquaque universa morantur in Gallia. Hæc sancta, pia, et præ lara virginis Mariæ dignitas ab omnibus usitata a nobis arctius et beatius honore summo et gloria multiplici est exaltanda, ut ejus intercessionem propitiam habeamus, ad ipsius Unigenitum multæ misericordiæ veracem et benignum, etc., quia nec potiorem meritis inveniemus ad placandam iram Judicis quam illam quæ meruit ejusdem mater esse et Redemptoris et Judicis; in cujus Nativitate humillima, et Epiphania, in ipsius Domini memoriali Cœna, in cujus Resurrectione sanctissima et Ascensione gloriosa, et in Pentecostes solemnitate pretiosa, tibi frater, palleo uti concedimus, et in Natalibus apostolorum Petri et Pauli, simul et Andreæ apostoli, et in omnibus solemnitatibus piæ interventricis, mitis dominæ nostræ ac tuæ, beatæ Mariæ, et in dedicatione ecclesiæ tuæ; ea siquidem conditione ut, sicut ecclesiæ tuæ, privilegiis in suo statu permanentibus, ordinatio episcoporum hujus sedis ad Romanum spectet pontificem, ita etiam ad hunc locum ordinandus per nos episcopus, per nostram scilicet cleri etiam et populi hujus civitatis inires electionem, etc.

LXIV.

S. Leo IX monasterii S. Petri Perusini possessiones privilegiaque confirmat.

(Anno 1052.)

[Margarini, *Bullar. Casin.*, II, 84.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, ecclesiæ beati Petri apostoli sitæ extra, imo et juxta civitatem Perusiam, in loco qui dicitur Caprarius, et per eam Bonizoni abbati suisque successoribus juste intrantibus in perpetuum.

Cum universalis sancta mater Ecclesia per gloriosos terræ principes, Petrum, scilicet piscatorem hominum, ac Paulum doctorem gentium, præ cæteris cooperatoribus maxime sit coadunata, instructa, simul et dilatata, convenit ei confirmari et detineri omnia quæ suæ ditionis ac potestatis reperiuntur specialia.

1. Quare ad hujus supradicti monasterii honorem semper augendum, nunquam minuendum, concedimus hoc apostolicæ defensionis privilegium ut teneat quod habet, scilicet cellas suas, et ecclesias, cortes suas ac plebes; fundos etiam et casales, plebem scilicet Sancti Constantii, et Sancti Rufini ac Sancti Martini, et ecclesiam Sanctæ Mariæ in Agellione, cum suis pertinentiis, cortem de Casale et cortem Sancti Justini, et medietatem ecclesiæ Sanctæ Mariæ juxta flumen Tiberis positæ, cum sua pertinentia, cortem de Petroniano, ecclesiamque Sanctæ Mariæ in Petiniano, et ecclesiam Sancti Clementis atque medietatem ecclesiæ Sancti Donati in Civitella; nec non et terram Ugonis nepotis Bernonis de Monte-Nigro. Insuper confirmamus eidem monasterio in perpetuum Massas in comitatu Perusino positas, unam, quæ vocatur Pusulo, et alteram, quæ nuncupatur Casalini, cum ecclesiis, casis, vineis, campis, hortis, montibus cultis et incultis omnibusque suis pertinentiis.

2. Licentiam quoque damus tibi de omnibus tuis clericis, tam in monasterio degentibus quamque etiam foris in possessionibus ejus manentibus, a quocunque volueris idoneo et canonice locato episcopo eos ordinandi, et chrisma in tuis plebibus accipere, si tamen ab episcopo in cujus diœcesi præfatum monasterium situm est, nec ordinationes, nec chrisma potueris facile et gratis obtinere, aut impetrare, et de ecclesiis consecrandis eodem modo.

3. Et nullus episcopus ad idem monasterium pertinentem excommunicare aut damnare audeat, si in causa sua nostrum ac sanctæ apostolicæ sedis patrocinium et examen flagitat.

4. Romani autem pontificis donum abbatiæ, et abbas ipse et consecratio abbatis sit in perpetuum.

5. Et omni remota excusatione, nisi canonica, ad synodum, quandocunque a summo pontifice vocatus fuerit, veniat.

6. Porro oblationes eidem monasterio collatæ, tam pro vivis quam pro defunctis, a nullo episcoporum pervadantur, sed ex integro proficiant monasterii utilitatibus ac fratrum necessitatibus.

7. Decimæ autem ejusdem monasterii, secundum canones, ad portam monasterii in susceptione hospitum et peregrinorum conferantur.

8. Insuper nemo ibidem mortuum sepeliri prohibeat.

9. Episcopus publicas missas et stationes ibidem facere nullo modo prætermittat, nisi statutis temporibus, scilicet secunda feria Paschæ, et beatorum

Digitized by Google

apostolorum Petri et Pauli Natalitiis solemnibus. Seu nullas inde oblationes tollat invito abbate et fratribus.

10. Statuimus autem, si quando abbas ejusdem monasterii decesserit, ut nullus ab aliis personis ibi eligatur abbas, si potuerint ad hoc opus de congregatione idoneum fratrem eligere; sic videlicet communi ac regulari consilio absque pretio, a Romano pontifice consecrandum.

11. Jubemus etiam ut omnes nocivæ ecclesiæ vestri monasterii chartulæ omnino vacuæ et inanes consistant.

12. Præterea apostolica nostra auctoritate constituimus et confirmamus ut nullus imperator, rex, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, gastaldio, aut alia quælibet magna parvaque persona, te prædictum abbatem, tuosque successores canonice intrantes de jam dicto monasterio, vel de omnibus suis rebus, et proprietatibus mobilibus et immobilibus divertire, aut inquietare audeat; et qui præsumpserit sciat se auctoritate Domini nostri Jesu Christi, et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra maledictione anathematizari.

13. Qui vero hanc ecclesiam honoraverit, et aliquid inde auferens, de suis pro redemptione animæ aliqua ei contulerit, benedictionis gratiam a Domino Deo consequatur et per clavigerum principem cœli in januas regni cœlestis introduci mereatur.

Data VII Idus Martii per manus Friderici diaconi et sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii et cancellarii, vice domini Herimanni archicancellarii, et Coloniensis episcopi, anno domini Leonis noni papæ IV, indictione V.

LXV.

Leonis papæ bulla, qua monasterio Sanctæ Mariæ de Pomposia confirmat varia illius jura et bona.

(Anno 1052.)

[Muratori, *Antiq. Ital.*, V, 337.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, ecclesiæ gloriosæ matris et virginis perpetuæ, beatæ Mariæ, sitæ in insula Pomposiæ, et per eam dilecto in Domino Jesu Christo filio Mainardo venerabili abbati, tuisque successoribus juste intrantibus in perpetuum.

Regina cœlorum, Dei Genitrix, super choros angelorum exaltata, ut a nobis pia exaltetur devotione, nostra, in quantum potest, providere debet solertia, scilicet in locis nomini suo dicatis, augendo beneficium, quo sui speciales famuli commodius sibi possint exhibere servitium. Quapropter te, venerande fili, quem sibi videbimus fideliter..... In præfato monasterio ei famulantibus monachis volumus nostro adjutorio bene præesse, ut tu ipse moraliter, sicut oportet, vivas, debitum dantes consilium, et bona, quæ vel aliunde vel præcipue a sede Romana tua tenet ecclesia, vel acquireret in perpetuum, confirmantes tibi per hoc sanctæ apostolicæ auctoritatis privilegium. Igitur quia petitis a nobis quatenus ex nostra largitate nostroque dono concederemus vestræ religiositati massacellam integram, quæ vocatur Materaria, et massam quæ vocatur Mauseuli, integram, et fundum integrum, qui vocatur Casale publico, et massam quæ vocatur Nepoti, et massam quæ vocatur Capubovis, terram et vineam, sicuti modo vos habetis, et tenetis jure beati Petri apostoli necnon et ripam fluminis Alemonis ex utrisque partibus juxta massam quæ vocatur Prata, extendente ipsa ripa a Bigaziolo usque ad campum Bedulli, et terram et vineam juxta muros civitatis Ravennæ cum turre, quæ vocatur Branca, in integrum a Posterula Augusta usque ad Portam Taurensem. Et hortum unum in integrum in loco Pontis Calciati in..... Sancti Andreæ a duobus lateribus jure ipsius Sancti, a reliquis duobus via publica. Et lacum, qui vocatur Sanctus, cum omnibus rebus et pertinentiis suis, cum plebe et capellis ac titulis ipsius, vocabulis Sanctæ Mariæ, et Sancti Martini, Sancti Petri, Sanctique Venantii, cum piscaria quæ vocatur, Fidini, et Fossa Archipresbyteri, et piscaria quæ vocatur Falce, cum loco qui dicitur Monticello Laci sicco, cum ripis fluminis Padi et Gauri ex utrisque partibus usque in mare, et a loco Cuchæ Agathæ ex una parte usque in mare, cum loco in integrum qui dicitur Masinzatica, inter salinas de toto loco ac territorio massæ, quæ vocatur Lacus Sanctus, ab uno latere Fossa Molendini de Volta Latercli, descendente in aquiliolo, et a fluvio Tribba usque in Elliam, et per paludem usque mediam Curbam, ultraque Curbam usque Padum, et ultra Padum usque ad Gazium episcopii Sanctæ Comaclensis Ecclesiæ, inde usque ad fluvium, qui vocatur Cesi; ab alio latere Curlo descendente in Conchan Agatulæ, et per ipsam in Gaurum; a tertio latere palude, quæ pergit inter rivum Anzeli et Masenzaticum usque Monticellos, et Vedetosa currente in Padum; a quarto latere Vaculino et Arzere malo, et Calle de Vincareto pergentem in Laterculum.

Insuper concederemus vobis piscariam integram, quæ vocatur Volana cum Rivo Badarizo et Gavelona Majore ad ipsam piscariam pertinente, cum porticellis ex utrisque partibus, sicut olim intraverunt in mare, eidem similiter pertinentibus. Cuncta prædicta loca cum omnibus suis integritatibus ac pertinentiis, quantum sanctæ Romanæ, cui Deo auctore præsidemus ac deservimus, pertinere videntur Ecclesiæ, vobis ad tenendum emissa præceptione concedere deberemus. Inclinati precibus vestris cuncta præfata loca, vel quæcunque modo habetis ac tenetis cum omnibus suis integritatibus et pertinentiis, ut supra legitur, et insuper nostro dono ac benignitate, si aliquid amodo in futuro de pertinentiis sanctæ Romanæ Ecclesiæ acquirere potueritis circa vos in toto Exarchatu Ravennæ, licentiam nostram, nostrorumque successorum canonice intrantium, tibi tuisque successoribus, regularem vitam ducentibus, monachisque religiose

Digitized by Google

viventibus, perpetualiter concedimus habendum et tenendum. Ita sane, ut a te tuisque successoribus singulis quibusque annis, pensionis nomine, sanctæ nostræ Ecclesiæ Romanæ tres argenti solidi, difficultate postposita, persolvantur actionariis. Præterea amore ejusdem intemeratæ Genitricis Dei, tuoque dilecte in Domino Fili, constituimus et ordinamus per illam auctoritatem, quam Christus Dominus noster beato Petro apostolorum principi, suæque Ecclesiæ rectoribus concessit, ut nunquam locus ipse, aut res ad ipsum pertinentes, alicui submittantur personæ, nisi apostolicæ tuitioni et regiæ ditioni; nullusque mortalium præter imperialis potestatis culmen in præfato monasterio, aut in curtibus, vel in castellis, sive in plebibus, aut cellis, seu villis, vel omnibus rebus mobilibus et immobilibus ipsi pertinentibus, necnon in servis aut famulis utriusque sexus, sive etiam villicis s per terram ejusdem monasterii residentibus, aliquam ordinationem, aut jurisdictionem, vel potestatem tenere, aut conversationem monachorum impedire, seu molestiam inferre præsumat, vel in aliquibus locis ipsius districtum seu placitum tenere, aut res monasterii invadere, vel quovis modo alienare, aut fodrum, vel paratas, seu aliquas publicas functiones exigere audeat. Ipsius quoque proprietates monasterii tam a potestate archiepiscoporum quam omnium mortalium, præter regiæ sublimitatis..... irrevocabiliter subtrahimus, ac liberam esse censemus, salva inibi auctoritate apostolica, ac primæ sedis invocata, si necesse fuerit, audientia. In acquirendis autem bonis Sancti Petri hæc servetur conditio, ut prius ex ipsa et qualitas et quantitas rerum nobis, aut nostris successoribus intimetur, et tunc licentia, præcepto, et consilio a Romana sede accepto, addita justa pensione, a te suscipiatur. Hæc quidem modo proprietas terrarum et aquarum sancto Petro remanebit, et bono eorum usu vos amodo fruemini. Violatorem igitur huius sacri privilegii, nisi resipuerit, et ad condignam satisfactionem venerit, apostolicum anathema condemnet. Conservatorem vero dominæ nostræ beatæ Mariæ intercessio gloriosa lætificet.

Datum XV Kalendas Aprilis, per manus Friderici sanctæ Romanæ sedis bibliothecarii et cancellarii, vice domni Herimanni, archicancellarii et Coloniensis archiepiscopi, anno domni Leonis papæ quarto, indictione V.

LXVI.

S. Leonis epistola ad omnes per Italiam episcopos.— Ne possessiones omnes suas quisquam donet monasterio, sed earum saltem medietatem Ecclesiæ ad quam pertinet.

(Anno 1052.)

[Mansi, XIX, 670.]

Leo episcopus, omnibus episcopis in Christo per totam Italiam.

Relatum est auribus nostris esse quosdam per verse agentes, qui subvertere atque dividere conantur ecclesiæ unitatem : videlicet abbates et monachi, qui non studio charitatis, sed zelo rapacitatis invigilant, et docent atque seducere non cessant sæculares homines quos illaqueare possunt, ut res suas atque possessiones, sive in vita, sive in morte [*Forte redundat* in, H.], in monasteriis illorum tradant; et ecclesiis quibus subjecti esse videntur, et a quibus baptismum, pœnitentiam, eucharistiam, necnon pabulum vitæ cum lacte acceperunt vel accipiunt, nihil de bonis suis relinquant. Hanc denique formam discordiæ nos animadvertentes, omnibus modis inhibere volumus; et, ne amplius fiat, omnino prohibemus : considerantes non esse bonum ut illi qui olim fuerunt socii passionum (*II Cor.* I, 7), secundum Apostolum, sint immunes a societate consolationum; et quia dignus est operarius mercede sua. Ideoque præcipimus atque jubemus, ut quicunque amodo in monasterio se converti voluerint [*Forte*, volueris, H.], sive in vita, sive in morte, omnium rerum et possessionum, quas pro salute animæ suæ disponi decreverit, medietatem ecclesiæ, cui ipse pertinere dignoscitur, relinquat : et sic demum in monasterio, prout libitum sibi fuerit, eundi convertendique habeat licentiam. Quicunque autem hujus decreti contradictor exstiterit ac temerator, anathematis gladio subjaceat.

LXVII.

Bulla S. Leonis IX pro monasterio Casæ-Dei apud Arvernos.

(Anno 1052.)

[Baluz., *Opp.* B. Servati Lupi Ferrariensis, pag. 527.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, ecclesiæ beatorum martyrum Vitalis et Agricolæ, quæ dicitur Casa-Dei, et per eam abbati nomine Roberto, ejusque successoribus illuc canonice intrantibus in perpetuum.

Convenit apostolico moderaminis cardini in Christo pie vivere volentibus contra omnium adversantium ictus protectionis clypeos præbere, quatenus quisquis se jugo subjugat Christi, auxilio ac protectione summæ sedis et apostolicæ illud in tuitione etiam temporali recognoscat et sentiat quod sanctæ Ecclesiæ sponsus verus et unus jugum suscipientibus suum leniendo denuntiat dicens: *Jugum meum suave est et onus meum leve* (*Matth.* XI, 30). Quapropter jam prædictæ ecclesiæ auctoritate apostolica concedimus et impertimur privilegii gratiam, qua tueri queat se ab omnium se injuste impetentium calumnia, ut quidquid inibi a Rencone præsule collatum est, vel ab aliquibus Christi fidelibus jam collata vel conferenda erunt, in perpetuum sub tuitione apostolica sibi semper maneant inconvulsa, quatenus ibidem servientes, quiete et secure commanentes, tanto devotius Christi inhærent discipulatui, quanto et a furiali mundi impetu, protecti hac apostolica pagina, fuerint alieni. Præcipientes igitur vice sancti Petri apostolorum principis, præcipimus, cujus, quamvis impares, vices tamen gerimus, ut nullus imperator, rex, sive dux, aut marchio, comes vel vicecomes, seu qualis quisque

Digitized by Google

ecclesiastica potestate aliqua præditus, scilicet archiepiscopus, sive episcopus, seu quilibet vicedominus, audeat præfatam invadere ecclesiam, vel ejus diripere bona, quæ nunc vel aliquo in tempore juste possidet vel est possessura. Quod sanctionis privilegium quisquis temerario ausu infregerit, anathematis vinculum, nisi resipuerit, in perpetuum sustineat. Conservator vero in æternis gaudiis felicitatis lucra possideat.

Datum Ginon. VI Nonas Maii, per manus Friderici diaconi, S. R. E. bibliothecarii et cancellarii, vice domini Hermanni cancellarii Coloniensis archiepiscopi, anno Domini Leonis papæ noni quarto, indictione V.

LXVIII.

S. Leo IX privilegia metropolitanæ ecclesiæ Coloniensis confirmat. Hermanno archiepiscopo ejusque successoribus concedit titulum cancellarii S. R. E. et cardinalis S. Joannis ad Portam Latinam; in ecclesia vero Coloniensi creat septem presbyteros cardinales totidemque diaconos et subdiaconos.

Ex Historia Coloniensi.

(Anno 1052.)

[Miræus, *Opp. diplom.*, II, 1181.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Hermanno S. Coloniensis Ecclesiæ venerabili archiepiscopo suisque successoribus illuc canonice intrantibus, salutem in perpetuum.

Gratias agimus Deo et Domino nostro Jesu Christo, qui nullis nos præcedentibus meritis ad apostolicæ dignitatis culmen fecit ascendere, et sollicitudinem omnium Ecclesiarum gerere earumque rectoribus pietatis assensum præbere.

Quia postulasti a Romana sede confirmari privilegia quæ ab antecessoribus nostris sunt tuæ ecclesiæ concessa, visum nobis fuit honestum et Ecclesiæ necessarium petitioni tuæ consentire.

Præsertim cum ecclesia hæc sub nomine principis apostolorum beatissimi Petri sit consecrata, sicut mater sua, cui præsidemus divina clementia, ut quæ matrem imitatur ex nomine filia, imitetur etiam aliquantisper in dignitate ecclesiæ protegaturque sub alis defensionis suæ.

Nos igitur tua, sicut et omnium Christi fidelium devotione incitati, nostra et apostolica auctoritate confirmamus tibi omnia, quemadmodum in privilegiis Patrum nostrorum, apostolicorum virorum, sunt scripta, crucem videlicet et pallium suo tempore suoque loco ferendum, insigne quoque festivi equi quem Naccum vocant nostri Romani.

Confirmamus quoque tibi, per hanc præceptionis nostræ paginam, sanctæ et apostolicæ sedis cancellaturam et ecclesiam sancti Joannis evangelistæ ante Portam Latinam, ut te Petrus cancellarium habeat, Joannes hospitium præbeat.

Concedimus etiam atque perpetuo largimur ut majus altare ecclesiæ tuæ matris, Virginis honori dedicatum, et aliud ibidem, apostolorum principi, B. Petro, addictum, reverenter ministrando procurent septem idonei cardinales presbyteri, dalmaticis induti, quibus etiam cum totidem diaconibus A ac subdiaconibus ad hoc ministerium prudenter electis, ut sandalis utantur concedimus et constituimus.

Postea auctoritatem et honorem quem Ecclesia hactenus habuit, tam inter alios quam a suis, confirmamus clypeo apostolicæ protectionis, ut si quando synodus infra tuam diœcesim, aut præsente hujus primæ sedis archiepiscopo, aut legato ab ejus latere directo fuerit aggregata, priorem quidem locum post ipsum rector, ejus obtineat, in proferenda sacrorum canonum auctoritate prior existat, ita tamen ut sicut est prior in hac probabili dignitate, ita etiam polleat prior morum probitate, vitæ honestate, ut cujus annuntiaverit verba ejus imitetur exempla.

Regiam consecrationem, infra limites suæ diœcesis B faciendam, potestatis apostolicæ munimine ei corroboramus; habendam electionem quoque archiepiscopi, secundum auctoritatem canonicam, filiis Ecclesiæ sancimus per hanc præceptionis nostræ paginam.

Bona autem, quæ usque modo tenuit vel in æternum cum justitia acquirere poterit, hoc apostolico munimine laudamus et corroboramus, videlicet monasteria, et ecclesias Coloniæ positas, monasterium sancti Heriberti cum omnibus suis pertinentiis, ecclesiam S. Mariæ, infra urbem, ecclesiam sancti Gereonis cum omnibus suis pertinentiis. Cætera vero sacra loca, et infra urbem et circa, confirmamus tibi auctoritate apostolica, monetas urbis, teloneum C et omne jus civile, sub potestate archipræsulis.

Abbatias autem per diversa loca, villas, vicos et castella, in omnibus suis pertinentiis, servis, ancillis, terris cultis et incultis, aquis, pratis, campis silvis, forestis.

Præterea corroboramus ecclesiæ prædia, quæ ipse dedisti, videlicet monasterium Brauwellare et castrum, nomine Zonneburg, cum omnibus suis pertinentiis, ita sicut neminem coarchiepiscoporum tibi subjicimus, ita sub nullo primate te agi decrevimus; salva nobis in te, sicut in cæteris archiepiscopis, quæ jure debentur apostolicæ subjectionis auctoritate.

Statuentes apostolica censura ut nullus imperator, rex, dux, marchio, comes, vice-comes, et præterea D nullus archiepiscopus, episcopus præpositus, vel aliqua magna parvaque persona, cujuslibet ordinis et dignitatis, contra hanc nostræ præceptionis paginam et confirmationis audeat præsentare.

Si quis, quod non optamus, temerario ausu contra hujus apostolicæ nostræ auctoritatis scriptum pie a nobis pervulgatum tentaverit, anathematis vinculis innodatus a regno Dei sit alienus, donec resipiscat. Qui vero pio intuitu cultor et observator exstiterit, benedictionis gratiam et cœlestis regni gaudia a misericordissimo Domino nostro consequi mereatur.

Data Nonis Maii, per manus Friderici diaconi, S. Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii atque cancellarii, vice domini Hermanni archicancellarii et Colon. ar-

Digitized by Google

chiepiscopi. Anno Domini millesimo quinquagesimo secundo Leonis IX papæ quarto, indictione quinta.

LXIX.

Bulla S. Leonis IX pro cœnobio Altorfiensi.

anno 1052

[Gall. Christ. V, 473.]

Leo episcopus, servorum Dei servus, Judithberto abbati Ecclesiæ sancti Cyriaci, positæ in Alsatiæ, loco qui dicitur Altum cœnobium, ejusque successoribus, et per eum monachis ibidem perpetuo famulaturis, perpetuam in Domino salutem.

Quoniam quidem apostolicæ convenit censuræ venerabilia loca propria protegere tuitione, quatenus Deo famulantes ab impetentium se injuste.... quieti et liberi semper valeant manere. Quapropter æquissimum censuimus nostræ sanctionis pagina jam prædictam ecclesiam, a nostris progenitoribus constructam, perpetuo manere munitam monasticoque ordini inviolabiliter omni tempore esse dedicatam. Igitur ea auctoritate qua sancti Petri fungimur vice, confirmamus atque corroboramus ecclesiæ prænominatæ nostri apostolici privilegii potestate quæcunque a nostris parentibus ibidem concessa vel concedenda sunt, ut nemini liceat aliquid exinde minuere, vel quidquam auferre, sed omnia monachis Deo inibi servientibus integerrima semper maneant. Illud etiam confirmandum decrevimus ut, abbate ipsius loci aliquo vita decedente, monachi cœnobii ejusdem abbatem, qui eis legaliter et juste juxta beatissimi Benedicti institutionem præsit, potestatem habeant eligere, sane ut de suis, si condignum invenire potuerint, eligant, præcipimus; sin autem, quo meliorem potuerint reperire accipiant, et electum consecrandum episcopo deducant; quod si justæ fratrum petitioni acquiescere episcopus renuerit, vel simoniale in eum agere aliquid tentaverit, potestatem auctoritate apostolica adeundi nostram habeant præsentiam.

Præterea decernimus ut nullus unquam aliqua magna parvaque persona, cujuscunque conditionis, seu potestatis munimine roboratus, a præfata ecclesia seu monasterio aliqua exigere audeat, nisi quid sua sponte jam dicti loci abbas obtulerit. Igitur apostolica censura decernimus et irrevocabiliter confirmamus ut nullus imperator, aut rex, aut dux, sive marchio, comes, seu vicecomes, nullusque advocatus, nullus archiepiscopus, seu episcopus, et præterea nulla hominum persona utriusque sexus, ætatis, contra hanc nostræ apostolicæ auctoritatis confirmationem atque constitutionem tentet venire; sed neque constitutus ibi abbas bona monasterii injuste audeat vendere vel distribuere. Quod quicunque fecerit, nostro apostolico anathemate usque ad satisfactionem dignam percussus existat. Qui vero se custodierit et observaverit ad confirmationem et constitutionem, nostra accumuletur benedictione et vitæ æternæ particeps efficiatur.

Data Nonas Maii per manus Friderici diaconi, S. Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii et cancellarii, vice domini Hermanni archicancellarii et Coloniensis archiepiscopi, anno domini Leonis noni papæ quarto, indict. v, Domini vero 1052.

LXX.

S. Leonis IX privilegium pro monasterio Casinensi.

(Anno 1052.)

[Gattula, *Hist. Casin.*, 117.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Richerio abbati monasterii beatissimi Christi confessoris Benedicti, quod est constructum in monte qui Casinus dicitur, in territorio Beneventano, cunctisque tuis successoribus juxta prædicti confessoris Benedicti statutum canonice illuc intrantibus in perpetuum

Quoniam quidem apostolicæ convenit censuræ Deo famulantibus omnis protectionis justa et æquissima semper, et indeficua adhibere munimina, quatenus possessa absque ulla juste inquietudine possideant, et injuste sibi subtracta recuperare valeant. Proinde cum partes pertransiremus Campaniæ, et apud S. Germanum sub prædicto monte positum commaneremus cum nostris confratribus quam pluribus videlicet archiepiscopis et episcopis, aliisque S. Petri, nostrisque fidelibus, tunc præfatus jam Richerius suprascripti monasterii benedicendi semper S. Benedicti abbatis cum suis confratribus, quorum unus vocatur Firmus, conquesti sunt Ecclesiam et cœnobium jam dicti Benedicti sanctissimi privatum et nudatum ecclesia et monasterio S. Stephani juxta civitatem Terracinensem posito, quod prædictus et Deo dignissimus vir Benedictus, vivente corpore, construxerat. Denique ejus vitæ historiam a beatissimo papa Gregorio editam attulerunt in medium; ibique perquisitum inventum est ut qualiter isdem sanctus a quodam rogatus in ejus prædio monasterium construere, abbatem, præpositumque, qui illi esset secundus, in construendo delegavit cœnobio, denuntians diem quo esset adfuturus, ut singula eis ostenderet, quo construerent loca, officinas commanendis monachis, et advenientibus, seu suscipiendis hospitibus necessaria. Cumque promissæ diei nox perveniret in somnis, sanctissimus vir Domini, Benedictus, præfatis ambobus scilicet electo abbati ejusque præposito apparuit, eisque loca singula, ut promiserat, designavit. Quique quæ sigillatim viderant retulerunt sibi vicissim collatione mutua, non tamen visioni illi fidem accommodantes corporalem præstolati sunt præsentiam. Quem dum exspectato minime vidissent die venisse, mœsti sunt reversi, conquerentes adversus Dei famulum se illum exspectavisse, que minime juxta suam sponsionem advenisse. Quibus dum approbasset quod promiserat pro certo se complevisse dum uniformiter alternatim singulis apparuisset, et eadem loca singulis utilitatibus commoda ut uni et alteri ostendisset; præcepit itaque, ut sicut ex visione didicerant, ea perficerent: quod et factum est. Igitur hæc omnia cum confratribus nostris diligentissime respicientes veraque

Digitized by Google

esse cognoscentes, dignissimum arbitrati sumus, et censuimus præfatam S. Stephani ecclesiam monasticæ religioni a principio sui dedicatam, sicut jam dictum est, juxta Terracinam positam prænominato, et præelecto SS. Confessoris Benedicti cœnobio reddere et apostolica auctoritate confirmare. Quatenus quæ ejus fundata est magisterio illius semper regatur atque muniatur imperio. Itaque tibi Richerio abbati, cunctisque tuis successoribus juste in monasterium in monte Casino positum a Benedicto beatissimo Patre constructum intrantibus, atque præfatis, et sæpe nominati Benedicti monasterio et ecclesiæ prædictam sancti Stephani ecclesiam et monasterium cum omnibus suis pertinentiis reddimus, concedimus, et corroboramus. Constituentes igitur summa et apostolica censura constituimus, ut nulli cuiquam aliquo in tempore liceat prædictam invadere, vel subripere ecclesiam, aut in aliquo juste sibi ex competentibus eam lædere, vel minuere, vel direpta injuste ei contendere, seu a monasterio sancti et beatissimi Benedicti monte Casino positum avellere, sive alienare, aut quidquid illi juste jam concessa quamvis videantur ab aliis nunc possessa, vel quæ tibi sunt adhuc concedenda, contra æquitatis justitiam subripere, invadere, seu divertire, vel aliquo modo contendere. Non imperator, aut *rex*, non, inquam, *dux*, vel marchio, comes aut vicecomes, non archiepiscopus, seu episcopus, aut aliquis cujusquam ordinis, sive potestatis munimine fultus, cujuscunque conditionis, vel sexus persona, contra hoc nostræ sanctionis privilegium adire audeat. Quicunque igitur contra hoc justissimæ moderationis decretum, atque privilegium, quod auctoritate apostolica, annuente Deo omnipotente, monasterio Deo dignissimi Benedicti, cunctisque illuc juste præordinatis abbatibus fecimus, confirmavimus, atque corroboravimus contraierit et rebellis exstiterit, nisi resipuerit, perpetuo confessus anathemate ultrices æternaliter pœnas sustineat. Conservator vero beatissimi Benedicti monachorum Patris, et ducis egregii precibus, et meritis auditus, ab omni reatu absolutus, benedictionis gratiam, et vitam adipisci mereatur æternam.

Data per manus Frederici diaconi, S. Romanæ Ecclesiæ cancellarii et bibliothecarii, vice domni Herimanni, archicancellarii atque Coloniæ archiepiscopi, tertio decimo Kalendas Junii, domni Leonis noni papæ anno quarto, indictione quinta.

LXXI.

S. Leo IX Joanni episcopo et omnibus Terracinæ positis ecclesiam et monasterium S. Stephani monasterio Casinensi a sese restituta nuntiat.

(Anno 1052.)

[Gattula, *Hist. Cassin.* 118.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Joanni episcopo et omnibus Terracinæ positis vel in ejus confinibus S. Petri, nostrisque fidelibus, salutem cum benedictione apostolica.

Noverit dilectio vestra ecclesiam et monasterium S. Stephani juxta Terracinam posita nos reddidisse, et confirmasse monasterio S. Benedicti, monte Casino positum cum omnibus suis pertinentiis, quæ sibi juste debentur. Proinde præcipimus auctoritate apostolica ut nullus privilegium quod eidem monasterio fecimus et corroboravimus audeat infringere, qui anathematis pœnam non vult incurrere; sed quicunque injuste aliquid detinet ex ea juste restituat, ut benedictionem habeat et meam bonam voluntatem non perdat.

LXXII.

S. Leo IX monasterii S. Sophiæ Beneventani possessiones et privilegia confirmat.

(Anno 1052.)

[Mansi, *Concil.*, XIX, 687.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Sicenolpho, dilecto nostro in Christo filio et abbati venerabilis cœnobii almæ et coæternæ Domino Patri Sophiæ intra Beneventum, in loco nuncupato Urbe-Vetere, constructi, et post te in eodem cœnobio tuis successoribus canonice promovendis in perpetuum.

Ad hoc in sacerdotali culmine constituti sumus ut evellamus, necnon et destruamus, et ædificemus juxta ac plantemus in nomine ejus. Debito officii nostri exigente, optimum duximus diebus nostris, prout superna gratia concesserit, obvia quæque nobis illicita falce ecclesiasticæ disciplinæ demetere, et licitis copiam fructificandi passim suppeditare. Quamobrem post nimiam calamitatem Beneventanorum, quam pertulerunt juste ob injuriam et superbiam Romanorum pontificum et dominorum imperatorum, postque eorum miserabilem et luctuosam satisfactionem, tibi jam dicto Sicenolpho, quem loco illius dejecti ac scelerati Gregorii, abbatis immerito dicti, nec jam dicendi, ordinavimus, juxta petitionis tuæ tenorem, confirmamus ex integro præfatam abbatiam S. Sophiæ, cum ecclesiis, cortibus, villis, casalibus, vineis, terris, servis ac ancillis, omnibusque mobilibus vel immobilibus ad se juste pertinentibus, tam ea quæ hactenus acquirere potuit quam quæ deinceps liberalitate, collatione sive concessione quorumlibet religiosorum hominum poterit adipisci, atque prorsus, quæcunque concessa sunt illi, corroborata piorum imperatorum vel principum præceptis aut chirographis. Præterea auctoritate apostolicæ sedis Romanæ concedimus ac confirmamus tibi tuisque successoribus in perpetuum omnes in integrum oblationes vivorum ac defunctorum, quæ amodo et deinceps ipsi monasterio vel ecclesiis illi subjectis a quibuscunque personis datæ fuerint; liceat quoque ipsis monachis ex eadem congregatione eligere abbatem sibi, si inibi idoneum ad hoc officium invenerint: sin alias, undecunque possunt, dignum rectorem sibi eligant; et perpetuo maneat jam sæpe fatum cœnobium sub tutela seu jure sanctæ Romanæ Ecclesiæ liberum et immune ab omni subjectione ac jugo Casinensis monasterii; ita ut nec vox calumniatorum super hoc recipiatur

Digitized by Google

aliqua, sed penitus habeatur frivola et irrita, sitque rata controversiæ illius manifeste ac publice facta definitio a religiosis principibus Pandolpho, ac Pandolpho, magnatibus ac ducibus eorum, quando prius Malepotus, deinde Joannes Casinenses abbates, adversus Ursum ac Gregorium abbatiæ S. Sophiæ rectores, super hæc litem suscepere. Obtineat ergo et possideat semper libertatem antecessorum nostrorum privilegiis et imperatorum præceptis hactenus sibi concessam et confirmatam, ita ut nullus deinceps imperatorum, regum, ducum vel principum, aut marchionum, nec ulla cujuscunque dignitatis persona contra hanc nostram auctoritatem aut conditionem privilegiorum venire audeat, aut de bonis ejusdem abbatiæ per nos aut quoscunque concessis, usurpare, minuere aut alienare quidquam quocunque modo aut ingenio præsumat, ne sub judicio districti anathematis decidat. Porro quia ab aliquibus episcopis solent cœnobia gravamina sustinere, nos vero alicui præjudicium nec volumus nec debemus facere; hoc tandem concedimus tibi hac nostra auctoritate, ut si ab episcopo in cujus diœcesi consistis, nequiveris ecclesiasticas ordinationes gratis et canonice acquirere, licentiam habeas a quocunque tibi tuisque acquirendi eas juste. Hujus nostri privilegii statuta infringere et cassare nullus aliquando quacunque arte præsumat, ne damnationem ab initio a sanctis Patribus promulgatam pro sacrilegis incurrat. Nam quisquis hæc pio Divinitatis respectu reverenter observaverit, confidimus quia a sancta Trinitate benedictionem habebit, et sortem nanciscetur cum eis qui præcepta Dominica servaverunt, et ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt.

Data XII Kal. Junii per manus Frederici diaconi, S. R. E. bibliothecarii, necnon et cancellarii vice domini Hermanni archicancellarii et Coloniensis archiepiscopi, anno domini Leonis papæ quarto, Indict. V.

LXXIII.

S. Leo IX Ecclesiæ Asculanæ possessiones et privilegia, petente Bernardo episcopo, confirmat.

(Anno 1052.)

[Ughelli, *Italia sacra*, I, 449.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Berardo secundo episcopo Ecclesiæ et episcopatus S. Dei genitricis virginis Mariæ et beatissimi Christi martyris Emigdii, positæ in comitatu Esculano intra civitatem, cunctisque suis successoribus canonice illuc intrantibus in perpetuum.

Quia divina largitate gratiæ B. Petro, apostolorum principi, regere, dispensare, et ab omni pravorum infestatione defensare, omnis commissa est Ecclesia, ut cujus pascitur doctrina, et ejus maniatur et tutela, convenit nos, qui ejus vice apostolatus fungimur culmine, singulis Ecclesiæ justæ protectionis manus porrigere, quatenus, quod illis ad tutaminis proficit fulcimentum, nos expediat a debito quod debemus omnibus. Proinde rogatu D. supra nominati Bernardi, episcopi S. Ecclesiæ Esculanæ, apostolicæ auctoritatis munimen concedentes, et per eam præfato episcopo, cunctisque ejus successoribus canonice inibi inthronizatis, quæ ad honorem Dei genitricis semperque virginis Mariæ est dedicata, nec in inferioris liberalitatis præscriptum, sed obstaculum et totius protectionis clypeum privilegii munimen conferimus, ut ecclesia quæ nomini summi omnipotentis Regis martyrum est dedicata, sit etiam summi militis ejus filii scripto protecta gladioque defensa. Ideoque apostolica auctoritate providentes singula, quidquid juste eidem deferretur ecclesiæ, confirmamus et corroboramus tibi, ut nemo exinde eum audeat devestire, vel molestare, seu aliquam inquietudinem illi inferre: id est civitatem Esculanam ex integro cum ipsa sua portione de monasterio Sancti Angeli, quod in ipsa civitate est constructum, et monasterium Sanctæ Mariæ, in sancto monte positum, cum omnibus juste sibi pertinentibus, vel quæ inantea aliquorum justa datione legaliter pertinere poterunt. Castellum, quod dicitur Trione cum monasterio Sancti Laurentii cum omnibus pertinentiis suis, curtem de Massa cum ipso Pojo de valle lucida, curtem de Monte, curtem de Pazano, sicut in chartula Maynardi filii Sigolphi habetur et legitur. Castra quæ dicuntur Sculcula, Matrice, Spinetula; curtem de Ilica, curtem de Cariano, curtem de Core, curtem de Belenterio, curtem de Flaminiano, curtem de Api, curtem de Tarracina, curtem de Bapino, curtem de Vuasto Promarese, curtem de Saxa, curtem de Salli, curtem de Patarco, curtem de Villa magna, et omnia quæ prædicto episcopatui, tam in supradictorum castrorum quam curtem de Montariolo intus civitatem Spoletanam, curtem de Paterno in loco qui Ponte dicitur, curtem de Primocasu, Gualdum de Languine, in Nursiamcasam, et curtem infra locum, ubi olim fuit civitas: curtem de Sala in eadem Nursia, Gualdum de Fesso, curtem Savelli, in comitatu item Esculano, in loco qui Aqua dicitur, castellum de Luco, et turrim de Fotiano, et Pojum de Quintodecimo, curtem Mazzanam cum salinis suis, castellum de Murro, castrum Fundanianum, montem Purum cum forestis et silvis, cum Pojo quod Clamatorium dicitur, Plage cum castro Lasiano, Villamagna cum Pojo, et castello, Cicilianum, Montem Calvum, Bajuanum, castrum de Gualdo, curtem Agelli, castrum Ligunianum, curtem Pupillianam, curtem S. Stephani, curtem de Paterno, et castrum de Spelunca cum ipsa curte de Valeriano, curtem de Bofiano, montem Andreæ, Pojum Silvistum, quod est ante castellum Gusianum, nec non et castrum de Spinetulo cum curte sua, quæ Francisca dicitur, curtem Eassianam, curtem Prostitulam, Pojum Valenterium, castellum de Ottavo, Pojum Gaminaldum, curtem Cervinariam, curtem Chrisianam, curtem de Vivario, curtem S. Felicis, Pojum de Pignole, curtem S. Martini, castrum de Corato cum Pojo Heliceti et Cisimulæ, curtem Popiliano, curtem

Digitized by Google

Lauretianam, curtem Maltinianam, castellum Castelli, in Frondaria, curtem Porilem, curtem Dianam, curtem de Quarto, Castellum de Post-montes, curtem Capitinulam, curtem Paternionis, cum Pojo Avignonis, castellum de Callonnata cum suis curtibus, curtem Ciniani cum suo castello, curtem de Casule, et castellum de Vina.

Hæc omnia supranominata cum plebibus et ecclesiis singulis, earumque dotalibus, cum servis et ancillis, vi lulis, massaritiis, commendatiis et colonis singulis, cum alpibus et montibus, silvis, pratis, pascuis, vineis, olivetis, cultis et incultis, aquis, molendinis, piscariis, piscationibus, salinis, aquarumque decursibus, nec non et armentis, equorumque forestis, seu omnibus juste sibi pertinentibus, in integrum confirmamus, atque apostolica auctoritate corroboramus. Decimas etiam, seu primitias, et cunctas oblationes fidelium vivorum et mortuorum eidem episcopatui juste et canonice pertinentes tibi, juxta canonicam institutionem SS. Patrum, concedimus. Nec non et illud statuendo decernimus, ne aliquis episcopus, alicujus auctoritate, vel potestate suffultus audeat absque licentia inibi juxta præfati episcopi, ordinationes seu constitutiones aliquas facere, vel judicia disponere, seu clericos, aut presbyteros synodo qualicunque distringere, vel fatigare. Statuentes igitur apostolica auctoritate, quæ servanda est ab omnibus, et in omnibus statuimus, et sub anathemate constringimus, ut nullus imperator, sive rex, nullus dux, vel marchio, comes, vicecomes, castaldus, vel quilibet publice pariter exactor, seu cujuslibet hominis persona, cujuscunque sit ordinis, vel dignitatis, seu religionis, hanc pragmaticam privilegii sanctionem audeat refragare, vel in quoquam confringere; quod qui tentaverit a B Petro, apostolorum principe, anathemate divino percussus intereat, quia Dei Genitricem, eique famulantes offendere non timuit, Deumque hoc inspicere pro nihilo duxit, conservator vero benedictione suffultus apostolica a Deo omnipotente vitam consequatur æternam.

Data Kal. Julii per manus Friderici, diaconi S. R. E. bibliothecarii, et cancellarii vice D. Herimanni archicancellarii, et Coloniensis archiepiscopi anno D. Leonis IX, papæ IV, indict. V, actum Beneventi, in Dei nomine feliciter. Amen.

LXXIV.

S. Leo IX Liuthbaldo, archiepiscopo Moguntino, pallii cuphiæque (133) *usum et «suver nattum* (134) *equitandi» licentiam concedit.*

(Anno 1052.)

[Gudenus, *Cod. diplom.* I. 17.]

Leo episcopus, servorum servus Dei, Luithbaldo archiepiscopo Moguntino, dilecto filio nostro et fratri spirituali.

Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, et ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant; quanto sudore, quantaque cura debemus esse pervigiles, nos qui pastores animarum dicimur. Attendamus, et susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium non cessemus, ne in die districti examinis pro desidia nostra ante summum Pastorem negligentiæ reatus excruciet, unde modo honore, reverentia, inter cæteros sublimiores judicamur.

Pallium autem fraternitati tuæ ex more, ad missarum solemnia celebranda concedimus, quo tibi, non aliter, Ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus uti concedimus, quam decessores prædecessoresque tuos usos esse, incognitum non habes. Videlicet in die natalis Domini, in Epiphania, in cœna Domini, in Sabbato sancto, in die resurrectionis Domini, in Ascensione Domini, in die sancto Pentecostes, in festivitatibus S. Mariæ, natalitiis apostolorum, in festivitate S. Martini, et SS. Albani, Sergii et Bacchi, Aurei et Justinæ; in ordinatione episcoporum et clericorum, in die natalis tui, in dedicatione ecclesiæ.

Et quia in loco filii te diligimus, duos hos dies quos prædecessores tui non habuerunt, octavam scilicet Domini, et festivitatem omnium sanctorum, tibi charitative concedimus. Insuper et cuphiam tibi permittimus, et super nattum equitare concedimus, et crucem ante te deferendi licentiam damus. Et si quid in ecclesia tua, vel suffraganorum tuorum acciderit, quod judicium apostolicum, vel apostolici legati præsentiam expetat, et tanta necessitas urget ut exspectare nulla ratione valeatis, nostra vice vos terminare apostolica auctoritate judicamus.

Quarum dignitatum honor, quia modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur, ut ei cunctorum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo recte utrobique possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula in ipsa. Si qua tortitudo illis injecta est, dirigant; in ea quid imitentur aspiciant, in ipsa se semper considerando proficiant; ut tuum, post Deum, videatur esse, bonum quod vixerint. Cor ergo neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant, sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincatur.

Nullum apud te locum odia, nullus favor indiscretus inveniat. Discretionem mali agnoscant. In-

(133) *Cuphia.* Idem ac mitra, seu tegmen capitis, quod caput totum ambiebat. (Dufresne, *Gloss.* l. v, t. III, pag. 1233 edit nov.).

(134) *Nattum.* Nactum vel nactus proprie est insigne festivi equi, a quibusdam quoque *Nacuum* vocatum. Insternebatur enim stragula totus equus in festivitate, vel pompa. Atque inter eximia referebatur privilegia, si cui episcopo in processione Palmarum, et feria secunda post Pascha, equo alio qui udone seu nacta coopertus erat, insidere et procedere facultas data fuerat. Quod nulli plane licebat absque speciali concessione. — (Idem voce *Equus*, t. III, p. 119, *add.* t. II, p. 134, v. *Nactum.*

Digitized by Google

soatem apud te culpabilem suggestio mala non faciat. Nocentem gratia non excuset; remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod ultus non fueris, perpetrari permittas.

Sit in te et boni pastoris dulcedo, sit etiam judicis severi discretio. Iram judicio refrena, et censura disciplinæ sic utere, ut et culpas ferias, et a dilectione personarum quas corrigis non recedas. Misericordem te in omnibus operibus exhibe, et non sit personarum acceptio apud te. Nullius faciem contra justitiam accipias, nullum quærentem justa despicias. Custodia in te æquitatis excellat, quatenus Deo miserante et annuente talis possis existere qualem sacra lectio percipit, dicens : *Oportet episcopum irreprehensibilem esse* (*I Tim.* III, 2). Sed his omnibus salubriter uti poteris, si charitatem, quæ est mater virtutum, habueris. Ecce, frater charissime, inter multa alia ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii : quæ si studiose servaveris, quod foris ostenderis accepisse, intus habes.

Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione confortet, atque ita in timoris sui via nos dirigat, ut post vitæ hujus amaritudinem, pervenire mereamur ad æternæ felicitatis interminabile gaudium, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit : omnibus Deum diligentibus evidentissime, certissimæ promissum.

Data per manus Friderici archidiaconi bibliothecarii et cancellarii S. Romanæ Ecclesiæ sedis apostolicæ; vice domni Hermanni Coloniensis archiepiscopi archicancellarii. Quinta decima Kal. Novembr.; anno Dominicæ Incarnationis MLII. Indictione VI, anno domni Leonis IX papæ quarto.

LXXV.

S. Leo IX Hartwigi Bambergensis et Adalberonis Wirzeburgensis episcoporum lite, præsente Heinrico imperatore, Bambergæ composita, ecclesiæ Bambergensis possessiones et privilegia confirmat.

(Anno 1052.)

[Pertz, *Monum. Germ. Hist.* Script. IV, 802.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Hartwico Babenbergensi episcopo sibique canonice in sede episcopatus successuris in perpetuum, æternam in Domino salutem.

Cum, exigente cura pastorali totius sanctæ Dei Ecclesiæ, nobis Dei providentia commissæ, in partes Germaniæ venissemus quæ orientali Franciæ adjacent, prece dilectissimi filii nostri Heinrici, secundi imperatoris et tertii regis, ac supra fati dilectissimi confratris nostri episcopi Hartwici, Babemberch venimus, et in die natalis beati Lucæ evangelistæ, inter missarum solemnia, cum verbum Dei haberemus ad populum, præsente nominato charissimo filio nostro Heinrico, et episcopis quamplurimis, astantibus etiam laicis et diversis potestatibus sæculi, relecta sunt prædecessorum nostrorum privilegia, quibus idem locus fundatus et corroboratus est auctoritate Romana sanctæ sedis apostolicæ. Relecta est ibi et conscriptio et confirmatio Heinrici Wirziburgensis episcopi, qua prædictam Babenbergensem ecclesiam banno episcopali et episcopli termino, accepta placita commutatione, firmavit; quæ sic acta est :

Dum Heinricus, in imperio primus, in regno secundus, divini ignis amore succensus, de prædiis quæ Dei gratia hæreditario jure in suæ possessionis dominium pervenerant, Dei servitium augere, construendo episcopatum atque ordinando, desideraret, quo id legitime rationabiliterque fieri potuisset, Heinricum venerabilem | Wirziburgensis ecclesiæ provisorem, quatenus prædictum locum Babenberch nuncupatum, cum pago qui Ratenzgowe dicitur, qui ad suæ diœceseos statum pertinere videbatur, de suo jure in ejus jus ad id perficiendum transfunderet, studiose cœpit flagitare. Qui, quoniam justæ et rationabiles causæ videbantur, ejusdem invictissimi regis petitionibus acquiescens, cum communi cleri sui atque militum necnon totius populi consilio et consensu, præfatum locum cum prædicto pago, tribus parochianis ecclesiis cum suis adjacentiis exceptis quarum nomina sunt hæc, Wachenrode, Lonerstat, Mulihusen, omni postmodum remota contradictione, suæ potestati tradidit; alterius autem pagi, qui Volcfelt nominatur, in quo præfatus locus situs est, partem eidem regi concessit, quantum est de Babenberch usque ad flumen Uraha, de Uraha in Ratenzam flumen, et sic juxta decursum ejusdem fluminis in Moin, et inde ad rivulum Wichibach, deinde ad caput ejusdem rivuli, sicque qua citissime ac proxime perveniri potest ad Uraha. Et ut hæc traditio firma et inconvulsa permaneret, ipse prædictus præsul Heinricus cum canonicis suis corroboravit et subscripsit.

Qua conscriptione relecta, cum juxta votum omnium, ut semper justis operibus favorem dobemus, et nos prædictum venerabilem locum apostolica auctoritate vellemus corroborare, ipse prænominatus ejusdem loci episcopus, Hartwicus, proclamationem suam fecit quia locus suus a clericis Adelberonis Wirziburgensis episcopi temeraria præsumptione invasus esset. Quod nos, quia utrique episcopi præsentes aderant, inter quos causa stabat, ibidem volentes discutere, Adelberoni episcopo, a quo injuria illata erat, deliberationem fecimus, ut objectionem hanc, si posset, refelleret; si non, justitiæ satisfaceret. Tunc ille, inito cum suis omnibus qui aderant clericis et laicis consilio, regrediens ad ambonem, de illata injuria se cum satisfactione excusavit, et de omnibus quæ ad bannum et episcopalem justitiam et potestatem Babenbergensis episcopi pertinerent, extunc et deinceps renuntiavit, exceptis his causis quas de bonis utriusque episcopii ipsi inter se episcopi possent legaliter definire. Verum nos, sicut semper de provectu gaudemus fidelium et justis operibus debemus augmentum, eumdem locum Babenbergensem, ab antecessoribus nostris corroboratum, apostolica auctoritate ibidem viva voce corroboravimus, et eamdem corroborationem nunc etiam litteris signamus, ut eumdem lo-

Digitized by Google

cum et omnia, quæ ibidem Deo sanctoque Petro a felicis memoriæ Heinrico, secundo rege et primo imperatore, tradita sunt, et quæ in posterum jure acquiri possunt vel juste acquisita sunt, prædia, mancipia, aurum, argentum, pallia, vasa, ornamenta vel alia utensilia, nemo audeat in perpetuum subripere, auferre aut commutare, nisi ad utilitatem ejusdem ecclesiæ; sed episcopus ejusdem loci, vel qui in perpetuum ejusdem fuerint successores, secura eas tranquillitate possideant, ac liberam habeant potestatem omnes res et proprietates ejusdem loci ordinare atque componere vel etiam augmentare, dissipare vero atque confundere nullam habeant inde potestatem aut dominationem. Insuper pro nostra auctoritate sancimus ut in terminis ac rebus ejusdem ecclesiæ nulla sit infestatio tyrannorum vel aliorum quorumlibet hominum pravorum, sive sint in civitate ipsa Babenberch, sive in castellis, villis, servis, ancillis, tributariis, decimis, forestis, silvis, venationibus, piscationibus, molendinis, campis, pratis, pascuis, agris cultis et incultis; aut quidquid modo illuc pertinet aut in futurum juste acquiri poterit, per nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium corroboratum, in secura permaneat quiete. Nullus ibi comes aut judex placitum seu districtionem aliquam facere vel tenere audeat, nisi quam per concessionem gloriosissimi imperatoris secundi Heinrici, vel successorum ejus episcopus ejusdem loci deliberaverit. Nulla in aliqua dignitate posita magna parvaque persona per violentiam irruat. Sit ille episcopatus liber, Romano tantum mundiburdio subditus, quatenus episcopus liberius et delectabilius cum clericis suis servitio Dei possit insistere, et Heinrici primi imperatoris, ejusdem loci venerabilis fundatoris, nostrique, scilicet Leonis noni papæ, ac nostrorum successorum, Heinrici quoque charissimi filii nostri secundi imperatoris, atque omnium, quibus debitores sunt, memoriam jugiter habere. Sit tamen idem episcopus suo metropolitano episcopo Moguntino, in canonicis causis tantummodo, subjectus et obediens. Deliberatis igitur, sancitis ac corroboratis omnibus supra dictis rebus, eidem sancto loco placuit addendum insigne honoris ecclesiastici a nostra apostolica auctoritate, ducti amore et reverentia Clementis, piæ memoriæ prædecessoris nostri, quem Deus miro dispositionis ordine a prælatione hujus loci ad sanctæ Romanæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ apicem dignatus est accersire, et mirabilius e Romanis finitimis defunctum corpus ejus reducere, volens hanc ecclesiam, ut æstimamus, quasi novam tanto decoratam esse patrono, Romanamque contentam et sufficientem, præteritis et futuris Patribus manere ornatam. Quin etiam, amore et desiderio fratrum, qui nos in suis recepere ecclesiasticis stipendiis et quotidianis, unum nostra vicissitudine regere fratrem, mitras gestandi concedimus licentiam, ea scilicet ratione ut ab episcopo provideantur digniores et honestiores presbyteri et diaconi, qui bonis moribus vel maturis ætatibus vel etiam prælationibus ipsius loci emineant, his videlicet diebus, in nativitate Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, et in cœna Domini, et in Sabbato sancto et in die gloriosæ Resurrectionis ejusdem, et sancto Pentecostes, et in die sancti Georgii, et in die sanctorum Petri et Pauli, et Assumptionis beatissimæ Mariæ et sancti Dionysii, pro reverentia nostri prælibati prædecessoris domni Clementis papæ, cujus anniversarius dies tunc ab eisdem fratribus agitur, et in anniversario die domni Heinrici imperatoris, ejusdem loci venerabilis constructoris. His vero concedimus hanc dignitatem qui tantum specialiter excubant vel deserviunt apud prædicti prædecessoris nostri sepulcrum. Contentos tamen his sancimus diebus fore, nec ultra a quoquam temere usurpari, ne honor proprius apostolicæ sedis vilescat. Hæc vero omnia supra dicta observari et custodiri in perpetuum, nostra apostolica auctoritate decernimus, confirmamus et corroboramus. Qui vero, quod absit, hujus nostri privilegii temerarius transgressor exstiterit, Dei, et beatissimæ Mariæ, et beatorum Petri et Pauli omniumque sanctorum et nostra æterna maledictione maledicatur, et perpetui anathematis vinculis innodetur, nisi digna satisfactione resipuerit et canonice satisfecerit. Qui autem pio corde hujus observator privilegii exstiterit, Dei omnipotentis et almæ Mariæ et beatorum apostolorum Petri et Pauli benedictione ditatus, æterni regni particeps fieri mereatur.

Data per manus Friderici diaconi bibliothecarii et cancellarii sanctæ Romanæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, anno Dominicæ Incarnationis 1052, anno pontificatus domni Leonis noni papæ IV.

LXXVI.

S. Leo IX Hartwigo, episcopo Bambergensi, rogatu Heinrici imperatoris, pallium mittit ter in anno utendum.

(Anno 1053.)

[Pertz, *Monum. Germ. Hist.* Script. IV, 801.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Hartwico Babenbergensis Ecclesiæ venerabili episcopo, perpetuam in Domino Jesu Christo salutem.

Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, et ut ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant, quanto sudore quantaque debemus pervigiles esse diligentia nos qui pastores animarum dicimur? Attendamus et susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis, pro desidia nostra, ante summum Pastorem negligentiæ reatus nos exerucict unde modo honoris reverentia sublimiores inter cæteros judicamur. Ad missarum itaque solemnia celebranda fraternitati tuæ pallium transmittimus, quod antecessoribus tuis nunquam ante concessum, modo tibi primo concedimus, rogatu dilectissimi filii nostri imperatoris Heinrici, et pro veneratione antecessoris tui, piæ memoriæ domni papæ Clementis, et pro

Digitized by Google

memoria Heinrici imperatoris primi, præfatæ eccle- A siæ constructoris benignissimi. Quo tibi ter in anno uti permittimus, salva auctoritate domnæ metropolitanæ Moguntinæ ecclesiæ, scilicet in die sanctæ Resurrectionis, et in natalitiis apostolorum Petri et Pauli, et in solemnitate sancti Dionysii, eo quod tunc anniversarius dies celebratur domni papæ Clementis supra memorati; hancque diem sanctam apostolica auctoritate statuimus celebrem esse per totum episcopatum. Cujus quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo recte utrobique possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula. In ipsa si qua tortitudo illis injecta est dirigatur, in ea quod imitentur aspiciant, in ipsa considerando semper proficiant, ut tuum post Deum videatur esse quod bene vixerint. Cor ergo tuum neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant, sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincatur. Nullum apud te locum odia, nullum favor indiscretus inveniant. Misericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exibeto. Oppressis defensio tua subveniat, opprimentibus moderata erectio contradicat. Nullius faciem contra justitiam accipias, nullum quærentem justa despicias. Custodia in te æquitatis excellat, ut nec divitem potentia sua aliquid apud te extra viam suadeat rationis audire, nec pauperem de se sua faciat humilitas desperare, quatenus, Deo miserante, talis possis existere qualem sacra lectio præcipit, dicens: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse* (*I Tim.* III, 2). Sed his omnibus salubriter uti poteris, si magistram charitatem habueris. Quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce, frater charissime, inter multa alia ista sacerdotii, ista sunt pallii. Quæ si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratia sæ protectionis circumdet, atque ita in itineris sui via nos dirigat, ut post hujus vitæ amaritudinem ad æternam simul pervenire dulcedinem mereamur.

Data III Nonas Januar., anno domni Leonis papæ noni IV, indictione VI.

LXXVII.

S. Leo IX Ecclesiæ Hamburgensis privilegia confirmat et Adalberto archiepiscopo pallii mitræque usum concedit.

(Anno 1053.)

[Lappenberg, *Hamburg. Urkund.*, I, 74.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri nostro Adelberto, venerabili archiepiscopo Hammaburgensis Ecclesiæ, tibi tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere et poscentium animis alacri devotione impertire assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium Dominum procul dubio promeretur, dum venerabilia loca oppertune ordinata ad meliorem fuerint per nos statum perducta. Igitur quia postulasti a nobis quatenus archiepiscopatum Hammaburgensis Ecclesiæ totum in integrum tibi successoribusque tuis confirmaremus, sicuti a prædecessoribus nostris, videlicet Nicolao et Agapito et Benedicto hujus apostolicæ sedis episcopis, decretum est. Inclinati precibus vestris, apostolica auctoritate concedimus et confirmamus cum omnibus generaliter atque specialiter ad eumdem præfatum archiepiscopatum vestrum pertinentibus, scilicet omnia quæ vestri antecessores suis laboribus acquisierunt, vel etiam amore æternæ patriæ ibi a Christicolarum fidelibus largita sunt vel largiuntur. Cum illis etiam, qui hoc tempore ad Christi conversi sunt fidem, protegente Dei gratia, videlicet episcopos in omnibus gentibus Suconum seu Danorum, Norwe- B gorum, Islant, Scridevinnum, Gronlant et universarum septentrionalium nationum, nec non etiam in illis partibus Sclavorum quæ sunt a flumine Pene usque ad fluvium Egidre, ita ut sub tua tuorumque successorum, Ammaburgensis Ecclesiæ archiepiscoporum maneant potestate, vel quidquid tuo tuorumque successorum laboris certamine, divina favente gratia, ab errore perfidiæ sive hominum sive locorum ad religionem Christianam acquiri potestis, tibi tuisque successoribus perpetualiter tenere censemus. Et insuper decrevimus et sancimus nullum archiepiscoporum, vel Coloniensem vel alium quemlibet, in tua diœcesi ullam sibi vindicare potestatem. Quinimo et ipsis et omnibus omnino suademus cultoribus veræ religionis, ut adjutorium et solatium tibi C tuisque successoribus in omnibus administrent, quatenus pro gratia hujus beneficii plenam recipere mercedem a Domino mereantur, quoniam omnia quæ proficua Ecclesiæ probantur existere et divinis non impugnant præceptionibus, efficienda et præbenda, omnipotentis Dei auctoritate et beatorum apostolorum Petri et Pauli esse non dubitamus. Et hoc nostro decreto decernimus, secundum prænominati bonæ memoriæ Nicolai papæ et Benedicti papæ et Agapiti papæ sanctionem, ipsas diœceses, Hammaburgensem scilicet et Bremensem, non duas sed unam esse et vocari. Omnem quoque adversantem vel contradicentem atque piis nostris studiis quolibet modo insidiantem anathematis percutimus mu- D crone perpetuaque ultionis reum diabolica sorte damnamus, ut culmen apostolicum, more prædecessorum nostrorum causamque Dei pio aspectu [*pro* affectu] zelantes, ab adversis hinc inde partibus muniamus.

Insuper apostolica auctoritate jubemus atque suademus episcopis Halversœthensis et Hildedeneshensis et Bodalbruniensis et Mimindensis et Ferdensis Ecclesiarum, ut salva in omnibus debita subjectione archiepiscoporum suorum, tibi tuisque successoribus solatium quantumcunque possunt, per omnia præbeant ad lucra animarum quærenda, sic tamen ut jam Domino acquisiti et acquirendi tuo tuorumque successorum archiepiscopatui subjecti permaneant.

Et quia legatione apostolicæ sedis et vice nostra

Digitized by Google

in gentibus supradictis decrevimus te fungi, quem admodum et beatissimus Bonifacius, Moguntinus archiepiscopus, a reverentissimis prædecessoribus nostris, Gregorio secundo et Gregorio tertio atque Zacharia, quondam legatus Germanicus est constitutus sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis privilegio, decernimus te tuosque successores non tantum antiquis, sed etiam secundum meritorum incrementa novis ampliare honoribus, si tamen exemplo supradicti martyris Bonifacii sacramento et debita subjectione semper præsto sint obedire nobis nostrisque successoribus in apostolica sede. Igitur, juxta suprascriptum tenorem concedimus et per te tuis successoribus in perpetuum licentiam ordinandi episcopos infra diœcesim seu provinciam vestram vel certe per provincias gentium supradictarum, quascunque ad ovile Christi tam per vos quam per nuntios vestros adducere, proveniente et subsequente divina gratia, valueritis. Simul etiam concedimus pallio uti, sicut a prædecessoribus nostris dignoscitur vobis concessum fuisse, id est in Nativitate et in octava Domini, et in Epiphania et in Purificatione sacræ Mariæ, in Palmis, in Cœna Domini, in die sancto Paschæ, in Ascensione Domini, in Pentecostes die, in festivitate sancti Joannis Baptistæ, in natalitiis omnium apostolorum, in Assumptione, in Nativitate et Annuntiatione sanctæ Mariæ, in festis beatorum martyrum Laurentii et Mauritii, et in festivitate beati Michaelis archangeli, et in festo Omnium Sanctorum atque beati Martini episcopi, et in festivitatibus sanctorum, quorum corpora requiescunt in ipso archiepiscopatu, et in consecratione episcoporum atque ecclesiarum et in vestræ ordinationis die. Et insuper crucem ante vos portandi. Ad hæc super nactum equitandi licentiam concedimus in solemnibus diebus et locis congruis, quod quidem bonæ memoriæ papa Clemens secundus, interventu nostri dilectissimi filii Heinrici imperatoris, vobis concessit. Et quia devotionem tuam, quæ gentibus evangelizare cupit, cognoscimus, ex nostra munificentia superaddimus præfato tuo honori, palleo uti etiam Sabbato sancto Paschæ in sanctæ crucis Inventione et in protomartyris Stephani festivitate, caput quoque tuum mitra, quod est insigne Romanorum, insigniri. Et si quis huic nostræ auctoritatis privilegio contraire vel in aliquo illud temerare tentaverit, anathema sit. Qui vero pie observaverit, gratiam et benedictionem consequatur.

Datum VIII Idus Januarii per manum Friderici diaconi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii et cancellarii, vice domni Hermanni, archicancellarii et Coloniensis archiepiscopi. Anno domni Leonis noni papæ IV, indictione VI.

Bene valete.

---

(135) De Sancti Martini monasterio, quod Vaticani templi choro inservient um vetus fuit domicilium, loquitur sanctus pontifex Leo quartus. Insigne cœnobium periit in exstruenda nova S. Petri basilica,

LXXVIII.

S. Leo IX Ecclesiæ Olivolensis et Dominici episcopi possessiones libertatemque confirmat.

(Anno 1053.)

[Ughelli, *Italia sacra*, V, 1217.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Olivolensi Ecclesiæ, et per eam Dominico episcopo ejusque successoribus canonice promovendis in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus locis congruæ defensionis impertiri suffragium, eisque benevola compassione succurrere, ut nobis a Domino possit merces provenire, cum ad meliorem statum fuerint nostro studio perducta vel confirmata. Quapropter sub apostolica et canonica auctoritate confirmamus præfatæ Olivolensi Ecclesiæ, atque præfato Dominico episcopo, suisque legitime successoribus in perpetuum, quidquid hactenus juste acquisivit, et deinceps nihilominus juste acquirere poterit, ita ut imperator nullus, dux nullus, seu comes, aut alia quælibet major minorve persona quidquam inde alienare, vel usurpare præsumat. Interdicimus quoque apostolicæ auctoritatis privilegio ut nullus patriarcha, seu comprovincialis, vel quilibet alius episcopus, in ipsa diœcesi sine consensu episcopi ipsius, confirmationes, consecrationes ecclesiarum, aut clericorum, sive sanctimonialium, vel excommunicationes, seu absolutiones, seu synodum, nisi forte provincialem, facere audeat, nec clericos ipsius, tam ab eo, quam a quocunque ordinatos quisquam judicare, aut defendere contra eumdem episcopum canonice eos tractare volentem præsumat. Et si quis hujus nostri privilegii audacter temerator exstiterit, donec resipiscat, anathema ei a Deo, et S. Petro, et a nobis fiat. Porro qui pietatis respectu obedienter observator fuerit, benedictionis et vitæ æternæ particeps sit. Amen.

Datum III Idus Martii per manus Friderici diaconi S. apostolicæ sedis bibliothecarii et cancellarii, vice domini Herimanni, archicancellarii et Coloniensis archiepiscopi, anno domini Leonis IX papæ V, ind. VI.

LXXIX.

S. Leo IX ecclesias monasterio Sancti Martini subditas, una cum prædiis ac juribus enumerat, et Sancti Petri canonicis confirmat.

(Anno 1053.)

[*Bullar. Vatic.*, I, 22.]

In nomine Domini, amen. Hoc est exemplum, sive transumptum cujusdam litteræ apostolicæ sanctæ recordationis Leonis papæ noni, ejus vera bulla plumbea cum filo canapis pendente, more Romanæ curiæ, bullatæ, non vitiatæ, non abrasæ, non cancellatæ, neque in aliqua sui parte suspectæ, sed omni prorsus vitio et suspicione carentis, cujus tenor per omnia talis est.

Leo episcopus, servus servorum Dei, Joanni archipresbytero venerabilis ecclesiæ Beati Petri apostoli, et ejusdem ecclesiæ canonicis in monasterio Sancti Martini (135) nunc ordinatis et ordinandis, ut in

olim, teste Libro Pontificali in S. Leone IV aliisque locis, eidem Vaticanæ basilicæ cohærebat; vel, ut aiunt Mollius et Romanus, situm erat post S. Petrum, sive post absidam in introitu ecclesiæ Sancti

Digitized by Google

choro Beati Petri die noctuque divina officia decantent in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, ac poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium Deum promeremur, si venerabilia loca ordinata ad meliorem fuerint statum sine dubio perducta. Igitur quia postulastis a nobis quatenus confirmaremus quæ a sanctissimo Leone quarto papa, et a quibusdam pontificibus Romanis, vobis sunt concessa et per privilegia confirmata, ob amorem Dei omnipotentis, et beati Petri apostolorum principis, et Aureæ Romanæ defensoris, et beati Martini confessoris, cujus ecclesia est sita post absidam in introitu ipsius (136) ecclesiæ juxta ferrata (137), vestris precibus inclinati, quæ juste postulastis, ad exemplar prædecessoris nostri Leonis quarti, et Caroli imperatoris, et aliorum Romanorum pontificum Joannis decimi, et Joannis noni decimi (138) præsentis scripti privilegio confirmamus, statuentes quascunque possessiones, quæcunque bona eidem venerabili monasterio juste perfinent, et in futurum concessione pontificum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis annuente Domino poterit acquirere, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, videlicet ecclesiam Domini nostri Salvatoris (139) quæ vocatur Schola Francorum (140) una cum suis possessionibus, et usibus, et utilitatibus, quas Carolus imperator ecclesiæ Sancti Salvatoris donavit, et per privilegium confirmavit, et Leo quartus privilegio concessit; et census quos de ultramontanis partibus, annuatim statuerunt mitti (141) et recipi per manus ministrorum, concedimus eidem monasterio permanendos ad utilitatem eorum qui in Christo beati Petri Deo alacri animo serviunt; positam juxta murum civitatis Nobiæ, quæ vocatur Leoniana, super Terrionem, constitutam ad sepulturam omnium hominum, de qualibet parte mundi Romam venientium, qualicunque ex causa, sicuti a Leone quarto concessum est dictæ ecclesiæ sancti Salvatoris. Sed si de ultramontanis partibus fuerint peregrini et advenæ, divites et pauperes, nobiles vel ignobiles, quoscunque mori contigerit in hac alma urbe Roma, vel in circuitu ejus sicuti ab Alba (142) usque Sutrium omnes in jam dicta Euteria Salvatoris sepeliantur, nobiles et ignobiles, divites et pauperes, advenæ et peregrini, aut ubi vos jusseritis si necessitas compulerit; nullus præsumat aliquem illorum, aut bona ejus occultare, aut contra

Petri. Consulenda Alphar. Tabula Ichnograph. cujus litt. *a* enucleate docet hoc monasterium antiquitus exstitisse, ubi nunc aram, Veronicæ vocabulo, insignitam cernimus. Illud nimia vetustate quassatum pene omne a fundamentis restauravit D. Leo III, ac quinquaginta circiter post annos, iterum fatiscens, reparavit alter Leo hujus nominis IV. Missa facimus bona quam plurima vetustissimo huic cœnobio, cujus meminit Stephanus II, ut in epist. ad Frebradum, a Romanis pontificibus collata, atque in Libro Pontific. aliisque auctorib. recensita. Id autem silentio prætereundum non est quod scripto tradidit Ven. Beda, Hist. Angl., lib. IV, cap. 18. Loquitur enim de venerabili Joanne archicantore ecclesiæ Sancti Petri, et abbate monasterii beati Martini, qui, Episcopo abbate, cognomine Benedicto, S. Agathonem pontificem rogante ut in monasterio suo cursum canendi annuum, sicut ad Sanctum Petrum Romæ agebatur, edoceret; ipsoque jubente Agathone Angliam profectus, ejusdem Episcopi satisfecit votis, atque synodo Heidfeldensi interfuit, pariterque catholicæ fidei decreta firmavit. At illud notatu dignius quod S. Leo IV, antequam inter S. R. E. presbyteros cardinales cooptaretur, in eo, de quo tractamus cœnobio, monachi vitam egit, quemadmodum ejus biographus apud Anast. Biblioth., Petr. Mallius, aliique testantur.

(136) Vaticanam basilicam intelligo, cujus porta occidentem spectans, penes Alphar. tabulam signata num. 13, uti in ipsam veterem Sancti Petri basilicam aditum præbebat, ita in Sancti Martini monasterium ejusque ecclesiam recta ducebat.

(137) Quid sibi velit vocabulum *ferrata* colligere possumus ex Petro Mallio, qui, cap. 13 Hist. Sacr. apud Bollandian., tom. VII, Junii, pag. 41, refert, corpus S. Xisti P. et M., conditum fuisse juxta ferratam prope corpus beati Petri, ubi adhuc est arcus de mosibo, etc. Id ipsum prodit Liber pontificalis, in quo leginus, Paschalem I, in Sancti Petri basilica ante aditum qui ducit ad corpus S. Petri, in loco ferrato, aram beato Xisto P. construxisse.

(138) Istorum pontificum Diplomata sedulo quæsivimus, at nullibi invenimus.

(139) Nostra ætate adhuc prostant vetustissimæ hujus ecclesiæ parietes; namque definiunt sacræ Inquisitionis palatium quæ respicit portam equitum levis armaturæ, vulgo *dei Cavallegieri*. Variis nominibus, nempe S. Salvatoris de Terrione, de Ossibus, de Magella, veteres templum hoc appellarunt, quod a Carolo Magno exstructum fuisse ad peregrinorum sepulturam, multa quidem non spernendæ antiquitatis monumenta testantur. Hæc inter non ultimum tenet locum celebre a Franc. M. Turrigio ex Vaticanæ basilicæ Tabularia publica luce donatum in Lib. de Cript. Vaticanis, ejusdem Caroli privilegium, de cujus fide a nobis disserendum erit, cum de imperatorum et regum diplomatibus sermonem instituemus. Inventarium ecclesiarum et hospitalium nec non monasteriorum Vaticanæ Basilicæ subjectorum, anno circiter 1500, a Joanne Card. Cajetano elucubratum, multa habet de ecclesia Sancti Salvatoris, de qua nunc agimus. Item, inquit, subjicitur dictæ sacrosanctæ basilicæ princ. Apost. de urbe ecclesia Sancti Salvatoris de Terione quæ a Carolo Magno imperatore ad sepulturam omnium ultramontanorum, etc. Quæ sequuntur videre licet apud Turrig. mox laudatum, pag. 525 et 526, sec. edit, ubi longiusculum dicti inventarii fragmentum refertur.

(140) Collegium duodecim clericorum, qui *Scholastici* appellabantur, ædi sacræ potissimum indidit Scholæ Francorum nomen. Illos nimirum partim ex Francia, partim ex Aquitania et Gallia selectos cum tribus presbyteris, Carolus Magnus, quemadmodum in ejus privilegio habetur, eidem Sancti Salvatoris ecclesiæ adjixit, ut fratres peregrinos Romam accedentes curarent et, si in eadem urbe mori contigisset, in memorata ecclesia Christiano ritu sepelirent.

(141) De hujusmodi censibus, qui ex Franciæ, Aquitaniæ et Galliæ regnis mittebantur, in laudato diplomate Carolino sermo est.

(142) Alba nimirum *Albano*, inter prisci Latii oppida urbs vetustissima, de qua Cluver. Ital. Antiq., lib. III, cap. 40, tom. II, pag. 900.

Digitized by Google

voluntatem vestram retinere; præter Anglos venientes de Anglia, qui si in Schola Saxiæ (143) infirmantur et ibi moriantur, ibi sepeliantur, secundum chartulas locationum quas presbyteri et hospites, qui vocantur Scholentes, ipsius scholæ Saxiæ, susceperunt ab ecclesia Sancti Salvatoris, de ecclesia cum camminatis (144), et schola Saxiæ, et omnibus ejus pertinentiis; nec non de sepultura Anglorum, qui in ipsa infirmantur atque moriuntur Schola : sed si præter ipsam infirmantur, ubicunque moriuntur, in ecclesia sancti Salvatoris sepeliantur, secundum proprium jus. Imperator autem et Leo papa, quod ecclesia Salvatoris habuerat, non abstulerunt, sed illi de gratia, multa dederunt, et privilegiis concesserunt; ideo nos concedimus pensiones in monasterio Sancti Martini bis in anno dari a presbyteris Sanctæ Mariæ, et locationes ab utraque parte teneri : Frises etiam, qui infirmantur extra Scholam Frisonum, quæ vocatur ecclesia Sancti Michaelis (145), in ecclesia sancti Salvatoris sepeliantur, secundum tenorem locationis, quam presbyteri Sancti Michaelis susceperunt a presbyteris Salvatoris. Exceptamus etiam omnes peregrinos et advenas Latinos, quoquot moriuntur in civitate Leoniana, et extra ad tria milliara; quos sepeliri concedimus in ecclesia Sancti Justini, quæ vocatur Schola Longobardorum (146), et secundum tenorem locationis, eisdem munitur rationibus in Latinis quibus ecclesia Salvatoris in aliis gentibus; omnes alii peregrini et advenæ, qui in civitate Leoniana, et in circuitu ejus per tria milliaria obierunt, Ultramontani quoque, ab Alba usque Sutrium, sicut superius dictum est, in prædicta ecclesia sepeliantur. Nullus occultet infirmum, ut intestatus decedat, sed presbyteris ipsius Ecclesiæ, aut procuratori vestro, antequam mente alienetur nuntiare festinet. Si defunctus fuerit, ipsum et bona ejus non celet, sed cito presbyteris propalare pergat. Similiter nullus audeat infirmum de alterius domo malitiose aut furtim abstrahere, vel suadere de domo, seu de civitate exire, ne forte deceptus suis bonis exspolietur, et in via derelictus male mo-

(143) Qui non longe a Sancti Petri basilica ad Tyberim usque locus protenditur, vicus Saxonum et Schola Saxonum in pervetustis monumentis nominatur Baronio ad annum 804; et in Martyrol. Rom., 10 novemb. not. ea sententia est, quod expugnati Saxones a Carolo Magno cum identidem rebellassent, tandem solum vertere coacti sunt, multique, illorum Christiana fide atque ecclesiastica disciplina initiandi Romam missi, locum de quo agimus, apud Vaticanam basilicam incolendam acceperunt, idcirco Saxia nuncupatum. Hæc Baronii opinio, si cum eis quæ sequuntur conciliari nequeat, haud prorsus nobis arridet. Saxones etenim quos memorat præsens diploma, non utique Germaniæ et Saxoniæ veteris incolæ, sed insulares, sed Anglico-Britanni, Transmarini et Anglo-Saxones profecto sunt, ita sane appellati postquam, teste Ven. Beda in Anglorum Historia, quinto decurrente Ecclesiæ sæculo magnam Angliæ partem occuparunt, eaque per complures annorum centurias dominati fuerunt. Profecto non pauci rerum Anglic. scriptores tradunt, Inam regem occidentalium Saxonum in Britannia, abdicato regno, Romam profectum; domum, Gregorio II pontifice annuente, fundasse, in qua gentis suæ principes et nobiles, ac præsertim clerici Romanis ritibus imbuerentur, et populares peregrini ad apostolica limina devotionis causa accedentes exciperentur, in eorumdem usum templum erexisse, ac utrique dotem assignasse, portionem scilicet ex denario qui Sancti Petri dicebatur. Ea igitur juxta Petrum Saulnier Dissert. de cap. Sacr. ord. S. Spiritus, cap. 11, argum. 10, 11, num. 2, Scholæ Saxonum origo. At duodecimo Ecclesiæ sæculo alia vigebat traditio, scilicet Anglorum-Saxonum Schola ab Offa Merciorum, sive Anglorum mediterraneorum rege, qui Hadriano I pontifice Romam venerat, primitus instituta ferebatur; quemadmodum testatur lib. II, de Gest. reg. Angl. cap. 2; Willelmus Malmesburiensis, eodem duodecimo sæculo clarus. Alexander II P. in epist. ad Willelmum regem Angl., apud Labb., tom. XII Concil., coll. 80, de annua pensione loquitur sedi apostolicæ ab Anglis præstita, cujus quidem pars altera Romano pontifici, altera vero *Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, quæ vocatur Schola Anglorum, in usum fratrum deferebatur.*

(144) *Camminata* ædificii genus, in quo caminus exstat, designare videtur. Sic præter Cangium in Gloss. arridet Joan. Mar. Crescimb. Hist. Basil., S. Mariæ in Cosmedin, lib. IV, cap. 1, quamvis alii aliter censeant. Porro ea notione etiam obtinet in Etrusco idiomate, ut videre est apud Boccacium, cujus verba a prælaudato Crescimo referuntur.

(145) Ubi ecclesiam SS. Michaelis et Magni sitam cernimus, cripta quædam exstitisse fertur juxta palatium quod Neronis vocitabatur. Milites qui in prælio adversus Sarracenos, Leone IV pontifice, Romæ occubuerunt, in ea tumulati dicuntur. Quare ipse Leo, Sancti Michaelis nomine, ecclesiam ibi condidisse traditur. Nec ita multo post cum tres e Frisia milites, sancti Magni corpus in Campania reperissent, in patriam deportare frustra contendunt. Idcirco divinitus admoniti Romam deferunt, in laudato Sancti Michaelis templo deponunt, simulque statuunt trecentas argenti marcas eidem Ecclesiæ quotannis tribuere, ut quiescentium ibi fidelium animæ piis ad Deum precibus juvarentur, ac peregrini e Frisionibus Germaniæ populis ad apostolorum principis limina confluentes, hospitio foverentur. Historiam enarrant Franc. M. Turrig. peculiari opusculo ea de re typis excuso, et marmorea tabula, quæ in ipsa Sancti Michaelis Ecclesia visitur, charactere utique non recenti exarata; quid quid tandem de ejus auctoritate censendum sit quod hic expendere non vacat. Profecto si Leonem IV pontificem sacræ ædis conditorem affirmemus, oppido erravit lapicida, dum in ipsa marmorea tabula scripsit, S. Magni exuvias, Carolo M. imperatore ad urbem translatas, *et in cripta super quam ecclesia Sancti Michaelis jam facta fuerat*, collocatas fuisse. Quapropter Baron. ann. tom. X, an. 851; et in Martyrol. Rom., die 8 Maii, not. a pro *Carolo*, Ludovicum Lotharii filium ac Italiæ regem, legendum esse opinatur.

(146) Hanc Turrig. lib. de Crypt. Vat. p. 112, constitutam fuisse putat eo in loco qui nunc dicitur *Campo santo*, juxta S. Petri basilicam; imo Severanus, pag. 98 et 304, confundit cum ecclesia S. Mariæ de Conceptione, alias *in campo santo*, nationis Theutonicæ. Martinell., p. 363, locat in rupe S. Spiritus, dejectamque ait in constructione vinearum Cæsiorum et Vercellorum. Ut ut sit, Leo IV *ecclesiam S. Justini positam in monte Saccorum, quam fecerat ad sepulturam omnium peregrinorum Latinorum, S. Petri canonicis donavit* : verba sunt canonici Romani, tit. 11. Quo in textu pro *Saccorum* legendum *Saxonum*, Martinell. prælaudatus existimat. Vetus instrumentum, de quo Turrig. loco citato, memorat rectorem *ecclesiæ S. Justini in portica S. Petri.*

Digitized by Google

riatur, et a canibus seu a lupis devoretur; sed cum vestra voluntate et judicio mutentur, ubi competentius eis serviatur, atque pro sustentatione et sanitate corporis, ex suis rebus fideliter ministretur; ne per incuriam ipsi pereant, et bona eorum dilapidentur. Sed si tantæ valetudinis fuerit infirmus, ut ad patriam suam redire possit, suis omnibus receptis, cum vestra providentia, ire permittatur; nulla res exinde pro licentia retineatur etiamsi promissa fuerit, nihil accipiatur. Et secundum locationem, quam omni populo civitatis Leonianæ fecit ecclesia sancti Salvatoris, de hospitandis Oratoribus (147), et vendendis necessariis, sicut ipsi ad recompensationem utilitatis locationis in præsentia Leonis quarti concesserunt monasterio sancti Martini, et ecclesiæ Salvatoris, quod nos concedimus, et confirmamus, ut quicunque de habitatoribus civitatis Leonianæ et extra ad unum milliarium, sine filio vel filia de legitimo conjugio decesserit, omnes res mobiles et immobiles quas tunc habuerit in dicto monasterio ad utilitatem fratrum (148) vadant, et nulli audeat aliquid de bonis suis relinquere, nisi expensas pro sepultura, etsi quid alicui debuerit. Simili modo quicunque de servientibus, aut de tabernariis, cujuscunque conditionis, si absque hærede obierit, omnia ejus bona juri vestro cedant; et si hæredem habuerit, in prædictis cœmeteriis Sancti Salvatoris et Sancti Justini, ut advena sepeliatur. Habitatores sunt viri et mulieres, quicunque habitant in domibus propriis, aut in domibus quas tenent, non per unum diem, nec per unum annum, sed longo usu per chartulas locationum. Item concedimus et confirmamus unum fundum quod vocatur palatiolum (149), et duo Burgura, unum qui vocatur Frisonum, et Saxonorum, cum terminis limitibusque eorum, et omnibus eorum pertinentiis una cum ecclesia Sancti Zenonis (150), et ecclesia Sancti Nicolai (151) et ecclesia Sancti Michaelis (152) quæ vocatur Schola Frisonum, atque ecclesia Sanctæ Dei genitricis virginis Mariæ (153) quæ vocatur Schola Saxonum (154) : in hac tamen ecclesia ordinatio archipresbyteri consilio nostro fiat; aliorum vero presbyterorum, atque scholensium per vos fiat, absque omni venalitate : et quanta inter subscriptos affines continere videntur. Inter affines a primo latere incipiente a flumine, a loco qui vocatur Spellari, et eunte per murum civitatis Leonianæ usque in porta quæ vocatur Saxonum (155), deinde per viam in Formale manu dextra, et ascendente per ipsum Formale, usque dum recte aspicit tertiam turrem, quæ est proprietas jam dicti monasterii, et eunte per murum in cilium montis, et inde per semitam descendentem in viam juxta locum, juris monasterii Sancti Stephani majoris (156), et inde in Fossato, ortui Salvatoris, deinde usque in Fossato,

(147) Id est peregrinis apostolica limina, orationis ac pietatis causa invisentibus; qua notione vocabulum *Orator* accipitur a Nicolao II, in decreto an. 1059, et in concilio Romano an. 1078, ut videre est apud Cangium in Glossar. Sed unus canonici Petri Mallii locus a Severano lib. de 7 Urb. Eccl. pag. 172, productus satis est ad rem comprobandam : *Multi, inquit, ex diversis mundi partibus ad reverentiam ejusdem apostoli huc conveniunt Oratores*, in tantum siquidem, quod multoties vix ad altare possumus accedere.

(148) Id est canonicorum. Vide Molan., tractatus de Canonic.

(149) Hujus meminit Bertoldus presbyter Constantiensis undecimo æræ Christianæ sæculo clarus : nam de Henrico IV, Leonianam civitatem ingresso, verba facit in hunc modum apud Baron., an. 1085, num. 2 : « Juxta S. Petrum quemdam monticulum, nomine *Palatiolum*, in castellum erexit, eique milites multos, ut impugnarent Romanos, imposuit; is collis sive monticulus a Bertoldo *Palatiolum* nuncupatus, is est, ni fallimur, quem ecclesia SS. Michaelis et Magni, nec non urbanus familiæ Barberinorum hortus nunc obtinent. Non longe hinc aberat sacra ædes beatæ Mariæ in *Palazzola*, sive in *Palatiolo* dicta, de qua infra. Fundum vero Palatiolum ita denominatum opinor a Neronis palatio, quod cum Liber Pontificalis in S. Petri gestis, tam Romanus canonicus tit. 16, apud Vaticanum ponunt, et ad memoratam Sancti Michaelis ecclesiam locat vetus marmorea inscriptio in ipso templo, ut supra dictum est, asservata. Quamvis autem Nero *domum* suam, ut Suetonius loquitur, *a palatio Esquilias usque fecerit*, incongruum tamen non est, quod eidem imperatori alia in Vaticano juxta Circum et hortos suos fuerit ædes, ab imperito vulgo postea Neronis palatium appellata. »

(150) Quæ, teste Jac. Grimaldo, in constructione palatii sacræ inquisitionis solo æquata fuit.

(151) Non longe aberat a templo SS. Michaelis et Magni, ut ex ipso diplomatis contextu fas est colligere.

(152) Quæ in monte S. Michaelis olim sita erat ad Cæsiorum vineam, uti ex Grimaldo referunt Martinellus, aliique. Vocabatur S. Mariæ in Palazola, vel in Palatiolo, de quo mox dixi. Romano. pont. Innocentii III, Gregorii IX, Clementis VI, aliorumque diplomata inferius producenda illam sæpe sæpius memorarunt, et a S. Leone IV, canonicis donatam fuisse Romanus tit. II litteris consignavit. Templum de quo agimus, credideram ipse a bibliographo ejusdem sancti Leonis designatum his verbis apud Anastas. in ecclesia S. Dei genitricis Mariæ, quam ipse beatissimus pontifex (Leo IV) a fundamentis super Saxonum vicum noviter construxit, obtulit vestes, etc. De vico Saxonum Vid. not. h. pag. 23.

(153) Hæc titulo S. Jacobi *de Coxa caballo* in Burgo prostat, dicta etiam aliquando S. Jacobi *in via sacra*, aut S. Jacobi *Coxano*, 1649 typis edita sacram ædem, de qua tractamus, illustravit Flor. Martinell. in Romam ex Ethn. Sacr., pag. 116, Bordoniæ nomen ex peregrinorum baculis, quos vocant *bordones*, ædi sacræ inditum opinatur. Alii aliter sentiunt.

(154) Modo S. Spiritus in Saxia.

(155) Una ex civitatis Leonianæ portis. Posternam Saxonum appellat Leonis IV bibliographus, dedicationem ejusdem Leonianæ civitatis, a S. pontifice habitam accurrate describens. *Tertium*, inquit, *orationem cecinit super posterulam aliam, quæ respicit ad scholam Saxonum, quæ, ex eorum vocabulo Saxonum, posterula appellatur.*

(156) De hoc monasterio dicemus infra ad alteram S. Leonis IX bullam, edit. Kalend. April., Pont. an. V

Digitized by Google

qui emittit aquam per murum civitatis Leonianæ. A secundo terra Sanctorum Joannis et Pauli (157), et ortum Sanctæ Mariæ in Oratorio (158), et via quæ vadit ad Aguliam (159). A tertio illa via, (quæ) venit ab Agulia, quæ vocatur Sepulcrum Julii Cæsaris (160) et vadit per porticum (161) Sancti Petri, usque in arcum majorem, qui stat in caput portici (162), et deinde usque in flumen Tyberis; excepto tres domos scholæ cantorum (163), duas in portico, et altera juxta domum vestram majorem, quæ habet ortum post se usque in viam quæ descendit a Sancto Georgio (164), et usque in Fossatum Terrionis, et est juxta via quæ venit a terra Sanctorum Joannis et Pauli, in viam quæ vadit in porticum. A quarto dictum flumen Tyberis, locum qui vocatur Spellari, pariter concedimus et confirmamus fundora in integro, quæ vocantur Taliano majore, et aliud quod vocatur Talianum minore. Fundum Fasciola, fundum Casanillo, et fundum Casapindola, fundum Rotula, fundum Cucumelli, fundum Protellaris, omnes invicem cohærentes, cum diversis fundis, et vocabulis eorum, campis, pratis, pascuis, silvis, cum casis, et vineis, et cum omnibus ad eosdem fundos generaliter, et in integro pertinentibus, positos via Claudia (165) foris portam Sancti Petri (166) milliario ab urbe Roma plus minus quarto, vel quinto, inter affines. A primo latere incipiente a cava Majore, recte pro silice, quæ vadit inter prænominata fundora, et casale, quod vocatur pratanella, juris monasterii sancti Stephani majoris, et ducente usque in rivo, qui pergit a ponte Sofflari. A secundo ipsius rivo, qui dividit ipsa fundora, et casale quod vocatur Menori juris monasterii Sancti Stephani Majoris. A tertio casale Suberete, juris Sancti Laurentii Pallatini (167) a sancto Petro. A

(157) De SS. Joannis et Pauli monasterio inferius sermo est ad alteram S. Leonis IX.

(158) Quanquam Liber Pontificalis in Leone III sacram ædem S. Mariæ oratorii in monasterio Michaelis meminerit, in Vaticana tamen basilica fuit illustre sacellum, titulo S. Mariæ in Oratorio decoratum, quod Paulus I, teste ejus vitæ scriptore, apud Anastasium erigi, ac musivo opere variisque metallis ornari curavit. Plura habet Canonicus Romanus, tit. 13, et Alpharang. tab. Ichno. num. 17, situm illius accurate delineat.

(159) Nempe Obeliscum in Vaticano Caii et Neronis circo, ex loco, ubi jacebat, pone sacrarium Basilicæ S. Petri, in aream Vaticanam a Sixto V translatum, ibique erectum.

(160) *Sepulcrum Julii Cæsaris*, etc., quod globus æreus, in memorati obelisci summitate positus, hujus imperatoris cineres contineret, vulgus credidit; at perperam. Quandoquidem Ant. Cicarelli in Vit. Sixti V, testatur, quod Dominic. Fontana globum illum penitus conflatum novit, nullamque in eo commissuram deprehendit; quapropter nullo pacto quidquam illuc inmiti potuit. Consulatur liber de Mirabilibus urbis, Bern. Montefauc. in suo Diar. Ital. editus.

(161) Alia erat Vaticanæ basilicæ porticus, alia vero, quæ ex molo Hadriana, nempe castro Sancti Angeli ad ipsam basilicam perducebat. Hæc dicebatur *major*, Gothosque licet Hadrianæ moli jam proximos, Procopio narrante, lib. I De Bell. Goth., cap. 22, Romanorum aspectui celavit, et ab horum armis protexit. Hadrianus papa I, ut ejus acta produnt apud Anast. plusquam duodecim millia tufos in littore alvei fluminis in fundamentis ponens, a solo usque ad summum tectum miræ magnitudinis porticum reparavit, et usque ad gradus beati Petri restauravit.

(162) Caput porticus juxta Hadriani molem exstitisse, evincitur cum ex iis quæ Turrigius habet lib. Cr. Vat. pag. 514 et 515, tunc ex aliis quæ mox afferemus.

(163) Joan. diaconus, lib. II, cap. 6, Vitæ D. Gregorii M., scripto tradidit sanctum pontificem constituisse cantorum scholam, eique cum nonnullis prædiis duo habitacula, alterum scilicet sub gradibus basilicæ S. Petri, alterum vero sub Lateranensis patriarchii domibus construi curasse. Vide Petrum Mollium, cap. 4, Hist. Sacr. apud Bolland., tom. VII Junii.

(164) Ecclesiæ S. Georgii, quæ post S. Petrum posita erat, meminit noster Maph. Vegius, libr. II De rebus antiq., Basil. S. Petri penes Bolland., tom. VII Jun. pag. 71. Nimirum ad radices clivi portæ Pertusii exstitit sacra hæc ædes, cujus vestigia, ut ait Grimaldus, in ms. opusculo de Veronica, p. 33, ejus ætate visebantur *in domibus vicinis palatio Armellinorum in platea Lapicidarum Fabricæ Sancti Petri.*

(165) Quæ videlicet ex via Cassia Galeriam et Braccianum pergit, quemadmodum videre est num. 98 exposit. Tab. topograph. Ciug. agri Rom. a Franc. Eschinardo elucubratæ. Viæ Claudiæ, præter alios meminere Ovidius et Frontinus, quorum hic libro de Aquæduct. scribit, aquam Alsietinam via Claudia concipi.

(166) *Foris portam S. Petri*, etc. Willelmus Malmesburiensis dictus de Sommerset, duodecimo Ecclesiæ sæculo clarus, lib. IV, cap. 2, De gest. reg. Angl., inter scriptores rer. Angl., pag. 135, edit. Francoforti, an. 1601, portas urbis enumerans: « prima inquit Cornelia, quæ modo dicitur porta S. Petri, et via Cornelia. Juxta eam ecclesia beati Petri sita est, in qua corpus ejus jacet, auro et argento et lapidibus parata. » Splendidum quidem est mox productum Willelmi testimonium, ut etiam aliud, quod ex præallato D. Leonis IV diplomate repeti licet: Situm vero portæ S. Petri haud satis indicant. Porro, quæ octavo et nono Ecclesiæ sæculis dicebatur porta S. Petri, hæc ad *caput Porticus* exstabat; quod liquido patet ex Lib. Pontific., ubi legitur Hadrianus papa I tres diaconias constituisse, quarum altera, in Deiparæ honorem dicata, sita erat *foris portam beati Petri* apostoli, in *caput porticus*; scilicet prope molem Hadrianam, ut diximus, not. C, et invicte probat libellus Descript. regionum Urbis octavo sæculo, ut creditur exaratus, primumque editus a Mabill., tom. IV Analect. Ibi namque anonymus prædicti libelli auctor portam de qua agimus vocat Portam S. Petri in Adriano, nimirum juxta molem Hadriani, vulgo *Castel S. Angelo.*

(167) S. Leo IV in superiori diplomate appellat *monasterium S. Laurentii Pallatini.* Istud fortasse censeant idem plane cum eo, quod apud Anastas. in Leone III, Gregor. IV et Bened. III, dicitur *monasterium S. Laurentii in Palatinis* aut Pallacini, quodve olim exstitisse ad S. Catharinam, vulgo *dei Funari* noster Grimaldus asserit. At, ni fallor, monasterium S. Laurentii Pallatini a S. Petro, cujus meminere cum Leo IV, tum Leo IX, non longe a Vaticana S. Petri basilica situm fuisse, haud obscure innuit additamentum illud, *a S. Petro.* Quam quidem conjecturam confirmari licet ex diplomate Sergii III ad Hildebrandum Silvæ Candidæ episcopum.

Digitized by Google

quarta forma quæ vocatur Sabbatina (168) quæ incidit in via Cornelia (169) quæ ducit in basilicam sanctarum Rufinæ et Secundæ (170) et casale quod vocatur Casagurdi, juris ejusdem monasterii Sancti Stephani, et deinde ducente per valle usque infra Balnearia, et recte ascendente per aliam vallem, quæ dividit inter jam dicta fundora (171), et colle sancti Stephani, et recte pergente in valle Cannara, et veniente usque in prædicta Silice, seu Caba, qui est primus finis. Concedimus etiam fundum unum in integro, quod vocatur Cletandris [*al.* Cleandris] cum ecclesia Sanctæ martyris Agathæ (172) posita in colle Pino. Insuper casam Lardariam (173), milliario ab urbe Roma secundo, et fundum Attalianum, cum casis, vineis, terris, sicut designatum esse videtur, cum thermis, cryptis, monumentis positis foris A porta Beati Petri apostoli, via Aurelia. Item concedimus ecclesiam Sanctæ Anatoliæ (174), cum casis, vineis, terris, in insula, et juxta se cryptis, parietinis, piscaria, cum manicis (175) et viginti passus infra Trajanum (176), ut cum navicula large possit ire ad mastices, et redire, et cum omnibus ad eam generaliter et in integro pertinentibus. Nec non confirmamus ecclesiam Sancti Benedicti (177) positam ad murum civitatis nostræ Leonianæ cum comminatis, et ortuo post se, et post camminatas, et terra cum casis, et cum omnibus eorum pertinentiis, sicuti viæ extenduntur, una juxta murum, et altera juxta porticum, usque in Meta (178), quæ vocatur Memoria Romuli. Similiter concedimus ecclesiam Sanctæ Mariæ Virgariorum B (179) cum camminatis, et casis, et argasteriis (180),

dicto, ubi summus pontifex, ut monasterium S. Stephani prope Vaticanam basilicam existens indicaret, et ab aliis ejusdem nominis secerneret, apposite dixit, *monasterium S. Stephani, quod appellatur Major a S. Petro*, ut legitur apud Ughell. Ital. Sacr., to. I, col. 107. Par loquendi ratio parem inducit illationem. Num vero mona terii S. Laurentii Pallatini a S. Petro aliquod in præsentiarum existat in Vaticano vestigium, equidem definire non audeo. Ecclesiæ S. Laurentii olim *in Piscibus* nunc *S. Lorenzino in Borgo*, Pallacini nomenclaturam fortassis trihuit locus non longe distans, *Palatiolum* dictus, de quo supra egimus.

(168) Ita veteres appellabant ductum aquæ Trajanæ Sabbatinæ seu Braccianensis.

(169) Via Cornelia inter Aureliam ac Triumphalem constituenda. Id non obscure colligimus ex duabus vetustis inscriptionibus a Grutero fol. 457 et 465 relatis, quarum altera memorat C. Sallium Aristaenetum, curatorem viarum Aureliæ, Corneliæ et Triumphalis; altera vero monumentum est C. Popilionis curatoris viarum Aureliæ veteris et novæ, Corneliæ, et Triumphalis. Inspiciantur Ageri Romanæ tabulæ, tum ea quam Fabrett. Lib. de Aquæduct. attexuit in fin. Dissert. 2, tum ea quam Dominic. de Romeis forma longe ampliore edidit. Ex iis enim perspicue constat viam cornelam ex Aureliæ novæ bivio, quæ ad tabernam dictam *del Fidocchio* ad vineam carpineam, altero ab urbe lapide, juxta ductus aquæ Trajanæ Sabbatinæ seu Braccianensis assurgit; dex rorsum flectere versus Triumphalem ac dirigi ad agrum Cæretanum. Ita cl. præsul franc. Blanchinus, tom. II; Anast. Biblioth. nova Rom. edit. pag. 143.

(170) Ex fundo *Porcoreccina* dicto progredientibus, ad viæ levam occurrit, teste præland. Eschinardo, 186, diruta S. Rufinæ ecclesia, cujus meminit Will. Malmesburiens., dum lib. IV, c. 2, de Gest. reg. Angl. ait: *in eadem via* (Cornelia) *est ecclesia alta, in qua requiescunt sanctæ virgines Rufina et Secunda.*

(171) Lt est fundos, legesis Glossar. Du Cang.

(172) De qua in Lib. Pontificali hæc habentur: *Hic papa Symmachus* fecit basilicam S. martyris Agathæ, via Aurelia, in fundo Lardario. Consule hagiographum S. Leonis IV, penes Anastas. et Caroli M. diploma apud Turrig., pag. 506.

(173) Vide præcedens adnotatum. Hanc non longe a sancto Petro V prædio, quod vulgo dicimus *Casaletto*, situm esse intelligimus ex Joan. Severano lib. De 7 urb. Eccles., pag. 90.

(174) Innocentii III diploma canonicis Sancti Petri datum Romæ Idibus Octobr., an. 1205, docet ecclesiam Sanctæ Anatoliæ locatam esse *in Portuensi civitate vetere*, quo nomine post S. Leonis IV ætatem appellatæ fuerunt antiquæ Centumcellæ, sive portus Centumcellensis. Hujus pontificis acta apud Anasta-

sium excurre, et quæ eisdem noster Holsten. in Cluver. Ital. Antiq., pag. 482, lin. 2, arguit, expende.

(175) Manica notat alicubi ædificii genus, quod, si Cangium in Glossar. audiamus, alterius veluti latus efficit.

(176) Trajanus Portus, quidquid Niger atque Ortelius sentiant, fuit ad Centumcellas, ubi nunc Civita-Vecchia, et portus insignis a Paulo V, et Urbano VIII in portus Trajani vestigiis egregie restitutus. Ita Holsten. laud. in adnotat.

(177) Hæc, Jacobo Grimaldo judice, in libr. ms. instrumentorum, pag. 156, a tergo, exstabat *ubi nunc est custodia equitum levis armaturæ*. Auctor, sedente Paulo V floruit. Aliud S. Benedicti templum in Vaticano recenset Flor. Martinellus idemque esse vult cum S. Catharinæ ecclesia quæ tempore Alexandri VII solo æquata fuit. Sane apud Sancti Petri C basilicam vetus exstitisse cœnobium sanctimonialium ordinis S. Benedicti ex nonnullis pontificum diplomatibus constat. Id vero inferius declarabitur.

(178) Ipsam ita describit Canonicus Romanus tit. 48. « In Naumachia, inquit, juxta ecclesiam Sanctæ Mariæ in Traspadina, *Castro Sancti Angeli olim proximam*, est sepulcrum Romuli, quod vocatur Meta, quæ fuit miro lapide tabulata, ex quibus opus gradum Sancti Petri peractum fuit. Hæc habuit circa se plateam Tiburtinam viginti pedum cum cloaca, et florali suo. Habuit quoque circa se Terebinthum Neronis tantæ altitudinis, quantum et ædificium rotundum fuit cum duobus geronibus, sicut castrum, quorum labia erant cooperta tabulis lapideis pro stillicidiis. Et juxta hoc ædificium, crucifixus fuit B. Petrus apostolus. » Marmorum igitur ædificium ab Hadriana mole non longe dissitum, *Meta* vocabatur; quam Alexander VI demolitus est, ut viam aperiret Alexandrinam ab D ejus nomine, nunc *Borgo nuovo* appellatam quemadmodum Franc. Albertinus, qui Julio II pontifice floruit, in opusc. De Mirabil. nov. et vet. urb. Rom., cap. de obelischis et metis, aliique complures litteris consignarunt. Cæterum ipsius Metæ formam eruditi inspiciunt in Vaticanæ basilicæ valvis æneis ab Eugenio IV magnifice constructis.

(179) Sic appellatam a virgis itinerariis, quæ prope hanc sacram ædem veniebant, quod Turrigio, l. De Crypt. Vat., pag. 548, arridet; vel, uti Martinellus putat, a virgis quos gestabant cantores, divinis laudibus, juxta B. Petri altare, ut loquitur Mallius.

(180) *Argasteriis*, etc. Argasterium in hoc loco idem esse puto atque ergasterium, nempe officinam, ubi aliquod opus fit. Consule Cangium, v. *Argasterium*, et *Ergasterium*.

Digitized by Google

et omnibus ejus pertinentiis, inter affines. A primo latere viculum a cortina in porticum. A secundo via per porticum. A tertio via quæ exit per Arcum, a quarto silice usque in cortina. Et quia pium gaudere Martinum scribitur, gaudeant commanentes in ejus monasterio, ut in Dei omnipotentis servitio, et beati Petri apostolorum principis, devoti studiosius semper existant; nulla hora tardet eos. Et quia pium flere Martinum, fleant et illi qui se ostendunt tanto munere indignos, qui mundana quærunt, non quæ Dei sunt, sed pie viventes in Christo remuneramus. Propterea apostolica censura statuimus ut nullus nostrorum successorum pontificum, nullus imperator, nullus episcopus, nulla alia potestas, nulla persona hominum contra hoc nostræ confirmationis et concessionis privilegium in parte agere præsumat; et si suprascripta omnia, quæ in eorum alimonia et substentatione confirmata sunt, ut Deo sine murmure serviant, et in jam dicto monasterio sunt concessa contemnere voluerit, et in eorum potestate et ordinatione conservare noluerit, sciat se nostro sacro Lateranensi palatio compositurum duodecim auri purissimi libras, et insuper anathematis vinculo innodetur, et cum impiis et sceleratis æterno igne cremetur, et cum Juda, Domini nostri Jesu Christi traditore, in inferno crucietur. Qui vero pio intuitu curator et observator hujus nostri privilegii extiterit, benedictionis gratiam a Domino nostro Jesu Christo, et gaudia sempiterna consequi mereatur.

Scriptum per manum Albini scriniarii sacri palatii, anno quinto domni Leonis noni papæ, indictione sexta, Martio mense, xx die.

Datum XII Kalendas Aprilis per manus Frederici diaconi sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii et cancellarii, vice domni Herimanni archicancellarii et Coloniensis archiepiscopi, anno domni Leonis noni papæ V, indictione sexta.

Acta data, scripta, transumptata, publicata, et auscultata sunt prædicta omnia coram reverendo in Christo patre domno Jacobo, Dei gratia episcopo Capritano, pro tribunali sedente Romæ apud ecclesiam Sancti Triphonis, huic præsenti transumpto scripto, lecto, publicato, exemplato, et auscultato, ac cum ipso originali privilegio publico concordare reperto, suam auctoritatem episcopalem interposuit, et decretum; et eidem voluit et decrevit in omnibus et per omnia, tam in judicio quam extra, tanquam originali privilegio publico prædicto fidem plenariam adhiberi. Quodque idem transumptum de cætero ubilibet faciat plenam fidem in agendis, mandans suum sigillum eidem appendi ad fidem, et majoris roboris firmitatem, præsentibus discretis viris domnis fratribus Paulo de Columna, et Angelo de Roma, fratribus eremitarum ordinis sancti Augustini, domno Petro Lelli Mangialicerda beneficiato dictæ basilicæ, nec non magistro Petro Berti Calzectario de regione Parionis, et viris litteratis; præsentibus etiam discretis viris Joanne Andreæ, Joanne Thomæ, et Antonio Francisci notariis publicis infrascriptis ad hanc publicationem decreti, et auctoritatis interpositionem specialiter vocatis, et rogatis sub anno Nat. Domini millesimo trecentesimo sexagesimo secundo, apostolica sede pastore vacante, post mortem domni Innocentii papæ VI, indictione prima, mensis Novembris die VIII.

Ego Joannes Andreæ de Cangniano, Dei gratia imperiali auctoritate notarius, prædictum publicum privilegium coram supradicto domno episcopo pro tribunali sedente, ut supra vidi, et legi, ipsumque cum præsenti transumpto, una cum Joanne Thomæ, et Antonio Francisci ac Paulo Sabæ notariis publicis infra scriptis auscultavi, et quia ipsum originale privilegium publicum cum præsenti transumpto concordare inveni, nil addito, minuto, vel mutato, quod facti substantiam mutet, vel variet intellectum, ideo de mandato supradicti domni episcopi me subscripsi, et rogatus signum meum apposui consuetum.

Et ego Joannes Thomæ I... de Urbe, Dei gratia imperiali auctoritate notarius, prædictum publicum privilegium coram supradicto domno episcopo pro tribunali sedente, ut supra, vidi, et legi ipsumque cum præsenti transumpto, una cum Joanne Andreæ, de Cangniano supradicto, et Antonio Francisci ac Paulo Sabæ subscriptis notariis publicis, auscultavi. Et quia ipsum originale privilegium publicum cum prædicto præsenti transumpto concordare inveni, nil addito, minuto, vel mutato, quod facti substantiam mutet, vel variet intellectum, ideo de mandato supradicti domni episcopi me subscripsi, et rogatus signum meum apposui consuetum.

Et ego Antonius Francisci Picardi, imperiali auctoritate notarius, prædictum privilegium publicum coram supradicto domno episcopo, pro tribunali sedente, ut supra, vidi et legi, ipsumque cum præsenti transumpto, una cum Joanne Andreæ et Joanne Thomæ supra scriptis, ac Paulo Sabæ subscripto, notariis publicis auscultavi. Et quia ipsum originale privilegium publicum cum prædicto præsenti transumpto concordare inveni, nil addito, minuto, vel mutato, quod facti substantiam mutet, vel variet intellectum; ideo de mandato supradicti domni episcopi me subscripsi, et rogatus signum meum apposui consuetum.

Et ego Paulus Sabæ Romani scriniarii civis Romanus, Dei gratia sacræ præfecturæ auctoritate notarius publicus, prædictum privilegium publicum transcripsi, transumptavi, exemplavi per omnia, prout in dicto originali privilegio de verbo ad verbum vidi et reperi contineri, nil addito, vel minuto, vel mutato quod substantiam mutet, vel variet intellectum, nisi forte litteram vel syllabam positam per errorem, et ipsum transumptum, coram prædicto reverendo in Christo patre domno Jacobo episcopo præfato, pro tribunali sedente ut supra, ac præsentibus prædictis litteratis viris et pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter, et rogatis, nec non Joanne Andreæ de Cangniano; Joanne Thomæ I.... et Antonio Francisci Picardi notariis publicis suprascriptis ad hanc publicationem, et decreti, et auctoritatis interpositionem, ut supra dicitur, vocatis specialiter, et rogatis, videntibus, legentibus, et auscultantibus cum prædicto originali privilegio legi, et fideliter auscultavi. Ideo de mandato supradicti domni episcopi ipsum transumptum, et exemplum in hanc publicam formam redegi mea propria manu, meoque sigillo signavi rogatus.

Mallius, celebrandis addicti. Canonicus noster Benedictus num. 67., Ord. Rom. agens de solemni supplicatione, die S. Marci haberi solita. « Venientes inquit, ad S. Laurentium in portica majore ubi incipit simplicem litaniam usque ad lectum cantari ante S. Mariam Virgariorum in fine cortinæ, » etc. i.l est aream seu plateam Vaticanæ.

Digitized by Google

LXXX.

S. Leo IX bona, jura et ecclesias monasterii S. Stephani Majoris recenset, et Beati Petri canonicis confirmat.

(Anno 1053.)

[*Bullarium Vatic.*, 29.]

In nemine Domini, amen. Hoc est exemplum sive transumptum cujusdam papalis privilegii sanctæ recordationis domni Leonis papæ. Ejus vera bulla plumbea, cum filis sericis bullati, non vitiati, non abrasi, non cancellati, nec in aliqua sui parte suspecti, sed omni vitio et suspicione carentis. Cujus tenor de verbo ad verbum per omnia talis est.

Leo episcopus, servus servorum Dei, Joanni archipresbytero venerabilis ecclesiæ Beati Petri apostoli, et ipsius ecclesiæ canonicis, in monasterio Sancti Stephani Majore nunc ordinatis et ordinandis, in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, ac poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud Conditorem omnium Dominum promeremur, si venerabilia loca ordinata, ad meliorem fuerint statum

A sine dubio perducta. Igitur, quia postulastis a nobis quatenus confirmaremus quæ a sanctissimo Paschale primo papa (181), Leone quarto, et a quibusdam pontificibus Romanis vobis sunt concessa, et per privilegia confirmata, ob amorem Dei omnipotentis, et beati Petri apostolorum principis, et sancti Stephani protomartyris; vestris precibus inclinati, quæ juste postulastis, ad exemplar prædecessorum nostrorum Paschalis, Joannis decimi et Joannis noni decimi Romanorum pontificum, præsenti privilegio confirmamus, statuentes, quascunque possessiones, quæcunque bona eidem venerabili monasterio Sancti Stephani Majori (182) juste pertinent, et in futurum concessione pontificum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, annuente Domino poteB runt acquirere, firma vobis et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus explicanda vocabulis, Ecclesiam sancti Peregrini (185), una cum hospitale et cura vacante juxta se, et Dalmachia (184) usque in Centumcellis, et rivum qui descendit per vallem Arnecto per tempora, et vadit in Palmachia, sive Gajano (185), et terra Sgirante in via juxta mu-

(181) Hujus pontificis diploma, si penitus non exciderit, sic latet, ut diu licet conquisitum nulli datum sit invenire.

(182) Monasterium S. Stephani Cata Galla Patricia prope Vaticanam S. Petri basilicam a remotissimis temporibus exstitisse, compertum est, biographo S. Leonis III, aliisque veteribus monumentis rem perspicue declarantibus. Quinam illud primus ædificaverit, incertum; aliis S. Leonis I; aliis Gallæ Placidiæ, Theodosii Senioris filiæ; aliis plissimæ C ejusdem nominis feminæ, nimirum Gallæ, Symmachi consulis filiæ, id opus adjudicantibus. Nomen vero accepisse a Galla Patricia, quæ vel ære, aut in fundis propriis ipsum erexerit, vel suis bonis ditarit, vel tandem ipsius ædibus proximum habuerit; res est quam nulla impetit controversia : Græca namque vox *cata* designat *in*, *apud*, *ad*, *contra*, etc. Splendidum sane cœnobium ex parte corruerat, Leone III pontifice, qui, ut apud Anastas. legitur : *Certamen ponens a fundament s simul cum oratorio firmum jaciens fundamentum, in meliorem erexit statum;* ac viro omni virtutum genere prædito, qui postea Romanus pontifex sub Paschalis I nomine fuit renuntiatus, regendum tradidit. Inde autem certo deducimus monasterium S. Stephani *cata* Galla Patricia idem plane censendum cum monasterio *S. Stephani Majoris*, cujus regimen penes memoratum Paschalem I fuisse disertis verbis Leo IX in hoc diplomate affirmat. Adeas Alpharani Tabulam Ichnogr. lit. *b*, Ciampinum De sacris ædif. cap. 4, pag. 93, et seqq. ac Vegium nostrum apud Janning pag. 80, t. VII, Jun. Bollandiani : ex his plura intelliges ad monasterium S. Stephani Majoris spectantia; imprimis vero ejus situm, nempe ad ecclesiam quæ ex Abbassinis locum incolentibus dicitur S. Stephani in *Ægypto* vulgo *de Mori*, et post Vaticanum S. Petri templum hodieque adest, nuper quidem restituta; sed maxima præstans vetustate; hanc quippe vel ipsius ecclesiæ postes et superius limen satis superque demonstrant. Vide Turrig. libr. De crypt. Vat., pag. 328 sec. edit.

(183) S. Peregrini ecclesia exstat post palatium Pontificio-Vaticanum prope Urbis portam quæ Angelica nominatur. Triplex monumentum nobis suppeditat liber Pontificalis, ut sacram ædem et hospitium in hoc diplomate memorata, paucis illustremus. Geminum petitur ex Leone III gestis. Alterum hic habet sect. 408 noviss. Rom. editionis Jos. M. Salvioni.

« In oratorio S. Peregrini quod ponitur in hospitali Dominico ad Naumachiam fecit cantara ex argento, » etc. Alterum est hujusmodi : « Hic autem præclarus antistes (Leo III) divinitus inspiratus, hospitale beato Petro apostolo, in loco qui Naumachia [*Alii cod. legunt* Nummentia] dicitur, a fundamentis noviter construens diversa illic domorum ædificia decoravit, atque ecclesiam in honorem beati Petri principis apostolorum a novo construxit. » Ut, ni fallor, sic accipiendum, scilicet Leonem pontificem ecclesiam et hospitium hujusmodi erexisse, ut peregrinorum, qui ad S. Petri limina proficiscebantur, commodo atque utilitati prospiceret. Tertium, quod spopondimus, libr. Pontificalis testimonium, in Vita Paschalis I ita legitur : « Ob dilectionem quam habuit (Paschalis I) erga prædecessorem suum D. Leonem III, hospitale S. Peregrini positum ad S. Petrum apostolum in loco qui vocatur Naumachia, quod idem Leo construxerat, locupletavit. » Ecclesiam S. Peregrini cum tenimentis suis, a S. Leone IV canonicis S. Petri donatam fuisse, tradunt Romanus, t. II et Vegius lib. II, cap. 3, num. 61. Ea propter septimo Kal. Junii *Dedicatio S. Peregrini* notatur in Rom. Ecclesia juxta veterem usum canonicorum Vaticanæ basilicæ; antiqui hi Rituales libelli, ven. card. Thomasio curante publicam in lucem prodierunt. Quæ sacræ huic ædi munera offerebantur, non modica fuisse, ex Innocentii III constitutione IV Id. Jan., pontificatus an. 8, data, et inferius exhibenda, quivis facile intelliget.

(184) Ex Benedicti IX, pro Silvæ Candidæ episcopi diplomate, quod Ughell., Ital. Sacr., tom. I, edidit, luculenter ediscimus Dalmachiam castellum esse inter Portorio Nepesino. At vocabulum *Naumachia*, ut in *Nummentiam*, quemadmodum ex vulgato Anastasio mox vidimus; et in *Almachiam*, teste Fer. Carolo apud Severan., lib. De 7 Urb. eccl., pag. 286, Latini idiomatis corruptione, aut librariorum ostentatione, conversum fuit; sic in *Dalmachiam* degenerasse, profunde in ea quam tractamus S. Leonis IX constitutione nomen Dalmachia perinde esse ac Naumachia conjectari licet. Confer prolata ex libro Pontificali testimonia, in quibus agitur de S. Perigrini ecclesia et hospitio ad Naumachiam positis.

(185) Pub. Victor, sive alius auctor post recensitas regiones Transtiberinæ vicos, statim subdit *Gajanium*. Idem libellus quem Panvinius auctiorem certe,

Digitized by Google

rum et cum omnibus possessionibus et pertinentiis ejus. Concedimus etiam et corroboramus fundum cum Terrione, cum lacu, et cum omnibus ad eum in integro pertinentibus, et fundum Casagurdi positum via Cornelia (186), quæ mittit in basilicam Sanctarum Rufinæ et Secundæ (187), et juxta formam sabbatinam (188). Concedimus etiam casale quæ vocatur Saeretu (189) juris Sancti Laurentii Palatina a Sancto Petro (190), et fundum qui vocatur Zaga..., et fundum Bialum, et casale qui vocatur Brecti cum omnibus ad eos lem in integrum pertinentibus. Concedimus et confirmamus fundum qui vocatur Sancti Cassiani; et fundum qui vocatur Menore, et fundum, qui vocatur Scuppla Ancilla Dei (191); et fundum qui vocatur Palombarolum, omnes invicem cohærentes usque in silice qui dicitur Strata, cum terminis et appendiciis ejus, et cum omnibus ad eos generaliter et integre pertinentibus; omnia juris prædicti monasterii Sancti Stephani Majoris, posita via Clodia (192), milliario plus minus quarto vel quinto. Nec non concedimus fundum qui vocatur Casa mala, sicuti infra suos continetur fines. Isti sunt antiqui confines; a primo latere est P...a, et a secundo fundum Menori, et Palombarolum; a duobus lateribus silva vestri monasterii. Similiter confirmamus fundum qui vocatur Peritanella, positum via Cornelia ad pontem Sofflari juxta Tafianum, et Menori, et terra tituli Sancti Angeli. Item concedimus et corroboramus fundum Camelianum, et Olibula Agellum, Pinum Camaranum, Lauretum (193) et quotquot infra subscriptos fines continentur; a primo latere territorium de Buccege juris monasterii Sancti Martini; a secundo, casale Celisanum juris monasterii Sancti Sabæ, et terra juris monasterii Sancti Stephani Majoris; a tertio rivum qui vocatur Galero; a quarto rivum qui vocatur Arrone, positum territorio Galeriæ. Similiter concedimus in dicto monasterio alios casales, qui vocantur Galdo, Mansæ Palumbæ, Valle de Paulo, Ortianum, Spinableta, Barbulanum, positos juxta casale Celsanum. Nec non concedimus fundum Actitianum, et fundum Villarustica ex corpore vallis Preytæ.

A Sic concedimus et confirmamus alios fundos in ipso territorio Galeriæ, fundum qui vocatur..... infra subscriptos fines, una cum ecclesiis et pertinentiis ejus; a primo latere silex, qui vocatur Strata, et fundum Octavianum usque in forma quæ vocatur Artiones; deinde in massa Toroni; a secundo tenet monasterium Sancti Sabæ, et terra prædicti monasterii Sancti Stephani; a tertio fundum qui vocatur Decimum, et Farotianum; a quarto fundum Actitianum, et Villarustica ex corpore vallis Preytæ usque ad rivum qui vocatur Galera; similique concedimus fundum qui vocatur Cosariarum, et fundum Agolli, in quo est insula Agolli, Sulianum, Calixtum, et Margaritarum, positos ex alia parte Stratæ. Similiter concedimus, et confirmamus fundum Octavia-
B num et fundum Cesanum cum toto territorio suo absque massa Trani cum cryptis, mansionilibus et familiis, et fundum Pisinianum cum monte Sancti Angeli. Et concedimus massam Clodianam cum loco Paparano et sicut ipsa massa extenditur, usque in Sora am cum lacu Baccanis, et omnibus suis pertinentiis. Et confirmamus ecclesiam Sancti Alexandri quæ est in Baccanis, et fundum Visanum, et Perpanianum. Et confirmamus fundum Germanellum positum via Flaminea, territorio Nepesino, milliario plus minus vicesimo secundo. Pariterque concedimus et confirmamus fundos qui vocantur Tracquata, Cornelianum, Vivariolum, positos in Macorano juxta Capracorum (194) et juxta rivum Gralli, et prope curtem de Macorano. Item conce-
C dimus fundum qui vocatur Balneolas Faticlas alias monte Lupis supra Sanctum Alexandrum in Baccanis, et fundum qui vocatur Fisa cum Burgo Sancti Alexandri. Insuper etiam concedimus et corroboramus insulam Martanam (195), una cum ecclesiis Sancti Stephani, et Sancti Valentini, domibus, familiis, piscariis et cum omnibus ad eam pertinentibus, ad usum et sustentationem monachorum in monasterio Sancti Stephani existentium, sicut prædecessor noster Paschalis, qui fuerat rector ipsius monasterii (196) dedit hoc patrimonium suum ad sustentationem monachorum Sancti Stephani Majoris, in choro beati Petri servientium, et sub anathemate

sed interpolatum edidit, pro *Gajanio* habet *vicum Gajanarum*. Gajani vocabulo Pancirolus intelligit Caji obeliscum, qui ejus circum in Vaticano quon-
D dam nobilitavit et nunc in S. Petri area eminet.

(186) Confer antecedentes S. Leonis IX constitutiones (*Ex Bullar. Vatic.*).

(187) De qua egimus in superiori S. Leonis IX diplomate (*Ibid.*).

(188) Hanc supra memoravimus in proxima Leonis IX bulla (*Ibid.*).

(189) Joannes Cajetanus Sancti Theodori diaconus *terras vinearum Suvereti totumque ipsius tenimentum* basilicæ Vaticanæ donavit; quemadmodum habetur ms. cujusdam lacunia, apud Turrigium, lib. De crypt. Vatic., pag. 161, edit. 1639.

(190) Consule superius Leonis IX diploma (*Ibid.*).

(191) Benedictus IX, in privilegio pro episcopis Silvæ Candidæ meminit silvæ quæ appellatur Magna, cum omnibus sibi pertinentibus; ab uno latere rivus de Galera, ab alio latere mons qui appellatur Stupha Ancilla Dei. Sic apud Bull. Rom. novissima edit. tom. I. At Joannis XIX bulla ad Petrum Silvæ Candidæ episcopum data, in eodem Bullario, habet Huppla Ancilla Dei.

(192) De qua in superiori Leonis IX diplomate. (*Ibid.*)

(193) *Domuncultam Lauretum* a S. Zacharia noviter ordinatam legimus apud Bibliothecarium in hoc pontifice; Laurentum diplomate recensitum memorat sæpe laudata Benedicti IX constitutio pro episcopis Silvæ Candidæ.

(194) De quo mox dicemus in proximo diplomate. Interim quæ a nostro Suaresio in diatriba de Foraminibus lapidum, etc., relata est, inscriptionem accipe:

HANC TURREM ET PAGINEUMA FACTA A MILITIA CAPRACORUM TEMPORE DOM. LEONIS QUARTI PP. ET GO AGATHO C...

(195) Vide Cluverium Ital. antiq. lib. II, pag. 559.

(196) Sic habet Anastas. Bibl. in Leone III, ut supra diximus.

Digitized by Google

interdixit ut nullus posset ecclesiastica aut privata (*intell.* auctoritate) inquietare eos; sed semper ordinassent abbatem in ipso monasterio Sancti Stephani de Insula, et ipse Paschalis pontifex nominavit monasterium de Insula Sanctum Stephanum a monasterio Sancti Stephani Majoris, cujus juris est. Concedimus et confirmamus ecclesiam Sanctæ Mariæ quæ vocatur in Turre (197), quam prædictus Paschalis in jam dicto monasterio per privilegium concessit cum libris et paramentis, crucibus et thuribulis de argento, cum domibus et cellis juxta se, cum paradiso (198) et porticalibus usque ad portam argenteam; ita quod fores, quæ sunt ante portam argenteam (199), vos claudatis et aperiatis, et cum omnibus quæ continent infra se, cum cloaca, et gradibus majoribus et minoribus, usque in platea quæ vocatur cortina. Quæ omnia concedimus in jam dicto monasterio et cum omnibus possessionibus et pertinentiis ejus: et duo presbyteri inibi ordinentur de collegio prædicti monasterii, qui die noctuque officium laudis Domino reddant, et populo necessaria ministrent. Insuper concedimus ecclesiam Sancti Justini constructam ad sepulturam omnium Latinorum; ita ut omnes peregrini et advenæ, divites et pauperes, nobiles et innobiles quotquot moriuntur in hac civitate Leoniana, et extra ad tria milliaria, sepeliantur in ecclesia Sancti Justini (200). Nullus celet infirmum, nec mortuum occultet, sed cito presbytero, aut procuratori vestro nuntiare festinet, et nullus bona illius celet, sed cito ea vobis reddat; nullus suadeat infirmum de domo, vel de civitate exire. Sed nos concedimus omnia hæc perennibus temporibus inconcussa permanere vobis vestrisque successoribus, qui animosi et voluntarii honeste Deo et beato Petro die noctuque serviunt; a fructibus eorum cognoscetis. Propterea apostolica censura statuimus ut nullus nostrorum successorum pontificum, nullus imperator, nullus episcopus, nulla alia potestas, nulla persona hominum contra hoc nostræ confirmationis et concessionis privilegium agere A præsumat; et si suprascripta omnia, quæ in eorum alimonia et sustentatione confirmata sunt, ut Deo sine murmure serviant, et in jam dicto monasterio sunt concessa minuere voluerit, et in eorum potestate, et ordinatione conservare noluerit, sciat se nostro sacro palatio Lateranensi compositurum duodecim auri purissimi libras, et insuper anathematis vinculo innodetur, et cum impiis et sceleratis æterno igne cremetur; et cum Juda Domini nostri Jesu Christi traditore in inferno crucietur. Qui vero pro intuitu curator et observator hujusmodi nostri privilegii exstiterit, benedictionis gratiam a Domino nostro Jesu Christo, et gaudia sempiterna consequi mereatur.

Scriptum per manum Albini scriniarii sacri palatii anno quinto domni Leonis noni papæ, indict. VI, mense Martio, die XXIV. B

Datum VIII Kalendas Aprilis per manum Frederici diaconi sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii, et cancellarii vice domni Herimanni archicancellarii et Coloniensis archiepiscopi. Anno domni Leonis noni papæ V, indictione VI.

—

Acta, scripta, transumpta, publicata, et auscultata sunt prædicta per omnia coram reverendissimo in Christo patre et domino, domino Anibaldo, miseratione divina episcopo Tusculano S. R. E. cardinali, apostolicæ sedis legato, pro tribunali sedente Romæ in palatio papali apud S. Petrum, qui præsenti transumpto, scripto, lecto, publicato, exemplato, et auscultato, suam et sui officii auctoritatem interposuit et decretum; et eidem voluit et decrevit ubilibet, in judicio et extra, sicut originali privilegio C fidem plenariam adhiberi, mandans suum sigillum ibidem apponi ad majoris roboris firmitatem, in præsentia vener. vir. dñor. Stephani Palosii canonici B. Mariæ Majoris, et Poni de Perusio, ac Francisci de Baroncellis scribæ sacri senatus Urbis, et magistri Petri Bartholomæi, Joannis Gentilis notarii de Urbe, ac plurium aliorum notariorum, et litteratorum testium ad præmissa vocatorum et rogatorum, nec non in præsentia mei Gualterii, et Pauli de Sancta Victoria, et Mathæi de Spoleto notariorum infra scriptorum ad prædicta omnia specialiter vocatorum et rogatorum, sub anno Domini millesimo

(197) De qua mentio fit in antecedentibus Joannis XIX ep. stit. (Ex Bullar. Vatic.)

(198) Hoc nomine majores nostri appellare consueverunt ecclesiarum atria, præcipue vero splendidissimum veteris basilicæ Vaticanæ porticum intelligitarunt, de qua Paulus diaconus, libr. V, cap. D 31 sic ait: *Domnio pontifex Romanæ Ecclesiæ locum, qui Paradisus dicitur, ante basilicam beati Petri candidis lapidibus marmoreis mirifice stravit.* Concinit biographus ipsius domni I, de quo apud Anastas. Biblioth. hæc. habet: *Atrium beati Petri apostoli superius, quod Paradisus dicitur, estque ante ecclesiam in quadri porticum, magnis marmoribus stravit.* Videsis D. Paulini Nolani epistolam 13, nov. edit. olim. 37 quæ atrium Vaticanæ basilicæ, ejusdemque alias januas memorat.

(199) Fuit hæc princeps Vaticanæ basilicæ porta ad orientem vergens, quam S. Paulinus in epistola ad Pammach. *regiam* appellat. Honorius I, uti refert liber Pontificalis, « invest vit regias januas ingressu ecclesiæ (S. Petri) majores, quæ appellantur medianæ, ex argento, quæ pens. lib. nonagintas septuaginta quinque. » Idipsum præstitit S. Leo IV, postquam Saraceni illas argento denudarunt, ut habet hujus pontificis bibliographus apud Anastasium his verbis: « Ipse insignis, præsulque præcipuus, cum innumera summi decoris opera in basilica beati Petri cœli clavigeri perfecisset, portas, quas destruxerat Saracena progenies, argentoque nudarat, erexit, multisque argenteis tabulis lucifluis, salutiferisque historiis sculptis decoravit, et in meliorem speciem quam pridem fuerant reparavit, » etc. Consulatur Canonicus Romanus, tit. 44.

(200) De qua egimus in præcedentibus S. Leonis IX constitutionibus. Aliud sacræ ædis monumentum nobis lubet hoc in loco attexere: nimirum anno Domini 1279, *Presbyter* Apollenarius, rector Ecclesiæ S. Justini de civitate Leoniana pro ipsa ecclesia et ejus nomine vineam positam extra portam Pertusii in loco qui dicitur Breccetum, jure permutationis acquisivit; quemadmodum constat ex veteri instrumento apud Tabular. secret. apost. Vat. in lib. qui Censio camerario attribuitur, pag. 416, a tergo col. 3 et 4. Accedit ordo Romanus prælaudati Censii; cap. enim 18, ubi de ratione dandi presbyterii pro thuribulo agitur, sex denariis ecclesia Sancti Justini donatur: Apud Mabill. tom. XII, Mus. Ital.

Digitized by Google

trecentesimo quinquagesimo, Jubilæo, die 5 mensis Junii, indict. tertia, pontificatus sanctissimi Patris et domni nostri Clementis divina providentia papæ VI, anno nono.

Et ego Matthæus Salvi clericus Spoletanus publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius prædictas litteras apostolicas coram supradicto domino legato pro tribunali sedente, vidi et legi, easque cum præsenti transumpto una cum Paulo Francisci suprascripto, et Gualterio D. Frederici de Claramonte infrascripto notariis publicis auscultavi; et quia dictas litteras apostolicas cum dicto præsenti transumpto concordare inveni, nil addito vel minuto quod facti substantiam immutet, vel variet intellectum; ideo de mandato supradicti domni legati me subscripsi, et rogatus signum meum apposui consuetum.

Et ego Gualterius domni Francisci de Claramonte clericus Firman. Dio. publicus apostolicæ auctoritate notarius prædictas litteras apostolicas scripsi, transumptavi, et exemplavi per omnia prout in litteris ipsis de verbo ad verbum vidi et reperi contineri, nil addito, minuto vel mutato quod substantiam mutet, vel variet intellectum, nisi forte litteram vel syllabam per errorem; et ipsum transumptum coram prædicto domno legato pro tribunali sedente ut supra, ac præsentibus prædictis testibus, et quampluribus aliis notariis, nec non Paulo Francisci, et Matthæo de Spoleto notariis publicis supradictis ad hanc publicationem, ac decreti et auctoritatis interpositionem, ut prædicitur, vocatis specialiter, et rogatis, legentibus, videntibus et auscultantibus cum prædictis apostolicis litteris legi, et fideliter auscultavi, ipsumque de mandato dicti domni legati, et ad instantiam ven. virorum dominorum prioris canonicorum, et capituli sacrosanctæ basilicæ principis apostolorum de Urbe, ibidem præsentium ipsum transumptum et exemplum in hanc publicam formam redegi manu propria, meoque signo consueto signavi rogatus.

LXXXI.

S. Leo IX Vaticano S. Petri templo inservientium bona, ecclesias ac jura enumerat et confirmat.

(Anno 1053.)

[*Bullarium Vatic.*, pag. 33.]

In nomine Domini, amen. Hoc est exemplum, sive transumptum cujusdam papalis privilegii sanctæ recordationis, domni Leonis papæ noni, ejus vera bulla plumbea, cum filis sericis bullati, non vitiati, non abrasi, non cancellati, neque aliqua sui parte suspecti, sed omni vitio et suspicione carentis. Cujus tenor, de verbo ad verbum, per omnia talis est.

Leo episcopus, servus servorum Dei, Joanni archipresbytero ecclesiæ Beati Petri, ejusdem ecclesiæ servitoribus, perpetuam in Domino salutem.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, ac poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud Conditorem omnium Dominum promeremur, si venerabilia sanctorum loca ordinata ad meliorem fuerint statum sine dubio perducta. Ea propter vestris petitionibus inclinati, sacrosanctas ecclesias Sanctorum Joannis et Pauli (201) Sancti Martini, Sancti Stephani Majoris (202) et Sancti Stephani Minoris (203), vestris usibus destinatas, ad exemplar prædecessorum nostrorum Sergii secundi (204), Leonis quarti Romanorum pontificum, præsentis scripti privilegio confirmamus, statuentes quascunque possessiones, quæcunque bona eisdem venerabilibus locis juste pertinent, et in futurum concessione pontificum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis annuente Domino poterit acquirere, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Massam Luterni, cum ecclesia Sanctorum Pauli et Joannis, cum fundis et casalibus suis positam territorio Cerense, juxta massam Præcoriolam [*al.*, Prætoriolam], milliario ab urbe Roma plus minus tricesimo; ecclesiam Sancti Andreæ cum omnibus suis pertinentiis, positam in eadem massa Luterni; fundum Sessani Majoris, et Sessani Minoris (205), cum ecclesia Sancti Stephani, cum terris, vineis, silvis, et cum omnibus suis pertinentiis; Castrum

(201) Sacra hæc ædes in Joannis XIX, et Benedicti IX constitutionibus dicitur monasterium Sanctorum Joannis et Pauli, quod apud B. Petri basilicam a S. Leone Magno ædificatum fuisse, lib. Pontifical. in ejusdem S. Leonis Vita perspicue testatur. Nulla in præsentiarum exstant ipsius monasterii vestigia unde investigari possit quinam fuerint olim ejus termini, quinam confines. Creditur tamen stetisse eo in loco quem læva basil. Vaticanæ pars, S. Michaelis archangeli et S. Erasmi altaribus instructa modo occupat, ut videre est in ea quam Alpharan. edidit tab. Ichnogr., lit. *h*.

(202) Consule superius allatum D. Leonis IX diploma.

(203) Geminum diploma, alterum Innocentii III, Id. Octobr., pont. an. 8, alterum Gregorii IX, die 22 Jun. pont. an 2. editum, ubi Sancti Petri canonicis subjicitur: *Hospitium Hungarorum in ecclesia S. Stephani Minoris;* facem præfert, ut situm hujusce templi sive monasterii S. Stephani Minoris haud obscure intelligamus. Cum etenim hospitium Hungarorum juxta S. Petri basilicam ad meridiem exstructum fuerit, etc., Minoris ecclesia ibidem adhuc prostet, in cujus fronte non heri aut nudiustertius exarata est inscriptio hujusmodi: *Ecclesia hospitalis S. Stephani regis Hungarorum.* Hoc in loco templum S. Stephani Minoris locemus oportet, cui D. Stephanum Hungarorum regem plurimum sua munificentia contulisse ostendimus in adnotat ad præclaudat. Innocent. III diploma. Quinam illud primus erexerit, incertum: ejus tamen antiquitas valde remota. Profecta Janning., tom. VII, Jun. Bollan. in Comment. de vet. S. Petri basil., num. 408, monasterium S. Stephani Minoris idem esse opinatur cum monasterio S. Stephani cata Barbara Patricia, de quo Adriani I bibliographus apud Anast. hæc habet: « Hic beatissimus præsul, divina inspiratione incitus, constituit in monasterio S. Stephani cata Barbara Patricia situm ad Beatum Petrum apostolum, congregationem monachorum, ibi et abbatem idoneam personam ordinans. Statuit ut sedulas laudes in ecclesia B. Petri persolvant, sicut et cætera tria monasteria nempe SS. Joannis et Pauli, et S. Martini et S. Stephani Majoris, ut duo monachi pro latere ipsius ecclesiæ Deo nostro canant laudes, quoniam ipsum monasterium in magna desidia et neglectu injuriaque positum erat, et nullum divinum officium cultu ibidem exhibebatur. »

(204) Sergii II ea de re constitutio vel omnino periit, vel alicubi latet.

(205) Prædia hæc in territorio Cærense juxta castrum Luterni tricesimo milliario ab urbe Roma existere colligimus ex Adriani IV bulla, IV Id. febr., an. æræ Christ. 1158 edita.

Digitized by Google

Capracorum (206) cum terris, vineis, fundis, casalibus, montibus, collibus, plagis, planitiis, molendinis et molaria sua, cum ecclesia S. Joannis, quæ dicitur de la Tregia (207) cum cellis, terris, vineis, et cum omnibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus, positam territorio Vegetano (208), milliario ab urbe Roma plus minus vigesimo septimo. Imo etiam fundum qui vocatur Agellum, positum in suprascripto territorio Vegetano. Sive etiam concedimus et confirmamus vobis fundum et vallem quæ appellatur Frictilli, cum ortuis, molendinis, et cum omnibus suis pertinentiis positum territorio Sutrino, juxta ipsam Sutrinam civitatem. Denique et molam de Cava in eodem territorio Sutrino positam.

Verum etiam concedimus et confirmamus vobis ecclesiam Sancti Sylvestri in jam dicta Sutrina civitate positam, cum domibus, cellis, terris, vineis, et cum omnibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus. Pariter confirmamus vobis tres domos positas in foro Sutrino. Simulque concedimus et confirmamus vobis, ut liceat in vestris fundis ecclesias construere. Ita etiam, ut in vicinia (209)... illa abbatia, vel religiosorum virorum collegi..... non existat, quæ ab hoc multum valeant perturbari. Chrisma autem, oleum sanctum, consecrationes ecclesiarum, ordinationes clericorum in vestris ecclesiis existentium, a diœcesanis suscipietis episcopis, siquidem catholici fuerint, et gratis voluerint exhibere. Alioquin catholicum, quem malueritis, adeatis antistitem, qui nimirum in gratia sedis apostolicæ permanens, quod postulatur indulgeat. Præterea apostolica censura statuimus ut nullus successorum nostrorum pontificum, nullus imperator, nulla alia potestas, nullus episcopus, nulla persona hominum contra hanc nostræ confirmationis et concessionis chartulam agere præsumat, sed supradicta omnia in eorum sustentatione, pro quibus in supra scripta ecclesia concessa sunt, in dispositione et ordinatione conservare studeat. Quod si fecerit, componat nostro sacro Lateranensi palatio sex auri purissimi libras, et insuper anathematis vinculo innodetur. Qui vero pio intuitu curator et observator hujus nostræ confirmationis et concessionis exstiterit, benedictionis gratiam a Domino nostro Jesu Christo, vitamque æternam consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

A Datum Kalendis Aprilis, per manus Friderici diaconi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii et cancellarii vice domni Hermanni archicancellarii, et Coloniensis archiepiscopi, anno domini Leonis noni papæ v, indictione vii

—

Acta, scripta, transumpta, publicata, et auscultata sunt prædicta omnia, coram reverendissimo in Christo patre et domino, domino Anibaldo, miseratione divina episcopo Tusculan., S. R. E. card., apostolicæ sedis legato, pro tribunali sedente Romæ in palatio papali, apud Sanctum Petrum, qui, præsenti transumpto, scripto, lecto, publicato, exemplato et auscultato, suam et sui officii auctoritatem interposuit et decretum; et eidem voluit et decrevit ubilibet in judicio et extra, sicut originali privilegio fidem plenariam adhiberi, mandans suum sigillum ibidem B appendi ad majoris roboris firmitatem, in præsentia ven. vir. dominor. Stephani Palosii, canonici B. M. Majoris, et Poni de Perusio, capellani dicti domni legati, ac Francisci de Baroncellis scribæ sacri senatus Urbis, et magistri Petri Bartholomæi Joannis Gentilis, notarii de Urbe, ac plurium aliorum notariorum, et litteratorum testium ad præmissa vocatorum et specialiter rogatorum, nec non in præsentia mei Gualterii, ac Pauli de sancta Victoria et Matthæi de Spoleto notariorum infra scriptorum, ad prædicta omnia specialiter vocatorum et rogatorum, sub anno domini sanctissimi patris et domini nostri, domni Clementis divina providentia papæ VI, anno nono.

Et ego Matthæus Salvi, clericus Spoletanus, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, prædictas litteras apostolicas, coram supra dicto domno legato pro tribunali sedente, vidi, et legi, easque cum præsenti transumpto una cum Paulo Francisci supra scripto, et Gualterio D. Frederici de Claramonte infra scripto notariis publicis auscultavi, et quia dictas litteras apostolicas cum prædicto præsenti transumpto concordare inveni, nil addito, vel minuto, quod facti substantiam immutet, vel variet intellectum; ideo de mandato supradicti domni legati me subscripsi, et rogatus signum meum apposui consuetum.

Et ego Gualterius domni Frederici de Clarmonte clericus Firman. dioc. publicus apostolica auctoritate notarius, prædictas litteras apostolicas scripsi transumptavi, et exemplavi per omnia, prout in litteris ipsis apostolicis de verbo ad verbum vidi et reperi contineri, nil addito, minuto, vel mutato quod substantiam mutet vel variet intellectum, nisi forte litteram vel syllabam per errorem, et ipsum transumptum, coram prædicto domino legato, pro tribunali sedente, ut supra, ac præsentibus prædictis testibus, et quampluribus aliis notariis, nec non Paulo Francisci et Matthæo de Spoleto notariis publicis supra dictis, ad hanc publicationem, ac decreti et auctoritatis interpositionem, ut prædicitur, vocatis specialiter et rogatis, legentibus, vi-

(206) Adrianus I, ut habet Cenon. Romanus, tit. 12, canonicis S. Petri, sive, ut ait Vegius, lib. IV, num. 114 apud jun. Bolland., tom. VII, S. Stephani monasterio Castrum Capracorum, quod in territorio Vejentano positum ipsi Adriano ex paterna hæreditate obtigerat, liberaliter donavit, confer Anastas. biblioth. in hoc pontifice ac Turringum, lib. De crypt. Vat., p. 401, et sequent., edit. 1639.

(207) Liber MS., qui ecclesias Vaticanæ basilicæ subditas, apud Turrig. loco mox cit. sic habet, fol. 402 : « Nepesina diœcesis, ecclesia S. Joannis directa propter Castrum Capracorum, sive Caprarolæ, cum omnibus pertinentiis suis, posita in territorio Vegentano, ubi dicitur Treja sive Frequati debet annuatim dictæ basilic. Vatic., lib. III ceræ albæ, prout ex censuale longo anni 1555. » Quod Capracorum, et Caprarola, unus idemque locus hic censeantur, penes auctorem esto fides; alii etenim secernunt.

(208) In eo urbs Vejorum vetustissima, quæ ut Holstenius noster pag. 55, in Cluver. Ital. antiq., scite ostendit, *in colle undique præcipito prope insulam, vicum Farnesiorum*, statui omnino debet, tametsi alii aliter sentiant. Profecto Anastasius, biblioth. in Adriano I, ac Cencius Camerar., cum de Adriano II loquitur, castrum Capracorum in territorio Vegentano ponunt, et 15 milliario ab Roma dissitum tradunt.

(209) Verbum vicinia, ex alio apographo apud nostræ basilicæ Tabular. in lit. transumpt., lit. B., fol. 66, supplere curavimus; exemplar enim ex quo præsens Leonis IX constitutio prodiit, hoc in loco corrosum est,

Digitized by Google

dentibus, et auscultantibus cum prædictis apostolicis A
l t eris legi et fideliter auscultavi, ipsumque, de
mandato dicti domni legati, et ad instantiam ven
viroru n do ninorum, prioris canon eorum et ca pituli
sacrosanctæ basilicæ principis apostolorum de Urbe,
ibidem præsentium, ipsum transumptum et exem-
plum in hanc publicam formam manu propria relegi,
meoque signo consueto signavi rogatus.

LXXXII.

S. Leo IX episcopis Venetiæ et Istriæ præcipit ut patriarchæ Gradensi, cujus primatum ab apostolica sede concessum synodo confirmarat, obedientiam præbeant.

(Anno 1053.)

[Mansi, *Concil.* XIX, 657.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis Venetiæ et Istriæ salutem et apostolicam benedictionem.

Noverit vestra charissima nobis in Christo fra-
ternitas, hac in præsenti indictione sexta, charissi-
mum confratrem nostrum Dominicum Gradensem,
imo novæ Aquileiæ patriarcham, ad synodum
nostram Romæ habitam venisse, et querimoniam de
sua et Forojuliensi Ecclesia, quam credimus vos non
ignorare, lacrymabiliter coram fecisse. Cujus tan-
dem relectis privilegiis, a sancta Romana et apostо-
lica sede sibi concessis, judicio totius sanctæ synodi
hoc definitum fuit: Ut nova Aquileia totius Venetiæ
et Istriæ caput et metropolis perpetuo haberetur,
secundum quod evidentissima prædecessorum nostro-
rum astruebant privilegia. Forojuliensis vero anti-
stes, tantummodo finibus Longobardorum esset con-
tentus, juxta privilegium Gregorii II et retractationem C
Tertii. Et hoc quidem extra patientiam canonum ei
pro magno concessimus, quia quater jam vocatus a
nobis, nec venit, nec excusavit, cum Gradensis, id
est, novæ Aquileiæ patriarcha, quinquies nostræ sy-
nodo, etiam non vocatus, interfuerit. Unde monendo
mandamus et præcipimus vobis ex parte Dei et
sancti Petri, et nostra, ut præfato Gradensi patriar-
chæ successoribusque ejus, in omnibus, secundum
jura canonica, obedientes sitis, sicut primati vestro
et patriarchæ esse debetis, et sicut antecessoribus
ejus nostri perpetuo confirmarunt. Et si quid sui
juris in urbibus vestris vel parochiis continetur quod
suo dominatui merito debeat subdi, nullus vestrum
sibi contradicere præsumat. Si quis vero vestrum
quidquam justæ querimoniæ adversus eum videtur D
habere, aut coram vobis confratribus et comprovin-
cialibus causam suam proferat, et cum eo, si potue-
rit, pacifice definiat; aut in præsentiam nostram
utraque pars examinanda veniat, salva sibi interim
per omnia et patriarchali reverentia, et proprietate
sua. Quod si extra feceritis, sententia canonica su-
per vos vigilabit.

LXXXIII.

S. Leonis IX epistola ad Thomam episcopum Africanum. — Ostendit Carthaginensem archiepiscopum totius Africæ esse primatem; Gummitanum vero episcopum sine illius consensu nec episcopos consecrare, nec provinciale concilium convocare posse; solius autem Romani pontificis esse et episcopos deponere et generalia concilia indicere.

(Anno 1053.)

[Mansi, *Concil.* XIX, 657.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, THOMÆ con-
fratri charissimo et coepiscopo, salutem.

Cum ex venerabilium canonum auctoritate reco-
limus ducentos quinque episcopos concilio interfuisse
Carthaginensi, et nunc a tua fraternitate audimus
quinque vix episcopos superesse in tota Africa, uti-
que tertia hujus corruptibilis mundi parte, compati-
mur tantæ vestræ imminutioni totis visceribus ani-
mi. Cum autem ipsas Christianitatis reliquias edisci-
mus interna et mutua dissensione discindi et dispер-
gi, et adversus se invicem zelo et contentione prin-
cipatus inflari, nil aliud nobis primo dicendum oc-
curri quam illud sancti Amos vatis: *Parce, Domine,*
B *parce, obsecro: quis suscitabit Jacob, quia parvulus est?* (*Amos* VII.) Sed quamvis in tali tantoque defectu
religionis plurimum doleamus; multum tamen gau-
demus, quia sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ
sententiam requiritis et exspectatis super quæstioni-
bus vestris: et quasi rivulis ab uno fonte erumpen-
tibus, et in suo se cursu per diversa spargentibus ad
ipsius fontis primam scaturiginem reverti debere
optimum putatis, ut inde resumatis directionis vestigium, unde sumpsistis totius Christianæ religionis
exordium. Noveris ergo procul dubio quia, post Ro-
manum pontificem, primus archiepiscopus et totius
Africæ maximus metropolitanus est Carthaginensis
episcopus: nec, quicumque sit, ille Gummitanus epi-
scopus aliquam licentiam consecrandi episcopos,
C vel deponendi, seu provinciale concilium convo-
candi habet, sine consensu Carthaginensis archi-
episcopi, cujuslibet dignitatis aut potestatis sit, ex-
ceptis his quæ ad propriam parochiam pertinent;
cætera autem, sicut et alii Africani episcopi, consi-
lio Carthaginensis archiepiscopi aget. Unde charis-
simi confratres nostri coepiscopi Petrus et Joannes
recte sentiunt de Carthaginensis Ecclesiæ dignitate,
nec consentiunt errori Gummitanæ Ecclesiæ. Hoc
autem nolo vos lateat, non debere præter senten-
tiam Romani pontificis universale concilium celebrari,
aut episcopos damnari vel deponi; quia, etsi licet
vobis aliquos episcopos examinare, diffinitivam ta-
men sententiam, absque consultu Romani pontificis,
D ut dictum est, non licet dare: quod in sanctis cano-
nibus statutum, si quæritis, potestis invenire. Quam-
vis enim omnibus generaliter apostolis dictum sit a
Domino: *Quæcumque ligaveritis in terra, ligata erunt*
et in cœlo; et quæcunque solveritis in terra, soluta
erunt et in cœlo (*Matth.* XVIII): tamen non sine
causa specialiter et nominatim dictum est B. Petro
apostolorum principi: *Tu es Petrus, et super hanc*
petram ædificabo Ecclesiam meam: et tibi dabo claves regni cœlorum (*Matth.* XVI). Et in alio loco:
Confirma fratres tuos (*Luc.* XXII). Scilicet quia om-
nium Ecclesiarum majores et difficiliores causæ,
per sanctam et principalem B. Petri sedem a suc-
cessoribus ejus sunt diffiniendæ. Jam quia ad inter-
rogata etiam confratrum nostrorum Petri et Joan-

Digitized by Google

nis episcoporum decrevimus respondere; optamus ut sanctam tuam fraternitatem jugiter invigilantem utilitatibus sanctæ catholicæ Ecclesiæ, atque devote pro nobis orantem, sancta et individua Trinitas semper conservet, charissime frater.

Datum XVI Kalendas Januarii, anno domini Leonis papæ IX quinto, indictione VII.

LXXXIV.

S. Leo IX Petrum et Joannem episcopos laudat quod jussu suo concilium de rebus ecclesiasticis celebraverint et jura archiepiscopi Carthaginensis contra Gummitanum episcopum defenderint.

(Anno 1053.)

[Mansi *ibid.*, 658.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis in Christo fratribus Petro et Joanni episcopis salutem et apostolicam benedictionem.

Decus Ecclesiarum Africanarum ita conculcatum a gentibus nimium dolemus ut modo vix quinque inveniantur episcopi, ubi olim ducenti quinque solebant per concilia plenaria computari; et ibi pauculas oves quotidianæ occisioni deputatas remansisse, ubi quondam innumerabilis grex Domini sub numerosis arietibus exsultabat alta pace. Sed hæc peccatis nostris imputantes, justitiam Creatoris collaudantes, timeamus, et misericordiam ejus instanter postulemus ut servos suos tandem respicere dignetur. Quod autem scripsistis nobis pro sanctæ Romanæ Ecclesiæ statu nostraque incolumitate vos Dominum gratias agendo exorasse: noveritis nos vestræ fraternitati gratias agere, et pro consolatione vestra semper orare. Et revera, fratres, hoc acceptabile est Domino nostro Jesu Christo ut caput omnibus membris prospiciat et invigilet; membra vero sui capitis salutem sine intermissione quærant et optent. Bene equidem fecistis, quod jussi a nobis concilium de rebus ecclesiasticis habuistis: quod etiam omni anno vel semel agere debetis. Insuper recte contra Gummitanum episcopum dignitatem Carthaginensis Ecclesiæ defendistis; quia sine dubio post Romanum pontificem primus archiepiscopus et totius Africæ maximus metropolitanus est Cartaginensis episcopus, nec pro aliquo episcopo in tota Africa potest perdere privilegium semel susceptum a sancta Romana et apostolica sede: sed obtinebit illud usque in finem sæculi, et donec in ea invocabitur nomen Domini nostri Jesu Christi, sive deserta jaceat Carthago, sive resurgat gloriosa aliquando. Hoc ex concilio beati martyris Cypriani, hoc ex synodis Aurelii, hoc ex omnibus Africanis conciliis, hoc, quod majus est, ex venerabilium prædecessorum nostrorum Romanorum præsulum decretis aperte monstratur: nec quicunque ille sit Gummitanus episcopus, aliquam licentiam consecrandi episcopos vel deponendi, seu provinciale concilium convocandi habet sine consensu Carthaginensis archiepiscopi, cujuslibet dignitatis aut potestatis sit. Tantummodo procurabit ille Gummitanus episcopus quæ ad propriam parochiam pertinent; cætera autem, sicut et alii episcopi Africani, A consilio Carthaginensis archiepiscopi aget, qui solus in Africa pallium ab apostolica sede habere solet. Unde et episcopos consecrandi principale et antiquum jus retinet, sicut ex verbis Aurelii in concilio Carthaginensi (*Concil. Carthag.* III.) capitulo trigesimo nono potest intelligi, cum dicit: In Ecclesia, ad quam dignata est vestra sanctitas convenire, crebro ac pene per diem Dominicam episcopos ordinandos habemus, etc. Sed hoc vos non lateat, non debere præter scientiam [sententiam] Romani pontificis universale concilium celebrari, aut episcopos damnari vel deponi, quia, etsi licet vobis aliquos episcopos examinare, diffinitivam tamen sententiam absque consultu Romani pontificis, ut dictum est, non licet dare. Quod in sanctis canonibus statutum, si quæritis, potestis invenire: scilicet quia omnium Ecclesiarum majores et difficiliores causæ, per sanctam et principalem beati Petri sedem a successoribus ejus diffiniendæ sunt, utpote cui divinitus dictum sit: *Confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII); et: *Tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI), etc. B

Nunc, quia de archiepiscopis et metropolitanis sententiam nostram requiritis, venerabilium antecessorum nostrorum dicta aperte demonstrant, id est Clementis, Anacleti, Aniceti et aliorum, ubi ita legitur: Sacerdotum ordo bipartitus est, nec amplius quam duos ordines, id est episcoporum et presbyterorum, nobis collati sunt, nec apostoli docuerunt. Episcoporum autem ordo unus est, quamvis alii præferantur aliis, sive pro eo quod primas civitates et magis nominatas, secundum potentiam aut leges sæculi retinent, sive quod a sanctis Patribus pro aliqua reverentia sanctitatis aliquod privilegium dignitatis possident. Nam, sicut omnis mundana potestas his gradibus dignitatum a se invicem distat, id est, ut primus sit Augustus vel imperator, deinde Cæsares, deinde reges, duces et comites atque tribuni; ita et ecclesiastica dignitas ordinata a sanctis Patribus invenitur, dicente beato Clemente (*Epist.* I, tom. I, p. 91): In his civitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum atque primi legis doctores erant, primates vel patriarchæ positi sunt, qui reliquorum judicia et majora negotia juste diffinirent, qui etiam non uni provinciæ, sed pluribus præessent. Unde ubi archiflamines erant paganorum, archiepiscopi instituti sunt Christianorum qui singulis provinciis præessent. Ubi vero metropolis erat, quæ interpretatur *mater civitas*, metropolitani erant: quippe quæ de tribus aut quatuor civitatibus intra aliquam provinciam majori et matri aliarum civitatum præsidebant. Isti aliquando metropolitani tantum nominantur, aliquando vero archiepiscopi, si in ipsa provincia majores non fuerint aliqui. Ubi autem minores civitates habuerint solummodo flamines vel comites, episcopi sunt instituti. Porro tribuni plebis non absurde intelliguntur presbyteri, sive reliqui inferioris ordinis clerici. His omnibus divino et humano privilegio prælatus est pontifex Romanus. C D

Digitized by Google

vel de Africæ primatibus aliter intelligendum est, quia in singulis ejus provinciis antiquitus primates instituebantur non secundum potentiam alicujus civitatis, sed secundum tempus suæ ordinationis; quibus tamen omnibus præerat unus, scilicet Carthaginensis archiepiscopus, qui etiam non incongrue dici potest metropolitanus propter Carthaginem metropolim totius Africæ, quorum supra meminimus. Ita legitur in concilio Carthaginensi, capitulo vigesimo sexto: Primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum primæ sedis episcopus. Sanctam vestram fraternitatem jugiter invigilantem utilitatibus sanctæ Dei Ecclesiæ atque devote pro nobis orantem, sancta et individua Trinitas semper conservet, charissimi fratres.

A

LXXXV.

S. Leo IX navem pro usu monasterii Casinensis, cum nauclero et sociis, liberam et exemptam ab omni teloneo et solutione concedit.

(Anno 1053.)

[Margarini *Bullar. Casin.* II, 85.]

Leo episcopus, servorum servus Dei, ecclesiæ seu monasterio præclarissimi Christi confessoris Benedicti, in monte Casino ædificato, et per eum Richerio abbati cunctisque ejus successoribus canonice illic intrantibus, in perpetuum.

Divinæ pietatis respectu attacti ejusdemque ecclesiæ augmento, præfati Richerii nostri dilecti precibus pulsati, dignum duximus, ob amorem sanctissimi Benedicti jam dicti, sæpissimeque dicendi, aliquid ex rebus beatissimi Petri, apostolorum principis, eidem monasterio in usum fratrum ibidem degentium, Deoque servientium largiri et in perpetuum conferre; quatenus nobilissimus grex, et fecunda proles tanti patris omnium ore benedicendi, Benedicti, ut portum salutis ad æternam ingrediatur vitam, per manus ætherei summique clavigeri Petri attolli subsidiis et munificentiis repleri. Intuentes igitur a sæculari eos negotio remotos, propria quæ quoquomodo possederant, præcepto Christi, piique patris exemplo, reliquisse, animo gratanti, benevole, eorum navim, aliquibus mercibus refertam ad abbatis cunctorumque fratrum usum cum suis mercimoniis delegatam concessimus esse absolutam, cum Nauclero ac nauticis suis, ab omni debito pensionis, quoad usque ita præfatus locus in eadem, qua nunc est, fuerit religione constitutus; una navis monasterii ipsius in usum fratrum, necessaria deferentem, ut diximus, cum nauclero et nauticis suis ab omni pensionis conditione libera. Nullum teloneum ex omnibus quæ attulerit alicui persolvat, neque quisquam aliquid ex ea exigere præsumat. Si quis autem hujus nostræ donationis atque concessionis aliquo temerario ausu exstiterit refragator vel violator, cujuscunque conditionis ille sit aut potestatis seu dignitatis anathemate percussus perpetuo, benedictione careat æterna, donec resipiscat. Qui vero, propriæ salutis amator, apostolicæ largitionis atque oblationis sive decreti fuerit conservator, intercessionis auxilio ipsius sanctissimi Benedicti, portus salutis adeptus, a Deo omnipotente misericordiam et benedictionem in æternum consequatur.

B

C

D

Datum IV Kal. Junii, per manus Frederici diaconi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii, et cancellarii vice domini Herimani archicancellarii, et Coloniensis archiepiscopi, anno domini Leonis noni papæ V, indict. VI.

LXXXVI.

S. Leo IX Uldaricum, archiepiscopum Beneventanum, pallio donat, ejusque privilegia confirmat.

(Anno 1053.)

[Ughelli, *Italia sacra*, VIII, 78.]

...Beneventanæ Ecclesiæ considerantes, ad ejus jus et proprietatem revocamus atque in perpetuum subdimus et tradimus: videlicet ecclesiam Sancti Michaelis in monte Gargano positam, et ipsum castellum ubi jam dicta sacra et venerabilis sita est ecclesia, atque Sipontinam ecclesiam cum omnibus justitiis sibi legaliter pertinentibus, Lucerinam, Asculum, Bovinum, Larinum, Triventum, sanctam Agatham, Avellinum, Quintum decimum, Arianum, Vulturanum, Thelesiam, Alifem, Sessulam, Lesinam, Termulum, simulque duas abbatias Sanctum Petrum de Duddi, atque Sanctum Joannem situm juxta portam Auream cum singulis proprietatibus, justitiis, parochiis, seu diœcesibus suis, nihil excipimus, sed omnia, sicut justitia eorum est, huic jam sæpe nominatæ ecclesiæ Beneventanæ in honorem S. Dei genitricis Mariæ dedicatæ, ubi pretiosissimum corpus beatissimi Bartholomæi apostoli requiescit, salva auctoritate sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis, concessimus ac irrevocabiliter in perpetuum confirmamus. Concedimus etiam fraternitati tuæ pallii usum ad missarum solemnia celebranda, scilicet in festivitatibus Nativitatis Domini et Apparitionis ipsius, et in Cœna etiam Domini, atque sanctæ Resurrectionis die Dominico, Ascensionis Christi ad cœlos, ac die Dominico Sanctæ Pentecostes, in natalitiis apostolorum ac beatissimi Præcursoris Christi Baptistæ Joannis, in Assumptione B. M. V. in die S. Apostoli Bartholomæi, in nativitate sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, et in consecrationibus episcoporum, et in die consecrationis ecclesiæ, et in natalitii tui die, sicut ab antecessoribus nostris, tuis institutum ac largitum est antecessoribus; in secretario vero tua fraternitas pallio induatur..... Hoc etiam tibi concedimus, ut per singula loca quæ ditioni archiepiscopatus Beneventani subjacent, ubi ex antiqua legali institutione episcopales sedes habentur, episcopos canonice constituas et consecres, et quodcunque aliter quam decuit ac sacri præcipiunt canones, institutum est, exstirpes et emendes, scilicet tanquam peccatis exigentibus contra jura canonum et sanctorum instituta Patrum, dum omnino quidam perversa mente non metuunt quod episcoporum est proprium sibi usurpare, sacro ordini ascriptos, videlicet clericos suæ ditioni subden!o de

Digitized by Google

episcoporum judiciis subtrahere, quod omnino detestamur ac sub anathemate perpetuo interdicimus. Sed quidquid illud est quod ad ecclesiasticum atque episcopale pertinet officium infra totum archiepiscopat. Beneventanum, sicut superius præfinitum habetur, tuo regatur atque disponatur sano judicio. Omnia itaque quæ ad prædictum archiepiscopum juste et legaliter pertinent aut pertinere poterunt, inquam, in posterum, sive monasteria, seu castella, civitates vel prædia cum ecclesiis et villis, vineis, silvis et omnibus sibi juste pertinentibus, tibi ac tuæ fraternitati ecclesiæ commissæ tradimus, conferimus, et in perpetuum stabilimus. Censentes itaque apostolica censura decernimus, ac sub divini judicii obtestatione atque validissimi anathematis interdictione contestamur, ut nullus unquam successorum nostrorum vel alicujus dignitatis seu potestatis quilibet homo aliquo temerario ausu audeat in prædictam Beneventanam ecclesiam aliquam vim inferre, aut..... præfati archiepiscopatus imminuere, detrahere, vel quocunque modo seu ingenio subtrahere, invadere vel alienare; sed, sicut superius sunt taxata, ita sibi perpetuo maneant inconvulsa, ut sancta Beneventana ecclesia in honorem sanctæ Dei Genitricis semperque virginis inviolatæ Mariæ dedicata, et ad archiepiscopatus honorem a nostris antecessoribus sublimata, ac pretiosissimis sanctorum corporibus ditata, videlicet Bartholomæi apostoli, atque Januarii martyris, et Barbati confessoris ejus: sedis gloriosissimorum præsulum, ac reliquorum inviolabiliter apostolicis privilegiis semper maneat dotata. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc quæ ad laudem Dei pro stabilitate ac firmitate Beneventanæ ecclesiæ constituimus atque decenter decrevimus, infringere vel diminuere, aut quocunque modo aliter ad detrimentum præfati archiepiscopatus statuere, quod molitus est adnihiletur, et anathemate perculsus divino pereat in æternum, nisi forte resipiscat. Conservator vero hujus nostri apostolici privilegii apostolica benedictione refertus intra paradisi mœnia cum sanctis omnibus gaudeat in æternum.

Datum IV Idus Julii per manus Friderici diaconi, S. Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii et vicecancellarii vicedomini Herimanni archichancellarii et coloniensis archiepiscopi, Anno D. Leonis noni papæ V, indict. VI.

LXXXVII.

Bulla S. Leonis IX, qua monasterio Barensi Sanctæ Trinitatis confirmat ecclesiam Sancti Nicolai, a Nicolao Barensi episcopo eidem concessam.

(Anno 1053.)

[Muratori, *Antiq. Ital.* VI, 213.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, ecclesiæ et monasterio Sanctæ et individuæ Trinitatis intra Barensem civitatem constructæ, et per eam abbati Marco nostro dilecto filio, cunctisque ipsius successoribus, canonice illuc intrantibus in perpetuum.

Omnium justis petitionibus gratanter annuimus, quoniam justa et pia rogata Deo semper noscuntur placita et amicabilia. Videntes igitur ecclesiæ tibi commissæ justitiam de Sancti Nicolai ecclesia, quam præfatæ civitatis Nicolaus dictus episcopus, ecclesiæ jam dictæ Sanctæ Trinitatis voluntaria oblatione obtulit, et in perpetuum confirmavit, nobis omnino placuit atque apostolica auctoritate ita in perpetuum valere nostra decretalis institutio decrevit. Et sicut a præfato Nicolao prænominato episcopo prædicta Sancti Nicolai ecclesia cum omni beneficio et hortu et viridario, et cum transitu et exitu suo, ecclesiæ Sanctæ Trinitatis stabiliter atque irrevocabiliter sub anathematis pœna colligata, ita ut nec ipsi, neque alicui hominum cujuscumque conditionis seu dignitatis vel potestatis liceat præfatam Sancti Nicolai ecclesiam, cum omnibus secum concessis a prælibata Sancti Nicolai ecclesia vel monasterio, quocunque modo seu ingenio subtrahere vel alienare. sic omnino confirmamus, decernimus, atque corroboramus. Quicunque igitur hujus nostri privilegii tentaverit refragari instituto, sit sub anathematis pœna, donec resipiscat. Conservator vero, apostolica refertus benedictione, a sancta et individua Trinitate perpetualiter æternam consequatur salutem.

Datum IV Nonas Septembris, per manus Friderici diaconi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii et cancellarii vice domni Herimanni archicancellarii et Coloniensis archiepicopi, anno domni Leonis IX papæ quinto, indictione secta.

(Sigillum plumbeum.)

LXXXVIII.

S. Leo IX, Dominicum ex monacho episcopum Valvensem a sese factum confirmat.

(Anno 1053.)

[Ughelli, *Italia Sacra*, I, 1361.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri Dominico Valvensis Ecclesiæ episcopo, cunctisque successoribus tuis in eadem Ecclesia canonice promovendis in perpetuum.

Etsi jubemur, dum tempus habemus, a Domino bona operari, maxime tamen ad domesticos fidei. Unde omnibus Ecclesiis Christi, pro ea quæ nobis credita est dispensatione, sollicitudinem nostram habemus, sic debemus invigilare longinquis, ne in aliquo absimus propinquis. Itaque ad suggestionem tuam, charissime confrater et coepiscope Dominice, quem ex cœnobii disciplina ad episcopatus curam repromovimus, gaudemus, et antecessoribus nostris atque nobis fideliter et jugiter deservire in S. R. Ecclesia cognoscimus. Sed Valvensis Ecclesiæ, cui Domino auctore præsides, quamvis peccatis facientibus malitia sæcularium hominum et peccatorum ejus, sua, non quæ Jesu Christi sunt, quærentium, supra modum desolatæ et destructæ, munimine apostolici privilegii contra impetus et machinamenta sacrilegorum obtendimus. Igitur auctoritate apostolica per hoc nostræ constitutionis privilegium conce-

Digitized by Google

dimus et corroboramus tibi tuisque, ut dictum est, successoribus in perpetuum, episcopatum Valvensem cum omni sua integritate et pertinentia, sicut antiquis et justis limitibus determinatur, scilicet a fossato Luparelli ad portellas sive columnas, et a furca de Gorza ad Stasilum inter montes; hinc a castello de Furca ad Serram de Caunatina, et a Serra de Sigella ad Serram de monte Christi, inde a monte Ceneracici ad crucem, inde a valle Araldi ad muricem de celici, et a terra de cantu ad furcam Mizula, deinde a robore cerurci, et campo olomeo, et a canite ad columnellam de campo Mezzo, ubi exit aqua de sangro, et pergit ad fossatum Luparelli, quod jam dictum est. Principaliter quoque confirmamus tibi ad episcopalem sedem Ecclesiam S. Pelini cum omnibus sibi juste pertinentiis, et pariter Ecclesiam S. Pamfili cum cæteris ecclesiis et capellis, quæcunque intra præfatos posita esse noscuntur, cum omnibus pertinentiis earum, ita ut decimas et oblationes tam vivorum quam etiam mortuorum, secundum auctoritatem eorum canonum, prout tibi videbitur, sicut episcopum decet, disponas et dispenses. Clericorum causas et negotia ad sæculares homines et eorum judicia transire non consentias, sed tu ipse et successores tui audiatis et canonice definiatis. Et, quia malorum pectorum negligentia simul et nequitia monumenta chartarum vel privilegia antecessorum nostrorum, et si qua sunt alia instrumenta quibus possessiones et bona ipsius episcopatus firmabantur et retinebantur, aut perdita aut subtracta fuisse constat, per hoc nostræ auctoritatis privilegium sancimus ut nihil hoc præfatæ Ecclesiæ noceat, sed juxta quod Otto imperator Grimualdo ejusdem Ecclesiæ episcopo etiam per præceptum edixit, ubicunque necessitas et justitia ipsius episcopatus fuerit, sub interpositione sacramenti, per veraces homines tam divites quam etiam mediocres, quos idem episcopus denominaverit, in cujuscunque potestate sit ipsa justitia, inquiratur, et Ecclesiæ dictæ restituatur. Insuper decernimus sub interpositione districti anathematis, ut quicunque conscius est possessionum vel bonorum quæ jure competunt præfato episcopatui, et tamen inde alienata ab improbis hominibus detinentur, episcopo aut suis manifestet, ne malis aliorum consentiendo et tacendo, sacrilegus apud Dominum existat; omnes etiam chartæ factæ ad damnum Ecclesiæ, vel quæ fuerunt ipsi Ecclesiæ subtractæ, et detinentur ab invasoribus, apostolica auctoritate sint inanes et vacuæ. Hinc S. Romanæ et apostolicæ sedis, cujus juris episcopatus ille specialiter esse dignoscitur, auctoritate, sub interminatione districti anathematis, interdicimus ne aliqua magna vel parva persona cujuscunque conditionis et dignitatis molestare, inquietare, divestire præsumat eum absque discussione ex omnibus rebus mobilibus vel immobilibus sese moventibus, quæ nunc possidet, et deinceps juste acquirere et possidere poterit. Quod si quis, Dei et animæ suæ inimicus, quocunque modo vel ingenio hujus apostolici privilegii temerarius prævaricator existere non timuerit, et aliquid eorum quæ hic aut confirmantur aut infirmantur a nobis, sibi præsumpserit contra hoc quod nostræ auctoritatis censura hic promulgatur, perpetua anathematis sententia se gehennæ cum diabolo, et angelis ejus irrecuperabiliter mancipandum noverit, nisi forte, dum vivit, digne Domino et Ecclesiæ suæ satisfecerit. Qui vero divinæ pietatis intuitu et sanctæ obedientiæ reverentia fidelis conservator exstiterit hujus, benedictionem hic et in futuro promeretur, præmiumque sempiternæ beatitudinis in electorum Dei cœtibus. Amen.

Datum in Benevento XII Kal. Januarii per manus Federici diaconi et bibliothecarii, ac cancellarii S. A. sedis vice D. Heremanni Coloniensis archiepiscopi, et archicancellarii anno dom. Leonis IX papæ, V, ind. VI.

LXXXIX.

Epistola S. Leonis IX ad Henricum Francorum regem.

Fragmentum. — (Anno 1054.)

[Duchesne, *Hist. Franc. Script.*, IV, 145, ex Decreto Ivonis, parte IX, cap. 8.]

Pater tuus Robertus, laude et consultu episcoporum regni tui, Bertam matrem Odonis comitis sibi duxit uxorem. Ob quam rem, quoniam sibi erat carnis affinitate conjuncta, ab antecessore nostro, cum episcopis qui placito interfuerunt, excommunicati, post ad sedem apostolicam venientes cum satisfactione, sumpta pœnitentia, redierunt ad propria.

XC.

S. Leo IX Vaticano S. Petri templo decimam oblationum partem elargitur.

(Anno 1054.)

[*Bullarium Vatic.* I, 35.]

In nomine Domini, amen. Hoc est exemplum, sive transumptum, cujusdam papalis privilegii felicis recordationis domni Leonis papæ noni, ejus vera bulla plumbea in filis sericis bullati, non vitiati, non abrasi, non cancellati, nec in aliqua sui parte suspecti, sed omni vitio et suspicione carentis, cujus tenor, de verbo ad verbum, per omnia talis est.

Beate Petre apostole, ego Leo episcopus, servus tuus et omnium servorum Dei, de tuis donis aliquam tibi offero particulam, quam mihi dignum fuit visum, dignum et justum curis quibus circumdor, auferre et tibi offerre quasi meam, cum sit tua. Quidquid enim est quod in nostris juribus sit (210), licet sit parum ad conferentiam præteritorum quæ

(210) Quæ magni principes cæteraque fidelium turba in Vaticano, S. Petri templo, offerebant munera, hæc a Romanos antistites potissimum spectasse et inter apostolicæ sedis jura enumerata esse, nedum hoc Leonis IX diploma, sed et Eugenii III, Innocentii III aliorumque summorum pontificum bullæ, inferius producendæ, luculenter ostendunt. Hujusce consuetudinis ea, ni fallimur, ratio est quod gloriosa beati Petri confessio, uti majoribus nostris persuasum esse intelligimus, Romanam Ecclesiam referret. Lectorem ita præmonendum duximus, ne miretur pontificiis diplomatibus opus fuisse, ut Va-

Digitized by Google

nostri antecessores habuerunt, id tamen, quantulumcunque sit, digne tecum judicavi sortiendum. Ecce enim de oblationibus fidelium, quæ tibi offeruntur in altari tuo, sub quo sacrum et venerabile corpus tuum requiescit et etiam in confessione ipsius altaris, decimam partem tibi, quamvis tuum totum sit, humili devotione et tota cordis prosternatione offerimus, donamus, concedimus, et etiam corroboramus atque confirmamus ad constructionem et resarcionem (*sic*) ipsius tui sacri templi in æreis tegulis, parietibus, picturis, lignis, tectis, imbricibus, et præterea luminarium concinnationibus assiduis, olei, ac cereæ, nec non lampadibus vitreis, et cicindelis (211), atque thymiamati cæterisque omnibus utensilibus quæ ad usum et necessitatem atque decorem totius ipsius ecclesiæ pertinent. Decimam vero ipsam semper volumus esse decimam diem, ut oblatio quæ tibi debetur, separata sit a cæteris oblationibus, et nullum aliqua confusione patiatur errorem. Super hoc etiam, si qua vasa, si qua ornamenta vel indumenta ecclesiastica super ipsum sacrum et venerabile altare tuum oblata fuerint ad cultum Dei, divinis officiis et mysteriis necessaria, conferimus ea omnia ipsi tuæ ecclesiæ, ibi perpetim permansura in usum solarium Deo et tibi illic tuam servire et serviturum. Addendum quoque credimus illud oblationis munus, ut quidquid scilicet per fideles ad ipsum tuum altare, et ad ipsam confessionem offertur in vigiliis Natalis tui, et in ipsa tui Natalis die, beate Petre apostole, totum sit speciale tuum pro luminaribus, et cæteris diversis necessitatibus, ad ipsa tua solemnia agenda pertinentibus. Nec illud prætermittendum censuimus ut, quotiescunque de quibuscunque regnis et terris tributa, sive ad altare tuum offeruntur (212), sive ad apostolici pedes ponuntur, sive quovis modo tuæ apostolicæ sedi, cui Deo auctore præsidemus, persolvuntur, decima pars eorum semper tibi, beate Petre apostole, debeatur, ad reformationem ecclesiæ tuæ, et cætera quæ superius diximus. Ut vero hæc omnia observentur illibata, tam a successoribus nostris in sede tua, o beate Petre apostole, usque in finem sæculi sessuris, quam etiam cunctis hominibus, tam magnis quam parvis, tam divitibus quam pauperibus, mediocribus, diversi sexus et ætatis, statuimus apostolica censura, qua, licet indigni, fungimur vice tua, sub divini judicii contestatione, et terribilis anathematis interpositione, ut scilicet quicunque contra hoc nostræ humilitatis donum tibi de tuo, beate Petre apostole, fideliter ac pure collatum, venire tentaverit et intemeratum non custodierit, non solum segregatus sit a communione fidelium in hac temporali vita, sed in illa quoque æterna damnatus sit perpetuis pœnis et gehennalibus tormentis. A contrario etiam, quicunque devotus custos et cautus observator nostræ oblationis exstiterit, divinis benedictionibus augeatur, et hic per te, beate Petre apostole, a peccatorum vinculis absolvatur, et illic quoque per te intra januam regni cœlestis admittatur. Hoc itaque nostræ devotionis privilegium, ut verius credatur et certius habeatur, subscriptione nostra roboravimus, et roboratum nostro significari sigillo (213) jussimus ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi apud quem beate Petre apostole, semper esto memor nostri, et omnium ovium quas suas ipse pascendas tibi commisit, et per nos miseratus pascit et pascet adhuc per alios in sæcula sæculorum.

✠ Ego Leo episcopus servus tuus, beate Petre apostole, donum, quod tibi de tuo feci, manu propria roboravi.

—

Acta, scripta, transumpta, publicata et auscultata sunt prædicta omnia coram reverendissimo in Christo patre et domino, domino Anibaldo, miseratione divina episcopo Tuscul., sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card., apostolicæ sedis legato de latere, pro tribunali sedente Romæ, in palatio papali apud Sanctum Petrum, qui huic transumpto præsenti scripto, lecto, publicato, exemplato, et auscultato, suam et sui officii auctoritatem interposuit, et decretum, et eidem voluit et decrevit ubilibet in judicio et extra, sicut principali privilegio fidem plenariam adhiberi, mandans suum sigillum eidem appendi ad majoris roboris firmitatem. In præsentia reverendorum virorum, dominorum fratris Francis i abbat. monasterii S. Bartholomæi de Camporegio Eugubinen. dioc. Decretor. Doctoris cancellarii, et Roberti de Placentia Jurisper. auditoris, ac Joannis Thomæ de Ceccano, canonic. Parisien. nepotis, et capellanorum supradicti domni legati, ac plurium aliorum notariorum et testium litteratorum, ad præmissa vocatorum et specialiter rogatorum, ac in præsentia mei Gualterii, et Pauli de Sancta Victoria, et Matthæi de Spoleto notariorum, in ra scriptor. ad hanc publicationem, auscultationem, decreti et auctoritatis interpositionem specialiter vocatorum et rogatorum, sub anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo Jubilæo, pontificatus sanctissimi et domni nostri Clementis papæ VI anno octavo, indictione tertia, mensis Mai die decimo.

Et ego Matthæus Salvi, clericus Spoletanus publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, prædictas litteras apostolicas coram supradicto domno legato, pro tribunali sedente, vidi et legi, easque

ticana basilica et eidem inservientes, oblationum quæ in ipso templo fierent, portione aliqua rite potirentur.

(211) Nempe *vitreis lampadibus*; quod plane constat ex Vit. S. Cæsarii Arelatensis, ubi hæc habentur : « Unus de cubiculariis, dum cicindelam concinnaret, de manibus super lapidem lapsa est; quæ nec versa est, nec fracta, nec exstincta. » Consulatur Cangii Glossar., et Indiculus exoticar. vocum, suppositus Codici regul., Lucæ Holstenii.

(212) Plurimas quidem et maxime opulentas fuisse quæ in Vaticana basilica olim fiebant oblationes, nemo inficias ibit, qui prisca Romanæ Ecclesiæ monumenta vel tantisper versaverit. Rem hoc in loco prosequi, supervacaneum; exempla enim apud Anastasium bibliothecarium ubique occurrunt; ac viri doctissimi, Justus Fontaninus, et Petrus Moretus; ille in opusc. De disco argenteo votivo; hic in Opere de presbyt. part. 1, sect. 4, plura ad hoc institutum spectantia observarunt.

(213) Ectypon bullæ plumbeæ pendentis e diplomate quod Leo IX edidit pro monasterio Fuldensi : ex Friderici Schannat accurate exhibet Bullar. Romanum, nova edit., pag 383.

Digitized by Google

cum præsenti transumpto, una cum Paulo Francisci subscripto et Gualterio domni Frederici de Clarmonte infra scriptis, notariis publicis, auscultavi; et quia ipsas cum prædicto præsenti transumpto concordare inveni, nil addito vel minuto, quod facti substantiam immutet, vel variet intellectum, ideo de mandato supradicti domni legati, me subscripsi, et rogatus signum meum apposui consuetum.

Et ego Gualterius, domni Friderici de Clarmonte clericus, Firman. dioc. publicus apostolica auctoritate notarius, prædictas litteras apostolicas scripsi, transumptavi, et exemplavi per omnia, prout in litteris ipsis apostolicis, de verbo ad verbum, vidi et reperi contineri, nil addito, minuto vel mutato quod substantiam mutet, vel variet intellectum, nisi forte litteram vel syllabam per errorem. Et ipsum transumptum coram prædicto reverendissimo patre et domno nostro, domno Anibaldo, cardinali apostolicæ sedis, legato pro tribunali sedente, ut supra, ac præsentibus prædictis testibus litteralis, domnis cancellario, auditore, nepote, et capellanis dicti domni legati, ac quampluribus aliis notariis et testibus litteratis, necnon Paulo Francisci et Matthæo de Spoleto, notariis publicis supradictis, ad hanc publicationem, ac decreti et auctoritatis interpositionem, ut supra dicitur, vocatis specialiter et rogatis, legentibus, videntibus et auscultantibus, cum prædictis apostolicis litteris legi, et fideliter auscultavi; ipsumque, de mandato supradicti domni cardinalis legati, et ad instantiam venerabilium virorum, dominorum, prioris, canonicorum capituli, sacrosanctæ basilicæ principis apostolorum de Urbe ibidem præsentium, ipsum transumptum et exemplum in hanc publicam formam propria manu redegi, eoque signo consueto signavi rogatus.

XCI.

S. Leo IX W [*iberto*], *episcopo Mutinensi, mandat ut ecclesiæ B. Simeonis* (*Padilirouensis*) *ab episcopo Mantuano consecrandæ intersit.*

(Anno 1054.)

[Mabill. *Acta SS. ord. Bened.*, sæc. VI, parte II, pag. 168.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, W. [Wiberto] Mutinensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Mirabilis Deus in sanctis suis, gloriosus et mitis, magnæ misericordiæ, et super malitiam præstabilis, multorum fidelium ut vera comperimus relatione, centupla remuneratione donavit sancti sui confessoris meritum et laborem Simeonis. Reverentissimo abbati sancto Benedicto exhibeatur honor, adjuncto sibi socio Simeone monacho, eremita et diacono. Mantuanus episcopus novam ibi consecrabit ecclesiam, cui volumus ut exhibeas honorificentiam, scilicet interesse te volumus huic consecrationi et hujus corporis elevationi, et altare in ejus honore consecretur, quem Deus summa virtutum clarificavit dignitate.

XCII.

S. Leo clerum et populum Auximanum docet anathematizandos eos esse qui sequantur illum « perversum et prorsus exsecrabilem quarumdam plebium consuetudinem, ut videlicet, suo defuncto episcopo, domum episcopi hostiliter irrumpentes invadant, facultates ejus diripiant, prædiorum domos incendant, vites insuper et arbusta, bestiali immaniores feritate succidant. »

(Anno 1054.)

[Vide inter Opera B. Petri Damiani, *Patrologiæ* tom. CXLIV, col. 517.]

XCIII.

S. Leo Petri Domiani librum (Gomorrhianum) *« contra quadrimodam carnalis contagionis pollutionem » collaudat.*

(Anno 1054.)

[Vide Petrum Damianum, Opp., *Patrologiæ* tom. CXLV, col. 159.]

XCIV.

S. Leo Petri Damiani eremum « quæ dicitur Ocri, in Saxena videlicet territorio constitutam, privilegiis ornat. »

(Anno 1054.)

[Vide *Patrologiæ* tom. CXLV, col. 15.]

XCV.

S. Leo IX facultatem dat Berardo abbati Farfensi advocandi quemcunque episcopum voluerit ad consecrandum Farfense templum.

(Anno 1053.)

[Muratori *Script. Rer. Ital.* II, II, 620.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Berardo abbati Sanctæ Mariæ de Farfa salutem et apostolicam benedictionem.

Petitiones tuas justas adimplere non denegamus. Itaque tibi auctoritate nostra liceat conquirere episcopum, qui tibi tuam consecret ecclesiam, undecunque volueris. Cave tamen ne sit Simoniacus.

XCVI.

S. Leonis IX bulla pro parthenone S. Laurentii in Alsatia.

(Anno 1054.)

[Mabill. *Annal., ord. S. Bened. IV*, 736.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, ecclesiæ, in loco qui dicitur Ilesse positæ, in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ, et in memoria sanctorum Martini confessoris, et Laurentii levitæ gloriosi et igne purgatorio assati martyris, dedicatæ, et per eam Sebergæ [*f.*, Gerbergæ] abbatissæ nepti nostræ, et post eam successuris inibi Dei ancillis in perpetuum.

Martinus, hic pauper et modicus, quo cœlum divites ingrediamur dulciter monet, ut sibi suisque amicabiliter serviamus. Assatus ut piscis, Laurentius, quemadmodum ipse dicit, suavem gloriam promeruit, ita et nos sibi suoque Domino nostro Jesu Christo vult per multos labores inservire, ut sic digni efficiamur operarii sua mercede. Hac unius leni mansuetudine, et alterius aspersa impulsione commoniti, quod solemus et debemus, etiam huic ecclesiæ confirmationem nostri privilegii gratis concedimus pro sanctorum debita veneratione et parentum nostrorum, inibi in Christo quiescentium, memoriali ac præcordiali devotione. Tegit enim martyr patrueles nostros comites, Mathiridum et bonæ memoriæ Gerhardum, ejusque uxorem, devotam famulam Dei, Cunisam, et cordis nostri, dum vixit, dulce solamen, fratrem nostrum Hugonem. Et quia suus mitis confessor cujuscunque sanctorum sibi vindicavit corpora, non se elonget, eorum precibus exigentibus, vel alienet ab animarum apud Deum obtinenda venia, ut sub cujus protectione vixerunt, tuitione propitia per eum æterna promereantur gaudia. Confirmamusque eidem loco illa quæ nominati eidem, vel

Digitized by Google

alii parentes nostri, contulerunt bona, et quæcunque concessit jam illuc vel in perpetuum concessura est quælibet Deo fidelis persona. Et ut noverint omnes quantum honorem huic loco semper optaverimus, justis precibus dominæ Mathildis et filii ejus Henrici, nostri quondam nepotis, altaria in ipsa ecclesia tria nos ipsi dedicavimus. Quod quia eminentius altiusque præ cæteris est constitutum, decrevimus etiam illud magnificentius speciali honore glorificandum, ut nemo ibi celebret missam, nisi archiepiscopus, vel episcopus ipsius diœcesis, vel idonei ipsius ecclesiæ hebdomadarii. Si quis autem alia persona orationis vel alicujus negotii supervenerit causa, ad idem altare, ut missarum solemnia exsequatur, non præsumat accedere, nisi de abbatissæ vel aliarum sanctimonialium consensu et licentia. Celebretur etiam dedicatio ab omnibus loci ejusdem incolis, VII Kal. Decembris.

Ut autem probabile testimonium huic ecclesiæ ab omnibus de bonis suis adhibeatur, nomina ipsorum bonorum vel prædiorum, quæ modo libere habet, fideliter subscribi fecimus; hæc autem sunt : In civitate Metensi tria curtilia, ecclesia de Albertorf integra cum conductu, et medietas ejusdem villæ; Landeldingen datus a Beselmo, apud Nunhirchen mansus cum lacu piscatorio datus a Trusingo, apud Volteringen forestus a Bezolino datus; ecclesia tota de Steinsilide cum conductu et omni integritate. Ad curiam hospitii et hominibus suscipiendis pertinet Volfresingen et apud Halbessurt molendinum et mansus unus, et apud Terolnesheim vinea duas carratas vini solum per annum. Ad abbatiam autem ipsam, sicut et alia prædicta, pertinet etiam quarta pars ecclesiæ apud Sitterfdorff, et tertia pars telonei apud Sarburg; ecclesia Monheim tota cum conductu et omni integritate, et quarta pars ejusdem villæ; medietas villæ quæ dicitur Meingeringem, et ecclesia cum conductu et tertia pars decimæ. Sacerdosque illius ecclesiæ omni anno in Natali Domini triginta nummos pro eulogiis persolvit abbatissæ. Ecclesia Berthingen tota cum conductu et omni integritate, et medietas villæ ejusdem ecclesiæ Igolingen cum conductu et villa, ex toto data per manus Mathildis dilectæ uxoris fratris nostri Hugonis prædicti, et filii ejus Henrici; moneta apud Hesse cum totius mercati utilitate; quarta pars ecclesiæ de Tesselingen cum conductu et omni integritate; ecclesia de Belnoylre tota cum conductu et omni integritate. De hac ecclesia quinque solidi omni anno persolvuntur. Ecclesia Malscheidt tota cum conductu et omnibus ad Christianitatem pertinentibus. De hac etiam quinque solidi omni anno persolvuntur. Ecclesia Elbersmytre tota cum conductu et omni integritate. De hac etiam quinque solidi omni anno persolventur. Ecclesia Bettelingen tota cum conductu et villa ex toto et omni integritate. De hac etiam omni anno duo solidi persolventur. Apud Rodesheim tres partes decimæ ecclesiæ inferioris, et ipsa ecclesia cum conductu et omnibus ibidem ad Christianitatem pertinentibus. De Dreheim, omni anno, sex carratæ vini ad cellarium monialium dantur, et in festo sancti Martini decem solidi ibi persolvuntur, absque aliis beneficiis quæ inibi sunt posita. Apud villas Bosseringen, Schalbembach, Olba, Richenhofem, prata, agri, curiæ non modicæ. De familia autem ecclesiæ, ac suæ catholicæ fidei et honestæ religionis, pater noster Hugo, justus in eisdem bonis advocatus et hæres, hanc constituit concordiam ut invicem se in legali matrimonio, secundum suam conditionem, conjungendi liberam habeant licentiam : ita ut, si ex illa conjunctione numerosa proles procreata fuerit, æqualiter dividatur ecclesiæ et hæredi. Si autem non procreatum fuerit inde nisi unum cujusque sexus mancipium, pro speciali sua reverentia habeat ecclesia. Quod et nos confirmamus, atque in perpetuum taliter permanere stabilimus, necnon et omnia ad ipsam ecclesiam pertinentia, stabilia et firma, et nullo modo violanda, hac nostræ præceptionis pagina corroboramus, et nihil horum, neque imperator, neque rex, neque dux, neque marchio, neque comes, neque vicecomes, neque advocatus, neque aliquis hæres, et neque archiepiscopus, neque episcopus, vel aliqui ecclesiastici ordinis, seu mundanæ conditionis, magna parvaque persona infringere, vel minuere aut invadere præsumat; si autem aliquis præsumpserit, liberam habeat licentiam adeundi auctoritatem apostolicam. Violatorem ergo hujus præcepti, Martinus pius, nisi resipuerit, non defendat, Laurentius, læsus in illum, iratus insurgat, sitque omnibus sociis ingratus, atque divinum anathema sustineat; conservatorem vero divina gratia circumveniat, et apostolica benedictio conservet et muniat

XCVII.

S. Leo IX confirmat fundationem abbatiæ S. Joannis Baptistæ Florinensis pro monachis Benedictinis in diœcesi Leodiensi, haud pridem institutæ per Gerardum Florinensem toparcham, dein Cameracensem episcopum.

(Anno 1054.)

[Miræus *Opp. diplom.* IV, 4.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ, et per eam Gonisoni abbati ac ejus successoribus in loco qui dicitur Florinas, salutem et apostolicam benedictionem.

Convenit apostolico regimini ut in omnibus prudenter ecclesiastico provideatur honori. Quapropter, Gonisso abba, in Christo dilecte fili, in quo, quia suum pleniter honorem monastica obtinet religio, mihi bene complacuit, firmum de bonis ecclesiæ tuæ, id quidem summopere postulanti, concedimus privilegium, quod videlicet, ob mutuam petentis et donantis benevolentiam, animæ tuæ simul ac nostræ apud Dominum salutem obtineat et gloriam.

Paterna pietate benignum assensum præbuimus Cameracensis episcopi venerabilis Gerardi (214) justis

(214) Gerardi Cameracensis episcopi fundationem, diplomate S. Henrici imp. confirmatam anno 1012 vide Patrologiæ tom. CXL, initio.

Digitized by Google

precibus, ut, quia ipse præfatam sumptu tuo et de rebus propriis cum fratre Godefrido construxit et donavit ecclesiam; hanc a nobis mereatur recipere gratiam. Annuimus, inquam, voluntarie, et sibi et tibi, frater charissime; et vos quidem, quos apud alios commendat ætas et exterius reverenda canities, mihi gratos fecit moralitas interior et inviolabilis fides. Memores etiam in hac tua petitione fuimus fratris tui domini Wasonis, Tungrensis Ecclesiæ vigilantissimi pastoris, qui, dum vixit, æquitatis norma, catholicæ religionis, canonicæ simul honestatis semper fuit regula.

Hanc igitur nostræ præceptionis paginam fieri jussimus, statuentes apostolica censura, ut nihil horum quæ præfato monasterio a quibuscunque fidelibus concessa vel concedenda sunt in perpetuum, aliquis temerario ausu infringere vel imminuere audeat, ne, dum præcursorem et Baptistam Domini offenderit, quo inter natos mulierum major nullus surrexit, Dei omnipotentis iram incautus incurrat.

Datum . . . . . .

XCVIII.

Epistola seu breve S. Leonis IX, pro cœmeterio prioratus Sancti Orientii Cluniacensis ordinis.

(Anno 1054.)

[*Bullar. Cluniac.* 43.)

Leo episcopus, servus servorum Dei, Raimundo archiepiscopo Auxiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad aures nostras clamor monachorum Sancti Orientii commorantium in suburbio civitatis, pro injuria quam loco illorum inferre niteris de cœmeterio extra usum antiquæ consuetudinis: non enim meliores sumus quam patres nostri. Quapropter tibi mandamus atque sub auctoritate Dei et sancti Petri et nostra præcipimus ut prædictum monasterium novis legibus et inauditis consuetudinibus in nullo infestes, in nullo molestes, tam in cœmeterio quam in aliis rebus ad ipsum locum pertinentibus. Decernimus itaque canonica et apostolica auctoritate ut nulla ecclesia terminos statutos a Patribus audeat transire. Unde vos admonere volumus et præcipimus ut quod usque modo non habuistis, nec intra urbem, nec extra, vobis injuste vindicetis. Scilicet sicut fuit cœmeterium temporibus antecessorum vestrorum, ita permaneat in sæculum in futurum.

XCIX.

S. Leo IX confirmat fundationem percelebris abbatiæ S. Mariæ apud Santones.

(Anno 1054.)

[*Gall. Christ.* II, Instrum., 481.]

Rectore omnium ordinante Deo, Leo ego, Romanæ sedis papa.

Innotescat volo omnibus catholicæ Ecclesiæ cultoribus quod Goffridus, comes Andegavensis, et Agnes comitissa locum S. Mariæ Sanctonensis cœnobii, quod monachabus inibi sub beati Benedicti regula degentibus Deo devote fundaverunt, nostra auctoritate confirmari et auctorizari postulaverunt et nostri regiminis tuitione confortari deprecati sunt, quorum petitioni assensum præbentes confirmamus et constitutionis tantæ locum liberali, ut deprecati sunt, jure sub nostra defensione suscipimus. Unde omnes Dei fideles charitative submonemus ne tantum opus disturbare et dissipare Dei servitium vel Deo devotas patiantur. Quod si aliquis huic divino operi insidiari præsumpserit, concessa vel concedenda calumniando et devastando, iram perpetuæ damnationis incurrat, et S. Dei Genitricis omniumque Sanctorum accusationem non evadat, et nostrum anathema, quantum Dei judicio traditum nobis est, apostolica etiam auctoritate concessum Dei inimicum dare in interitum, in æternum damnum sentiat. Hujus vero conscriptionis chartam, ut firmiorem obtineat vigorem, sigilli nostri impressione signari curavimus.

C.

S. Leonis IX epistola ad Michaelem Constantinopolitanum patriarcham, adversus ejus et Leonis Acridani episcopi inauditas præsumptiones et nimias vanitates (215).

Leo episcopus, servus servorum Dei, Michaeli Constantinopolitano, et Leoni Acridano, episcopis.

I. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Hujusmodi exordium docuit nos illud Dominicum: *In quamcunque domum aut civitatem intraveritis, primum dicite: Pax huic domui; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur* (*Luc.* X). *In pace etenim vocavit nos Deus* (*I Cor.* VII), *qui est pax nostra; qui fecit utraque unum, et veniens evangelizavit pacem his qui longe, et his qui prope erant* (*Ephes.* II): et inter nonnulla dixit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). Quorum pedes Deiloquus Isaias admiratus, proclamat: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem!* (*Isa.* LII; *Rom.* X.) Ad quam magnus Paulus contestando sic discipulos adhortatur: *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII). Et: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* XII). Et rursum: *Pacem habete, et Deus dilectionis et pacis erit vobiscum* (*II Cor.* XIII). Nec immerito, dicente discipulis suis, imo omnibus Christianis ipso Domino: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV). Quæ utique quam germano et unanimi affectu, et indissolubilis fœderis nexu retinenda sit, hinc potest colligi quod eam, ultimam cohæredibus et comparticipibus suis, velut hæreditario et perpetuo jure commendatam, sub testamento mox suo sanguine subscripto et pia morte confirmato reliquit, quasi diceret: Fratres et cohæredes mei, relinquo vobis ex patrimonio nostro sortem, temporalem videlicet pacem; quam si integram et incontaminatam in fine mihi repræsentaveritis, meam sortem, pacem scilicet sempiternam, adjungo vobis. Nec his contentus, Patri

(215) Vide infra in appendice epistolam Michaelis Cerularii et Leonis Acridani.

Digitized by Google

æqualis, Patreque minor, pro hac ipsa Patrem sic deprecatur, ad Patrem suum, et Patrem nostrum, a quo nunquam discesserat, rediturus : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut sint unum, sicut et nos unum sumus, et sint consummati in unum* (*Joan.* XVII).

II. Sed *Væ mundo a scandalis* (*Matth.* XVIII), quia, cum pene omnes paginæ divinæ nos pariter invitent ad bonum unitatis et pacis, quatenus cor unum et anima una sit nobis in eo qui unanimes in domo sua, quæ est catholica Ecclesia, habitare facit, exstitere tamen hactenus, et existunt miseri homines, sua, non quæ sunt Jesu Christi, quærentes (*Philip.* II), per omnia militibus Dominum gloriæ crucifigentibus nequiores. Illi siquidem corruptibili tunicæ ipsius, quia inconsutilis et desuper contexta erat per totum, pepercerunt, dicentes : *Non scindamus eam* (*Joan.* XIX), quadam utique reverentia admirati et textricis diligentiam et operis elegantiam. Isti vero incorruptibili charitati ejus, qua univit Ecclesiam, ut exhiberet sibi vestem gloriosam, non habentem maculam aut rugam, impias et sacrilegas manus ad discindendum crudeliter injiciunt, linguas magniloquas et dolosas ad confodiendam illam exacuunt; nihili pendentes ineffabili et speciali artificio cœternæ Deo Patri sapientiæ compactam et contextam, nec humano ingenio, seu philosophorum syllogismis aut argumentationibus consutam : *Stulta enim mundi elegit Deus, ut confundat sapientes* (*I Cor.* I). Neque enim per rhetores et sophistas collegit piscatores, sed per piscatores et simplices piscatus est sophistas et oratores, quia, sicut egregius Paulus dicit : *Non est in sermone regnum Dei, sed in virtute* (*I Cor.* IV).

III. Verum erubescat et confundatur impia hæresis, impudenter inhians sectioni atque divisioni insecabilis et indivisibilis unitatis, reclamante et repugnante non solum ipsius unitatis natura, sed etiam humanæ sapientiæ conjectura. Discedant ergo perfidi corvi, milvi, vultures, et quæcunque laniatu vel morte aliena pascuntur aves. Sola columba ad arcam redeat et super caput Domini Jesu manens, totum corpus ejus, quod est Ecclesia, uniat, infundat et repleat, unicamque columbam de diversæ professionis et nationis hominibus atque linguis omnibus, quasi de diversis membris efficiat, cui voce Capitis, quod est ipse Christus, dicat : *Una est columba mea, perfecta mea, immaculata mea* (*Cant.* VI). Quæ enim semper *una* vocatur, et est, nunquam dividitur aut secatur; quæ semper *perfecta*, hoc est plena, nunquam minuitur aut evacuatur; quæ semper *immaculata*, nunquam corrumpitur aut maculatur. Quoniam, etsi nonnunquam ab ea plerique ita exeunt ut non revertantur, non tamen ejus unitas inde discinditur, aut perfectio minoratur, seu virginitas violatur. Quandoquidem membra corvina ad hoc revertuntur, ut suo corpori, a quo ad tempus videbantur esse disjuncta, reincorporentur, et integerrima permaneat columba illa unica, cui se incorporatos et unitos falso gloriabantur. Et quæ gemebat sub periculis in falsis fratribus, revelata illorum exitu, per os beati Joannis apostoli libere protestatur : *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum* (*I Joan.* II). Qui enim pectus columbæ, velut humores mali, solebant premere, et ad nauseam jugiter provocare, alicujus accessionis vel occasionis impulsu egressi, vel ejecti, aut potius egesti, comprobantur eam relevare; atque bonæ valetudinis statum sua discessione eidem revocare. Quotquot autem exeunt rediturі, omnino ab ea nequeunt avelli aut præcidi; et si videntur aliquandiu avulsi aut præcisi, quia *Novit Deus qui sunt ejus* (*II Tim.* II), per cujus prædestinationem sunt intus sine errore, etiam qui putantur foris esse, et errare; nec rapit quisquam de manu ipsius, quos jam prorsus raptos suspicabamur.

IV. Sed væ hominum superbiæ et arrogantiæ [ignorantiæ], qui membra Antichristi, et præcursores ejus effecti, qui est rex super universos filios superbiæ, non cessant zizaniorum pestes in medium tritici spargere, et messem, cui cœleste præparatur horreum, quantum in eis est, atterere. De quorum periculoso tempore dilectus Domini virgo Joannes voluit nos instruere : *Filioli*, inquiens, *novissima hora est, et sicut audistis quia Antichristus venit, nunc autem Antichristi multi facti sunt* (*I Joan.* II.) Hæc novissima hora a primo adventu Salvatoris incœpta, usque ad secundum ejus adventum est protendenda. Quæ quot Antichristos jam habuerit aut detexerit, dicere quis poterit? De quibus et Doctor gentium, mirabilis Paulus, Ephesiis in Actibus apostolorum ait : *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi graves in vos, non parcentes gregi; et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, uti abducant discipulos post se* (*Act.* XX). Sed, o Domine Jesu, pervigil Pastor, et Leo de tribu Juda, qui, secundum Psalmistam, super aspidem et basiliscum ambulas, et conculcas leonem et draconem (*Psal.* XC), jam in fine sæculorum oves pascuæ tuæ, variis insidiis et rabie innumerabilium luporum hactenus fessas, miseranter attende, et *increpa feras arundinis* (*Psal.* LXVII), quæ sæviunt, et dentibus frendunt super humilitatem Ecclesiæ tuæ, fulti et protecti arundineto, id est, mundana potestate, exterius quidem nitida, sed interius vacua, ubi, sicut ab beatum Job divina voce dicitur : *Non solum omnes bestiæ agri ludunt* (*Job* XL), cuncta scilicet turba malignorum spirituum secundum libitum suum debacchatur, verum etiam Behemot, eorum utique princeps, ibidem sub umbra dormit in secreto calami et locis humentibus, cum sine aliqua inquietudine vel contradictione in superborum et lubricorum cordibus requiescit securus. Catholica vero Ecclesia promissiones tuas retinens, Domine, quotidie gaudet compleri in doctoribus suis illud Sapientiæ : *Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent* (*Sap.* III), atque vento agitatas arundines comburent. Tunc fera

Digitized by Google

arundinis pariter interient, in quibus est *congrega io taurorum* (*Psal.* LXVII), cœtus videlicet hæresiarcharum cervicoso ducatu post se trahentium vaccas, id est, lascivas animas populorum, ut qui probati sunt argento, excludantur, scilicet perfecti in eloquiis divinis et stabiles in fide appareant, emineant vel manifestentur. Argento quippe eloquia divina significantur, ut idem Psalmista testatur : *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum* (*Psal.* XI). Per exclusionem autem, argentum vel aurum quodlam artificio subrigitur, elevatur et exprimitur, ut repente videatur respersum, et insigaitum decenti figuratione diversorum florum aut imaginum, quod prius humile jacebat et planum. Quod totum brevius et clarius sic eloquitur magnus Paulus : *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis* (*I Cor.* XI). Sed, o maligna hæresis, non inde tibi blandiaris, quod ab Apostolo, *Oportet hæreses esse*, audieris. Etenim in sancto Evangelio Dominus noster dicit : *Necesse est ut veniant scandala; verumtamen væ homini per quem scandalum venit!* (*Matth.* XVIII.) Nempe non est frustra in fornace aurificis palea, quia aurum non purgatur, si palea non uratur.

V. Hæc et alia similia his cum pene omnes sacri eloquii paginæ contra impudentem vesaniam hæreticorum concrepent, vehementer obstupescimus, et lacrymis charitatis plangimus, sic edormisse Ecclesiæ sacerdotes, quatenus qui Dei debuerant esse adjutores, non exhorreant eorum fieri sequaces quorum memoriam cum sonitu periisse, et civitates destructas vident. Inde est totum illud, quod tandem cum indicibili contritione et gemitu cordis ac corporis effundimus, in quo omnia viscera catholicæ matris concutiuntur, in quo omnes sensus Christianorum obtunduntur, in quo disciplina ecclesiastica et sanctorum vigor canonum confunditur ac calcatur, quia tu, charissime nobis, et adhuc dicende in Christo frater et antistes Constantinopolitane, tuque Leo Acridane, dicimini apostolicam et Latinam Ecclesiam nova præsumptione, atque incredibili audacia, nec auditam nec convictam palam damnasse, pro eo maxime quod de azymis audeat commemorationem Dominicæ passionis celebrare. Ecce incauta reprehensio vestra, ecce non bona gloriatio vestra, quando ponitis in cœlum os vestrum, cum lingua vestra transiens in terra, humanis argumentationibus et conjecturis antiquam fidem confodere ac subvertere moliatur. Ecce, nisi quantocius resipiscatis, incorporati et annumerati, quod absit! eritis in illa cauda draconis, qua tertiam partem stellarum cœli traxit, et in terram misit. Ecce jam post mille ac ferme viginti a passione Salvatoris nostri annos, incipit per vos discere Romana Ecclesia qualiter memoria passionis ejusdem sit recolenda, quasi nil ei contulerit præsentia, conversatio et diuturna institutio, seu, qua clarificavit Deum, mors pretiosa illius venerabilis senis, cui specialiter Christus Filius Dei vivi dicit : *Beatus es, Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis* (*Matth.* XVI).

VI. Non ergo perpenditis quanta impudentia dicatur Pater, qui est in cœlis, abscondisse a principe apostolorum, Petro, cultum, sive ritum visibilis sacrificii, per dispensationem Unigeniti sui, cui per semetipsum plenissime revelare dignatus est illius ineffabile arcanum invisibilis divinitatis ejusdem Filii sui. Et cui non per angelum, nec per prophetam, sed proprio ore, ipse Dominus angelorum et prophetarum sic repromittit in sequentibus : *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Ibid.*), illius capiti vos satagitis subtrahere Christum Jesum, præter quem nemo potest universali Ecclesiæ aliud ponere fundamentum (*I Cor.* III). Quod utique devotissimus ille Petrus non solum vivens, sed etiam moriens demonstravit, quando nimia humilitate et congrua significatione se crucifigi deorsum verso capite petivit; profecto divina inspiratione præfigurans sese esse primum et quadrum lapidem in fundamento, quod est Christus Jesus, compaginatum, cohærentem atque connexum; qui, utpote superpositus angulari lapidi, totum pondus ecclesiasticæ fabricæ incorruptibili soliditate sufferret, ac proprii capitis suppositione omnia membra corporis Christi per aptas et naturales compages, usque ad consummationem sæculi, quasi usque ad pedes crescentia, inflexibili collo ad cœlos sustolleret.

VII. Taliter sancta Ecclesia super petram, id est Christum et super Petrum, vel Cephan filium Joannis, qui prius Simon dicebatur, ædificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet hæreticorum, quæ vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda. Sic pollicetur ipsa Veritas, per quam sunt vera, quæcunque sunt vera : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Cujus promissionis effectum se precibus impetrasse a Petro idem Filius protestatur, dicendo ad Patrem : *Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Erit ergo quisquam tantæ dementiæ qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a sede principis apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum quam per successores suos, reprobata et convicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?

VIII. Præterimus nominatim replicare nonaginta et eo amplius hæreses ab Orientis partibus, vel ab ipsis Græcis, diverso tempore ex diverso errore ad corrumpendam virginitatem catholicæ Ecclesiæ matris emergentes. Dicendum videtur, ex parte, quantas Constantinopolitana Ecclesia per præsules suos susciteverit pestes, quas viriliter expugnavit, protrivit, et suffocavit Romana et apostolica sedes. Ecce Eusc-

Digitized by Google

bius Nicomediensis episcopus, sedis Constantinopolitanæ invasor, et signifer maledicti Arii exstitit. Quartus Macedonius hæresiarcha, suffocator antecessoris sui beati Pauli, blasphemator Spiritus sancti, tortor Christianorum, et usque ad mortem persecutor, et alter Julianus, charactere in frontibus notando catholicos. Hæc et alia mala, tam ipse quam sui sequaces, per omnes Orientis urbes, et maxime Constantinopoli, agebat, cum Hesperiæ partes ab hac tempestate immotæ manerent, teste vestro historiographo Socrate (*Hist. eccles.* lib. II, cap. 2). Quintus Eudoxius Arianus invasor sedis, et ordinator Eunomii hæretici, dicens Patrem ἀσεβῆ, quod nullum colat; Filium εὐσεβῆ, quod Patrem colat. Sextus Demophilus, ipse Arianus. Nonus Maximus, Cynicus et Apollinarista. Decimus Nectarius vir sanctus, ordinatus a sancta Constantinopolitana synodo prima; de quo, cum sancti Patres Damaso papæ et suis coepiscopis scripsissent, dixerunt: « Constantinopolitanæ urbis novellam, ut ita dicamus, Ecclesiam velut ex ore leonis, hæreticis suffossam blasphemiis, abstraximus: » teste Theodoreto vestro historiographo (*Eccles. Histor.* lib. V, cap. IX). Sed non inde omnino suffocatus est ille veternosus basiliscus et venenosus; quia successor hujus Joannes Chrysostomus ab ingrata Ecclesia bis est depositus, et in exsilio defunctus. Cujus depositionem non ferentes occidentales episcopi, id est Latini, ab Orientalium communione sunt segregati. Hujus successor Arsacius manu militari in Joannitas desæviit, in sequaces videlicet beati Joannis. Jam quintus decimus in catalogo Nestorius hæresiarcha exstitit, qui spiritu diaboli plenus, inter alias suæ perversitatis blasphemias, tale virus evomuit: « Dei genitricem Mariam nullus appellet; Maria enim homo fuit, et Deum ab homine generari minis impossibile est. » Qui etiam duas personas in Deo Christo mentitus est. Hinc septimus decimus Flavianus beatus præsul martyrio coronatus postea, quia damnavit Eutychen abbatem, unam substantiam vel naturam in Christo asserentem. Propter quod beatissimæ memoriæ domino papa Leone et Marciano Christianissimo imperatore factum est Chalcedonense concilium sexcentorum triginta pontificum. Quid dicemus de Acacio accusatore, et restitutore Petri Alexandrini episcopi, per quos plurima homicidia exstiterunt, nisi quod a sanctissimo Gelasio papa in perpetuum fuere ambo damnati cum Joanne successore et defensore Acacii? (*In tomo de anathematis vinculo* ep. 9, 11.) Post quos Anthimus Eutychianus hæreticus per præsentem papam Agapetum in ipsa Constantinopoli est depositus (Agap. *epist.* 4, 5.) Eutychius autem, quia dogmatizabat humanum corpus in resurrectione impalpabile futurum et vento aereque subtilius, a beato Gregorio tunc diacono ita est convictus, ut in præsentia piæ memoriæ Tiberii imperatoris codices dogmatis ejus justis flammis traderentur.

IX. Successit quoque huic Joannes, cujus superbiam, quamvis universus mundus capere nequiverit, A angustus tamen cespes post non multum temporis compressit. Hic nimiæ vanitatis novum nomen primus sibi usurpavit, ubi se a cunctis œcumenicum patriarcham, id est universalem, et dici et scribi debere decrevit. Pro qua utique præsumptione a beatis pontificibus Pelagio et Gregorio digna percussus est excommunicatione. Cujus contagii macula adhuc vobis cum ipsa maledictione sic adhæsit ut nunc quoque vos ipsos œcumenicos B patriarchas et appellare et scribere non timeatis. Et certe nomen istud a sanctis Patribus in Chalcedonensi synodo, ob reverentiam S. Romanæ et apostolicæ sedis, sanctissimo decessori nostro Leoni papæ, et præclarissimo doctori, successoribusque ejus fuit oblatum, sed nec ab illo, nec ab ullo successorum ipsius constat hactenus receptum. Et cui post Christum Jesum hoc nomen magis poterat aptari quam successoribus Petri? Sed imitanda humilitas reverendorum pontificum, attendens quod ipse princeps apostolorum non inveniatur dictus universalis apostolus, et superbum refutavit vocabulum penitus, quo videlicet par dignitas subtrahi cunctis per orbem præsulibus, dum uni ex toto arrogaretur, tanquam singuli dicerent verbis et factis, quod magister eorum et primus crucifigendus inquit: « Non sum dignus caput sursum ponere, sed declinare vultum in terram. » Vestra ergo fraternitas videat quanta apud se protervia tumeat, quæ nec oblatum sibi a quoquam, nec concessum, sed potius denegatum, et sub anathematis interpositione ab apostolica C et prima sede, et a sanctis atque orthodoxis Patribus interdictum superstitiosum vocabulum, tantæ obstinationis contumacia, per quadringentos jam a beatissimo papa Gregorio et amplius annos, usurpare non cessat: et qualiter, exemplo Domini nostri Jesu Christi et suorum, parati estis pro fratribus animas ponere, qui per tot tempora noluistis saltem inane nomen, et totius Ecclesiæ unitatem sua insolentia scandalizans deponere? et quid effect in vestris mentibus toties declamata in auribus ila gloriosi Apostoli professio, qui dicit: *Quis scandalizatur, et ego non uror?* (*I Cor.* II) qui non solum pro scandalo aliorum non uriminl. sed etiam scandalo vestro quotidie uritis Ecclesiam Dei?

X. Sed ut ad reliquos decessores vestros revertamur, quid de Pyrrho episcopo, imo hæresiarchæ Macarii Antiocheni sequace dicetur? qui veniens Romam scripto anathematizavit omnia quæ ipse et decessores sui contra fidem catholicam et apostolicæ sedis senserant? Sed quantocius ad vomitum reversus, a papa Theodoro est damnatus, et successor ejus Paulus, quod ab eodem Romano pontifice monitus et increpatus non resipuit, quando, velut simulachrum aut phantasma aliquod insensibile Dominum nostrum Jesum Christum arbitratus, nec unam, nec duas voluntates vel operationes in eodem fuisse diffinivit, et altare Latinorum et legatorum Romanæ Ecclesiæ, quod nemo hæreticorum ante eum præsumpserat, subverit. Ad cujus

Digitized by Google

rabiem, qua sæviebat in catholicos, destruendam, sanctissimus papa Martinus, collectis centum et quinque episcopis, damnavit Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, et Paulum, Constantinopolitanos episcopos. In qua utique vesania nec vos istis modo temporibus inferiores illo vestro Paulo, summam et apostolicam sedem, cunctosque institutionis ejus fidissimos observatores anathemate damnatis; incauta, impudenti arrogantia adeo cæcati, ut non animadvertatis quid, et qui faciatis, et cui. Illi nempe facitis præjudicium, de qua nec vobis, nec cuilibet mortalium licet facere judicium, beatissimo et apostolico pontifice Silvestro divinitus decernente, spiritualique ejus filio Constantino, religiosissimo Augusto, cum universa synodo Nicæna approbante ac subscribente ut summa sedes a nemine judicetur; inviolabiliter et inconcusse sibi conservato illo privilegio, quod idem princeps quarto baptismatis sui die devotus contulit pontifici Romano, scilicet ut in toto orbe sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut omnes judices, regem. Quorum semper omni mundo reverendam sententiam, sicut varie ter divina inspiratione promulgatam, ampleve reliquæ universales synodi, id est Constantinopolitana prima, consensu pii Augusti et religiosi majoris Theodosii, Ephesina prima, sub Juniore Theodosio, filio Archadii, Chalcedonensis, sub imperio divæ memoriæ Marciani, tertia Constantinopolitana, rogatu et consensu Junioris Constantini, unanimi voluntate, concordique verbo et scripto confirmavere sanctam Romanam et apostolicam sedem, post Dominum Jesum, caput esse omnium Ecclesiarum Dei, et hoc debere credi, confiteri et scribi ab omnibus venerabilibus Nicæni concilii cujus statutorum usque ad unum iota contemptoribus districtum anathema cautum est a quinque præfatis, et cunctis sanctorum Patrum synodis subsequentibus.

XI. Sic, juxta Sapientem, lapis missus non pergit ad cœlum (*Eccli.* XXVII), et maledictum, frustra prolatum, revertitur in auctorem suum (*Prov.* XXVI): sic, juxta vulgi proverbium, qui supra caput suum spuere conatur, quantocius in faciem illius sputum relabitur: Sic nobis maledictum pro maledicto non reddentibus, sed cum Psalmista, adversum nos peccatore consistente, custodiam ori nostro jam diu ponentibus (*Psal.* XXXVIII), per tumorem vestrum incurristis, quod dolemus, quia præjudicium faciendo summæ sedi, de qua nec judicium licet facere cuiquam hominum, anathema accepistis ab universis Patribus omnium venerabilium conciliorum. Quo indissolubiliter astringemini, si cor impœnitens retinendo super tantam præsumptionem, ab illo per vicarios ipsius non solvamini, cui specialiter dixit Christus, Filius Dei vivi: *Quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVI). Si conferamus vetera novis, Balaam ille hariolus in hac parte cautior fuit vobis, qui, reverens Deum, nec promissis, nec minis regis Moab ad maledicendum filiis Israel flecti potuit: *Quomodo*, inquiens, *maledicam cui non maledixit Deus? aut quomodo detestabor quem Dominus non detestatur?* (*Num.* XXIII.) Vos vero nec amor Dei et proximi, nec reverentia divinorum canonum, aut, sicut dicitur, orthodoxorum principum vestrorum prohibitio revocat, quin publice maledicatis et detestemini genus electum, regale sacerdotium, gentemque sanctam (*I Petr.* II).

XII. Quod quamvis omnibus Ecclesiis Christi, quæ unam catholicam in toto mundo efficiunt, a principe apostolorum, Petro sit vere dictum, nulli tamen verius aptatur quam illi cui proprie præsidet ipse qui cœlestis regni meruit gubernacula obtinere, Domino Jesu Christo sibi dicente: *Tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI), et, in speciali potestate ligandi et solvendi, summi sacerdotii privilegium. At quoniam, attestante Salomone: *Cor regis in manu Domini; quocunque voluerit vertet illud* (*Prov.* XXI): tantum apicem cœlestis dignitatis in beato Petro et in ejus vicariis prudentissimus terrenæ monarchiæ princeps Constantinus intima consideratione reveritus, cunctos usque in finem sæculi successuros eidem apostolo in Romana sede pontifices, per beatum Silvestrum non solum imperiali potestate et dignitate, verum etiam infulis et ministris adornavit imperialibus, valde indignum fore arbitratus terreno imperio subdi quos divina majestas præfecit cœlesti; cui equidem comparatum istud terrenum nihil est, nisi vanitas vanitatum, qua homines, obliti Domini Creatoris sui, intumescentes, mox detumescunt. Et tamen imperialis celsitudo hoc totum quod potuit effecit, quando tota devotione quidquid a Domino acceperat, eidem in ministris suis reddidit. Ut enim venerabilis Paulus docet: *Non est potestas nisi a Deo: quæcunque autem sunt, a Deo ordinata sunt* (*Rom.* XIII). Quibus in terreni regni opportuna administratione non resistendum sic instruimur per ipsum principem apostolorum: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sive regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei* (*I Petr.* II). Et post pauca: *Deum timete, regem honorificate* (*Ibid.*). Atque per coapostolum ejus Paulum: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Nam qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (*Rom.* XIII). Unde Sapientia in Proverbiis intonat, dicens: *Per me reges regnant, et principes justa decernunt* (*Prov.* VIII). Quod etiam sæpe dictus Augustus Constantinus perspicacis animæ vivacitate deprehendit, et matri suæ religiosæ Helenæ inter nonnulla sic rescripsit: « Qui moderatur sæcula, et disponit totius mundi suffragia, quibus alimur et sustentamur, per se quidem spirantia vivificat, sed per pectora principum sua jura sæculis dictat. »

XIII. His et aliis quamplurimis testimoniis, jam vobis satisfactum esse debuit de terreno et cœlesti imperio, imo de regali sacerdotio S. Romanæ et apostolicæ sedis, præcipue super speciali ejus dispositione in cœlis, si quoquo modo Christiani esse vel

Digitized by Google

dici optatis, et si ipsam Evangelii veritatem aperte, quod absit! non impugnatis. Ad cujus tonitrum quisquis non expergiscitur, non dormit, sed omnino est mortuus, cui jam frustra ab hominibus clamabitur. Sed ne forte adhuc de terrena ipsius dominatione aliquis vobis dubietatis supersit scrupulus, neve leviter suspicemini ineptis et anilibus fabulis sanctam Romanam sedem velle sibi inconcussum honorem vindicare et defensare aliquatenus, pauca ex privilegio, ejus lem Constantini manu cum cruce aurea super cœlestis clavigeri venerabile corpus posito, ad medium proferemus, quibus fundetur veritas et confundatur vanitas, ut omnia membra catholicæ matris cognoscant nos illius Petri disciplinæ esse qui sic in Epistola sua ait de se: *Non enim doctas fabulis secuti, notum vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi virtutem, sed speculatores facti illius magnitudinis* (*II Petr.* I); et nos vobis inculcare non tam relatu quolibet quam quæ ipso visu et tactu comperta sunt. Vel admoniti recognoscite quia idem gloriosus princeps in jam dicto privilegio, post Christianæ fidei claram perfectamque confessionem atque baptismatis sui enucleatam commendationem, specialem sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignitatem sic promulgavit, dicens: « Utile judicavimus, una cum omnibus nostris satrapis, et universo senatu, optimatibus etiam et cuncto populo Romanæ gloriæ imperio subjacente, ut, sicut beatus Petrus in terris vicarius Filii Dei videtur esse constitutus, ita etiam et pontifices ipsius principis apostolorum vice, principatus potestatem, amplius quam terrenæ imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam a nobis nostroque imperio obtineant, eligentes nobis ipsum principem apostolorum, vel ejus vicarios, firmos apud Deum esse patronos. Et sicut nostra est terrena imperialis potentia, ita ejus sacrosanctam Romanam Ecclesiam decrevimus veneranter honorare, et amplius quam nostrum imperium terrenumque thronum sedem sacratissimam B. Petri gloriose exaltare, tribuentes ei potestatem et gloriæ dignitatem, atque vigorem et honorificentiam imperialem; atque decernentes sancimus ut principatum teneat, tam super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam ac Constantinopolitanam, quamque etiam super omnes in universo orbe terrarum Dei Ecclesias, et pontifex, qui, pro tempore, ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ exstiterit celsior et princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, et ejus judicio, quæque ad cultum Dei vel fidei Christianorum stabilitatem procuranda fuerint, disponantur. Justum quippe est ut ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctarum legum institutor, Salvator noster, beatum Petrum apostolum obtinere præcepit cathedram, ubi et crucis patibulum sustinens, beatæ mortis sumpsit poculum, suique Magistri et Domini imitator apparuit, et ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant, ubi eorum doctor beatus Paulus apostolus pro Christo, extenso collo, martyrio est coronatus; et illic usque in finem quærant doctorem, ubi sanctorum doctorum quiescunt corpora; et ibi, proni ac humo prostrati, cœlestis regis Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi famulentur officio, ubi superbi terreni regis serviebant imperio. » Et succincte commemorato suo studio et devotione in construendis aliquot sanctorum basilicis et imperialium donationum magnificentia abundanter ditatis, ait: « Concedimus ipsis sanctis apostolis, dominis beatissimis Petro et Paulo, et per hos etiam beato Silvestro Patri nostro, summo pontifici, et universali urbis Romæ papæ, et omnibus ejus successoribus pontificibus, qui usque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atque de præsenti contradimus palatium imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur atque præcellit palatiis: deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque phrygium, necnon et superhumerale, videlicet lorum quod imperiale circumdare assolet collum; verum etiam et chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, et omnia imperialia indumenta, sed et dignitatem imperialium præsidentium equitum, conferentes ei etiam imperialia sceptra, simulque cuncta signa atque banda, etiam et diversa ornamenta imperialia, et omnem processionem imperialis culminis et gloriam potestatis nostræ. Viros etiam reverendissimos clericos diversi ordinis, eidem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ servientes illud culmen singularis potentiæ et præcellentiæ habere sancimus, cujus amplissimus noster senatus videtur gloria adornari, id est, patricios atque consules effici, necnon et cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari. Et sicut imperialis exstat decorata militia, ita et clerum S. Romanæ Ecclesiæ ornari decernimus. Et quemadmodum imperialis potentia diversis officiis, cubiculariorum nempe et ostiariorum, atque omnium excubitorum ornatur, ita et sanctam Romanam Ecclesiam decorari volumus. Et ut amplissime pontificale decus præfulgeat, decernimus et hoc ut clerici ejusdem S. Romanæ Ecclesiæ mappulis et linteaminibus, id est candidissimo colore, decoratos equos equitent. Et sic noster senatus calceamentis utitur cum udonibus, id est candido linteamine illustratis, sic utantur et clerici; et ita cœlestia sicut terrena, ad laudem Dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuentes, concedimus ipsi sanctissimo Patri nostro, Silvestro urbis Romæ episcopo, et papæ, et omnibus qui post eum in successu et perpetuis temporibus advenerint, beatissimis pontificibus, pro honore et gloria Christi Dei nostri in eadem magna Dei catholica et apostolica Ecclesia, ex nostro indicto, quem placatus proprio consilio clericare voluerit, et in numero religiosorum clericorum connumerare, nullum ex omnibus præsumentem superbe agere.

XIV. « Decrevimus itaque et hoc, ut idem venerabilis Pater noster, Silvester summus pontifex, vel omnes ei succedentes pontifices, diademate, videlicet corona, quam ex capite nostro illi concessimus, ex

Digitized by Google

auro purissimo et gemmis pretiosis uti deberi, et in capite ad laudem Dei pro honore beati Petri gestare. Ipse vero beatissimus papa super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona; phrygium autem candido nitore, splendidam resurrectionem Dominicam designans, ejus sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, et tenentes frenum equi ipsius, pro reverentia beati Petri, stratoris illi ollicium exhibuimus, statuentes eodem phrygio omnes successores ejus singulariter uti in processionibus, ad imitationem imperii nostri. Unde ut pontificalis apex non vilesceat, sed magis quam terreni imperii dignitas et gloriæ potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut prælatum est, quam Romanam urbem, et omnes Italiæ seu occidentalium regionum provincias, loca et civitates, sæpefato beatissimo pontifici, et Patri nostro Silvestro universali papæ contradentes atque relinquentes, ei vel successoribus ipsius pontificibus potestatem et ditionem firmam imperiali censura per hanc nostram divalem jussionem et pragmaticum constitutum decernimus disponenda, atque juri sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permansura. Unde congruum prospeximus nostrum imperium et regni potestatem orientalibus transferri ac transmutari regionibus, et in Byzantiæ provinciæ optimo loco nomini nostro civitatem ædificari, et nostrum illic constitui imperium, quoniam ubi principatus sacerdotum et Christianæ religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, justum non est ut illic terrenus imperator habeat potestatem. Hæc vero omnia, quæ per hanc imperialem sacram et per alia divalia decreta statuimus atque confirmavimus, usque in finem mundi illibata et inconcussa permansura decernimus. » Deinde facta obtestatione, coram Deo vivo et terribili ejus judicio, et imprecatione æternæ condemnationis temeratori vel contemptori ipsius sui privilegii, secutus idem venerabilis Constantinus, ait : « Hujus vero imperialis nostri decreti paginam propriis manibus roborantes, super venerandum corpus B. Petri, principis apostolorum posuimus, ibique eidem Dei apostolo spondentes nos cuncta inviolabiliter conservare, et nostris successoribus imperatoribus conservanda in mandatis relinquere, Patri nostro Silvestro, summo pontifici et universali papæ, et per eum cunctis successoribus ejus pontificibus, Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo annuente, tradimus, feliciter atque perenniter possidenda. »

XV. Tot ergo et talibus aliisque quamplurimis testimoniis subnixa non erubescit veritas sed confutatur impudens vanitas. At nos hinc habentes testimonium majus Constantino. *Qui*, ut ait beatus evangelista Joannes, *de terra est, et de terra loquitur* (*Joan.* III), vix ab homine testimonium accipimus, contenti testimonio illius qui de cœlo venit, et super omnes est, et dicit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI). Qui etiam in catalogo apostolorum, instar cardinis, ab ipso Domino Jesu Christo primus positus, Petrus, id est *Cephas*, exstat cognominatus. Cui, specialiter et nominatim, non tantum ante passionem suam, verum et in ipsius articulo passionis, mox ut sui corporis et sanguinis mirabile mysterium agendum generaliter discipulis tradidit, tam oves se pastorem Pastore percusso, dispergendas, quam et usque in finem sæculi ad unum ovile, et ad se unum pastorem colligendas commendando, ait : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Ipsum quoque angelus per mulieres ad videndam resurgentis Magistri gloriam nomine invitavit, cum dixit : *Dicite discipulis ejus, et Petro, quia surrexit et ecce præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis* (*Matth.* XX). Necnon eidem, ipsa die resurrectionis suæ, pius et verax Magister apparuit, quemadmodum venerabilis evangelista Lucas nos instruit, dicens : *Quia surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni* (*Luc.* XXIV). Quam manifestationem soli Petro prius, deinde illi cum reliquis condiscipulis factam, gloriosus coapostolus ejus Paulus declarat, ubi ad Corinthios sic scribit : *Quia surrexit Christus tertia die secundum Scripturas, et quia visus est Cephæ, et post hæc undecim* (*I Cor.* XV)

XVI. Instante quoque jam suæ assumptionis gloria, ubi prandebat cum septem discipulis suis, Dominus amorem Petri erga se tertio inquisivit, et tertio confitenti, agnos et oves suas tertio pascere præcepit, pro quibus qua morte clarificaturus esset Deum, in extensione manuum illius et præcinctione futura eidem significavit. Qui nec mora, assumpto Domino, in medio centum et viginti fratrum exsurgens, et profundos sanctissimi Psalmistæ sensus edisserens, auctoritate sua apostolicum numerum, sorte annumerato Mathia, supplevit, quem undenarium remanere nefas credidit. Quibus etiam pariter misso Spirita S. in variis linguis, cum quidam stuperent admiratione, quidam deridentes inveterata cæcitate dicerent musto plenos esse, Petrus uno S. Joelis testimonio (*Joel.* II) et ignaros instruxit, et incredulos destruxit. Deinde constanter improperata illis scelerata sua conspiratione adversus Dominum et Christum ejus, qua ipsum auctorem vitæ morte turpissima tunc condemnantes interfecerant clarissimis beati David oraculis astruxit illius sanctam resurrectionem, et gloriosam ascensionem, et ab eo impræsentiarum factam Spiritus sancti effusionem. Ita, compunctis Judæis, primus apostolorum reis sanguinis Christi pœnitentiam indixit, et coram protinus tria millia baptizavit (*Act.* II).

Digitized by Google

XVII. Hic solus, sicut doctiloquus evangelista Lucas testatur, dum qui dispersi fuerant pro persecutione facta sub Stephano, circumirent civitates, neminj loquentes verbum vitæ, nisi soli Judæis, orans in cœnaculo, factus est in excessu mentis : et linteum omnibus terræ quadrupedibus, et reptilibus, volucribusque cœli refertum, quatuor initiis submitti de cœlo vidit, sibique cœlitus dictum tertio : *Surge, Petre, occide et manduca*, et tertio ab eo responsum : *Quia commune et immundum nunquam introivit os meum;* et tertio superna voce repetitum : *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris* (*Act.* x); sufficienter instructus a quatuor mundi partibus gentes, quondam immundas, in unitatem fidei congregandas, sicque fide, mundatis eorum conscientiis, ab operibus mortuis, et occisa in eis pristina immunditia, cui servire membra sua exhibuerant, Christo delectabiliter invisceandas tribus nuntiis in mysterio Trinitatis se invitantibus; immanem aprum illum de silva gentium, Cornelium centurionem aggressus, non reluctantem occidit et comedit, quando aqua et Spiritu munda um Ecclesiæ indidit. Cui, coadunatis ipsius domesticis et amicis, dum adhuc loqueretur, Spiritus sanctus cecidit super omnes qui audiebant verbum, et erant loquentes linguis, et magnificantes Deum (*Ibid.*). Quod nulli Judæorum, nec ipsis apostolis uspiam legitur concessum, ut Paracleti tantam plenitudinem acciperent priusquam baptismum. Nonne hinc jam luce clarius constat Petrum primitus ad ædificationem Ecclesiæ Christi Judæos et gentiles attraxisse, et quasi duos parietes ex diverso venientes, per angularem lapidem Christum indissolubili charitatis glutine conjunxisse? Qui postea videns messem multam, et operarios paucos, Paulum et Barnabam ab Antiochia prædicatores omnibus nationibus destinavit; quibus strenue officio insudantibus dexteram societatis dedit, ut illi quidem in gentibus, ipse vero in circumcisione esset, sicut in Epistola ad Galatas ostenditur evidenter (*Gal.* II). Neque tamen, partito in eos onere, subtraxit se cœptæ vocationi gentium et curæ, quam post Asiam ab Illyrico senlit tota Europa et Africa, præcipueque mundi caput et domina gentium Roma. Nam cum quidam pseudo-apostoli turbassent corda fratrum, dicentes eos debere circumcidi secundum legem Moysis, Paulusque et Barnabas Hierosolymam iissent, super hac quæstione consulturi, solus Petrus, sua auctoritate, circumcisionis onus atque veteris legis jugum a cervicibus discipulorum removit, et gratiam Evangelii ad plenam salutem credentium sufficere censuit, dicens : *Quare vultis imponere grave jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi. Visum est enim Spiritui sancto et nobis, nihil oneris ultra vobis imponere* (*Act.* XV). Qua utique responsione confirmatus Doctor gentium, Paulus, Galatis protestatur : *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (*Gal.* V).

XVIII. Sed et illud in ipso Petro nihilominus est animadvertendum quod sui corporis umbra infirmis conferebat optatæ sospitatis remedium. Quod nulli sanctorum constat hactenus concessum : nec ille, per quem Petrus potuit quidquid boni potuit, ex suo sanctissimo corpore aliquando cuiquam tale donum attribuit Sanctus sanctorum, sed suo Petro specialiter in magna significatione præsentis et futuræ Ecclesiæ hoc reservavit privilegium, scilicet quia ipse utriusque principalis rector existeret, utriusque statum in seipso portenderet, quatenus hæc visibilium et transiturorum sacramentorum secreta virtute, quasi umbra sua, morbis animarum in terra curatis, illam nobis adhuc invisibilem veritatis et beatitudinis solidam speciem, velut solidum corpus, exhibeat in cœlis. Quarum differentiam breviter Apostolus demonstrat : *Videmus nunc*, inquiens, *per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum* (*I Cor.* XIII). Cui concordans Joannes coapostolus suus ait : *Charissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III). Quod vero præsens Ecclesia fide et spe salvatur, Paulus sic loquitur : *Sine fide impossibile est placere Deo. Fides autem est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI). Idem in alio loco : *Spe salvi facti sumus; spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat?* (*Rom.* VIII.) Sic modo credendo et sperando, atque per patientiam exspectando quod non videmus, fide et spe a peccatis liberati videmus quia justus ex fide vivit. In futuro plenam beatitudinem in re videbimus et possidebimus, qua per charitatem eolam sine fastidio satiabimur, cum apparuerit gloria ejus.

XIX. Verum vestra insolentia, nihili pendens talia, specialibus Christi ovibus claudere et interdicere non timet, in quibus temporaliter ad laudem Dei recubabant, ovilia : quas ipse non cessat invitare et introducere ad sempiternæ vitæ pascua; quas tantum ex omnibus sibi compatientes in crucis ultima pœna jam positus attendens, pro eisdem animam ponendo, cum gratiarum actione et piissima prece in ipsa emissione sui beati spiritus Domino commendavit, dicens : Gratias tibi ago, Pastor bone, quia oves, quas tradidisti mihi compatiuntur mihi. Peto ergo ut participent mecum de gratia tua in sempiternum. Ergo prævalebit illis portas vitæ obserare vel obstruere errorum claviculis, seu sophismatum tendiculis quilibet inimicus, quas potestate, meritis et prece, reserat et pandit tantus amicus, cui portæ inferi non prævalebunt aliquatenus in cœlis terrisque præpotens ex ultimo desiderio animæ suæ, et voluntate labiorum suorum a Domino, ad quem ibat, erit fraudatus? Absit!

Digitized by Google

XX. Quapropter a tanta amentia jam resipiscite, et Latinos vere catholicos, atque maximi Petri familii priores discipulos institutionisque ejus devotiores sectatores, cessate subsannando azymitas vocare, aut ecclesias illis denegare, seu tormenta, sicut cœpistis, inferre, si vultis nunc et semper pacem et portionem cum Petro habere. Cujus doctrinam et traditionem in Epistola ad Romanos, sapientibus et insipientibus debitor ille gentium Doctor, ad tertium cœlum et in paradisum raptus, sic per omnia commendat, dicens : *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo* (*Rom.* I). Ex cujus capituli occasione beatus et catholicus doctor Augustinus, in Latinaque lingua clarissimus, atque noster Chrysostomus, ait : Fides ista, quam Romani habent, ipsa eademque est, et non alia, quæ in universo mundo annuntiatur et creditur; quæ non solum in terra, sed et in cœlis prædicatur; quia Jesus pacificavit per sanguinem suum non solum terrestria et inferna, sed et cœlestia (*Col.* I). Et hoc est in universo mundo fidem prædicari, per quam omnis mundus sit subditus Deo. Sed Paulum audite subsequentem : *Desidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos* (*Rom.* I). Qui ne putaretur velle aliquid institutioni Petri addere vel demere, exposuit quid dixerit *ad confirmandos vos : id est, simul consolari in vobis per eam, quæ invicem est, fidem vestram atque meam* (*Ibid.*). Et in fine Epistolæ monens eos devitare falsos fratres, et præter doctrinam quam ipsi acceperant, euntes, ait : *Rogo vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri; et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. Vestra enim obedientia in omni loco divulgata est. Gaudeo igitur in vobis* (*Rom.* XVI).

XXI. Ecce in totius Epistolæ serie non invenitur magnus Paulus fidem Latinorum correxisse, nec vitia redarguisse; sed congratulatus fidei et conversationi eorum, de perseverantia commonuisse, cum non propter reprobam actionem, sed et ob ipsius fidei citissimum naufragium in Græcos fuerit invectus acerrime ab initio usque in finem primæ ad Corinthios Epistolæ. Quod certe liquet in paucis verbis, ubi ait : *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri. Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem scientia. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quod contentiones sint inter vos. Hoc autem dico quod unusquisque vestrum dicit : Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus?* (*I Cor.* I.) Et ubi notavit eos ex arrogantia falsæ et mundanæ sapientiæ subjunxit : *Jam saturati estis, jam divites facti estis, sine nobis regnatis; et utinam regnaretis, ut et nos vobiscum regnaremus!* (*I Cor.* IV.) Et inflationi eorum minatus virgam, ait : *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris habeat quidam. Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit* (*I Cor.* V). Quibus expletis, admonuit eos secum epulari, non in fermento veteri, quod totam massam corrumpit, sed in azymis sinceritatis et veritatis (*Ibid.*).

XXII. Igitur istis et hujusmodi apostolicis sanctorumque Patrum dictis cum evidenter approbetur Latinorum sincera obedientia, et plurimorum Græcorum improbetur corrupta insolentia, sunt adhuc plura his super hoc parti nostræ faventia, quæ, si liceret ad medium deducere, non solum excederent modum epistolæ, verum etiam possent armaria onerare. Quapropter his omissis, charitative monemus, ne absentes sitis vobismetipsis; sed vos ante vos constituatis, vias prædecessorum vestrorum et vestras sollicite consideretis, nec nos privato amore palpetis, et in fratrum oculis festucam explorantes, in vestris trabem non videatis. Recordamini illius nefandæ synodi, quam voluerunt vocari septimam vestri hæresiarchæ, quorum conspiratione, ipsius Domini nostri Jesu Christi et sanctorum reverendæ imagines, aut flammis traditæ, aut aquis sunt immersæ, picturæ vero ex parietibus basilicarum deletæ (216). Quibus quamvis semper restiterit Romanorum pontificum auctoritas, præ cunctis tamen sanctissimi papæ Nicolai ubivis laudanda libertas, qui per legatos suos tam pro sacris imaginibus, quam pro depositione beati antistitis Ignatii, et substitutione Photii neophyti, ecclesiam agiæ Sophiæ clausit, donec sedis apostolicæ acquiesceret decretis.

XXIII. Absit autem ut velimus credere quod publica fama non dubitat asserere, Constantinopolitanæ Ecclesiæ contigisse ut eunuchos, contra primum sancti Nicæni concilii capitulum, passim promovendo, feminam in sede pontificum suorum sublimasset aliquando. Hoc tam abominabile scelus detestabileque facinus, etsi enormitas ipsius vel horror fraternaque benevolentia non permittit nos credere, considerata tamen incuria vestra erga sanctorum censuram canonum, quia eunuchos et aliqua parte corporis imminutos, non solum ad clericatum, sed ad pontificatum etiam indifferenter ac solemniter adhuc promovetis, fieri potuisse pensamus. Sed quid plura? Tot et tantis schismaticis et hæreticis, catholicam atque apostolicam Ecclesiam aperte impugnantibus et discindere laborantibus, hactenus redundastis, ut Latina vel Occidentalis Ecclesia de vobis merito conqueri possit, voce sponsæ dicens in Canticis canticorum : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me* (*Cant.* I). Et vere : nunquid enim Romana et aposto-

(216) Hæc est Constantinopolitana sub Constantino Copronymo.

Digitized by Google

lica sedes, quæ per Evangelium genuit Latinam Ecclesiam in Occidente, mater non est Constantinopolitanæ Ecclesiæ in Oriente, quam per gloriosum filium suum Constantinum, et nobiles sapientesque Romanos, non tantum moribus, sed et muris studuit reparare? Quod si contradicitis, ad quid vestro imperatori Latinæ laudes, et in Ecclesia Græcis recitantur Latinæ lectiones? Utique ob reverentiam illius matris, quæ jam cunctis paganorum crudelitatibus et diversorum tormentorum quæstionibus vexata et impugnata, ac, velut aurum, nimiis persecutorum flammis decocta, deliciosam filiam, videlicet Ecclesiam Constantinopolitanam edidit.

XXIV. Et certe jam decima a Nerone in Christianos persecutio penitus refrixerat, jam omne mundanæ insaniæ incendium sopitum erat, jam Roma adulta et longæva, in divino cultu victrix et coronata, alta pace triumphabat, jam innumerabilis utriusque sexus et diversæ ætatis martyrum exercitus, nostris azymis saginatus, universos idololatriæ fregerat impetus, jam mundum, et ipsum mundi principem sub pedibus habebat, jam non solum ipsi nostræ institutionis antistites, sed et ministri eorum, in quibus Laurentius ac Vincentius, omni mundo stupente, deficientibus ipsis tormentis et tortoribus insultabant. Modo delicata filia in conclavi residens secura, deliciis, lascivia, et longo otio dissoluta, nec ad campum rite agonizantium aliquando progressa, pia matre satagente et decertante pro ea, non erubescit aut veretur primatum arrogare, maternæ senectuti jam emeritæ derogare, nec effætum corpus ejus laboribus et diebus, rugososque et minus validos artus, quondam torosos et ad prælia divina exertos, saltem aliquo humanitatis respectu considerare, nullam reverentiam reverendis canis ipsius habere, sed ipsam puellari levitate post innumerabiles triumphos ad recidiva bella adversum semet provocare, et eam solido perfectorum cibo privatam, ad carnalium lac retrahere, quod contra usum naturæ, ex ipsis pubertatis suæ mammis in Ægypto, sicut supra dictum est, toties confractis, conatur impudenter ori ejus instillare.

XXV. Et unitam saltem verum lac! Sed, proh dolor! non est lac, quo tenera fidelium paulatim nutriatur infantia, ut ad solidam escam pertingat, sed quod Salomon cavendum denuntiat, dicens: *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis* (*Prov.* I). Et: *Væ ei qui lactat amicum suum, et ducit eum via non bona* (*Prov.* XVI). Nec est aqua, de qua qui biberit, non sitiat ultra, quia fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, et flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII), sed potius aquæ furtivæ de puteis, quos Palæstini, lutum non aquam amantes, repleverunt terra (*Gen.* XXVI); vel de cisternis dissipatis (*Jer.* II), seu fluminibus Ægypti et Babylonis, quibus distenditur venter, et gravatus non repletur, sed exinanitur et intumescit (*Num.* V), ut more hydropici tanto plus sitiat ad perniciem, quanto plus biberit. De quibus profecto Dominus per Jeremiam contra quosdam conqueritur, dicens: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas* (*Jer.* II). Et post aliqua: *Nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Aut quid tibi in viis Assyriorum, ut bibas aquam fluminis?* (*Ibid.*) Quas utique ne sitiamus idem vetat, dicens: *Prohibe guttur tuum a siti* (*Ibid.*). Hinc Salomon, quas aquas appetere, quasque debeamus vitare, demonstrans, ait: *Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta* (*Prov.* V). Et in subsequentibus, hæreticam vanitatem, sub specie stultæ mulieris, visibili quodammodo forma coloratam atque depictam introducit, dicens: *Mulier stulta et clamosa, plenaque illecebris, et nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco, ut vocaret transeuntes per viam et pergentes itinere suo: Qui est parvulus, declinet ad me. Et recordi locuta est: Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior. Et ignoravit quod gigantes ibi sint, et in profundis inferni convivæ ejus* (*Prov.* IX).

XXVI. Quorum ne sit particeps in tartari flammis, quas vicissim sine fine pascat medullis suis, jam nunc filia recordetur gemitus piæ genitricis, et quot vel quanta pericula propter eam, seu propter sorores ipsius, in utero suo hactenus vidit; et gratia Dei discat talis fieri, saltem admonita, qualis bene de se meritam matrem, etiam senio ac assiduo incurvam labore et tremulam, data manu atque supposito humero studeat sublevare et sustentare, non ad ruinam impellere, deprimere, perturbare, vel affligere. Pio affectu et humili corde jugiter perpendat quid idem Salomon dicat: *Stultus homo despicit matrem suam* (*Prov.* XV); et item: *Ne despicias, cum senuerit mater tua* (*Prov.* XXIII). Alioquin si, quod absit! pertinax esse voluerit, et piæ matri supercilium ejus et arrogantiam adhuc dissimulanti, atque ad satisfactionem patienter exspectanti, parcere et parere contempserit, experietur in anicula matre virides annos exertos ad paternarum traditionum defensionem lacertos, adolescentulæ competentem alacritatem, juvenculæ constantiam efficacem; et, juxta Salomonem, contumax comedet fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabitur (*Prov.* I): quia, sicut idem testatur: *Benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta* (*Eccli.* III); et iterum: *Quam malæ famæ est qui fugit patrem; et est maledictus a Deo qui exasperat matrem* (*Ibid.*). Et: *Qui affligit patrem, et fugit matrem, ignominiosus est et infelix* (*Prov.* XIX). Quam utique offendere cavet quisquis placere patri studet, velut etiam quidam sapientium sæculi ait:

Ne matrem offendas, dum vis bonus esse parenti.

XXVII. His igitur et aliis quamplurimis liquet assertionibus quid mereatur etiam carnalis matris contemptus: et quid de spiritualis genitricis contumelia

Digitized by Google

et exprobratione dicetur? Illa siquidem in iniquitatibus nos conceptos generavit ad mortem; ista vero, culpis remissis, regeneravit ad vitam. Quarum ceu dispar est meritum, ita et dispar, pro earum honore ut [et, vel] dedecore præmium, quia carnalem matrem honoranti longævitas super morientium terram, et firmamentum casæ casuræ repromittitur; exasperanti autem eam, terrenorum eradicatio fundamentorum. Porro spiritualem venerantes, longitudinem dierum in dextra Dei videbunt (*Psal.* xc), et in terra viventium sine fine habitabunt; spernentes vero illam, duplici contritione conterentur, et, sicut diploide, confusione sua induentur (*Psal.* cviii), et radix eorum de terra viventium evelletur (*Psal.* li). Etenim affectio carnalis matris si nos prohibet a reverentia spirituali, penitus relinquenda et abscindenda est nobis, ut in Deuteronomio Moyses de tribu Levi dicit: *Qui dixerit patri suo et matri: Nescio vos; et fratribus suis: Ignoro illos; et nescierunt filios suos: hi custodierunt testamentum tuum, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel* (*Deut.* xxxiii). Quod denique facturis Dominus Jesus in Evangelio centuplum hic, et in futuro vitam æternam repromisit (*Matth.* xix).

XXVIII. Sed ecce jam non debet ingrata filia apparere, quia præ cæteris eam honorare dignata est mater sua. Nam cum nullo divino vel humano privilegio honorabilior seu clarior aliis Ecclesiis Constantinopolitana existat Ecclesia, et Antiochena, atque Alexandrina, ob reverentiam principis apostolorum, inter alias retentent dignitatis jura; tamen pia mater, Romana scilicet Ecclesia, nolens dilectam filiam dote honorificentiæ ex toto carere, per beatos prædecessores nostros in aliquot synodis curavit decernere ut, salva principalium et apostolicarum sedium antiqua dignitate, Constantinopolitanus antistes honoraretur sicut regiæ civitatis episcopus, quamvis Justinianus religiosus Augustus legibus humanis voluisset astruere ut post papam Romanum sedeat Constantinopolitanæ præsul Ecclesiæ. Et certe hoc nulla alia excellentia meritorum est assecuta, nisi quod Romana Ecclesia pro amore venerabilis Constantini, seipsam, quantum in eo fuit, honorantis et exaltantis, civitatem ipsius hoc privilegio honoris sola humana benevolentia insignivit, juxta prophetæ dictum ad Heli: *Glorificantem me glorificabo; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles* (*I Reg.* ii).

XXIX. Aut si quod aliud retinet, aut putat se habere dignitatis privilegium, vos rebelles lumini ac veritati, et signiferi umbræ et vanitatis, proferte in medium. Vos enim alloquimur, *qui*, sicut Dominus ait Pharisæis, *tulistis clarem scientiæ* (*Luc.* xi), *qui clauditis regnum cœlorum ante homines, nec ipsi intratis, nec alios intrare permittitis* (*Matth.* xxiii), sed potius prohibetis, dum matris venerandam faciem conspuere quæritis, dum eam insequimini conviciis et maledictis, dum agnos ejus ab ea segregare, etiam anathemate et flagellis, ne vocem matrem agnoscant et sequantur, contenditis. Ut enim fertur, omnes Latinorum basilicas penes vos clausistis, monachis monasteria et abbatibus tulistis, donec vestris viverent institutis. Ecce in hac parte, Romana Ecclesia quanto discretior, moderatior et clementior vobis est! Siquidem cum intra et extra Romam plurima Græcorum reperiantur monasteria sive ecclesiæ, nullum eorum adhuc perturbatur vel prohibetur a paterna traditione, sive sua consuetudine; quin potius suadetur et admonetur eam observare. Nec enim animositatem impiæ hæreseos habet, quæ semper divisione gaudet, dicens per patricidam meretricem: *Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur* (*III Reg.* xviii); sed pietate veræ matris sic Salomonem deprecatur: *Obsecro, domine, date huic infantem vivum, et nolite interficere eum* (*Ibid.*). Scit namque quia nil obsunt saluti credentium diversæ pro loco et tempore consuetudines, quando una fides, per dilectionem operans bona quæ potest, uni Deo commendat omnes.

XXX. Quod vos cum ex debito gradus et loci vestri oportuisset scire et prædicare, quatenus de collectis ovibus gratiam a bono pastore, non condemnationem pro dispersis mereremini percipere, incurristis illud Apostoli ad Hebræos: *Quia, cum debueritis magistri esse ex tempore, iterum necesse habetis doceri quæ sint elementa sermonum Dei* (*Hebr.* v). *Zelum enim Dei habetis, sed non secundum scientiam* (*Rom.* x). Quam ut apprehendissetis, non saltu, sed canonico intervallo, imo plano pede ad episcopatus culmen a laica conversatione pervenire debuistis, ne vobis refragarentur verba ipsius Apostoli, de episcopo dicentis: *Non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli* (*I Tim.* iii). Nam cum locum doctoris usurpat indoctus, necesse est ut aut discat quod doceat, aut cæcus pastor, seu non valens latrare canis mutus (*Isa.* lvi), perniciose sibi et subjectis remaneat, aut discere et tacere erubescens, perniciosius docere præsumat. Raro quoque evenit ut, in culmine positus, valeat humilitatem discere qui in imis non desiit superbire. Huc accedit et illud quod, albuginem habens in oculo, a sacerdotio prohibetur. Albuginem quippe habet in oculo, quisquis arrogantia justitiæ vel sapientiæ cæcatur.

XXXI. Sed absit ut religiosi principes et orthodoxi, atque Christianissima et Deo devota civitas, vos in hoc vestro errore audiendos putent: quos potius ad unitatis bonum terrore potestatis cogere debent. Recordentur Constantinopolitanos præsules in tantum priscis temporibus familiarissimo sibi morbo superbiæ laborasse, ut edicto Augustorum Theodosii, Arcadii et Honorii prohibitus sit quisquam ex Constantinopolitana Ecclesia pontificatum, defuncto episcopo Sisinnio, deinceps sperare, sed ex alia sibi jugiter pontificem expetere, quia erant inani gloriæ dediti et supra modum arrogantes, ceu commemorant historiographi. Qui etiam referunt quod septuaginta sex Orientales episcopi, concilium Sardicense declinantes, in Philippopoli Thraciæ

Digitized by Google

anathematizandum conventiculum habuerunt, sanctamque et immaculatam Nicænæ synodi fidem adulterantes, communi subscriptione errorem suum confirmarunt; Occidentales vero trecenti, amplexi sanam sanctorum Patrum sententiam, unanimitate sua corroborarunt. Quod totum ideo dicitur, ne post priorum cognitionem incaute præsentibus credatur.

XXXII. Nam Romanæ Ecclesiæ fides, per Petrum super petram ædificata, nec hactenus deficit, nec deficiet in sæcula, Christo ejus Domino rogante pro ea, ceu testatur sub ipsa passione sua : *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua ; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Quo dicto demonstravit fidem fratrum vario defectu periclitandam, sed inconcussa et indeficiente fide Petri, velut firmæ anchoræ subsidio figendam, et in fundamento universalis Ecclesiæ confirmandam. Quod nemo negat, nisi qui evidenter hæc ipsa verba Veritatis impugnat, quia sicut cardine totum regitur ostium, ita Petro et successoribus ejus totius Ecclesiæ disponitur emolumentum. Et sicut cardo immobilis permanens ducit et reducit ostium, sic Petrus et sui successores liberum de omni Ecclesia habent judicium, cum nemo debeat eorum dimovere statum, quia summa sedes a nemine judicatur. Unde clerici ejus cardinales dicuntur, cardini utique illi, quo cætera moventur, vicinius adhærentes

XXXIII. Quapropter nos certissime retinentes omni venerabilem mundo institutionem Petri, et fidem ipsius coapostoli sui et doctoris gentium Pauli, clarissimo calamo subscriptam, ab apostolica sede omnibus libere clamamus quod Galatis idem Paulus : *Licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizatum est vobis, anathema sit. Sicut prædixi, et nunc iterum dico : Si quis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* I). Nec ideo silebimus, si dicimur non esse quales debemus, nec qualis est Petrus. Quod utique agendum esset, si cuiquam commendaremus nosmetipsos. *Quia vero*, sicut ait Apostolus, *non prædicamus nosmetipsos, sed Dominum Jesum, nos autem servos servorum ejus per Jesum* (*II Cor.* IV) ; *nobis pro minimo est, ut a vobis judicemur, aut ab humano die, quoniam qui judicat nos, Dominus est* (*I Cor.* IV). *Neque enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat* (*II Cor.* X). Et repellendo temerarium judicium, dicit alibi : *Tu quis es, qui judicas alienum servum ? Suo domino stat aut cadit ; potens est enim Deus illum statuere* (*Rom.* XIV).

XXXIV. Nempe et vos, licet quamplurimum tumeatis, quamvis de vobis ultra modum alta sentiatis, non credimus tamen, quod dicere audeatis, vos esse quales debetis, aut qualis Alexander, Joannes Chrysostomus, vel Flavianus fuit, sicut nec Antiochenus se talem, qualis exstitit ipse Petrus, nec Alexandrinus parem se Marco vel Athanasio profiteri est ausus, quia sine retractatione a suis punirentur. Ideirco etsi ad hoc vos impellit timor, tamen retardat timor. Quæ cum ita sint, nullius tamen vos detractio reprimit, quin diligenter lac et lanam ab ovibus exigatis ; nec veremini, ne dicatur non esse vos pares illis antecessoribus vestris magnis. Cur hoc, nisi quia quicunque sacerdotes, etsi dispares sunt merito, pares tamen sunt officio ? Nec potest denegari pro merito quod debetur officio. Alioquin non staret sacerdotium, si majus aut minus fieret, seu variaretur secundum humanorum varietatem meritorum, essentque pene tot sacerdotia quot homines.

XXXV. Qua de re, fratres, utinam non ad judicium nostrum dicamus, profecto sumus qualis Petrus, et non sumus qualis Petrus, quia idem sumus officio, et non idem merito. Et quotiescunque lac et lanam, scilicet stipendium et honorificentiam ab ovibus Dei exigimus, nulla meriti nostri ibi fit commemoratio, sed officio nostro quæritur debita recompensatio. Ac sic meritum Petri non habentes, officium autem Petri exsequentes, officio nostro debitos reposcimus honores, Apostolo dicente : *Quandiu minister ero, ministerium meum honorificabo* (*Rom.* II). Et præmonens oves Christi ad solvendum singulis debita, ait : *Reddite omnibus debita ; cui honorem, honorem* (*Rom.* XIII). Non quia bonum sit accipientibus, sed quia malum sit non reddentibus. Sic ergo et beatissimus prædecessor noster Gregorius dicit : Nemo nos propter nos in loco Petri despiciat, quia ex cathedra ejus, cui, auctore Deo, qualescunque præsidemus, debita sibi jura nostrum officium reclamat. Frequenter enim solet evenire quod dicimus, ut persona in hoc mundo potens despectum servum habeat. Cumque per eum suis vel extraneis aliqua mandat, non despicitur, persona missi servi, quia in corde servatur reverentia mittentis domini. Ergone saltem quod Dominus concessit Pharisæis et Scribis sedentibus in cathedra Moysis, servus denegabit qualibuscunque conservis suis in cathedra Petri ? *Super cathedram*, inquit, *Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis servate et facite* (*Matth.* XXIII). Ita quod male vivimus, nostrum est : quod vero bona dicimus, cathedræ, cujus occasione necesse habemus recta prædicare. Unde dicit ille exercitatissimus Paulus : *Dum omnimodis, sive occasione, sive invidia Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo* (*Philip.* II). Ecce Apostolus sic necessarios ducit hujusmodi, ut gaudeat super eis ; et vos qui estis, qui negligentiam eorum ad injuriam apostolicæ cathedræ retorquetis ? Nos enim quid sumus ? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum, cujus ordinationi resistendo, damnationem vobis acquiritis, cum nostra potestas, sicut et omnis, a nullo alio nisi ab ipso sit. Sciendum est quia falsa justitia dedignationem, vera autem compassionem habet. Qua utique privamini, insultando, non compatiendo; alienæ calamitati. Et forte approbare nequitis

Digitized by Google

quod objicere vel calumniari præsumitis : imo constat vos comprobare non posse. Sed esto. *Ecce in cœlo judex noster, et conscius noster in excelsis* (*Job* XVI).

XXXVI. Cæterum de homine sentite, o homines, quod vultis; unum tamen conscientia respondet nobis, quia omnium Ecclesiarum Dei salutem et exaltationem summopere desideramus. Sed ut quicunque quodlibet ex superbia arripiat, et sibi contra nostram apostolicam sedem atque leges ejus usurpet, hoc nos tolerare non possumus, quia quisquis Romanæ Ecclesiæ auctoritatem vel privilegia evacuare seu imminuere nititur, non hic unius Ecclesiæ, sed totius Christianitatis subversionem et interitum machinatur. Cujus enim compassione vel sustentatione ulterius respirabunt filiæ a quovis oppressæ, unica illa suffocata matre ? Cujus refugium appellabunt ? Ad quam confugium habebunt? Ipsa enim Athanasium, ipsa omnes catholicos suscepit, fovit, defendit, et sedibus propriis pulsos restituit.

XXXVII. Ideo cupiendo omnes in visceribus Jesu Christi nobiscum, vos admonemus ne falsum nomen scientiæ, justitiæ vel gloriæ quærendo, unus adversus alterum infletur, ne cinis et terra periculose superbiat, ne abominabilis et miser homo, bibens quasi aquas iniquitatem (*Job* XV), sequendo exteriora, in vita sua projiciat intima sua. Simus unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati sumus in una spe vocationis nostræ (*Ephes.* IV). Ipsa corporis compositio et membrorum nos doceat qualiter et quanti habenda sit Ecclesiæ unitas. Ipsa etenim corpus est Christi, ut Apostolus dicit : *Vos estis corpus Christi, et membra de membro* (*I Cor.* XII). *Et sicut in uno corpore multa membra habentur, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra* (*Rom.* XII). *Et si dicit auditus, vel manus, Non sum oculus, non sum de corpore : ideo non est de corpore ? Si totum corpus oculus, ubi auditus?* (*I Cor.* XII), et reliqui sensus. Nunc autem disposuit Deus, sicut voluit, corporis membra; singula officio suo apta. Membrum vero suo officio non contentum, sed cupiens præripere alienum, conturbat corporis ordinem totum; velut si visus voces, auditus colores, gustus odores, olfactus asperas res aut lenes, tactus tentaret discernere sapores, nonne frustra omnes paterentur ? Sic singulorum ornamenta seu indumenta non sunt omnibus membris accommoda, nec congrua; sed unumquodque requirit sua, et abjicit aliena. Nempe refutat pes coronam, galeam et pileum, caputque sandalia vel pedules ad suum non applicat usum. Sic manuum dignitas et maxima utilitas, quamvis componat insignem imperii coronam, non tamen hanc sibi adaptat et imponit, sed capiti, contenta suis armillis, dextrocherio et annulis. Idem fit et in cæteris, et tam discors concordia est in eis ut eorum quodlibet alii officium suum omnino deputare recuset; et tamen de bono unius pariter exsultent, sicut de malo communiter dolent; et officia sua non sibi tantum, sed magis mutuæ utilitati, exhibent. Unde secutus idem Apostolus, ait : *Si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra* (*I Cor.* XIII). Et quantæ insipientiæ est nolle nos imitari quod sumus, et quod ad transitoriam vitam aliquandiu retinendam accepimus, non considerare, ut in perpetuum subsistamus.

XXXVIII. Quia vero ante omnia pestilens mater superbia, ejusque crudelissimæ filiæ, invida scilicet ac inanis gloria passim obstinata rabie corpus Christi moliuntur eviscerare et dilacerare, *non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes* (*Gal.* V), ne, quod avertat Deus, contingat nobis dictum Apostoli : *Quod si invicem mordetis, videte ne ab invicem consumamini* (*Ibid.*). Et illud Jacobi : *Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sunt in vobis, nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem desursum est sapientia, primo quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, amans bonum, sine simulatione* (*Jac.* III). Has itaque duas et valde sibi contrarias sapientias vigili mente discernite, et si Petrus singulariter figura summi capitis nostri, vicariusque ejus, ac sui successores jam in terris retinent specialem dignitatem terreni cœlestisque regni, nolite invidere vel detrahere Romanæ Ecclesiæ apici, quem per charitatem totum valetis adipisci, et in nobis regnare et ipsi. Sin alias, audietis quod supra: *Jam saturati estis, jam divites facti estis : sine nobis regnatis; atque utinam regnaretis ut et nos vobiscum regnaremus* (*I Cor.* IV).

XXXIX. Ecce nos vestram gloriam ducimus nostram : cur vos annullare nitimini nobis divinitus et humanitus concessam ? Nonne decus vel dedecus sui capitis manus seu pes suum non ducit ? Nec dolet, sed potius gaudet uno sensu, id est, solo tactu donatum corpus, superpositum sibi caput omnibus pollere sensibus, quia eos militare facit, et invigilare corporis subjecti utilitatibus ; et caput de omnibus judicans sensibus nullo sensu judicatur, utpote solius sui judicio sufficientissimum : utque Apostolus dicit : *Spiritualis judicat omnia, ipse autem a nemine judicatur* (*I Cor.* I). Hæc et supra dicta de corporis nostri harmonia si non sentitis in vobis, in corpore non estis, nec in corpore vivitis ; et si in corpore Christi, quod est Ecclesia, non estis, nec de eo vivitis, jam videte ubi et quid sitis. Abscissi estis, putrescitis, et velut palmes præcisus de vite foras missi estis, et arescitis, ut in ignem mittamini, et ardeatis · quod divina pietas longe faciat a vobis

XL. Sed quia jam nunc videmur digressi modum epistolæ, alio exordio congruum censuimus respondere vestræ calumniæ, quam confratribus et coepiscopis nostris Apulis, scriptam ad suggillationem nostri azymi, et prædicationem vestri fermenti, non

Digitized by Google

dubitastis dirigere. Inter hæc dirigimus vestris cavillationibus refragantia venerabilium Patrum nostrorum aliqua super his scripta ; deinde, ut Deus inspirabit, nostra rescripta, quatenus multipliciter vestra retundantur et retro ferantur jacula, et quem non vultis feriant. Nam si vos non erubescitis, nec timetis de loquacitate, nos non tantum erubescere, quantum timere debemus de taciturnitate, quia de nostra multorum pendent animæ, quæ falsis fratribus calumniantibus et nobis tacentibus, habent perire.

XLI. Ista autem vobis paterna pietate, ac germana dilectione interim rescribimus, in quibus satis declinasse nos credimus, ne in illud Salomonis incideremus : *Noli respondere stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris illi similis* (*Prov.* XXVI). Verum si non resipueritis, experiemini quod idem mox secutus ait : *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur* (*Ibid.*). Et illud Apostoli : *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita ; subversus est enim qui ejusmodi est, et delinquit, proprio judicio condemnatus* (*Tit.* III). Et cavendo interdictum veteris legis typicum, deinceps non coquemus hædum in lacte matris suæ ; sed impetiginem ejus et scabiem fricabimus instanter mordaci aceto et multo sale ; quia cum dolore abscindenda sunt quæ leni manu palpari et sanari non possunt, ut Dominus admonet, dicens : *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum* (*Matth.* XVIII). Sed miseratio Dei præcedens hæc nostra dicta, parcet et nobis et vobis, ut deinceps non sit necesse circa quæstiones et pugnas verborum occupari, sed ex divinis paginis nostram in hoc mundo peregrinationem invicem consolari, et pacifice adhortari, ut Psalmista canit : *Pax multa diligentibus legem tuam, Domine, et non est illis scandalum* (*Psal.* CXVIII). Quod vero charitas et unitas fratrum ipsa sit lex Dei, ostendit illud Evangelii : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem* (*Joan.* XIII). Quam nos sinceram hic conservare, et in futuro sine fine ipsam, quæ Deus est, perspicere, *qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (*I Tim.* II), dignetur concedere Amen.

CI.

S. Leonis epistola ad Petrum episcopum Antiochenum. — Gratulatur de ejus erga sedem apostolicam observantia. Confirmat ejus ordinationem, si secundum canones fuerit promotus. Hortatur ut suæ Ecclesiæ dignitatem tueatur. Probat fidem ad se ab eo scriptam eamdem esse quam tenet Romana Ecclesia, cujus fidei summa capita ad eum mittit.

(Anno 1054.)

[Mansi *Concil.* XIX, 660.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri et coepiscopo Petro.

Congratulamur vehementer in Domino tuæ sanctissimæ fraternitati, atque multimodas gratias, ut dignum est, referimus ei qui est vera pax et charitas suorum, quod tandem per te, charissime frater, videtur refloruisse sanctæ Antiochenæ Ecclesiæ studium, et sentire quod est sentiendum. *In hoc enim cognoscent omnes, quia Christi sumus discipuli* (qui primum in ipsa magna Antiochia nominati fuerunt Christiani), *si dilectionem habuerimus adinvicem* (*Joan.* XII), *et idipsum dixerimus omnes, et non fuerint in nobis schismata : si fuerimus perfecti in eodem sensu, et in eadem scientia* (*I Cor.* I). Neque enim Deus, qui unus est, in scissuris mentium, sed in sola unitate et puro corde habitat, et habitare facit unanimes in domo. Alioquin domus exasperans erit, nec jam digna vocari Ecclesia Dei, sed synagoga maligni. Porro sicut calamitosum est, si unitas deest bonis; ita perniciosum, si adsit malis. Quod ipse ex specula sanctæ illius Ecclesiæ, cui videris designatus divinitus speculator, prudenti oculo considerans promotionem tuam ad episcopale fastigium electione cleri et populi, sicut asseris, factam, atque fidem tuam, secundum antiquæ consuetudinis religiosum et valde necessarium studium, apostolicæ et primæ sedi, cui, Deo auctore, quamvis indigni præsidemus, annuntiare et exponere curasti. In quo facto noverit tua dilectio nos plurimum recreatos et gavisos in Domino; quia, quod maxime oportebat, tibi et Ecclesiæ cui temporaliter præsides non distulisti efficere. Siquidem ab apostolica tua sede nostram apostolicam sedem consulendo, perpendimus tuam dilectionem nolle deviare a Dominico et omnium sanctorum Patrum concordi decreto, quo inviolabiliter cunctis in toto orbe terrarum Ecclesiis, sancta Romana et apostolica sedes caput præponitur, ad quam majores et difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur. Sic omnia veneranda concilia, sic leges humanæ promulgant, sic ipse Sanctus sanctorum, Rex regum et Dominus dominantium confirmat; quatenus ibi principalis dignitatis et totius ecclesiasticæ disciplinæ venerabilis apex præfulgeat et præcellat, ubi ipse vertex atque cardo apostolorum Petrus carnis suæ beatam resurrectionem in novissimo die exspectat. Nimirum solus ea ille pro quo, ne deficeret ejus fides, Dominus et Salvator asserit se rogasse, dicens : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Quæ venerabilis et efficax oratio obtinuit quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in sæculum sæculi; sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei perturbationibus, sicut usquenunc confirmare non cessavit. Pro cujus excellentia tertiam a Romana Ecclesia dignitatem retinet Antiochena, quam te defendere summopere monemus, non tuæ gloriæ causa, sed propriæ sedis, cui ad tempus præsides, antiqua honorificentia. Nec revoceris ab hac intentione cujuslibet pompa vel arrogantia, quin constanter defendas honorem, quem Antiochenæ Ecclesiæ reliquerunt omnia sanctorum Patrum concilia. Ad quod utique, si oportuerit,

Digitized by Google

maxima mater, Romana scilicet atque prima sedes, tam dilectæ sibi filiæ, imo consociæ nusquam et nunquam decrit. Quod totum ideo dicimus, quia quosdam conari minuere antiquam dignitatem Antiochenæ Ecclesiæ audivimus.

Porro quod a nobis causas divisionis universalis Ecclesiæ compatiendo requiris, fatemur tuæ religiosæ sollicitudini nos adhuc a Domino miserante firmissime retinere vinculum sanctæ unitatis : nec videmus nos alicubi incurrisse damnum schismatis, quos integritas concordiæ et plenitudo ecclesiasticæ disciplinæ indesinenter regit. Unicuique nostrum debetur honor et sua jura conservantur. Terminos, quos patres nostri fixerunt, nulli arroganter transgredi conceditur. Magis vestra fraternitas circumspiciat ne qua radix amaritudinis atque dissensionis, quod absit! in vestris partibus succrescat, per quam inquinentur multi, et quam necesse sit districta falce sanctorum canonum a catholicæ Ecclesiæ agro exstirpari. Mea vero humilitas in culmine apostolici throni ideo exaltata ut approbanda approbet, improbanda quoque improbet, tuæ sanctissimæ fraternitatis episcopalem promotionem libens approbat, collaudat et confirmat; et communem Dominum instanter exorat ut quod humano ore jam diceris ante ejus oculos existas. Noveris tamen nos ipsam tuam promotionem taliter approbare, si non hanc neophytus, aut curialis, seu digamus, vel pretio, aut alio quolibet modo sacris canonibus contrario, quod absit! obtinuisti. Sane fidem tuam, quam proprio scripto summæ et apostolicæ sedi exposuisti, sanam et catholicam atque orthodoxam per omnia protestamur, et sicut vere unicam et salutarem amplectimur, et tuæ dilectioni vehementer congratulantes in Domino, eamdem nostram esse devoto corde et prompto ore profitemur. Firmiter enim credo sanctam Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem esse, totamque in Trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem, coæternam et coomnipotentem, uniusque voluntatis, potestatis et majestatis; Creatorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quæ sunt in cœlo et in terra, visibilia et invisibilia. Credo etiam singulas quasque in sancta Trinitate personas, unum Deum verum, plenum et perfectum. Credo quoque ipsum Dei Patris Filium, Verbum Dei æternaliter natum ante omnia tempora de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, et coæqualem Patri per omnia in divinitate, temporaliter natum de Spiritu sancto et Maria semper Virgine, cum anima rationali; duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem; duas voluntates et operationes habentem; Deum verum, et hominem verum; proprium in utraque natura atque perfectum; non commistionem atque divisionem passum, non adoptivum neque phantasticum; unicum et unum Deum, Filium Dei in duabus naturis, sed in unius personæ singularitate : impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro nostra salute passum vera carnis passione et sepultum, ac resurrexisse a mortuis die tertia, vera carnis resurrectione : propter quam confirmandam, cum discipulis nulla indigentia cibi, sed sola voluntate et potestate comedisse, die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua surrexit, et anima ascendisse in cœlum, et sedere ad dextera Patris; inde decimo die misisse Spiritum sanctum, et inde, sicut ascendit, venturum judicare vivos et mortuos et redditurum unicuique secundum opera sua. Credo etiam Spiritum sanctum plenum et perfectum verumque Deum, a Patre et Filio procedentem, coæqualem et coessentialem et coomnipotentem, et coæternum per omnia Patri et Filio, per prophetas locutum.

Hanc sanctam et individuam Trinitatem non tres deos, sed in tribus personis, et in una natura sive essentia unum Deum omnipotentem, æternum, invisibilem et incommutabilem ita credo et confiteor, ut Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum, sed a Patre et Filio procedentem veraciter prædicem. Credo sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unus datur baptismus, et vera omnium remissio peccatorum. Credo etiam veram resurrectionem ejusdem carnis, quam nunc gesto, et vitam æternam. Credo etiam Novi et Veteris Testamenti, legis et prophetarum et apostolorum unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem : Deum prædestinasse solummodo bona, præscivisse autem bona malaque. Gratiam Dei prævenire et subsequi hominem credo et profiteor, ita tamen ut liberum arbitrium rationali creaturæ non denegem. Animam non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam; et absque baptismate originali peccato obnoxiam credo et prædico.

Porro anathematizo omnem hæresim extollentem se adversus sanctam Ecclesiam catholicam, pariterque eum quicunque aliquas scripturas, præter eas quas catholica Ecclesia recipit, in auctoritate habendas esse crediderit, vel veneratus fuerit. Quatuor concilia omnimode recipio, et velut quatuor Evangelia veneror (Gregorius, *ep.* 24, l. 1); quia per quatuor partes mundi, universalis Ecclesia in his, tanquam in quadro lapide, fundata consistit. Primum : Nicænum trecentorum et octodecim Patrum, sub beato Silvestro papa Romano et Constantino Augusto magno, cui præfuerunt Victor et Vincentius Romani presbyteri; secundum : Constantinopoli anum primum centum quinquaginta Patrum, sub Damaso papa et Theodosio majore; tertium : Ephesinum primum ducentorum Patrum, sub Cœlestino papa et juniore Theodosio; quartum : Chalcedonense sexcentorum et triginta Patrum, sub beato Leone papa et Marciano Augusto.

Pari modo recipio et veneror reliqua tria concilia, id est, secundum Constantinopolitanum, sub Vigilio papa et Justiniano Augusto; deinde tertium Constantinopolitanum contra Monothelitas, sub Aga-

Digitized by Google

thone papa et Constantino nepote Heraclii; ultimum, secundum Nicænum, sub Adriano papa et Constantino Irenes filio, pro reverendis Domini Jesu Christi et sanctorum imaginibus. Quidquid supra dicta septem sancta et universalia concilia senserunt et collaudaverunt, sentio et collaudo : et quoscunque anathematizaverunt, anathematizo. Hanc fidem sancta Romana et apostolica sedes corde credit ad justitiam, et ore confitetur ad salutem (*Rom.* x). Secundum hanc vivere, Domino donante, studet, et pro ejus defensione, si oportuerit, meri parata est. Quam et in te, frater charissime, perfectam cognoscimus, et secundum eam te vivere nobiscum admonemus, profecto scientes quia fides sine operibus mortua est (*Jac.* II). Salutamus cum omni fraternitate seu collegio sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis tuam fraternitatem sanctam, cunctumque collegium in Domino tibi subjectum ; et ut pro nostra gemina salute omnipotentem Dominum jugiter exores precamur plurimum, reverende et desiderabilis frater.

A

B

CII.

S. Leonis epistola ad Michaelem Constantinopolitanum patriarcham. — Gratulatur ei quod Græcos Latinis conciliare studeret. Arguit eum, tum quod patriarchas Alexandrinum et Antiochenum suæ potestati subjicere conaretur, tum quod universalis patriarchæ nomen sibi usurparet, et Romanam Ecclesiam, quæ in azymis sanctum eucharistiæ sacrum conficiat, damnaret. Probat Christum in azymo consecrasse.

(Anno 1054.)

[Mansi XIX, 663]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Michaeli Constantinopolitano archiepiscopo.

Scripta tuæ honorandæ fraternitatis tandem ad nos perveneruut, in quibus ad maxime necessarium omnibusque Christi fidelibus amplectendum bonum concordiæ et unitatis exhortari studes ; quatenus post nimium longas et perniciosas discordias, filia ex propriæ matris reconciliatione exsultet. Ad quod utique te provocantem et præmonentem tanto promptius auscultare cupimus, quanto vigilantius animadvertimus hanc solam esse propriam et specialem virtutem piorum atque sanctorum, cum cæteræ virtutes bonis et malis esse possint communes, Domino sic præmonstrante : *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII). Et deiloquo Paulo protestante : *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII). Unde plurimum tuæ fraternitati congratulamur in Domino, quoniam summum desiderium nostrum tua industria anticipasti ; quod utique si aliquo frigore charitatis pigritareris exsequi, nostra debueras solertia præveniri. Nos enim, juxta præfatum Apostolum, si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habere (*Rom.* XII) peroptamus ; quanto magis ergo tecum, quem videmus Ecclesiæ Dei valde utilem et necessarium posse fore ministrum, si non transgredi laboraveris terminos quos patres nostri posuerunt? Et quia Christianæ perfectionis est pacificum esse etiam, cum inimicis pacis, spe correctionis, non consensu malignitatis ; tanto sollicitius debemus omnes occasiones scandalorum de medio tollere, quanto tenacius optamus pacis amicos retinere. Plurima autem ex tua fraternitate intolerabilia rumor jam diu pertulit ad aures nostras, quæ nos, partim quia incredibilia videbantur, partim quia nulla facultas inquirendi talia concedebatur, indiscussa hucusque reliquimus. Denique diceris neophytus, et non gradatim prosiluisse ad episcopale fastigium : quod nullatenus esse faciendum et Apostolus edocet (*1 Tim.* III), et venerabiles canones interdicunt. Hinc nova ambitione Alexandrinum et Antiochenum patriarchas, antiquis suæ dignitatis privilegiis privare contendens, contra omne fas et jus tuo dominio subjugare conaris. Quod quanto tuo periculo tentes, omnibus sanæ mentis patet : quandoquidem vana gloria et pompa sæculari elatus, consilium divinitatis antiquum super stabilimento columnarum suæ Ecclesiæ [*Hic deest* mutare, *aut aliquid ejusmodi*] contendis, quasi ex fallacibus divitiis præjudicium facturus illi, qui cum vere et singulariter dives esset, pauper pro nobis factus (*II Cor.* VIII), delegit suæ temporali nativitati oppidulum et speluncæ diversorium (*Luc.* II), non quodlibet regum palatium. Cujus exempla quisquis horret, ad sortem illius pertinet, qui tunc per se, nunc autem per suos satellites dicere audet : *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV). *Sed non cogitationes meæ, cogitationes vestræ ; neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus* (*Isa.* LV) : qui dispergit superbos in furore suo, et respiciens omnem arrogantem humiliat, et exsurgit ut non prævaleat homo, in cujus conspectu non est Deus. Ne enim superbia propter altitudinem suam se conjunctam putaret Deo, dicit Psalmista : *Altus a longe cognoscit excelsus Dominus* (*Psal.* CXXXVII). Unde per semetipsum testatur : *Quod altum est hominibus, abominabile est apud Deum* (*Luc.* XVI). Qualis vero, et quam detestabilis atque lamentabilis est illa sacrilega usurpatio, qua te universalem patriarcham jactas ubique et scripto et verbo, cum omnis Dei amicus hujusmodi hactenus horruerit honorari vocabulo? Et quis post Christum convenientius posset insigniri hoc vocabulo, quam cui dicitur divina voce : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI), etc. Verumtamen quia ille non invenitur universalis apostolus dictus, quamvis princeps apostolorum sit constitutus, nullus successorum ejus tam prodigioso prænomine consensit appellari penitus, licet magno Leoni prædecessori nostro, et successoribus ipsius, hoc sancta decreverit Chalcedonensis synodus. Nempe animadvertebant non esse amicum sponsi, qui pro sponso vellet amari ; quin potius paranymphum et lenonem Antichristi, qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Ecce ille Joannes

C

D

Digitized by Google

vester, cujus vesanæ adinventionis adhuc hæreles permanetis, qui, secundum Psalmistam, per vos adhuc vocat nomina sua in terris suis, cum interiit non sumpsit omnia, neque descendit cum eo gloria ad infernum; quia cum in honore esset, non intellexit (*Psal.* XLIII). Ipse a beatissimis pontificibus Pelagio et Gregorio (PELAGIUS II, *epistola* I; GREGORIUS, lib. VI, *epist.* IV, et lib. VII, *epist.* XXX) successoribusque eorum pro hac insolentia anathematizatus, in sua pertinacia irrevocabilis periit, jamque per quadraginta et quadringentos annos suæ contumaciæ sequaces præcipitare non cessavit. Quibus quid profuit superbia, divitiarum jactantia quid contulit? *Transierunt omnia velut umbra* (*Sap.* V). *Quid denique prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (*Matth.* XVI.) Et quomodo animas pro fratribus habetis ponere, qui inane nomen et universam Ecclesiam scandalizans dedignamini deponere? Resipisce ergo, rogamus, ab hac insania, ne illius consors tu quoque, quod absit! fias, de quo dicitur: *Omne sublime videt, et ipse est rex super universos filios superbiæ* (*Job* XLI). Illud autem quis non stupeat, quod post tot sanctos et orthodoxos Patres, per mille et viginti a passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes et publicam persecutionem excitans, quicunque participarentur sacramentorum ex azymis? Quam præsumptionem tuam et fama nobis obtulit, et litterarum sub nomine tuo ad Apulos datarum textus manifestavit: quæ violenter astruere conantur fermentatum panem fuisse, quo Dominus apostolis suis corporis sui mysterium in cœna commendavit. Quod omnino falsum esse ex utroque testamento facillime deprehenditur: quia qui non venerat solvere legem, sed adimplere, juxta ipsius legis præceptum, ex azymis et vino vetus pascha adimplevit, et protinus ex azymis et vino novum, sicut aperte Lucas narrat, discipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Israel, et apud quemcunque inveniebatur, peribat anima ejus de populo suo (*Exod.* XII). Quod si in Cœna Domini Jesu apparuisset, aut ipse seu discipuli ejus quoquo modo gustassent, juste sicut prævaricatores legis perirent, nec ipse Dominus diceret suis insidiatoribus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (*Joan.* VIII.) Nec esset opus falsos testes ad perdendum eum quærere, cum hoc solo perderetur juste. Sed qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*II Petr.* II), quod passurus discipulis mandavit, evidenter per Apostolum, in quo loquebatur, commemorans, inquit: *Epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis* (*II Cor.* XIII). *Denique modicum fermentum totam massam corrumpit* (*I Cor.* V). Ubicunque autem corruptio, ibi procul dubio naturæ deterioratio et alicujus vitii susceptio.

Porro nostrum Pascha ideo novum dicitur, quia illud vetus præceptum est Israelitis in memoriam A suæ egressionis ex Ægypto; istud vero Christianis in memoriam Dominicæ passionis, qua ad Patrem transivit ex hoc mundo. Sed quia tam de his quam de aliis, quibus nos calumniaris, latius a nostris nuntiis per alia scripta nostra, quæ deferunt, instrueris: hic breviter attigisse sit satis. Discat autem fraternitas tua, saltem admonita, caute et humiliter loqui, ne aliquando Dominus dicat et tibi: *Ex abundantia cordis os loquitur* (*Matth.* XII). Scripsisti siquidem nobis, quoniam si una Ecclesia Romana per nos haberet nomen tuum, omnes Ecclesiæ in toto orbe terrarum haberent per te nomen nostrum. Quid hoc monstri est, frater charissime? Romana Ecclesia, caput et mater Ecclesiarum, membra et filias non habet? Et quomodo potest dici caput aut B mater? Credimus enim propter quod et loquimur atque constanter profitemur: Romana Ecclesia adeo non est sola, vel sicut tu putas, una, ut in toto orbe terrarum quæcunque natio dissentit superbe ab ea, non sit jam dicenda vel habenda Ecclesia aliqua, sed omnino nulla; quin potius conciliabulum hæreticorum, aut conventiculum schismaticorum, et synagoga Satanæ. Videris dicere illud sancti Eliæ tunc præsumentis de se: *Relictus sum ego solus* (*III Reg.* XIX). Sed audi quid ille audivit a Domino. *Reliqui mihi septem millia virorum* (*III Reg.* XVIII). Quiesce, quiesce jam, venerabilis frater, ab his superstitionibus, ne illud Salomonis in te dicatur: *Sunt qui se divites affectant, nihil habentes* (*Prov.* XIII). Stultissimum nempe hoc est diabolicæ arrogantiæ, qui C regna mundi a conditore omnium facta putans sua esse, dixit illi: *Hæc omnia tibi dabo* (*Matth.* IV). Igitur hinc jam ad cor redeatur et tam perniciosa scandala de medio tollantur, et tunc secundum Psalmistam: *Loquetur Dominus pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor* (*Psal.* XXXIV). Nam nos cum pertinacibus et in errore suo permanentibus pacem aliquam habere non possumus, ne operibus maligni communicemus; quia nec Dominum Christum alicubi talia fecisse invenimus: cum etiam in nativitate ipsius angeli pacem annuntiaverunt solummodo bonæ voluntatis hominibus. Qui etiam oculum scandalizantem eruendum, manum vel pedem scandalizantes abscindendos insinuat. D

Cessent ergo hæreses et schismata, et diligentibus legem Dei jam non erit scandalum, sed pax multa. Quicunque gloriatur Christiano nomine, cesset Romanam sanctam et apostolicam Ecclesiam maledicere et lacessere; quia frustra patremfamilias honorat, quisquis ejus uxorem exhonorat. Et frustra matrisfamilias caput et faciem magnificat, qui minimos filiorum ejus impugnans, tanquam digitos pedum illius conculcat. Unde in Ecclesiastico dicitur: *Quam malæ est famæ, qui fugit patrem; et est maledictus a Deo qui exasperat matrem* (*Eccli.* III). Et in Proverbiis: *Oculum qui subsannat patrem, et despicit matrem, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ* (*Prov.* XXX). Confidimus tamen

Digitized by Google

ex divina pietate quod ab his innoxius aut correctus inveneris, aut certe admonitus cito corrigeris. Quod dum fuerit effectum, pax nostra jam ad nos non revertetur, sed super te requiescet, ceu super pacis filium : et regnabit inter nos germana charitas, de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta (*I Tim.* I); nec necesse habebis nobis supplicare, sed jubere. Super hæc, sicut cœpisti, cullabora, ut duo maxima regna connectantur pace optata. Orantem pro nobis tuam honorabilem fraternitatem sancta Trinitas in perpetuum conservet. Data mense Januario (an. 1054), indictione VII.

CIII.

S. Leonis epistola ad Constantinum Monomachum. — Laudat eum quod pacem inter Latinos et Græcos conciliare curet. Hortatur ut Romanam Ecclesiam defendat. De arrogantia Michaelis Constantinopolitani conqueritur, legatosque commendat.

(Anno 1054.)

[Mansi, XIX, 667.

LEO episcopus, servus servorum Dei, glorioso et religioso imperatori novæ Romæ CONSTANTINO MONOMACHO, dilecto filio, salutem.

Quantas gratias referre jugiter debeamus creatrici et gubernatrici omnium sanctæ et individuæ Trinitati, super inenarrabili dono ejus, quo operatur omnia in omnibus (*I Cor.* XII), etiam ex tua devotione et religiosa industria, gloriosissime fili atque serenissime imperator, perpendere possumus : qui te talem nostris exhibuit et gratuita pietate providit diebus, cujus fida ope statum sanctæ et catholicæ Ecclesiæ relevari, et terreni imperii rempublicam meliorari confidamus. Tu enim post nimium longas et perniciosas discordias, primus pacis et concordiæ monitor, portitor et exoptatus exactor efficeris, et cum ipso vase electionis humillimo Paulo dicere videris : *Pro Christo legatione fungentes, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus, reconciliamini propter eum* (*II Cor.* V) *qui est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II). Etenim vehit religiosa et egregiæ indolis proles, gemitus matris tuæ non oblivisceris : nec contemnendam, quia senuit, sed potius reverendam arbitraris, atque plenis charitate visceribus, ad eam redire meditaris, ut uni Deo et Patri omnium tanto fias charior et propinquior, quanto eidem principali matri benignior atque humilior. Neque enim tuam prudentiam latet, quod in Ecclesiastico habent : *Benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta* (*Eccles.* III). Et illud : *Ne dimittas legem matris tuæ, liga eam in corde tuo jugiter* (*Prov.* I). Quæ utique proverbia magis curant nobis commendare matrem quæ ad æternam vitam nos generat et erudit, quam illam quæ ad mortem parit, et carnaliter diligit et instruit. Cui nisi illa successerit, ut regeneret et refoveat, ista procul dubio secundæ morti filios suos destinat. Porro hæc catholica mater et incorrupta virgo, quamvis omnem terram et fines orbis occupaverit membris suis et repleverit, tamen unum caput omnibus reverendum et suspiciendum exerit et prætendit. Quod quicunque exhonorat, frustra se in ipsius membris computat. Illud autem quid sit, tua imperialis claritas omnino novit : illud nimirum, quod Christi vox prætulit et præeminere voluit universis, et subsequens Ecclesiæ pietas, et generalis sanctorum Patrum consensus jugiter hactenus celebravit. Cujus venerabilem faciem tu quoque honorificare disponis, non ingratus illi quæ tuum verticem diademate terreni principatus decenter insignivit, et tremendum et amandum populis effecit, et, ut in sempiternum regnes, chrismate adoptionis inunxit. Nempe ipsa antiqua et jam emerita Roma illum primum nobilissimum et religiosissimum Constantinum, cujus genealogia gloriaris et potentia magnificaris, cujusque de nomine dictam urbem famosam regis temporaliter edidit, nutrivit, provexit et super omnes mortales constituit, nec a beneficiis cessavit donec eumdem æterni regni gloria cumulavit. Unde multimoda gratiarum actione tuam excellentiam, gloriosissime fili, magnificando, tanto majori super tua devotione et recognitione replemur gaudio, quanto copiosior animarum numerus ex tuo regimine pendet tuoque innititur exemplo. Et ideo non cessamus orare communem Dominum, per quem reges regnant et principes justa decernunt (*Prov.* VIII), ut in suo beneplacito te conservet longævum, et compleat in bonis desiderium tuum. Porro ego ipse qualiscunque apostolicæ vicarius sedis, pro modulo humilitatis meæ et possibilitatis supplere laborans vicem mihi commissæ dispensationis, secundum deiloquum Paulum : *Væ mihi est, si non evangelizavero : necessitas enim mihi incumbit maxima* (*I Cor.* IX), posituro rationem æterno et districto judici, propter unius regimen Ecclesiæ, ex [*hoc est*, de] omnium ecclesiarum merito. Illa ergo sollicitudine, qua omnibus Ecclesiis debeo invigilare, videns indisciplinatam et alienam gentem incredibili et inaudita rabie, et plusquam pagana impietate adversus Ecclesias Dei insurgere passim, Christianos trucidare, et nonnullos novis horribilibusque tormentis usque ad defectionem animæ affligere, nec infanti, au seni, seu femineæ fragilitati aliquo humanitatis respectu parcere, nec inter sanctum et profanum aliquam distantiam habere, sanctorum basilicas spoliare, incendere, et ad solum usque diruere; sæpissime perversitatem ejus redargui, obsecravi, prædicavi, opportune importuneque institi, terrorem divinæ et humanæ vindictæ denuntiavi. Sed quia Sapiens ait : *Nemo potest corrigere quem Deus despexerit, et stultus non corrigitur* (*Eccles.* VII) : adeo obdurata et obstinata ejus malitia permansit, ut de die in diem adderet pejora pessimis. Unde non tantum exteriora bona pro liberatione ovium Christi cupiens impendere, sed superimpendi ipse peroptans, visum est mihi ad testimonium nequitiæ eorum, vel, si sic expediret, ad repressionem contumaciæ, humanam defensionem undecunque attrahendam fore, audiens ab Apostolo, principes non sine causa gladium portare, sed mi-

Digitized by Google

nistros Dei esse, vindices in iram omni operanti A malum; et quia principes non sunt timori boni operis, sed mali (*Rom.* XIII): et reges atque duces missos a Deo ad vindictam malefactorum.

Suffultus ergo comitatu, qualem temporis brevitas et imminens necessitas permisit, gloriosi ducis et magistri Argyroi fidelissimi tui colloquium et consilium expetendum censui, non ut cujusquam Nortmannorum, seu aliquorum hominum interitum optarem, aut mortem tractarem, sed ut saltem humano terrore resipiscerent, qui divina judicia minime formidant. Interea nobis eorum pertinaciam salutari admonitione frangere tentantibus, et illis ex adverso omnem subjectionem fcte pollicentibus, repentino impetu comitatum nostrum aggrediuntur; sed adhuc de victoria sua potius B tristantur quam lætentur. Sicut enim tua pietas scribere curavit ad nostram consolationem, pro ista sua præsumptione majorem in proximo exspectant sibi superventuram indignationem, post illam quam experti sunt, suæ catervæ diminutionem. Nos quoque divinum adjutorium nobis adfore, et humanum non defore credentes, ab hac nostra intentione liberandæ Christianitatis non deficiemus, nec dabimus requiem temporibus nostris, nisi cum requie sanctæ Ecclesiæ periclitantis. Ad quam acquirendam et obtinendam habemus maximum ex divina pietate solatium et præsidium, charissimum atque clarissimum filium nostrum imperatorem Henricum, cujus de die in diem exspectamus promissum et proximum adventum, utpote cum procinctu et expeditione imperiali properantis ad nostrum subsidium. Ad quod etiam superna C gratia tuam serenitatem animavit, ut hinc inde vobis duobus, velut totidem brachiis, inimicam gentem ab Ecclesiæ Christi propellentibus et procul effugantibus, afflictæ nunc Christianitatis relevetur decus et reipublicæ reformetur status. Et quia abundante iniquitate et refrigescente charitate, sancta Romana Ecclesia et apostolica sedes nimium diu obsessa fuit mercenariis et non pastoribus, a quibus sua, non quæ sunt Jesu Christi, quærentibus, devastata jacebat miserabiliter hactenus: divinum consilium voluit meam humilitatem suscipere tantæ cathedræ pondus. Quo licet plurimum mei imbecilles prægraventur et deprimantur humeri, non parum mihi subest sanctæ spei, quandoquidem ex utroque latere tales astant filii religione et potentia præclarissimi. Quapropter, devotissime fili et serenissime imperator, collaborare nobis dignare ad relevationem tuæ matris sanctæ Ecclesiæ, et privilegia dignitatis atque reverentiæ ejus nec non patrimonia recuperanda in tuæ ditionis partibus, sicut manifeste cognoscere poteris ex venerabilium prædecessorum nostrorum seu tuorum scriptis et gestis. Tu ergo magnus successor magni Constantini, sanguine, nomine et imperio factus, ut fias etiam imitator devotionis ejus erga apostolicam sedem, exhortamur: et quæ ille mirabilis vir post Christum eidem sedi contulit, et confirmavit, et defen'it, tu juxta tui nominis etymologiam, constanter adjuva recuperare, retinere et defendere. Ita enim apud Deum singulariter pugnans, cognominaberis quod jamdudum inter homines cognominaris. Hoc sane gloriosissimus filius noster Henricus perficere molitur in suis partibus. Quæ omnia nobis et vobis provenient felicius et multiplicius, ubi quantocius, Dei gratia præveniente, et beatissimis apostolorum principibus intervenientibus, et me qualicunque vicario eorum mediante et obtinente, firmissimum pacis et amicitiæ inter vos ambos componetur fœdus.

Præterea confrater noster archiepiscopus Michael exhortatorias ad concordiam et unitatem direxit nobis litteras: quem ad tam optabile et necessarium bonum præmonentem tanto necesse est nos devotius et alacrius suscipere, quanto perspicacius considera- B mus non posse computari inter discipulos Christi aliquem, qui fraternæ paci dedignatur acquiescere, Domino suis dicente: *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII); et magno Paulo sic protestante: *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII). Sed noverit tua claritas, super præsumptionibus ejus multa et intolerabilia jamdudum pervenisse ad aures nostras, qualiter etiam aperta persecutione in Latinam Ecclesiam exardescens, anathematizare non timuit omnes qui sacramenta attrectant ex azymis: et quod Alexandrinum et Antiochenum patriarchas antiqua dignitate sua privare contendens, contra fas et jus sibi subdere nova ambitione appetit: et pleraque quæ usurpare C dicitur, sicut a nostris nuntiis diligenter cognoscere poteris. In quibus si, quod absit, pertinax fuerit, pacem nostram nullatenus retinere poterit; quia procul dubio, *ad nos revertetur*, sicut Dominus dicit, *si ille noluerit esse filius pacis* (*Luc.* X). Unde et Apostolus: *Si fieri*, inquit, *potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* XII). Siquidem in vano patremfamilias honorat, qui uxorem ejus exhonorat. Et frustra matrisfamilias caput et faciem magnificat, qui vel minimos filiorum ejus impugnans, velut digitos pedum ejus conculcat. Contra quem sapientia Dei in Ecclesiastico sic intonat: *Quam malæ famæ est qui fugit patrem, et est maledictus a Deo qui exasperat matrem* (*Eccli.* III). D Confidimus tamen quod præveniente gratia Dei invenietur innoxius ab his, aut correctus, aut cito resipiscet admonitus; et efficietur non qualis dicitur, sed qualis a nobis pie desideratur et speratur. Hinc jam tuæ gloriæ præsentes filios nostros sanctæque Romanæ et apostolicæ sedis nuntios per omnia commendamus, quatenus ut decet liberaliter suscipiantur, reverenter habeantur, benigne et honeste tractentur, rationabiliter patienterque audiantur, atque quantocius nobis laudabiliter remittantur, ne tantum laborem illos frustra arripuisse pigeat, nos mandasse pudeat. Porro ex Amalfitano episcopo nulla tibi suboriatur suspicio, quia Romanus est omnino, et ab Amalfitanis discedens, familiariter nobiscum vivit jam pene anno integro. Benedictus Deus et Pater

Digitized by Google

Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, A et Deus totius consolationis (*I Cor.* I), dignetur tuam excellentiam benedicere omni benedictione spirituali repleatque omni gaudio et pace, ut in præsenti sæculo per longa tempora feliciter domineris, et in futuro sine fine cum Rege regum et Domino dominantium regno cœlorum beate perfruaris, honorabilis et desiderabilis nobis in Christo, fili et gloriose Auguste. Amen.

CIV.

S. Leo monasterii S. Salvatoris et S. Mariæ Nienburgensis possessiones et privilegia, rogante Albuino abbate, « pro Dei amore et petitione fidelis sui Richerii abbatis (Casinensis) atque interventione Egberti Fuldensis abbatis » confirmat.

(Anno 1054.)

[Knaut, *Grundliche Furstellung*, p. 17, teste Jaffe in B *Regestis Pont. Rom.*, p. 379. — Incip. : *Si semper sunt concedenda.*]

CV.

S. Leo Albuvino, abbati S. Mariæ Nienburgensis et ejus successoribus « pro petitione Richerii, Casinensis Montis abbatis, » (Cf. Leonis *Chron. monast. Casin.* p. 686) *concedit ut in procurandis sacris utantur dalmaticis et sandalis.* (*Pro* an. 1048 *legendum esse* an. 1054 *docent an. pont.* VI *et indict.* VII.)

[Beckmann, *Historie des Furstenthums Anhalt*, teste Jaffe, *Regest. Pont. Rom.* p. 379. — Incip. : *Si pastores ovium.*]

CV *bis*.

S. Leo IX de clericorum castimonia scribit contra epistolam Nicetæ abbatis monasterii Studii.

Fragmenta.

[Mansi, *Concil.* XIX, 696.]

C Clementis lib. I, Petri apostoli Itinerarium et Canones apostolorum numerant Patres inter apocrypha, exceptis cap. 50, quos decrevit orthodoxis adjungi.

Apud nos nec ad subdiaconatus gradum quisquam admittitur, nisi perpetuam continentiam, etiam a propria conjuge, profiteatur; nec post gradum cuiquam ducere uxorem conceditur.

Leo IX in epistola qua supra.

Seriatim et aperte prosequitur quod S. R. E. etiam in gradibus clericorum agit; clericos enim, ostiarios, lectores, exorcistas, acolythos si extra vomitum [*f.* solitum] et habitum monachi inveniantur, et continentiam profiteri nolunt, uxorem ducere virginem cum benedictione sacerdotali permittit; non autem viduam repudiatam; qui propter hoc deinceps nec ad subdiaconatum promoveri poterit, nec laicus non virginem sortitus uxorem, aut bigamus ad clericatum. Quod si quis ex præfatis ordinibus desiderat ad subdiaconatum ascendere, non potest sine consensu uxoris suæ, ut de carnali fiat deinceps conjugium spirituale, cogente eos nemine. Nec permittitur postea uxor injungi eodem marito suo carnaliter, nec cuiquam nubere permittitur in vita, aut post mortem illius.

Idem ibidem.

Omnino confitemur non licere episcopo, presbytero, diacono, subdiacono propriam uxorem causa religionis abjicere a cura sua, scilicet ut ei victum et vestitum largiatur, sed non ut cum illa ex more carnaliter jaceat. Sic SS. apostolos legimus egisse, B. Paulo apostolo dicente : *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi sicut F. D. et Cephas?* Vide, insipiens, quod non dixit : Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem amplexandi, sed *circumducendi*, scilicet ut mercede prædicationis sustentaretur ab eis, nec tamen deinceps foret inter eos ulterius carnale conjugium.

SPURIA.

CVI.

Bulla S. Leonis IX in qua declarat se dedicasse ecclesiam Sancti Arnulphi, et multa privilegia contulisse abbati et fratribus ejusdem monasterii.

(Anno 1049.)

[*Gall. Christ.* XIII, 394, ex archivo S. Arnulphi.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, ecclesiæ in honorem beati Joannis evangelistæ sanctique Arnulphi confessoris Christi a nobis specialiter dedicatæ, et per eam venerabili Warino abbati suisque successoribus monachis etiam inibi Deo famulantibus salutem et apostolicam benedictionem.

Quamvis omnium Ecclesiarum Dei curam semper gerere deleamus, illis tamen quibus, divina cooperante clementia, sanctæ benedictionis manum imponimus, propensiori cura et vigilantiori studio prospicere debemus in omnibus. Quapropter fidelium Christi, tam præsentium quam futurorum, solertiam ignorare nolumus : qualiter nos a venerabili confratre nostro Adalberone Metensi episcopo ad ipsam civitatem solemniter invitati inter alia quæ ibi divina favente gratia ad correctionem perduximus, monasterium sancti Arnulphi confessoris Christi, quinto Idus Octobris Christo consecravimus. Huic igitur dignitati aliam dignitatem cupientes adjicere, D privilegium auctoritatis nostræ præfatæ non negamus ecclesiæ. Volumus itaque et sacra primæ sedis auctoritate sancimus ut eadem ecclesia et ipsa sacrosancta Domini mensa in honore ipsius a nobis dedicata tale privilegium inviolabiliter obtineat, ut præter episcopos et abbates, ac septem ejusdem cœnobii sacerdotes et tres canonicos de domo Sancti Stephani, primicerium decanum et corepiscopum primum, ad ipsum principale altare nullus unquam missas celebrare præsumat, nisi et alia religiosa persona quæ postulatione et consensu abbatis aut fratrum ad illud reverenter accedat. Præcipimus etiam ut nullus archiepiscopus vel episcopus super idem altare quandiu inviolatum est, manum suam temere superponat, vel pro quacumque occasione sacrosanctum redemptionis nostræ mysterium ibi intercludere vel prohibere præsumat; sed si homi-

Digitized by Google

cidium vel tale quid ibi, quod absit, peccatis contigerit exigentibus, a Romanæ sedis præsule, vel quibus ipse injunxerit dis utiendum ac determinandum esse censemus. Sed et annale ibi mercatum quotannis in anniversaria dedicationis ipsius festivitate, per assensum dilectissimi filii nostri domni Henrici tertii regis, secundi vero imperatoris, in eodem loco haberi decrevimus; et ut eadem dedicatio ibi semper festive celebretur ab omnibus non minori auctoritate jubemus. Constituimus etiam et paterna dilectione, Warine abbas, tibi tuisque successoribus in perpetuum concedimus ut in sacra ejusdem dedicationis die aliisque præcipuis festivitatibus, in missarum celebratione sandaliis et dalmatica utamini, fraternitatem vestram commonentes ut cum augmento hujusmodi honoris, augeatur in vobis amor Altissimi. Ad cumulum quoque vel augmentum monasticæ religionis adjicimus ut ecclesiæ, villæ et possessiones quas serenissimi Romanæ Ecclesiæ filii reges et imperatores, Carolus scilicet Magnus, Ludovicus Pius, Arnulfus, Hendeboldus, Otto, Conradus eidem loco pia devotione contulerunt, aut ab aliis Christifidelibus tradita privilegii sui auctoritate firmaverunt, usibus abbatis ac fratrum inibi Domino famulantium perpetualiter deserviant, et ad præbendam illorum absque omni contradictione integra semper et inconvulsa permaneant. Hoc est: Mareolas, Arx, Jussiacum cum ecclesia et decimatione; Floriacum etiam et Flaviniacum, Nugaredum, et Vigiacum; triginta etiam mansi cum ecclesia et decimatione in villa sive curia quæ vocatur Rumeliacum; præterea vero Maurivilla et vicus Deivillare, et Tiliacum, Caminetum vero et Buxeriam quod Hildegardis regina cum ecclesia et decimatione, silvis et vineis, aquis aquarumque decursibus, molendinis etiam jam factis, vel in quocunque loco juxta Saliam fluvium, infra bannum ejusdem curiæ sibi placuerit per villicos fratrum semper transponendis et faciendis, ad prælatum sæpius contulit locum, Pomeriolum etiam cum quo et per quod ecclesiastico more ipsum sæpe dictum dotavimus monasterium. Sed et Laium castrum quod quædam Eva comitissa, cum silva quæ vocatur Heis, et cum omni utilitate vel suffusa ejusdem silvæ, cum ponte etiam et piscatione circa Murt fluvium, ad præbendam delegaverat fratrum. Bivera etiam Assidelinde comitissa eidem loco traditum, sed Conradi gloriosissimi imperatoris auctoritate firmatum; sed et Navis quidem vicum juxta Mosellam fluvium, a Dagoberto rege traditum et corroboratum, vel quidquid in inferioribus partibus in Coloniensi episcopatu ad prædictum pertinet cœnobium; hæc autem omnia præbendæ ecclesiæ fratrum hac nostra apostolica præceptione delegamus et confirmamus in perpetuum. Præterea vero ecclesiam, imo abbatiolam Sancti Felicis ipsi loco adjacentem, ubi primus ejusdem Metensis Ecclesiæ pastor beatus Clemens corpore quievit, quam præfatus venerabilis episcopus Adalbero a prædecessore suo quodam æque Adalberone vocato, pro prædicta curia Rumeliacum nuncupata, Sancto Arnulfo in concambium datam esse narravit, et curtis testando monstravit. Hanc quippe abbatiam, cum domibus, agris, silvis ac vineis, et cum omnibus appenditiis suis, ex auctoritate beati Petri et nostra ejus indigni vicarii, rogatu prædicti Adalberonis episcopi ac Warini abbatis cœnobio S. Arnulfi ea ratione firmamus, quatenus præfatus abbas aut fratres eorumque successores sub ipsorum cura perpetualiter eam teneant atque possideant, nullusque ibi ulterius pastoralem virgam quoquo modo suscipere sive portare præsumat: sed abbas Sancti Arnulfi per suos aliosque religiosos fratres quidquid ibi ordinandum sit, semper ordinet atque disponat: illud videlicet semper studens, illud attendens ut sicut ipse suique fratres in suis usibus aliquantum inde relevari desiderant, ita eumdem locum assiduo sui famulatu semper venerari et frequentare non desistant. Hanc igitur abbatiam cum omnibus ad eam juste et legaliter pertinentibus insuper etiam villas, ecclesias ac possessiones quas antea prænominavimus, sæpe dicto sancti Arnulfi cœnobio ac fratribus ibi Deo famulantibus taliter delegamus ac confirmamus, ut nullus imperator aut rex, nullus archiepiscopus vel episcopus, nullus dux, nullus comes vel vicecomes, sed nec aliqua persona magna vel parva, in eisdem rebus aliquam eis injustitiam sive violentiam inferre audeat, vel aliquem advocatum, nisi abbas aut fratres pro qualitate temporum vel diversitate locorum alicubi petierint eis ponere præsumat: sed sicut reges et imperatores, episcopi etiam aliique fideles eadem bona illuc pia devotione contulerunt, ita diversis eorum usibus salva semper et inconvulsa permaneant. Quisquis autem sibi ad præsens timens et in futurum præcavens hanc sacram nostræ confirmationis paginam servare conatur, per gratiam omnipotentis Dei nostra semper apostolica benedictione muniatur; qui vero in aliquo eam violare vel temerare præsumpserit divini anathematis vinculo percussus, beatum Petrum apostolorum principem cum omnibus sanctis contrarium sibi sentiat, ut tamen id quod fecerit irritum sit et ratum non permaneat: sed abbas ipsius loci ac fratres a serenissimis Romanæ Ecclesiæ filiis regibus scilicet ac imperatoribus inde judicium et justitiam quærant. Si autem in hoc minus profecerint, id honoris et hoc singulare a nobis privilegium semper obtineant, ut sicut in eodem monasterio pro nostræ consecrationis lætantur beneficio, sica Romana sede contra omnes adversitates apostolicæ defensionis perpetuo semper muniantur auxilio.

Data quinto Idus Octobris per manus Udonis sanctæ apostolicæ sedis cancellarii et bibliothecarii; et Tullensis primicerii, anno Domini Leonis noni papæ primo, indictione secundo, anno vero Dominicæ incarnationis millesimo quadragesimo nono.

Eberhardus Treverorum, archiepiscopus subscripsit.

Digitized by Google

S. Hugo Chrysopolitanorum archipræsul.
S. Adalbero Metensium episcopus.
S. Udo Leucorum episcopus.
S. Alinardus Lugdunensium episcopus.
S. Humbertus cardinalis et episcopus Silvæ Candidæ.
S. Theodericus Virdunensis episcopus.
S. Joannes, etc.

CVII.

(217) *S. Leo IX in synodo parthenonis S. Gratæ possessiones et privilegia, petente Conrado imperatore confirmat.*

(Anno 1049.)

[Mansi, *Concil.*, tom. XIX, col. 727.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.

Ego Leo, servus servorum Dei, una cum reverendissimis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, aliisque sanctæ Ecclesiæ catholicæ fidelibus in sacra synodo residentibus, necnon et judicibus legisque doctoribus, spirituali filio domino Conrado imperatore, intervenientibus precibus Ambrosii Pergamensis episcopi [*hoc est*, Bergomensis], necnon Older, Brixiensis episcopi, postulantibus insuper prædictis imperatore et similiter prædictis reverendissimis episcopis, nos sanctamque synodum deprecantibus: nostra et totius sacræ synodi largitione concessimus monasterio S. Gratæ curtem et castrum, attinentia, et cuncta quæ Adleida mater S. Gratæ, quæ hoc monasterium de propriis rebus ædificavit, et imperialibus constitutionibus seu præceptis omnia ad eumdem monasterium pertinentia multo jure confirmata constituit, ut electiones abbatissæ in sororum ordinatione permaneant, et omnia in potestate abbatissæ sine aliqua diminutione consistant, et regibus, sive pontificibus, patriarchis, archiepiscopis, metropolitanis, episcopis, abbatissæ, seu a quolibet vestrorum, et domino clero intemerata permanere perpetualiter constituimus sanctæ Pergamensi matri ecclesiæ, ubi domnus Ambrosius episcopus præordinatus esse videtur, nostra synodali concordi largitione concedimus, ac omnia quæ spiritualiter agere debet, hoc est, circa consecrationem abbatissæ vel monacharum, et de nulla se [*f.* de nulla re. Hard.] intromittant, neque de castro et curte de Saranica, neque de aliis castris et villis, campis, vineis, casis, molendinis, tam de civitate Pergamensi quam de foris per totum comitatum, cum omnia et omnibus ad eumdem monasterium S. Gratæ de prædicto episcopo attinentia cum religioso jure concedimus. Unde si quis contra hanc apostolicam et synodalem auctoritatem et largitionem quisquam episcopus A invasor aliquid molietur, sive contra hoc quod prædiximus, repugnaverit, cujuscunque gradus, vel ordinis, aut officii, vel dignitatis, aut generis, sciat se in iram B. Petri apostolorum principis, et omnium sanctorum, et nostram nostrorumque prædecessorum cursurum, [*f.* incursurum. Hard.], et æternaliter anathematis vinculo damnatum, ac in excommunicatione victurum universalis Ecclesiæ et cuncti populi Christiani. Insuper nisi a malo resipuerit, irrevocabili exsilio puniatur, vel ultimis suppliciis feriatur, et bona ejus publicentur. Qui vero pio intuitu custos et observator in omnibus exstiterit, benedictionis gratiam et vitam æternam cum omnibus sanctis habere mereatur in sæcula sæculorum. Amen. Fiat, fiat. In his autem B interfuerunt archiepiscopi, episcopi, abbates, judices Romani seu de vicinis et longinquis civitatibus. Interfuit D. Conradus imperator, et Ambrosius, et Oldericus, episcopi, etc., quorum impulsu N. Prænestinus, Georgius Portuensis, Deodatus Holsticensis, Martianus Narniensis, Benedictus Tiburtinus, Bernardus Castriensis, Joannes Petrosinus, Gregorius Ortensis, Georgius Tiburtinus, Valentinus Manotensis, Theodorus Mileto, Savinus abbas Plenetæ, D. abbas Altinensis; omnes archiepiscopi, episcopi, abbates, et reliqui plures cardinales, sic actis interfuere. Gregorius cardinalis ad Vincula, Benedictus S. Cæciliæ, Andreas presbyter patriarcha Lateranensis, Julianus presbyter Lateranensis, Faustinus presbyter S. Petri, Marcus presbyter C S. Petri apostoli. Hi omnes cardinales his actis interfuere. Faustinus caput senatus et consul, et judex de palatio, Julianus de Ferna Muana Romanus. Paulus de templo palatii, et plures alii.

Data et corroborata IV Idus Junii in patriarchio Lateranensi Domini Salvatoris feliciter. Amen, amen.

Subscriptio notarii, omisso signo.

Ego Stephanus notarius interfui, et jussu D. Leonis summi pontificis omnia supradicta scripsi et tradidi.

CVIII.

S. Leonis IX epistola ad Leodegarium sanctæ Viennensis Ecclesiæ episcopum.

(Intra ann. 1048-54.)

[Bosco, *Bibliotheca Floriacensis*, p. 68.] D

Leo episcopus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, venerabili confratri Leodegario Viennensi archiepiscopo, et per te Ecclesiæ tuæ in perpetuum.

Privilegia Ecclesiæ tuæ, quæ papa Silvester primus, et ejus successores, nostri videlicet prædecessores concesserunt, et nos statuimus. Prædia

(217) Exstat tomo IV Italiæ sacræ privilegium monasterio S. Gratæ a Leone papa IX concessum; sed cujus anni concilio, incertum. Neque enim unum Romæ concilium Leo celebravit. Quod igitur anno 1049 tribuerit Ughellus, mera divinatio est. Et privilegium ipsum totum merum fortasse figmentum dici debet: cum in eo sit mentio Conradi imp. eidem concilio præsentis, qui tamen decem annis totis ante Leonis pontificatum obierat. Irrepsisse librarii errore nomen Conradi suspicatur Ughellus. Quod si ita est, suaque privilegio fides asseritur, fatendum certe est editum in aliquo concilio fuisse cujus memoria nobis alia nulla suppeditat. Quatuor enim quæ exstant Romanæ synodi Leonis papæ IX, statim post Pascha celebratæ sunt: earum igitur nulli tribui potest privilegium VI Idus Junii consignatum. Quale autem idcunque est, hic exhibeo.

Digitized by Google

et bona et munitiones quæ Romanorum imperatores et Francorum atque Burgundiæ reges, Ecclesiæ tuæ dederunt, auctoritate Dei et sancti Petri et nostra, firma esse præcipimus. Similiterque Galliarum per VII provincias episcopis præcipimus, ut sicut prædecessoribus tuis auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ipsi aut prædecessores eorum paruerunt, obediant quoque et tibi. Quoniam oportet jussu beati Petri per Clementem ut una quæque gens recognoscat, per suos episcopos, quis inter eos sit primus.

Data per manus Petri, sacri Lateranensis palatii cancellarii V Idus Maii.

CIX.

S. Leonis IX diploma quo Joanni abb. S. Justinæ Patav. usum pontificalium ornamentorum indulget.

(Anno 1048-54)

[Apud R. P. Bern. Pezium, *Thes. Anecd.* VI, 244.]

Leo episcopus, servorum Dei servus, Joanni venerabili abbati monasterii Sanctæ Justinæ, perpetuam in Domino salutem.

Ex principalitate sedis apostolicæ, cui Deo præsidemus auctore, religiosos Christi sacerdotes, quos omni morum honestate præ cæteris clarere conspicimus, sicut eos quadam familiari dilectione præ cæteris amplectimur, ita quoque nos concedet sacerdotalibus quibusdam insignibus præ cæteris decorare, ipsosque cum rebus ecclesiarum quas regunt nostræ apostolicæ auctoritatis tutela ac defensione stabiliter munire, quatenus cæteri ad religionem, sanctitatem et omnimodam morum honestatem, nec non ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ et summæ sedis pontificis debitam subjectionem, reverentiam, devotionem et ardentissimam dilectionem ferventius incitentur.

Unde, frater charissime et abbas venerande Joannes, quia te religione, sanctitate, humilitate et omnimoda probitate pollere, et in sanctæ Romanæ Ecclesiæ nostrique devotissima subjectione et obsequio fervere intuemur, sandaliis et dalmatica ad missarum celebrationem te concedimus uti, nec non tam ad missam quam ad solemnes processiones te *mitra* et *cyrothecis* ornari, quatenus precibus et meritis illius beatæ virginis et martyris, cujus corpus in commisso tibi monasterio requiescit, pro cujus etiam honore ac dilectione tibi supradicta concedimus, adjuvari valeamus.

Omnia insuper quæ ad prædictum beatæ Justinæ monasterium pertinent juste acquisita sive acquirenda, sub tutela ac defensione sedis apostolicæ suscipimus, salvo scilicet jure matris tuæ Ecclesiæ Paduanæ.

Nullus igitur archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, nullaque magna parvaque persona in prædicti monasterii rebus ullam deinceps violentiam inferre præsumat. Si quis vero hujus nostræ apostolicæ sanctionis privilegium violare præsumpserit, nisi cito resipuerit, et admonitus male acta digna satisfactione emendaverit, a sanctæ Ecclesiæ communione segregatus perpetuæ subjaceat maledictioni. Qui autem observator exstiterit, repleatur abundantia apostolicæ benedictionis.

Datum Patavii per manum Bernardi vice Petri cancellarii, anno Dominicæ incarnationis 1053, indict. VI, anno autem pontificatus domini Leonis IX papæ V, quarto Non. Augusti. Actum feliciter, amen.

CX.

S. Leo IX monasterio Besuensi privilegia tribuit.

(Anno 1052.)

[D'Achery, *Spicil.* II, 425.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Olgerio, abbati Besuensis monasterii, tuisque successoribus, perpetuam in Domino salutem.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Quapropter inclinati precibus tuis, fili charissime, decrevimus more antecessorum nostrorum hoc nostro privilegio apostolicæ tuitionis, vestro Besuensi monasterio propter imminentes persecutiones, et propter innumeros casus qui superveniunt, dignam concedere libertatem. Videlicet ut nulla persona, aut ulla potestas, sive ecclesiastica, seu sæcularis, super eam audeat dominationem aut potestatem usurpare præter Lingonensem episcopum, qui ei patrocinetur juste et canonice. Sic tamen ut ei non liceat neque ministris ejus terras aut beneficia monasterii commutare, vel dare, nec vasa, nec ornamenta, seu volumina subtrahere, aut qualicunque occasione diripere. Omnia vero quæcunque habet vel tenet, vel acquisierit, supradictus locus habeat, et teneat nostra apostolica confirmatione jure perpetuo, in cujuscunque diœcesi sit.

Interdicimus etiam nostra auctoritate ut nullus audeat supradicto monasterio vim inferre, vel eum in subjectionem cujuscunque monasterii redigere. Raptores cujuscunque ordinis vel dignitatis sint, qui res quæ ad supra nominatum cœnobium pertinent, sive de hominibus, seu de terris, vel de qualibuscunque rebus, unde sustentare et vivere debent inibi Deo servientes, rapuerint vel subtraxerint, ligamus eos ligamine sancti Petri usquequo congrue satisfaciant.

Prohibemus etiam ne infra unam leucam a monasterio liceat alicui aliquem invadere vel ejus res auferre. Statuentes apostolica censura ne ulla hominum persona magna vel parva contra hoc nostrum privilegium venire pertentet. Quod si fecerit, apostolico anathemati subjacebit, usque ad dignam satisfactionem. Qui vero servaverit, benedictionis nostræ gratia cumuletur, et æternæ vitæ particeps efficiatur.

Datum IV Nonas Octobris, per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, indictione V, anno ab incarnatione Domini 1052 pontificatus autem domini Leonis IX papæ III.

Digitized by Google

IN FICTITIUM DE CORPORE S. DIONYSII DIPLOMA MONITUM.

(Apud Mabill. *Annal. ord. S. Bened.* lib. XL, num. 21, tom. IV, pag. 533.)

In illo itinere (Germanico) Leo pontifex Ratisponam accessit, atque corpus sancti Wolfgangi, ejusdem urbis episcopi, e tumulo levavit, ut in Annalibus Saxonicis ad hunc annum legitur. Hac occasione usi Ratisponenses Sancti Emmerammi monachi, prolatis nescio quibus tabulis, pontificem induxerunt ad transferendum similiter corpus quoddam, recens in ecclesia sua, dum instauraretur, inventum, quod sancti Dionysii Parisiorum primi episcopi esse jactitabant. Circumfertur hac de re Leonis papæ bulla, inscripta *Clarissimo filio inclyto regi Francorum, ac venerabilibus fratribus, archiepiscopis, episcopis, et dilectis, abbatibus, prioribus, præpositis et decanis, universisque tam subditis, quam prælatis ejusdem regni.* In hac bulla loquens inducitur pontifex se ad partes Germaniæ visitandas ab Heinrico imperatore invitatum accessisse, et Ratisponam evocatum, ut venerabile corpus beati Wolfgangi, ejusdem urbis episcopi, transferret. Quo peracto, Francorum regis legati ipsum pontificem induxerint ad finiendam litem quæ Francos inter et prædictam urbem super possessione corporis beatissimi Dionysii Areopagitæ *diutissime ventilata* erat, asserentibus Francis illud penes se superesse; Ratisponensibus ex adverso contendentibus ipsum per Arnulfum imperatorem ad ecclesiam Sancti Emmerammi translatum, ubi hactenus asservetur; quod venerabilis abbas Reginwardus, ejusque fratres cum tota urbe Ratisponensi asserebant. His auditis, ait pontifex, se capsas, thecas et scrinia, in quibus sacræ reliquiæ conditæ dicebantur, necnon titulos et epigrammata quæ Ratisponenses pro sua causa proferebant, accurate discussisse cum imperialibus et *papalibus* litteris, picturis et sculpturis vetustissimis, exprimentibus indicia veritatis; seque demum indubitata fide comperisse, dicti martyris ossa venerabilia, excepta particula manus dextræ, in memorato beati Emmerammi cœnobio contineri; idque attestari prodigia et portenta quæ pontifex diligenter conscribi jusserit; ideoque districte præcipere ut ipsius translationis solemnitas tam a fratribus ejusdem monasterii quam in tota urbe deinceps quotannis celebretur. Cæterum non esse quod tantopere doleant Franci, sancti Dionysii corpus sibi esse ablatum, quandoquidem ejus prædicationis et passionis, consortes Rusticum et Eleutherium apud se retineant: nec ægre ferendum si Germanos jam visitare dignetur vel defunctus, qui Gallos vivens prædicatione, signis et martyrio illustravit. Pretiosum quidem esse thesaurum quem perdiderint Franci, at eos attendere debere allatoris dignitatem, qui ad has reliquias suffurandas Cæsareum verticem inclinaverit. *Datum et actum Ratisponæ per manus Friderici diaconi, bibliothecarii et cancellarii Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ anno Domini* 1052 *pontificatus domini Leonis papæ* IV, *indict.* V [VI], *Nonas Octobris.* Hæc summa vulgati diplomatis, quod subditititium esse vel ipsa contextus lectio persuadet, id est stylus, qui omnino a pontificiis Leonis aliorumque Romanorum litteris alienus est. Deinde multa in fictitio illo diplomate falsa continentur. Falsum quippe est in primis, quod in eo legitur, causam hanc *diutissime ventilatam* fuisse. Nulla enim ante id tempus apud veteres de hac controversia mentio. Falsum est Leonem ad id discutiendum, *tam imperialibus quam papalibus* (Germanica vox) antecessorum suorum litteris instructum fuisse. Quis enim unquam has imperiales et *papales* litteras protulit? Falsum denique est hoc factum fuisse ab Arnulfo imperatore, ut alias ostendimus (218). Mitto quod voces *Alemannorum* et *Alemanniæ*,

(218) *Fabula de sublato S. Dionysii corpore* (Mab., *Annal. Bened.* lib. XXXIX, num. 28). — Hujus (*Eboli abbatis S. Dionysii*) tempore [888] corpus sancti Dionysii a quodam Gisalberto furtim sublatum, et Ratisponam in basilicam Sancti Emmerammi transportatum ferunt. In hujus rei argumentum Emmerammenses nostri duos lapides proferunt, in quorum uno hæc leguntur: SUB EBULONE ABBATE GISALBERTUS FURAVIT; in altero: FURATUS EST QUINQUE NONAS JUNII. HUC VENIT PRID. NONAS DECEMBRIS, TEMPORE TUTONIS EPISCOPI. Id ita accidisse recentiores narrant. Gi albertus, homo Germanus, rem se gratam Arnulfo imperatori facturum existimavit, si corpus sancti Dionysii episcopi et martyris suffurari posset, eique offerre. Hujus rei causa in monasterium Dionysianum, tanquam criminis reus, se contulit simulavit, ut sanctitate loci se pœnæ subduceret. In hoc itaque asylo commoranti facilis fuit ad sacrum tumulum accessus. Rebus omnibus ad furtum dispositis, abbati et monachis lautum convivium parat, omnibusque post epulum in somnum resolutis, ostium tumuli recludit, thecam aperit, sacras aufert reliquias, easque ad Arnulfum affert: qui eas ad basilicam sancti Emmerammi quinto post mense deferri jubet, ibique offerri cum egregio codice Evangeliorum, et altari portatili, quod in castris circumferre solebat. Et codex quidem Evangeliorum ibidem adhuc cum ipso altari habetur, sed longe post id tempus, aliaque occasione sancto Emmerammo datus; at corpus sancti Dionysii loco incognito abscondium aiunt. Cæterum hoc furtum factum esse Ebulone sancti Dionysii abbate, Ratisponam vero allatum corpus, Tutone episcopo: quod vere sancti Dionysii primi Parisiorum episcopi et martyris corpus esse coram Leone IX probatum sit, et pontificio diplomate confirmatum.

Verum ad refellendam hanc fabellam non aliis auctoribus opus est quam Germanicis, Witichindo, inquam, Ditmaro et Arnolfo, monacho Sancti Emmerami, qui omnes sub finem decimi sæculi scripserunt. Ex his Witichindus monachus Corbeiæ in libro primo Annalium tradit, Henricum Germaniæ regem, Rheno trajecto, Lotharii regnum invadere cœpisse, eique occurrisse legatos Caroli Francorum regis, cognomento Simplicis, qui tunc in carcere tenebatur; eique significasse nihil sibi ab inimicis circumvento jucundius accidere posse quam gloriosos ejus profectus audire; tumque ipsi in pignus fœderis *manum pretiosi martyris Dionysii, auro gemmisque inclusam* obtulisse. Ditmarus Merseburgensis episcopus id factum dicit, ut Henrici regis auxilium Carolus sibi demereretur. His auctoribus accedunt Conradus abbas Uspergensis et Sigebertus. Cum igitur principatu Henrici regis, qui anno vicesimo post Arnulfum regnavit, hoc brachium e corpore sancti Dionysii detractum sit, consequens est sacrum illud corpus apud Dionysianos tum servatum fuisse. Neque enim ante illud tempus Carolo impuberi et nondum regi declarato hoc brachium concessum fuisse verisimile est. Sed illud palmare, licet abnutivum argumentum est, quod Arnulfus ex comite monachus sancti Emmerammi, qui sub annum millesimum scribebat, Arnulfi imperatoris in Sanctum Emmerammum benefacta sigillatim commemorans, prædia ab ipso data, præclarum codicem Evangeliorum dono concessum refert, nullam vero corporis sancti Dionysii mentionem facit. Denique, ubi Ratisponenses fictitiam possessionem suam in vulgus jactare cœperunt. Henricus rex Francorum loculum sancti Dionysii in frequenti episcoporum et procerum cœtu reserari præcepit, et in eo sacras beati Dionysii reliquias superesse oculis comprobavit, cujus rei festus dies sub titulo detectionis sancti Dionysii quotannis celebrari solet.

Digitized by Google

quæ in ejusmodi litteris occurrunt ad significandos Bajoarios et Bajoariam, posteriorum temporum genium sapiunt. Jam qualia verba Leonis papæ ad Henricum Francorum regem, quibus eum ob hanc subtractionem solari conatur! qualis sermo pontificis, ut Arnulfi furtum approbet! Sed his nugis diutius immoror. Haud tamen absolute negaverim, Leone papa Ratisponæ demorante, quæstionem de corpore sancti Dionysii ventilatam fuisse (id enim et Annales Saxonici tradunt) atque in sancti Emmerammi templo tunc detectum fuisse quoddam corpus, quod ejusdem sancti Dionysii corpus esse, prolatis nescio quibus tabulis, Ratisponenses asseruere; idque forte Leoni persuasum fuisse. Hinc est quod Henricus rex ad refellendam hanc opinionem, frequentem episcoporum, abbatum et procerum cœtum in Dionysiano monasterio per Hugonem abbatem indici jussit, ac sancti Dionysii loculum reserari.

CXI.

Diploma S. Leonis IX de corpore S. Dionysii.

(Anno 1048-64.)

[Mansi, *Concil.* XIX, 674.]

In Salvatoris nostri Jesu Christi nomine. Amen. Leo episcopus servus servorum Dei, clarissimo filio inclyto regi Francorum, ac venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis in Christo filiis abbatibus, prioribus, præpositis et decanis; universisque tam subditis quam prælatis ejusdem regni, salutem et apostolicam benedictionem :

Deus omnipotens, qui non immerito per Prophetam in sanctis suis esse mirabilis prædicatur, mira quadam inscrutabilis consilii sui profunditate disponit : quæ dum considerare non sufficit mens humana, ipsa suimet infirmitate deficiens, in quemdam B sui excessum rapi cogitur et stuporem. Quod ipsi nos nuper experti, et vobis in Christo charissimis, et universitati fidelium promulgare compellimur ut et Dei opera pariter admiremur. Nam cum per instantiam serenissimi imperatoris Henrici ad partes Germaniæ visitandas, ac præcipue ad urbem quæ dicitur Ratispona, vel Regenspurg, evocati essemus ad venerabile corpus beati Wolfgangi ejusdem urbis episcopi transferendum, hoc ea qua decuit reverentia et devotione peracto, tui, Francorum rex in Christo, fili charissime, nos legati tuorumque omnium vice solliciti rogarunt, quatenus litem, quæ inter vos et urbem prædictam super sacrosanctis ossibus beatissimi Dionysii Areopagitæ diutissime C ventilatam veritate discussa dirimere curaremus. vobis quidem eadem apud vos esse dicentibus, civibus autem atque incolis urbis præfatæ astruentibus e converso ea per invictissimum Arnulphum quondam imperatorem ad ecclesiam beati martyris Emmeranni esse translata, ibidemque deinceps contineri. Quæ quidem Ecclesia inibi sita est, atque ab omni aliorum subjectione ac jurisdictione libera et excepta, ad jus et proprietatem beati Petri apostolicæ sedis immediate pertinere dignoscitur : oblatione vi delicet excellentissimi Romanorum imperatoris Caroli Magni ac posterorum ipsius, qui eidem hactenus successerunt, seu in imperio, seu in regno. Idipsum nihilominus venerabilis abbas Reginwardus ac fratres ejusdem Ecclesiæ cum universitate Ratispona instantissime petiverunt fieri.

Nos ergo utriusque partis precibus inclinati, nec volentes ulterius corda fidelium hujus dubii ambiguo caligare, in fratrum nostrorum ac plurium episcoporum ac prælatorum præsentia et conspectu A scripta Arnulphi Augusti ordinemque rei diligentissime perlegentes; nec eo contenti, capsas, thecas et scrinia, in quibus sacræ reliquiæ conditæ dicebantur, ac titulos ac epigrammata eorumdem, oculo tenus, solerti examine discutiendo nihilque omittendo quod ad indagationem certitudinis pertinet, tam imperialibus quam papalibus antecessorum nostrorum litteris sufficienter instructi, picturis quoque parietum multiplicibus et sculpturis vetustissimis, exprimentibus indicia veritatis et notas : indubitata fide comperimus, dicti doctoris et martyris ossa venerabilia, excepta particula unica simul et minima manus dextræ, apud memoratum B. Emmeranni cœnobium integraliter contineri. Etenim, ne testimonia hominum, quæ jam diximus, non sufficerent, divina quoque non defuere prodigia et portenta quæ dubium omne penitus abegerunt : quæ nos quoque conscribi jussimus diligenter, vobisque transmitti per vestros nuntios ac legatos, nec non apud ecclesiam prædictam perpetuo conservari; ut et ad posteros gestæ rei notitia deducatur, et ulterius litigandi materia penitus conquiescat. Insuper et districte præcipimus, statuentes ut translationis ipsius veneranda solemnitas, tam a fratribus ejusdem ecclesiæ quam ab universis urbis jam dictæ, annis singulis, cum omni jucunditate et gaudio celebretur, totaque tripudiet regio Germanorum tanti Patris atque patroni adventui non ingrata.

Vos autem in Christo dilectissimi filii, rex Francorum utique fideles, quamvis invidendi Teutonicæ C gentivideamini justam quidem habere materiam, ita ut potatis merito de Alemannorum vobis lætitia sit dolendum; considerantes tamen et Dei omnipotentis et invicti martyris sui voluntatem, quem ablatum plangitis, consolationis tandem admittite placamentum, pensantes attentius quod nec vobis ablatus est, quippe qui charissimos prædicationis suæ et passionis consortes, Rusticum et Eleutherium, in dilectionis adhuc et tutelæ pignus et certitudinem dereliquit : nec dolete, si Germanos jam visitare dignatus est vel defunctus, qui vobis adhuc vivens prædicavit, et apud vos bonum certamen certando, cursum consummando, fidem servando (*I Tim.* IV), triumphum peregit victoriosissimæ D passionis, apostolatus sui super vos signa tam in vita perficiens quam in morte.

Qui igitur Alemanniam ipsius ossa fovere non permittatis in solatium et tutelam, quem vobis Athenæ, ut Christo lucrifaceret vos, vivum recipere, audire et cœlo transmittere permiserunt!

Digitized by Google

Accedet nihilominus consolationis et alia ratio, et auctoritas scilicet et excellentia subtractoris. Pretiosum quidem thesaurum vos perdidisse fatemur, sed ablatoris attendite dignitatem; simulque Patris et apostoli vestri gloriæ congaudete, qui cum vos meritorum atque doctrinæ suæ gaza ditaverit, et reliquiarum saltem suarum ac apothecas tam devotum furem sui corporis habet quam insignem, auro utique et topazio meliorem, qui sui valore ad ossa sua sanctissima subtrahenda Cæsaream etiam verticem inclinavit. Nec majestas imperialis, nec regia celsitudo, pii furis hic notam aut nomen erubuit in Arnulpho: dummodo beati corporis opibus vel doli, vel furti, vel sacrilegii modo sacrari atque ditescere mereretur, qui fures atque sacrilegos erat solitus condemnare. Dummodo Macarii Dionysii pretioso corpore frueretur, fur ipse tunc fieri et sacrilegus non contempit.

Cum insuper fides atque devotio dubium etiam omne per hoc penitus amputavit, quod non in ipsa Roma, non in quacunque metropoli, non in urbe qualibet regni vel arce sibi studebat eligere sepulturam, sed ubi suum se Dionysium condidisse et sciunt, et lætantur, suo se sperans patrocinio defendendum et conresuscitandum in die novissimo cum beatis. Præsentibus igitur dilectionem vestram monemus attentius, et hortamur in Domino, districte præcipientes quatenus Rustico et Eleutherio pie contenti, non fallentes vosmetipsos et alios, beatissimi Dionysii ossa in urbe Ratisponensium apud ecclesiam Beati Emmeranni martyris et noscatis et fateamini coruscare.

Datum et actum Ratisponæ per manus Friderici diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ, anno Domini millesimo quinquagesimo secundo, anno pontificatus domini Leonis noni papæ quarto, indictione [*F.* sexta, HARD.] quinta, Nonis Octobris.

APPENDIX AD EPISTOLAS S. LEONIS IX.

I.

MICHAELIS CÆRULARII

PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI

ET LEONIS ACRIDANI ARCHIEPISCOPI BULGARORUM

EPISTOLA AD JOANNEM

TRANENSEM IN APULIA EPISCOPUM.

(Apud Baron. *Annal.*, tom. XI, *ad an.* 1053, pag. 210.)

Michael, cognomento Cærularius, necnon et Leo Acridanus, archiepiscopus Bulgarorum, in suggillationem omnium Latinorum, adversus sanctam Romanam et apostolicam sedem, imo contra omnem Occidentalem Ecclesiam scripserunt epistolam, quam miserunt ad Joannem Tranensem in Apulia episcopum, pervulgandam apud Latinos omnes, cui in codice titulus hujusmodi affixus legitur: *Calumnia episcoporum Michaelis Constantinopolitani et Leonis Acridani, pervicaciter exhalantium pestiferas mephites diversarum hæreseon adversus sanctam Romanam et apostolicam sedem, imo contra omnem Latinam et Occidentalem Ecclesiam. Hæc quidem calumnia Græco sermone edita, et Joanni Tranensi episcopo in sugillationem omnium Latinorum directa, cum fuisset Trani exhibita fratri Humberto, sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopo, in Latinum est translata ejus studio, atque delata domino Leoni nono. Qua etiam hic ad cautelam multorum et notitiam, non autem ad aliquam utilitatem inserta, cunctis scire volentibus fideliter est conservata.* Ipsa autem ipsorum epistola sic se habet:

MICHAEL, universalis patriarcha novæ Romæ, et LEO, archiepiscopus Acridiæ metropolis Bulgarorum, dilecto fratri JOANNI Tranensi episcopo.

Dei magna dilectio et jucunda compositionis viscera flexerunt nos scribere ad tuam sanctitatem, et per te ad universos principes sacerdotum, et sacerdotes Francorum, et monachos, et populos, et ad ipsum reverendissimum papam, et memorari de azymis et Sabbatis, quæ mystice indecenter custoditis, et communicatis Judæis. Etenim azyma et Sabbata ipsi custodire a Moyse jussi sunt; nostrum vero Pascha Christus est. Qui ut non juxta legem inveniretur adversarius, et circumcisus est, et legale Pascha celebravit primitus. Sic illo discedente nostrum novum operatus est. Et hoc manifestum est in Evangelio secundum Matthæum. De mystica cœna loquens evangelista sic quoque inquit: *Prima autem die azymorum accessere discipuli ad Jesum, dicentes ei: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Qui ait: Ite ad civitatem ad quemdam, et dicite ei: Tempus*

Digitized by Google

meum prope est; apud te facio Pascha cum discipulis meis (*Matth.* XXVI). Et post pusillum : *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim, et edentibus illis dixit : Amen, amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* Et post pusillum, dicente Juda : *Nunquid ego sum, Rabbi? dicit ei : Tu dixisti* (*Ibid.*). Hucusque, o Dei homines, universa legalis Paschæ sunt : deinde quæ mystici et nostri sunt addidit evangelista, et dicit : *Edentibus autem illis, accepit Jesus panem fregit, et dedit discipulis suis et dixit : Accipite et comedite; hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus novi testamenti* (*Ibid.*). Dicendo enim, *novi*, ostendit quomodo ea quæ Veteris fuerunt Testamenti, cessaverunt. Aspicite quomodo panem corpus suum sub Novo Testamento vocavit, sicut vivificum et plenum spiritu, et sicut caloris demonstrativum. Vos quidem panem, nos arton dicimus. Artos autem interpretatur *elevatus*, et *sursum portatus*, a fermento et sale calorem et elevationem habens; azymæ autem nil distant a lapide sine anima, et luto lateris deorsum consumptæ terræ, et sicco luto comparatæ, quas cum amaritudinibus Moyses comedere miseris Judæis semel in anno legem constituit, dicens :

Quoniam malæ passionis et tribulationis symbola sunt, significativæ sunt; et nostrum Pascha gaudium, et lætitia totum est, et extollit nos ab humo propter gaudium ad cœlum, sicut et fermentum propter proprium calorem panem, qui panis omni suavitate repletus est. Azymæ vero neque sal, neque fermentum habentes, lutum est aridum. Aut non audistis Jesum dicentem discipulis suis quia *vos etis sal terræ* (*Matth.* V), et quoniam *simile est regnum cœlorum fermento, quod accipiens mulier abscondit in farinæ satis tribus, usque dum fermentaretur totum?* (*Luc.* XIII.) Mulierem, sanctam Ecclesiam vocat; satis vero tribus modiis repletis, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, quorum nequaquam lutulentæ azymæ sunt participes. Dicit enim, et David de Christo : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX), qui ante Moysen et Abraham cœli et terræ et cæterarum creaturarum agnoscens Dominum, exsurgens obtulit illi panem et vinum. Ideo dicit divinus Apostolus : *Quoniam si consummatio per Leviticum sacerdotium erat* (*Hebr.* VII), non, secundum ordinem Melchisedech, sacerdos Christus diceretur. Et quia *translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat* (*Ibid.*), quæ lex lutulenta constituit azyma Judæis custodire. Idem ipse magnus Paulus ad Corinthios prima Epist. de his loquens ait : *Fratres, ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis; quoniam Dominus in nocte, qua tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dicit : Accipite et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et de calice. Hic est calix novi testamenti in meo sanguine; hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Quotiescunque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis* (*I Cor.* XI). Azymæ vero neque commemorationem habent Domini, neque mortem illius annuntiant sicut Moysaicæ, et ante mille quadringentos annos ex legè constitutæ, et per Novum Testamentum, hoc est per sanctum Evangelium, et per Christum maledictæ et derelictæ.

At Sabbata vero quomodo in Quadragesima Judaice observatis? Aut non audistis Evangelium loquens quia, *transeuntes discipuli in Sabbatis cœperunt iter agere, evellentes spicas et comedentes. Dicebant autem Judæi ad Christum : Vides quid isti faciunt in Sabbatis? Qui dixit : Etiam. An nescitis quid egit David cum esuriret ipse, et qui cum eo erant, quomodo intravit in templum, panes propositionis comedit?* etc. *Et quia Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum* (*Marc.* II) : *Qui et dicebant : Quoniam homo iste non est ex Deo, qui Sabbatum non custodit* (*Joan.* IX). Et iterum loquente Christo in Sabbato, et ei qui manum aridam habebat (*Matth.* XII), similiter et ei qui dæmonis spiritus habebat, in Sabbato mundato, et murmurantibus Judæis et multa dicentibus dicit Christus : *Hypocritæ, unusquisque vestrum non solvit asinum a præsepe, aut bovem suum, et ducit adaquare?* (*Luc.* XIII.) Et paralytico similiter, quem sanum fecit. Et ideo hi, qui Sabbata cum azymis custodiunt, neque Judæi, neque Christiani sunt, sed similes sunt leopardo, sicut dicit magnus Basilius, cujus capilli nec nigri sunt, nec omnino albi.

Quomodo autem et suffocata hi tales comedunt, in quibus sanguis tenetur? aut nescitis, quod omnis animalis sanguis sit anima ipsius, et qui comederit sanguinem, animam comedit? (*Gen.* IX.) Et idcirco secundum hoc nec gentiles ex toto sunt; illi autem occidunt, aut plagantes comedunt.

Et iterum : Alleluia in Quadragesima non psallitis, sed semel in Pascha tantummodo, quod interpretatur, *Dominus venit, laudate, hymnum dicite, et benedicite eum.* Ergo, secundum hoc, neque Domini Dominum, neque benedictus qui venit psallitis. Et istud vero alleluia Hebraice dictum est. Cur tantam deceptionem horum talium non aspicitis, nec intelligitis, neque corrigitis populos, et vosmetipsos, sicut qui debent judicari ex his a Deo? Non derelinquitis quod dicitur, quod hoc Petrus, et Benedictus, et Paulus et cæteri docuerunt? decepistis vosipsos, et populum in istis.

Quæ vero scripsi ea sunt quæ Petrus et Paulus et cæteri apostoli, et Christus docuit, et sancta atque catholica Ecclesia suscepit et custodit religiose, quæ et vos correcti custodite. Azyma vero, et custodias Sabbatorum projicite miseris Judæis; similiter et suffocata barbaris gentibus, ut flamus puri in recta et immaculata fide, et unus grex unius pastoris Christi. Cujus in cruce divino sanguine inebriati laudamus puri pure Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum universa Mosaicæ legis, et ab eo custodita derelinquentes sine Deo Judæis, qui velut exci per-

Digitized by Google

quærentes Christum, lumen amiserunt, permanentes in umbra, sicut insipientes perpetuo.

Hæc autem, homo Dei, et multoties ipse cum populo agnoscens docuisti esse, et correctus scripsisti multis similem consuetudinem habentibus, et ut habeas salutem animæ tuæ, mitte principibus sacerdotum et sacerdotibus, et adjura ut per hæc seipsos corrigant, et Dei populum, ut Dei mercedem in istis habeas : et si hoc feceris, propono et per secundam scriptionem majora et perfectiora his tibi scribere, fidei vera ostensione et firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam.

Hactenus epistola Michaelis Cerularii et Leonis Acridani episcopi, ut vidisti ex ipsius titulo. Porro hanc Michaelis et Acridani epistolam in Apuliam missam Humbertus S. R. E. cardinalis episcopus Silvæ Candidæ acceptam Trani cum esset, in Latinum transtulit, detulitque eam ad ipsum Leonem pontificem. Ita quidem habet scriptus codex, in quo ista omnia descripta leguntur : Leo autem Papa ea perlecta, prolixam illam ad eumdem Michaelem et Leonem Acridanum epistolam scripsit, quæ inter cusas ipsius Leonis epistolas prima ordine ponitur. Ubi et ex nota temporis in ea apposita, hoc esse anno conscripta cognoscitur, dum ait intervenisse mille et fere viginti annos a Christi passione usque ad illud tempus, quo scribebatur epistola. Quod enim dicit, *fere viginti*, plane nondum fuisse viginti declarat. Etenim exordio sequentis anni jam fuisse vigenti, ait in epistola data ad eumdem Michaelem mense Januario. A tricesimo quarto Christi anno incipere consuevisse Romanam Ecclesiam numerare ab ejus passione annos, suo loco superius dictum est.

II.

EPISTOLA JOANNIS I ABBATIS FISCAMNENSIS

AD S. LEONEM IX.

Post laudatum summum pontificem, conqueritur de vi sibi ab Italis illata.

[Martene, *Thesaur Anecd.* I, 207, ex ms. Bigotiano.]

Summo apostolicæ sedis pontifici Leoni, Dei gratia sanctificato vice Petri, Joannes, fratrum minimus et in numero abbatum ultimus, primatum in cœlesti curia cum senatus apostolorum festiva gloria.

Gaudeat orbis Romanus tanti præsulis infula adornatus, qui ut lucifer inter astra purpureus emicat, tam pia quam nova religione rutilans, ad depellendas e gremio matris Ecclesiæ varii erroris nebulas. Denique quis pastor in Romana Ecclesia post aurea illa sæcula in quibus Leo, Gregorius claruerunt, vitro puriora spiritalis doctrinæ lumina, surrexit tam diligens et vigilans, ut tu, præsulum sanctissime, qui pascis gregem Dominicum super vividos montes pascuæ? Nam ut fidem dictis faciam, quis non miretur, et in laudis jubilum prorumpat, pro inaudita nostris sæculis oculati pastoris providentia? qui non eo contentus in propria sede urbis Romæ uni populo consulere, aut solam frugum fertilem Italiam imbre cœlestis verbi irrigare, verum etiam Cisalpinas Ecclesias synodali scrutinio circuit et lustrat, et si quid incultum, et a norma rectitudinis distortum invexit, mox ecclesiastica censura corripit ac regula justitiæ emendat et corrigit. Ave, Pater, papa mirabilis. Ave præsulum præsul specialis; ave, inquam, illa ignis columna, olim Israelitico populo prævia, qui prædux inoffenso calle per vastam mundi hujus solitudinem populum Dei sanctum provehis ad cœlestem Jerusalem, veram terram repromissionis. Igitur impleatur os nostrum laude et lingua nostra exsultatione. Gloria in excelsis Deo, visitavit nos Oriens ex alto. Sed, o mortalis conditio! quam nihil fidum et ex omni parte beatum in hoc labili sæculo! Ecce, memorande pontifex, dum in laudes tuas attempero modulos linguæ, pro terris pace reddita per almam tuæ dispensationis providentiam, pulsat me dolor e latere interrumpens stridulo planctu organa lætitiæ. Nota loquor in aurem pontificis, de prævaricatione ecclesiasticæ pacis, quam mihi vestræ fidelitatis nuntio immisso ipsius Petri apostolorum principis legatione functo irrogaverunt, non exteræ nationes, sed ipsi Romani cives, et in secundo loco Richefburh, et Aquæpendentis suburbiorum potentissimi habitatores. Hi certe contempta super pace apostolica vestra sanctione, me invaserunt, spoliaverunt, et omnibus piis lacrymabiliter dehonestaverunt, frustra mandata vestræ legationis præferentem, et in defensionem mei patrocinium apostolicæ auctoritatis vocantem. Porro hæc Italorum in Northmannos invidia adeo exarsit, et jam inolevit, ut pene per omnia Italiæ suburbia vix unquam ulli Northmannorum liceat tutum iter carpere, etiamsi sit peregrina devotione, quin assaliatur, trahatur, nudetur, colaphizetur, vinculis religetur, sæpe etiam tristem exhalet spiritum, longo carceris squallore maceratus. Unde notum tibi sit, Christianæ plebis humanissime Pater, quia nisi Romana pietas apostolica interdictione aboleverit hanc indisciplinatam barbariem, et maxime in specialis sui legati injuriam

Digitized by Google

vindicaverit ita ut totus orbis audiat et contremiscat, valde depretiabitur Romanæ majestatis auctoritas, nec erit gens illa Northmannorum bellica in vestra fidelitate adeo prompta et devota. Interest etiam tuæ famiæ, vir totius liberalitatis et gloriæ, larga manu nostra perdita restaurare, quia ecce, ut jussisti, paschali termino adest noster nuntius, cum litteris, et certa cautione omissorum, quæ ego non mei causa solummodo repeto, sed eorum quorum devotioni condoleo, qui hæc sanctæ Trinitati delegaverant sub meæ fidei testimonio. His ita decursis, non possum non indicare quæ audio de domino meo apostolico ventilari sinistra interpretatione, quem ego amplector speciali devotione, et quem volo tutum esse apud Deum et homines. Fabula autem hæc subsannationis vertitur de Tedbaldo comite et Burgundionum infrunito duce R., qui, transgressores pontificalium decretorum, fas nefasque confundunt, A qui abdicatis legitimi thori connubiis, volutantur in inhonestis et consanguinitate fœdatis thalamis. Hinc populus sibilat, hinc mihi quivis pravicors insultat; mihi, inquam, pro vestro honore decertanti, et hanc consentionis maculam a vestra sinceritate detergenti : et ut me magis confundant, et infelici victoria in suggillationem vestræ auctoritatis convincant, objiciunt, et in faciem ostendunt, quod Tedbaldus etiam vestrum colloquium adierit, nihilque dignum hac culpa actum sit; imo magis quasi auctoritate vestra roboratus, lupinam ovem, dicq falsam illam Agnem in sua vindicet, et vivente marito, usurpet exsecrabili stupro, facto illicito licitæ conjugis divortio. Qua de re perpendat ipse, quæso, prudentissimus antistes, quid postulet res B hujus emendationis, ne annulletur, ne irritetur opera et studium ecclesiasticæ suæ sanctionis.

III.

EPISTOLA S. PETRI DAMIANI

AD S. LEONEM IX.

Vide inter epistolas S. Petri Damiani, Patrologiæ, tom. CXLIV, col. 208.)

ANNO DOMINI MLVII.

VICTOR II PAPA.

NOTITIA HISTORICA.

(Ciacconi, *Vitæ pontificum Romanorum.*)

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi benedicti. Amen.

Post Leonis papæ IX obitum, Eberardus, episcopus Aistatensis, vir prudens et eruditus, pariter et opulentus, creatus est. Fuit natione Germanus, provincia Suevia, ex comitibus Callensibus, castello Hisprug ortus, ex propinquo sanguine imperatoris, natus : patrem habuit Arduigum, matrem Vitzelam, nobilissimos parentes, et quanquam ætate juvenis esset, doctrina et sapientia, morumque gravitate prudentissimus, senibus æquari poterat. Electus autem fuerat Aistatensis episcopus anno 1052, illius cleri consensu, in maxima apud omnes imperii proceres auctoritate ita ut præcipue ejus consilio Henricus imperator uteretur. Tulit gravate Henricus, ut tantum virum et tam fidum amicum amitteret. Hunc igitur Hildebrandus, licet invitum, anno jam C post mortem Leonis exacto, adduxit Romam; lætitia et populi totius plausu exceptus, in basilica Sancti Petri Vaticana, episcoporum cardinalium ministerio, Romani pontificatus, feria quinta in Cœna Domini, Idibus Aprilis, insignia cum Victoris secundi nomine suscepit, anno Domini 1055 per Maynardum S. Romanæ Ecclesiæ archidiaconum, et laudatissime eidem annos duos menses tres, dies sexdecim, Henrico tertio et ejus filio Henrico quarto Augustis, præfuit. Urbes aliquot, arces et oppida, Ecclesiæ Romanæ prioribus sæculis amissa recuperavit. Hic Leonis prædecessoris sui vestigia secutus, præsentem Ecclesiæ statum firmare perrexit, ac propterea subito conventum Florentiæ indixit, atque eo etiam Henricum imperatorem invitavit, in quo ipse, qui acerrimus cleri censor et reformator erat; cum imperator sub festum Pentecostes veni-

Digitized by Google

set anno 1056 et concilio interfuisset, multos episcopos, Simoniaca labe affectos, et in fornicatione deprehensos convictosque damnavit, ac episcopatibus amovit. Clerumque monuit quid potissimum sui muneris esset, pœna legum ecclesiasticarum transgressoribus irrogata.

Eodem etiam tempore, Hildebrandum ob id in Franciam a Victore legatus, graves adversus Simoniacos et Nicolaitas, quæstione exercuit, cumque sex episcopos horum criminum manifestos damnasset, Ebredunensem archiepiscopum, simoniæ reum, et impudenter inficientem, quem testibus coarguere non poterat, arte convicit. Quemadmodum cum sibi narrasse Petrus Damiani memoriæ prodidit: etenim in conspectu multorum : « Age, dum, inquit, quando te insontem hujus criminis jactas, ad noxiam expiandam pronuntia *Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto*. Tum episcopus, ratus se eo dicto gravioris periculi judicium omne declinaturum, pronuntiare instituit, ac *Gloria Patri et Filio* dixit: *Spiritui sancto*, quanquam sæpe conatus, expedire non potuit. Creditumque est, quia in nundinatione sanctorum, speciatim lædatur Spiritus sanctus, ut ejus culpæ participem dicere nequivit; siquidem postea quam peccatum suum confessus est, sine ulla cunctatione pronuntiavit. »

Victor pontifex, cum Berengarium post mortem Leonis ad eamdem redire insaniam comperisset, atque ab eo multos in Francia in errorem induci audiret, profectus eo conventum in Turonibus habuit, ac tertium jam Berengarii opinionem detestantem confutavit. Fuit hic Berengarius patria Turonensis, archidiaconus Andegavensis, qui primus hæresim contra divinam eucharistiam suscitavit, quam toties damnatam, etiam nostro sæculo Zuinglius, Æcolampadius et Calvinus restituerunt, auxerunt et propagarunt. Data est Berengario optio defendendi opinionem suam; quam cum defendendam suscipere non auderet, confessus est coram omnibus communem Ecclesiæ fidem.

Inde Turonibus in Saxoniam ab imperatore Henrico invitatus, atque admirabili omnium principum concursu exceptus, Goslariæ, cum eo Nativitatem Virginis celebravit. Neque ita paulo post Henricus sævo morbo implicitus, III nonas Octobris, anno Domini 1056, mortem ipse oppetiit; apud Folderum in Saxonia, ætatis 39. Hujus corpus Spiram evehi, ac ipso præsente honorifice sepelire fecit in templo beatæ Virginis ab se exstructo, juxta patrem suum sepultum est. Imperii titulos ejus filius Henricus IV suscepit tenuitque annos prope 50.

Cæterum Victor rebus Ecclesiæ trans Alpes, ut tum licuit constitutis, solemni natalitio cum rege juvene constituto, Ratisponæ peracto, Italiam, Quadragesimo ineunte repetiit, atque Florentiæ substitit, ubi tota fere ætate commoratus. Anno Dominicæ nativitatis 1057, v Kal. Augusti, papa Victor II Florentiæ Tuscorum mortuus est. Ejus corpus in ecclesia cathedrali S. Reparatæ Florentiæ sepultum est: Vacavit sedes dies quatuor.

NOTITIA ALTERA.

(Apud Mansi, *Conciliorum collect.*, XIX, 833.)

Victor, cui nomen Gebehardus erat Ecclesiæque Eistetensi magna cum utilitate præsidebat, jussu cleri Romani per Hildebrandum, Ecclesiæ Romanæ subdiaconum, ab imperatore postulatus, Romam adducitur, et consensu universi cleri ac populi pontifex, anno Domini 1055, tempore Henrici III imperatoris, eligitur, et in die cœnæ Domini solemniter consecratur. Ab imperatore cum sibi præsentari postularunt, quoniam in Ecclesia Romana, ut inquit Leo Ostiensis, persona ad tantum officium idonea reperiri non poterat.

Ad corrigendos pravos usus Ecclesiæ Gallicanæ causasque quorumdam episcoporum cognoscendas, Hildebrandum, Romanæ Ecclesiæ subdiaconum cardinalem, qui postea factus est pontifex, nomine Gregorius VII, legatum a latere in Gallias ablegavit, qui Lugduni (1) indicto concilio episcopum, de simonia accusatum, miraculose ad propriam delicti confessionem adegit, dum jussus recitare hymnum glorificationis, in eo, *et Spiritui sancto* nequaquam pronuntiare potuisset. Anno pontificatus sui primo, passus est horrendam proditionem, cum ad ejus interitum subdiaconus quidam venenum, dictu pavendum ! in sacrum calicem immisit. Sed Deus duplici miraculo ne pontifex biberet obstitit, et tanti sacrilegii auctorem detexit. Lambertus rem gestam sic describit : « Huic, nempe Victori papæ, subdiaconus toxicum in calicem misit; quem cum ipse post consecrationem levare vellet, nec posset, a domino causam facti inquisiturus, cum populo ad orationem prosternitur, statimque toxicator a dæmone arripitur. Ita igitur causa manifestata, domnus papa calicem cum sanguine Dominico cuidam altari jussit includi, et pro reliquiis in perpetuum conservari. Deinde iterum cum populo tandiu ad orationem prosternitur, quousque subdiaconus a dæmonio liberaretur. » Hæc Lambertus Uspergensis, aliive plures.

Ab Henrico imperatore Roma evocatus, in Germaniam veniens anno pontificatus sui secundo, Christi Redemptoris 1056, invenit eum gravi morbo laborantem, et jam animam agentem. Accidit illud.

(1) In Gallia quidem Lugdunensi; sed quo loco, incertum.

Digitized by Google

sine dubio singulari Dei gratia. Nam paulo post quam coram pontifice peccatorum confessionem egisset, ablata restituisset, ab astantibus veniam petivisset, filiumque Henricum adhuc quinquennem, ab electoribus tunc præsentibus regem constitutum, Romanæque Ecclesiæ commendatum, Victori pontifici obtulisset, magno Dei beneficio per eumdem animam suam Deo obtulit, cum annis octodecim in imperio regnasset. Agnes, Augusta, mater puerum quidem religiose educare cœpit; sed cum ex ephebis excessisset, abstractus a matre, factus est hostis Romanæ Ecclesiæ, cujus beneficio, per Victorem Romanum, regnum Germaniæ consecutus fuerat. Anno sequente, ex Germania in Urbem reversus, excommunicavit Trasimundum comitem Theatinum, qui legatos Constantinopoli redeuntes spoliaverat.

Hujus temporibus, magno totius Germanorum Ecclesiæ beneficio, sanctus Anno in cathedra Coloniensi collocatur archiepiscopus; qui Henrico imperatori, a quo graviter exagitabatur, propterea quod libere eum reprehenderet, futurum obitum prædixit.

Defunctus est Victor papa Florentiæ, anno Christi 1057, die 28 Julii, cum sedisset annos duos, menses tres, et dies quindecim : sepultus est loco eodem quo obierat. Cessavit episcopatus, auctore Lamberto, a vigesima octava Julii ad secundam Augusti per dies quinque.

NOTITIA DIPLOMATICA.

(Jaffe, *Regesta pontificum Romanorum*, pag. 379.)

Sigillo quod, Gattula teste, Victoris bulla 18 impressum in plumbo exhibet, hoc dictum continetur : Tu pro me navem liquisti, suscipe clavem.

Episcoporum cardinaliumque sedis Romanæ subscriptiones, quæ superiorum pontificum bullis non sunt nisi rarissime appositæ, jam frequentius addi sub Victore II cœptæ sunt; in cujus tabulis leguntur :

Bonifacius, Albanensis episcopus

Humbertus, dictus cardinalis et episcopus S. ecclesiæ Silvæ Candidæ.

Hildebrandus, S. E. R. subdiaconus.

Fridericus, cardinalis S. Chrysogoni.

Scriptæ bullæ sunt per manum :

Gregorii notarii et scrinarii S. R. E.

Datæ per manum :

Hildebrandi S. R. E. cardinalis subdiaconi

Hildebrandi S. R. E. subdiaconi, vice Hermanni apost. sed. archicancellarii (num. 7) *cancellarii et bibliothecarii S. Sed. apost. Hermanni Coloniensis archiepiscopi* (5).

Friderici S. R. E. cancellarii.

Aribonis diaconi vice Annonis archicancellarii S. R. E., Coloniensis archiepiscopi.

Aribonis diaconi.

VICTORIS II PAPÆ
EPISTOLÆ ET DIPLOMATA PONTIFICIA.

I.

Privilegium Victoris papæ II ad sanctum Hugonem abbatem Cluniacensem, cui confirmat omnia monasteria, bona et jura cœnobio Cluniacensi concessa.

(Anno 1055.)

[*Bullar. Cluniac.* pag. 13.]

Victor episcopus, servus servorum Dei dilectissimo filio Hugoni abbati monasterii quod dicitur Cluniacum in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli consecratum, in comitatu Matisconensi situm, et per te cunctis successoribus tuis abbatibus in perpetuum.

Desiderium quod religiosorum præpositorum et sanctorum locorum stabilitate permanere monstratur sine aliqua est Deo auctore dilatione perficiendum. Et quoties in suæ utilitatis commodum nostrum assensum et solitæ apostolicæ auctoritatis exposcitur præsidium, ultro benignitatis intuitu nos convenit subvenire, et ratum pro integra securitate solidare, ut, ex hoc nobis quoque potissimum præmium a conditore omnium Deo in sidereis arcibus conscribatur. Et ideo quia postulasti a nobis ut præfatum monasterium apostolicæ auctoritatis serie muniremus, et omnia ejus pertinentia perenni jure ibidem inviolabiliter permanendo confirmaremus, et absque omni jugo seu ditione cujuscunque personæ constabilire nostri privilegii pagina corroboremus. Propterea tuis flexi precibus per hujus nostræ auctoritatis privilegium statuentes, decernimus ut cuncta loca et monasteria ad supradictum Cluniense cœnobium pertinentia quæ ab aliquibus fidelissimis Christianis

Digitized by Google

regibus, episcopis, ducibus, seu principibus eidem loco concessa sunt, et ab antecessoribus tuis abbatibus acquisita sunt, Bernone videlicet, Odone atque Aymardo, et beatæ recordationis sancto Maiolo et sancto Odilone prædecessoribus tuis, vel quæcunque ad eumdem locum pertinere videntur, absque ullius contradictione cum magna securitate quietus debeas possidere, et per te universi successores tui in perpetuum. Hoc est ipsum Cluniense cœnobium a potentissimo olim duce Willelmo in pago Matisconensi fundatum, cum omnibus rebus in circuitu ejusdem loci et in aliis regionibus positis ad ipsum locum pertinentibus. In comitatu videlicet Matisconensi cellam in honore sancti Martini sacratam, ecclesiam quoque juxta positam in honore sancti Joannis dedicatam; villas etiam Covinias cum ecclesia; Solestriacum villam cum ecclesia; Escutiolas cum ecclesia; Galliniacum cum ecclesia; Rufiacum cum ecclesia; Masilias cum ecclesia; Clairmanum, Barjeserenam villam; Curtilias villam; Petroniacum; Arpasiocum; Darboniacum; Besurniacum ecclesia Sanctæ Columbæ; Vitreziam; Burgulien-sem villam; ecclesiam Sancti Laurentii; Castrum; Lurdonum; Blanuscum; villam nomine Cottam; monasterium etiam quod vocatur Catus Locus cum omnibus ad se pertinentibus; ecclesiam Sancti Victoris cum omnibus quæ ibi aspicere videntur; cellam quoque in honore Sancti Victoris cum omnibus suis appendiciis; ecclesias etiam et terras quæ juxta illam sunt, pro quibus data est quondam ecclesia Sancti Gengulfi; Eguirandam quoque curtem cum ecclesia Sancti Andreæ apostoli, et cum aliis ecclesiis et omnibus suis appendiciis; omnes quoque ecclesias et terras, seu omnia quæ supradictus locus videtur habere in jam dicto comitatu. In comitatu vero Cabilonensi cellam de Bellomonte in honore sanctæ Mariæ constructam, cum omnibus quæ ad ipsam aspicere videntur; curtem etiam vocabulo Juliacum cum ecclesiis et terris eidem loco quondam ab episcopo Manasse collatis, et omnes ecclesias et terras, et quæcunque supradictus locus videtur habere in jam dicto comitatu; ecclesiam Sancti Gengulfi cum suis appendiciis vel pertinentiis. In episcopatu vero Augustodunensi cellam Ojadellis constructam in honore sanctæ Dei Genitricis cum omnibus suis appendiciis; illas etiam ecclesias et terras quas Teotardus clericus contulit jam dicto Cluniensi cœnobio. Confirmamus autem et corroboramus nostra apostolica auctoritate illam convenientiam quam fecit domnus Walterius Augustodunensis Ecclesiæ episcopus de monasterio quod dicitur Magabrense ad suam ecclesiam pertinente cum omnibus ad ipsum pertinentibus: Marciniacum cum omnibus suis pertinentiis, sicut frater tuus Gauffredus sancto Petro et tibi dedit. Ecclesiam de Varennis sicut Artaldus dedit cum omnibus suis pertinentiis; omnesque ecclesias, et terras, et quæcunque supra dictus locus Cluniacus videtur habere in jam dicto episcopatu In territorio vero Divionensi curtem Giriacum cum omnibus suis pertinentiis: cellam sanctorum martyrum Cosmæ et Damiani, et monasterium Sancti Marcelli cum omnibus suis pertinentiis in suburbio Cabilonensi. In comitatu quoque Arvernensi Silviniacum monasterium, ubi tui prædecessores sanctus Maiolus et sanctus Odilo requiescunt cum omnibus ad eum pertinentibus. Et cellam quæ vocatur Firmitas cum omnibus ad eumdem locum pertinentibus. Cellam quoque quæ vocatur Scuriolas. Ecclesiam etiam in honore sancti Sulpicii dicatam in villa quæ dicitur Langiacus. Et cellulam quæ vocatur ad Boscum in honore sancti Petri consecratam. Curtem etiam quam vocant in Frigido Monte. Monasterium quoque quod dicitur Rivis, consecratum in honore sanctæ Dei Genitricis, cum curte Lipciaco et cum omnibus suis appendiciis. Ecclesiam quæ vocatur Marengum cum aliis terris eidem monasterio ab Eustorgio nobilissimo viro traditis. Cellulam quoque juxta positam, in ipso comitatu sitam, in honore sanctæ Dei Genitricis sacratam, quæ vocatur ad Montes. Monasterium autem Celcinianense cum ecclesiis, villis et terris, Carniacum videlicet, Burnunculum, Abolniacum, Ginniacum, Cardonetum, et cum omnibus ecclesiis et terris ad ipsum Celcinianense monasterium pertinentibus. Cellam quoque in ipso comitatu sitam, ubi requiescit sanctus Florus, quam tradidit supradicto locò Eustorgius clericus, cum omnibus ad eam pertinentibus. Mansiones quoque in Brivatensi vico pertinentes ad supradictum locum; monasterium etiam quod dicitur Volta in honore sanctæ crucis, consecratum, sicut prædecessor tuus Odilo in prædio parentum suorum construxit cum omnibus suis pertinentiis. Cellam etiam Reiliacum cum curte et omnibus ad eum pertinentibus; cellam etiam in honore sanctæ Mariæ consecratam, quæ vocatur ad Pontem. Omnes quoque ecclesias et terras, seu quæcunque videtur supradictus locus Cluniacus possidere in jam dicto comitatu. In episcopatu etiam Nivernensi cellam quæ dicitur Sancti Reveriani cum omnibus suis pertinentiis. Ecclesiam etiam quæ dicitur Superciaco, quam Frotimundus dedit cum omnibus suis pertinentiis. In episcopatu etiam Vivariensi cellam Mizoscum cum omnibus quæ ibi aspiciunt. Cellam de Rumpono monte; cellam ad Fontes; cellam Rioms cum omnibus quæ habere videtur supradictus locus Cluniacus in jam dicto episcopatu. In episcopatu Uticensi monasterium in honore sancti Petri et sancti Saturnini dicatum, super ripam Rhodani situm, cum castro Colonellas et curte Tulleta, cum omnibus ad se pertinentibus ex utraque parte fluminis. In Trecassino episcopatu cellam in honore sancti Amandi constructam. In episcopatu Arausico cellam in Podio Odoleno. Monasterium in honore sancti Pantaleonis constructam, cum omnibus pertinentibus ad eum. In Vapicensi episcopatu cellam in honore sancti Andreæ constructam jam dicto Cluniacensi cœnobio concessam a Rigaudo clerico cum omnibus suis appendiciis. Ganagobiense quoque monasteriolum et

Digitized by Google

curtem Valentiolam, et omnia quæ videtur supra dictus locus Cluniacus tenere, et quod debet habere, videlicet de quibus rebus habet donationem et descriptionem; atque de villa et castro Sarrianis, et de omnibus quæ in patria quæ vocatur Provincia, habet. In Valentinensi episcopatu hoc quod videtur habere Cluniensis locus in villa quæ dicitur Ales, et in Montesio. Monasterium Sancti Marcelli quod dicitur ad Salcetum cum omnibus appendiciis vel pertinentiis suis, et omnia quæ videtur habere ipse locus in illo episcopatu. In episcopatu Viennensi monasterium quod vocatur Taderniacum, cum cella quæ dicitur Causella, et villa quæ vocatur Bracost, et villa quæ dicitur Insula, cum omnibus ecclesiis, villis et terris quæ videtur habere jam dictus locus in nominato episcopatu. In episcopatu Lugdunensi cellam beatæ Mariæ quæ dicitur Taluzatis. Cellam Poliacum, et cellulam Arthedunum; cellam quoque Ambertensem cum ecclesiis, villis, et terris ad ipsam pertinentibus. Cellam quoque Saviniacum, et curtem Ambariacum, et ecclesiam Sancti Andreoli, et ecclesiam quæ vocatur Adoratorium; curtem de Romanis, cellam Cavariacum; cellulam Luviniacum; villam Tusciacum. Omnes quoque ecclesias, villas et terras quæ Wichardus moriens eidem loco Cluniensi contulit, cum omnibus quæ videtur [tenere] supradictus locus in jam dicto episcopatu. Monasterium vero Peterniacum ab Adeleide imperatrice Augusta constructum, et a Conrado rege, et filio suo Rodulpho rege eidem Cluniensi cœnobio, per præcepta regalia traditum, cum omnibus quæ videtur habere in Burgundia, et cum omnibus quæ ipsi monasterio in Alsatia dederunt imperatores Augusti Ottones. Monasterium quod dicitur Romanum cum omnibus ad se pertinentibus jam dicto Cluniensi cœnobio, et tibi tuisque successoribus habere concedimus in perpetuum. Confirmamus et corroboramus etiam nostra apostolica auctoritate illam convenientiam quam fecit domnus Hugo Genevensis Ecclesiæ episcopus, laudante et consentiente Rodulpho rege et domina Adeleide imperatrice de ecclesia Sancti Victoris martyris, cum omnibus ad ipsam pertinentibus. Hæc omnia supra scripta loca et monasteria cum cellis, ecclesiis, curtibus, villis, villulis, servis et ancillis, silvis, vineis, campis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, et omnibus terris cultis et incultis ad supradictas potestates pertinentibus, ipsi loco Cluniensi, tibique et tuis successoribus per hujus nostri privilegii auctoritatem tenenda et possidenda concedimus in perpetuum: ita ut nullus dux, neque episcopus, neque aliquis princeps, neque quælibet magna parvaque persona de præfatis omnibus rebus et decimis, quæ inibi pertinere videntur, audeat molestare, vel inquietare. Necnon sub divini judicii promulgatione et forte contestatione, confirmatione et anathematis interdictione corroborantes decernimus, ut nullus episcopus, seu quilibet sacerdotum in eodem venerabili cœnobio pro aliqua ordinatione, seu consecratione ecclesiæ, presbyterorum vel diaconorum, missarumque celebratione, nisi ab abbate ejusdem loci invitatus fuerit, venire ad agendum præsumat; sed liceat monachis ipsius loci cujuscunque voluerint ordinationis gradum suscipere ubicunque tibi tuisque successoribus placuerit. Abbates namque qui consecrandi erunt de ipsa congregatione cum consilio fratrum communiter eligantur, et ad eos consecrandos quemcunque voluerint episcopum advocent. Quascunque vero terras nunc tenes, et quas tu tuique successores acquirere potueritis, in perpetuum possidendas concedimus vobis. Si quis autem temerario ausu (quod fieri non credimus), contra hujus nostræ apostolicæ confirmationis seriem venire aut agere tentaverit, sciat se domini nostri apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo ejusque atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi in æternum ignem concremandum, simulque in voraginem tartareumque chaos demersum cum impiis deficiendum. Qui vero custos et observator hujus nostri privilegii exstiterit, benedictionis gratiam et vitam æternam a Domino consequatur. Bene valete.

Datum III Idus Junias per manus Hildebrandi cardinalis subdiaconi sanctæ apostolicæ sedis, anno primo domni Victoris secundi papæ, indictione nona.

II.

Victor II canonicos Ferrarienses tuendos suscipit eorumque bona confirmat.

(Anno 1055.)

[Ughelli, *Italia sacra*, II, 533.]

Victor episcopus, servus servorum Dei, Gerardo archipresbytero, et Leoni archidiacono, reliquisque canonicis S. Ferrariensis Ecclesiæ suisque successoribus, in perpetuum.

Si justis servorum Dei petitionibus satisfecerimus, procul dubio apostolica præcepta servamus. Quapropter inclinati precibus vestris, filii charissimi, confirmamus atque corroboramus vobis, vestrisque successoribus canonicis, quidquid per paginam concessionis et confirmationis juste acquisistis, vel acquisituri estis, ut quieti et securi ab omni læsione permanere valeatis. Desiderio itaque ac petitioni vestræ, ut diximus, inclinati, vos, vestrosque successores sub nostræ apost. defensionis munimine suscipimus, et bona omnia, quæ juste habet, vel habitura est ipsa canonica, videlicet villam, quæ dicitur Quartisana, et fundum contra Padum, et locum Cuculi, et caput Redæ, Baniolo, et Wartiaticum, et fundum Pecorile, et cætera quæ jam dictæ ecclesiæ ad partem canonicorum pertinent, villas, terras, vineas, prata, agros cultos et incultos, aquas, aquarumque decursus, piscationes, venationes, seu molendina, servos, et ancillas, aldiones et aldianas, seu cunctas res mobiles et immobiles quæ dici et nominari possunt, seu quidquid tenent, possident, habent tam de parte ecclesiæ, quam de suis, suorumque parentum ha-

Digitized by Google

reditate, vel alias acquisitum per aliqua chartarum munimina, juxta eam etiam videlicet rationem, ut nullus injuriam residentibus super terras ipsorum canonicorum, colonis, colonabus facere præsumat, nec ipsos jam dictos distringere, aut molestare audeat de cunctis facultatibus eorum sine voluntate et consensu ipsius ecclesiæ præsulis, præcepta confirmationis corroborare dignaremur. et sub nostra defensione duodecim homines ipsius civitatis reciperemus, qui eos navigio ducerent, quocunque usus eorum canonicorum fuerit, sine omni pretio. Quorum dignis postulationibus consentientes, prout juste et legaliter possumus, confirmamus, et corroboramus hæc omnia, quæ supra leguntur, ut quiete et pacifice tenere ac possidere valeant quæ supra leguntur, omnium hominum contradictione remota. Præcipientes igitur jubemus ut nullus dux, marchio, archiepiscopus, episcopus, comes et vicecomes, nullaque magna, vel parva persona, de cunctis prænominatis rebus, tam de ecclesiasticis quam de suis, eos molestet, sive in placito eos conturbet, vel colonos, vel colonas distringere, seu aliquam publicam functionem solvere cogat. Quod qui temerario ausu fecerit, nisi infra quadraginta dierum spatium emendaverit, anathematis vinculo obligetur, et a liminibus S. Ecclesiæ alienetur usque ad dignam satisfactionem. Qui vero custos hujus nostræ sanctionis exstiterit, benedictionem et gratiam omnipotentis Dei, et B. Petri apostolorum principis, et nostram habeat, et in futuro æternam retributionem percipiat. Amen, amen.

Locus ✠ sigilli.

Bene valete.

Dat. VI Kal. Julii, anno 1055, per manum Hildebrandi S. R. E. card. subdiaconi, Victoris papæ II anno I, indict. VIII.

III

Victoris II papæ privilegium pro ecclesia Bononiensi.

(Anno 1055.)

[Savioli, *Annali Bolognesi*, I, II, Append., p. 92.]

Victor episcopus, servus servorum Dei, Petro archipresbytero reliquisque canonicis regulariter viventibus sanctæ Bononiensis ecclesiæ suisque successoribus in perpetuum.

Si justis servorum Dei petitionibus satisfecerimus, procul dubio apostolica præcepta servamus. Quapropter inclinati precibus Adelfredi, ejusdem Ecclesiæ episcopi, vestrisque, filii charissimi, confirmamus atque roboramus, vobis vestrisque successoribus, canonico jure viventibus, quidquid per paginam concessionis et confirmationis juste ab eo vel ab aliis acquisivistis sive acquisituri estis, ut quieti et securi ab omni læsione permanere valeatis. Desiderio itaque atque rogatione prænotati episcopi, petitione quoque vestra, ut, diximus, inclinati, vos vestrosque successores sub nostræ apostolicæ defensionis munimine suscipimus, et bona omnia quæ habet vel habitura est ipsa canonica ejusdem Sancti Petri, id est domum, juxta eamdem ecclesiam sitam, perpetualiter jure canonico, antiquam aliam pauperum, alteram domum hospitii, ecclesiam vero sancti Joannis Baptistæ, juxta domum episcopi vestri domini, decimationes quoque cunctas plebis Sanctæ Mariæ, quæ dicitur in Baida, sicut a prædicto Adelfredo vobis concedi videntur, ecclesiam quoque Sanctæ Mariæ quæ vocatur in Monte Palensi, cum oblationibus et omnibus suis pertinentiis, medietatem omnium decimarum totius plebis Sancti Petri, quæ vocatur Inbarbarorum; et cuncta oliveta Bononiensis ecclesiæ, quæ sunt in territorio Gardæ.

Insuper quoque quidquid de jure ejusdem sanctæ Bononiensis ecclesiæ nunc habetis vel juste vos acquirere seu vestri successores potueritis; totum etiam dominicatum ejusdem canonicæ, sive cunctas res mobiles et immobiles quæ dici et nominari juste possunt, ea etiam videlicet ratione ut nullus injuriam residentibus super terram ipsorum canonicorum colonis colonabusque facere præsumat, nec ipsos distringere aut molestare audeat de cunctis eorum facultatibus, præcepto confirmationis apostolicæ sedis tuitione corroborantes firmamus hæc omnia quæ supra leguntur, ut quiete et pacifice tenere et possidere, omnium hominum contradictione remota, valeant præcipimus. Optantes igitur jubemus ut nullus dux, marchio, archiepiscopus, episcopus, comes, vicecomes, nullaque magna vel parva persona, de cunctis prænominatis rebus, tam de ecclesiasticis quam de suis, eos molestare sive in placito eos conturbare, vel colonos eorum distringere seu aliquam publicam functionem solvere cogat; quod qui temerario ausu fecerit, nisi infra XL dierum spatium emendaverit, anathematis vinculo obligetur et a liminibus sanctæ Ecclesiæ alienetur usque ad dignam satisfactionem; qui vero custos hujus nostræ sanctionis exstiterit, benedictionem et gratiam omnipotentis Dei, et B. Petri apostolorum Principis, et nostram ....ciat et in futuro æternam retributionem percipiat.

Data ...., Kal. Julii, per manum Hildebrandi sanctæ Rom. Eccl., cardinalis subdiaconi, anno Victoris PP. II primo, indictione VIII.

IV.

Victor II confirmat præceptum de possessionibus Molianensis monasterii non invadendis.

(Anno 1055.)

[Ughelli, *Italia sacra*, V, 514.]

Victor episcopus, servus servorum Dei.

Præceptum nostri dilectissimi filii Heinrici, Dei gratia Romanorum imperatoris Augusti, recognoscentes, datum ad defensionem et firmitudinem monasterii S. et perpetuæ virginis Mariæ, quod est situm in loco qui Mulianas dicitur, pro animæ suæ remedio, et ob interventum Agnetis imperatricis suæ, videlicet dilectissimæ conjugis, nec non incrementum sui charissimi filii Heinrici quarti regis; id ipsum præceptum, sicut ab ejus imperiali potestate datum est et confirmatum; ita nos nostra apostolica

Digitized by Google

auctoritate damus, concedimus, et confirmamus. Debito summæ et apostolicæ sedis, cui gratia Dei, non nostris meritis, præsidemus, curam omnium Ecclesiarum agere debemus, quia ex hoc potissimum lucri præmium a Deo consequimur, si venerabilia loca, ad cultum Dei ordinata, per nos ad meliorem statum fuerint perducta. Et ideo notum esse volumus omnibus, in Christo pie vivere volentibus, qualiter nos omnia hæc bona, quæ Roso Tarvisiensis episcopus ad præfatum monasterium tradidit, auctoritate S. Petri et nostra, ibi rata et in perpetuum illic stabilita decernimus et confirmamus. Præterea statuimus jam dicto monasterio ut, remota omnium pravorum hominum inquietudine, inviolabiliter teneat hæc bona quæ modo legaliter tenet, vel inantea juste ac legaliter acquisiturum erit, scilicet in campis, in pratis, in pascuis, in silvis, aquis aquarumque decursibus, in piscationibus, in molendinis, cultis et incultis, et omni usu qui aliquando ex his provenire poterit. Insuper vero præcipientes jubemus ut nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, nec aliqua magna seu parva persona, infringere præsumat scripta prædicti monasterii S. Dei genitricis Mariæ quæ modo habet vel in futuro legaliter acquisierit, aut ullo modo sine legali judicio inquietare. Si quis autem temerario ausu contra hoc nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium agere præsumpserit, sciat se omnipotentis Dei potestate, et beati Petri apostoli nostra apostolica auctoritate anathematis vinculo innodatum, et a regno Dei alienatum, nisi resipuerit, et ad condignam satisfactionem venerit. At vero qui observator exstiterit, gratiam et misericordiam vitamque æternam a misericordiosissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Datum IV Nonas Octobris, per manum Hildebrandi S. Romanæ Ecclesiæ cardinalis subdiaconi, anno primo domni Victoris papæ II, indictione VIII (2).

V.

Victor II Adalberto, archiepiscopo Hamburgensi, pallii mitræque usum tribuit et privilegia Ecclesiæ ejus corroborat.

(Anno 1055.)

[LAPPENBERG *Hamburg. Urkund.*, I, 77.]

VICTOR II episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri nostro ADALBERTO, venerabili archiepiscopo Hammaburgensis Ecclesiæ, tibi tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere et poscentium animis alacri devotione impertire assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium Dominum procul dubio promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint per nos statum perducta. Igitur quia postulasti a nobis quatenus archiepiscopatum Hammaburgensis Ecclesiæ totum in integrum tibi successoribusque tuis confirmaremus, sicuti a prædecessoribus nostris, videlicet Nicolao et Agapita, Benedicto et Leone, hujus almæ apostolicæ sedis episcopis, decretum est : inclinati precibus vestris, apostolica auctoritate concedimus et confirmamus cum omnibus generaliter atque specialiter ad eumdem præfatum archiepiscopatum vestrum pertinentibus, scilicet omnia quæ vestri antecessores suis laboribus acquisierunt, vel etiam amore æternæ patriæ ibi a Christicolarum fidelibus largita sunt vel largiuntur. Cum illis etiam, qui hoc tempore ad Christi fidem conversi sunt, provocante et protegente gratia Dei videlicet episcopos in omnibus gentibus Sueonum seu Danorum, Norwegorum, Isladon, Scridevinum, Gronlandon et universarum septentrionalium nationum, nec non etiam in illis partibus Slavorum quæ sunt a flumine Pene usque ad fluvium Egidore. Ita ut sub tua tuorumque successorum Hammaburgensis Ecclesiæ archiepiscoporum maneant potestate, vel quidquid a vobis, divina favente gratia, ab errore perfidiæ sive hominum sive locorum ad religionem Christianam acquiri potest, tibi tuisque successoribus perpetualiter tenendum inviolabiliterque retinendum censemus. Et insuper decernimus nullum archiepiscoporum, vel Coloniensem vel alium quemlibet, in tua diœcesi ullam sibi vendicare potestatem. Caput quoque tuum mitra, quod est insigne Romanorum, permittimus insigniri. Quod si quis huic nostræ auctoritatis privilegio contraire vel in aliquo tentaverit illud temerare, anathema sit. Qui vero observaverit, gratiam et benedictionem consequatur a Domino Jesu Christo.

Data IV Kalendas Novembris, per manus Friderici, sanctæ Romanæ Ecclesiæ concellarii, anno domini Victoris II papæ primo, indictione VIII.

VI.

Victor II canonicos ecclesiæ S. Mariæ Pisanæ tuendos suscipit et eorum bona confirmat.

(Anno 1055.)

[UGHELLI, *Italia sacra*, III, 359.]

VICTOR episcopus, servus servorum Dei, charissimis in Christo filiis nostris, canonicis sanctæ Dei genitricis et perpetuæ virginis Mariæ, vestrisque successoribus, in perpetuum.

Justis et rationabilibus petitionibus benevolus debetur consensus, quæ enim divinæ religioni nihil auferunt, in futurum autem utilitati hominum multum conferunt, profecto concedenda et expetenda sunt. Quapropter notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, qualiter fratres Pisanensis Ecclesiæ de canonica S. Dei genitricis Mariæ, sicut prædiximus, nostram adierunt clementiam, rogantes nostræque paternitati humiliter supplicantes quatenus ipsos cum bonis prædictæ canonicæ jure pertinentibus sub tutelam apostolicæ defensionis, dato eis nostro privilegio, susciperemus. Quorum petitioni benevolentia ipsius

(2) Leg. *ind.* IX. JAFFÉ.

Digitized by Google

apostolicæ sedis, cum Deo auctore, licet indigni, præsidemus, annuentes, eosdem fratres sub nostram defensionem suscipimus, datoque privilegio omnia hæc bona, tam in decimis quam in prædiis, quæ eadem præscripta canonica nunc jure tenuit, vel in futurum juste acquisitura erit, auctoritate Dei sanctique Petri concessimus et confirmavimus. Super hæc vero pacem quietam et securitatem eidem prænominatæ canonicæ bonisque suis cupiente, statuimus et confirmavimus ipsa eadem auctoritate Dei, sanctique Petri et nostra, ut nulla persona parva seu magna audeat, vel præsumat vim, damnum, vel molestiam ullam inferre, aut molestare, vel quidquam de bonis suis sibi absque legali judicio aut canonicali usurpare. Quod si quis, quod non optamus, hujus nostræ concessionis et confirmationis privilegium infringere præsumpserit, nostrique mandati immemor damnum vel molestiam eis intulerit, aut de bonis prænominatæ canonicæ quidquam sibi usurpaverit, nisi resipiscat dignamque emendæ satisfactionem fecerit, vinculo anathematis innodetur qui vero custos, et observator exstiterit, apostolica benedictione repleatur, et misericordiam in Domino Deo consequatur. Amen.

In plumbo hæc circum circa verba sunt exsculpta :

Victoris II sanctæ Romanæ et universalis papæ.

Jesus Christus, Petrus, Paulus.

Anno MLV, Pont. I.

VII.

Victor II Ecclesiæ Asculanæ possessiones et privilegia, petente Bernardo episcopo, confirmat.

(Anno 1055.)

[Ughelli, *Italia sacra*, I, 449.]

Victor episcopus, servus servorum Dei, Berardo secundo episcopo ecclesiæ et episcopatus S. Dei genitricis virginis Mariæ, et beatissimi Christi martyris Emigdii, positæ in comitatu Esculano intra civitatem, cunctisque suis successoribus canonice illuc intrantibus in perpetuum.

Quia divina largitate gratiæ B. Petro, apostolorum principi, regere, dispensare, et ab omni pravorum infestatione defensare, omnis commissa est Ecclesia, ut cujus pascitur doctrina ejus muniatur et tutela, convenit nos, qui ejus vice apostolatus fungimur culmine, singulis Ecclesiæ justæ protectionis manus porrigere, quatenus, quod illis ad tutaminis proficit fulcimentum, nos expediat a debito quod debemus omnibus. Proinde rogatu domni supranominati Bernardi, episcopi S. Ecclesiæ Esculanæ, apostolicæ auctoritatis munimen concedentes, et per eam præfato episcopo, cunctisque ejus successoribus canonice inibi intronizatis, quæ ad honorem Dei genitricis semperque virginis Mariæ est dedicata, nec in inferioris liberalitatis præscriptum, sed obstaculum, et totius protectionis clypeum, privilegii munimen conferimus, ut ecclesia quæ nomini summi omnipotentis regis martyrum est dedicata, sit etiam, summi militis ejus, filii scripto protecta gladioque defensa. Ideoque apostolica auctoritate providentes singula, quidquid juste eidem oeferretur ecclesiæ, confirmamus et corroboramus tibi, ut nemo exinde eum audeat devestire, vel molestare, seu aliquam inquietudinem illi inferre, id est civitatem Esculanam ex integro cum ipsa sua portione de monasterio Sancti Angeli, quod in ipsa civitate est constructum, et monasterium Sanctæ Mariæ in sancto monte positum, cum omnibus juste sibi pertinentibus. vel quæ in antea aliquorum justa datione legaliter pertinere poterunt. Castellum, quod dicitur Trione cum monasterio Sancti Laurentii cum omnibus pertinentiis suis, curtem de massa cum ipso Pojo de valle lucida, curtem de Monte, curtem de Pazano, sicut in cartula Maynardi filii Sigolphi habetur, et legitur. Castra quæ dicuntur Sculcula, Matrice. Spinetula; curtem de Ilica, curtem de Cariano, curtem de Core, curtem de Belenterio, curtem de Flaminiano, curtem de Api, curtem de Tarracina, curtem de Bapino, curtem de Vuasto Pomarese, curtem de Saxa, curtem de Salli, curtem de Patarco, curtem de Villamagna, et omnia quæ prædicto episcopatui, tam in supradictorum castrorum quam curtem de Montariolo intus civitatem Spoletanam, curtem de Paterno in loco qui Ponte dicitur, curtem de Primo-casu, Gualdum de Laguine, in Nursiam casam, et curtem infra locum ubi olim fuit civitas : curtem de Sala in eadem Nursia, Gualdum de Fesso, curtem Savelli, in comitatu item Esculano, in loco qui aqua dicitur, castellum de Luco, et turrim de Fotiano, et Pojum de Quintodecimo, curtem Mazzannam, cum salinis suis, castellum de Murro, castrum Fundanianum, montem Purum cum forestis et silvis, cum Pojo quod clamatorium dicitur. Plage cum castro Lusiano, Villa magna cum Pojo et castello, Cicilianum, Montem Calvum, Bajanum, castrum de Gualdo, curtem Agelli, castrum Ligunianum, curtem Pupilianam, curtem S. Stephani, curtem de Paterno, et castrum de Spelunca cum ipsa curte de Valeriano, curtem de Bofiano, montem Andreæ Pojum Silvistum, quod est ante castellum Gusianum, nec non et castrum de Spinetulo cum curte sua, quæ Francisca dicitur, curtem Fassianam, curtem prostitulam, Pojum Valenterium, castellum de Ottavo, Pojum Gaminaldum, curtem Cervinariam, curtem Chrisianam, curtem de Vivario, curtem S. Felicis, Pojum de Pignole, curtem S. Martini, castrum de Corato, cum Pojo Heliceti, et Cisimulæ, curtem Popiliano, curtem Lauretianam, curtem Maltinianam, castellum Castelli, in Frundaria, curtem Porilem, curtem Dianam, curtem Quarto, Castellum de Postmontes, curtem Capitinulam, curtem Paternionis, cum Pojo Avignonis, castellum de Callonnata cum suis curtibus, curtem Ciniani cum suo castello, curtem de Casule, et castellum de Vina.

Hæc omnia supra nominata cum plebibus et ecclesiis singulis earumque dotalibus, cum servis et ancillis, villulis, massaritiis, commendatitiis, et colonis singulis, cum alpibus et montibus, silvis,

Digitized by Google

pratis, pascuis, vineis, olivetis, cultis et incultis, aquis, molendinis, piscariis, piscationibus, salinis aquarumque decursibus, nec non et armentis, equorumque forestis, seu omnibus juste sibi pertinentibus, in integrum confirmamus, atque apostolica auctoritate corroboramus. Decimas etiam, seu primitias, et cunctas oblationes fidelium vivorum et mortuorum eidem episcopatui juste et canonice pertinentes tibi, juxta canonicam institutionem SS. Patrum, concedimus. Nec non et illud statuendo decernimus, ne aliquis episcopus, alicujus auctoritate vel potestate suffultus, audeat absque licentia inibi uxta præfati episcopi ordinationes, seu constitutiones aliquas facere, vel judicia disponere, seu clericos, aut presbyteros synodo qualicunque distringere vel fatigare. Statuentes igitur apostolica auctoritate, quæ servanda est ab omnibus, et in omnibus statuimus, et sub anathemate constringimus, ut nullus imperator, sive rex, nullus dux, vel marchio, comes, vicecomes, castaldus, vel quilibet publice pariter exactor, seu cujuslibet hominis persona, cujuscunque sit ordinis vel dignitatis, seu religionis, hanc pragmaticam privilegii sanctionem audeat refragare, vel in quoquam confringere; quod qui tentaverit a B. Petro, apostolorum principe, anathemate divino percussus intereat, quia Dei Genitricem, eique famulantes offendere non timuit Deumque hoc inspicere pro nihilo duxit; conservator vero benedictione suffultus apostolica a Deo omnipotente vitam consequatur æternam.

Victoris primæ sedis episcopi et universalis papæ II.

Jesus Christus. Petrus. Paulus.

Data IV Non. Januarii, per manus Hildebrandi S. R. E. subdiaconi vice Hermandi apostolicæ sedis archicancellarii, an. primo D. Victoris papæ II, indic. VIII. Datum Romæ in Dei nomine feliciter. Amen.

VIII.

Victor II abbatiæ Andlaviensi jura et privilegia confirmat.

(Anno 1055-57.)

[Wurdtwein, *Nova Subsidia diplom.*, tom. VI, pag. 223, ex libro Salico membranaceo abbatiæ Andlaviensis, fol. 1, et ex bulla autographa Martini V. PP. an. 1425.]

Victor episcopus, servus servorum Dei, dilectæ in Christo filiæ Mehtildi, religiosæ abbatissæ venerabilis monasterii Sancti Fabiani, Sanctæque Felicitatis, quod appellatur Helgonis, situm in pago Helizaze, tuisque successoribus abbatissis perpetuam in Domino salutem.

Congruis et justis petitionibus divina miseratione præstandus est effectus. Quapropter vestris inclinati intercessionibus, juxta exempla prædecessorum nostrorum, pro futuri temporis cautela, nec non stabilitate vestri loci, concedimus et confirmamus vobis idem monasterium per hoc nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium, cum omnibus rebus et facultatibus suis quas modo juste habere videtur, et deinceps, auxiliante Domino, sive a regibus, sive a cujuscunque dignitatis et ordinis hominibus esse poterit. Sane in ipso majore altari novæ ecclesiæ prohibemus alicui sacerdoti missam celebrare, nisi quem vos vestrique successores voluerint, sicut a prædecessore nostro Leone vobis est confirmatum; ipsum vero monasterium in integrum, sicut jam prædiximus, concedimus et confirmamus; ea ratione, ut omnibus diebus vitæ vestræ sub nostra ditione, vel regimine, sicuti vobis secundum Deum visum fuerit disponere, omnino pertineat. Cum autem divina vocatione de præsenti hac luce ad Dominum migraveritis, statuimus de propria congregatione, quam sibi unanimitas præfati monasterii ancillarum Dei concorditer elegerit, absque cujuscunque hominis contrarietate vel obstaculo, fieri abbatissam, præstante videlicet nobis et successoribus nostris annualiter tres pannos lineos pontificali usui aptos. Quod si in biennio, aut in triennio persolutum non fuerit, volumus ut in quarto anno census ipse de prædictis annis sub integritate solummodo persolvatur, nec a successoribus nostris aliquid amplius, modo quolibet, requiratur. Quapropter præsenti decreto jubemus ut nullus imperatorum, vel regum, aut cujuscumque dignitatis vel ordinis homo audeat, sub quolibet obtentu, vel occasione, præfatum monasterium, quod pro amore beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac sempiterna scilicet animæ suæ remuneratione, prælibata gloriosissima imperatrix Richarda una cum charissimo filio nostro Carolo serenissimo imperatore Augusto, et quod beato Petro principi apostolorum per donationis paginam obtulerunt, inquietare, vel aliquatenus molestare, aut ad jus suum, vel alienum, transferre, sed neque in hominibus ac facultatibus ejus aliqua contradictione aut invasione quoque tempore facere præsumat. Sed liceat jam dictis ancillis Dei cum abbatissa propria in Dei omnipotentis servitio quiete vivere, ac sub defensione sanctæ apostolicæ cui, Deo auctore, deservimus Ecclesiæ, securiter permanere. Si autem, quod absit et fieri non credimus, aliquis contra hoc nostrum apostolicum privilegium venire facerere ausu temerario tentaverit, perpetui anathematis vinculo innodatus, ac perpetua ultione, nisi resipuerit, maneat condemnatus. Qui vero custos et observator exstiterit, benedictionis gratiam et misericordiam a Domino Deo consequi mereatur, ut in cœlesti sede glorietur.

IX

Victoris II privilegium pro libertate monasterii Elyensis.

(Anno 1055-57.)

[*Monasticon Anglicanum*, tom. I, pag. 91.]

Victor episcopus, servus servorum Dei, Eduardo regi Anglorum filio dilectissimo cunctisque princi-

Digitized by Google

pibus regni salutem et apostolicam benedictionem.

Privilegium apostolicæ et Romanæ Ecclesiæ auctoritate antiquitus conscriptum, et multorum sæpius attestatione auctorizatum super cœnobium Elyense, quod gloriosi sanctæ Ecclesiæ Patres pio affectu larga manu constituerunt, vestræ piæ petitioni succincte renovamus, ac perpetua stabilitate firmamus, imo firmatum conclamamus.

Mandamus ergo et jure apostolico præcipimus liberam esse ecclesiam, et omnia quæ ibi continentur vel adjacent, vel adjicientur, cellis, terris, agris, pascuis, paludibus, silvis, venationibus, aquis, piscationibus, libertatibus, servitiis debitis, decimis, censu, capitationibus, legibus, consuetudinibus, causarum discussionibus, correctionibus, emendationibus, sive ecclesiasticis, sive sæcularibus, et omnino quæcunque scriptis vel testamentis ipsius loci vel testimonio bonorum hominum rememorari possunt, quæ a regibus vel ab aliquo fidelium sanctis in illo monasterio collata vel concessa sunt, quo nemo ex his subtrahere vel diminuere aut disperdere aliqua occasione judicio vel potestate præsumat, nec episcopus vel alicujus ordinis minister se intromittat. Si quis vero malignitatis spiritu commotus hanc libertatem loci illius infringere, nostrumque privilegium contemnere vel abjicere voluerit, a Deo et ab omnibus sanctis ejus sit condemnatus et a nobis in quantum licet excommunicatus, et a consortio omnium fidelium separatus, nisi resipiscat.

X.

Bulla Victoris II, qua Rolando episcopo Ferrariensi, ejusque Ecclesiæ, omnia jura ac privilegia confirmat.

(Anno 1055.)

[Muratori, *Antiq. Ital.*, VI, 223.]

Victor episcopus, servus servorum Dei.

Notum sit omnibus Christi, nostrisque fidelibus, tam futuris quam præsentibus, qualiter nos confirmavimus privilegio nostræ auctoritatis Rulando Ferrariensis Ecclesiæ episcopo, suisque successoribus, omnes res ejusdem ecclesiæ mobiles et immobiles, sicut modo ad præsens ipsa ecclesia juste tenet, vel queat in futurum juste legaliter acquirere, et ut amissa recuperare, et quæ tenet securius valeat possidere. Omnibus denuntiamus, ut quidquid Gregorius, dissipator potius quam rector ipsius ecclesiæ, chartis aut superscriptionibus composuit, vel scribi rogavit, nihil in æternum valeat; sed et plebes, monasteria, capellas, curtes, villas, ripas, castella, paludes, piscarias, silvas, et omnia quæ præfata ecclesia tempore antecessorum suorum juste tenuit, vel tenere debet, firmamus perpetualiter possidenda; et annulantes nostraque auctoritate destruentes, si sui prædecessores affinitate, vel parentela, seu malo ingenio, aliquam scriptionem vel pactionem nocivam ecclesiæ contraxerant. Confirmamus Rulando præfatæ ecclesiæ episcopo, suisque successoribus, omne districtum omnium castellanorum suorum, servorum, atque omnium eorum qui super terram suam residunt, tam clericorum quam laicorum, sicut eadem Ferrariensis ecclesia ad præsens juste tenere videtur; eodem scilicet modo confirmamus eis plebem Sancti Stephani, quæ est sita in Vicoventia, cum ecclesia Sancti Leonis cum omnibus suis pertinentiis; nominative autem Vicoventiam, Corrigiam, Vicumvariam, et dimidium Castri Rupinæ, et monasteria Sanctorum Bartholomæi, Laurentii et Vicentii, cum villa quæ dicitur monasteriolo, cumque ecclesia Sancti Leonis juxta vicum Aventinum, cum omnibus juste acquisitis, justeque deinceps acquirendis, ut et clerici et monachi ipsius episcopatus sint sub eorum episcoporum ordinatione, consecratione et districtu. Et nemo ex hiis se ad alicujus, nisi ad judicia proprii episcopi convertat. Ad hoc igitur confirmamus prædictæ ecclesiæ terras illas, quæ sibi in For..... et in plebe Sancti Stephani in Galigo, in plebe Sancti Donati, ac Sancti Georgii, et Sanctorum Gervasi et Protasii, per sacramenta ministratæ sunt tempore sui prædecessoris, cum villis istis, quarum nomina sunt: Quartixiana, Caput de Reda, et Contrapadum, et fundum qui dicitur Carali, ut nullus absque legali judicio molestiam sibi inferat. Insuper etiam confirmamus sibi duodecim homines ipsius civitatis, qui eum sine pretio ejusque successores navigio ducant, quocunque usus antecessorum ejus fuit. Si quis igitur dux, marchio, archiepiscopus, episcopus, comes, vicecomes, vel aliqua magna parvaque persona, contra hoc nostrum privilegium facere præsumpserit, vel infringere tentaverit, nisi emendaverit et ad dignam satisfactionem venerit, vinculo anathematis innodetur, et a limitibus sanctæ Ecclesiæ separetur. Qui autem custos et observator hujus nostræ præceptionis exstiterit, apostolicam benedictionem, et misericordiam a Domino Deo consequatur.

XI.

Victor II Brunonem, abbatem Dervensem, Tebaldo comiti commendat.

(Anno 1055-57.)

[Mabill., *Annal. ord. S. Bened.*, IV, 557.]

Victor episcopus, servus servorum Dei, Tebaldo comiti apostolicam benedictionem.

Confidentes quod gloria se vestra in amicorum suorum solatiis devota semper exhibeat, eorum vobis quos diligitis causas commendare studemus; nosque bonorum hortatur dilectio filiorum utilitatibus eorum studiose concurrere, et in quantum ratio suppetit, eos adjuvare. Et ideo salutantes petimus, ut filius noster Bruno abba ex sanctorum apostolorum Petri et Pauli et sancti Bercharii martyris monasterio, qualem vos hactenus habuit, talem

Digitized by Google

invenire semper mereatur, et apud omnes, quocunque necesse fuerit, gloriæ vestræ solatia consequatur ac magnam in vobis consolationem inveniat; et ne cuidam injuste possit afflictioni vel gravamini subjacere, magnificentiæ vestræ celsitudo disponat. Quantum præterea sollicitudinem circa monasteria exhibeatis, super religiosis irreligiosisque monachis, et quam omnipotens Deus apud homines inde vobis gloriam concessit, ut sub tuitione vestra religiosiora consistant cœnobia, quod miserieors Deus a quo cuncta bona procedunt multiplicet vobis usque in diem retributionis, prædicto filio nostro referente, cognovimus. Eidem quoque monasterio, cui præest, quantum profuit vestræ pietatis magnitudo, obsecrando et arguendo fratres, et in villas et ecclesias cum molendinis, cumque variis rebus reddendo, et etiam in reconstruendo pontes ad idem cœnobium pertinentes, super quibus plures lætantur, maxime maris insulas habitantes, scilicet Scoti et Angli, et qualiter vos injusti arguunt ut desistatis, cum lacrymans, tum gaudens nobis præsente multorum attestatione narravit. Unde uberes gratias referentes petimus, quæque admonentur vobis a bonis operibus præditis libenter audite, devote agite, in memoria reservate; quia si pro Deo loquentes auditis, pro vobis orantes Omnipotens idem exaudiet. Propter hoc omnipotens Deus bonos quosque ad populorum regimina perducit, ut per eos omnibus quibus prælati fuerint, dona suæ potestatis impendat. Facite quod Dei est, et Deus faciet quod vestrum est. Omnipotens Deus sua vos protectione cum filiis et omni domo vestra ab omni adversitate tueatur atque custodiat, vobisque et præsentis vitæ prosperitatem et lætitiam futuræ concedat.

XII.

Bulla Victoris II pro Vindocinonense monasterio.

(Anno 1055-57.)

[*Gall. Christ.*, tom. VIII, Instrum., pag. 418.]

Victor episcopus, servus servorum Dei, Gaufredo venerabili comiti Andegavorum, et Agneti comitissæ conjugi ejus, salutem et apostolicam benedictionem.

Omnibus votis quæ de puro et justo desiderio procedunt, succurrere nos debere ipsa apostolica cen- sura movemur. Quanto enim quisque alius effert oculos mentis ad divinæ speciem contemplationis, tanto nos ejus intentionem studiosius animare et exaltare debemus, ut ad illum qui est fructus et merces operum bonorum possit pervenire desiderium bonum. At vos, filii charissimi, quia decrevistis ab auctoritate sedis Romanæ, cui Deo præsidemus auctore, supplici devotione petere et postulare, quatenus apostolica virtute confirmaremus, et a cunctis hominum personis, nisi a solo primæ sedis pontifice, liberum faceremus monasterium Sanctæ Trinitatis apud castrum Vindocinense situm, quod scilicet de vestris bonis de novo fundastis, et beato Petro ejusque successoribus in alodium et patrimonium obtulistis, dignum judicavimus annuere precibus vestris vestrumque per omnia implere affectum. Confirmamus igitur, atque beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate ipsum monasterium ita specialiter corroboramus, quatenus inter primæ et apostolicæ sedis pontificem et venerabilis loci Vindocinensis abbatem nulla cujuscunque dignitatis vel ordinis persona sit, media habeatur. Quod si forte contigerit legatum Romanæ Ecclesiæ, prædictum beati Petri locum visitare, ibi cum omni charitate suscipiatur, et in quantum possibilitas loci permiserit, quæ corpori erunt necessaria ei subministrentur a fratribus. Ipse vero in eodem loco nihil per se vel corrigere audeat, vel occasione legationis rectorem loci sive fratres molestare præsumat. Sed si quid viderit corrigendum papæ litteris notificare licebit, in cujus solius potestate ipsius monasterii ordinatio sive correctio universa consistit. Abbas autem qui alodiarius Romanæ Ecclesiæ noscitur, ad concilium coactus, nec veniat, nec vocetur, quod ab ipso apostolicæ sedis summo pontifice non fuerit celebratum, sed matrem suam Romanam Ecclesiam per se vel per nuntium suum visitare studeat, ibique singulis annis censum, duodecim scilicet solidos suæ monetæ ad concinnanda luminaria ante venerabile corpus beatissimi Petri persolvat. Præterea statuimus ut, defuncto abbate congregationis ipsius, successor ei eligatur de eadem congregatione, si dignus prælatione inveniatur. Quod si apud eos non fuerit inventus, quod absit, a Cluniaco vel a Majori monasterio, vel undecunque melius potuerint, monachi sibi eligant abbatem secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam; tamen in eligendo sibi pastore trium abbatum consilio utantur, quos religiosiores in vicinis locis invenire potuerint. Consecrationem vero, ne statim Romam venire fatigetur, electus a Carnotensi præsule sine omni subjectione, vel qualibet exactione, suscipiat, si præsul idem canonice episcopatum susceperit, et si erga illum beati Petri locum se malevolum non exhibuerit vel suspectum, alioquin ad nos vel ad nostros successores recurrat et a sede beati Petri, cujus est juris, baculum et consecrationem suscipiat. Ordinato vero abbate, quomodo vel qualiter fuerit facta ordinatio studeant tam abbates quam etiam monachi ejusdem loci papæ litteris intimare, ut aut emendet, si opus fuerit emendandum, aut si fuerit secundum nostrum decretum facta electio sive ordinatio, bono studio congratuletur. Illud etiam præcipimus ut comes Andegavensis ab omni tempore sit adjutor et defensor Vindocinensis monasterii ad honorem apostolicæ sedis; ipse tamen vel quilibet successorum nullam exactionem sive consuetudinem monasterio vel monasterii rebus inferat, nec in eis aliquid vindicare præsumat, præter patrocinium solum, quod ei ad honorem apostolicæ sedis et ad animæ suæ salutem exhibere permissum est. Hoc etiam adjicimus ut tam in Vindocinensi loco, quam in Sancti Salvatoris juxta Andegavis muros ecclesia,

Digitized by Google

nulli personæ, nisi solo Romano pontifici, liceat potestatem aliquam aut dominationem exercere, aut excommunicare, seu interdicere, etiamsi Carnotensis aut Andegavensis patria pro culpis quibuslibet excommunicentur, excommunicati tamen a monachis non suscipiantur. Nos autem omnia quæ ibi a vobis vel ab aliis hominum personis usque in præsentem diem oblata sunt, nostra auctoritate firmamus, ut in perpetuum eidem loco sine diminutione vel cujuslibet retractatione persistant. Si quis vero contra locum illum molestiam litis pro aliquibus rebus inferre voluerit, nullatenus abbas vel fratres ei respondeant, antequam Romanum pontificem consulant, quia quidquid sine nostro vel successorum nostrorum judicio definitum vel distractum fuerit, irritum erit. Ea vero quæ ad præfatum pertinent monasterium, et beato Petro in patrimonium super ipsius altare a Gaufredo comite Andegavorum, et ab Agnete comitissa ejus conjuge oblata sunt, hic scripta noscuntur ad cognitionem futurorum. In pago Vindocinensi ecclesia Sancti Nicolai de Ferraria. Ecclesia de Pruneto, cum universis consuetudinibus. Medietas ecclesiæ Sanctæ Mariæ apud Villam episcopi. Ecclesia Sancti Stephani apud stagnum. Ecclesiæ quatuor quas Thedoricus episcopus Carnotensis dedit monasterio Vindocinensi amore Dei, et supplicatione Gaufredi comitis, ecclesia scilicet Sancti Beati, ecclesia Sancti Joannis de Castrodunensi, ecclesia de Balneolis, ecclesia de Villarebla, ecclesia Anscherici. In episcopatu Cenomanensi ecclesia Sancti Joannis Baptistæ de Villa Dei, et villa ipsa cum terris et silvis, et vicaria, et consuetudinibus universis. Terra de Pinis et quæ est ibi juxta dimidia ecclesia Sanctæ Mariæ, ecclesia Sancti Michaelis de Hulseto, et terra cum stagno, et molendinis cum boscis, et vicaria, et omnibus consuetudinibus. medietas ecclesiæ de Torcio. In episcopatu Andegavensi ecclesia Sancti Saturnini et curtis tota, et silva quæ dicitur Latez, et terra silvæ, si silva fuerit exstirpata. Apud castrum Credonense ecclesia Sancti Clementis et universa ejus parochia, ecclesiæ vici Meduanilis; ecclesia Sancti Joannis super Ligerim, et decem et novem arpenni vinearum et duo molendini; ecclesia Sancti Petri de Maziaco et curtis tota; ecclesia Sancti Medardi de Caviriaco. In episcopatu Pictavensi ecclesia de Olonna. In episcopatu Sanctonico ecclesia Sancti Georgii et tertia pars ejusdem insulæ cum consuetudinibus universis. In castro Oleronis ecclesia B. Mariæ; ecclesia Podii rebellis; ecclesia de Blosmeriaco; ecclesia Sancti Saturnini et terra S. Aniani cum salinis et piscationibus, et omnibus consuetudinibus. In foreste Wastina totum pasnaticum de propriis porcis omnium monachorum Sanctæ Trinitatis, et medietas de pasnatico aliorum hominum, et mel et cera ejusdem silvæ in luminaria monasterii. Assumptio etiam omnium arborum ab omnibus monachis Vindocinensibus, et ab universis hominibusipsorum, ad omnes usus suos in terris ad monasterium pertinentibus, sine licentia forestariorum. Si vero abbas prædicti loci et comes Vindocinensis alter adversus alterum, vel quilibet homo eorum querelam habuerit, non in curia comitis, nec in qualibet alia judicium efficiatur, sed in curia abbatis pro dignitate loci querimonia ipsa finiatur ita tamen ut pro amore summæ Trinitatis, in cujus nomine et honore monasterium ipsum constructum est, dimidia pars foris facti nec quæratur ab aliquo, nec donetur. Si quis autem hujus nostri præcepti scienter violator exstiterit, vel de suprascriptis rebus Vindocinensi monasterio quidquam subtraxerit, maledictione Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti damnetur, confundatur, pereat, ad cujus honorem et nomen locus ipse constructus est, deinde etiam iram Dei Genitricis et beatorum apostolorum Petri et Pauli omniumque sanctorum incurrat, et nostra apostolica auctoritate sit excommunicatus, et anathematis vinculo innodatus, ut nunquam regnum Dei videat, sed cum diabolo et Juda traditore, omnibusque impiis sit damnatus in æternum, et in tenebris maneat et umbra mortis, et in incendio sulfurato, in frigore illo tartareo ubi est fletus et stridor dentium (*Matth.* VIII, 12), nisi quod eidem loco abstulit digna satisfactione emendet. Qui vero conservator et inviolator exstiterit hujus nostræ apostolicæ confirmationis et tuitionis, iste benedicatur omni benedictione, ut partem habeat in regno Dei cum sanctis et electis, et gaudeat lætitia sempiterna in illa luce et claritate cœlorum ubi est omne bonum in sæcula sæculorum. Amen. Victoris primæ sedis episcopi et universalis papæ II breve signum.

XIII.

Bulla Victoris papæ II pro ecclesia SS. Simonis et Judæ.

(Anno 1057.)

[HEINECCIUS, *Antiquitatum goslariensium* lib. I, p. 63.]

VICTOR episcopus, servus servorum Dei, omnibus Christi fidelibus.

Sancti propositi votum non solum divino effectu impletur, sed etiam humano suffragio adjuvatur. Sit autem notum omnibus S. Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, quia filius noster charissimus, secundus Heinricus imperator Augustus, quamdam ecclesiam, a se funditus constructam, in honorem [in honore] sanctæ Dei genitricis virginis Mariæ et beatorum apostolorum Simonis et Judæ, positam loco Goslaria, ubi fratres sunt sub canonica degentes regula, quibus præposuit Guntherium cancellarium suum, tam pro animæ suæ suæque conjugis Augustæ filiæ nostræ Agnetis remedio, quam pro salute etiam parentum suorum Cunradi et Giselæ, divæ [divinæ] memoriæ, pio affectu piaque intentione sancto Petro ejusque apostolicæ sedi per scripturam, propria manu signatam, penitus concessit per manus nostras, scilicet indigni vicarii ejusdem apostolorum Principis, ut ipsa ecclesia, posita sub apostolico jure, in perpetuum libera et quieta per-

Digitized by Google

sistat ab omni jure et dominio. ab omni læsione et molestia, suamque integritatem habens in omnibus rebus et facultatibus, quas modo habet in prædicto loco Goslaria in Egeln in Jeresleb et in Adesleb, et in Summensteten, et in Slansteten, et in Valentro, et in Aldendoff, et in Dingelstetein, et in Borestorff, et in Ogtkersleve, et in Balbria, et in Walchesleve, et in Uerlingerode aliis [aliisque] quoque locis et villis, et quæcunque in perpetuum habitura est, sive sint mobilia sive immobilia.

Quod donum de manibus prædicti charissimi filii nostri Augusti suscipientes decrevimus, per hoc nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium, omne munimen, omne robur apostolicum eidem ecclesiæ Sanctæ Mariæ et sanctorum apostolorum Simonis et Judæ contribuere et condonare, ut, integra in suis rebus suisque possessionibus constans, in sæcula nullam metuat ab imperatore, vel a rege, vel ab aliqua persona publica vel privata dispendium vel detrimentum. Dignum tamen duximus eidem charissimo filio nostro augusto ejusque successoribus advocationem ipsius sacri loci ea ratione relinquere, ut semper in potestate habeant ibi præpositos secundum Deum ordinare, non autem ex bonis ipsis alicus [aliquid] in proprium dare, seu in beneficium tribuere. At si contra prohibitionem nostram quisquam eorum tentaverit agere, liberum jubemus esse præposito et canonicis, qui ibi pro tempore fuerint, sic omnimodo ad Romanam Ecclesiam deinceps respicere, ut nihil metuant de imperiali vel regali conditione. Episcopus autem in cujus diœcesi istius ecclesiæ constructum est monasterium nihil in eo habeat juris aut potestatis præter ecclesiasticum regimen, et secundum canonica instituta episcopalem potestatem. Statuimus igitur apostolica censura, sub divini judicii obtestatione, ut nulla potestas imperialis vel regia ecclesiastica, vel sæcularis, vel quælibet hominum persona magna vel parva, cujuscunque sit sexus vel ætatis, contra hoc nostræ apostolicæ [*abest* apostolicæ] corroborationis privilegium venire pertentet. Quisquis vero quæquæve, quod absit! fuerit, usque ad condignam satisfactionem, nostri apostolici anathematis vulnere saucius existat. Qui vero ab his prohibitis se custodierit, et quidquid hic legitur illibate observaverit plenam a nobis habeat benedictionem, et a Deo sempiternam salutem.

Datum v Id. Jan., per manus Aribonis vice Annonis archicancellarii, Romanæ Ecclesiæ et Coloniensis archiepiscopi, anno vero (secundo) domni papæ Victoris II, indict. x (3).

(3 Appensa est huic diplomati rarioris notæ bulla plumbea, altera facie exhibens Romam cum epigraphe :

AUREA ROMA.

Circumscriptis in orbem verbis.

† VICTORIS PAPÆ II.

Altera papam mitratum manuque clavem e cœlo protendentem addito titulo :

TU PRO ME NAVEM LIQUISTI, SUSCIPE CLAVEM.

XIV.

Privilegium Victoris II pro monasterio Fuldensi.

(Anno 1057.)

[Dronke, *Cod. Diplom. Fuld.*, 364.]

Victor episcopus, servus servorum Dei, Ecuberto pio et religioso abbati monasterii Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, et Sancti Bonifacii, quod situm est in loco qui vocatur Bochonia, juxta ripam fluminis quod vocatur Fulda, et per te idem venerabili monasterio suisque successoribus, in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere et postentibus juste et religiose alacri devotione assensum impertiri. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium, Deo, procul dubio promeremur, si venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur, quia postulastis a nobis, decrevimus nostra apostolica præceptione reconcedere ac reconfirmare perpetualiter vobis vestrisque successoribus prædictum monasterium Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, et Sancti Bonifacii, situm in loco qui vocatur Bochonia, juxta ripam fluminis quod dicitur Fulda, cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus sibi pertinentibus, quas nunc habet et in futuro, Deo auxiliante, habebit. Concedimus etiam atque donamus vobis, charissime ac dilectissime fili, vestrisque successoribus abbatibus in perpetuum, pro magno nostro amore nimiaque dilectione quam circa vos habemus et habere deinceps cupimus, monasterium Sancti Andreæ apostoli, quod vocatur Exaiulum, situm Romæ juxta ecclesiam Sanctæ Dei genitricis Mariæ semper virginis, quæ vocatur Ad Præsepe, cum omnibus mansionibus, caminatis, cellis vinariis, et coquina, cum vineis, hortis, diversisque generibus pomorum, cum curte et puteo et introitu per portam majorem a via publica, et cum omnibus ad idem monasterium generaliter pertinentibus, tam intra quam extra urbem sitis, quæ ei juste ac recte pertinere dignoscuntur. Prohibemus autem omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in idem vestrum Fuldense monasterium quamlibet ditionem habere, vel auctoritatem, præter nostram apostolicam sedem, specialiter episcopum in cujus diœcesi constructum esse videtur, ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum solemnia ibidem celebrare præsumat. Dona vero, et oblationes decimasque fidelium, absque ullius personæ contrarietate, firmitate perpetua ipsi monasterio vestro, secundum prædecessorum nostrorum privilegia, confirmamus et corroboramus. Decernimus etiam ne alicui personæ magnæ vel parvæ liceat aliquam vim vel controversiam inferre eidem mo-

Digitized by Google

nasterio in rebus ac familiis ejus; et ne femina unquam illuc ingredi præsumat, nostra apostolica interdicimus auctoritate, et ne quis unquam placitum ibi habeat vel in cæteris ejus locis, nec servos nec colonos ad aliquod servitium constringat, nisi cui abbas ad utilitatem suæ necessitatis assensum præbuerit. Eligendi quoque abbatem sibi, quando opus fuerit, fratres inter se potestatem habeant secundum regulam sancti Benedicti, sine ullius contradictione personæ.

Cæterum vero hoc deliberantes decernimus ut, congruis temporibus, nostræ sollicitudini ecclesiasticæ intimetur qualiter religio monastica regulari habitu dirigatur concordiaque convenienti ecclesiastico studio mancipetur, ne forte, quod absit! sub hujus privilegii obtentu, animus gressusque rectitudinis vestræ a norma justitiæ aliquomodo retorquatur. Concedimus etiam tibi, quem bene eruditum et bene eloquentem virum esse novimus, dulcissime fili, prædicare verbum Dei auctoritate, sancti Petri apostoli Dei, et nostra ejus indigne vicarii, et ut, tam vos quam successores vestri, ante alios abbates Galliæ seu Germaniæ primatum sedendi in omni loco conventuque nostra apostolica auctoritate obtineatis. Abbas vero, non nisi a nostra apostolica sede benedicatur, a qua benedici debet, et, si in aliquo crimine accusatus fuerit, de eadem nostra apostolica sede tantum judicium exspectet. Usum quoque dalmaticæ et sandaliorum, secundum quod ab antecessoribus nostris vobis concessum est, concedimus et confirmamus. Igitur generaliter addendum dignum duximus ut, quidquid, auctoritate antecessorum quorumlibet nostrorum regum et imperatorum, ipsi vestro Fuldensi monasterio constat fuisse concessum, sit etiam nostra apostolica auctoritate per hoc nostrum privilegium confirmatum atque corroboratum, statuentes apostolica censura, sub divini judicii obtestatione, ne quis unquam nostrorum postdecessorum pontificum Romanorum, regum, ducum, marchionum, comitum, et præterea archiepiscoporum, episcoporum, aut cujuslibet dignitatis vel conditionis hominum, contra hoc nostrum privilegium quidquam audeat attentare. Quod si quis præsumpserit, sciat se nostri anathematis vinculo usque ad dignam satisfactionem insolubiliter innodatum. Qui autem pio intuitu se custodierit, et ne in aliquo infringatur a se observaverit, benedictionis gratiam et peccatorum suorum absolutionem a retributore omnium bonorum Deo consequi mereatur ut in cœlesti sede glorietur.

(S. p. s.) B. V.

Datum v Idus Febr., per manus Aribonis, vice Annonis, sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis archicancellarii, et Coloniensis archiepiscopi, anno II papæ Victoris II, indictione X.

XV.

Victoris II privilegium pro Ecclesia Trevirensi.

(Anno 1057.)

[Gunther, *Codex diplom. Rhen. Mosel.*, p. 134.]

Victor episcopus, servus servorum Dei, tibi dilecto confratri ac sanctæ Trevirensis Ecclesiæ archiepiscopo tuisque successoribus in perpetuum.

Justis ac Domino placitis petitionibus affectuosus debetur effectus. Quid enim in præsentiarum tam justum, tam Deo placitum, quam et reverendis ac piis locis ad laudem et gloriam nominis ipsius debita auctoritas, reverentia simul, ac utilitas, vindicetur et conservetur? Quapropter piæ sollicitudini tuæ in confirmando ac perpetualiter retinendo jus sanctæ Trevirensis Ecclesiæ tibi temporaliter commisisse plurimum congratulamur, charissime nobis ac in Christo reverende confrater ac coepiscope Eberharde, juxta tuam suggestionem ac privilegia prædecessorum nostrorum Joannis videlicet XIII papæ, ac Benedicti VII, beatæ quoque memoriæ Leonis IX per hujus nostri privilegii auctoritatem decernimus ac confirmamus tibi tuisque post te successoribus primatum Galliæ Belgicæ, hoc modo, ut quandocunque a nostra principali ac apostolica sede presbyter vel diaconus vel subdiaconus, vel quilibet ordinarius legatus pro ecclesiasticæ utilitatis causa, seu peragenda synodo in Galliam Germaniamve directus fuerit, tu tuique successores post eumdem apostolicum legatum primum inter alios pontifices locum obtineatis, et si missus Romanæ Ecclesiæ defuerit, similiter post imperatorem sive regem sedendi sententiamque dicendi, ac synodale judicium canonice promulgandi primatum habeatis, utpote in illis partibus vicarii nostræ sedis apostolicæ merito constituti. Neque diguum est ut illius Ecclesiæ præsul aliquo tempore cæteris non habeatur prælatus, cujus honor in illis partibus sub ipso apostolorum principe exstitit primitivus. Et cum ejusdem Ecclesiæ archipræsulem beatum Eucharium, scilicet a beato Petro apostolorum principe novimus ordinandum, sicut et beatum Apollinarem Ravennæ civitatis, placuit nobis tibi fratri nostro Eberhardo sanctæ Trevirensis Ecclesiæ archiepiscopo, cunctisque post te successoribus tuis permittere, quatenus sicut in unius beati Petri scilicet apostoli ordinatione, benedictione, directione, gentibus ad prædicandum Christi Evangelium aliarum civitatum prædicatores æquales exstiterunt, ita et in missarum solemniis celebrandis in æquitando cum nacco per stationes ac omni honore æquales existant. Crux ante te sicut ante Ravennatem etiam archipræsulem, ubi geratur, cardinales quoque presbyteri tui te fratre nostro missam celebrante dalmaticis ac diaconi una cum presbyteris sandaliis utantur. Sed et tu tuique successores Romana mitra ob insigne primatus in ecclesiasticis officiis Romano more utamini, semperque vos discipulos Romanæ sedis reminiscamini, eo videlicet pacto ut tu tuique successores singulis annis,

Digitized by Google

nisi forte propter hoc canonica vocatio a sede A apostolica vobis venerit; legatos vestros ad nos nostrosque successores semel mittatis, per quos vobis de nostris utilitatibus agendis illis in partibus remandemus, ac semper tertio anno excepta, ut dictum est, canonica vocatione, vos ipsi Romam visitationis gratia absque inevitabili causa veniatis. Pari namque modo sancimus omnes in parochiis tuis degentes sive ordinatione ac promotione cujuslibet ecclesiastici gradus a vobis percipientes eidem matrici Ecclesiæ ejusque archiepiscopo debere canonice placere, obsequi ac jure obedire. Siquidem decreto beati Clementis papæ super hoc ita cautum videtur. Si vero episcopis non obedierint omnes presbyteri, diaconi, ac reliqui clerici cuncti, omnesque principes tam majoris B ordinis quam inferioris atque reliqui populi tribus et linguæ non obtemperaverint, a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt; dicente Domino : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit.* Inter hæc quoque omnia quæ ad sæpedictam Treverensem Ecclesiam intra et extra civitatem pertinere videntur : id est ecclesias cum universis rebus sibi attinentibus, seu monasteria tam monachorum quam virginum de quibus ex præceptis sive scriptis regum seu imperatorum sive eorumdem fundatorum auctoritate ad se pertinent ac pertinere debent, ac quidquid omnino illa ipsa ecclesia ubi et quoquo merito possidet ac possidere debet : quia ita invenimus in privilegus prædecessorum nostrorum; idC circo eidem Ecclesiæ hæc omnia cum omnibus attinentibus generaliter ac specialiter concedimus; Reconfirmamusque tibi fratri ac coepiscopo nostro tuisque successoribus ad perpetuam sanctæ Trevirensis Ecclesiæ donationem atque ditionem per hanc nostræ apostolicæ præceptionis seriem a præsenti decima indictione et usque ad finem sæculi valituram. Contra quam si quis hominum quolibet modo agere præsumpserit, ac quod juste ac canonice a nobis decretum est in aliquo infringere attentaverit, sciat se ex Dei omnipotentis ac prædicti beatissimi apostolorum principis omniumque sanctorum, ac deinde nostra auctoritate damnandum ac anathematizandum ac cum omnibus impiis æterno supplicio deputandum. Qui vero hoc ipsum nostrum D privilegium observare, custodire, adimplere fideliter studuerit, benedictionis gratiam et misericordiæ plenitudinem in cœlestibus castris inter electorum numerum efficaciter a Domino Deo consecui mereatur.

Scriptum per manum Gregorii notarii ac scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense aprili indictione præscripta die XXV.

Datum VII Kal. Maii, per manum Arebonis diaconi vice Annonis sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis archicancellarii, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopi, anno III domni Victoris II papæ, indictione X mense Aprili, die vicesimo quinto.

XVI.

Victoris papæ II litteræ, quibus Ecclesiæ Silvæ Candidæ privilegia Humberti episcopi gratia amplificat.

(Anno 1057.)

[MANSI XIX, 835.]

VICTOR episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri et coepiscopo HUMBERTO, et per eum Ecclesiæ sanctarum virginum et martyrum Rufinæ et Secundæ, quæ nominatur Silva Candida, in perpetuum.

Officii nostri esse dignoscitur, ut ex apice summæ apostolicæ sedis, cui Deo auctore præsidemus, universitati Ecclesiarum tanquam nostris reliquis membris consulamus. In qua utique, si pia et necessaria sollicitudine debemus operam nostram etiam longinquis, et non quærentibus ultro porrigere; multo magis propinquis sequela, merito eam debemus exigentibus prorogare; quia dum tempus habemus, ad omnes debemus bonum operari, maxime autem ad domesticos fidei (*Galat.* VI, 10), juxta magisterium divi apostoli Pauli. Ut enim ipse attestatur, qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior (*I Tim.* V, 8). Ad instar siquidem visibilis ignis, invisibilis charitas paucis [*f.* spatia] viciniora sibi corripit, et inde gradatim ad longinquiora se extendit. Quapropter secundum suggestionem tuam, noster reverendissime confrater et coepiscope Humberte, * ad aliquam temporalem memoriæ decessori nostro domino Leoni, et jugiter in sancta Romana et apostolica sede, etiam supra vires tuas et facultates hactenus exhibuisti, per hujus nostri privilegii sanctionem decernentes concedimus, et confirmamus tibi et per te atque propter te in perpetuum, reverendæ ecclesiæ sanctarum virginum et martyrum, Rufinæ ac Secundæ, quæ nominatur Silva Candida, in fundo qui vocatur Boscus, quidquid auri, argenti, pallii, seu ceræ, vel quarumcunque rerum omnino jactatum vel positum fuerit, vel oblatum in toto altari majori sancti Petri, sive in ejus venerabili confessione, aut certe sibi suisque successoribus oblatum ab inchoatione matutinorum quintæ feriæ in Cœna Domini usque dum completorium peractum fuerit veluti in Sabbato sancto ab hora tertia per totam ipsam diem, deinceps usque post expletam in crastinum missam, qualescunque vel quantascunque oblationes præfati altaris et confessionis ejus, per privilegia venerabilis Sergii et multorum antecessorum nostrorum, jam dicta ecclesia sanctarum Rufinæ ac Secundæ promeruit, retinuit, retinet, etiam retineat ad perpetuam animæ nostræ mercedem, nominisque nostri et servitii sui in sancta Romana Ecclesia memoriam illarum oblationum, quas eidem sacrosanctæ ecclesiæ per hoc nostrum privilegium adjiciendo concedimus, et confirmamus, sicut superius dictum est : scilicet ab inchoatione matutinorum quintæ feriæ in Cœna Domini, usque post completorium, salva sibi per omnia, et hoc nostro privilegio

Digitized by Google

eidem in perpetuum reservata, et confirmata concessione et confirmatione omnium oblationum quas per privilegia antecessorum nostrorum hactenus accipere et sibi habere * conservetur : videlicet in die Palmarum, in Cœna Domini et in Parasceve, in Sabbato sancto et die Dominica. Neque enim istud nostrum ita adjicimus, ut illud antecessorum nostrorum donum in aliquo minuamus. In qua utique concessione et confirmatione nil novitatis arbitramur egisse : scilicet exemplo reverendissimorum prædecessorum nostrorum, et copia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, inopiam lateralis et maxime domesticæ filiæ, laudabili liberalitate secundum apostolicam institutionem supplere. Venerabilis apostolicæ sedis censura sub divini contestatione judicii, et anathematis interpositione statuentes interdicimus ut nullus unquam successorum nostrorum pontificum, vel quilibet publicarum actionum administrator, seu alia quælibet et quantumlibet magna parvaque persona, audeat vel præsumat, contra hujus nostræ donationis privilegium cogere aut aliter quidquam alienare, auferre aut minuere; sed potius firmum et stabile in perpetuum, sicut concessum et confirmatum est, permaneat. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu hoc nostrum apostolicæ sedis statutum, in quoquam infringere præsumpserit et coadjutor illius in aliquo exstiterit, auctoritate sanctæ et individuæ Trinitatis et apostolorum principis Petri, cujus, licet indigni, dignatione divina vice fungimur, vinculo anathematis sit mancipatus, et a regno Dei segregatus, et diabolo, et angelis ejus, nisi forte resipiscens satisfaciat, indissolubiliter aggregetur. Qui vero pio respectu observator et defensor hujus concessionis et confirmationis exstiterit, potestate beati Petri apostolorum principis et precibus sanctarum virginum ac Christi martyrum, Rufinæ et Secundæ, cœlestis regni introitum, et gratiam atque gloriam a justo judice Domino Deo nostro, vitamque æternam percipere mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manus Gregorii notarii et scriniarii S. Romanæ Ecclesiæ in mense Maii, indict. x. Bene valete.

Datum octavo Idus Maii, per manus Aribonis diaconi, anno 3 domini papæ Victoris II, indict. x. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, etc. Si quæ igitur in futurum, etc. Cunctis autem, etc.

XVII.

Pro monasterio Sancti Bertini, Victoris II privilegium.

(Anno 1057.)

[Guérard. *Collection des cartulaires, abbaye de Saint-Bertin*, tom. III, pag. 180.]

Victor episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Bovoni, religioso abbati, cunctisque successoribus ejus, in Sithiensi cœnobio regulariter promovendis, in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini quatenus, sicut dignitate ac auctoritate Petri, principis apostolorum, singulari privilegio omnibus præeminemus, ita universarum ecclesiarum Dei sollicitudinem habeamus, ac singulis quibusque fidelibus atque piis locis opportuna suffragia conferamus. Quapropter, inclinati precibus tuis, charissime ac religiose abba, Bovo, per hanc nostræ auctoritatis censuram confirmamus ac corroboramus, tibi tuisque successoribus, regulariter promovendis, Sithiense cœnobium in perpetuum, quod in episcopio Taruannensi est constitutum in honore sancti Petri, ac omnium apostolorum, ubi etiam præclarus Christi confessor Bertinus, ipsius loci primus fundator ac abbas, cum Folquino ac Sylvino, beatis confessoribus, corpore quiescit.

Pariter quoque confirmamus tibi tuisque successoribus, sicut dictum est, in perpetuum, cuncta eidem cœnobio juste pertinentia, tam ea quæ hactenus devotione fidelium Christi illic collata sunt quam quæ deinceps juste conferenda sunt, in arvis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, piscariis, villis, ecclesiis, comitatibus, familiis, vineis, pomeriis, cunctisque suis mobilibus vel immobilibus, cultis vel incultis, ut quidquid inde, secundum Dei timorem, ad ipsius cœnobii utilitatem regulariter disposuistis agere, liberam in omnibus habeatis faciendi potestatem, per omnia vobis salva et hoc privilegio nostro perpetualiter confirmata immunitate illa seu libertate, quam beatus Audomarus, Taruannensis præsul, in præfato beato Bertino eidem cœnobio proprio scripto indulsit atque confirmavit, qua hactenus secundum beati Gregorii papæ luminoso abbati concessa, obeunte abbate monasterii ipsius, nullus episcoporum in describendis prævidendisque ac quæsitis quærendisve rebus ecclesiæ hujus, aliqua se occasione, permisceat; abbatem vero eidem monasterio non alium, sed quem dignum moribus atque aptum disciplinæ monasticæ communi consensu, congregatio tota vel, quamvis parva, pars congregationis saniori consilio, secundum timorem Dei proposierit, ordinet. Stationes autem illic publicas per episcopum fieri omnino prohibemus, ne in servorum Dei recessibus, popularibus occasio præbeatur ulla conventibus, ac simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit! in scandalum trahat. Frequentior quoque muliebris introitus, nisi forte, secundum dictum Nicolai papæ, ab abbate monasterii vel fratribus, necessitatis causa vel dilectionis gratia, vocatus advenerit, ne importunitate sui ministrorumque suorum inquietudine, fratres vel abbas sustineant ullam molestiam, et sic ei cuncta læsionis funditus ablata potestate, nullatenus aliquando in vestro versetur gravamine.

Unde, apostolicæ sedis censura, sub divina contestatione judicii, anathematis impositione statuentes, interdicimus ut nullus unquam episcoporum, seu cujuslibet ordinis clericorum, vel quilibet publicarum actionum administrator, seu alia quælibet, aut quantumlibet magna parvaque persona, audeat vel præsumat contra hoc nostrum privilegium agere,

Digitized by Google

aut inde quidquam alienare, auferre, aut minuere vel transgredi; sed potius firmum ac stabile in perpetuum, sicut a nobis concessum et confirmatum est, permaneat; liceatque abbati vel fratribus monasterii ipsius apostolicam sedem appellare contra quorumlibet hominum injuriam, si per episcopum Tarvannensem aut archiepiscopum Remensem satisfacere prædicto monasterio ejusdemque rectoribus contempserint. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu, contra hoc nostrum apostolicæ sedis statutum in quoquam temerare, vel confringere præsumpserit, et contradictor illius exstiterit in aliquo, auctoritate sanctæ et individuæ Trinitatis et apostolorum principis Petri, cujus, licet indigni dignatione, tamen vicibus fungimur, vinculo anathematis mancipatus, a regno Dei segregatus, diabolo et angelis ejus, nisi resipiscens satisfaciat, indissolubiliter aggregetur. Qui vero pio respectu observaverit, ac defensor hujus confirmationis et concessionis exstiterit, potestate beati Petri, apostolorum principis ac sanctorum confessoris Audomari atque Bertini, cœlestis regni introitum et gratiam atque gloriam, a justo judice Domino, Deo nostro, vitamque æternam percipere mereatur, in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manus Gregorii notarii anno Dominicæ nativitatis millesimo quinquagesimo septimo.

Ego Humbertus, dictus episcopus sanctæ ecclesiæ Silvæ Candidæ, interfui et propria manu subscripsi.

Ego Benedictus, sanctæ Bellitrensis ecclesiæ dictus episcopus, cognovi, et propria manu subscripsi.

Ego Bonifacius, sanctæ Albanensis ecclesiæ dictus episcopus, cognovi, et propria manu subscripsi.

Ego Petrus, archidiaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cognovi et propria manu subscripsi.

Ego Hildebrandus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ archidiacanus, cognovi, et propria manu subscripsi.

Ego Fredericus, diaconus subscripsi.

Datum tertio Idus Maii, per manus Aribonis, diaconi, anno tertio pontificatus domini papæ Victoris, mense Maio, indictione decima, die tertio decimo.

XVIII.

Victoris II bulla pro monasterio Casinensi.

(Anno 1055-57.)

[Mabill., *Annal. ord. S. Bened.*, IV, 744.]

Victor episcopus, servus servorum Dei, Friderico dilecto filio abbati venerabilis cœnobii almi Patris Benedicti, quod nuncupatur Mons-Casinus, cunctisque successoribus ejus illic canonice ad regimen promovendis in perpetuum.

Pastoralis sollicitudinis nostræ bonum si debet prospicere et proficere omnibus etiam extraneis et longinquis, multo magis domesticis et propinquis. Ipsis quippe secundo gradu post Deum admovenda est visibilis charitas, ut per eos velut quædam visibilis flamma gradatim ad remotiores quosque discurrat. Piis ergo locis et divina religione venerabilibus debitæ consolationis et defensionis porrecturi manus, illum cæteris præferendum non ambigimus, quem monasticæ normæ constat esse principale gymnasium, et sanctæ Romanæ et apostolicæ sedi contiguum, quem cives Romani, patres videlicet eximii Benedictus, Maurus et Placidus cum nonnullis aliis fundarunt, quemque a gentibus destructum Romani pontifices nihilominus sua auctoritate restruxerunt, et privilegiis apostolicæ sedis merito cæteris cœnobiis prætulerunt, atque contra quorumlibet suspectas injurias efficaciter munierunt: quorum nos sacræ auctoritati sicut tempore et loco succedimus, sic eorum exemplo, ut oportet, innitimur, et per hujus nostræ decretalis paginæ tenorem tibi, dilectissime fili et abba Friderice, electionem ad regimen cœnobii prædicti saniori consilio omnium fratrum in præsentia responsalis nostri a Petro monacho aliquorum pravorum conspiratione electo in te translatam collaudantes confirmamus. Unde et secundum privilegia eorumdem antecessorum nostrorum, atque consuetudinem tibi, quem abbatem sacravimus, monasterium almi Patris Benedicti situm Monte Casini-castri, cunctamque ipsius monasterii abbatiam, integre cum cellis suis, castellis, prædiis, et omnia sua pertinentia concedimus, et nostra auctoritate decernimus tam in finibus Beneventanorum, Apulorum et Calabrorum, quam etiam in finibus Marsorum et in Marchiis, sive ubicunque longe et prope hactenus jure tibi pertinet, aliquid sive quidquid deinceps ubivis juste acquisierit. Ad hæc justitiam, vel quodlibet debitum, quod officiales nostri sacri palatii exigunt a navibus ad Romanum portum applicantibus, vestri cœnobii navi peculiari gratanter relaxamus; et quotiescunque Romam ad servitium sanctæ Romanæ Ecclesiæ veneritis, in sancta Hierusalem palatii Susurriani hospitium habeatis; et defuncto abbate, ibidem vestra vel vestrorum successorum electione abbas constituatur a Romano pontifice consecrandus. Conservato vobis vestrisque successoribus privilegio, tam quod ex navi vestra, quam quod ex ipsa destructa ecclesia, ut vel sic restrueretur, proximus decessor noster sanctus Leo firmavit abbati Richerio. Usum quoque sandaliorum et dalmaticæ, quamvis jure cardinalatus tui ab apostolica sede perceperis, a nobis tamen tibi, et loco deinceps et principalibus tantum festis concedimus ad honorificentiam tam venerabilis cœnobii, et ob dilectionem tui, secundum quod præfatus decessor noster tuo præfato concessit. Præterea corroboramus tibi tuisque successoribus in omni conventu episcoporum et principum superiorem omnibus abbatibus sedem, et in conciliis et judiciis priorem sui ordinis hominibus sententiam pro reverentia tanti loci, qui primum et summum monasticæ legislatorem vivum et mortuum retinere promeruit, quique ipsius legislationem scripto, verbo et exemplo cœnobiale propositum appetentibus in toto mundo sole clarius evibravit. Defuncto autem abbate,

Digitized by Google

ex sese ipsa congregatio secundum sanius consilium sapientum et seniorum fratrum sibi abbatem eligat, et apostolicæ sedis pontifici firmandum et consecrandum exhibeat : nec aliter ibi abbas constituatur aut aliunde illuc intromittatur, nisi forte ex se aliquem tanto regimini idoneum non habuerint, et ob id saniori consilio extraneum sibi elegerint. Porro præter summum apostolicæ sedis præsulem, cujuslibet Ecclesiæ episcopum, vel sacerdotem, in præfato monasterio, vel in cellis ipsius, ditionem quamlibet sibi præsumere hac nostra interdicimus auctoritate, ita ut, nisi ab abbate fuerit invitatus, nec missarum solemnia inibi audeat celebrare; sed remota et propulsata qualibet oppressione ecclesiasticarum, vel sæcularium personarum, sicut hactenus mansit, a præsenti decima indictione, hoc nostro privilegio in perpetuum quietum, et liberum ad servitium, et gloriam Dei maneat sub defensione et jure sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis, cum suis omnibus, ex quibus summatim et generaliter omnibus hæc nominatim, et specialiter tantum istic digessimus : Cella Albaneta, Ciconia; cella sancti Gregorii in Aquino, S. Nazarii, S. Benedicti in Clia, S. Benedicti in Insula, S. Silvestri, S. Urbani, S. Pauli, S. Angeli in Valle Lucis, S. Michaelis, sanctæ Mariæ in terris Albis, sanctæ Luciæ apud Fractas, S. Angeli in Camucio, S. Stephani in Terracina, S. Scholasticæ in Caieta, Sanctæ Mariæ in Berula, S. Nicolai in Pica, S. Mauricii in Limata, S. Petri in Esculeto, S. Benedicti in Sessa, S. Benedicti in Teano cum suis cellis, S. Benedicti in Capua, cum cellis, et terris circum circa; simul et in Apulia, S. Benedicti in Martia, S. Liberatoris in Teti cum cellis suis sexaginta, et terris cultis, et incultis, et omnibus suis; sanctæ Scholasticæ in Pinna, sanctæ Mariæ in Murena, S. Martini in Salinis, S. Nicolai in Esculo, cella sanctæ Justæ, S. Benedicti in Trunto, S. Benedicti in Trinio, sanctæ Mariæ ad Casales-planos, S. Eustatii, quam dedit Alferius Pantasiæ, S. Benedicti in Alarino, S. Benedicti in Pectinari; item sanctæ Mariæ ad Casales-planos, S. Trinitatis in Termulis, S. Benedicti in Asculo, S. Focatis in Alesino, cum faucibus et piscaria; S. Eustasii in Arcu, S. Angeli in Barreio cum cellis et castellis, et terris multis; sanctæ Mariæ in Barretano, S. Georgii in Luca prope Posterulam Virivualam, quam sancto Benedicto contulerunt Heinricus, et Rolandus fratres sanctæ conversationis habitum quærentes, ex qua etiam pro novitate facti privilegium tuo rogatu fecimus; Sancti Valentini in Comino, S. Salvatoris inibi, S. Benedicti in Venafro; ibidem sanctæ Mariæ, item S. Nazarii, cortem S. Felicis, S. Benedicti in Cesamo, S. Bartholomæi in Miniano. Castella autem hæc; inprimis ad pedem montis S. Salvatoris, quod est S. Germani, S. Petri, Pignatari, Plumbarola, S. Stephani, S. Georgii, S. Apollinaris, Vallis-frigida, S. Andreæ, Bantra Comitalis, Bantra Monacisca, Junctura, S. Angeli, Turudum, S. Victoris, S. Petri in Clia, Cervara, Vallis-Rotunda, S. Eliæ, Saraciniscum, Conca, Capriata, Francilone, S. Joannis, S. Benedicti minoris. S. Joannis in Capua. Quorum aliqua olim fuere monasteria, sed a Sarracenis destructa, postmodum ad tuitionem patriæ necessario facta castella : insuper Lastinianum et alia tria castella, Mons Albrici, Muccla, S. Quirici cum portu decem navium, quæ duo Transmundus comes filius Actonis beato Benedicto in Monte Casino legali donatione, et chartarum munimentis contulit; tertium autem Castellum Frisa, quod præfati Transmundi uxor pro anima sua simili, ut sua maritus, modo contradidit, quod etiam post mortem uxoris præfatus comes non timuit invadere, sed Laterani in cappella sancti Laurentii, præsente Humberto Silvæ candidæ episcopo, te quoque filio nostro Friderico nondum ad regimen electo, admonitus a nobis in ipsa confessione reatuum suorum Dominica quarta post Pascha sponte refutavit. Igitur his, et omnibus quæ præfato cœnobio juste pertinent nunc, et quæ in futuro juste pertinebunt, sub tutela et Romana libertate hoc privilegio perpetualiter ad temporalem servorum Dei, præsentium scilicet atque futurorum quietem, statutis atque confirmatis apostolica censura, sub interpositione districti anathematis et divini contestatione judicii interminamus omnibus tam præsentibus quam futuris, ne ullus hominum cujuscunque ordinis, dignitatis, conditionis vel cujuscunque officii, seu quælibet, vel quantumlibet magna aut parva persona, quibuscunque rebus vel personis præfato monasterio juste pertinentibus, aliquam violentiam inferat aut calumniosus existat, vel incumbat. Si quis vero, quod non optamus, hujus nostri privilegii decretalem paginam temerario ausu in aliquo infringere tentaverit, æternæ maledictionis vinculis innodatum se noverit, et perpetua supplicia luiturum cum diabolo et angelis ejus, nisi forte prius resipiscens satisfeterit; at qui pietatis intuitu devotus observator exstiterit, ipsius interventu almi Patris Benedicti, perfectorumque sequacium, sociorumque ejus sempiternæ benedictionis particeps, et paradisi beatus possessor efficiatur. Amen.

† Humbertus dictus cardinalis episcopus sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ cognitum relegi, et subscripsit.

† Heldibrandus cardinalis subdiaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ dando consensit, et subscripsit.

XIX

Privilegium Victoris II, Winimanno archiepiscopo Ebredunensi concessum (4).

(Anno 1057.)

[Mansi XIX, 858.]

Victor episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri et episcopo Winimanno, et per eum sanctæ commemorat, sed vix quidquam aliud tangit præter nomen et indicium conjuncti episcopatus Marsorum,

(4) Sub Victore papa II Romanum quoddam concilium ex litteris Stephani papæ IX erutum Labbeus

Ebredunensi Ecclesiæ et successoribus ipsius canonice promovendis in perpetuum.

Sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis apicem ideo super gentes et super regna in principe apostolorum suorum, Petro, constituit universitatis Dominus, ut evellat, et destruat, et plantet, et ædificet (*Jer.* I, 10) in nomine ipsius. Siquidem donec sancta ejus Ecclesia, in toto terrarum orbe diffusa, temporalitatis mutabilitati subjacebit, variis et continuis defectuum et profectuum suorum vicissitudinibus, velut luna suis menstruis, alternabitur, ut sine intermissione deprehendatur in ea quod industrius hortulanus debeat evellere, vel plantare, et quod sapiens architectus (*I Cor.* III, 10) destruere vel ædificare. Undo nos, nullo nostro merito, sed solo divinitatis nutu in sanctæ et universalis Ecclesiæ specula præcellentes, et varios ejus successus prospectantes, inter alia ipsius discrimina animadvertimus, Ebredunensem Ecclesiam, primo quidem incursione, et pervasione Sarracenorum, secundo autem receptione et possessione transfugarum et indisciplinatorum; deinde longa oppressione pastorum suorum imo mercenariorum, et, quod pejus est, Simoniaca hæresi, et mutua occisione debacchantium prostratam miserabiliter et corruptam, quondam religione et opibus mirabiliter evectam, et integram, cujus omnimodæ desolationi et defectioni præcordialiter compatientes, te, charissime confrater et coepiscope Winimanne, præfatæ Ecclesiæ archiepiscopum et rectorem pro vitæ merito et sapientiæ doctrina ordinavimus et consecravimus secundum electionem cleri et populi, ad petitionem quoque religiosorum principum et ad suggestionem venerabilium primatuum circumjacentium provinciarum. Quorum unanimis sententia exstitit, ut si Ebredunensi Ecclesiæ recuperatio aliqua quæreretur, ab illa matre, scilicet Ecclesia Romana, quæ prius illo B. Marcellinum prædicatorem et pontificem direxerat, prædicator et pontifex reposceretur.

Itaque, secundum quod tua devotio postulavit, sibi privilegium nostræ apostolicæ auctoritatis ad corroborationem sui archiepiscopatus, in rudi et indisciplinatà ecclesia, vix nomen ipsum nudum pene retinente et parietinas suas jam demonstrante, in-

A clinati precibus tuis præsentis anni decima indictione hac nostra decretali pagina concedimus et confirmamus tibi Ebredunensem diœcesim in integro, et ad archiepiscopalem sedem basilicam Dominæ nostræ, Dei genitricis, semperque virginis Mariæ principalem, cum omni sua antiqua et justa pertinentia, in baptismalibus ecclesiis, capellis, monasteriis, cœmeteriis, possessionibus, villis, castellis, pascuis, agris, vineis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, piscariis, domibus, mancipiis, colonis, peculiis, et cum omnibus omnino rebus, mobilibus, et immobilibus, vel se moventibus, sibi juste pertinentibus, tam eas quas modo quiete et legaliter possidet, quam illas quas deinceps collatione fidelium, seu redditione vel emptione, aut qualibet ratione acB quirere poterit. Confirmamus quoque tibi omnium ecclesiarum totius tuæ diœcesis decimas, primitias, oblationes, tam vivorum quam defunctorum, judicia clericorum, et cuncta ecclesiastica officia, ut ex dispositione tua secundum canonicam sanctionem pendeant. Pariter quoque suffraganeorum tuorum consecrationem, debitam subjectionem, et reverentiam seu obedientiam, nec non ad concilium agendum convocationem et auctoritatem, secundum omne jus quod metropolitanis suis suffraganei canonice debent, salva in omnibus sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis, ut dignum est, auctoritate. Præterea hujusmodi nostri privilegii tenore concedimus et confirmamus tibi usum sacri pallii secundum antiC quam consuetudinem prædecessorum tuorum, qua consueverunt eò uti in subscriptis solemnitatibus juxta privilegia nostrorum antecessorum illis indulta antiquitus, scilicet in die sancto Paschæ, in die ascensionis Domini, in die sancto Pentecostes, in NativitateDomini nostri Jesu Christi, in Epiphania Domini, in Cœna Domini, in Assumptione beatæ Mariæ semper virginis, in Natalitiis omnium apostolorum, in festo Omnium Sanctorum, in festivitate S. Marcellini præfatæ civitatis Ebredunensis archiepiscopi, in Dedicatione principalis basilicæ B. Mariæ semper virginis, in consecratione episcoporum, in ordinatione presbyterorum et diaconorum, Sabbatis jejuniorum et quatuor temporum, et in consecrationibus novarum et principalium basilicarum.

quam prædecessores sui olim sciderant in duo. Nescio an mihi faustioribus avibus occurrerit bulla Victoris II, qua Winimanno archiepiscopo Ebredunensi, quem in sua provincia electum Victor pontifex consecravit, jura omnia episcopatus sui expedita bulla confirmavit. Porro bullam hanc datam judico in Romano hoc concilio anni 1057. Cujus rei indicio mihi sunt nomina plurium Italorum episcoporum, quæ pontificis illius litteris subjuncta ex chartario Ebredunensi proferunt Gallicæ Christianæ auctores novissime tom. III, pag. 178, append. Annus documento huic subjectus cum ascripta indictione concilio congruunt. Mensis discrepat; nam hic est Julius mensis; concilium vero Aprili mense convenit. Facile tamen oppositio conciliatur; nam documentum illud Galliæ Christianæ pontificiæ bullæ eadem scripturæ serie jungit decretum cleri Ebredunensis, quo episcopum suum jam consecratum a

D Victore papa, et impetratam ab eo pontificiam bullam agnoscit et excipit. Huic decreto, non vero bullæ convenit data illa temporis *Nonas Julii*, *anno tertio pontificatus domini papæ Victoris II*, *indictione* x. Tum succedunt nomina Italorum episcoporum *qui interfuerunt, et corroboraverunt* hæc scripta, nempe bullam; neque enim verosimile est Italos hosce episcopos decretum illud Ebredunensium, quo Winimannum consecratum jam a pontifice excipiunt, auctoritate sua confirmasse. Ita ergo rem totam concipio. Electus a clero Ebredunensi Winimannus Romam petiit, ibique a pontifice consecratus concilio interfuit, atque in eo bullam impetravit a pontifice, quam concilii Patres subscriptione sua roborarunt; statimque ad suos restitutus litteras illas cum cæteris consecrationis suæ documentis clero exhibuit, a quo novo decreto hæc omnia admissa sunt.

Digitized by Google

Quin etiam ad supplementum beneficentiæ apostolicæ atque archiepiscopo insigne, crucis Dominicæ vexillum, ubicunque jus in parochia tua, et in parochiis suffraganeorum tuorum, concedimus et sancimus, apostolicæ auctoritatis privilegio, bajulari ante te. Porro pallio sacro ita te uti volumus ut diligenter atque vigilanter perpendas quod tuæ fraternitati immineat agendum; usus illius scilicet inter alia, ut carnem tuam crucifigendo cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* v, 24), stigmata Jesu Christi cum Paulo apostolo in corpore tuo portes (*Gal.* vi, 17), et semper mortificationem illius in pectore et scapulis circumferas (*II Cor.* iv, 10); non ad aliquod ostentationis tuæ et singularis excellentiæ indicium, sed ad demonstrandum causa commemorationis et imitationis ovibus tibi commissis Salvatoris nostri venerabile signum, qui ineffabili pietate ovem centesimam in humeris suis reportavit. Demum igitur omnibus suprascriptis, apostolicæ sedis auctoritate, per hoc nostrum privilegium tuæ dilectioni concessis, et confirmatis, eadem apostolica auctoritate interdicimus ne temere obviet, aut contradicat aliquis. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit huic nostro decreto in aliquo contraire vel refragari, sive sit ecclesiasticus, clericus aut laicus, servus, aut liber, magna vel parva persona, sciat se anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo ejusque atrocissimis ministris, atque cum Juda traditore, nisi forte prius resipuerit, æternæ gehennæ suppliciis deputandum. At vero quisquis pio intuitu observator in omnibus exstiterit hujus nostri apostolici constituti, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ possessor efficiatur. Amen.

Civitas Ebredunensium metropolis.
Civitas Dignensium.
Civitas Solingensium [*al.*, Solinensium].
Civitas Rigomagensium.
Civitas Samasiensium *vel* Sanicicium.
Civitas Glannatina.
Civitas Semelenentium, id est Nicentium.
Civitas Veciencium [*al.*, Vensiontium].
Civitas Antipolis, id est Grassensis.

Antiqua auctoritate sanctorum prædecessorum nostrorum, clerus et populus Ebredunensis eligimus, laudamus et corroboramus Winimannum archiepiscopum in sede archiepiscopali Ebredunensi, præcipiente summo pontifice et universali papa Victore, confirmante Willelmo, Bertrando et Gaufredo, seu Pontio Diensi comite, ita ut præsideat et regat omnes ecclesias supradictæ civitatis, sicut scriptum est in privilegio, quod dominus papa Victor illius consecrator auctoritate Romana sibi contulit, cum decimis, et primitiis, sicut expedit archiepiscopo tenere et disponere. Si quis autem hoc decretum infregerit, nisi ad satisfactionem venerit, sciat se damnatum et anathematizatum. Fiat, fiat. Amen. Datum... Nonas Julii per manus Araboli diaconi, anno tertio pontificatus domini papæ Victoris secundi, indictione decima. Fridericus cardinalis Sancti Chrysogoni. Ludovicus Nucerinus episcopus. Ermannus Joannes Senensis episcopus. Gregorius Guido Egebinensis episcopus; cum quibus Pistoriensis episcopus, omnes hi interfuerunt et Humbertus dictus cardinalis episcopus sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ. Arnoldus Aretinus episcopus. Giraldus Florentinus episcopus. Castellensis episcopus. Litgrinus Popiliensis episcopus. Vercellensis episcopus. Cimibertus Taurinensis episcopus. Velitrensis episcopus, Fesulanus episcopus, Pisanus episcopus, corroboraverunt hæc supra scripta. Deo gratias. Amen.

XX.

Epistola S. Petri Damiani S. F. R. cardinalis ad Victorem II papam.

(Vide in B. Petro Damiano, ad an. 1702, Opp. tom. I, epist. 5.)

CIRCA ANNUM DOMINI MLVII.

BERENGARIUS

VICECOMES NARBONENSIS.

QUERIMONIA BERENGARII

Adversus Guifredum archiepiscopum Narbonensem, proposita in concilio apud Tolosam habito sub Raimbaldo Arelatensi, et Pontio Aquensi, archiepiscopis, Victoris secundi papæ legatis, anno Christi 1056 (1).

(Apud Mansi Concil. tom. XIX, col. 850, ex Baluz., Conc. Narbon.)

Sanctæ huic conglomerationi vicariorum Dei, legatis scilicet summi pontificis Romani, vicem obtinentis beati Petri apostolorum principis, ejusque vice fungentibus, archiepiscopis videlicet et epi-

(1) De tempore quo querimonia isthæc proposita est, video non unam esse omnium sententiam; nam aliqui putant actum id esse anno 1056. et quidem in concilio apud Narbonem habito, decepti, opinor, auctoritate quorumdam actorum illius anni, quorum mentio exstat apud Catellum in pag. 582 et 781, ea-

Digitized by Google

scopis, nec non et abbatibus hanc in synodum sanctam sistentibus, ex catholica fide tractantibus, hæc querimonia non modica ideo præsentat ut et legatur et audiatur, dijudicetur, atque definiatur. Sed, ut plenius dijudicetur, ad originem inchoetur :

Ego Berengarius, Narbonæ urbis proconsul, querimoniam hanc vobis omnibus facio palam, quam de metropolitano meo fratre vestro habeo magnam. Archiepiscopatus quippe Narbonæ fuit cujusdam avunculi mei, Ermengaudi archiepiscopi, cujus in diebus idem episcopatus unus erat ex melioribus qui sunt de Roma usque Hispaniæ finibus, villis atque castellis ditatus, prædiis et alodiis locupletatus; cujus ecclesia plena erat codicibus, aureis adornata tabulis et scriniis et crucibus, aureis fulgebat coronis pretiosisque lapidibus. Canonicorum ibidem multorum voces certis horis audiebantur, orationes dabantur, et omnium bonorum operum incrementis ibidem agebantur. Castra autem ipsius ecclesiæ et villas, prædia, et possessiones non a laicis fruebantur, sed a famulantibus in ea Deo possidebantur. Ecclesiam vero illam olim pius rex Carolus fabricaverat, atque in honore sanctorum Justi et Pastoris consecrare fecerat, et eam inclyte castellis, et villis terrisque locarat, et vineis, sicut et a veteranorum traditur dictis, et ut legitur in regalibus ejusdem Ecclesiæ præceptis. Defuncto autem præfato divæ memoriæ archiepiscopo, Guifredus Cerdaniensium comes, Narbonam adiens, cujus consanguineam ego jam possidebam uxorem, exquisivit utrosque parentes meos et me ipsum de præfato archiepiscopatu ad opus filii sui suprascripti nostri antistitis, qui non erat adhuc nisi decem annorum, et spopondit pro eo magnum dare donum inter comitem Rutenis et patrem meum centum millia solidorum. Sed pater meus et mater mea non ei acquiescebant. Ego autem, amore tantæ consanguinitatis ductus et simulationis amicitiæ deceptus, segregavi me pro hac re a consortio genitorum meorum ; et, nisi mihi acquievissent, arbitratus fui interficere illos. Cernens enim pater meus me motum, meque contra se ita fore molestum, acquievit meæ voluntati et petitionibus præmemorati Gaufredi, atque inter se et comitem Rutenis acceptis centum millia solidis, pretium pro episcopatu dedimus cum prænotato filio suo antistiti nostro; qui jurejurando, Deumque testando, dixit nobis suum dictum firmum et fidem firmam, quia si ille foret antistes noster, ut fuit et est, ullum nostrum neque de nostris non esse damnum, neque damnum ipsius episcopatu. Sedente autem illo in cathedra, et ætate atque honore crescente dum lisus eram ut ipse esset mihi auriga, et arma et clypeus contra cunctorum hostium tela, et memoraret consanguinitatem meæ uxoris, et tanti locum honoris, in quo adjutus sum ponere illum, et ut mihi erat testatus, juvaret mihi honorem tenere atque habere, tunc surgens, quasi diabolus, superbe atque repente exacerbavit me, et provocavit ad iracundiam et ædificavit super me castra, venitque cum ingenti exercitu super me, et fecit mihi guerram crudelem, et fuere interempti pro ea ex utraque parte fere millia homines. Tunc vero castra, et villas, prædia et possessiones, quæ erant in dominium præfatæ ecclesiæ, fiscos et possessiones canonicorum, et quæque ex communi erant, abstulit Deo et famulantibus ei, deditque diabolo ac militantibus illi. Et ita alia omnia ad laicalem vertit censuram, ut etiam omnes qui ea possident quasi per alodia habent paterna.

Inter hæc autem Eriballum Urgellitensem præsulem contigit mori. Et præfatus archiepiscopus acquisivit illum episcopatum ad opus fratris sui Guilielmi (2), et spopondit dare pro eo centum millia solidos. Quod mihi satis libuerat, si meum damnum non esset. Firmato autem tanto munere pro ipso episcopatu, archiepiscopus præmemoratus, hostis Dei et hominis, ad sedem suam rediens atque Ecclesiam suam adiens, thesauros quosque, qui a conditione in eam congregati erant, subtraxit. Tabulas vero, et postabulas, et cruces et scrinia reliquiarum aurea et argentea excoriavit. Patenas insuper calicum aureas vel argenteas, ubi sancta

rumdem memoriarum, quæ vero docent graves tum controversias fuisse inter archiepiscopum et vicecomitem. Sed ego ut aliter sentiam faciunt multa. Nam ista querimonia prolata fuit coram legatis summi pontificis, præsente Raimbaldo, Arelatensi archiepiscopo, et qui idem vivente papa Victore, ut ego quidem arbitror. Scimus autem legatos ejusdem Victoris, Raimbaldum Arelatensem, et Pontium Aquensem, archiepiscopos, synodum in Tolosana urbe celebravisse anno 1056, cui interfuit Guifredus, Narbonensis archiepiscopus. Deinde, hæc querimonia habita est in synodo cui Lodovensis et Helenensis antistites affuerunt. At Rostagnum Lodovensem episcopum, et Arnaldum Helenensem, interfuisse concilio Tolosano anni 1056 constat ex Actis concilii. Denique, si post mortem Victoris ista Acta sunt, cur Berengarius solum Victoris anathema commemorat adversus Guifredum, quem ex Gregorii VII testimonio constat a multis Romanis pontificibus excommunicatum fuisse? Haud dubie valuisset istud ad augendam invidiam, præsidiaque magna in causam Berengarii inducere poterat. Sed videlicet Guifredus a nullo hactenus Romano pontifice excommunicatus fuerat quam a Victore. Baluz.

(2) *Fratris sui Guilielmi.* Contigit istud circa annum Christi millesimum quadragesimum primum. Nam Heribaldus episcopus Urgellensis viverat adhuc anno 1049, XV Kal. Octobris, ut patet ex Chartulario ecclesiæ Urgellensis. Guilielmus autem episcopus Urgellensis, Heribaldi successor, interfuit concilio Narbonensi anno 1045, XVI Kal. Aprilis. Forsassis ergo id actum anno 1042, vel initio anni 1043, cum statim dicat Berengarius Guifredum archiepiscopum congregasse concilium non modicum apud Narbonem haud multo post quam Guilielmum locaverat in cathedra Urgellensi, et huic concilio interfuisse Raimbaldum Arelatensem archiepiscopum. Raimbaldum porro interfuisse concilio Narbonensi, de quo mox dicebamus, docent Acta illius concilii quæ exstant in archivo monasterii Cuxanensis. Nisi si istud concilium interpretemur illud quod in eadem urbe Narbonensi habitum est a Guifredo, Kalendis Augusti ejusdem anni, cui etiam interfuit Raimbaldus, ut fidem faciunt veteres schedæ hactenus inedite.

Digitized by Google

sacrificia sumebantur, in manibus aurificum Judæorum misit ad destruendum, et Hispaniam venundari pro ipso episcopatu. Codices autem, qui ibi erant variis generibus, non meliores reliquit. Sed ita male suam ecclesiam dissipavit ut etiam et clerici desunt, et qui inibi sunt inopes et mendici, et nullus pulcher in ea apparet. Non chlamydes, neque capas polemitas, non cyclades, non dalmaticas, non cureballi, non lignum Dominicum. Omnia hæc quæ a conditione ibi plura congregata erant, sed dissipavit ea, deditque pro episcopatu fratris sui. Insuper, quod pejus est et inhonestum, commendavit se manibus ad comitissam Urgelli. Pro qua re non solum mihi, sed etiam cunctis nostræ patriæ nobilibus, in magnum ruit odium. Quo peracto, aggregavit concilium non modicum juxta præfata urbe Narbona multorum sui diœcesi episcoporum, inter quos fuit hic Raimbaldus Arelatensis archiepiscopus, et in eorum atque nostrorum omnium præsentiam reliquit cunctas armas militarias et omnem sæculi militiam, atque excommunicando misit sub anathema tam semetipsum quam omnes sui diœcesis episcopos, qui ab illa die deinceps armis erant sumpturi. Qui non multo post, acceptis armis ut miles, non corrigia succinctus lumbis, sed ferro, et debellavit mecum. Et quot mortui, quot vulnerati, quot detruncati, quantæque adustæ ecclesiæ et exarsæ reliquiæ, si per singula enarrare voluero, fortasse et vobis foret fastidium, et facilius dies quam copia deserit.

Deinde venerunt episcopi in meam terram, et mecum una cum eodem archiepiscopo firmaverunt treguam Dei inviolabilem tenere in omnem meam terram, atque ex eadem corruptores teterrimam justitiam facere. Unde idem archiepiscopus et ego hanc fecimus convenientiam, ut de cunctis quæ emendata fuissent per ipsius treguæ fractionem, una medietas fuisset præfatæ ecclesiæ, alia, mea, pro exercenda justitia. Ego autem consensi ipsam meam medietatem condirectioni ipsius ecclesiæ. Sed ille non in ejus condirectionem, sed in destructionem misit, quia et ab ecclesia eam abstulit, et militibus per solidatas tribuit potius quam decem millia solidos. Qua data Deo et fortiter firmata, qui primi eam fregerunt in nostra patria, sui milites, ex suo exientes castello, occiderunt unum militem meum in treguam Dei, et retinui homicidas illos, et nullam quivi ab eo impetrare justitiam. Deinde Petrus Raimundi Biterrensium comes in treguam Dei violavit ecclesiam Sanctæ Mariæ, cœnobium loci electi, ubi mirificum habetur lignum Dominicum, et extraxit ab inde duos milites inclinatos atque innoxios, et unum ex eis, qui erat consanguineus meus, pependit in ligno, et occisit morte crudeli, quasi cleptem. Unde idem archiepiscopus talis suffragator exstitit ut etiam sacrilegos et homicidas illos in sua se mittentes potestate patrocinavit, suffragatorque eorum exstitit et in eo ullam non valui invenire justitiam.

Præterea sacramenta quæ mihi super sancta altaria manibus juratus est multa, unquam non mihi tenuit, sed omnia fregit. Ad ultimum vero bonum opus operatus est, satis Deo et universæ plebi Narbonensis placibile. Unde mala hæc omnia oblivisceramus, si nobis in bonum venisset. Corpora namque sanctorum Justi et Pastoris, quæ prænemoratus rex Carolus ab Hispania deferens, atque in via carens, in præfata in eorum honore ædificata ecclesia collocare optaverat, quæ nobis nostrisque patribus multum erant optata, ab idem archiepiscopo explorata et capta, ad suam usque cum honore asportavit ecclesiam, atque honorifice collocavit. Unde non solum a me, sed etiam a suis civibus laudatus atque dilectus erat. Qui non multo post, litigante eo cum suo archidiacono, voluit trahere prædictorum corpora sanctorum ab ecclesia eorum. Et ego rogavi eum ne hoc fecisset, et volui ei dare obsides per decem millia solidos, ut, si ullus homo vel femina ullam vim ei faceret de ipsorum corporibus sanctorum, aut de ullo munere eis oblato vel præsentato, ego de illo vel illis hoc facientibus adjutor essem prædicto pontifici per fidem non fictam. Idem vero archilevita voluit eis satisfacere in judicio episcopi Arelato. Qui renuit; sed substracta ab eadem sede tantorum corpora sanctorum duxit et inhoneste collocavit in quamdam villanam ecclesiam. Ibi suam cathedram fabricavit, ibi ordinem suum fecit, ibi suas synodos tenuit, ibi codices et cruces et lignum Dominicum asportavit, ibi clericos primæ sedis, quos meliores invenit, constituit, et ita eligens membrum, caput reliquit quasi tugurium. Insuper cuncti nostræ patriæ nobiles, et plebs cuncta, qui soliti sunt occurrere ad civitatem et ad sedem suam, et pœnitentes sua munera ad suam sedem dare atque præsentare solentibus, multosque adjutorios ad operam suæ ecclesiæ facientibus, abstulit, et munera illa suis militibus per solidatas tribuit, et suam ecclesiam desertam et sine capite dereliquit.

Interim vero idem archiepiscopus habuit mecum placitum, et constrinxit me ei ad suum libitum satisfacere, et dixit mihi suum dictum et fidem, quam meliorem ei requirere potui, ut et ad sedem suam rediret et corpora sancta in ea restitueret. Qui mentitus est mihi, sed, ut mihi fuit testatus, facere noluit, et est mihi mentitus suum dictum et suam fidem. Deinde conjux mea videns eum rogavit restituere corpora sancta, et idem ipse ad Ecclesiam suam redire, directumque nostrum supra modum accipere, neque audire voluit; sed testatus est ei Altitonantem ducere ipsa sancta corpora in aliena patria, et usque in æternum nobis non esse recuperanda. Quæ audiens, metuens ne subito, sicut juratus est, hoc faceret me absente et ignorante, fuit ad præfatam villæ ecclesiam, non adhuc consecratam, et traxit exinde corpora sancta, restituitque et condidit honorifice in sedem suam. Deinde conjux mea, prostrata coram eo, suum postulavit accipere directum;

Digitized by Google

qui renuit. Ego autem confestim ut hoc novi, vidi præfatum archiepiscopum, voluique ei affirmare directum et de me et de conjuge mea et de omnibus meis in judicio sui diœcesi episcoporum et episcopi Arelato per decem millia solidos; qui renuit. Deinde in judicio legati apostolici et hujus sanctæ synodi; et hunc sprevit. Ad ultimum vero exclamavi sanctum Petrum et judicium domni apostolici ut irem coram eo, et in ejus manu ei affirmarem directum. Hunc multo parvipendit; sed excommunicavit inclementer atque injuste me et meam uxorem, meosque infantes, et omnem nostram terram, tam crudeliter, ita ut nullus ibi baptizetur (3), nec communicetur, nec sepeliatur. Nos autem, nisi timor Dei esset, parvi penderemus suam excommunicationem, quem tot malis novimus scleratum, et a papa Victore cum CXX episcopis anathematizatum (4), et Simoniacum, qui omnes ordines suos vendidit, qui omnes episcopos, taceam de alienis, sed omnes quos in mea terra ordinavit, usque ad novissimum quadrantem redimere fecit. Quod si non creditis, Lutevensem requirite episcopum et Helenensem et hi hoc vobis testificentur, qui ab eo sunt ordinati. Neque ecclesias meæ terræ consecrare voluit, donec datum earum tenuit. Nuper autem duos meos milites venientes ex vigilia sanctæ Salvatoris Anianæ, die Epiphaniæ, eo jubente atque suffragante, sunt capti et tenti, et eos qui illos ceperunt patrocinat, et dat eis solidatas. Ideo ego Berengarius præfatus hanc vobis et Domino Deo facio querimoniam, et postulo justitiam; quam nisi impetravero, suæ excommunicationi parvi pendero, et in meam terram treguam nullam tenebo, neque judicium apostolici amplius acclamabo.

Quod ego Berengarius ita superius queror ad legatos summi pontificis superius, et ad cunctos episcopos et abbates, quoniam ad synodum Arelati conabam ostendere. Sed quoniam nihil profuit, ad domnum apostolicum ideo libens mittere curavi. Quem rogo, per Deum et sanctum Petrum, ut ab hac excommunicatione me absolvat, meoque præsuli de me satisfaciat, quoniam usque Romam ego libentius satisfacere ire non ambigo; ille, nisi ligatus, unquam sponte non ibit.

(3) *Nullus ibi baptizetur.* Durum illud ac valde inhumanum, et prorsus contrarium regulis ecclesiasticis, quæ tempore interdicti servant locum humanitati, concedentes baptisma parvulorum, pœnitentias morientium, viaticum in exitu mortis, sepulturam clericorum, pauperum, peregrinorum, et infantium a bimatu et infra, benedictiones nuptiales, purificationes mulierum, prout in variis regionibus regulæ variant. In universum tamen affirmare licet, tempore interdicti permissum fuisse baptisma parvulorum, pœnitentiam morientium. Vide cap., *Inquisitioni tuæ*, De sentent. excommun. Baluz.

(4) *Anathematizatum.* Nimirum in concilio Florentino, quod a papa Victore II habitum fuerat anno superiore. Cui concilio interfuisse CXX episcopos docet hic locus. Ad eam porro Guifredi Narbonensis excommunicationem respexisse videtur Gregorius VII, dum hæc in concilio Romano sanciebat anno 1078: *Renovamus etiam excommunicationem a prædecessoribus nostris factam super Guifredum archiepiscopum Narbonensem, et absque ulla recuperationis spe ab episcopali officio eum submovemus.* Ib.

ANNO DOMINI MLVII.

THEUZO

ÆREMITA ET MONACHUS S. MARIÆ DE FLORENTIA.

NOTITIA HISTORICA

(*Annales Camaldulenses*, tom. II, pag. 163)

Distinguendus est Theuzo eremita et monachus Sanctæ Mariæ de Florentia ab alio celebri et beato Theuzone, sancti Joannis Gualberti discipulo, qui eodem tempore vivebat; de quo consulendi auctores Vallumbrosani. Alius pariter videtur a *Theuzone monacho et indigno sacerdote*, qui se subscribit post Petrum, hujus nominis secundum, abbatem Sanctæ Mariæ Florentiæ, in charta restaurationis cujusdam hospitalis apud Puccinellium (*Chron. abbat. Florent.*, p. 254); nam Theuzo eremita verisimiliter non fuit sacerdos; *sacramenta* enim, teste Damiano, *divina per totius anni circulum nonnisi semel, et tum non a sui monasterii sacerdotibus, sed aliunde quæsitis* percipiebat. Alius demum est a Theuzone monacho, cujus interventu Prataliense monasterium sub sua protectione recepere anno 1002 Otto II, et anno 1020 Henricus, imperatores. Putatur Theuzo eremita auctor Commentarii in Regulam sancti Patris Benedicti, quem dicavit episcopo Odelrico. Brixianus hujus nominis antistes vivebat anno 1027, et decessit anno 1048. Alter Odelricus Firmanus episcopus subscripsit concilio Romano anno 1059, cui etiam epistolam dedit circa annum 1061 Damianus. Potuit tamen ipsius Commentarii auctor esse alter esse Theuzo monachus pariter Florentinæ abbatiæ, vel aliquis alius ejusdem nominis monachus; imo pignus daremus Theuzonem hujusce Commentarii scriptorem requirendum esse inter Mediola-

Digitized by Google

nenses monachos. Integrum opus percurrimus, nullibique se auctor prodit aliquo indicio, nisi capite 14, ubi inquirens *quomodo peragendæ sint vigiliæ in natalitiis sanctorum*, exemplum offert Ecclesiæ Mediolanensis, *ubi corpora servantur et coluntur sancti Ambrosii et sanctorum Gervasii et Protasii.* Et capite 61 loquens de monachis peregrinis, ac exemplum adducens formatarum epistolarum, quas scribere debent abbates episcopis, hæc verba habet : *Venerabili Christicolarum vita decorato, plus cœlo quam terræ vicino, domno* ill. *præsuli venerando* ill. *Mediolanensis monasterii abbas perpetuæ felicitatis obpudia atque angelicorum synaxis consortia.* Præter exemplar chartarum hujus Commentarii Theuzonis, quod asservari in abbatia Florentina sub num. 58 asserit Mabillonius, quodque sæculo XVI fuit conscriptum, nitidissimum alterum exemplar membranaceum, sæculo XIV vel XV exaratum, servant monachi nostri Sancti Mathiæ de Muriano, ex quo etiam epistolam ipsius nuncupatoriam ad Odelricum, quæ præfixa est Commentario seu potius collectioni ex dictis præcedentium Patrum, damus.

PROLOGUS

EXPOSITIONIS REGULÆ S. P. N. BENEDICTI ABBATIS

Scriptus a THEUZONE *monacho.*

(*Annal. Camald.*, tom. II, Append. p. 156, ex codice sæculi XIII monasterii S. Mathiæ de Muriano Venetiarum.)

INCIPIT EXPOSITIO REGULÆ BEATI BENEDICTI ABBATIS.

Veræ dilectionis prærogativa circumfluo domno ODELRICO venerabili episcopo, Theuzo peccator perpetuæ felicitatis obsonia, ac perpetuæ indeficentia fidelitatis emolumenta.

Quamquam, mi venerande Pater, beati Patris Benedicti Regulæ dicta in plerisque videantur aperta esse et dilucida, tamen in quibusdam minus studiosis, et, ut ita dicam, imitari et scire nolentibus, non facile sunt patentia, secundum quod illorum demonstrant opera. Qui si vel leviter accedendi postularent introitum, confestim sibi quoad interiora penetrare possent, ostium invenirent apertum. Clavis enim ejusdem ostii continue ibidem dependens, non se subduceret a manu libenter operire volentis. Quo si quis semel intrasse fuerit dignus, ulterius de caducis atque terrenis incommodis non existeret ingratus; sed quia, ut ait beatus Gregorius, degustare nolumus dulcedinem intus nobis paratam, amamus foris miseri famem nostram : propterea ego ex dictis præcedentium Patrum hoc strictum breviterque perstrinxi opusculum, non penitus a me editum, sed ex alienis laboribus carptum, ne forte sibi quis velit excusationis asciscere malum, nudum Regulæ non posset carpere textum. Denique eumdem textum, particulatim per congrua loca divisum, ordinans, virgulas, quo facilius quidquid ex eo quæritur inveniri possit, prænotavi. Hanc igitur collectionem vestræ paternitati examinandam offerre curavi, ut, si forte ad æmulorum manus delata fuerit, non ibi quidquam quod canina dente corrodant, sed potius ad eos ab infelice pertinacia removeat, reperire queant. Valete.

ANNO DOMINI MLVIII.

ODO

MONACHUS FOSSATENSIS

NOTITIA HISTORICA.

(FABRIC. *Bibliotheca mediæ et infimæ Latinitatis*, tom. IV, pag. 158.)

Odo, monachus *Fossatensis*, scripsit anno 1058 Vitam *domni Burchardi* comitis Melodunensis, qui apud Hugonem Capetum et Robertum ejus filium gratiosus, diem obiit A. 1012. Exstat in Brolii sive Jacobi du Breul, Benedictini supplemento Antiquitatum Parisiensium, Paris. 1614, 4, et in Andreæ du Chesne, t. IV Scriptorum de rebus Francorum, p. 115, et Gallice, Sebastiano Roulliardo interprete

Digitized by Google

in ejus Historia Civitatis Melodunensis. Paris. 1628, 4. * Sub hujus scriptoris nomine legimus indicata apud Montfaucon Bibliothecarum pag. 1278, *Vitam S. Mauri* metro et prosa scriptam, quam in nescio qua (neque enim indicat) Gallica Bibliotheca exstare dicit. Scriptores Historiæ litterariæ Gall. tom. VII, pag. 491, censent Vitam illam S. Mauri prosa scriptam aliam non esse ab ea quæ jam olim ante Odonem prodierat, forte tamen ab hoc ipso Odone recensitam. Alteram vero metro scriptam facile huic ipsi Odoni tribui posse censent. Monent insuper ex Mabillonio in Actis SS. Benedictinorum tom. II, pag. 596, calamo ejusdem Odonis deberi Responsoria in honorem S. Barolini, primi abbatis Fossatensis, quæ olim in officio festi ejusdem sancti apud cœnobitas illos canebantur.

VITA DOMINI BURCHARDI

VENERABILIS COMITIS,

Qui sub regibus Hugone Capeto et ejus filio Roberto floruit,

AUCTORE ODONE MONACHO FOSSATENSI.

(Apud Duchesn., *Script. Rer. Franc.*, tom. IV, pag. 115, ex editione Jacobi Brolii, monachi S. Germani de Pratis, in Supplement. Antiq. Paris.)

INCIPIT PROLOGUS.

Religiosorum gesta virorum, vita Deo fideliter placentium, memoriæ tradere posterorum dignum fore autumamus atque justissimum. Pertranseuntibus enim generis humani ætatibus, oblivioni traduntur quæ geruntur a fidelibus, nisi forte contigerit aliquibus membranis inserere quæ ab ipsis, dum vivunt, peraguntur honestissime. Commonitus itaque Patrum priorum exemplis, qui de multis sui temporis gestis plurima nobis reliquere, maxime beati Gregorii Romanæ urbis apostolici, qui de plurimis sanctorum gestis tam in Dialogo suo quam in Homeliis disserit, studui aliqua fratribus Fossatensis Ecclesiæ perscribere, qualiter venerabilis comes Burchardus, ejusque filius, præsul scilicet Ragenaldus, sancto Spiritu commonente, eumdem locum honoribus ac possessionibus sublimaverunt, atque postmodum, appropinquante fine, religionis habitu. Nam, licet multa eorum bene gesta hac nostra ætate oblivione sint deleta, pauca tamen, quæ adhuc perspici possunt et quæ ab antenatis comperi, ob eorum perpetuum memoriale rememorandum, stylo percurrere aggressus sum. At quoniam, secundum Domini dictum, abundante iniquitate et refrigescente charitate, omnes qui pie volunt viver persecutionem patiuntur, jam dicto loco ad summam miseriæ calamitatem decidente, antequam penitus ad ima corruat, cogor nativum relinquere solum, quo pueriliter, ut Christo placitum fuit, educatus sum. Pressuris siquidem plurimis stimulatus, infestationum jaculis colaphizatus atque fugatus, exteras cupio adire nationes, ignorans, sicut dicit Apostolus de se, quid mihi futurum sit. Nec, hoc agendo, extra Domini præceptum facere pertimesco, qui suos fideles, ut vitare valerent rabiem persequentium, de civitate in civitatem fugere jubet. Ipsius tamen posco sanctæ misericordiæ largitatem, ut ab hostium tam visibilium quam invisibilium incursu ereptum jugiter dignetur protegere, quem pretioso sui sancti sanguinis redemit cruore. Antequam ergo itineris seu mutationis assumam laborem, hoc scriptum jam dictæ Fossatensi Ecclesiæ studui relinquere, ut fratres, devotionis atque sanctæ dilectionis amorem circa me exhibentes, dum docti ab indocto perceperint verba hujus lectionis, sint memores Odonis peccatoris, quatenus eorum sanctis precibus merear post mortem carnis consequi bravium æternæ felicitatis. Amen.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT VITA.

Inclytus Burchardus, nobili stirpe progenitus, sacro baptismate est ingeneratus, atque nobiliter in religione catholica militari tirocinio edoctus. Nam pueritiæ tempora dum transigeret, curiæ regali, more Francorum procerum, a parentibus traditus est. Qui, Christianitatis operibus pollens, totius prudentiæ atque honestatis assumpsit commoda. In aula enim gloriosi Hugonis Francorum regis cunctis tam cœlestibus quam militaribus imouebatur institutis. Dum vero adolescentiæ atque juventutis appulit ad nos, Domini providente gratia, qui fidelem militem sibi eum providebat futurum, magno dilectionis amore a rege amplectitur, in tantum ut cunctos coætaneos transcendere videretur. Amabatur enim

Digitized by Google

a cunctis, honorque maximus ei ab omnibus Francorum proceribus impendebatur. Honoratur quoque ab inclyto rege, auroque et argento, castris quoque ac possessionibus multis ditatur, ipsiusque consiliarius fidelissimus efficitur. Contigit itaque iisdem temporibus, Dei disponente judicio, ut comes Corboili castri, nomine Haymo, ad limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli orationis gratia Romam pergeret, ibidemque in eodem itinere finem hujus vitæ acciperet. Quo defuncto, admonetur strenuæ juventutis tiro Burchardus tam a rege quam cæteris Francorum primoribus, ut prædicti comitis uxorem sibi conjugio copularet. Ille vero, quem jam juventutis seu naturæ humanæ necessitas talia facere cogebat, præceptis regalibus libenter paruit. Datur ergo dono regali ei uxor jam dicti comitis Haimonis, Elisabeth vocitata, nobili progenie et ipsa exorta; conjunguntur que toro nuptiali, ut, secundum Domini imperium, prole dulcissima postmodum lætarentur. In quo copulæ thalamo dedit Hugo rex sibi fideli militi Castrum Milidunum, atque jam dictum Corboilum, comitatumque Parisiacæ urbis; taliterque comes regalis efficitur. Susceptoque honore temporali, gubernabat sibi commissam familiam secundum Domini voluntatem. Erat enim fidelis defensor ecclesiarum quæ sub imperio regni Francorum habebantur, largitor eleemosynarum, consolator miserorum, sublevator piissimus monachorum, clericorum, viduarum, atque virginum in cœnobiis Deo militantium.

Cum igitur his et aliis multis Domino placere studeret virtutibus, utpote vir sæculari militiæ deditus, atque in cunctis mundi negotiis implicitus, ejus mens Regi regum fideliter devota mundo minime celari potuit. Non enim dignum erat ut lucerna sub modio posita diutius lateret in tenebris, sed super candelabrum poneretur, ut lumen lucernæ clare ardentis omnibus in limine sanctæ Ecclesiæ introeuntibus patesceret. Tempore ergo jam dicti Francorum regis Hugonis, ecclesia Fossatensis cœnobii, quæ olim ab antiquis regibus nobiliter fuerat sublimata, præ cæteris erat confusa, atque omni humanæ necessitudinis auxilio destituta. Hoc autem acciderat partim justitiæ penuria, partim quoque rectorum negligentia. Iisdem namque diebus Magenardus vir nobilis, secundum hujus caduci sæculi honorem nobiliter natus, eamdem gubernabat ecclesiam. Qui non juxta patris Benedicti imperium agens, sæculo valde deditus, animarum ac corporum commoda postponebat. Delectabatur enim canum atque bestiarum venationibus aviumque volatibus. Dumque alicubi voluntas pergendi adesset, depositis monachalibus indumentis, pretiosarum pellium tegmentis exornabatur, calamaneumque [*al.*, calamantum] optimum pro capitio humili capiti imponebatur. Subjecti etiam quique pro posse et ipsi eadem sectabantur. Ne ergo cuiquam erga habitatores ipsius loci molestum videatur, hic mos a cunctis monachis istius regni agebatur. Dum itaque hæc et multa alia agerentur, quidam cœnobita, Adicus nomine, grave tulit, et secum cogitatione tacita, quomodo hoc a sanctuario Dei prohiberi posset, sedule meditabatur. Omnibus ergo inscientibus, abbate quoque ignorante, religiosum adiit comitem, cunctam sui cordis ei pandens voluntatem, ac omnibus eum exorans precibus, ut locum ipsum memor suæ animæ in pristinum statum restituere dignaretur. At memoratus comes, talia mente pertractans, promittit se ejus precibus assensum præbiturum. Accedens itaque ad regis præsentiam, humili mente ac voce cœpit dicere : « Licet, rex Francorum gloriose, tua regalis Majestas præ cæteris aulæ tuæ effecerit me castris ac multis honoribus terrenis ditiorem, unum tamen adhuc requiro tuæ benignitati, quod ne prohibeas, super cunctis precatibus me deposcere agnoscas. » Ad quem rex : « Quid, inquit, illud est, charissime, quod tibi in regno nostro possit negari? » Cui verendus comes : « Non valde multumque larga, sed parva videtur res esse quam requiro. Oro namque ut ecclesiam Fossatensis cœnobii, quæ regali subdita est dominio, vesterque fiscus fore videtur, mihi servitutis vestræ obsequiis parenti tua præcelsa majestas concedere dignetur. » Cui rex ait : « Cum omnibus constet prædecessorum nostrorum temporibus regalem semper fuisse abbatiam, quomodo valet fieri ut a nostra regali potestate separetur? Si enim hoc a nobis factum fuerit, forte post tui corporis obitum, hæredum sive successorum tuorum nequitiis subvertetur, atque tunc culpabimur, detrimentumque animæ patiemur, cum nullus justitiæ fuerit locus, fratribusque in eo degentibus infinitum acciderit detrimentum. » Ad hæc comes responsum reddidit : « Dum minime nunc impetrare valeo ut mihi perpetuali concedatur dono, saltem hoc tribuatur ut, emendationis ac restaurationis gratia, causa quoque salutis nostrarum animarum, hoc petitionis donum suscipere merear. Valde quippe delector tam pretiosum locum ad emendandum suscipere, vestroque suffultus auxilio, honoribus ac possessionibus plurimis, si vita Deo propitio comes fuerit, sublimare atque in pristinum statum erigere. Salutem quoque meæ animæ, atque scelerum et peccatorum meorum diminutionem eleemosynarum largitione per ipsum locum, Deo annuente, spero consequi. Et post hujus caduci sæculi decursum, fragilia mei corporis membra volo ibidem tumulari. » Cernens itaque rex ex Dei voluntate esse quod a tanto poscebatur viro, causa emendationis ac benefaciendi, sicut pollicebatur, ejus providentiæ commisit ut sublevator fidelis atque defensor ipsius ecclesiæ adversus hostes malignos terrarumque invasores existeret. Quod alacri cordis gaudio suscipiens, gratiarum Deo laudes regique mortali reddidit.

Illis igitur diebus fama venerabilis Maioli abbatis Cluniacensis laudabilis per omnem Galliam habebatur. Accepta itaque comes regis licentia, ad eumdem sanctum virum perrexit. Cumque ab eo reverenter, ut dignum erat, susceptus fuisset humo prostratus, tam admirabilem humilitatis exhibitio-

Digitized by Google

nem adventusque ejus ad eum causam a tam longinqua patria inquirere studuit. Cui comes : « Laborem tanti itineris assumens, non causa levitatis ad te venisse credendum est. Supplex namque requiro ut petitionis meæ verba suscipias, ne pœnitens inveniar, tam longo itinere fatigatus, tam longinquam adisse patriam. Locum siquidem Fossatensis ecclesiæ nuper a domno Hugone Francorum rege emendationis gratia suscepi, quem deposco vestro emendari ac sublimari præsidio, quatenus S. Benedicti institutio ibidem religiose servetur. Non enim alicujus auxilium requirere studui, nisi tuum, quem Deo placere comperi. » Cui pater Maiolus admirans, respondit : « Cum multa monasteria in vestro habeantur regno, cur ab illis non accipitis quod a nobis requiritis ? Valde enim laboriosum nobis est exteras atque incognitas adire regiones, nostraque relinquere, et vestra appetere. A vestris ergo hoc potius vicinis expetendum est quam a nobis longinquis et ignotis. » Hoc comes audiens, valde tristis atque mœstus redditur, timens tantum iter in vanum assumpsisse. Iterum ergo atque iterum ad pedes sancti viri prosternitur, poscens ut affectus desiderii ejus susciperetur. Sanctus itaque Maiolus multis venerandi comitis devictus precibus, acceptisque perfectioribus sui cœnobii fratribus, cum eodem comite ad Parisiacum usque pervenit, cumque ad portum villulæ super fluvium Matronæ monasterio Fossatensi proximæ pervenissent, jubet comes abbatem cunctamque congregationem sibi ultra flumen occurrere. Illi autem, ignari futurorum, alacriter jussis comitis obediunt. Cumque cuncti adunati fuissent, præcepit ut qui cum abbate Maiolo manere in cœnobio voluissent, ejusque jussis in omnibus obedire, liberam haberent licentiam revertendi. Qui vero nollent, abirent quo vellent. Illi autem tristes admodum effecti, utpote omni humano destituti auxilio, magis elegerunt vias cordis proprii appetere quam cum abbate vel monachis sibi ignotis ad ecclesiam redire. Nemini enim licuit ex his quæ habebant secum quidquam deferre, exceptis indumentis quibus induti erant. Abbas autem Magenardus, qui, ut diximus, nobilis progenie erat, ex sanguinitate enim Ansoaldi divitis Parisiacæ civitatis existebat, in cœnobio sancti Mauri, quod Glannafolium dicebatur, transmissus est, ut ibidem pastor fratrum illic degentium existeret. Qui quandiu vixit, in eodem loco conversatus est, Quo defuncto, ante vultum crucifixi Domini in ecclesia corpus ejus sepultum est.

Sanctus igitur Maiolus, sæpefatum locum cum suis suscipiens monachis, districtionem regularis ordinis districte observare cœpit, ut omnino nihil prætermitteretur ex his quæ sancti Benedicti præcipit regula. Cumque regulariter intus et exterius cuncta ibidem agerentur ac sollicite omnia, ut possibile erat, emendata fuissent, accedens ad Hugonem Francorum regem, exoratus est ut victus alimoniam servorum Dei sub eo conversantium multiplicando adaugere dignaretur. Cujus preces rex benigne suscipiens, adhortante eum comite Burchardo, contulit ecclesiæ Fossatensi villam quæ dicitur Mansiones, cum ecclesiis, et cum cunctis sibi adjacentiis, sitam in Parisiaco inter Sequanam et Matronam, sicut ipse eam regali jure habere videbatur. Facto itaque testamento monogrammate firmatur, et in eo sigillum regalis majestatis a Ragenaldo cancellario filio comitis, postea Parisiorum præsule, imponitur anno incarnati Verbi 988, sub die XII Kalend. Juliarum, perpetuoque in eodem monasterio conservatur. Ob hoc etiam dies obitus ipsius regis IX Kal. Novembris usque hodie in ipso monasterio solemniter celebratur. His igitur ita peractis, sanctus Pater Maiolus ad propria regredi accelerabat. Committens ergo locum cuidam religioso viro, nomine Teutoni, quem de Cluniaco secum cum cæteris adduxerat, ipse unde venerat reversus est.

Post multum vero temporis, dum sanctus vir Maiolus in Galliam reverti differret, defuncto jam inclyto rege Hugone, cum piæ memoriæ Robertus rex filius ejus regnum suscepisset, consilio et hortatu comitis eidem Teutoni donum abbatiæ isdem rex dedit, eumque abbatem ordinare præcepit. Quod cum ad aures Cluniacensium pervenisset, valde tristes effecti sunt, quia cupiebant sibi ipsum locum ad cellam redigere. Ordinatus autem prædictus vir ad honorem regiminis, magno studio conabatur onus susceptum æquo disponere moderamine, ac ecclesiam sibi commissam summo sublimare honore. Parietes enim ipsius aulæ, qui ab antiquis fuerant constructi, nimia vetustate erant consumpti. Quod idem Pater cernens, eamque meliorando restaurare cupiens, omne ædificium illius solotenus evertit, atque aliam majoris amplitudinis et excellentiori dignitate conspicuam, Deo sibi auxiliante, construxit. Deinde duo signa pretiosa, nomen suum uni imponens, ad honorem Domini facere præcepit. Hæc itaque et multa alia ipse Deo dignus abbas bona in eodem loco operatus est opera. Venerabilis autem comes de salute suæ animæ valde sollicitus, sancto eum Spiritu adhortante, contulit dilectæ sibi ecclesiæ, sanctæque matri Domini Mariæ, et apostolis ejus Petro et Paulo, necnon venerabili Mauro confessori res possessionis suæ, quæ pretiosæ sibi esse videbantur. Helizabet quoque comitissa sociali conjugio illi juncta, cum Ragenaldo suo filio jam præsule urbis Parisii effecto, talis facti assensores, et desiderii sui participes exstiterunt. Accedens ergo ad regis præsentiam, exoratus est ut regali more hoc et ipse annueret, testamentumque suæ auctoritatis juberet fieri ac suo signo muniri, quatenus per futura tempora eisdem rebus prædictum fruerctur monasterium, et ejus memoriale in orationum precatibus semper haberetur. Hortante itaque regis clementiam ejus genitrice Adelaide, et ejus conjuge regina Bertha, quæ a tanto poscebantur viro libentissime annuit. Dedit itaque sæpedictus comes Burchardus ecclesiæ Fossatensi has possessiones de rebus suæ proprietatis, villam videlicet, quæ Nobi-

Digitized by Google

liacus dicitur, in episcopatu Parisiacensi super flumen Matronæ sitam, cum advocatione et vicaria, cum ecclesia et altari, et cum omnibus quæ ad ipsam aspiciunt. Item in eodem pago, in comitatu Corboliensis castri, in villa quæ vocatur Licias, mansum Algardis cum omnibus ad illum pertinentibus. In Vastinensi quoque pago, in comitatu Nantonensi, atque in episcopatu Senonensis urbis, prædium juris sui, quod nuncupatur Seia, cum advocatione et vicaria, atque ecclesia, et cum cunctis quæ ad ipsum aspiciunt. In comitatu etiam Milidunensi alodum, qui vocatur Curciacus, cum advocatione et vicaria, et cum omnibus ad eum pertinentibus. Hanc ergo suæ sanctæ devotionis voluntatem plurimi Francorum videntes et audientes, erga eumdem locum et ipsi ex propriis rebus multa conferebant. Inter quos vicecomes Milidunensis Castri, nomine Joscelinus, exoratus est Deo devotum comitem, ut ei ecclesiam, quæ sita est in vico qui Nosiacus siccus dicitur, quam de ejus beneficio possidebat, Deo et sanctis ejus concedere dignaretur. Comes vero, gaudio repletus, et hoc ipsum libenti animo concessit. Ipse quoque vicecomes, cingulum militiæ pro Christo deponens, in eodem cœnobio monachus postmodum est effectus, atque digne finem suæ complens vitæ, ibidem obiit sub die XIV Kalend. Aprilium. Super his ergo omnibus inclytus rex Robertus auctoritatis suæ testamentum fieri jussit, traditionemque abbati Teutoni, seu reliquis monachis, fecit, et præfatæ ecclesiæ munificentiæ suæ præcepto confirmavit; per quod præcepit jubens ut, usque in finem sæculi, cœnobitæ illius loci hæc omnia tenerent atque pleniter possiderent, nullusque rex, nullus episcopus, nullus comes, aut ulla mortalis potestas illas res disponere aut in sua potestate quidquam horum decernere aut delegare præsumeret; sed perpetua soliditate in ipsorum jure consisterent, disponendi atque faciendi ad utilitatem loci quidquid elegissent. Ut vero ipsius præceptionis atque roborationis edictum per cuncta ævi tempora inviolabilem obtineret firmitatis vigorem, more regali manu propria confirmavit, et annuli sui impressione insigniri jussit. Quod Rogerius cancellarius devote peregit, qui postea, Deo concedente, ad honorem pontificatus in urbe Belvacensi sublimatus est. Acta sunt autem hæc in civitate Parisius, anno incarnati Verbi 998, anno vero Roberti regis X, sub die XIII Kal. Maiarum.

Fuit etiam ipsis diebus miles quidam egregius, potentiis et divitiis sæculi valde sublimis, venerandoque comiti fidelis, nomine Ermenfredus, fideliter Deo complacere desiderans. Hic itaque, pavore æterni supplicii perterritus et exemplis jam dicti viri religiose animatus, retulit ei multum locum sibi commissum diligere, ac de propriis possessionibus se velle in eo largiri. Deprecatus est itaque eum, quatenus villam, quam de ejus beneficio tenebat, quæ Licias (*Lices*) appellatur, ecclesiæ Fossatensi daret, ita ut etiam prædium suæ possessionis, quod Jurcum (*Jury*) dicitur, spontanea voluntate simul tribueret. Ille vero, qui optabat ut cuncti milites Francorum similia peragerent, liberam dedit illi facultatem dandi quidquid ejus animo placitum fuisset. Veniens itaque ad sibi dilectum præ cæteris locum, cum sua conjuge, quæ Ermensendis dicebatur, innotuit religioso abbati Teutoni ac cæteris fratribus sui cordis secretum. Qui, gratias Deo agentes, in suis orationibus prædictos conjuges suscipiunt, sicque familiares Dei servorum effecti sunt, atque locum suæ tumulationis post resolutionem corporum acceperunt. Dederunt ergo ibidem prædium, superius nominatum Jureum, super flumen Sequanæ situm, distantem a castro Corboilo milliario et dimidio, ecclesiam quoque et vicariam, et advocationem, cum omnibus ad eum pertinentibus. Simili etiam modo donationem fecerunt de villa jam dicta, quæ vocatur Licias, in prædicto pago sita, distante a castro milliario et dimidio; quam de beneficio Burchardi comitis et filii ejus honore pontificali præcluentis Rainaldi tenebant. Quorum consensu et voluntate hoc donum fecerunt pro æternæ vitæ remuneratione, et pro animarum suarum, sive Gelonis, cui successores existebant, atque parentum eorum, absolutione, cum advocatione et vicariorum potestate, et cum cunctis quæ ad ipsam aspiciunt. Donum ergo harum rerum super altare Sanctæ Mariæ Sanctique Petri apostoli posuerunt tenore tali ut annuatim recognitionem ex ipsis haberent denominatam, ambobus vero ab hac luce migrantibus, perpetuo habendas possiderent. Post hæc etiam regis adeuntes præsentiam, deprecati sunt ut hæc dona præcepti sui auctoritate roboraret et annuli sui impressione munire dignaretur. Ipse quoque suæ matris Adelaidis, uxorisque Berthæ suggestionibus, uti precatus fuerat, peregit. Conscripto itaque testamento, ac monogrammate regis manu facto, Franco tunc cancellarius, postea vero episcopus Parisii factus, imaginem regis imposuit. Factum est autem hoc in prædicta urbe anno incarnationis Christi 1000, indictione XII, anno vero regni inclyti regis Roberti XII feliciter.

His ita narratis, ad nostrum Burchardum reflectatur stylus. Huic ergo venerando comiti, instigante humani generis inimico, infestus atque inimicus existebat valde Odo comes, ejusque bonis invidebat actibus, quia illum in aula regis sibi præponi, atque honorari, et diligi a cunctis conspiciebat. Qua de re seductione quadam atque traditione Castrum Miliduni ei furatus est. Quod cum didicisset, auxiliante sibi rege, coadunato Francorum exercitu, multis millibus militum circumvallavit. Cernens itaque Odo non se posse ibidem quietum manere, nec idem castrum proprio retinere dominio, clam cum suis abiens fugit. Burchardus vero introgressus proprium recepit castrum. Galterius vero, cujus traditione hoc tantum nefas perpetratum est, in monte, qui eidem præeminet, cum sua conjuge laqueo suspensus est. Alio quoque tempore, inimico pacis lucisque adversario adhortante, hi duo comites in eodem

Digitized by Google

pago Milidunensi denominato sibi loco bellum inter se condixerunt. Cumque ibidem advenissent, pugnaque ab utrisque partibus acerrime præpararetur, prædictus miles Ermenfredus, solius tunc regis dominio subditus, suis manibus ac ejus potestati humiliter se submisit. Non enim mos erat, nec est Francis, in bello aliquo modo introire absque præsentia aut jussu proprii senioris. Humiliato ergo Burchardo valde in conspectu Dei, quatenus contra hostem superbum, cervicem corporis et cordis rigide erigentem, victoria sibi daretur, in campum villulæ, cui nomen Orceiacus (*Orsay*) est, simul pugnaturi conveniunt. Illis itaque in acie decertantibus, Dei judicio exercitus Odonis intra semetipsum dimicans, magna cæde prosternitur. Burchardus vero, in Domino fiducialiter confidens, super hostes irruit, multisque millibus interfectis, victoria illi de cœlo tribuitur. Videns quoque Odo multum suum exercitum minui, valdeque occisum per campi planitiem jacere, nec illa die penitus posse victorem existere, pavore valido tremefactus valdeque effectus confusus, timebat minime inde evadere, sed latenter auxilium fugæ citissime petiit. Sic itaque Deo fidelis comes, victor existens, laudans cum suis Dominum, ad propria cum gaudio revertitur.

Religiosus denique abbas Teuto, jejuniis, et orationibus, vigiliarumque pernoctationibus assidue intentus, Deo semper placere fideliter desiderabat. cum ergo in loco sibi commisso arduam, ut cupiebat, vitam, ob pastoralis custodiæ curam, minime servare posset, Remensis urbis pagum ad habitandum sibi elegit. Habetur siquidem illuc quædam possessiuncula, quam gloriosus rex Carolus Calvus ecclesiæ Fossatensi, abbatique Godofredo, refugii causa propter Normannorum persecutionem, dedit, in qua etiam corpus sancti Mauri multis annis reverenter traditur conservatum. Illuc ergo jam dictus abbas, arduam pro Christo peragens vitam, multo tempore conversatus est. Quo pergens, ibidemque permanere desiderans, baculum curæ pastoralis per sui servitii ministrum, nomine Valterum, quem ipse in Domini timore nutriverat, fratribus transmisit, mandans ut sibi secundum Christi voluntatem dignum pastorem eligerent. Hoc ergo cœnobitæ audientes, valde mirati atque tristes effecti, comiti præcipuo ac ejus filio Parisiorum præsuli Rainaldo protinus studuerunt innotescere. Illi autem hæc omnia regis auribus innotuerunt. Venerabilis autem pater Teuto, in jam dicta villa multis diebus commoratus, in jejuniis et orationibus, atque in cunctis bonorum operum exhibitionibus, inquantum homini mortali possibile fuit, Deo sibi opem ferente, solitariam peregit vitam. Postmodum vero cupiens locum sibi commissum, fratresque quos reliquerat revisere, usque ad Novigentum (*Nogent-sur-Marne*) prope monasterium pervenit. Ibidem ergo figens gressum, mandat fratribus se adesse, atque ad eos se velle venire. Quod multi audientes, hanc ejus desiderii devotionem prohibuerunt, dicentes suo loco jam abbatem suscepisse, nec debere eum recipi, quia animarum curam penitus reliquerat. Cum autem ipsi Dei servo hoc nuntiatum fuisset, valde mœstus efficitur, ignorans quid agere aut quo se vertere deberet. Tandem meditatus in corde suo, confortante illum Domino, qui sperantes in se non deserit, salubre consilium reperit. Nam repente ad Cluniacum sui cœnobii locum rediit. Ibique duos abbates, qui post ipsum in sibi commisso loco ordinati sunt, supervixit, atque in sancta conversatione, ut cœperat, permansit. Nemo enim illorum diu vivere potuit, quia, Domini disponente judicio, potestatem regiminis nonnisi quinque annis tenuerunt. Completo igitur termino, qui præteriri non potest, ibidem feliciter obiit sub die Iduum Septembrium. Ad cujus sepulcrum, ut referre audivimus, multi infirmi postea sanitatem receperunt.

His ergo ita narratis, ad ea quæ omissa sunt reflectatur stylus. Audito itaque rex quod taliter pater Teuto locum fratresque reliquisset, tractare soll cite cum venerabilibus viris, Burchardo scilicet atque Rainaldo præsule, cœpit, quomodo ex Domini voluntate ipsum locum ordinare possent. Qui solerti industria commoniti, filium Haimonis comitis, fratrem ipsius episcopi, nomine Theobaldum, qui jam cœnobio Cormaricensi præerat, ad se venire præcipiunt. Cui rex donum abbatiæ dedit, eumque patrem monachorum fore constituit, quia et ipse ex Cluniacensibus erat, atque sancti patris Maioli institutione edoctus fuerat. Nobilitate autem hujus mundi sublimis comes non solum in loco de quo sermo agitur, verum etiam per multa monasteria regni Francorum multa bona contulit, inter quæ cœnobium Sancti Petri Milidunensis, quod Siguinus archipræsul Senonensis ædificare cœperat, propriis muneribus ditare studuit. Erant autem et in aliis pagis plurima ei castra, ex quibus Vendocinum (*Vendôme*), Lavarzinum (*Lavardin*), et Montemaureum (*Montoir*) proprio retinebat dominio, exceptis aliis, quorum nomina mihi ignota existunt, et quæ multi milites beneficii et fidelitatis gratia ab ipso possidebant. Statuit denique decretum ut quicunque fidelium suorum ex suis castris vellet aliquam partem terrarum ecclesiæ Fossatensi tribuere, liberam haberet licentiam dandi, absque jussione suorum successorum, quidquid animo libuisset. Quod a quibusdam servatum, postea multa nobis largiti sunt. Dederat autem cuidam suo præposito, nomine Badoni, ac duobus ipsius hæredibus, quoddam beneficium taliter ut, diebus suæ vitæ, censum ipsius monasterio persolverent, id est LXXII nummos; illis vero ab hac luce substractis, ipsam terram perpetuo cœnobitæ possiderent. Sed, jam dicto viro obeunte, filius ipsius, Alrannus nomine, qui primus hæres exstiterat, cujusque nomen in charta continebatur, accedens ad Odonem, qui postmodum loco præfuit, accepto pretio, super altare sanctæ Mariæ eamdem posuit chartulam, atque cuncta quæ in ea descripta erant abbati ac monachis tradidit.

Digitized by Google

Sunt autem ipsæ res non magnæ, sed admodum parvæ, sitæ in Parisiacensi pago non longe a castello Corboilo, sed in circuitu ejusdem castri. Hoc est in villa quæ vocatur Licias, villulam quæ dicitur Burgunnaria, eo quod ibi Burgundiones habitaverunt, ubi habetur silva cum terra arabili. Item prope castrum farinarium, quod vocatur Tolvia, cum dimidio aripenno terræ, ad ædificandum, si fuerit opus. In ipso quoque loco aliquantulum de terra Sancti Stephani. Cætera vero sunt, id est contra castellum sancti Exuperii, et in juniori et in veteri Corboilo, et in Ateias, et in Sosiaco, atque in Sintrio. Quæ qui cuncta nosse re cupit, in chartula, sive in testamento Roberti regis, quod anno incarnati Verbi 1028, anno vero regni sui XII, factum est, aperte reperire valebit.

Eo igitur tempore, dum Francorum regnum optima pace a Roberto glorioso rege gubernaretur et Ecclesia Dei pacis concordia repleretur, subito idem regnum maligna conturbatur adversitate. Unde accidit ut quidam hujus sæculi, ventosa nobilitate prædives, Arnulfus vocitatus, comitatus officio insignitus, contra domnum Robertum insurgeret, cuncta quæ ejus ditioni subjecta fore videbantur incendio concremaret, et ea mala quæ inferre poterat in omnibus adhiberet. Qua discordia prævalente et diaboli sævitia præeunte, cœnobium sancti Walarici adiit, incendio cuncta quæ potuit concremavit, atque ipsum corpus confessoris Christi proprio dominio subdidit. Qua de re tristitia magna repleti monachi, tanto carentes patrono, celeri gressu regem Francorum adeunt, poscentes ut eis succurrere dignaretur. Qui eis præsentiam sui exhibere non valens, domnum Burchardum exorando deprecatur, ut eis sua vice succurreret, et eis corpus sanctum, quo valeret, juvamine reddere faceret. Venerandus vero Burchardus comes illuc adveniens, de Dei gratia corde confidens, comitem Flandrensem adiit, regia profert verba, et eum exorando deprecatur, quatenus confessoris Christi membra, quæ iniqua cupiditate sustulerat, voluntate et misericordia Dei præeunte, solo restitueret proprio. Qui, ejus precibus assensum præbens, pacem fecit cum rege et Francis, et quod a tanto comite petebatur celeriter adimpletur. Cumque venisseant ad fluvium qui Summa dicitur, et inde transire vellent, repente mare cernunt inundasse, et viam sancto corpori, comitique Burchardo, et cæteris qui cum eo erant, denegare. Tunc comes, qui bajulus sancti corporis erat, cunctis audientibus et Deum tota mente ignorantibus, dixit : « Domine Jesu Christe, si misericordia voluntatis tuæ existit ut corpus hujus sancti tui proprio restituatur cœnobio, jubeas nobis hoc flumen maris clementia tuæ bonitatis dividere, et viam hujus itineris clementia tua nobis pandere non dedignetur, quatenus hæc plebs, tuo nomini serviens, ad laudem gloriæ tuæ et ad honorem hujus sancti tui corde devoto munera laudum læta cordis exsultatione persolvere valeat. » Ad hanc vocem servi Dei et precibus sancti sui exoratus Dominus, subito æquoreum mare ita divisum est ut bajuli sancti corporis, et cunctus populus laudando et benedicendo Dominum Deum, cum summa laudis devotione, illud æquoreum maris periculum, siccis vestigiis, absque ullo maris periculo, pertransiret. Ex quo facto illud Dominus reiterare dignatus est miraculum quod per Moysen famulum suum, fugientibus filiis Israel, per medium mare operari dignatus est. Illud quoque cœnobium multis prædiorum suorum possessionibus ditatum reddere cupiens, multa intrinsecus et extrinsecus ob suum perpetuum memoriale largiendo contulit. Unde etiam ibidem dies anniversarii ipsius solemniter celebratur, tanquam si præsens illic adesset corpore. Qui etiam testando profitentur, si possibile esset, ut apud illos corpus illius haberetur, quod fieri non valet, quia hoc voluntati Dei placere non confidimus; tamen illius venerandum corpus penes sancti Walarici corpus poneretur, quatenus quem honorare studuit in terra, cum ipso quoque a Christo honorificaretur in cœlo et in terra. Sed, his omissis, ad nostrum Burchardum reflectamus articulum, ac qualiter ad sacrum ordinem accesserit, et ad Christum postmodum pervenerit, auxiliante Domino, vertatur stylus, et cunctis hoc ignorantibus nostra oratione manifestaque ratione cunctis demonstretur mortalibus.

Diebus igitur prædicti abbatis, miles invictus Deo devotus comes Burchardus in infirmitatis languorem decidit. Sed quoniam omnis filius qui recipitur a Deo misericorditer, flagellatur, desiderans inveniri vigilans animæ suæ, custos pervigil existere cupiebat. Protinus enim militia sæcularis contemnitur, monachalis vita appetitur, cœleste regnum toto mentis intuitu concupiscitur. Formidans ergo mortis periculum minime posse evadere, accepto auro et argento, palliisque et multis monasterialibus ornamentis, in constructo et ædificato a se loco monachalia indumenta requirit et accipit. Fit luctus ingens ab omnibus Francorum proceribus, a monachis, a clericis, a viduis, a cunctis ordinibus utriusque sexus et ætatis, eo quod ipsorum patronus eos desereret quos affabili consilio, dulcissimo alloquio confortare solebat. Plangunt cuncti milites, lamentantur universi pauperes, quoniam consolator miserorum, sublevator afflictorum, cunctorum militum spes et refugium, ab eorum subtrahebatur aspectibus, et ipsi præsidium totius suæ salutis et consolationis amittebant. At contra cœnobitæ, Christi servi, licet de ejus incommodo tristarentur, gaudebant tamen, quoniam tam egregius miles, comitali honore præfulgens, secundum Domini præceptum, cuncta relinquebat ejusque jugum suave et onus leve mente devota suscipiebat. Deferuntur itaque inter cætera ipsius ornamenta, vasa plurima aurea et argentea, ærea et lignea, candelabra quoque pretiosa. Quæ omnia, ut dignum erat, ad sanctæ ecclesiæ, seu sancti

Digitized by Google

altaris ministeria deputantur. Inter hæc ergo duo vasa pretiosa ad limpham fundendam sive recipiendam in sacerdotis manibus, quorum unum manipulum vocamus, eo quod manu geritur, in quo etiam litteræ habentur quæ Abagari regis ad sanguinem minuendum eum fuisse testantur. In ipso quoque ipse rex cum se phlebotomante alioque sibi serviente, ex pretioso puroque auro cernitur imaginatus, tamque pretiosum ac decorum vas in hac patria minime dicitur inveniri. Textus etiam libri sancti Evangelii, optime litteris aureis conscriptus, auro et argento atque ebore inciso pulchre operatus, minime defuit. Aureus quoque ensis cum cingulo aureo, ex quo hoc magnum monasterium dicitur esse incœptum, a lumbis resolutus, ejus dono allatus fuit. Item vas pretiosum valde ex lapide, quem berillum dicimus, ex quo aqua in sancto calice fundebatur, locumque quo milites exerceri solent cristallino lapide optime operatum secum detulit. Servorum quoque et ancillarum infinitum contulit numerum. Quid plura? nemo hac mortali carne tegitur, qui cuncta ejus dona pleniter enumerare valeat. Cum ergo tam gloriosus comes innumeris in sæculo claruerit honoribus, nulli hæredum, nulli amicorum, nulli suorum fidelium tanta, exceptis castris, reliquit, quanta Deo sanctisque ejus in loco sibi præ cunctis dilecto pro salute suæ animæ contulit.

Sacro igitur schemate religiose indutus, in domo sibi juxta ecclesiam præparata plurimis diebus infirmus jacuit, postmodum suorum servorum p eces pro eo semper fundentium dominus pius placatus convalescere cœpit, atque cum cæteris abire fratribus. Cum itaque sanitati redditus Domino fideliter placere studeret, illi jugiter gratias referebat eumque humili mente benedicebat, quia suæ sanctæ misericordiæ gratiam illi etiam in hoc ordine conferebat. Servitium quoque sanctæ Ecclesiæ, quod more cœnobitarum a sæculo conversi Deo exhibere debent, ipse vir nobilissimus humili devotione peragebat. Cumque ei a fratribus diceretur : Ut quid tam nobilis vir sæculari dignitate præcelsus, senectutis jam labore fractus, se humiliando affligere dignatur? ille respondebat : « Si, inquit, cum militari honore sublimatus essem, atque, ut dicitis, militum stipatus agmine, comitatus dignitate fulgerem; mortali regi lucerna indigenti cereum manu anteferebam, quanto magis nunc immortali Imperatori debeo servire, atque ante ipsum candelabra ardentia manibus cum exhibitione humilitatis reverenter ferre? » Hoc dicens et agens, magnum de se humilitatis exemplum cunctis videntibus et audientibus proponebat. Sic itaque Deo probatus et, velut aurum pretiosum, igne examinatus, iterum languoris molestia corripitur, atque ad extrema deducitur. Sacri igitur corporis et sanguinis Christi perceptione munitus, beatum Domino spiritum reddidit sub die IV Kalendar. Martiarum. Quo defuncto, continuo adest præsul cum clericorum numero, abbas quoque cum monachorum agmine. Corpori persolvuntur obsequia funebria, sanctam Deo commendantes animam. Fit repente clamor per urbem, per castella, vicos et plateas. Concurrunt milites, divites et pauperes, senes et juvenes, viduæ et virgines, cuncti plangentes et ejulantes, repleti dolore et miseria. Impletur Fossatus luctu et gemitu omnisque doloris plenitudine, amittens patronum et advocatum, quem habere meruit defensorem et sublevatorem fidelissimum. Clamat se minime amplius talem reperturum, cujus nobilitate ditetur, cujus auxilio tam fidelissime muniatur; sed morsibus patere malignorum, invasione diripi hostium, atque cunctorum adversantium malignitate circumdari. Quod ita postmodum accidisse, cunctis hodie per orbem degentibus claret. Sepelitur igitur tam nobilis viri corporis gleba ante vultum nostri Redemptoris in domo, ubi fratres ad matutinum et serotinum conveniebant capitulum. Studuerunt autem antiqui patres ejus mausoleum talibus decorare versiculis, quo ejus perpetuum memoriale sine fine maneret inviolabile.

Hic vir magnus erat quondam dum corpore vixit,
Nomine Burchardus, per mundi climata notus.
Celsus erat meritis, dictis factisque modestus :
Pauperibus largus, viduis per cuncta benignus.
Ipsius en corpus tumulo requiescit in isto,
Martius ostendit quarto migrasse Kalendas

Illa autem tabula sepulcri ipsius ab antecessoribus nostris optime operata ac decorata fuit. super pectus ejus crux deaurata cum litteris α et ω superposita fuit : et nos quoque pueritiæ nostræ tempore oculis nostris inspeximus. Quæ cuncta postmodum, ut hodie patet, penitus destructa existunt.

Venerabilis quoque Elisabet comitissa uxor ejus eumdem locum secundum sexus sui naturam magnis muneribus ditare studuit, quæ a sæculo migrans ibidem sepulta jacet. Cujus obitus dies agitur XV Kal. Februarias. Cujus etiam polyandrum his decoratur versiculis :

Hos placuit Domino vivos conjungere binos,
Et polyandra simul jungere sic voluit.
Hoc quicunque legis, persolve carmina psalmi,
Spiritus ut valeant scandere regna poli

Hæc de multis comitis gestis sufficiat enarrasse. Sunt denique innumera bonorum ejus operum acta, quæ fastidio compellente relinquimus, quia ad alia gerenda festinat animus. Nobis ergo, fratres, solerti studio providendum est ut istius viri cæterorumque benefactorum eleemosynas, quas pro redemptione criminum suorum huic loco contulerunt, taliter ante oculos Conditoris pro ipsis deserviamus, ut non, quod avertat Deus a nobis, ad æternam confusionem proveniant. Sciendum est enim quod eleemosynis bonorum virorum præsentis vitæ cursum, Deo auxiliante, transigimus, ideoque animo recondendum quod Dominus terribiliter peccatores exprobrando per prophetam clamat dicens : *Peccata populi mei comederunt* (*Ose.* IV, 8).

Anniversaria etiam horum conjugum solemniter a servis Dei in diebus prædictis celebrari debent, ut animabus eorum proficiat quod hunc præ cæteris

Digitized by Google

locum dilexerunt, et sua corpora ibidem tumulari voluerunt, ut a Christo Domino in die judicii resuscitari mererentur. Usque hodie enim, id est usque ad præsentem annum, qui est incarnati Verbi 1058, anni vero regni regis Francorum Henrici XXVIII, hoc ipsum devote in hac peractum est ecclesia. Quod et ut in posterum fiat humiliter fatendum est. A rectoribus quoque loci sive a ministris magnopere procurandum est ut, sicut in ecclesia agi diximus, sic quoque refectio ex pretiosis dapibus et pigmentis pro ipsorum spiritibus solemni præparetur obsequio, quia, ut vulgo dicitur, inanis videtur esse labor qui victus alimoniam non tribuit. Et ne hoc vanum cuiquam aut floccipendendum videatur, abbatis Giraldi seu totius congregationis favore ac voluntate statutum est ut pro comite Burchardo, qui tanta beneficia hujc ecclesiæ contulit, ut quisque ex præsentis styli narratu noscere valet, provisor Nobiliaci, pro Elisabeth vero Cruciaci, pro Rainaldo præsule Seiæ, pro Hugone rege Mansionum, pro Ermenfredo autem ejusque conjuge Liciarum et Jurei, pro abbatibus hujus congregationis provisor atque thesaurarius hujus loci diligenter, absque omnis negligentiæ incursu, studerent perficere. Qui autem hoc decretum postmodum despicere aut destruere conaretur, perpetuo excommunicationis anathemate damnaretur.

Proposueram in procemio hujus Operis post hæc de præsule Rainaldo aliqua disserere, quo ejus memoriale posteris notum fieret. Sed quia non est in potestate hominis vita ejus, multis incommodis urgentibus, me nunc hoc perficere minime libet, donec optatæ pacis et tranquillitatis tempus adveniat. Gratias tamen et in prosperis et in adversis semper agamus Jesu Christo, sanctoque Paracleto, qui vivit et permanet unus Deus indivisibiliter per cuncta sæcula. Amen.

EXPLICIT VITA DOMNI BURCHARDI VENERABILIS COMITIS.

ANNO DOMINI MLVIII.

ANSELMUS

CANONICUS LEODIENSIS.

ANSELMI

HISTORIA EPISCOPORUM LEODIENSIUM.

(*Vide Patrologiæ tom.* CXXXIX, *in* HERIGERO *Leodiensi, ad an.* 1008. *Anselmum ab Herigero, quam annis quinquaginta juniorem, propter arctam quæ inter opus utriusque exstat connexionem, disjungere oluimus.*

ANNO DOMINI MLVIII.

DROGO

BELLOVACENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(*Gallia christiana*, nov. edit.. tom. IV, pag. 708.)

Occurrit quamprimum Drogo an. 1035, quo, concedente Henrico rege, fundavit non longe ab urbe monasterium S. Symphoriani. Anno sequenti duo alia monasteria instauravit : Flaviacum nempe, virorum; et oratorium virginum, nunc S. Pauli nomine insignitum. Fundavit etiam ex Luvetio, tom. I, pag. 50, an. circiter 1057, ecclesiam collegiatam S. Laurentii ; et eodem anno alia S. Bartholomæi collegiata fundata est ab Hailone milite. Henrico rege fundationem confirmante. Præterea ejus consilio monachi cum abbate restituti sunt apud Britolium; et ipse dedit canonicis suis ecclesias de

Digitized by Google

Haudivillari, de Exulio et de S. Eusebia; monachis vero S. Luciani alias ecclesias cum comitatu et vicaria Warlosi, cujus rei chartam habes apud Luvetium tom. II, pag. 190. Anno 1047 subscripsit placito Henrici I regis pro cœnobio S. Medardi Suessionensis adversus Robertum Codiacensem; et donationi Balduini cancellarii in gratiam monachorum S. Præjecti Quintinopolitanorum anno sequenti adfuit concilio Silvanectensi. Anno 1049 a Leone IX papa vocatus ad concilium Remense, nec convenit, nec misit excusationem; sed in comitatu regis commanens perrexit ad bellum; quare excommunicatus est cum archiepiscopo Senonensi, episcopo Ambianensi, et abbate S. Medardi. Sed paulo post ab excommunicatione solutum conjicimus, nam Ecclesiam suam gubernare perrexit, atque in ea pacifice diem clausit extremum. Obiisse dicitur anno 1058.

DROGONIS

EPISTOLA AD W. COEPISCOPUM SUUM.

(Apud Baluz. *Capitul.* tom. II, col. 1349.

Consultus a Widone episcopo, ut videtur, Silvanectensi quid agendum foret de quibusdam hominibus qui sacerdotem acriter verberaverunt, respondet inter alia ex Capitularibus, et caput 98 *libri* VI, De sacerdotibus et levitis atque monachis interfectis vel debilitatis, *ad sententiæ suæ probationem adducit.*

Fratri et coepiscopo W., D. Belvacorum episcopus, salutem.

Si res ita se habet ut vobis vester fidelis ill. narravit, illos sacrilegos non tam excommunicastis quam excommunicatos esse denuntiastis. Nam si humana lingua taceat, divina tamen auctoritas post patratum flagitium mox illos anathematizat. Quod ex verbis Domini colligimus sic loquentis ad discipulos suos: *Qui vos spernit me spernit. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi, mei.* Isti enim membra Christi et pupillam Dominici oculi non solum tetigerunt, sed, ut audio, acriter verberaverunt. Unde et protinus divino judicio communione privati fuerunt. Ubi de re peritura agitur, dandæ sunt forsitan in quibusdam negotiis harum vocationum dilationes. Quando autem hoc tale et tam maximum committitur sacrilegium, in quo verum Dei templum non manufactum violatur, eodem momento operator hujus iniquitatis non tantum reus efficitur excommunicationis, sed etiam alicujus magni supplicii quod possit et ipsam superare gehennam. Recte igitur eos absque dilatione excommunicastis qui non timuerunt extendere manus in sanctos Dei. Quod si quæratur quomodo puniri vel corripi debeant, expedit eis ut mola asinaria gravati demergantur in profundum maris, qui famulis Christi scandalum inferentes verberibus eos et contumeliis afflixerunt. Leges quoque mundanæ in Capitularibus præcipiunt hujusmodi aut capitali sententia puniri, aut exsilio deportari, aut manus incontinenter extensas præcidi, aut depositis militaribus armis in monasterio, sub perpetua retrudi pœnitentia. At vobis pro tempore et sæculari consuetudine mitius erit agendum, videlicet ut prius vobis emendetur excommunicatio; deinde capitalia, si ablata sint, cum lege triplici reddantur. Ictus quoque singuli et prensiones secundum legem tripliciter emendentur. Postmodum exigite ab eis triginta libras quæ solent dari pro infractione atrii ecclesiæ. Multo enim pretiosior est Dei minister quam atrium templi vel parietes. Præterea congrua injungatur eis pœnitentia aut septem aut quinque annorum, ut et isti corrigantur et cæteri metum habeant. Hoc est excerptum de sexto libro Capitularium, capitulo 98: *Si quis sacerdotem vel levitam aut monachum debilitaverit, juxta statuta priorum capitulorum quæ legi Salicæ sunt addita componat, et insuper bannum nostrum, id est sexaginta solidos nobis persolvat, et arma relinquat, atque in monasterio diebus vitæ suæ sub ardua pœnitentia Deo serviat nusquam post modum sæculo vel sæcularibus militaturus, neque uxorem copulaturus.*

Tempore Ludovici regis, patris Lotharii, fertur quiddam actum. Cum quidam ira permotus quemdam sacerdotem gravissimis affectum injuriis et ad extremum plagis non timeret lacerare plurimis, uterque coram regia censura reductus est. Qui diligenter causam examinans, Christi ministris ut doceret omnem exhibendam reverentiam, omnes circumstantes sibi sic allocutus est: « Omnis, inquit, nostræ religionis cultus per sacerdotum officia percelebratur; ideoque eis omnimodis cultus reverentiæ divinæ exhibetur, non eorum aliquando hoc exigente vitæ merito, sed ut in eis videatur a nobis obtemperari Christo. Unde hunc qui sic intemperanter efferatus in Dei sacerdotem est deductum, censeo ad arboris stipitem stringi, omni vestimentorum adempto tutamine. » Cum itaque juxta regis sententiam comprehensus, nudatus ad arborem foris fuisset constrictus, tanta ibidem refertur repente advenisse permolesta multitudo muscarum ut antequam.... rex fecisset regrediens milliarium, omne corpus ejus comestum referretur.

Digitized by Google

LITANIÆ VETERES ECCLESIÆ BELLOVACENSIS

(Apud. Baluz., *Miscell.*, edit. Luc., pag. 285.)

Christus vincit. Ter.
Christus regnat. Ter.
Christus imperat. Ter.
Exaudi Christe.
Ꝑ Joanni summo pontifici et universali papæ vita. Ter.
Salvator mundi. Tu illum adjuva.
Sancta Maria. Tu illum adjuva.
Sancte Michael. Tu illum adjuva
Sancte Gabrihel. Tu illum adjuva.
Sancte Raphahel. Tu illum adjuva.
Exaudi Christe.
Rotgerio hujus Ecclesiæ pontifici et omni gregi sibi commisso salus et vita.
Redemptor mundi. Tu illum adjuva.
Sancte Petre. Tu illum adjuva.
Sancte Paule. Tu illum adjuva.
Sancte Andrea. Tu illum adjuva.
Sancte Simon. Tu illum adjuva.
Exaudi Christe.
Rotberto serenissimo et a Deo coronato magno et pacifico regi vita et victoria.
Salvator mundi. Tu illum adjuva
Sancte Stephane. Tu illum adjuva.
Sancte Dionysi Tu illum adjuva.
Sancte Luciane. Tu illum adjuva
Sancte Juste. Tu illum adjuva.
Exaudi Christe. Constantiæ reginæ salus et vita.
Redemptor mundi. Tu illam adjuva.
Sancta Felicitas Tu illam adjuva.
Sancta Perpetua. Tu illam adjuva.
Sancta Agatha. Tu illam adjuva.
Sancta Agnes. Tu illam adjuva.
Exaudi Christe. Omnibus judicibus et cuncto exercitui Christianorum vita et victoria.
Salvator mundi. Tu illos adjuva.
Sancte Silvester Tu illos adjuva.
Sancte Gregori. Tu illos adjuva.
Sancte Leo. Tu illos adjuva.
Sancte Ambrosi. Tu illos adjuva.

A Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Rex Regum Christus vincit.
Misericordia nostra Christus vincit.
Liberatio et redemptio nostra Christus vincit.
Arma nostra invictissima Christus vincit.
Murus noster inexpugnabilis Christus vincit.
Defensio et exsultatio nostra Christus vincit.
Protectio et victoria nostra Christus vincit.
Ipsi soli imperium, gloria, et potestas per immortalia sæcula sæculorum. Amen.
Ipsi honor, laus, et jubilatio per infinita sæcula sæculorum. Amen.
Ipsi soli virtus, fortitudo, et victoria per omnia sæcula sæculorum. Amen.
Christe audi nos. Kyrie eleyson. Christe eleyson.
B Kyrie eleyson.
Hunc diem læti ducamus. Ter.
Domnum Joannem apostolicum Deus conservet. Ter.
Salvator mundi. Tu illum adjuva.
Sancte Joannes. Tu illum adjuva.
Sancte Jacobe. Tu illum adjuva.
Sancte Philippe. Tu illum adjuva.
Domnum Rotgerium Episcopum Deus conservet. Ter.
Redemptor mundi. Tu illum adjuva.
Sancte Martine. Tu illum adjuva.
Sancte Remigi. Tu illum adjuva.
Sancte Medarde. Tu illum adjuva.
Domnum Rotbertum regem Deus conservet. Ter.
Salvator mundi. Tu illum adjuva.
Sancte Corneli. Tu illum adjuva.
C Sancte Laurenti. Tu illum adjuva.
Sancte Vincenti. Tu illum adjuva.
Feliciter. Ter.
Feliciter. Ter.
Feliciter. Ter.
Tempora bona habeant. Ter.
Tempora bona habeant Ter.
Tempora bona habeant. Ter.
Multos annos. Amen.
Ite, missa est. Deo gratias.

ANNO DOMINI MLVIII.

STEPHANUS X PAPA.

NOTITIA HISTORICA.

(Ciaconi, *Vitæ pontificum Romanorum.*)

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi benedicti. Amen.

D Sanctissimus dominus noster Stephanus IX, Lotharingus, Fridericus antea vocatus, nobilissima

Digitized by Google

domo ducis Lotharingiæ, Gothelonis ducis filius, et Gothifredi IV magni ducis frater, regio Francorum genere oriundus, natione Gallus, liberalibus disciplinis a puero instructus, et ecclesiasticis obsequiis traditus, primo enim canonicus regularis S. Lamperti in Lotharingia factus. Mox a beato papa Leone X diaconus cardinalis, et apostolicæ sedis cancellarius creatus, Constantinopolim legatus de latere cum Humberto episcopo cardinali Silvæ Candidæ missus, Græcorum errores confutavit. Deinde in Urbem reversus, mortuo papa Leone nono, ad monasterium Casinense profectus est, ubi sumpto (quam a puero semper amavit), religionis sancti Benedicti habitu, ibidem per aliquod tempus vitam transegit. Biennio vero ab ejus ingressu vix exacto, tricesimus sextus in abbatis Roberti demortui, qui illum susceperat, locum, abbas Casinensis omnium monachorum consensu designatus. Pro consecratione autem, ut mos erat, ad Romanum pontificem Victorem secundum, qui tum Florentiæ commorabatur, veniens, octo monachis comitatus, non solum in abbatem Casinensem est consecratus, verum et presbyter cardinalis in titulo Sancti Chrysogoni ordinatus est. A quo ad monasterium suum Casinense reversurus discedens, cum Romam venisset, statim obitus papæ Victoris secundi renuntiatus est.

Hoc nuntio Romam allato, Romani extemplo comitia subrogando pontifici habuerunt, ibi aliis Hildebrandum, qui cum Victore erat, exspectandum, aliis moram nullam comitis interponendam esse censentibus. Omnes demum uno consensu Fridericum ipsum cardinalem, ex Tuscia ipsa paulo ante reversum, adeunt, eumque per vim ex hospitio eductum, ad basilicam Sancti Petri ad Vincula trahunt, atque pontificem lectum Stephanum nomine appellant; is enim dies erat IV Nonas Augusti, quo die memoria sancti Stephani pontificis et martyris ab Ecclesia colitur. Atque inde plaudentibus omnibus ad Laterana deducunt; postridie vero die Dominico cardinalibus omnibus cum clero populoque Romano ad eum confluentibus, in Vaticano magna cæremonia consecrant. Sedit, imperatore Henrico quarto, menses VII, dies XXVIII.

Anno Dominicæ Nativitatis 1057, die III Nonas Augusti, altero post electionem die, in basilica Principis apostolorum, in episcopum et pontificem papa Stephanus X Romæ consecratus est, suæ coronationis insignia suscepit per Mainardum S. R. E. archidiaconum.

Stephanus, pontificatu inito, extemplo legatum ad Agnetem Augustam, Henrici quarti matrem, Hildebrandum misit, qui de rebus actis eam doceret, atque inde ad prosequendam, quæ instituta erat, reformationem Ecclesiæ se converteret. Restabat enim ingens cum ipso Henrico ejus filio certamen, qui a familiaribus depravatus, ecclesias non iis qui plus litterarum ac vitæ laude mererent, sed qui plus mercedis ac pecuniæ præbuissent, aperta sacrorum nundinatione, vendere instituerat. Quatuor igitur menses Romæ moratus, omnes in his cogitationibus consiliisque consumpsit, quibus et Henricum Simoniacæ hæresis insimulare ac factum ejus aspero decreto notare non dubitavit, et novis constitutionibus clericorum incontinentiam et consanguineorum nuptias interdixit.

Stephanus X synodum Laterani congregavit, in qua Ecclesia Mediolanensis, quæ superbiæ fastu ante ducentos ferme annos a Romana se subtraxerat, Hildebrandi præcipue opera, nunc demum obtemperare iterum cœpit ut vere omnium Ecclesiarum matri et magistræ, quam postea ita observavit, ut legitimæ filiæ piissimam matrem colere consueverunt.

Anno Dominicæ Nativitatis 1058, die IV Kal. Aprilis Florentiæ mortuus est papa Stephanus X, cujus corpus ibidem in ecclesia cathedrali S. Reparatæ sepultum est.

Vacavit sedes dies 28.

NOTITIA ALTERA.

(Apud MANSI, *Conciliorum* tom. X.)

Stephanus, antea Fridericus appellatus, ex abbate Cassinensi et cardinale presbytero, communi totius cleri consensu invitus factus est pontifex, hujus nominis nonus, anno Christi redemptoris 1057, regnante Henrico IV. Habitis in Urbe plurimis conciliis contra concubinatum aliave plurima vitia cleri mores Ecclesiæ reformavit. Petrum Damiani ab eremo abstractum creavit episcopum cardinalem Ostiensem. Ad Ecclesiam Constantinopolitanam schismate divisam catholicæ et apostolicæ communioni consociandam legationem misit in Orientem, qua fungebantur Stephanus cardinalis, Mainardus Silvæ-Candidæ episcopus et Desiderius abbas Cassinensis designatus. Dato illis rerum agendarum commonitorio, præcepit ut quamprimum possent reditum pararent. De futuri pontificis electione decretum edidit, quod Leo Ostiensis his verbis describit: « Post hæc, congregatis intra ecclesiam episcopis et clero, populoque Romano, sub districta nimis inhibitione constituit, ut si, antequam Hildebrandus Romanæ tunc Ecclesiæ subdiaconus ab imperatrice, ad quam pro quibusdam reipublicæ negotiis communi consilio mittebatur, rediret, se mori contingeret, nullus omnino papam eligere auderet; sed usque ad illius red-

Digitized by Google

itum sedes apostolica intacta vacaret, ejus demum ordinanda concilio. » Ad invisendum sanctum Joannem Gualbertum, fama sanctitatis celeberrimum, Florentiam profectus incidit in morbum; et paucis diebus postquam ægrotasset, obiit quarto Kalendas Aprilis, anno 1058. « Interea, inquit Leo Ostiensis, Gregorius Lateranensis, et Tusculanensis comes, comperto Romani pontificis obitu, sociato sibi Gerardo Galesense [Galerense, Benedict. X, pseudopapa et schismaticus] et Romanis potentibus aliquot, noctu cum armatorum turbis ecclesiam una pervadunt, et Joannem Velitrensem episcopum, Mincium postea cognominatum, papam constituunt, Benedicti illi imposito nomine. Quod cum Petrus Damianus, vir valde religiosus, quem eo tempore Stephanus papa ab eremo extractum in Ostiensi Ecclesia episcopum fecerat comperisset, una cum cardinalibus resistere ac reclamare cœpit atque anathematizare. Sed tamen hi omnes timore perculsi per varia loca fugere. » Qua ratione autem schismaticus sede expulsus fuerit, infra in Vita Nicolai II dicetur.

NOTITIA DIPLOMATICA.

(JAFFÉ, *Regesta pont. Rom.*, 381.)

Stephanus X in bullis hac sententia usus est : IPSE EST PAX NOSTRA (n. 2, 5).

Scriptæ bullæ ejus sunt per manum *Gregorii notarii et scriniarii* (n. 2, 3, 4, 6, 7).

Datæ per manum *Humberti S. Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi et bibliothecarii Sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis* (n. 2, 3, 4, 5, 7).

STEPHANI X PAPÆ
EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

I.

(1) *Epistola Stephani X ad Gervasium archiepiscopum Remensem. — Pro religione fortiter agenti auxilium pollicetur; Bituricensis archiepiscopi causam in aliud tempus differt; in urbem ad synodum cum suffraganeis suis eum evocat.*

(Anno 1057.)

[MANSI *Concil.* XIX, 862.]

STEPHANUS episcopus, servus servorum Dei, GERVASIO Remensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Promotioni nostræ, sicut nobis scripsisti, non ambigimus te gratulari; amicitiam quoque sinceram et volumus et optamus inter nos fore perpetuam. Porro obedientiam fidelitatemque, quam nobis polliceris, te integerrime servaturum si, ut debes et ut te decet, servaveris; facis quod faciendum optime scis, quod principalem et communem matrem, non modo nos revereris in nobis. De concilio autem Remis habendo quid aliud dicendum, nisi quod beatæ memoriæ dominus Victor Dei judicio hinc est raptus; et quod tu, sicut inter nos convenit, non remandasti, an in hoc esset regis consensus? Sed et de Bituricensi archiepiscopo, quia dilectus filius noster Hildebrandus, cui illius causa maxime nota est, abest, hoc tantum respondemus quod, eo revertente et te cum illo ad nos veniente, tam ex hoc quam ex aliis ecclesiasticis negotiis tuum consilium habebimus. Ne deficias aut frangaris, si adversarios pro fidelitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, imo pro sanctorum canonum defensione pateris, sciens, secundum Apostolum, quod in hoc positus sis (*I Thess.* III). Auxilium enim nostrum et consilium tibi pro justitia agonizanti tempore nostri pontificatus, ad quem nullo meo merito videor assumptus, non deerit; et secundum quod oras, orabimus Dominum Jesum ne a bono proposito aliquando decidas. Cæterum Romæ quinto decimo die post sanctum Pascha synodum celebraturi, tuam fraternitatem cum suffraganeis ejus, volumus et auctoritate apostolica jubemus interesse absque inevitabili necessitate.

(1) Ex bibliotheca Papirii Massoni hæc cum quatuor Nicolai, et sexdecim Alexandri II ad Gervasium Remensem archiepiscopum scripta, prodiit in lucem. In Vita Stephani, Nicolai et Alexandri II Papirius pro *Gervasio* scripserat *Wilelmo Remensi archiepiscopo* : illum ego antea male imitatus, in hac editione, pro *Wilelmo Gervasio* scribendum esse censeo; siquidem horum pontificum tempore non Willelmus aliquis, sed Wido, et Gervasius primus, ut videre est in catalogo Remensium episcoporum, qui est apud Flodoardum, Remensi Ecclesiæ præfuisse legitur. Non ille vero Gervasius alter est, cujus Ivo epistola 206, et Sigeberti continuator anno 1114 meminerunt; vixitque tempore Paschalis II, ad quem epistolam quamdam scripsit, quam habet dictus Papirius in Vita ejusdem Paschalis II. SEVER. BINIUS.

Digitized by Google

II.

Stephani X bulla per quam confirmat cleri sæcularis immunitatem a sæcularium potestatum judiciis et oneribus.

(Anno 1058.)

[MURATORI, *Antiq. Ital.* V, 973.]

STEPHANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis in Christo filiis omnibus sacerdotibus, levitis, universisque sacris ordinibus, Lucæ commorantibus, seu de omnibus plebibus, clericis, acolythis, subdiaconibus, diaconibus, presbyteris suburbanis Lucensis episcopatus, et omnibus successoribus eorum in perpetuum.

Si erga fidelium laicorum ordinem, legalem consuetudinem et decreta pietatis servare nobis convenit, multo amplius circa clericorum gradus qui Ecclesiæ Dei fideliter ministrant et serviunt visa æquitatis observare, et observanda confirmare debemus. Quapropter ob interventum dilectissimi coepiscopi nostri Anselmi Lucensis episcopi, simulque Benedicti Belletrinensis episcopi, et Bonifacii Albanensis episcopi, et domni Humberti Sanctæ Rufinæ sedis episcopi, nec non Petri Lavicanensis episcopi, simulque Joannis Portuensis episcopi, nec non et domni Hildebrandi sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, aliorumque nostrorum fidelium, per hujus nostræ præceptionis paginam constituimus et confirmamus, sicut sacrorum canonum demonstrat auctoritas, et humanæ præcipiunt leges, sicut etiam illis ab Ottone imperatore Augusto, et reliquis imperatoribus per præcepti paginam concessum et confirmatum esse videtur, ut deinceps a nulla magna parvaque persona hominum ad sæcularia judicia pro qualicunque controversia pertrahantur, vel ante sæculares judices examinentur vel distringantur, nisi tantum ab eorum præsule. Et ut nullus in domibus eorum aliquam invasionem facere audeat, vel molestiam præsumat inferre, vel tributum, sive redditum, seu etiam superimpositum eisdem sacerdotibus et cunctis sacris ordinibus, a quacunque persona minime imponatur, vel requiratur. Et ne aliquis audeat se intromittere sine legali judicio de aliquibus supellectilibus eorum, sive servis utriusque sexus, vel familiis, seu etiam de universis eorum colonis, nec non mobilibus et immobilibus, arvis, cultilibus, vineis, olivetis, silvis, pratis pascualibus, seu universis hæreditatibus eorum, sive acquisitis, nec non eorum bonis, vel quidquid illis juste et legaliter pertinere perspicitur. Insuper concedimus per hoc nostrum apostolicum privilegium omnibus sacerdotibus, levitis, cunctisque sacris ordinibus jam dicti episcopatus, ut eorum advocatus non aliter, nisi solus, juret sine ulla contradictione, sicut in sancta Romana Ecclesia agitur. Et liceat eis secundum ecclesiasticos gradus quiete et pacifice vivere, et Deo servire, et sub hujus nostri privilegii defensione consistere. Ita sane juvemus ut nullus dux, sive marchio, comes, vicecomes, gastaldus, curialis, exactor, decanus, vocemissarius, vel etiam ulla persona hominum audeat interdicere vel constringere hoc, quod a nobis constitutum et confirmatum est. Si quis autem (quod non credimus) temerario ausu huic nostro apostolico privilegio contrarius exstiterit, sciat se, nisi resipuerit, et damnum quod fecerit emendaverit, auctoritate Dei omnipotentis, et beati Petri apostolorum principis ac nostra, anathematis vinculo innodatum, et a regno Dei alienum, atque cum Juda traditore sociatum. Insuper compositurus existat auri optimi libras decem, medietatem sacro nostro palatio, medietatem illis quibus injuria illata fuerit. Qui vero pro intuitu custos et observator hujus nostri apostolici præcepti exstiterit, benedictionis apostolicæ gratiam, vitamque æternam a Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manus Gregorii notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense octobrio, et indictione undecima.

Datum Romæ per manus Humberti sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi, et bibliothecarii sanctæ Romanæ et apostolicæ Sedis, anno pontificatus domni Stephani noni papæ primo, XV Kalendas Novembris, indictione undecima.

III.

A Stephano X concessionum, aliorumque indultorum sacri cœnobii Sancti Petri Perusini confirmatio.

(Anno 1057.)

[COQUELINES, *Bullarum Rom. pont. ampliss. Collect.* I, 396.]

STEPHANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili monasterio beati Petri apostoli, sito extra, imo et juxta civitatem Perusinam, in loco qui dicitur Caprarius, et per illud BONIZONI abbati ejusque successoribus ibidem juste et regulariter promovendis, in perpetuum.

Cum universalis sancta mater Ecclesia per gloriosos terræ principes, Petrum scilicet piscatorem hominum, ac Paulum doctorem gentium, præ cæteris cooperatoribus maxime sit coadunata, instructa, simul et ditata, convenit eis confirmari et delineri omnia quæ suæ ditionis ac potestatis reperiuntur specialia. Quare ad hujus supradicti monasterii honorem semper augendum, nunquam minuendum, concedimus hoc apostolicæ defensionis privilegium ut teneat quod habet, scilicet cellas suas, et ecclesias, curtes suas, ac plebes, fundos etiam, ac casales, plebem, scilicet Sancti Constantii, et sancti Rufini, ac Sancti Martini, ecclesiam Sancti Martini in Agellione cum suis pertinentiis, curtem de casale, et curtem Sancti Justini, curtem de Petroniano, ecclesiam Sancti Andreæ de Aliano cum sua pertinentia; ecclesiam Sanctæ Mariæ in Pitiniano; et ecclesiam Sancti Clementis, atque medietatem Sancti Donati in civitella, nec non et terram Ugonis nepotis Bernonis de Montenigro. Insuper confirmamus eidem monasterio in perpetuum massas tres,

Digitized by Google

in comitatu Perusino positas, unam, quæ vocatur Pusulo, aliam Filontio, et alteram, quæ nuncupatur Casalini, cum ecclesiis, casis, vineis, campis, hortis, montibus cultis et incultis omnibus cum suis pertinentiis. Licentiam quoque damus tibi de omnibus tuis clericis, tam in monasterio degentibus quamque etiam foris in possessionibus tuis manentibus, a quocunque volueris idoneo et canonice locato episcopo eos ordinandi, et chrisma in tuis plebibus accipere, si tamen ab episcopo, in cujus diœcesi præfatum tuum monasterium situm est, nec ordinationes nec chrisma potueris canonice et gratis obtinere aut impetrare; et de ecclesiis ordinandis eodem modo. Et nullus episcopus ad idem monasterium pertinentem excommunicare aut damnare audeat, si in causa sua, nostrum, ac sanctæ apostolicæ sedis patrocinium et examen flagitat. Romani autem pontificis donum abbatiæ, et abbas ipse, et consecratio abbatis sit in perpetuum. Et omni remota excusatione, nisi canonica, ad synodum quandocunque a summo pontifice vocatus fuerit, veniat.

Porro oblationes eidem monasterio collatæ, tam pro vivis quam pro defunctis a nullo episcoporum pervadantur, sed ex integro proficiant monasterii utilitatibus ac fratrum necessitatibus. Decimæ autem ejusdem monasterii in susceptione hospitum et peregrinorum ad portam ipsius monasterii conferantur. Servitium quoque, et quod vulgariter dicitur Foderum nec imperatori, nec regi, nec marchioni, nec alicui homini liceat ex eodem monasterio, aut ex pertinentia ejus requirere, nisi soli nostræ apostolicæ sedi. Insuper nemo ibidem sepeliri prohibeat mortuum. Episcopus missas publicas et stationes ibidem si facere voluerit, statutis temporibus id agat, scilicet secunda feria Paschæ, et beatorum apostolorum Petri et Pauli natalitiis solemnibus; sed nullas inde oblationes tollat ipse, aut aliquis clericorum ejus, invito abbate ac fratribus. Statuimus autem, si quando abbas ejusdem monasterii decesserit, ut nullus ab aliis personis ibi abbas eligatur, si potuerint ad hoc opus de congregatione idoneum fratrem eligere, sic videlicet communi ac regulari consilio, absque pretio a Romano pontifice consecrandum. Jubemus etiam ut omnes nocivæ ecclesiæ vestri monasterii chartæ omnino vacuæ et inanes consistant. Præterea apostolica nostra auctoritate constituimus et confirmamus ut nullus imperator, rex, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, castaldio, aut alia quælibet magna parvaque persona et prædictum abbatem suosque successores canonice intrantes, de jam dicto monasterio, vel de omnibus suis rebus et proprietatibus, mobilibus et immobilibus molestare, devestire, aut inquietare audeat; et qui præsumpserit, sciat se auctoritate Domini nostri Jesu Christi et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostra maledictione anathematizari; insuper compositurus existat duodecim libras auri, medietatem nostre sacro palatio, medietatem ipsi monasterio. Qui vero hanc ecclesiam honoraverit, et nihil inde auferens, de suis pro redemptione animæ aliqua ei contulerit, benedictionis gratiam a Domino Deo consequatur et per clavigerum principem cœli janua regni cœlestis introduci mereatur.

Scriptum per manus Gregorii notarii, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Novembris, indictione undecima.

Datum Romæ quarto Non. Novembris per manus Humberti sanctæ ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi et bibliothecarii sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis, anno I pontificatus domni Stephani noni papæ, indictione undecima.

IV.

Stephanus X canonicorum Aretinorum bona, petente Arnaldo episcopo, confirmat.

(Anno 105.)

[Ughelli, *Italia Sacra*, I, 416.]

Stephanus, servus servorum Dei.

Convenit apostolico mandamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis alacri affectione impertiri suffragium. Quapropter notum sit omnibus S. Dei Ecclesiæ fidelibus, et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quod nos, interventu Arnaldi episcopi Aretini, sequentes vestigia beatissimæ memoriæ D. Victoris prædecessoris nostri, confirmamus et nostra apostolica auctoritate corroboramus omnia quæcunque canonicis S. Aretinæ Ecclesiæ juste data et legaliter collata sunt sive a regibus, sive a præsulibus S. Aretinæ ecclesiæ, sive etiam ab aliquibus S. Dei Ecclesiæ fidelibus pro redemptione animarum suarum concessa sunt.

Si quis vero deinceps in eamdem canonicam B. Donati Aretini episcopi et martyris de rebus propriis aliquid conferre voluerit, tam in comitatu Castello quam in aliquibus aliis locis, nostra fultus auctoritate, licentiam dandi et pro remedio animæ suæ largiendi B. Donato, ad usum et sumptum fratrum canonicorum in eadem B. Donati canonica famulantium, sine alicujus magnæ parvæque personæ interdictu [habeat], ipsaque donatio sive largitio ab omni fiscali illæsione perpetuo maneat absoluta. Quicunque vero hujus nostræ confirmationis seu largitionis violator exstiterit, nostra apostolica auctoritate excommunicatus, perpetui anathematis jaculo feriatur

Scriptum per manus Gregorii notarii et camerarii S. apostolicæ sedis, in mense Novembris, die XIX ind. II.

Datum Romæ, X Kal. Decembris, per manus Humberti dicti episcopi [S. Ecclesiæ] Silvæ Candidæ, et bibliothecarii S. R. et apostolicæ sedis, anno Deo propitio 1057, pontificatus D. Stephani IX primo, indict. II.

Digitized by Google

V.

Stephanus X episcopatus Marsorum, a Victore II in pristinum statum restituti, fines possessionesque, petente Pandulpho episcopo, confirmat.

(Anno. 1057)

[Ughelli, *Italia Sacra*, I, 889.]

Stephanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri et coepiscopo Pandulpho, cæterisque successoribus episcopis in S. Marsicana Ecclesia canonice promovendis in perpetuum.

In specula S. et universalis Ecclesiæ adhuc peregrinantis quanto cæteris eminentiores apparemus, tanto vehementius concurrere vicissitudinibus inde debemus; sicut enim luna menstruo cursu deficit et perficit, sic in Ecclesia militanti, temporalibus subjecta, continuas altercationes, valde defectus et profectus incurrit; cujus defectui vel diminutioni sicut necesse est ut compatiamur, sic proculdubio expedit ut profectui vel plenitudini congratulemur. Quapropter unam Marsicanam Ecclesiam intestino et diuturno malo, et plusquam civili discordia sæcularium hominum miserabiliter discissam, et in duos episcopatus, contra sanctorum Patrum canones, a Theophilacto dicto papa divisam, et postea permissu magis quam consensu, necessitate quam utilitate, a sanctissimo prædecessore nostro Leone, sicut inventa fuit, omissam, eamdemque sub beata memoria decessore nostro Victore, judicio generalis concilii, per divinam gratiam in gremio basilicæ Constantinianæ aggregatam, XIV Kal. Maii, ind. X, divisionem illam unius diœcesis in duas partes evacuatam et abdicatam atque in antiquam sui status unionem reformatam, et in perpetuum ipsam, sicut justum fuit, diœcesim unam uni episcopo decretam, inde, interventu totius S. synodi, episcopo Actone, qui tunc partem Marsicanæ diœcesis injuste occupabat, in Theatinam civitatem sublato, per hujus nostri privilegii decretalem paginam, deinceps tibi, beatissime, et confrater et coepiscope Pandulphe, et successoribus tuis in perpetuum concedimus et, secundum quod tibi synodaliter, sicut superius dictum fuit, judicatum est, firmum Marsicanum episcopatum cum omni sua integritate et pertinentia inter ea quæ nominatim sunt ecclesiæ Sanctæ Sabinæ antiquæ civitatis Marsorum, ad episcopalem sedem largimur atque decernimus; necnon et reliquas ecclesias totius Marsicanæ diœcesis cum pertinentiis, decimis et oblationibus earum, tam pro vivis quam etiam pro defunctis, secundum quod S. canones decreverunt; pariterque ecclesiam dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitricis virginis Mariæ in Carseolo cum decimis et oblationibus, imo cum omnibus sibi adjacentibus ecclesiis et rebus juste tibi pertinentibus, tam in castro Tupho et Scallellis quam.... et alio Sanctæ Mariæ, et Civitellæ, et Pamperano usque ad Capistrellum et in tota valle Nerfacendæ. Insuper auctoritate apostolica sancimus ut, quandocunque expedierit, ordinationes clericorum et consecrationem altarium ibidem facias, et in monasteriis, quod A tui juris est, ut S. canones censent, et reliqua omnia quæ ad episcopum pertinent sine cujusquam contradictione expleas, scilicet intra justos terminos totius parochiæ Marsicanæ, tam illius partis quam antea obtinebas, sive et alterius quam tibi injuste episcopi invaserant. Hinc apostolicæ sedis auctoritate subnixus, potestatis et confirmationis privilegium indissolubiliter statuentes, interdicimus, sub divini etiam contestatione judicii, anathematis interpositione, ut nullus unquam successorum nostrorum pontificum, vel quilibet publicarum actionum administrator, seu alia quælibet vel quantumlibet magna parvæque persona, audeat vel præsumat contra hujus nostræ confirmationis privilegium agere, aut quidpiam inde alienare, auferre aut minuere, sed potius firB mum ac stabile in perpetuum sit, sicut a nobis concessum et confirmatum est. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu hoc nostræ apostolicæ sedis statutum in quopiam alienare vel infringere præsumpserit, et contradictor illius exstiterit, auctoritate S. individuæ Trinitatis et apostolorum principis vinculo anathematis mancipatus, a regno Dei segregatus, et diabolo et angelis ejus, nisi forte resipiscat, indissolubiliter aggregetur. Qui vero pro respectu observator et defensor hujus concessionis et confirmationis exstiterit, potestate S. Dei genitricis et semper Virginis Mariæ, et B. Petri apostolorum principis, et precibus B. Sabinæ martyris et omnium sanctorum, et cœlestium multitudine angelorum, aC que gloriam a justo Judice D. nostro Jesu Christo vitamque æternam percipere mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manum notarii et scriniarii S. R. apostolicæ sedis in mense Decemb., ind. II.

Datum in Castro Casino, V Idus Decembris, per manus Humberti S. Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi, et bibliothecarii S. R. et apostolicæ sedis, anno primo D. papæ Stephani IX, ind. II.

VI.

Constitutio Stephani papæ X pro monasterio S. Prosperi Regini.

(Anno 1057.)

[Margarini, Bullar. Casin. II, 90.]

Stephanus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo et reverendissimo filio Landulfo abbati venerabilis cœnobii Sancti Prosperi confessoris Christi subtus civitatem Regium constituti, et per eum cunctis successoribus ipsius inibi regulariter promovendis in perpetuum.

Quemadmodum regi, et defendi ac gubernari ab illo, a quo sumus, optamus, ita universum Christianum orbem, juxta quod nobis commissum esse constat, a singulis provisoribus Ecclesiarum Dei sperare non dubitamus, prout cuique dictorum expedit: ideo huic operi tanto vigilantius insistere debemus, quantum, permittente Deo, malefactorum sævitiam hoc tempore adversus ovium Domini pastores, nullo resistente, efferatam attendimus.

1. Quapropter justa et salubri suggestione tua,

Digitized by Google

carissime fili, Landulphe abbas, ad utilitatem tuam, successorumque tuorum commoti et commoniti, per hujus nostræ apostolicæ constitutionis paginam confirmamus, et corroboramus venerabili cœnobio Sancti Prosperi episcopi, ut electio, vel ordinatio abbatis ipsius monasterii fiat omnino secundum regulam sancti Benedicti.

2. Et quia a beatissimæ memoriæ Henrico et Conrado filio imperatore, ac nonnullis aliis regibus præcepta; et ab Alberico prædictæ sanctæ Regiensis Ecclesiæ episcopo decretum, non solum de ipsa abbatum electione, verum de omnibus rebus ipsi monasterio juste acquisitis, vel in futurum acquirendis constant, secundum tenorem illorum, et quod majus est, secundum veritatis et justitiæ rationem, per hujus nostræ auctoritatis privilegium nominatim concedimus atque decernimus ipsi venerabili cœnobio Sancti Prosperi, quod in tutela sancti Petri et nostra suscipimus, fundum prædictæ ecclesiæ ejusdem Sancti Prosperi in urbe Regii situm, cum cœmeterio ipsius, et novem jugera terræ cum capella Sancti Nazarii, quam a præposito ecclesiæ Sancti Prosperi intra castrum prædictæ civitatis sitam per commutationem juste factam, abbas qui tunc temporis erat accepit; necnon et omnem illam terram de Corticella, quæ ab episcopis ipsius loci in dicto loco monasterio data est; insuper duodecim mansos, qui sunt in Fossolo: quatuor in Palude; quatuor in Campaniola; tres in Quingente; unum qui est in Gurgo; unum in Fossedunde; quinque in Baniolo; et capellam Sanctæ Mustiolæ cum suis pertinentiis; unum in Crustulo veteri; unum in vico Desbergato, unum in Magno Casali: cum capella Sancti Sylvestri, cum dominicatu de eadem villa Magno Casali; tres mansos in Regio, et dominicatum Regii; Braidam Regis, et omnem terram prædicti monasterii circa eamdem civitatem sitam; tres mansos in Rodano; quatuor in Lovari; unum in Banio, unum in casale de Rodano; tres in Marmirolo; unum in Aliano; unum in Bibiano; unum in Piano; unum in Mulazano; unum in Planzo; unum in castro Oleriani, et curtem de Nasseto cum Lamma Fraularia, et campo et rivam de Nasseto, quæ a Carolo piissimo rege jam per scriptum, juxta fines ibi designatos, Regiensi ecclesiæ data esse dignoscitur; et terram quam dedit Rolandus filius Eriberti; in Mutilena quatuor mansos, cum capella, et quamdam partem castelli; in Albinea quatuor mansos, et capellam Sanctæ Mariæ in Pisignano, cum Oliveto sibi adjacente; in Vergnano duos mansos, et octo mansos quos dedit Ardicio filius Attonis filii Gandulphi, et capellam Sancti Damiani in medulæ, quam dedit Ubertus; vineam cum septem montibus; capellam Sancti Petri in Convanello, cum omnibus suis pertinentiis; in Spetiano unum mansum; in Sancto Floriano unum; unum in monte Baranzonis; et quamdam partem in capella Sancti Martini in Revere, et quatuor partes in prædicta Revere; duas in ecclesia Sanctæ Mariæ, unam in Sancto Florentino, unam in Sancto Laurentio; duos mansos in Bibianello, et quidquid intra Italicum regnum juste possidet, vel si non possidet, juste possidere debet. Itaque tam ea, quæ prædiximus, quam quæ devotione, quorumcunque fidelium juste acquisita deinceps fuerunt, in perpetuum, sine alicujus inquietudine, ut præfatum monasterium sub tutela beati Petri perpetualiter suscipimus, possidere apostolica auctoritate sancimus.

3. Illud etiam ob reverentiam sancti confessoris, præcipueque Domini, præsenti auctoritate tibi, dilectissime fili, Giselberte abba, tuisque successoribus, et quibus tu, vel quem supradicti monasterii fratres jusserint, in sacerdotali officio positis, apostolico privilegio concedimus, ex charitate, quæ Deus est, virtute sancti Spiritus, auctoritate beati Petri cœlorum clavigeri confirmamus, ut populis per sæcula undique sanctissimi confessoris suffragia expetendo concurrentibus, sive ipsius terræ, incolis ad eamdem ecclesiam convenientibus, ad honorem Dei, et beatissimi Prosperi confessoris devote super ipsius sacras reliquias, solemnes et publicas missas celebrare, et pane verbi Dei eos congrue reficere, et sæpius prænominati domini et magni patroni, videlicet beatissimi Prosperi meriis, et nostra præsenti auctoritate roborati, eorum devotas confessiones suscipientes, vestrarum ipsarum, aliarumque orationum, sermonum quoque, vigiliarum, jejuniorum etiam, et eleemosynarum illis subministrantes præsidium, delictorum eorum expiandorum conferatis solatium.

4. Præcipimus quoque ne ouis ejusdem civitatis episcopus, sed nec quidem aliquis primas, vel metropolitanus, aut quælibet parva magnaque ecclesiastica sæcularisve persona, quidquam eorum quæ supra taxavimus pervertere audeat, sed nec aliquam potestatem exercere contra eumdem vestrum cœnobium, neque quavis occasione inibi missas celebrare, aut ordinationem aliquam, quamvis parvissimam, sine voluntate abbatis et fratrum agere, aut excommunicationem contra eos ferre, vel aliquod officium, aut sepulturam mortuorum condere audeat qui non vult æternaliter damnari et perpetuo anathemate feriri.

5. Quod si aliquo unquam tempore apparuerit aliquis qui contra hæc velit, auctoritate beati Petri, ut prædiximus, irritum habeatur quod præsumpserit appetere, neque a te vel a tuis successoribus obediatur.

6. Porro super electione seu ordinatione abbatis, quod maxime saluti cœnobitarum competit, hoc in fine repetimus, ut tanto tenacius hæreat præsentium et futurorum mentibus, quanto pro sui speciali vel singulari utilitate inculcatur crebrius. Si quis ergo, quocunque ingenio, per aliquam venalitatem vel humanam gratiam successorem ei subrogari præsumpserit, aut aliter quam a beatissimo Patre nostro Benedicto constitutum est in electione vel ordinatione abbatis egerit, electio illa, vel or-

Digitized by Google

dinatio, auctoritate sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis omnimode habeatur irrita, et auctores ejus vel mediatores, nisi resipuerint, perpetuo damnati sint anathemate Maranatha.

7. Hinc hujus privilegii transgressor quicunque temere tentare præsumpserit, districto anathemate se condemnatum noverit nisi forte resipiscens digne satisfecerit.

8. Qui vero devotus conservator exstiterit, divinis repleatur benedictionibus, et principis apostolorum auctoritate ab omnibus delictorum suorum absolvatur nexibus. Amen.

Scriptum per manus Gregorii notarii sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis, in mense Decembris, indictione XI.

Datum in castro Casino per manus Humberti sanctæ ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi, et bibliothecarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

VII.

Epistola Stephani X papæ ad fratres Cluniacensis monasterii.

(Anno 1058.)

[*Bullar. Cluniac.*, 15.]

STEPHANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis filiis Cluniacensis monasterii salutem et apostolicam benedictionem.

Quamvis pro nostræ sedis dignitate omnibus simus debitores, tamen specialem circa vos affectum charitatis habemus, qui, sub umbraculo sanctæ et apostolicæ sedis positi, unde defensionem protectionis habuistis solamen orationum impendistis. Quod semper facere debetis, quatenus sub ea crescatis et fructum reddatis. Nostrum autem dilectissimum filium charitative nobiscum usque ad synodum retinuimus. Vobis autem, sicut imprimis benediximus, benedicimus, et viventes ac defunctos ex parte Dei et beati Petri principis apostolorum absolvimus.

VIII.

Privilegium Stephani X papæ per quod confirmat omnia monasteria, bona, jura et privilegia monasterio Cluniacensi antea concessa.

(Anno 1058.)

[*Bullar. Cluniac.*, 15.]

STEPHANUS episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo filio HUGONI abbati venerabilis monasterii quod a valle Cluniaca agnominatur Cluniacum, in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli consecratum, in comitatu Matisconensi situm, et per te cunctis successoribus tuis abbatibus inibi regulariter promovendis in perpetuum.

Ad hoc, Deo auctore, in specula sanctæ et universalis Ecclesiæ eminentiores conspeculatoribus nostris consistimus, ut saluti et quieti universorum sollicitius invigilemus. Quod utique ex speciali apostolicæ sedis privilegio adepti, si omnibus infatigabiliter prospicere debemus, multo magis illis quos sub apostolica disciplina arctiorem vitam mandatorum Dei, ad instar primitivæ Ecclesiæ, percurrere novimus, quibus non solum omnia communia, sed etiam unum cor est et anima una. In quorum sorte non inferius censetur Cluniacense cœnobium, quod ab ipso suæ fundationis primordio hactenus vibrat longe lateque sanctæ conversationis jubar clarissimum, adeo ut faciendo et docendo exstiterit et existat Gallicanis, Germanicis, Italicis, et plane cunctis Latinæ linguæ monasteriis forma sanctitatis atque speculum. Tam laudabili ergo monasticæ philosophiæ gymnasio, tamque ordinatæ acici castrorum cælestium, ut dignum est, totis præcordiis devoti, secundum postulationis tuæ tenorem, charissime fili, et abba Hugo, auctoritate sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quorum patrocinio præfatum Cluniacense cœnobium innititur, per hujus nostræ decretalis paginæ inviolabile robur, statuentes confirmamus tibi Cluniacense cœnobium, et per te cunctis tuis, sicut dictum est, successoribus in perpetuum, cuncta loca et monasteria ipsi Cluniacensi monasterio jure pertinentia, quæ etiam a quibuscunque fidelibus Christi, regibus, episcopis, ducibus, seu principibus eidem loco sunt concessa; vel ab antecessoribus tuis abbatibus acquisita, Bernone videlicet, Odone, Eymardo, et beatæ recordationis Maiolo et sancto Odilone, tam in rebus mobilibus quam etiam in immobilibus seseque moventibus, ut absque ullius contradictione secure et pacifice quietus debeas ea possidere. Ex quibus hic nominatim ista descripsimus:

Imprimis ipsum Cluniacense cœnobium a potentissimo quondam duce Willelmo in pago Matisconensi fundatum, cum omnibus rebus in circuitu ipsius et in aliis regionibus positis ad ipsum jure pertinentibus; in comitatu, videlicet Matisconensi, cellam in honore sancti Martini; ecclesiam quoque juxta positam in honore sancti Joannis; villas etiam Cavinias cum ecclesia Solestriacum villam cum ecclesia; Escutiolas cum ecclesia; Galliniacum cum ecclesia; Rufiacum cum ecclesia; Massilias cum ecclesia, Clairmannum, Barjeseranum villam; Curtilias villam, Petronniacum, Arpajacum, Darboniacum, Besurniacum; Ecclesiam Sanctæ Columbæ; Vitreriam Burguliensem villam, ecclesiam Sancti Laurentii; castrum Lurdonum, Blanuscum; villam, nomine Cottam; monasterium etiam quod vocatur Carus-Locus cum omnibus ad se pertinentibus; cellam Regniacum cum omnibus sibi pertinentibus; ecclesiam Sancti Victoris cum omnibus suis pertinentiis; ecclesias etiam et terras quæ juxta illam sunt, pro quibus data est quondam ecclesia Sancti Gengulphi; Equirandam quoque curtem cum ecclesia Sancti Andreæ apostoli, et cum aliis ecclesiis et omnibus suis appendiciis; omnes quoque ecclesias et terras, seu quicquid præfatus locus habet in jamdicto comitatu; in comitatu vero Cabilonensi; cellam de Bellomonte in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ dicatam, cum omnibus sibi pertinentibus; ecclesiam quoque de Campiloco cum omnibus suis appendiciis; curtem etiam vocabulo Juliacum cum ecclesiis et terris ei-

Digitized by Google

dem loco quondam ab episcopo Manasse collatis, et omnes ecclesias et terras ac quæcunque supradictus locus comprobatur habere in jam dicto comitatu; ecclesiam Sancti Gengulfi cum suis pertinentiis; cellam sanctorum martyrum Cosmæ et Damiani, et monasterium Sancti Marcelli cum omnibus suis pertinentiis: in episcopatu vero Augustodunensi monasterium in Aurea Valle, quod Parendus dicitur in honore sancti Joannis Baptistæ consecratum; cellam etiam Giadellis cum omnibus suis appendiciis, villas etiam, ecclesias et terras quas Theotardus clericus contulit jam dicto Cluniacensi cœnobio.

Confirmamus etiam et corroboramus nostra apostolica auctoritate illam convenientiam quam fecit domnus Galterius Augustodunensis Ecclesiæ episcopus de monasterio, quod dicitur Magabrense, ad suam ecclesiam pertinente, cum omnibus ad ipsum pertinentibus, omnesque eccl sias et terras et quæcunque supradictus locus Cluniacus videtur habere in jam dicto episcopatu: in territorio vero Divionensi curtem Giuracum, cum omnibus suis pertinentiis: in comitatu quoque Antissiodorensi cellam, in honore sanctæ Dei Genitricis consecratam, in Dunziaco castro: in comitatu quoque Arvernensi, Silviniacum monasterium, ubi sanctus Majolus et sanctus Odilo requiescunt, cum omnibus ad eumdem locum pertinentibus, et cellam quæ vocatur Firmitas, cum omnibus ad se pertinentibus; cellam quæ vocatur Scuriolas; ecclesiam etiam in honore sancti Sulpitii dicatam in villa quæ dicitur Langiacus, et cellulam quæ vocatur ad *Boscum* in honore sancti Petri consecratam; curtem etiam quam vocant in Frigido Monte; monasterium quoque quod dicitur Rivis, consecratum in honore sanctæ Dei Genitricis cum curte Lussiaco, cum omnibus suis appendiciis; ecclesiam quæ vocatur Marengum, cum aliis terris eidem monasterio ab Eustorgio nobilissimo viro traditis; cellulam etiam juxta positam, in honore sanctæ Dei Genitricis sacratam, quæ vocatur ad montes; monasterium autem Celsiniacense cum cellis, ecclesiis, villis, terris Carniacum videlicet, Burnunculum, Abolniacum, Ginniacum, Cardonetum, et cum omnibus ecclesiis et terris ad ipsum monasterium pertinentibus; cellam quoque ubi requiescit sanctus Florus, quam tradidit suoradicto loco Eustorgius clericus, cum omnibus ad eam pertinentibus; mansiones quoque in Brivatensi vico et monasterium etiam quod dicitur Volta, in honore Sanctæ Crucis consecratum, sicut sanctus Odilo prædecessor tuus in prædio parentum suorum construxit, cum omnibus suis pertinentiis; cellam etiam Relliacum cum curte et omnibus ad eam pertinentibus; cellam etiam in honore sanctæ Martinæ consecratam, quæ vocatur Ad Pontem; omnes quoque ecclesias et terras, et quæcunque videtur Cluniacus possidere in jam dicto comitatu: in episcopatu etiam Nivernensi cellam, quæ vocatur sancti Reveriani, cum omnibus suis pertinentiis; ecclesiam etiam quæ dicitur Luperciacus, quam Frotmundus dedit cum omnibus suis pertinentiis: in comitatu Pictaviensi cellam Sancti Joannis in villa quæ dicitur Mongon; in episcopatu Sanctonico abbatiam Sancti Joannis quæ vocatur de Engiriaco. Abbatiam etiam Malleacensem concedimus tibi et apostolica auctoritate firmamus. In abbatia autem Sancti Cypriani, quæ est Pictavis, concedimus tibi quod antecessores tui ibi habuerunt.

In episcopatu Caturcensi abbatiam Sancti Petri de Moyssiaco, ut quietus debeas possidere, nostra apostolica auctoritate confirmamus atque laudamus: in episcopatu Vivariensi cellam Mizoscum, cum omnibus quæ ibi aspiciunt; cellam de Rumpono monte; cellam ad fontes, et cellam Riom, cum omnibus quæ habere videtur supradictus locus Cluniacus in jam dicto comitatu vel episcopatu: in episcopatu Uticensi monasterium in honore sancti Petri et sancti Saturnini dedicatum super ripam Rodani situm, cum castro coloncellis et curte Tulleta, cum omnibus ad se pertinentibus ex utraque parte fluminis: in Trecassino episcopatu cellam in honore sancti Amandi consecratam: in episcopatu Arausico cellam in Podio Odoreno; monasterium in honore sancti Pantaleonis constructum, cum omnibus ad ipsum pertinentibus: in Vapincensi episcopatu cellam in honore sancti Andreæ constructam, jam dicto Cluniacensi cœnobio concessam a Rigaudo clerico, cum omnibus suis appendiciis; Ganagobiense quoque monasteriolum, et curtem Valentiolam, et omnia quæ videtur habere supradictus locus Cluniacus, et de quibus rebus habet donationem et descriptionem, atque de villa et castro Sarrianis, et de omnibus quæ habet in patria quæ vocatur Provincia: in Valentinensi episcopatu quod videtur habere cluniacensis locus in villa quæ dicitur Ales, et in monte Sion monasterium Sancti Marcelli quod dicitur ad Salectum, cum omnibus suis pertinentiis, et omnia quæ videtur habere ipse locus in illo episcopatu: in episcopatu Viennensi monasterium quod vocatur Taderniacum, cum cella quæ dicitur Causella, et villa quæ vocatur Brocost, et villa quæ dicitur Insula; cellam etiam in castro Candiaco, cum omnibus ecclesiis, villis, et terris, quæ videtur habere jam dictus locus in ipso episcopatu: in episcopatu Lugdunensi monasterium quod vocatur Amberta; cellam etiam quæ dicitur Saluzatis; cellam Polliacum, cellulam Arthedunum, cellam quoque Saviniacum et curtem Ambariacum; ecclesiam Sancti Andreoli; ecclesiam quæ vocatur ad Oratorium; curtem de Romanis; cellam Cavariacum; cellulam Luiniacum; villam Tusciacum; omnes quoque villas et terras quas Wichardus moriens eidem loco Cluniacensi contulit, cum omnibus quæ videtur habere supradictus locus in jam dicto episcopatu; cellam etiam quæ vocatur Burgum, quam Ancedens comes Deo et Sancto Petro dedit fratribus ejus, et faventibus Burchardo videlicet atque Odone; cellam etiam in honore sancti Georgii consecratam, et ab Ainardo jam dicto loco Cluniacensi datam, quæ

Digitized by Google

etiam est justa castrum quod vocatur Domena; cellam etiam quæ vocatur Portus, in honore sancti Stephani consecratam, in episcopatu Bisuntinensi sitam: in episcopatu Tullensi, cellam quæ vocatur Ramengas. Abbatiam Viziliacensem, ubi sancta Maria Magdelene requiescit, tibi concedimus in possidendum. Monasterium vero Paterniacum, eidem loco Cluniacensi per orœcepta regalia traditum cum omnibus quæ habere videtur in Burgundia, et quæ ipsi monasterio in Alsatia dederunt imperatores Augusti Ottones; monasterium quod dicitur Romanum, cum omnibus ad se pertinentibus jam dicto Cluniacensi cœnobio habere concedimus in perpetuum.

Confirmamus etiam et corroboramus nostra apostolica auctoritate illam convenientiam quam fecit Domnus Hugo Genevensis Ecclesiæ episcopus, laudante et consentiente Rodulpho rege et domina Adeleida imperatrice, de ecclesia Sancti Victoris martyris, cum omnibus ad se pertinentibus. Abbatiam autem Salsensem concedimus tibi, cum consensu et cum licentia senioris nostri Henrici imperatoris Augusti, sicut antecessores tui eam habuerunt. Et supra dicto loco Cluniacensi nostra apostolica auctoritate hæc omnia supradicta loca et monasteria, cum cellis, ecclesiis, curtibus, villis, villulis, servis et ancillis, silvis, vineis, campis, pratis, aquis, aquarumque decursibus, et omnibus terris cultis et incultis ad supradictas potestates pertinentibus, ipsi loco Cluniacensi, tibique et tuis successoribus per hujus nostri privilegii auctoritatem tenenda et possidenda concedimus in perpetuum, ita ut nullus dux, neque episcopus, neque aliquis princeps, neque quælibet magna parvaque persona de præfatis omnibus rebus et decimis quæ inibi pertinere videntur, audeat molestare, vel inquietare. Nec non sub divini judicii contestatione et districti anathematis interpositione statuentes decernimus ut nullus episcoporum nec quilibet sacerdotum in idem venerabile cœnobium, pro aliqua ordinatione, sive consecratione oratorii vel altarium, presbyterorum vel diaconorum, missarumque celebratione, nisi ab abbate ipsius loci invitatus fuerit, venire aut ingredi præsumat; sed liceat monachis ipsius loci cujuscunque ordinationis gradum voluerint suscipere ubicunque, vel a quocunque tibi tuisque successoribus placuerit. Abbates quoque de ipsa congregatione cum consilio fratrum Deum timentium, secundum regulam sancti Benedicti, communiter eligantur, et ad consecrandum eos quemcunque voluerint ipsi fratres episcopum advocent.

Nec quovis modo quicunque episcopus seu archiepiscopus locum ipsum vel monachos ejus excommunicare vel judicare audeat, sed semper sub tutela et immunitate Romanæ sedis soliusque Romani pontificis judicio consistentes omnipotenti Deo securi et quieti deserviant. Parata etiam a quocunque episcopo voluerint in opus consecrationum in ipso loco agendarum, chrisma, oleum sanctum, atque oleum infirmorum accipiant. Concedimus quoque tibi, et ipsi venerabili loco, et confirmamus apostolica auctoritate habere, quandocunque, vel quandiu vobis placuerit, percussuram proprii numismatis vel monetæ, quemadmodum privilegiis venerabilium prædecessorum nostrorum comperimus vobis concessum et confirmatum esse. Tandem in fine per hoc nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium corroboramus tibi, tuisque successoribus, quidquid hactenus possedistis, et acquisistis, et deinceps quovis modo legaliter et juste acquirere poteritis in perpetuum. Si quis autem ausu temerario impiaque præsumptione contra Deum et sanctos ejus apostolos, contraque animam suam, hoc nostræ apostolicæ... maledictionis aculeo transpunctum, nostræ apostolicæ excommunicationis telo perfossum, nostri etiam apostolici anathematis gladio transverberatum, nec nisi per dignam satisfactionem saluti pristinæ reparandum. Qui vero se ab hoc observaverit, et inviolatum hoc nostrum privilegium permanere laudaverit, hic benedictionem, gratiam, et omne bonum a retributore omnium bonorum Deo, et in præsenti sæculo consequatur, et in futuro.

Scriptum per manus Gregorii notarii et scriniarii sacri Lateranensis palatii, in mense Martii, indictione XI.

Datum Romæ in palatio Lateranensi, secundo Nonas Martii, per manus Humberti, sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi et bibliothecarii santæ Romanæ et apostolicæ sedis, anno primo pontificatus domni papæ Stephani noni decimi, indictione undecima.

Digitized by Google

CIRCA ANNUM DOMINI MLIX.

GOZECHINUS SCHOLASTICUS.

MONITUM

DE GOZECHINO SCHOLASTICO ET OPUSCULO SUBSEQUENTI.

(Apud Galland. *Biblioth. Patr.*, tom. XIV, Proleg., pag. VIII.)

Gozechinus, natione Germanus, Leodii aliquando litteras docuit; ubi inter discipulos habuit Valcherum quemdam sibi magnopere charum, ad quem scribit longiorem illam epistolam, quam exhibemus ex Analectis Mabill. Suspicatur idem Mabillonius Valcherum non esse alium a Valtero Burgundione, de quo Adelmannus in Rhythm. Querebatur Valcherus quod immutasset cathedram et Leodium Gozechinus deseruisset: cui, sed præsertim adversariis suis respondet, apologiam facti scribens. Post quam etiam excurrit ad deplorandla prolixius mala sui temporis, quæ propter depravatos mores et hæresin potissimum Berengarii invecta fuerant. Illud maxime ostendere nititur, posse quempiam deserere eos, a quibus parum vel nihil utilitatis exspectet. Hominem se prodit litterarum non ineruditum pro temporis illius conditione. Scripta est epistola paulo post mortem Henrici imperatoris et Luitboldi archiepiscopi qui obiit an. 1059.

GOZECHINI SCHOLASTICI

EPISTOLA

AD VALCHERUM ITIDEM SCHOLASTICUM, SUUM OLIM DISCIPULUM.

(Apud Galland. *Biblioth. Patr.* tom. XIV, pag. 230.)

Præmissa apologia, quod relicto Laodicensis cathedræ magisterio, Moguntiam secesserit, mala sui temporis deplorat, ex Berengarii maxime perversa doctrina consecuta.

I. Unanimi suo fratri et filio VALCHERO, frater GOZECHINUS, in eo quod est esse, feliciter coesse. Retractatis multiplicibus, quæ mihi sæpe ad nutum exhibuisti, benevolentiæ impendiis, multiplex a me tibi, charissime, et habetur et refertur gratia; nec solum pro dulci, jucunda ac suavi veterum recordatione, sed et pro festiva novi muneris exhibitione. Misisti enim mihi quem petebam librum, videlicet opera digitorum tuorum, in quo plane ostendis quanti me facias, quamque id quod me velle nosti, non in secundis habeas. Qui utique liber ita innovat cuncta quæ mihi antehac impendisti charitatis xenia, ac si ea secum gregatim revehens mihi sistat præsentia. Hunc ergo diu a te exspectatum ut primum vidi, ut in manibus accepi, et articulos tuos, imo te ipsum in eo agnovi, et totus in novam tui dilectionem penitus exarsi. ac si antehac expertum non dilexissem. Serio vero triumphat animus, quod rudes articulos tuos aliquando ipse manu mea ad scribendum direxerim, quodque male tornatos apices, cæteraque id genus quæ tenera peccat ætas, super dorsum tuum cuderim, ut scilicet de arbuscula nostra putans superfluam mergitum et foliorum luxuriem, postmodum de cremento et fructu ejus gauderem. Quis enim plantat vineam, et de fructu ejus non accipit? Ego vero sæpenumero laboris mei dulcem messui fructum in his quibus a me plantatis et rigatis Deus dedit incrementum: a nullo tamen eorum tanta mihi affluxit fertilitas, quin semper a te cumulatior mihi arrideat bonæ frugis ubertas.

II. Et o utinam omnes utriusque auditorii nostri asseclas tales enutrissem! utinam vel unum talem senectutis meæ baculum inter eos invenire possem! sed heu! juxta quod divinum per prophetam conqueritur oraculum, hodie est filios enutrire et exaltare; ipsos autem præter admodum paucos, exaltantem se spernere. Viderint autem qui ejusmodi sunt, ne pro contemptu bene monentis patris, a Patre patrum priventur testamento æternæ hæreditatis.

III. Tu vero, mi charissime, fac quod cœpisti, augmenta in majus et melius quæ a me bona accepisti, nec a tua unquam desinas innumerabili erga me benignitate, pro qua ab eo qui tibi me præposuit, æterna doneris hæreditate. Hoc vero nec no-

Digitized by Google

vum facis, nec præter solitum, si te mihi tam exhibes benignum : sed et cum adhuc sub scholari fleres ferula, eadem mihi serviebas benevolentia : et quod de te, ut de cæteris solus metus sufficeret extorquere, tu præ cæteris, ut in tali animante conjici poterat, magis hoc exhibebas ultronea bonitate ; adeo ut totus de nutu oris mei penderes, nec quidquam de verbis meis in terram cadere permitteres. Cumque te adhuc puerum ob hujusmodi diligere cœperim, et propter alia quædam signa virtutis in te jam tum eminentia, factum est accessu ætatis, ut spem honestiorem in dies de te captarem, considerans vim industriæ tuæ ad obscuritatem lectionum, sagacitatem, vigilantiam, acumen alacris ingenii ad fugas subtilium rerum : adeo ut cum cæteri catecheseos nostræ auditores verba magistri dictis vel scriptis nequiverint æquiparare ; tu etiam totum magistrum in te videreris transfundere. Unde et ego cum fratre tuo et cum cæteris amicis quibuscum oportebat gloriabar, speciale quoddam mihi accrescere in areola quam plantabam aromatum, scilicet inter adultos te sapientem puerum.

IV. Ubi vero te adultum propter bonos mores et vitæ honestatem gaudebam sedulo mecum esse, quid te gratius, quid te amabilius mihi erat! nunquidnam aliquis, vel aliquid poterat intervenire, quod te apud me in secundis fecerit esse? Ac multarum quidem rerum atque hominum assiduitas satietatem afferre solet : te vero mihi domi forisque conjunctissimum consuetudo ipsa altius inserebat; ut quotidie gratior recentiorque habereris. Et merito quidem. Nam te mihi in cunctis adeo exhibebas unanimem, ut non solum de successu meo gauderes, verum et, si quando res nostras adversa concussissent, tu multo acerbius multoque indignius atque ego, cujus intererat, tolerares. Eratque jam tum experiri quantum valeas etiam consilio, dum modo profectibus nostris gnaviter annuendo, modo incommodis viriliter obtinendo, res nostras sæpe in melius reduxisti. Si quando vero ab exterioribus mihi non vacabat negotiis feriari, tu vices absentis magistri inter adjutorii nostri concelliones ita exsequebaris, ut quæque vel legendo, vel disputando perplexe intricata, vel in theosophicis, vel in sophisticis occurrissent; ea nodosus ipse sagaciter enodares, et de his ambigentibus ad votum satisfaceres.

V. Cum hæc et hujusmodi plura ita se habeant, possumne, oro, probitatem, industriam, benignitatem tuam, cæteraque id genus bonæ et circumspectæ vitæ munia oblivione transmittere, teque, ne si velim quidem, non amare? Ego vero ut prius in te puero præclaram indolem, ita nunc totis amplector visceribus præcanam adultæ juventutis tuæ maturitatem; nec quidquam magis mihi dolet, quam quod dulcedinis tuæ privatus fructu, velut in quadam deserti solitudine mihi degere videor. Non quia desint frequentissimi comites et charissimi assessores, sed eorum nullus, aut valde rarus est, in quo caput, imo animum tam molliter reclinem. Proinde si fas esset, et ratio pateretur, continuis pulsarem aures precibus divinæ pietatis, si forte detur nostras admitti voces intra sacrarium exauditionis : quatenus tandem aliquando eo loci nos componat, ubi tua vel aliorum quibus concrevi, vel quos enutrivi, benignitate, qua, dum vacabat, jucunde fruitus sum, adhuc frui liceat, sicut prius, et de vestro convictu gloriari, sicut antiquitus.

VI. Licet enim aureum regni caput, nobilis videlicet Moguntia, mellifluis ubertatis suæ rivis, quibus undique affluit, liberali me aspergine perfundat, et in splendidissima sacri senatus sui corona non humili loco mihi curulem ponat; præter omnes tamen (ut pace ejus dixerim) angulus ille mihi ridet, quem mater Legia forti virtutum robore nodosa indigenis suis tam delectabilem, quam jucundum exhibet. Ipsa enim, ut nosti, ex occidua sui parte, non sulditis collium clivis clementer erecta, geminoque publici montis reflexu, qui in dorso non multum audaci, quatuor regularis vitæ gestat greges; ipsius, inquam, gemino reflexu molliter situata, sicut gallina pullos suos, ita hæc filios suos sub alas colligit, fovet et nutrit, et ad omne quod civile sit, et moribus conducat, informat et instruit : nec quidquam patitur deesse, quod vel copiam regere, vel inopiam possit temperare. Allubescit quoque et alluit ad loci munimentum et copiæ supplementum non subitis allapsibus bicornis Mosa, fluminibus nostræ Belgiæ non immerito præferenda : quæ non solum civibus, sed et indigenis terræ piscium copia fluit dapsilis, variis mercium commeatibus habilis, omnique prorsus commoditatum genere conducibilis, excepto (ut venia tua satyrice, licet sine metro ludam) quod si quando in convivium deorum cum nubigenis amnibus fratribus suis, cumque Æolo rege, et ventis suis intra palatium Junonis adciscitur, dum longis laboribus exhausta, solito uberius Æolo propinante, nives vel imbres adhibens inebriata revertitur; collectis influentium sibi fluviorum copiis, velut contracto exercitu, per regionem circum circa lymphato cursu debacchatur, quæque sibi obvia proterit et populatur; nocturna piscatorum furta, quæ illis impune cessisse sæpe dequesta est, prohibens punit; sata quæ avidi agricolæ, littoris virectis audaci sulco violatis, ubi ipsa vellet meridiari, insperserant, eluit et prostrat. Nos quoque indignata littoreis aquatilis aulæ suæ atriis placito vicinius insedisse, et calones nostros eam sæpius inquietare, domos nostras non supplex ingreditur; omnibusque expulsis, nihil deprecata, violenter hospitatur. Et quia sæpius ac familiarius inimico sibi numini supplicamus, larem familiarem discruciatis excudit; omnesque sibi invisi numinis reliquias, etiam favillam et cinerem, eluens exstinguit : donec patientia nostra vix tandem satiata, dum ei non resistimus quia non valemus, alveum suum vix demum placata repetit; et nuda nimis relinquens vestigia, in sua se palatia recipit. Habent quoque suburbana nostra undique versum suave olentes hortos olerum, et

Digitized by Google

dulce rubentes lucos arborum, scilicet vineis nostris brachiis aliis habilioribus sibi regionibus intendens, suprema vitium putamina et paucos inspergens thyrsos, extremam imposuit manum. His et hujusmodi multis commoditatibus Legia nostra ubertim ditata, adhuc habet multo potiora, hisque longe longeque præeminentia. Denique ipsa flos Galliæ tripartitæ, et altera Athenæ nobiliter liberalium disciplinarum floret studiis, et (quod his præstantius est) egregie pollet observantia divinæ religionis, adeo (quod pace ecclesiarum dixerim) ut, quantum ad litterarum studia, nihil de Platonis expetas academia; quantum vero ad cultum religionis, nihil de Leonis desideres Roma.

VII. Inde ergo undique versum Christi bonum spargens odorem, plurimam ad se gregatim confluam allicit et recipit multitudinem : quorum nemo se adhuc ei applicuit, qui non profecerit in melius, nisi ipse sibi nimis obdormivit. Cum ergo nostrum sit tale Leogium, quicunque ei derogat, quicunque cognitum non amat, ut rustice loquar, habeat Dei odium. Inde est, charissime, quod continuis huc votis ruo : et licet alibi degam, animo tamen ibi tecum habito.

VIII. At vero forsitan me insimulas levitatis, quasi hanc vivendi, imo vacandi et gloriandi locum quæram; quod utique est animi vanitantis : acideque redarguis, quod velut ex desiderii affectu, modo situm, amœnitatem, affluentiam et sapientiam tantopere nostri extollam Leogii, cui aliquando Moguntinam præferens gloriam, dederim libellum repudii : quodque tanta fluitem animi inconstantia, ut modo Leogii positus suspirem Moguntiam; modo Moguntiæ satus animo Leogium recurram. Adhibes quoque tibi patrocinium Flacci, ut ulcus quod tibi videris secare, tanto asperius sattrico sale valeat infricari :

Cœlum, *inquit*, non animum mutant qui trans mare [currunt.

Item :

In culpa est animus, qui se non effugit unquam.

Novi, charissime, te nihil sinistrum contra me moliri, nec idcirco te mihi ad resistendum opposui : sed novi canes illos, qui clandestino morsu semper parati sunt alienam vitam discutiendo rodere, suam vero flagitiis obvolutam in cœno vitiorum volutare. Hos mihi post tergum derogantes sub persona tua, velut in faciem resistentes, mihi oppono : his sub tuo nomine, de quo nihil sinistrum suspicor, respondere paro : ut arguta cavillantium invectione displosa, dissolutum sit quidquid unquam in me arcus livoris super his jaculatus est, et enervatum quidquid serpentinus odii sibilus amarius in me cavillatus est. Unum autem verbum, et pro omnibus unum, hoc est, cujus per omnis hujus tomi areolas semper meminisse debes, scilicet ut quidquid in hoc velut conflictu laute, lepide, amabiliter dictum sit, applices tibi : quidquid vero dure, acide, mordaciter inspersum sit, adversæ detrahentium reputes parti.

IX. Video, frater, video quisquis es quem sub amici persona mihi opposui, quem sub advocati scena figmenti ex adverso dicere feci : video, inquam, quod ancipiti mę gladio impetis, ac duplici mecum telo congrederis : in altero quidem levitatis inconstantiam arguere paratus, in altero vero pertinaciam in vitiis confodere animatus. Attentius ergo videndum est, quia in me subtili criticorum lance uteris, quid ad singula responderi conveniat objectis. Ergo arguis in me levitatem vanitantis animi, qui velut hac illac fluitans vacare desideret, et gloriari, pro eo quod Leogium nostrum tantopere laudaverim, meque ibidem cum necessariis meis libenter vivere dixerim, quod quidem injuria facere, nec æqui bonique ducere videris, sed commoda nostra obliquo invidiæ oculo limare, et cynico detractionis morsu venenare contendis. Nunquid nam diversis locis et temporibus melioris vitæ rationem colligere, velut variis litterarum studiis et disciplinarum experientia, liquidum scientiæ mel stipare adscribis levitati? Num in melius velle proficere deputas vanitati? Nunquidnam e diversis locis salubres petuntur et aquæ et herbæ, quæ suapte vi valeant quæque morbida sanare? Nonne duodecim sunt horæ diei? nonne ordinate dispositum est quid sit agendum mane, quid antemeridianis, quid postmeridianis horis, quid vespere? Sed jam heu! matutinum, in quo erat lætitia, transiit; et vesperum, in quo demorabitur fletus, advenit. Jam posuit Dominus flumina in desertum, et fontes aquarum in sitim; terram fructiferam in salsuginem, et cætera. Et quid de reliquo faciendum est in hac rerum sentina, ubi cunctis quæ a Patribus ad nos demanarunt, et studiis et disciplinis tantopere reclamant mores et tempora? Num ideo, ut tu desipis, a bonis est desistendum, et nundinis insistendum, ut obliti quid deceat, quid non, Itacensis Ulyssei vitiosum flamus remigium? Nonne magis oportet quemvis, qui quidem vir fiet, ut semper deteriora vitans, id appetat, unde se ipso semper melior fiat? Tam vero abest ut hæc sint animi vanitantis ut sint etiam animi ad postes ostii sapientiæ mane vigilantis; et hoc de fratre sentire vel dicere, sit invidiæ et odii malignantis.

X. Quod autem hostili me premens telo, dicis, quid mihi et Leogio? quod olim insolenter deserens turpi notarim elogio; cuique Moguntinam præferens gloriam, ceu vilem reputaverim scoriam, certe nimis a veritatis tramite aberrasti, vel potius totus veritate excidisti. Dicdum, quæso, tu qui sub ovino vellere lupino ritu latras, e duobus alteri præfertur, qui postulat, an qui postulatur? Quid respondere hæsitas? num tibi laqueum tendi putas? Ergo taces? satis concedis illum præferri, quem constat ab altero postulari. Dic ergo, nunquid elogium [*id est* injuriam] intuli Legiæ, quando eligit ut propter me rogaretur a se ditiore; exaltata autem Legia, dum vel invitatus,

Digitized by Google

vel jussus a summis aurei illius sæculi viris, veni Moguntiam? Numnam matri Legiæ feci repulsam? nunquid eam insolenter sprevi, quam velut matrem benevolentiæ amplexibus strictam nunquam deseruI? Profecto non, ut cornicaris, dedi ei libellum repudii, sed decorem tripudii : non elogii notam, sed honoris coronam : quando per os meum eructavit cor ejus verbum bonum; quando contuli in thesauros hujus affluentiæ, quod accepi in thesauris illius sapientiæ. Nec unquam hodie effugies, etiam si alter sies Protheus, donec veris victus fatearis, quod nihil quidquam obsit cum ratione loci mutatio, tantum de bono nihil mutetur proposito : quamque sapientem oportet omnes vitæ rationes pro loco et tempore metiri, nec juxta leviculum Diogenem omnia in medio haberi.

XI. Quod autem de Flacco tuo ad vitii notam mihi inuris, sive poeticum illud, sive philosophicum sit, satis sui auctoris struit argumento, ad id quod astruendum instituit, non tamen ut proposuit, ita est necessarium : quia qui trans mare currunt, sicut cœlum, ita mutare possunt et animam, V. G. si quis idiota et insulsus Athenas pergat ve. naviget, ibique doctrinæ sale inspersus, stultitiam sapientia commutet. Illud autem sequens, ubi de loci vel cœli mutatione tacuit, et animum redarguit, magis facit ad rationem; nihil ad bene vivendum, vel prodesse vel obesse loci, nisi certa mutationum ratione; quin potius valde culpandus est animus, qui se nunquam effugit talem, qualis jacet in corruptela et cœno vitiorum, et per arctam moralis disciplinæ semitam ad seipsum non confugit talem, qualis effici potest in schola virtutum. At vero non est modo nostri otii vel operis exquisitius prosequi quid de his argumentando elici possit : hoc interim, si placet, relinquamus eis quorum tota natio, tota ratio garrulitate procaci concertando, sophisticis cavillationibus totum discendi vel dicendi otium operamque insumit.

XII. Habemus autem antiquiora his quæ ad hanc rationem faciunt argumenta, quibus probetur, quid vel patria vel locus aliquis ad bene vivendum sapienti nihil confera. vel auferat : quin potius ipsa sibi virtus ad bonam beatamque vitam usquequaque sufficiat. Denique Teucer, inhibito sibi sine patre reditu, cum Salamina patrem aversaretur, et a sociis Patriam suspirantibus ubinam vellet degere rogaretur: Patria, inquit, cujusque est, ubicunque bene est. Quo quid acutius ad hanc qua de agitur, vitæ rationem dici possit non video, si bene esse suo accipiat modo. Socrates quoque rogatus cujacem se esse fateretur? mundanum esse se respondit, id est, non unius alicujus loci, et incolam et civem esse totius mundi. Hoc verbo designans, quod ubicunque esset, nihil de virtutis proposito mutans, idem esset; quodque cum omnibus qui in toto mundo ratione uterentur, communem vitæ municipatum haberet. Philosophi quoque nobilissimi, sicut in veteris monimentis legimus, Zenocrates, Crantor, et Chrysippus, Aristoles, Carneades et Panætius, aliique innumeri, nullum certæ habitationis locum sibi ad bene vivendum elegerunt : sed semel gressi ad investigandam toto fugientem orbe sapientiam, nunquam domum reverterunt. Talis est vita perfecti consummatique sapientis, quem quocunque res cedat, non in Phalaridis tauro vel carnificina, quem a constantiæ gravitate, a propositi rigore nullus unquam deflectit locus; cui totus mundus ad bene beateque vivendum unus est locus. Sed quorsum ista? scilicet ut arguens refellatur, videatque locum vel insessum vel mutatum, sapienti nihil obesse, cujus propositum est ubivis locorum in constantia virtutis eumdem esse.

XIII. Sed quid nobis hæc peregrina? Scilicet apostoli, quos de mundo elegit qui mundum fecit, primum sub cœlesti magistro in schola veritatis vivæ vocis auditu eruditi, dein ut radii veri Solis emissi ad illuminandum, et ut sal terræ dispersi ad purgandum et condiendum, non patriam vel locum, non agrum vel domum, non quidquam quod mundi esset sibi proprium duxerunt, sed salvandis animabus primo durissimum prædicandi laborem etiam in frigore et inedia vanisque periculis impenderunt: dein exemplo Magistri, qua charitate majorem nemo habet, animam suam pro fratribus posuerunt. Omnis autem beata illa posteritas, quæ ex hac Patrum spirituali generatione descendit, populus scilicet acquisitionis, qui testamento sanguinis Christi in Israeliticam dignitatem adoptatus, in genus electum et regale sacerdotium Domino eligente successit; omnes, inquam, isti eamdem vitæ viam, licet sub varia graduum et officiorum distinctione ingressi, quia in terra aliena, non quæ sua essent, sed quæ aliorum laboraverunt; quia non habentes hic manentem civitatem, futuram inquisierunt : ideo in veram repromissionis terram filiorum Israel, ab eo qui ascendens captivam duxit captivitatem, feliciter transmigrati, facti sunt ibi cives sanctorum et domestici Dei.

XIV. Neque vero arbitreris, me aut ignorantiæ cæcitate, aut oblivionis caligine obrutum, ordinatas Christianæ militiæ phalangas præterire, aut eis petulanti vagantis licentiæ arrogantia præjudicium inferre, quæ videlicet intrantibus novæ Hierusalem, tam se ipsis quam infirmioribus Ecclesiæ membris armatura Dei protegendis excubare videntur et regularis vitæ rationem, seu militaris vigiliæ stationem demigrando mutare prohibentur. Novimus enim divinis Patrum edictis cautum esse, ne quis, nisi recta ratione, ad alia demigret, ne quis alienum clericum sollicitet : nihilominus etiam scimus libere permissum, si qua Ecclesia in diversis graduum et officiorum functionibus minus plenos habeat, ab alia Ecclesia cui talium copia est, non negandum petens accipiat. Graduum, inquam, velut si de alia Ecclesia sibi petat ordinari episcopum aut presbyterum : officiorum, velut si sibi petat institui regularem prælatum aut litterarum magis-

Digitized by Google

trum. Scimus quoque in eisdem spiritualis vitæ gregibus alios esse, quibus contemplativæ dulcedinis felix patet otium : alios, quibus in lucrandis animabus activæ dispensationis evangelicum injungitur negotium : quorum alii circuli, alii vectes, alii vectores facti, novam testamenti arcam portant, donec eam in æterna sistant vita, in laudem et gloriam omnipotentis Dei. Hæc est illa graduum et officiorum distinctio, et bonorum operum quæ in his geruntur splendor, quem videbat propheta in ornatu reginæ, quæ in vestitu deaurato assistens a dextris sponsi regis, fulget circumdata varietate. Hanc eamdem distinctionem idem propheta in ænigmate speculabatur, quando miratus admirabile nomen Domini in universa terra, pro eo quod super cœlos elevata esset ejus magnificentia : miratus, inquam, filium hominis paulo minus ab angelis minoratum, et propter passionem mortis in consessu Patris gloria et honore coronatum : *Omnia*, inquit, *subjecisti sub pedibus ejus, oves, boves, pecora campi, volucres cœli, pisces maris.* O beatus ille qui talia videbat! beata et sanctorum Ecclesia, quam, et cui, et in qua talia prævidebat! Ibi enim sub pedibus Christi discretas videbat pias volucres cœli ab his quæ obunco avaritiæ rostro, recurvo rapacitatis ungue mitiores alites in aere devorant : ab his quoque, quæ ad hoc innatant aquis, ut in profunda cupiditatum demersæ, hiantem avaritiæ ingluviem rapaci miserorum piscium captura pascant. Ab his, inquam, discretæ sunt mites illæ volucres cœli, quæ picturatis bonorum operum vestitæ plumis, habentes etiam virtutum pennas et duplices charitatis alas, quasi columbæ volant ad fenestras suas. Ibi etiam sunt stellæ cœli, quas Abraham in promissione accepit : *Multiplicabo*, inquit, *semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam maris.* Hæ stellæ puritate vitæ lucidissimæ splendent in cœlo, sicut Ecclesiæ verbis radiantes, exemplis rutilantes.

XV. Sed quid nobis ad volucres? quid nos ad stellas cœli? Nos enim sumus miseri pisces maris, nos sumus arena maris, nos fluctibus sæcuti ut arena contundimur; nos æstibus mundanæ incertitudinis, ut vagi pisces circumferimur. Et quæ est nostri ad pias volucres cœli comparatio? quæ ad lucidas stellas collatio? certe ea quæ est nihili ad aliquid, si tamen ratio patiatur, ut hoc comparatio dici possit. O utinam in aliqua spirituali lacuna procul a tempestatibus conquiescamus! utinam sub aliquo vivæ rupis abscondito delitescamus, ubi venti fortunæ vires suas exserere, et nos ludibrium suum nequeant facere! Hanc ergo quietis lacunam et vivæ rupis latibulum, nostram mihi eligerem et optarem Legiam, nisi tu tam aspero Flacci tui sale defricares levitatem meam. Eligerem, inquam, studiorum nutricem Legiam, fontem utique subtilium ingeniorum, et divinæ sapientiæ feracem locum, utpote civitatem quam digitus Dei multiplici distinxit gratia, quæque sui similes viros dono Dei semper est editura. Sed quid dixi? quasi ipsa mea laude indigeat et non per se satis emineat. Non enim indiget alicujus laude adumbrari, vel in commentitiam effigiem beatæ civitatis alicujus sermone picturari : quia vere viva civitas est, et beatus locus, divinæ religionis vivens institutis et legibus. Cum ergo angustum matris et nutricis nostræ caput nive candidius albeat reverendis antiquæ sapientiæ cunis, cumque trito gestet in vertice splendidum diadema divinæ religionis; fulgeat quoque auro tectis insignium gestorum cycladibus, et tota sit desiderabilis undique virtutum circumamicta varietatibus : sanusne sis, si suadeas ut umbram alarum ejus non requiram? quod tantidem est, ac si hortere, ut eam odio habeam. Numnam ut ejus solus potiaris, solus communibus fruare commodis et gaudiis? Sed absit hoc a modestia et probitate tua; absit ut hoc unquam de te quem tantisper norim, credat anima mea. Tam vero abest, ut a me odio habeatur, ut etiam si prohibeat, vehementissime dirigatur.

XVI. Nec hoc dico, quin uber colonia, quam inhabito, paterna mihi viscera, et materna exhibeat ubera : sed autem tecum ludo, aut opto quod vellem, si ita sine honoris præjudicio fieri concedat Dei gratia : nec mihi debes ad vitium reputare, quod apud præstantes viros, dum res ita poposcit, constat non insolitum fuisse. Namque plena est exemplorum vetustas, plena et modernæ ætatis novitas, quanti quique illustres viri certa ratione loca demutaverint; nec loca ipsa, sed quid inibi moribus eorum oberat, devitarint; aut certe, ut multis ad salutem prodessent, ad alia demigrarint. Abraham quippe et filii ejus patriarchæ non tot loca mutavissent, non tot puteos aquam vivam quærentes fodissent, si in uno aliquo loco cuncta bona vitæ suæ congruentia reperissent. Jacob quoque, nihilo minus vates quam patriarcha, nunquam in animabus septuaginta (qui mysticus numerus est) ad Ægyptiam descendisset primo ubertatem, postea servitutem, nisi canineam fugeret famem. Joseph quoque bis venditus ab invidis fratribus bene locum mutavit, qui in tempore angustiæ multis ad vitam profuit. Qui videlicet vir primo virga tentationis eruditus, et camino tribulationum ad purum excoctus, inde in dominum Ægypti excrevit, unde dorsum patientiæ sub oneribus et manus obedientiæ in cophino servituti subegit.

XVII. Possem innumera ejusmodi ad medium deducere, nisi castigato tibi crederem ista sufficere. His ergo Flacco tu cum cœlo et animo suo castigatius sit responsum, quam se copia suggerit, ne de cætero alicujus propositum tam improvide carpserit. Excute ergo de manibus cum cœlo suo Flaccum tuum, et psalterium arripe meum. Quod si non vis, sine rivali solus ama et habe illum : satis autem inexpugnabilium luce rationum superius probatum videtur. Tamen si Flaccus tuus taceat, quin bene vivendi locus est, ubicunque sis, et si te

Digitized by Google

animus non deficit, equus est etiam salubris.

XVIII. At attamen licet vagando et vacando bene vivendi quærere locum, e sacrario sapientum viperas eccephalorum eliminet regula rationis; tamen permagni refert videre, quibuscum diverseris. Non recordaris quid laboranti prophetæ divinum dicat oraculum? *Fili*, inquit, *hominis, incredituli et perversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas.* Num te præterit genuina scorpionum malitia, qui non dente mordent, non lingua inficiunt, non ore venenantur, sed tantum nocent cauda? Hos quippe scorpiones notabat Psalmista cum dicebat: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.* Item: *Qui loquuntur pacem cum proximo*, etc., quos quantum ipse omnesque sancti viri semper exsecrati sint, subdendo aperit: *Da illis secundum opera ipsorum*, et cætera quæ sequuntur.

XIX. Ecce iterum me pervicaciter premens adjicis: Nunquidnam eidem Prophetæ mandat idem oraculum, locum vel animum fugiendo mutare, at non potius ad corrigendos perversores et evenenandos scorpiones, etiam usque ad sanguinem resistere? Nonne idem Propheta vincula, famem, lacum cœnosum pertulit, cæteraque id genus plura, quæ a principio semper piis malignantium perversitas intulit? Utique, frater, ita est: et tamen non modo hominibus, sed etiam viris supra vires est semper in procincta esse, nunquam animum ad divinæ contemplationis dulcedinem remittere: jugiter tumultuosis assultibus percelli, nunquam internæ dulcedinis quiete foveri. Nunc iterum antiqui illius Musonii dicto, velut hostili armaris telo, dicens: Animum remittere, amittere est; et Christiano theologi nostri muniris clypeo:

Nunquam bella bonis, nunquam discrimina desunt.

Ad hæc ego: Animum, inquam, in delicias voluptatesque resolvere, et posthabitis iis quæ ad salutem animæ operantur et protegunt, in terrena desideria remittere, vere amittere est. Verum animus a sæcularium tumultu, quantum homini vacat, feriatus, si nubes curarum, si ventos imbresque detrahentium linguarum, si tempestates et turbines falsorum fratrum in altum se attollens transcenoat, et a districto rigore militaris disciplinæ remissus, in illam placidissimam et lucidissimam divinæ contemplationis quietem se totum resolvat: ita vere non amittitur, sed potius retinetur, vel (quod potissimum est) tunc demum vivere videtur. Quod autem noster ait Theologus, semper Christiano esse pugnandum, nihil unde vel ausim vel queam diffingere; sed tamen salva virtutis constantia liceat dicere, satis superque esse laboris, si a foris in falsis fratribus bella et seditiones cessent, interius vero nostri conatus vires contra antiqui hostis tentamenta decertent, donec his armatura Dei superatis et expugnatis, donante Christo accipiamus quietem pacis perpetuæ.

XX. Adhuc pervicacius agens dicis, semper in Christianæ militiæ castris utrumque pugnandi genus sudavisse et Augustinum, Ambrosium, Athanasium innumerosque notæ frontis Patres, et exterius contra apostolos et discipulos Satanæ, et interius contra spiritualia nequitiæ usque ad victoriæ coronam fortiter dimicasse. Assentior quidem, frater, his quæ tum vere, tum curiose argumentaris. Mihi tamen non satis recte omnem electorum Ecclesiam in hoc pugnæ studio concludere videris. Nam et de fastis et chronicis, imo si de authenticis scripturarum monimentis Deo militantium colligas annales, certe tam theoreticis, quam practicis, hoc est tam otiosis quam negotiosis virtutibus, eos Deo placuisse invenies. Et ut pauca de his in argumentum fidei compendio perstringam, considera sub umbra legis Josue, Gedeon, David, et coronam Machabæorum; dein Moysen, et Aaron, Eliam, et Elisæum, et prophetarum chorum. Ad summam nota quod Paulus de iisdem antiquis Patribus dicat: *Sancti*, inquit, *per fidem vicerunt regna*, et cætera quæ sequuntur usque *circuierunt in melotis, et in solitudinibus errantes*; et tandem omnibus enumeratis concludit dicens: *Et hi omnes testimonio fidei probati inventi sunt.* Iis et hujusmodi, si diligentiam consideritionis adhibeas, videbis certe patriarchas quidem practice negotiis instantissime occupatos; prophetas vero contemplativæ quieti serena mente feriatos. Quomodo enim aliter, vel isti salutem gentis suæ forti manu propugnarent, vel illi sereno mentis oculo beatas visiones viderent? Nec hæc dico, quin in utroque ordine fuerint plures utriusque propositi: sed hæc tamen adscribitur generalis distinctio utrique ordini. Transacta autem Veteris Testamenti nocte, in cujus firmamento memorati Patres velut clarissimæ lucebant stellæ, ubi illuxit dies quam fecit Dominus, et ortus est Sol justitiæ Christus Jesus, vide Barjonam Petrum, et vas electionis Paulum usque ad martyrii coronam in acie perstitisse: Joannem vero angelicæ virginitatis theologum, et Lucam Evangelii conservum, quorum alter primo contra bestiam Domitianum aliosque antichristos fortiter decertavit; dein vero sopitis earumdem bestiarum furoribus, theologiæ otio vacans, et in ipso divinitatis arcano Evangelii calamum tingens, in pace consenuit. Lucas autem cum peripatetico Paulo aliisque Evangelii veredariis, primo circumquaque desudavit: dein in theologiæ otium se conferens, et sacram incarnati Verbi historiam texens, beato fine in pace obdormivit. Vide dehinc quos memoras, Augustinos et Ambrosios, ut vere asseris utroque pugnandi modo in acie feliciter perstitisse. E diverso autem attende Paulos et Antonios aliosque innumeros Christi crucifixos pene ab exteriori turbine vixisse feriatos; atque etiam ipsa interioris pugnæ certamina, adjuvante gratia Christi, post tergum misisse, et jam quasi in cœlestibus ei conregnare qui dicebat: *Nostra conversatio in cœlis est.*

XXI. Nec solum theologi evangelicæ lucis irradiati claritate, verum et priores philosophi et heroes quamplurimi gentilibus obvoluti tenebris, non tam

Digitized by Google

exorto Sole justitiæ, et negotiosis et otiosis virtutibus, quas partim naturæ beneficio, partim liberalium disciplinarum studio assecuti sunt, vitam suam in illo suo honesto et utili solertissime exercuerunt : quando alii eorum vel artis militiæ stipendiis devincti, vel publicis administrationibus perfuncti, domi forisque graviter agendo, terra marique fortiter pugnando, celebre nomen sibi perpetuo, ut putabatur, propagarunt. Alii vero vel emeritis laboribus nobili otio donati, vel etiam in otium quod elegerant odio sæcularium, se conferentes, vel scribendo, vel disputando juxta sibi ac reipublicæ consuluerunt.

XXII. Quod si, ut argumentosus es, etiam nunc præmissis pugnacius contendis refragari, succenturiatis cincta sententiis aderit ipsa Veritas, nec suis desinet partibus suffragari, et ut verius testatiusque sit quod asseveramus, adducet nobis in præsidium fidei de consilio utriusque Testamenti personas, de altero quidem Rachelem et Liam, de altero autem Martham et Mariam. Sed quorsum hæc omnia? profecto, ut patenter advertas, sicut præmissum est, semper et otiosis et negotiosis virtutibus electos suos Deo complacuisse, nec alterutram partem unquam alteri præjudicasse. Quia sicut acceptat Deus quod practice laboratur, ita non excluditur ab ejus beneplacito, quod suo tempore theorice sabbatizatur.

XXIII. Papæ autem ut nodosus es, frater, ut fungino capite es, et totum te tegis! Jam enim putabam te desiisse, et vel dicentis auctoritate, vel potius dictorum gravitate pressum, manus veritati dedisse. Et ecce iterum clangis tuba, iterum perstrepis ad arma, iterum excusando impugnas animum, qui tantopere otium amplectitur et quietem, minitans segnitiem et socordiam, quæ se theoriæ pallio amicit, te, detracta pelle e latebra quam fovet, protracturum in lucem : recurrisque ad prædictum prophetam dicens, quod corrigendis perversoribus et evenenandis scorpionibus tanto impensius acriusque institisset, quanto furiosius eos ad repugnandum, et scipsum discerpendum animatos vidisset. Addis quoque pigritanti stimulum Flacci, quo ille satirico Damasippi sui peroratus commento, in desidiam invehitur dicens :

Invidiam placare paras virtute relicta.

XXIV. Contemnere, miser, ve. medius proponis fortissimum illud constantiæ solamen, quod vas electionis et solidissima mens primitivæ in electos persecutionis manu detegit dicens : *Omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur.* Et : *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Adhibes quoque præterea certanti scutum divinæ protectionis, quo Dominus in propheta perduelles suos confortans dicit : *Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum ut eruam te, dicit Dominus.*

XXV. Fateor quidem, charissime, vera sunt et ea quæ de crassa satirici Damasippi profers Minerva, ubi poeticum figmentum philosophicum habet argumentum; vel ea quæ de divino producis oraculo, ubi sine nube figmenti, clara patet veritas argumenti. Vera, inquam, sunt, et omnino idonea, non tamen omnino efficacia ad persuadendum, quando animus irrevocabili tenore ab his diversum eligit propositum. Didicisti cum Tullio docente oratoris officium et finem : officium quidem, apte ad persuadendum dicere ; finem vero, persuadere dictione. Horum ergo alterum optime affers, dum apte ad persuadendum dicis : alterum vero minime, quia dum persuadere dictione minime vales, fine excidis. Nosti autem quod tanti æstimatur officium, nisi fine suo, id est effectu potiatur, quanti est satio, si nunquam metatur. Proinde apte de labore dicens, officio recte fungeris ; sed dum quietem et otium eligenti persuadere non potes, ut supra dictum est, fine excidis. Quis enim hodie otium negotio non præferat, quando, si labores in vacuum cadat; si cesses, tantidem valeat? Quis enim non temperet a labore, ubi negato etiam eo de quo convenisti denario, minimum laboranti, plurimum conferat otianti, siquidem otio bene utatur? Quis autem, nisi mente captus, tali pergat tempestate supra spinas serere, ubi mala terra tribulis genuinæ perversitatis horrens salubrem cultoris manum, et bonum verbi semen spernit admittere? Felix utique terra, in qua per verbum hominis seminatur verbum Dei, quæ cœlestibus rigata et compluta docentium nubibus, centuplum reddit fructum ad horrea Domini Dei sui. Extra terra illa ferrea merito cœlum habet æneum, quæ accepto semine non fecundata germine, quidquid spinarum et zizaniorum generat, in tempore messis alligatis fasciculis mittitur in ignem æternum. Denique tali terræ et tali vineæ cultoribus non respondenti Paterfamilias merito iratus per prophetam minatur dicens : *Non putabitur, nec fodietur, et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem;* scilicet eos quos secundum propositum prædestinationis prævidit damnatum iri, hoc verbo secernens ab his, quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Inde etiam, ut arbitror, legislator et prophetarum Dominus in suo, de quo tota lex pendet et prophetæ, Evangelio loquitur dicens : *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas mittatis ante porcos.* Quo utique verbo damnandos secrevit a salvandis, ne surdis prædicando in vacuum cedat pia sollicitudo laborantis.

XXVI. Jam tandem, charissime, fateris, ut arbitror, nec tali temporis articulo mihi tibique, et piis omnibus, nec frustra, nec otiose exoptasse otium : quippe quando nec honesto, nec utili, vel certe (quod his antiquius est) saluti non respondet negotium. Unde, ut arbitror, veris victus, et quietis illecebra ductus in nostram cedis coloniam, nec ultra, si sapis, infensor otii contra defensorem insinues querelam. Ut autem pernoveris quod nunc huic tomo maxime in causa est, mihi quidem optabile requiro otium, utpote qui longe longeque ultra

Digitized by Google

legitimæ missionis metam emeritis milito stipendiis : tibi vero, licet adhuc succulento et viridi, et piis omnibus, tantidem, quia timeo, vel certe video quod in laborando frustra volvitis rotam nativitatis. Quare autem frustra, quia superius abunde est expressum, castigatæ disputationi idem repetere superfluum est. Nosti præterea quod levitæ ex mandato legis a XXV annis et supra jubentur ministrare; a quinquagesimo vero, qui et Jubilæus est et mysticis celeberrimus sacramentis, custodes vasorum fore. Maturius autem lege militarium sanctionum tirones scribuntur ad militiam ; eamdem tamen, quam et illi, legitimæ missionis habent metam. Cathedra quoque scholaris magisterii et juxta metam militaris disciplinæ in auditorium catecheseos habet januam institutionis, sed longe maturius absolvitur exitu necessariæ missionis. Cujus laboris tempus, quia nihil difficilius sub sole geritur, vel quod magis operarii sui vires exhauriat, a sapientibus præfinitum est septenne, nisi de cætero is qui præest, auctoritate præsideat, non labore. Omnes itaque has metas, partim tu, charissime, ex toto, ego jamdudum, transegimus, et adhuc gemimus sub fasce, adhuc in eodem desudamus labore ; et nulla nobis adhuc arrisit gratia emeriti honoris, quæ ex æquo compenset vicem tanti laboris. Non est, præter admodum paucos, qui opus illud retractet, non est qui recogitet. Liberales enim disciplinæ minis et histrionibus posthabentur, et pene per tabernas mendicare videntur, pecunia illa super..... philosophantur, mammona super reges et tetrarchas omnibus dominatur. Ad summam, omnia virtutis præmia feralis possidet avaritia, et in regno pecuniæ ambitio sua taxat mercimonia. Quid de tantillis nobis credamus futurum, ubi lapides sanctuarii dispersi sunt in capite omnium platearum ? Quæ vero sperari vel concupisci potest, aut dignitatum ministratio, aut spiritualium vasorum custodia, ubi non vasa misericordiæ præparata in gloriam, sed ubique videntur vasa iræ apta in interitum, a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum?

XXVII. Ex eadem itaque toxicata avaritiæ radice, et ex hoc pestifero zizaniorum semine, mala orta est et quotidie in pejus pullulat exitialis morum et disciplinæ jactura, adeo ut in nullo regularis officii regimine liceat uti solemni majorum censura vel ferula : sed si tortuosis vitiorum anfractibus manum in virga directionis stimulo represseris, continuo pro majoribus quidem aut multitudo similium propugnatrix, aut pecunia defensatrix accedat : pro minoribus vero aut immatura libertas, aut allatis pedibus fuga liberatrix intercedat. Sed de majoribus silere præstiterit : veritas enim odium parit. At vero hi qui adhuc sub scholari ferula erudiendi essent, quia ignaviæ, socordiæ et deo suo ventri manus dederunt, dum instrui refugiunt ad gravitatem moralis disciplinæ, ut levis palea circumferuntur omni vento doctrinæ, et, juxta eumdem Apostolum, sanam doctrinam non sustinentes, sed ad sua desideria coacervantes sibi magistros, prurientes auribus, vanis et pestiferis inserviunt vocum vel quæstionum novitatibus : et qui adhuc nudum et molle lutum in rota disciplinæ artifici pollice et vehementi torno formari deberent in vasa gloriæ, ab inde in externa fugitando resilientes, deformantur in vasa contumeliæ. Qui etiamsi aliquid extremæ vel garrulæ cujusdam scientiæ colligant per eruditoria, quasi vagi palantesque nullo contenti discursant. Quia de moribus extrema, vel nulla quæstio est, reversi ad suos, excusso ab indomita cervice timoris jugo, et disrupto disciplinæ freno, seipsos perdite vivendo, alios fermento malitiæ corrumpendo, totos rapiunt in præceps.

XXVIII. Quidam vero facti suæ cujusdam institutionis pseudomagistri, dum certum ignorant præsepe, nec in sua quæ non habent, se possunt recipere, hac illac per villas pagosque urbesque circumcursant, novas Psalterii, Pauli, Apocalypsis lectiones tradunt, juventutem novorum cupidam, levitatis pedissequam, disciplinæ refugam, post se per voluptatum declivia trahunt : reverentiam disciplinæ, subjectionem obedientiæ, observantiam religionis, postremo omnia regularis vitæ munia perditissima morum corruptione confundunt.

XXIX. Et ne forte me putes in hujusmodi derogantis linguæ tela dirigere, et novorum, imo meliorum suggillationem invidiose texere ; non omnino credas verbis meis, crede potius oculis et auribus tuis. Vide, si placet, quam sanæ doctrinæ, quam salubris disciplinæ theologi de Turonensi emergant academia, cui præsidet apostolus ille Satanæ Berengarius. Vide, inquam, quam pestilentes, imo lethiferi scorpiones et reguli de cavernis erumpant totius nostri temporis Babyloniæ ; qui hæresiarchæ sui musto ebrii, et veneno delibuti, de sacris sacrilegas introducunt novitates quæstionum, ad nihil utiles, nisi ad subversionem audientium : quorum sermo ut cancer serpit ; quia scientia, quæ inflat, non ædificat, sed subvertit.

XXX. Isti de rebus sacrosanctis, de cœlestibus scilicet sacramentis, quæ sancti Patres, quoties ad ea se audebat tractatus eorum attollere, videntes ea non solum sermonem, sed etiam humanam superare rationem, et reverenter, ut oportebat, attingebant ; et, ubi opus erat, habentes clavim David, subtili discretione aperiendi et claudendi, quantum ad sobrietatem sapientibus satis esset, ea catholice exponebant ; de his, inquam, rebus et sacramentis et novas et peregrinas cudunt a fide intelligentias ; et ipsa sacramenta cœlestia, quæ in altari consecrantur, dicentes umbram esse non veritatem (quod lingua refugit, et auditus perhorrescit) obnoxia contendunt ventri et secessui juxta naturæ necessitatem, quæ scilicet naturæ dominus in fœdere humanæ reconciliationis omnipotentia sua sacramentum fecit, et Christianæ animæ escam spiritualem, unde in æternum vivat, dedit. Isti eumdem agnum paschalem, qui eadem sacramenta in seipsum ineffabiliter

Digitized by Google

transformans nobis condidit et consecravit, crudum vel coctum aqua, non assum igni comedunt, et quod ejus residuum est, et semper erit (quia nullus unquam mortalis, quantumlibet sciens, ad incarnati Verbi arcanum plena intelligentia in hac vita penetrare potuit, aut poterit), igni non comburunt. Isti improvidam simpliciorum fratrum facilitatem, et maxime curiosam discurrentium perfugarum levitatem novo quodam docendi lenocinio occupantes, primo ipsam Scripturarum superficiem, quasi planam ad septicolomnem sapientiæ domum ostendunt viam, et rectam, velut ad portum salutis, demonstrant semitam : deinde sophisticæ disputationis retibus captos, et carnalis scientiæ acumine hebetatos, per captiosos necessariæ argumentationis ducunt anfractus : donec extranea et a salute peregrina quæstionum novitate pulchre ad perniciem instructos, una secum demergant in puteum interitus.

XXXI. Tales ergo quia non advertunt, quod non humano aut sæculi sensu in Dei rebus sit loquendum, quodque inventum mel ad sufficientiam, non usque ad nauseam sit comedendum, dum sua freti sapientia nimium majestatis profunda scrutantur, oppressi a gloria in errorum profunda præcipitantur : et dum imprudenti carnalis sapientiæ audacia lippientes oculos animalis hominis, qui non percipit ea quæ Dei sunt, in verum Solem defigere nituntur, ipsius inaccessæ lucis radiis repercussi, in exteriores errorum tenebras projiciuntur. Isti de divinis sacramentorum mysteriis, semper quidem reverendis, nec unquam humano sensu aut ratione attingendis, dum impiis non timent contentionibus inservire, nihil sano auditu dignum merentur diffinire : et dum naturæ terminos volunt includere, et id quod totius rationalis creaturæ rationem superat, humana ratione pergunt concludere, vere in lapidem offensionis et petram scandali impingunt : quia de piis sane doctrinæ uberibus pro lacte, butyrum aut sanguinem exprimere contendunt. Hanc mortiferi dogmatis pestem ab Ecclesia sua Christus Jesus radicitus evellat, priusquam modicum fermentum totam massam corrumpat.

XXXII. Cum ergo hoc toxico, insuper et multiformi malitiæ et nequitiæ fermento tota undique fermentetur Ecclesia, nec usquam pene sinceritatis et veritatis integrum servetur azyma : cumque nemo pene sit qui contra hæc vel ad vera bonæ vitæ instituta, vel laboret ipse, vel laborantem de vita mercede remuneret; et ob hoc ipsa quæ vix residua est, laborantium paucitas tædio victa, a labore temperet : quis negotio non anteponat otium? quis inutili labori et clamori ad surdos non præferat quietem et silentium? *Posui*, inquit, *ori meo custodiam cum consisteret peccator adversum me : obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis.* Et quid hujusmodi humiliatis et a bono silentibus agendum sit Jeremias docet dicens : *Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit se super se.*

XXXIII. Hæc omnia sapienter despexit Ilerimannus Remensis, Drogo Parisiensis, Spirensis Huoremannus, Bavenbergensis Meinbardus, et præterea multi, et præstantes, et præcipuæ auctoritatis viri, qui, præcisis speciebus, et abdicatis laboribus, studiis valefecerunt; et sapienti consilio usi, in theologiæ otium concesserunt. Ego vero quid facerem? cur non idem vitæ propositum de cætero eligerem? Ego vero ac lubens. Ad hoc enim etsi generalis piorum omnium querela vel causa me non urgeret, singularis tamen vitæ meæ decursus, et rerum mearum proventus me idem eligere satis moneret. Vitæ namque decursus continuo laboris attritu effetas exhaurit, si quæ supersunt, corporis vires, et præmaturas inspergit capiti nives : unde et maturum mihi minatur exitium, nisi mature me conferam in quietem et otium. Proventus autem rerum mearum, licet abunde expetendarum affluat copia, tamen maxime desiderabilium aporiatur inopia, eorum utique de aureo majorum sæculo prius audita, quæ felicioribus nostræ memoriæ diebus ipse oculis meis vidi, scilicet fidem non fictam, et veritatem integram; præceptum Domini in invicem conservare, justitiæ et æquitati nihil anteponere; nihil remittere de gravitate disciplinæ et religionis, nihil admittere quod non esset publicæ utilitatis et honestatis; cæteraque id genus omnia, quæ in luteis humanæ naturæ cratibus auratis possunt mentes ædificare, et in vasis fictilibus desiderabiles thesauros reponere. Hæc sunt quæ melioribus nostræ memoriæ diebus me videre, et his interesse serio gaudebam. Nunc vero quia pene ex toto defecerunt; non tam meam, quam communem defleo miseriam.

XXXIV. Et ut antiquiora, et ob hoc meliora se taceam tempora, et de his loquar quæ partim ipsi vidimus, partim recenter gesta fideli relatione didicimus; a diebus domini Notgeri nostræ urbis episcopi, eorum pontificum qui ei contemporales in Ecclesia florebant præcipui, usque ad hæc quæ jam in miseria defluxerunt duo lustra, misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt. Nunc autem de terra sublata est, et justitia in cœlum recessit, et repentino quodam fortunæ impetu, et monstruosa rerum perturbatione inversa et perversa sunt omnia; et, ut breviter dicam, omnia prædictis contraria. Adeo ut si quis inter has sæculi tempestates eodem rationis claro et eadem via mandatorum, quasi cœlestium ductu siderum, velit seipsum et sibi credita regere, ipsa turbidus violentia percussus cogatur ab incœpto desistere. Quod quam horribile, quam monstri simile sit, nulli facile explicabile est. Legimus enim nonne illud prioris sæculi aurum argento cæteris inferioris pretii metallis sensim et per temporum intervalla degenerasse, nec tam subito sui coloris speciem amisisse. Nunc autem, ut præmissum est, monstruosa et inaudita quadam rerum perturbatione, quasi in momento, a suo statu subversa sunt omnia : nec pene

Digitized by Google

quisquam est, qui proprii ordinis vel officii servet legitima : sed desiderabile illud nostri temporis aurum repentino quodam casu, non ut prius per temporum intervalla, non in argentum vel cætera quantivis pretii metalla, sed in stipulam et fenum, aut certe in favillam et cinerem omnino redactum est. Ut enim cuncta quæ superius objectis tuis respondendo dequestus sum, compendioso recolligam epilogo, postquam clarissima duo Ecclesiæ luminaria, quæ nimis sero Deus accendit, et nimis mature in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum abscondit, Henricum dico secundum imperatorem, et Liutboldum Moguntinæ sedis protopræsulem, in quos aurei sæculi fines cum maxima sui decoris specie devenerunt : hæc, inquam, clarissima duo luminaria, postquam ab his tenebris ad veram lucem, a qua etiam huc alluxerunt orbi terræ, ut oramus et optamus, assumpta sunt; quidquid divinæ religionis, quidquid æquitatis et justitiæ, quidquid liberalium studiorum, quidquid liberalis disciplinæ ubique vigebat, sicut tunc temporis Ecclesia et vario virtutum decore et multiplici liberalium litterarum propagine florebat, cum eis pariter sepulta, imo in cœlum recepta sunt : ita ut nihil eorum pene remanserit in terra præter admodum pauca, et hæc ut umbræ inanis vestigia.

XXXV. Namque in primis, hi qui in populo Dei magistratus et duces locum regiminis occupant, sine respectu Dei videntis, sine metu hominis corrigentis, omnes pene quæ sua sunt quærunt, non quæ communiter et aliorum : quia non est timor Dei ante oculos eorum; et ideo contritio et infelicitas in viis eorum. Et quomodo cognoscent viam pacis, qui devorant, inquit, plebem meam ut cibum panis? Quia vero non est qui hoc requirat, non est qui arguat, pro studiis divinarum Scripturarum invaluerunt studia partium, pro gravitate et modestia religionis, gloria et gloriatio vanæ elationis : et dum divitiis et honoribus gestiunt alter alterum prævenire, nec timent profanis mentibus odiis et contentionibus deservire; nec quidquam pensi habent, cum tyrannidem potius quam regimen exerceant : ad quem exitum, imo exitium talia provenire debeant? Hæc autem majestas et talis potestas, si quando sedeat pro tribunali, ut subjectorum facta debeat examinare, et neglecta in oculo suo trabe de oculo alterius festucam eruere, avaritia comes in medio astans declamat querelas; exsudat causas, fas et nefas, sacra et profana in medio haberi deplorat : miserationem judicum, auctoritatem legum, jura divina et humana implorat; et nisi id quod arguitur, in loculos numinati illius qui incesserit, fuerit punitum, perturbationem conqueritur fore omnium judiciorum. Hoc autem tonitruo cunctis terrore perculsis, ipsa utrimque susurranti inclinat aurem, utrique pari linguam aptat venalem, utrumque torvum retorquet oculum, utrique promittenti rapacem porrigit manum : et quem modo quod concupivit habentem accusat, modo quod quærebat dantem excusat : perorata vero causa violentiæ et rapacitati cæterisque concurialibus suis media residens, de libro suo legit quod sit justum, et eisdem juratis legibus sibi assentientibus, lege nummularia in reum profert judicium; et tandiu vinculatus tenetur reus, donec illum absolvat mammona deus : quemque modo Labeonem lege Cæcilia sufficit cruci, modo Catonem lege monetaria donat curuli. In omni autem concione hujus potestatis hoc proponit auctoritas legum, in hoc consentit summa judiciorum, ut qui non potest solvere de immenso suo, solvat quod compar sit de dimenso suo : et si non habet unde solvatur, sine miseratione crucifigatur

XXXVI. Inde est quod cum in nundinis sanctum videmus Evangelium, venales in Ecclesia columbas et cathedras vendentium, nec longe ab his mensas nummulariorum, quia hodie nec gratis quidquam accipitur, nec gratis datur : cum hæc, inquam, videmus, attentius vacamus omnes foro quam choro, cautius usuris quam scripturis, impensius mercationi quam religioni; magis implendis capacibus marsurpiis, quam assequendis liberalibus studiis : et omnino missis his quæ evangelica veritas, apostolica institutio, sanctorum Patrum auctoritas ecclesiasticis sanxit disciplinis, sæcularium desiderio adeo inhiamus, cumulandis divitiis tantisper occupamur, ac si tali pretio vitam æternam mercari mereamur. Quare hoc? quia tanti quantum habeas sis. Omnis enim res, ut ait quem nosti :

> Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
> Divitiis parent, quas quis contraxerit, ille
> Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam rex,
> Et quidquid volet.

Cum ergo ex ea quæ malorum omnium radix est avaritia, hæc horribilis spinarum silva emergat, facile, imo horribile, est videre hoc spinetum quem fructum ferat. Inde est quod dum acquirendis immoramur studiis, in comparandis honoribus invicem præcurrentes, non honore invicem prævenientes, antiqua divinæ religionis immutata facie, paterna moralis disciplinæ pene in fabulam redacta institutione, frater fratri invidemus, alter alteri mordendo derogamus : invicem accusantes intestina bella movemus, acutis verborum spiculis fratrum corda confodimus; dolos in corde versantes, simulationem in vultu, fallaciam in verbis proferimus, et omnino ad injuriam mandatis Dei omnia mandata ejus præ pecunia parvi habemus. Postremo omnes levitate et morum inconstantia, quasi arundo ventis adeo agitamur, ut in quo pridie studiosus vehemens vel certe nimius fueris, postridie ne quidem memineris. Et quid super his speramus futurum? certe hoc, ut facto de resticulis flagello omnes hujusmodi Dominus ejiciat de templo. Valde etiam timendum est triplex illud animadversionis flagellum, quod per prophetam populo peccatori Dominus intentat, dicens : *Ecce ego inducam super eos gladium, famem et pestem . et dispergam eos in omnem ventum.* Hujus

Digitized by Google

autem flagelli quosdam quasi ramos et prænuntios videmus sensim de terra oriri, quando paulatim conterit Dominus baculum panis et lætitiam vini, dum inter Christianos audimus geri bella et seditiones, super Christianos paganorum crebras incursiones. Unde datur conjici id quod restat, nisi correctione nostra propitietur Deus, non diu dilatum iri.

XXXVII. I nunc, frater, age contra otium et quietem, et qui ea hoc tempore concupiscit, voca pigrum et socordem. Et o utinam, desperatis laborum præmiis, ea potiamur optata et salubri quiete cui non labor succedat, sed gloria accedat in senatu cœlestis curiæ! Si quid, frater, nosti rectius, candidus, imperti : si non, utere mecum. Quod si generosa magnanimitatis tuæ fortitudo adhuc his non acquiescat, et eam nihil arduum aggredi pigeat : alium quam me tibi quære Ferentarium, quia me hoc tempore in pugna non habebis socium : vel quære alterum Martium, cui opus hoc committas, cui tamen bonis initiis meliores eventus, quam illi Romano tribuas. Ego vero licet in illo quam ferali, tam diutino vinculatus carcere, quantalibet potero effetas vires solabor quiete : et spero quod aliquando tandem exaudiar, et longa optatæ missionis ducens suspiria, si non emeritus, saltem emissus, alicui transcribam mea tristia regna. Nihil vero in voto meo ponens, aut voluntati relinquens, me lutum suum ex toto committo figulo meo : ipse me fingat in rota sæcularis ordinis, prout sederit beneplacito suo : utcunque me ejus tornet potentia, nihil addam, nisi solemne illud obedientiæ verbum : *Fiat voluntas tua.*

XXXVIII. Constat, frater, quorsum aberravimus quorsum a recti itineris linea cursum nostrum detersimus : quoniam me abduxisti ignarum, adque verborum diverticula me traxisti dulcedine tuæ charitatis ebrium. Vide frater, et diligenter vide, ne dum quædam scripturarum sidera incaute sequimur, in cautes et syrtes adacti Charybdeum incurramus naufragium. Vide, inquam, etiamsi minus libito, ne dictum sit amplius licito, quia flagelli plaga livorem facit, flagellum linguæ comminuit ossa. Proinde jam nunc illuc redeat oratio, unde abiit, et ad te revertatur, unde prima ejus scaturigo profluit : et quia a charitate cœpit, in charitate desinat. Charitas vero nunquam excidat, sed hic sata et crementata, veram sui plenitudinem præripiat in vita æterna. De probitate autem tua, gravitate, modestia et constantia, deque cæteris bonæ vitæ functionibus satis in superioribus dictum sit : de affectione vero tua, benevolentia, cæterisque humanitatis officiis, neque hic, neque ibi satis unquam dici poterit. Hoc tantum tibi imprecer, ut semper in melius et majus proficias, donec ad eam aspires crementi plenitudinem, in qua nullum detrimentum pertimescas. Porro hunc quia desiderabilem thesaurum in fictili vase servas, non otiosum duco si te commonefaciam, ut diligenter adhibeas pervigilis cautelam custodiæ. Hoc autem feceris, si cunctas tuæ civitatis portas, omnes hujus luteæ domus fenestras, custodia humilitatis sub sera et sigillo habeas : si cunctos hujus fictilis vasis exitus et aditus virtutum repagulis munias, ne vel exitus his qui intus servantur, vel aditus pateat his qui foris insidiantur : quia si elationis levitate foris effluant ea quæ intus bene congesserat operosa manus solliciti laboris, continuo ea, aut difficile, aut nunquam recolligenda disperdet et dissipabit ventus superbiæ in perditionem suæ vanitatis. Si vero a foris patente aditu maligni irruperint hostes, ea quæ plurimo cum labore intus gessisti violenter diripient, nihil reliqui victo præter gehennam facientes. Proinde quidquid gratiarum in te divinitus collatum est, quidquid divini muneris in thesauro conscientiæ tuæ collectum est, nec mihi imputetur plantanti et riganti, nec tibi terræ ubertim fructificanti : sed totum referatur ad Patrem luminum, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum.

XXXIX. Possem quidem uberius et plenius perfectionis tuæ munus applaudere : sed propter notam assentationis non patitur gravitas modestiæ. Librum autem quem mihi scripsisti, quemque mihi scribendo occasionem fecisti, in quo mihi articulos digitorum, oculos et animum, inclinium cervicis, laborem capitis, imo te totum animo meo insinuasti; in exterioribus meis non invenio unde possim ex æquo recompensare, vel plurimæ benignitati tuæ talionem reddere. Sed primum rogari ab eo tibi restitui, a quo hæc et omnia quæ habes bona accepisti, ut ad invicem hujus benevolentiæ aureis bonorum operum litteris nomen tuum scribatur in libro vitæ. Dein non dormitabit nostra erga te devotio perpetua, si permodeste succinctis rebus nostris, quantum utrique nostrum ad honorem conducat, remunerandi subluceat occasio.

XL. Jam tandem his quæ dicenda erant, prout negotia patiebantur, explicitis, calamus se totum novo scribæ scalpello, non Judaico, sed scholastico more circumcidat; et ad te recipiendum, salutandum, festive habendum, non quantum latius, sed quanto lautius valet, accingat; quia te, quem interius in visceribus Jesu Christi teneo complexum, a foris non dimittam, nisi laute acceptum : sciasque ejus dapis te esse debitorem, cujus te nobis festivum exhibuisti convivam et assessorem. Saluto te cum paucis, licet sim cum multis : quia vel pauci sunt indigenæ ejus quam servo coloniæ, qui norint quanta virtutum dote industrium ornaris animum, vel pauci sunt boni rerum æstimatores, qui sanum de rebus ferant judicium. Si enim te noscerent, et de te pro meritis æstimarent hi qui multa bona noverunt et oderunt, profecto te amarent. Saluto te cum his cooperatoribus nostris, qui ad bonam frugem instituti de academia nostra ascenderunt, et in locis certe præcipuis magisterii cathedram sibi vindicaverunt. Saluto te cum tirunculis nostris, qui adhuc in scholari desudant palæstra; nobilissimum utique

Digitized by Google

bonæ indolis florem, qui ad nutum oris nostri fructum suum meditatur etiam sub ferula : quorum etsi nomina tibi scripta legeres, tamen notitia careres, cum faciem ignorares. Quo tamen verbo me ipse coarguo : quia si cujusque notitiam ex facie metiris, nec te nosti ipsum, cum faciem tuam nunquam ipse videris. Saluto te super omnia ea genuina charitate, qua te in cunabulis disciplinæ, elementario eruditionis lacte nutrivi, et ad solidum perfectioris doctrinæ cibum usque perduxi, ut de cætero commilito meus in acie, et concolonus in labore, communiceps mihi sis supernæ civitatis, et cohæres æternæ hæreditatis. Salutatus ergo saluta ex meo A nomine humili fratres meos, non quos caro et sanguis in unam mihi congeneravit cognationem, sed quos aqua et Spiritus in unam mecum regeneravit adoptionem : ut cohæredes Christi in regno Dei Patris testamento sanguinis ejus sortem accipiamus æternæ beatitudinis. Saluto ergo patres et dominos fratres et amicos ; patres cura regiminis, dominos dignitate prælationis; fratres in Deo patres, amicos in charitate. Saluta, inquam, unumquemque eorum, prout nosti mecum esse vel tecum. Salutatio mea sit ad vos omnes, ut eo adjuvante in quem credimus, pariter simus æternæ vitæ consortes. Amen.

ANNO DOMINI MLIX.

JOANNES

SABINENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ughelli, *Italia sacra*, I, 159.)

Joannes Joanni suffectus est, electusque episcopus cardinalis Sabinensis a Leone IX. Romano concilio interfuit sub Nicolao II, anno 1059. Sub Alexandro II e vivis eximitur. Hujus Joannis Sabinensis episcopi in monasterii Farfensis indignum facinus, atque in eum divinam ultionem recitat anonymus Vaticani codicis de destructione Farfensis monasterii anno 3 Leonis IX. « Temporibus Leonis papæ, Joannes Sabinensis episcopus, qui insidiabatur monasterio Farfensi pro decimis et oblationibus mortuorum, maxime pro ecclesia S. Angeli in Toncia, de qua olim fecerat iniquam convenientiam cum domino Ugone abbate, qui eamdem ecclesiam S. Angeli tenuit et possedit in dominium hujus monasterii, quam convenientiam ideo diximus, quia temporibus D. Adriani I pontificis Hildebrandus dux per suum præceptum huic monasterio concessit. Hæc omnia ignorabat præfatus Hugo abbas, utpote alienigena vir, et prædictam concordiam ab episcopo suscepit, nesciens. Itaque prædictus episcopus insurrexit post hoc, et ad eamdem ecclesiam S. Angeli armata manu perrexit, ejus altare amovens destruxit, et reliquias ex illo abstrahens secum asportavit; et cum inde ad episcopium reverteretur, subito cœlo optime serenato orta est aquæ, grandinis et fulguris B maxima tempestas. Quo viso episcopus secessit a via in quemdam locum qui dicitur Area, et moram aliquantulum ibi cum ipsis reliquiis fecit. Accidit tunc grande miraculum, in ipso loco ubi reliquiæ manebant, nil pluviæ vel grandinis ibi cecidisse. Cessante vero tempestate, rediit ad episcopatum cum magno pavore. Altera autem die, hoc cum audiret D. Bernardus abbas Ortanus, elegit quemdam episcopum, qui tunc forte hospitabatur in hoc monasterio, de Ultramontanis partibus, et collectis abbatiæ viris et fidelibus militibus cum maximo honore reædificare studuit ipsum altare, magnis et præcipuis ibi reconditis reliquiis. Super quam rem prædictus episcopus valde condoluit Sabinensi Ecclesiæ, et quia altare ipsum destruxerat et reliquias C asportaverat, ipsa nocte percussus est, et unum totius latus corporis obstupescens, donec advixit, periit. Post hoc veritus et pavens super hoc, et nimis dolens, pro ædificatione quam D. abbas noster fieri studuerat, ad eumdem locum episcopus perrexit, et abstractis inde novis quas invenit reliquiis, priores illic honorifice recondidit; de ipsis vero novis reliquiis in suo episcopio altariolum construens, consecravit, et demum in D. abbatem nostrum in synodo proclamationem sic fecit. »

Digitized by Google

QUERIMONIA JOANNIS

SABINENSIS EPISCOPI

Contra Farfenses monachos in synodo Romana anni 1051.

(Mansi *Concil.* XIX, 797, ex Chronico Farfensi, *Rer. Ital. Script.*, III, II, 581.)

Audiat Dominus et totius regni ..... moderator æquissimus, vel primæ sedis episcopus, audiatque cuncta hæc sancta synodus, percipiatque justam proclamationem quam facio super abbatem Pharphensem, a quo multas et passus sum et patior injurias. Est quædam ecclesia in honore S. Michaelis archangeli, sita in monte qui dicitur Tancia, videlicet in episcopatu meo, quæ juris mei episcopatus est, cujus altaris auctor et dedicator creditur fuisse Silvester beatissimus hujus almæ sedis episcopus; super quod altare non est veritus abbas ille ausu temerario maceriam addere, et supra tanti consecratoris violatam consecrationem missas per monachos suos cantare, nullo vel faciente vel jubente episcopo. De ecclesia autem illa nescio per quem datorem, medietatem obtinet ecclesia Sanctæ Mariæ, cujus ipse abbas est; medietatem vero alteram episcopatus possidet meus. Sed ex his medietatibus inter me et abbatem Hugonem talis obligatio facta est, ut semper in tempore quadragesimali et in mense Maio meus ibi cum suo minister sedet, cæteris vero temporibus solus suus ibi sedet minister, a quo tria xenia in anno haberem. Et si unquam abbas ille aut aliquis successor ejus aut venderet alicui, aut donaret, aut propter beneficium, aut quoquo modo ipsius ecclesiæ medietatem suam, tunc ad meam meorumque successorum deveniret proprietatem. Et si ego vel aliquis successor meus de medietate ipsius ecclesiæ quæ est mei episcopatus, aliquid tale fecissem, tunc ipsa medietas ad abbatis deveniret proprietatem. Et ecce domnus ipse abbas in his omnibus cecidit, quia neque ministerium meum ita tractavit ut decuit, neque promissa xenia misit, sed medietatem suam duabus Dei ancillis dedit. Arsit prædicta ecclesia una dierum, et post combustionem duxit ille episcopum Siphoniensem, et, me nolente et nesciente, consecravit eam. Cum vero una dierum sciret me iturum fore ad quemdam locum, mei senioris jussione implenda, paravit adversus me insidias, et tales, ut si me posset, occideret, aut si non posset, domum in qua ipse noctu jacerem, incendio concremaret. Cujus nefariæ adinventionis exstitit auctor Petrus monachus, qui dicitur de Laurentio, et cum eo Datus de Uberto, Teuzo de Berizo, Albertinus Adulterinus, Barocco, Petrus Castellanus, Raino de Crescentio, Follia Joannes Ferrarius, Rainaldus de Guidone presbytero, et Azolinus. Unius denique mei archipresbyteri silvam incidit ob hoc quod meum fidelem illum cognovit, quæ non minus valuit quam centum libras. Cepit quemdam servientem meum, et quia dixit se meum esse, abstulit ei equum et omnia vestimenta ejus. Præterea decimas omnes quæ mihi pertinent, nec non et partem meam de bonis mortuorum, ubicunque valet, contendit, maxime tamen in Bucciniano et Vulpiano. His et aliis ab eo abbate pressus adversitatibus, proclamo me super illum, quærens misericordiam vestram, ut non sinatis Ecclesiam meam, imo tam vestram quam meam, tantis adversitatibus gravari tantisque molestiis molestari, sed potius liberata a perturbationibus tanti perturbatoris, grates iude maximas Deo reddamus et vobis (1).

(1) His ita recitatis, quæsitum, est ab advocato domini abbatis ut domnus papa, sancta synodo concedente, inducias permitteret ad singula quæ Sabinensis episcopus conclamaverat, verius et subtilius investigandum et respondendum. Tunc benigna largitione permissum est. Aderant autem ibidem utriusque partis amici veraciores et pacifici scrutatores, qui ipsas res canonice indagantes, retulerunt domno papæ quod per legem vel sacros canones judicare vellet, ne ambæ partes in detrimentum gravissimum devenirent, videlicet propter violationem et destructionem altaris et reliquiarum ejus, quas auferre idem Sabinensis episcopus præsumpsit, et propter deprædationes sive incendia quæ postmodum domni abbatis militum exercitus fecit. Nam proprietas ecclesiæ pro acquisitione et authentica professione antiquior et anterior per omnia inventa est hujus nostri monasterii fuisse. Hoc summus præsul certius discernens, litem ipsam, proutcunque potuit, sedare fecit, et edidit monasterio huic mirabile privilegium suæ piæ confirmationis de omnium hujus monasterii bonorum acquisitionibus liberrime possidendis. Denique post longum tempus, nostris scilicet diebus, ita vidimus et audivimus referentem et certissime testantem quemdam Rom. episc. nomine Petrum, jam nimis vetulum, qui Romæ morabatur apud Sanctum Vincentium, juxta ecclesiam sanctam beati Petri apostoli, omnia, ut supra diximus, coram se examinata, et diffinita fuisse et privilegium sic editum. (*Sequitur privilegium.*

Digitized by Google

ANNO DOMINI MLXI.

HUMBERTUS

S. E. R. CARDINALIS, EPISCOPUS SILVÆ CANDIDÆ.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud J.-G. Eccs, *Purpura docta, seu Res gestæ, legationes*, etc., *S. R. E. cardinalium, desumpta ex Ciaconio, Andrea Victorello, Augustino Oldoino*, etc.; tom. I, pag. 15.)

Humbertus, nullo cognominis vocabulo ab auctoribus insignitus, ortum traxit e Burgundia, ordinis S. Benedicti, professus in divi Mansueti primi Leucorum antistitis cœnobio in Tulli suburbiis sito, vir Græce et Latine doctissimus. Hunc S. Leo papa nonus, ejusdem civitatis Leucorum episcopus, Romam profecturus, comitem sibi itineris delegit anno salutis 1049. Paucis post mensibus in Siciliam divini verbi populis illis annuntiandi causa missus, cum strenue officio suo fungeretur ejusdem regionis archiepiscopus, mox S. R. E. cardinalis, et episcopus Sylvæ Candidæ ab eodem Leone est institutus.

Humberti cardinalis virtutes insigni elogio complexus est Lanfrancus, illius ævi doctus et pius auctor archiepiscopus Cantuariensis, in libro adversus Berengarium hæresiarcham de Eucharistia edito, in quo asserit : « Fuisse Humbertum virum religiosum, fide Christiana et sanctissimis operibus decoratum, scientia divinarum et sæcularium litterarum apprime excultum, ut omnes attestantur qui vel propria experientia eum noverunt, vel ab aliis qui eum experti sunt, ejus cognitionem acceperunt. Hunc non e Burgundia, ut quidam male scripserunt, sed e Lotharingia S. Leo Romam perduxit, et ad prædicandum Siculis verbum Dei archiepiscopum ordinavit; postea vero S. R. E. præsulem cardinalem constituit : quo in loco positus taliter vixit, taliter docuit, ut de fide vel doctrina ejus nulla ne minima quidem sinistræ suspicionis fama exorta sit. Hujus rei testis est tota fere Latinitas, quæ pro excellentia apostolicæ sedis, cujus consiliis et conciliis semper aderat, et præerat, eum ignorare non potuit. »

Idem Lanfrancus eodem in libro alloquens Berengarium : « Venerabilis, inquit, Humbertus, quem quasi exprobrando Burgundum nominas (quasi non posset Deus in Burgundia servos habere fideles) nihil aliud fecit nisi quod Scripturam ipsam, præcipiente synodo, manu in manum porrexit. » Exstant passim plura ejus apud alios encomia.

Anno Domini 1053, cum percepisset Leo pontifex monasticam cœnobii Sublacensis disciplinam Othonis abbatis incuria et oscitantia fœde collapsam, malo occursurus, in consortio Humberti eo profectus est; abrogatoque Othone dissolutæ observantiæ reo, Humbertum regimini præfecit, qui vigilantia sua, vitæque probatissimæ exemplo exstinctam pene humique jacentem disciplinam rursum ad pristinum decorem revocavit atque erexit. Pro qua tuenda multos postmodum a discessu Leonis exantlavit labores.

Trani in Apulia negotiorum causa dies aliquot transigenti Humberto, exemplar datum est epistolæ Græco idiomate a Michaele Cerulario, patriarcha Constantinopolitano, et Leone Acridano Bulgarorum archiepiscopo scriptæ ad Joannem Tranensem episcopum, quam latinitate donatam Leoni summo pontifici ad censuram submisit. Epistolæ plenus hic arrogantiæ titulus præfixus erat : « Michael universalis patriarcha novæ Romæ. » Cujus tenor tria potissimum capita, vel potius convitia continebat; primo : Ecclesia Latinam Judæos superstitioso exemplo imitari in benedictionibus panis, azymi; secundo : Morem eam sequi barbarorum suffocata manducantium; tertio : alleluia ipsam decantare paschali solummodo tempore. Quibus omnibus lectis calumniis plenissime satisfecit Leo pontifex, prolixa epistola ad eumdem Michaelem et Leonem directa, quæ inter ipsius Leonis IX, epistolas prima ordine recensetur.

Anno 1054, jussu Leonis pontificis, legatione functus est Humbertus Constantinopolitana una cum Frederico Lothareno cardinale, et Petro archipræsule Amalphitano ad Constantinum Monomachum IX, imp. Augustæ Zoes maritum, et Michaelem Cerularium patriarcham, in causa conciliandæ Ecclesiæ Græcæ cum Latina et implorandi auxilii adversus Nortmannorum tyrannidem. Hos sedis apostolicæ legatos imperator convenienti obsequio et honore excepit, quemlibet eorum in signum amicitiæ, ad gentis morem, exosculatus. Quæ autem ea in legatione peracta fuerint, Humbertus legatorum primarius scripto exaravit ad Leonem pontificem : notans inter cætera Nicetam monachum, qui pectoratus est nuncupatus, in ipsius imperatoris, legatorum et procerum præsentia, multa verborum acrimonia commendasse libellum quemdam Attico livore et supercilio in Ecclesiam Latinam compo-

Digitized by Google

situm, tria potissimum capita *De azymo*, *De sabbato et Nuptiis sacerdotum* complectentem. Quem Augustus orthodoxus, cum præter convitia et errores nihil solidi aut sani contineret, legatis suadentibus, flammis exuri jussit. Rebus ita compositis, cum Humbertus cum collegis jamjam abitum Romam versus pararet, Michael patriarcha, vir impius, fraudulentus et callidus, libelli exustione commotus imperatorem adiit, acturus de legatis retinendis, eo fine ut in Sanctæ Sophiæ templum sub aliquo comitiorum congregandorum prætextu introducti a populo saxis impeterentur et risui exponerentur contra jus gentium, imo naturale et divinum. At prudentissimus imperator perversam Michaelis mentem subodoratus scandalumque exinde oriturum prævidens, impiæ petitioni nullatenus assentiri voluit. Quin potius regiis donatos muneribus, prosperaque precatus, ut in viam se, Deo duce, darent, hortatus est.

Interim Michael artes suas elusas ægerrime ferens ad novas struendas insidias conversus, litteras dedit ad Petrum patriarcham Antiochenum, effreni calamo in Humbertum et socios detonans atque, ut eos veluti Græce religionis contemptores et hostes interciperet muneribusque spoliaret, mandans. At Petrus legatorum innocentiam perspectam habens, neglectis Michaelis injuriosis mandatis, eos qua decuit humanitate excepit, novisque auctos muneribus cum honore dimisit.

Anno 1055 Romam allapsi, loco Leonis demortui Victorem II, ad clavum Ecclesiæ sedentem invenerunt, a quo, paucis interjectis mensibus, Humbertus ad Cassinense monasterium ablegatus est ob acres monachorum dissensiones in causa intrusi Petri abbatis exortas. Quas tamen Humbertus, sponte prælatura cedente Petro, atque in ejus locum monachorum suffragiis, suffecto Friderico Lothareno cardinale, facile composuit.

Vita functo Victore II, tribus electionibus, Stephani scilicet X, Nicolai II, et Alexandri II, pontificum suo suffragio interfuit, sub quorum regimine nonnulis annis amplissimum munus bibliothecarii et cancellarii incredibili laude et dexteritate exercens. Anno salutis 1059, jussu Nicolai II et synodi Lateranensis, præscripsit formulam fidei pronuntiandam in concilio a Berengario hæretico resipiscentiam tum fingente coram ducentis triginta episcopis et prælatis. At cum Berengarius finita synodo ad instar canis impuri ad vomitum redlisset, voce ac stylo plaustra convitiorum tum in Humbertum, tum in Ecclesiam Romanam exoneravit, quemadmodum jam allegatus Lanfrancus strenuus Ecclesiæ et Humberti defensor attestatur.

Assumpto ad pontificatum sub nomine Stephani X Friderico Lothareno, vel (ut Baronio et aliis placet) sedente in Petri cathedra Alexandro hujus nominis II, Humbertus legatus in Angliam destinatur, ubi convocato concilio in præsentia totius cleri Anglicani sexto Idus Aprilis anno 1072 gravissimam litem inter Ecclesias Cantuariensem et Eboracensem super primatu exortam tanta dexteritate composuit, ut Thomas Eboracensis Ecclesiæ antistes ejus persuasionibus et rationibus convictus primatum Cantuariensi adjudicatum, publica hac emissa professione, ratum habuerit: « Decet omnino Christianum quemque Christianis legibus subjacere; propterea ego Thomas Eboracensis Ecclesiæ metropolitanus antistes jam ordinatus, auditis cognitisque rationibus, absolutam tibi, Lanfrance, Cantuariensis archiepiscope, tuisque successoribus de canonica obedientia professionem facio; et quidquid a te, vel ab eis juste ac canonice injunctum mihi fuerit, servaturum me promitto. »

Romam composita Anglorum præsulum lite reversus, dierum ac meritorum plenus, perceptis Ecclesiæ sacramentis ad superos translatus est tertio Nonas Maii, anno a partu Virginis 1064. Sepultus in basilica Constantiniana, summo pontifice ita mandante, prope corpora SS. virginum et martyrum Maternæ et Secundinæ.

NOTITIA ALTERA

(Fabric. *Biblioth. med. et inf. Lat.*, IV, 306.)

Humbertus, ex monacho ord. Bened. in Mediano S. Mansueti cœnobio Tullensis diœcesis, factus cardinalis ab an. 1049 et episcopus *Silvæ Candidæ*, an. 1051 Leonis IX ad imperatorem CPol. Constantinum Monomachum legatus; deinde a Victore II an. 1057 missus ad componendas lites in monasterio Casinensi, de quo Leo Ostiensis lib. II Chronici Casinensis, c. 88. Præter ejus scripta non inerudita *adversus Græcos Mich. Cerularium*, *Leonem Achridenum et Nicetam Pectoratum*, vulgata a Baronio ad annum 1054, et in appendice ad tomum XI Annalium, et a Canisio t. VI Lectionum antiquar. (t. III editionis novæ Basnagianæ p. 277) et in Bibliothecis Patrum t. XI Colon., et tom. XVIII Lugd., pag. 389, 405, 415. Novissime ejus *libros tres adversus Simoniacos* ex bibliotheca Laurentiana publici juris fecit Edmundus Martene, tom. V Anecdotorum, pag. 633-844. In libro tertio octo capitula postrema desiderantur. *Spinosulus*, quem p. 647 perstringit, non videtur esse nomen hominis proprium, sed positum convicii loco in spinosiora adversarii acumina. Idem Humbertus præscripsisse traditur Berengario ejurationem in concilio Rom. an. 1059, quæ incipit: *Ego Berengarius*, atque etiam inserta est Decreto Gratiani, dist. 2, De consecratione, c. 42.

Digitized by Google

NOTITIA HISTORICA ET LITTERARIA.

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VII, p. 527.)

Humbert, que d'autres nomment Hubert (1), l'un des plus savants hommes de son temps, est le premier Français bien connu qui ait été élevé à la dignité de cardinal. (Lanf. *in Ber.*, c. 2, 4, 8, 16.) Il naquit en Bourgogne (2) au commencement de ce siècle, ou tout au plutôt à la fin du siècle précédent. Ceux qui le font Lorrain ont pris le lieu de son éducation pour celui de sa naissance. (Cal., *Hist. de Lor.*, t. IV, par. II, p. 66.) En 1015 ses parents qui nous sont inconnus le mirent à Moyenmoutier, où il s'engagea dans la profession monastique. Sigebert, parlant de lui (Sig. *scri.*, c. 150), le qualifie moine de Toul, parce que cette abbaye se trouve dans ce diocèse. De là il est arrivé que la plupart des modernes, prenant mal le sens de cet écrivain, ont fait Humbert moine de Saint-Mansui, autre abbaye dans la ville même de Toul. (Ugh., t. I, p. 125; *Rom. Pont. vit.*, t. I, p. 795; Lab. *scri.*, t. I, p. 484; Pap. *bib. de B.*, t. I, p. 322.)

(Cal., *ib.*, p. 66, 69; Lanf., *ib.*, c. 2; Trit. *scri.*, c. 332.) Aussitôt après son entrée dans le cloître, Humbert, quoique tout jeune, s'appliqua sérieusement à l'étude. Il ne négligea aucune des facultés de littérature alors en usage, et à l'aide d'un bel esprit il y fit de grands progrès. Plus il acquérait de connaissances, plus il souhaitait en acquérir. Dès 1028 il passait pour avoir un grand fonds de savoir. Mais il le poussa beaucoup plus loin dans la suite, sous les abbés Nortbert et Lambert qui prirent soin de diriger ses études. (Mab. *act.*, t. IX, p. 76. n. 9.) Il donna une application particulière au grec, ce qui n'était pas fort commun alors et l'apprit suffisamment pour être en état de traduire les écrits en cette langue. On avait alors au diocèse de Toul un secours particulier pour l'étudier avec fruit. (Cal., *ib.*, par. I, p. 146, 147, c. 52.) L'évêque saint Gérard y avait donné retraite, quelque temps auparavant, à des communautés entières de Grecs, qui y étaient venues chercher un asile.

Quelques modernes prétendent même qu'Humbert savait aussi l'hébreu; mais on n'en a point d'autres preuves que leur autorité. (*Rom. Pont. Vit.*, *ib.*; Friz. *Gall. pur.*, p. 89.) Ce fut par ces voies qu'il parvint à se faire de son vivant et après sa mort la réputation d'homme très-versé dans les sciences divines comme dans les lettres humaines : *Scientia divinarum ac sæcularium litterarum apprime eruditum*. Témoignage que lui rendait peu après sa mort le B. Lanfranc (Lanf., *ib.*), sur la foi de tous ceux qui l'avaient connu par eux-mêmes, et des autres à qui ils l'avaient fait connaître. Ce qu'il dit de sa vertu persévérante et de sa piété reconnue de tout le monde est encore au-dessus.

(Cal., *ib.*, par. II, p. 69.) Une si brillante lumière ne pouvait être toujours cachée dans l'obscurité du cloître. Richer, chroniqueur de Senone, a avancé qu'Humbert avait été abbé de Moyenmoutier (Rich., *chr.*, l. II, c. 18.); mais il n'y a plus de doute qu'il s'est trompé sur ce point. La providence avait d'autres vues sur Humbert et le destinait à de plus grandes choses. (Cal., *ib.*, p. 69, 70.) Le pape Léon IX, qui l'avait connu n'étant encore que simple évêque de Toul, voulut l'avoir près de sa personne; en quoi, remarque Baronius (Bar., *an.* 1049, n. 28), il se fit à lui-même un grand mérite, et rendit à l'Eglise un service signalé. Humbert lui aurait été peut-être inutile en Lorraine au lieu qu'il l'a servi avantageusement à Rome. (Mab., *an.* l. LIX, n. 61.) Après le concile que ce pontife vint tenir à Reims en octobre 1049, il prit sa route par la Lorraine et emmena avec lui le moine Humbert. Baronius dit qu'il l'établit abbé de Sublac, vulgairement Subiago, et apporte en preuve un fragment de la Chronique de ce monastère, où l'abbé dont il s'agit, est effectivement nommé Humbert et qualifié venu de France, *ductum ex Francia*. (Bar., *an.* 1051, n. 6.) N'importe, cet Humbert est réellement différent de notre cardinal (3), comme il est visible par les traits de son histoire, que contient la même chronique; et dom Mabillon l'assure sans hésiter. (Mab., *ib.*, l. 60, n. 2.) Il mérite néanmoins d'être connu pour le soin qu'il prit de rétablir son monastère, dont il n'oublia pas de fournir la bibliothèque de bons livres, et pour la patience chrétienne avec laquelle il souffrit les peines et les afflictions dont son gouvernement fut traversé. L'on a en sa personne un élève de mérite,

(1) Il est effectivement nommé Ubert dans la Vie de S. Jean Gualbert, écrite au XII.siècle; et grand nombre de modernes lui donnent le même nom en l'écrivant avec une H. Mais le B. Lanfranc son contemporain, et Sigebert qui écrivait peu après, le nomment toujours Humbert.

(2) L'opinion qui suppose Humbert né en Bourgogne plutôt qu'en Lorraine est fondée d'une part sur ce que Bérenger, qui n'avait aucun motif de le faire d'un pays plutôt que d'un autre, le nomme toujours le Bourguignon. (Mab. *act.* t. IX, p. 274, n. 22.) D'ailleurs le B. Lanfranc (Lanf., *ib.*, c. 2), entreprenant de justifier cet illustre cardinal des injures dont le chargeait Bérenger, se borne à dire que ce ne fut pas de Bourgogne, mais de Lorraine que le pape S. Léon l'emmena à Rome; ce qui est vrai. Il ajoute ensuite que quand même Humbert aurait été Bourguignon, Bérenger avait tort d'en prendre sujet de lui insulter, parce que l'Esprit de Dieu souffle où il lui plaît, c'est-à-dire, que chaque pays a ses savants et ses gens de mérite; ce qui n'est pas nier qu'Humbert fût Bourguignon, ni prouver non plus qu'il fût Lorrain. Après tout la Bourgogne et la Lorraine étant limitrophes, il est aisé d'attribuer à l'une ce qui appartient à l'autre.

(3) Il ne faut pas non plus le confondre avec un troisième Humbert (Pez. *anec.* t. IV, p. II, p. 1), abbé de S. Laurent de Rome au même temps. Celui-ci paraît avoir été de Liége, et parent de Godefroi, chanoine et prévôt de Liége, à qui il fit présent de quelques reliques du martyr S. Laurent.

Digitized by Google

point connu d'ailleurs, que nos écoles fournirent à l'Italie, entre plusieurs autres qu'elles lui donnèrent au même siècle.

(Lanf., *ib.*; Mab. *ib.*, l. 59, n. 72, 75, t. IV, *app.* p. 739, 1; *Rich. chr. ib.*; Cal. *ib.*, p. 70.) Celui qui fait le sujet de cet article fut ordonné archevêque de toute la Sicile par le pape Léon aussitôt après leur arrivée à Rome. Il était revêtu de cette dignité avant le concile qui s'y tint en avril ou en mai 1050, puisqu'il se qualifie tel dans la souscription à la bulle de canonisation, qui y fut donnée en faveur de S. Gérard, évêque de Toul. Le but du pape, en la lui conférant, était qu'il allât annoncer la foi aux Sarrasins qui dominaient dans cette île. Ughelli prétend qu'Humbert exécuta ce louable dessein, et qu'il y eut un heureux succès. (Ugh., *ib.*) Mais un auteur beaucoup plus ancien (Cal., *ib.*) nous apprend qu'Humbert, n'ayant pu pénétrer en Sicile à cause des incursions des Normands qui tenaient la Pouille et la Calabre (4) (Ugh. *ib.*, p. 104, 106, 126), Léon IX le créa cardinal évêque de Blanche-Selve, ou Sainte-Rufine, à dix milles de Rome, sur le chemin d'Aurèle, diocèse qui a subsisté jusqu'au pape Calixte II, qui le réunit à celui de Porto, à raison de son petit nombre d'habitants.

(*Ib.* p. 126; Rich. *chr. ib.*; Cal., *ib.*; Pez., *ib.*, t. III, part. II, p. 587.) Cette promotion se fit en 1051, et le pape Léon eut en Humbert un conseiller fidèle, un coopérateur zélé, un compagnon inséparable dans ses voyages. La même année le nouveau cardinal l'accompagna en Lorraine, où le souverain pontife alla lever de terre le corps de saint Gérard, un de ses prédécesseurs dans le siége de Toul. (Cal. *ib.*) Là Humbert eut occasion de faire voir qu'il n'ignorait pas l'histoire, et qu'il avait lu avec fruit les ouvrages de S. Augustin. Halinard, archevêque de Lyon, s'entretenant avec le pape, on vint à parler de la découverte des reliques de saint Etienne, premier martyr. Ce prélat l'ayant donnée au moins pour suspecte, Humbert en prouva la vérité par un livre du saint docteur, qu'il fit venir exprès de Moyen-moutier, ne se trouvant pas apparemment à Toul. Notre cardinal suivit le pape dans les pèlerinages de dévotion et les autres voyages qu'il entreprit, le reste de cette année-là et la suivante, tant pour le bien de l'Eglise que pour les intérêts de l'empire.

(Mab., *Act.*, *ib.*, p. 76, n. 9.) En 1053, se trouvant à Trani, Jean, évêque du lieu, lui communiqua une lettre, à lui adressée de la part de Michel Cérularius, patriarche de Constantinople, et de Léon, évêque d'Acride, métropolitain de Bulgarie, qui y chargeaient de reproches l'Eglise Latine sur les points dont il a été parlé ailleurs. Humbert, ayant pris lecture de l'écrit qui était en grec, en fit une traduction latine, et la porta au pape Léon, qui y répondit comme on l'a vu en son lieu.

(Cass. *Chr.* l. II, c. 88; Sig., *an.* 1054.) Ce pacifique pontife, désirant de rétablir l'union entre l'Eglise Latine et la Grecque, se détermina à envoyer trois légats à Constantinople. Il choisit à cet effet Humbert, Frideric, archidiacre et chancelier de l'Eglise Romaine, et Pierre, archevêque d'Amalfi. Les légats, avant de partir, allèrent au Mont-Cassin se recommander aux prières des frères. (5) Puis s'étant mis en chemin sur la fin de l'année 1053, ils arrivèrent heureusement à Constantinople. Ils y furent reçus avec de grands honneurs par l'empereur Constantin Monomaque, qui les logea quelques jours dans son palais. Pendant leur séjour dans cette grande ville, Humbert, qui était l'âme de cette légation, en dirigea tout le cours, travailla à réfuter lui-même la lettre du patriarche Michel et de l'évêque d'Acride, quoique le pape Léon l'eût déjà fait. Il y opposa un assez long ouvrage dont il sera parlé dans la suite, et en fit encore un autre pour répondre à celui de Nicétas Pectorat, moine de Stude, qui contenait les mêmes reproches que la lettre précédente.

Le premier écrit de notre cardinal fut sans succès, mais le second eut un heureux effet. Nicétas l'ayant lu fut touché de ses raisons, ouvrit les yeux à la vérité et renonça au schisme. (*Conc.* t. II, p. 991.) De sorte que les légats étant allés au monastère de Stude, le jour de la Saint-Jean-Baptiste, vingt-quatrième de juin 1054, Nicétas anathématisa l'écrit publié sous son nom contre le saint-siége et toute l'Église Latine. Il souffrit même que l'empereur, qui était présent à cette rétractation, fît brûler son livre en présence de tout le monde. Et afin de montrer que sa conversion était sincère, il alla dès le lendemain trouver les légats à leur logis, et après en avoir reçu de nouveaux éclaircissements sur ses difficultés, il renouvela sa rétractation du jour précédent. Les légats de leur côté le reçurent en leur communion, et il devint leur ami particulier.

(*Ibid.*, Sig., *ib.*) Au contraire, le patriarche Michel ne voulant ni leur parler ni même les voir, ils allèrent à l'église de Sainte-Sophie le samedi, seizième de juillet, à l'heure de tierce, au moment que le clergé était préparé pour la messe. Là s'étant plaints de l'obstination du patriarche, ils mirent sur le grand autel une excommunication en présence de tous les assistants. (*Conc.*, *ib.*, p. 992.) Puis étant sortis aussitôt, ils secouèrent la poussière de leurs pieds

(4) L'inattention de Barthius est extrême, (Barth. *adv.* l. 46, c. 6.) pour avoir fait notre cardinal évêque de Senlis. Il est visible qu'il l'a confondu avec Humbert, évêque de cette Eglise à la fin du XIe siècle et les premières années du suivant.

(5) (Bar. *an.* 1054, n. 1, *ib.*; *Rom. Pont. vit.*, t. I, p. 796.) Baronius et la plupart des autres modernes ne mettent le départ des légats qu'en 1054, s'autorisant du texte de Léon d'Ostie. Mais l'expression *eodem anno* du chapitre 88 du livre II ne se rapporte pas à la mort du pape S. Léon, arrivée en 1054, mais à l'année 1053, que l'auteur marque disertement au chap. 87 du même livre. Le P. Labbe (Lab., *ib.*) est encore moins bien reçu à placer cette légation dès 1051.

Digitized by Google

suivant l'évangile, pour leur servir de témoignage en criant : Que Dieu le voie et qu'il juge.

(*Ibid.*; Cass. *chr.*, *ib.*) Cependant la nouvelle de la mort du pape Léon, qu'avaient reçue les légats, les faisait penser à leur retour. Ils allèrent donc prendre congé de l'empereur, qui leur donna le baiser de paix et les chargea de présents, tant pour eux que pour Saint-Pierre; après quoi ils partirent fort satisfaits, le 18 du même mois. (*Conc. ib.*; Sic. *ib.*) Deux jours après leur départ, le patriarche Michel les fit rappeler sous un prétexte spécieux, afin de les faire donner dans un piége qu'il leur avait tendu. Mais l'empereur le leur fit éviter et ils se rendirent assez heureusement à Rome.

(*Hist. de l'Acad. des insc.*, t. I, part. 1, p. 276.) Entre les antiques curieuses qui sont dans le cabinet du roi, l'on voit une belle agathe qui, après avoir été fort longtemps dans le trésor de l'abbaye de Saint-Evre, à Toul, fut présentée au roi Louis XIV, sur la fin de l'année 1684. On l'a regardée autrefois, suivant la tradition de ce monastère, comme faisant partie des présents que le cardinal Humbert avait apportés de Constantinople. Alors on croyait y apercevoir un S. Jean l'évangéliste, enlevé par un aigle et couronné par un ange. Mais on a reconnu depuis que c'est une antiquité purement païenne, et peut-être l'apothéose de Germanicus.

(Pez. *ib.*) Ce qu'Humbert avait été auprès du pape Léon IX, il continua de l'être auprès de Victor II, son successeur. L'ayant accompagné dans un voyage qu'il fit à Ratisbonne en Bavière, Othlon, évêque du lieu, eut occasion de connaître ce grand cardinal; de quoi il se faisait un vrai mérite. On remarqua en cette même occasion qu'Humbert était si touché de la corruption des mœurs de son siècle, surtout de celle qui régnait dans les cours des princes, qu'il ne pouvait s'empêcher de la déplorer hautement.

(Cass. *Chr.*, *ib.*, c. 94.) Le pape Victor, indigné de ce que les moines du Mont-Cassin avaient élu un abbé sans lui en avoir donné avis, et de ce que cette élection n'avait pas, disait-on, été faite suivant les règles, y députa notre cardinal pour s'informer de ce qui s'était passé, et faire justice. C'était à la Pentecôte de l'année 1057. (C. 95.) Humbert courut quelques risques en cette expédition. Les serfs de l'abbaye, ameutés par quatre moines, à l'insu des autres, et s'imaginant qu'on était venu pour déposer leur abbé, menaçaient de fâcheuses suites. Mais le nouvel élu, usant de prudence, apaisa le tumulte, et se déporta volontairement de son élection. Notre cardinal assista à celle qu'on fit ensuite du moine Frideric, ci-devant son collègue dans la légation de Constantinople, et depuis pape, comme on l'a vu. Après cette cérémonie qui se fit le vendredi dans l'octave de la Pentecôte, (c. 96) il accompagna le nouvel abbé en Toscane, où était alors le pape, dont Frideric reçut la bénédiction abbatiale. Humbert fit à ce pontife l'éloge de la bonne discipline qui s'observait au Mont-Cassin, et expédia la bulle que le pape accorda à Frideric, pour confirmer son élection. L'on voit par là que notre cardinal faisait alors les fonctions de chancelier et de bibliothécaire de l'Eglise Romaine.

(C. 97.) A la mort de Victor II, le même Frideric, à l'avis duquel les Romains voulaient s'en rapporter pour lui donner un successeur, leur nomma d'abord le cardinal Humbert, puis quatre autres, comme les plus capables de remplir le saint-siége. Mais les suffrages se réunirent en faveur de Frideric même, qui prit le nom d'Etienne IX, (*Conc.*, *ib.*, p. 1090) et continua Humbert dans les dignités de bibliothécaire et chancelier. C'est en cette double qualité qu'il souscrivit le privilége de ce pape en faveur de l'église de Marsi.

(Cass. *chr.*, *ib.*, c. 101.) Toujours assidu auprès du nouveau pape, Humbert se trouva à sa mort qui arriva à Florence après un pontificat de très-peu de durée. Ayant appris qu'on avait fait aussitôt à Rome, en violant toutes les règles, une élection qui causa dans l'Eglise le schisme dont il a parlé, et que les autres cardinaux ses collègues, qui s'y étaient opposés, avaient été obligés à se cacher, il se retira à Bénévent. De là il fut prié d'aller au Mont-Cassin où il passa la fête de Pâque de l'année 1058. (L. III, c. 7, 10.) Il y présida à l'élection de l'abbé Didier qui devint ensuite pape sous le nom de Victor III. Humbert était déjà lié d'amitié avec lui, et l'avait autrefois fait connaître avantageusement à Léon IX, dont il lui procura l'estime et la bienveillance.

La paix ayant été rendue à l'Eglise par l'élection canonique de Nicolas II, qui se fit tout à la fin de la même année Humbert s'attacha au pape légitime, et eut auprès de lui le même crédit que sous ses trois prédécesseurs. Lui et le cardinal Boniface, évêque d'Albane, étaient, aux termes de S. Pierre de Damien (Petr. Dam., l. I, ep. 7), comme les yeux de ce pape. (*Conc.*, *ib.*, p. 1094.) Humbert continua sous son pontificat les fonctions de bibliothécaire et chancelier de l'Eglise Romaine, comme on le voit par le privilége que Nicolas, peu de jours apres son élection, accorda au monastère de Sainte-Félicité près de Florence. (P. 1105-1107.) Il assista aux conciles que le même pape tint à Rome, à Bénévent, et sans doute aussi à ceux de Sutri et de Melfe.

(Lanf., *ib.*, c. 2.) A celui de Rome de 1059, où le fameux Bérenger reconnut ses erreurs, Humbert fut chargé de dresser la profession de foi qu'il était convenu de souscrire, pour preuve de la sincérité de son retour à la commune croyance de l'Eglise; profession contre laquelle cet infortuné scolastique eut ensuite le malheur de réclamer, et d'en prendre occasion de charger d'injures atroces notre illustre cardinal. Humbert n'était plus alors au monde. Mais il trouva en la personne du B. Lanfranc un puissant apologiste, qui sut faire retomber sur Bérenger les traits dont il voulait percer son innocent adversaire.

(Cave, p. 527, 2; *Rom. Pont. vit.*, t. I, p. 797; Old. *Ath. Rom.*, p. 349; Cal., *ib.*, p, 71, c. 55.) Les

Digitized by Google

auteurs sont fort partagés sur le temps de la mort de ce grand homme. Quelques-uns la renvoient jusqu'après l'année 1064 indistinctement, ce que d'autres étendent jusqu'en 1073. Jean de Bayon, écrivain du XIVe siècle, la place au contraire dès le mois de mai 1061, et ajoute que le pape Nicolas prit lui-même soin d'enterrer notre cardinal avec les honneurs convenables, dans la basilique de Constantin à Latran, auprès des corps de sainte Rufine et de sainte Seconde, ou plutôt, comme le marque Ughelli (*ib.*, p. 127), des saintes vierges et martyres Materne et Secondine. Ce qu'il y a de certain, sur la date de cette mort, c'est qu'on ne peut la mettre plus tard qu'en 1063. Nous en avons la preuve dans les écrits de S. Pierre de Damien (*opusc.* 9, c. 7.) Ce célèbre écrivain, citant le témoignage du cardinal Mainard, lorsqu'il n'y avait pas encore trois ans que le pape Nicolas II était mort, et par conséquent après le mois de juillet 1063, ou les premiers mois de l'année suivante 1064, le qualifiait dès lors évêque de Blanche-Selve, où il succéda à Humbert. C'est ce qui s'accorde avec l'opinion d'Ughelli (Ugh., *ib.*), qui la place avant le septième de mai 1063. Ce jour qu'il lui assigne est le même qu'y attache Jean de Bayon. (Cal., *ib.*)

Toute la postérité a témoigné un extrême respect pour la mémoire d'Humbert. S. Pierre de Damien (Petr. Dam., *ib.*, 19, c. 4), qui ayant vécu avec lui en pouvait parler savamment, rapportant certains faits sur son témoignage, le qualifie homme d'une très-grande autorité, *summæ auctoritatis viri*, et dont les paroles portaient tous les caractères de vérité. Le B. Lanfranc (Lanf., *ib.*) fait de lui, en peu de mots, un éloge aussi pompeux dans les termes que vrai dans leur signification. Après avoir rehaussé son savoir, son orthodoxie et sa persévérance dans la pratique de toutes les vertus chrétiennes, il prend à témoin de ce qu'il avance toute l'Eglise latine, qui en était bien instruite, ajoute Lanfranc, puisque Humbert avait toujours assisté, ou même présidé à ses assemblées et à ses conseils. (Mab. *act.*, t. IX, p. 274, n. 22.) La mémoire d'Humbert, dit l'évêque Atton, historien de S. Jean Gualbert, qui écrivait un peu moins d'un siècle après Lanfranc, est encore célèbre à Rome, et vit encore en nos jours dans une multitude de bonnes œuvres.

Possevin donnant à Humbert deux divers articles dans son Apparat (Poss. *App.*, t. I, p. 773, 776.), l'un où il l'établit moine de Toul, puis cardinal; l'autre, où il le représente légat à Constantinople, paraît en avoir fait deux personnes différentes.

Nous nous sommes un peu arrêté à l'histoire de ce grand homme, sur la considération que personne jusqu'ici ne s'est donné la peine de recueillir de suite, et de mettre sous un même point de vue ce qui peut le faire connaître pour ce qu'il a été.

SES ECRITS.

Suivant le témoignage de Lanfranc (Lanf. *in Ber.*, c. 2), l'érudition d'Humbert était fort vaste. Il ne l'a point cependant employée à écrire beaucoup, se bornant à le faire dans les occasions où le demandaient les besoins de l'Eglise : en quoi il a imité les Pères des premiers siècles, qui ne prenaient la plume que dans les mêmes cas de nécessité. L'on nous a conservé de sa façon les ouvrages qui suivent :

1° Une réponse à la lettre de Michel Cérularius, patriarche de Constantinople, et de Léon, évêque d'Acride, métropolitain de Bulgaire, la même qui était adressée à Jean, évêque de Trani en Pouille, et que Humbert avait traduite en latin, avant sa légation à Constantinople (Hum. *in Gr.*, p. 283-307). On ne comprend pas d'abord quel fut le motif ou la raison qui engagèrent notre cardinal à écrire de nouveau contre cette lettre, que le pape S. Léon IX avait déjà réfutée, comme on l'a vu, et dont Humbert même et les autres légats portaient la réfutation qu'en avait faite ce pontife. Mais il put arriver deux choses, dont l'une suffisait pour le porter à entreprendre ce nouveau travail. Comme ce fut à Constantinople qu'il y mit la main, il put savoir, étant sur les lieux, ou que les auteurs de la lettre faisaient des répliques verbales à l'écrit de S. Léon, ou qu'ils se plaignaient qu'il n'y avait pas répondu en les suivant pied à pied. C'est pourquoi Humbert, en y répondant à son tour, a suivi cette dernière méthode.

Après un petit préambule de bon goût, il rapporte par articles le texte de la lettre, et répond ensuite à chacun : imitant en cela ce qu'avait déjà fait S. Augustin en réfutant les écrits de Julien d'Eclane. Humbert, pour distinguer du texte de sa réponse celui de la lettre, eut soin de mettre des obèles à celui-ci, et des astérisques au sien. Dans la suite, au lieu de ces marques distinctives on exprima à la tête du texte de la lettre le nom de constantinopolitain, et celui de romain à la tête du texte d'Humbert. De sorte que cet écrit ainsi dirigé forme une espèce de dialogue entre ces deux personnages. Il était tel dès le temps de Sigebert, qui nous le représente sous ce titre (Sig. *scri.*, c. 150).

Humbert savait assez de grec pour le pouvoir traduire ; mais il ne le possédait pas suffisamment pour écrire en cette langue. (C. 150, 151 ; *conc.* t. X, p. 991, 992) Il écrivit donc en latin, après quoi l'empereur fit traduire en grec sa réponse par un nommé Paul et Smaragde, son fils, et donna ordre qu'on la conservât dans les archives de la ville.

Nous ne nous arrêtons point à donner un extrait de cet écrit d'Humbert. M. l'abbé Fleuri l'a déjà fait avec sa suffisance ordinaire (Fleu. H. E. l. LX, n. 6) ; et l'on peut prendre dans ce qu'il en dit une juste notice de tout l'ouvrage, seulement nous observerons que les matières sur lesquelles il roule

Digitized by Google

ne sont ni graves ni fort importantes. Il s'agit d'y repousser les reproches ou les calomnies, comme on les nomme, dont les Grecs schismatiques chargeaient l'Eglise Latine, pour user du pain azyme dans le sacrifice de l'autel, jeûner le samedi, manger du sang et des viandes suffoquées, enfin interrompre le chant de l'*alleluia* en carême. Humbert dans sa réponse s'en est acquitté avec autant d'avantage que d'esprit et en homme savant. D'habiles théologiens (*Perp. de la F.*, t. I, l. II, c. 6) lui reprochent toutefois d'attribuer aux Grecs certaines conséquences qu'il tire de leurs écrits, comme si c'étaient des dogmes qu'ils eussent formellement soutenus. Il en use quelquefois de même dans l'écrit suivant. Le cardinal Bona (Bon. *not. auc.*, p. 23.) juge, de son côté, qu'Humbert, par un trop grand zèle à défendre les rites des Latins, donne quelquefois dans la minutie.

2° (Humb. *in Nic.*, p. 314, 324.) Une réfutation de l'écrit de Nicétas, surnommé *Stéthatos* par les Grecs, et *Pectoratus* par les Latins. C'était un moine de Stude, fameux monastère à Constantinople même, qui, étant venu à l'appui du patriarche Michel et de l'évêque Léon, faisait à l'Eglise Latine les mêmes reproches qu'eux, et défendait de plus contre son usage les mariages des prêtres. Sur quoi Humbert s'est cru autorisé d'accuser les Grecs de l'hérésie des Nicolaïtes, (*Conc. ib.*, p. 1096.) qualification que le pape Nicolas II donna depuis aux clercs mariés dans une de ses lettres.

Comme l'écrit de Nicétas était d'un style un peu vif et hérissé de pointes, Humbert lui répondit sur le même ton, et renchérit même au-dessus de lui. Du reste il fait paraître dans sa réponse beaucoup d'érudition, et même un fonds de critique, qui était alors fort rare. On y peut apprendre bon nombre de traits qui concernent les rites de l'Eglise latine de ce temps-là, surtout au sujet de la messe et du jeûne. On y trouve aussi des preuves de la présence réelle de Jésus-Christ dans l'eucharistie. Mais la plus avantageuse idée qu'on puisse donner de cette réponse, c'est que Dieu s'en servit pour convertir Nicétas qui, en conséquence, rétracta ses erreurs et anathématiza son propre écrit, comme il a été dit plus haut.

3° (Humb. *com.*, p. 325, 326.) Une courte relation de ce qui se passa à Constantinople pendant le séjour des légats, mais seulement depuis le vingt-quatrième de juin 1054 jusqu'au vingtième de juillet suivant, jour de leur second départ. Car on a vu qu'étant partis dès le dix-huitième, ils furent rappelés deux jours après, et renvoyés aussitôt pour éviter le piége que leur avait tendu le patriarche Michel. On y a aussi quelques événements arrivés après.

(P. 326-328.) A la suite de cette relation vient l'acte d'excommunication, qu'ils avaient déposé sur l'autel de Sainte-Sophie le seizième de juillet. D'abord ils y louent en peu de mots l'orthodoxie et la religion de l'empereur, des grands de l'empire et des sages citoyens de Constantinople. Venant ensuite à Michel, nommé abusivement patriarche, disent-ils, et à ses sectateurs, ils les comparent à presque tous les anciens hérétiques, les Valésiens, les Ariens, les Donatistes, et tâchent d'appuyer cette comparaison. En conséquence les légats prononcent l'anathème contre eux, s'ils ne se convertissent. C'est principalement dans cet acte qu'Humbert impute aux Grecs des conséquences tirées de leur doctrine ou de leur conduite, comme si c'eût été des dogmes formels. Il est adressé à tous les enfants de l'Eglise catholique, et porte les noms d'Humbert et des deux autres légats

(Lamb. *bib.*, l. III, p. 160.) Cet acte se trouve traduit en grec, et enchâssé dans une des relations que Michel Cérularius dressa de son côté, touchant ce qui s'était passé dans cette grande affaire. Le manuscrit qui contient l'un et l'autre est à la bibliothèque de l'empereur. Il y a deux diverses relations de ce patriarche à ce sujet : l'une comprise en deux lettres adressées à Pierre d'Antioche, et imprimées entre les Monuments de l'Eglise grecque de M. Cotelier. (*Eccl. Gr. Mon.*, t. II, p. 135-145, 162-168.) L'autre relation n'est proprement, que le décret qu'opposa ce patriarche à l'excommunication des légats, décret conçu en un style historique, et publié en grec et en latin par Leo Allatius. (Allat. *De lib. gr.*, p. 161-181). C'est dans ce décret qu'est enchâssé l'acte dont il s'agit ici, après avoir été fidèlement traduit en grec sur l'original latin. (Humb. *com.*, p. 326; *Sig.* an. 1054.) Il est néanmoins constant que Cérularius l'avait d'abord falsifié, à dessein d'en prendre occasion de soulever le peuple contre les légats, de quoi il fut convaincu par l'exemplaire fidèle que ceux-ci envoyèrent à l'empereur. Il craignit apparemment de s'exposer à la même confusion dans la suite. C'est pourquoi il l'inséra dans son écrit tel qu'il était originairement

Nous avons quatre éditions des trois ou quatre écrits du cardinal Humbert, desquels on vient de rendre compte.

En 1604 Baronius et Canisius les publièrent chacun de son côté (Bar. *An.*, t. XI, *app.*, p. 995-1014; Canis., t. VI, p. 111-197), sans être concertés : l'un dans l'appendice du onzième volume de ses Annales, sur un manuscrit du Vatican; l'autre au sixième volume de ses *Lectiones antiquæ*, sur un manuscrit de la bibliothèque de l'électeur de Bavière. Toute la différence entre ces deux éditions consiste en ce que Baronius n'a point donné le texte suivi de la lettre de Michel Cérularius et de Léon d'Acride (Bar. *An.* 1054, n. 19-20), et qu'il a transporté dans le corps de son ouvrage la courte relation de ce qui se passa à Constantinople, avec l'acte d'excommunication qui la suit. Au contraire, dans l'édition de Canisius, ces deux pièces viennent immédiatement après les autres; et le recueil commence par la lettre qu'Humbert réfute dans son pre-

Digitized by Google

mier ouvrage. On a mis de même à la tête du second, A dans l'une et l'autre édition, l'écrit du moine Nicétas. De l'édition de Canisius le recueil est passé dans les diverses bibliothèques des Pères (*Bib. PP.*, t. XVIII, p. 389-416), où l'on aurait bien pu corriger le nom du diocèse de l'évêque Jean, à qui la lettre de Michel et de Léon est adressée. Ce nom y est exprimé par *Cannensi*, au lieu de *Tranensi*. La plus belle, comme la plus correcte des quatre éditions est celle qu'en a donnée M. Basnage en renouvelant la collection de Canisius, réimprimée à Anvers en 1725. (CANIS. B., t. III, part. I, p. 277-328.) On a aussi la petite relation avec l'acte d'excommunication dans le recueil général des conciles. (*Conc.*, t. IX, p. 991-993.)

Gesner marque une édition particulière de l'écrit B contre Nicétas, faite à Cologne en 1521. (GESN. *Bib. univ.*, p. 361-1.) Mais comme il se trompe en donnant à cet écrit le titre de Dialogue, qui appartient à la réfutation de la lettre du patriarche Michel et de l'évêque Léon, il pourrait fort bien s'être aussi trompé en indiquant cette édition, inconnue aux autres bibliographes.

4° Il y a d'Humbert un autre écrit beaucoup plus étendu que tous les précédents ensemble. C'est un traité contre les simoniaques, qui étaient si multipliés en son siècle, et contre lesquels tous les papes de son temps firent tant de décrets réitérés. L'ouvrage est divisé en trois livres, et chaque livre en plusieurs chapitres, souvent assez longs. On en C compte jusqu'à cinquante-trois dans le troisième livre; mais les neufs derniers y manquent, comme il paraît par la table qui est à la tête du livre, et dans laquelle ils sont indiqués. Dom Mabillon avait tiré ce traité d'un manuscrit de la bibliothèque Laurentienne du grand duc de Toscane, qui lui paraissait du temps de l'auteur et qui pourrait bien être son original. (MAB., *It. Ital.*, p. 168; MART., *Anec.*, t. V, p. 631.) C'est sur sa copie que dom Martène en a fait présent au public dans le cinquième volume de ses Anecdotes. (MART., *ib.*, p. 629, 844.)

Le premier livre du Traité, et quelques endroits des suivants sont en forme de dialogue, tantôt entre le Corrupteur et le Censeur, tantôt par objections et par réponses. (CAL., *Hist. de Lor.*, t. IV, part. II, p. 72.) D Jean de Bayon, auteur de la Chronique de Moyenmoutier, qui ne compte que deux livres dans ce traité, dit qu'Humbert le composa pendant son séjour à Florence. On a vu qu'il passa effectivement quelque temps dans cette ville, à la suite des papes Victor II et Etienne IX. Ce fut précisément en ce temps-là qu'il y mit la main. Nous en avons la preuve dans son ouvrage même. (HUMB., *in Sim.*, l. III, c. 7.) Y faisant l'éloge de l'empereur Henri le Noir, pour son zèle à combattre la simonie, il le loue comme étant déjà mort, ce qui arriva en 1056. Y parlant fort mal au contraire de Henri Ier, roi de France, parce qu'il la favorisait, il le suppose encore en vie, et l'on sait qu'il ne mourut qu'en 1061. Ceci, rapproché des événements de la vie de l'auteur, montre qu'il finit son ouvrage en 1057, ou avant le mois de mars de l'année suivante, qu'il quitta Florence pour se retirer à Bénévent, et de là au Mont-Cassin.

(L. I, c. 7, 8.) Humbert l'entreprit pour réfuter un certain écrivain, nommé Spinosule, qui avait publié un ouvrage, en faveur des ordinations faites par simonie ou par des simoniaques. Autant qu'on en peut juger par les morceaux qu'en rapporte Humbert, il paraît que Spinosule soutenait ces ordinations, non-seulement, comme valides, mais encore comme licites : *ut puta quibus nihil desit in nulla gratia* (c. 7). Humbert entreprend de montrer le contraire sur l'un et l'autre point, de façon que le but principal de son ouvrage tend à établir que ces sortes d'ordinations sont tout à la fois nulles comme illicites.

Pour y parvenir l'auteur pose divers principes qu'il appuie des autorités de l'Écriture, des Pères et des conciles, et d'où il tire des conséquences favorables à son dessein. (L. I, c. 11; l. II, c. 11, 21; l. I, c. 3; l. II, c. 34, 41.) Il établit que les hérétiques sont pires que les Juifs et les païens, mais qu'entre tous les hérétiques il n'y en a point au-dessus des simoniaques; qu'ils croient le Saint-Esprit non-seulement moindre que le Père et le Fils, et par conséquent soumis à l'un et à l'autre, mais encore inférieur et soumis à eux-mêmes, comme une chose vénale; (l. I, c. 12) que ceux qui sont ordonnés par les hérétiques deviennent leurs complices, et par conséquent sujets à la pénitence publique; d'où il s'ensuit qu'ils ne peuvent être ordonnés, puisque les canons défendent d'ordonner les pénitents publics.

(C. 19.) Humbert se fait quelques objections, ou plutôt rapporte celles qu'on lui faisait. La plus forte consiste à dire que les canons prescrivent de déposer ceux qui ont été ordonnés par simonie; d'où il résulte qu'ils avaient reçu la grâce et l'honneur de l'ordination, puisque la déposition n'est que la privation de l'honneur reçu. A quoi il répond par le second canon du concile de Calcédoine contre les simoniaques, qui porte que la grâce de l'ordination ne se peut vendre. Il ajoute de plus qu'il est constant, par plusieurs endroits de l'Écriture, qu'on ne peut ni vendre ni acheter le Saint-Esprit. (L. III, c. 33.) Revenant ailleurs à la même objection, il soutient que la déposition des simoniaques n'est point une privation de l'honneur qu'ils auraient reçu, mais une réfutation notoire de leur prétendue promotion.

(L. I, c. 21.) Il s'objecte encore qu'il est au moins vrai que les simoniaques reçoivent injustement le Saint-Esprit et la grâce de l'ordination, et que l'ayant injustement ils la confèrent de la même manière à ceux qu'ils ordonnent. Humbert répond que le Saint-Esprit, étant la justice éternelle, ne peut jamais s'acquérir injustement. Il est visible par là que notre auteur confond ici la grâce de l'ordination avec l'essence de l'ordination. Il n'était pas au reste le seul

Digitized by Google

qur en son temps regardât comme nulles les ordinations simoniaques. On a vu que le pape Nicolas II établit la même chose dans un de ses décrets (BAL. *Misc.*, t. VII, p. 68, c. 9); et peut-être y fut-il déterminé par l'ouvrage d'Humbert.

Cet ouvrage, après tout, est fort propre à inspirer une horreur salutaire pour la simonie; à en faire sentir toutes les suites pernicieuses, et à montrer les grands maux qu'elle avait dès lors causés dans l'Église. Il est de plus écrit avec un air de piété qui touche, et une certaine politesse qui n'était pas alors commune. Il y a de l'éloquence et une grande érudition. L'auteur y cite quelquefois, il est vrai, de fausses pièces, telles que les décretales attribuées aux premiers papes. Il paraît qu'il avait surtout beaucoup lu les poésies de S. Prosper, et qu'il les goûtait singulièrement.

5° Richer, chroniqueur de Senones (*Chron.*, l. II, c. 18), et Jean de Bayon (CALM., *ibid.*, p. 69), attribuent à Humbert des hymnes et autres pièces pour les offices de divers saints, nommément S. Cyriaque, martyr; S. Grégoire, pape; S. Hidulfe, S. Déodat, S. Colomban, sainte Othilie, vierge. Ils ajoutent qu'Humbert, après les avoir composées, les envoya ensuite à Brunon, évêque de Toul, et depuis pape sous le nom de Léon IX, afin qu'il les notât en musique, ou en plain-chant. Mais Wibert, historien de ce pape, qui vivait de son temps, lui donne diserement ces pièces, tant pour le fond que pour la note. (MAB., *Act.*, t. IX, p. 64, n. 13.)

6° Ciaconius (*Rom. Pont.* Vit., t. I, p. 797), Oldoini (*Ath. Rom.*, p. 349.) et quelques autres attribuent aussi à Humbert un recueil de diverses histoires qu'ils ne spécifient point autrement. Vassebourg lui donne pour titre : *Historial de Humbert, cardinal de Sicile;* et le savant dom Calmet nous avertit qu'il s'agit de l'histoire des abbés de Moyenmoutier. Mais nous avons montré en son lieu que cet ouvrage appartient à Valcande, moine de ce monastère, qui florissait avant Humbert.

7° Les auteurs déjà cités, et d'autres après eux, veulent encore faire honneur à notre cardinal d'un commentaire sur la règle de S. Augustin. Mais ils confondent ici Humbert, évêque de Blanche-Selve, avec Humbert, cinquième général de l'ordre de Saint-Dominique, qui est le véritable auteur de ce commentaire.

8° Enfin Oldoini attribue au cardinal Humbert un écrit, en faveur de la virginité perpétuelle de la sainte Vierge, contre ceux qui la combattaient. C'est au reste ce qu'il ne prouve point, et qui ne se trouve établi nulle part ailleurs. Mais on ne peut lui refuser la traduction de la lettre du patriarche Michel et de l'évêque Léon à Jean de Trani, telle qu'elle se lit à la tête de la réponse qu'il y fit, puisque l'historien du pape saint Léon IX la lui donne. (MAB., *Act.*, t. IX, p. 76, n. 9.) On a dit aussi plus haut que Humbert avait dressé la profession de foi que Bérenger souscrivit en 1059.

NOTITIA ALIA EX GALLANDO.

(*Biblioth. vet. Patr.*, Proleg. ad tom. XIV.)

De Humberto Silvæ Candidæ episcopo et de Niceta Pectorato

Fuit Humbertus monachus Tullensis ordinis S. Benedicti. Ex Lotharingia Romam venit cum Leone IX, anno 1049. Mox cardinalis creatus Sublacensi monasterio præficitur. Erat Græce doctus : ideoque anno 1053 Latine vertit epistolas Leonis Acridani et Michaelis Cerularii ad Joannem Tranensem. Cum episcopus Silvæ Candidæ designatus fuisset, insequenti anno 1054 mittitur legatus Constantinopolim ad compescendum schisma. Re infecta Romam reversus est. Anno 1059 sub Nicolao papa composuisse dicitur formulam abjurationis Berengarii, et post annum denique 1064 obiisse. Cum esset Constantinopoli, rogatus a Constantino Monomacho scripsit disputationem inter Romanum et Constantinopolitanum. Cumque Nicetas Pectoratus Simeonis junioris discipulus, et in cœnobio Studii monachus infamem edidisset libellum contra Latinos, quem habes infra, hunc eumdem acriter confutavit Humbertus. Accidit hoc ante annum XI Monomachi. Namque eo anno cum die ipso S. Joannis Baptistæ accessisset Humbertus cæterique legati ad Studense monasterium, Pectoratus suum illum infamem anathematizavit libellum : quod postridie ejus diei iterum fecit. Hinc ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Utrum perseveraverit Græcorum laudes in suspicionem adducunt. Commentarium quoque eorum quæ contra Michaelem reliquosque ab apocrisiariis gesta sunt, scriptis antecedentibus subjunximus ex Canisio Basnagiano desumptis. Agitur in illis : De azymo præsertim, de cælibatu sacerdotum et observatione Sabbati in Quadragesima.

Digitized by Google

HUMBERTUS

SILVÆ CANDIDÆ

ADVERSUS GRÆCORUM CALUMNIAS.

(GALLAND, *Biblioth. vet Patr.* XIV, 192.)

Ca umnia episcoporum Michaelis Constantinopolitani, et Leonis Arridani [Acridani] pervicaciter exhalantium pestiferas mefites [mephites] diversarum hæreseon, adversus sanctam Romanum Ecclesiam apostolicamque sedem, imo contra omnem Latinam et Occidentalem Ecclesiam. Hæc quidem calumnia, Græco sermone edita, et Joanni Kamuensi (6) episcopo in suggillationem omnium Latinorum directa, cum fuisset Trani exhibita fratri Humberto, sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopo, in Latinum est translata ejus stud o, atque delata domino Leoni nono. Quæ etiam hic ad cautelam multorum et notitiam, non autem ad utilitatem aliquorum inserta, cunctis scire volentibus fideliter est conservata.

MICHAEL universalis patriarcha novæ Romæ, et LEO archiepiscopus Arridæ [Acridæ] metropolis Bulgarorum, dilecto fratri JOANNI Kamnensi episcopo.

1. Dei magna dilectio et jucunda compositionis viscera flexere nos scribere ad tuam sanctitatem, et per te ad universos principes sacerdotum et sacerdotes Francorum, et monachos et populos, et ad ipsum reverendissimum papam, et memorari de azymis et sabbatis, quæ mystice indecenter custoditis, et communicatis Judæis. Etenim azyma et sabbata ipsi custodire a Moyse jussi sunt : nostrum vero pascha Christus est. Qui, ut non juxta legem inveniretur adversarius, et circumcisus est, et legale pascha celebravit primitus. Sic, illo discedente, nostrum novum operatus est. Et hoc manifestum est in Evangelio secundum Matthæum; de mystica cœna loquens evangelista, sic quoque inquit : « Prima autem die azymorum accessere discipuli ad Jesum dicentes ei : Ubi vis paremus tibi comedere pascha? Qui ait : Ite ad civitatem ad quemdam, et dicite ei : Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis. » Et post pusillam : « Vespere autem facto discumbebat cum duodecim. Et, edentibus illis, dixit : Amen, amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. » Et post pusillum, dicente Juda : « Nunquid ego sum, Rabbi? » dixit ei : « Tu dixisti. » Huc usque, o Dei homines, universa legalis paschæ sunt. Deinde ea quæ mystici et nostri sunt addidit; evangelista enim dixit : « Edentibus autem illis, accepit Jesus panem, fregit et dedit discipulis suis, et dixit : Accipite et comedite; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus Novi Testamenti. » Dicendo enim *novi* ostendit quomodo ea quæ Veteris fuerunt Testamenti cessavere. Aspicite quomodo panem corpus suum sub Novo Testamento vocavit. Vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. Ἄρτος autem interpretatur *elevatus et sursum portatus a fermento et sale, calorem et elevationem habens*. Azymæ autem nihil distant a lapide sine anima, et luto lateris deorsum conjunctæ terræ et sicco luto comparatæ. Quas Moyses cum amaritudinibus comedere miseris Judæis semel in anno legem constituit; quoniam malæ passionis et tribulationis symbola sunt; at nostrum pascha gaudium et lætitia totum est, et extollit nos ab humo propter gaudium ad cœlum, sicut et fermentum, propter proprium calorem, panem, qui panis omni suavitate repletus est. Azymæ vero neque sal, neque fermentum habentes, lutum est aridum. Aut non audistis Jesum dicentem discipulis suis. Quia *vos estis sal terræ?* Et quoniam *Simile est regnum cœlorum fermento, quod accipiens mulier abscondit in farinæ satis tribus, usque dum fermentaretur totum?* Mulierem sanctam Ecclesiam vocat. Satis vero tribus modis repletis, Patrem et Filium et Spiritum sanctum : quorum nequaquam lutulentæ azymæ sunt participes. Dicit enim et David de Christo : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Qui ante Abraham et Moysen, cœli et terræ et cæterarum creaturarum agnoscens Deum, exsurgens obtulit illi panem et vinum. Ideo dicit divinus Apostolus : « Quoniam si consummatio per leviticum sacerdotium erat, non secundum ordinem Melchisedech sacerdos Christus diceretur (*Hebr.* VII, 11). » Et quia « translato sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat (*Ibid.*, 12), » quæ lex lutulenta constituit azyma Judæis custodire.

(6) Legendum *Tranensi*, fuit enim *Tranensis* episcopus cui litteras suas direxit Michael; et, cum Græcis faveret, in eosque propensior esset, depositus est a Nicolao II, in synodo Apuliæ, ut testatur Petrus Damianus.

Digitized by Google

II. Idem ipse magnus Paulus ad Corinthios prima Epistola ex his loquens ait : « Fratres, ego accepi a Domino quod et tradidi vobis : quoniam Dominus in nocte qua tradebatur, accepit panem et gratias agens fregit et dixit : accipite et comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. Similiter et de calice : Hic est calix Novum Testamentum in meo sanguine : hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis in meam commemorationem, mortem Domini annuntiabitis (*I Cor.* XI, 23-26). » Azymæ vero quoque commemorationem habent Dei, neque mortem illius annuntiant, sicut Mosaicæ et ante mille quadringentos annos ex lege constitutæ : et per Novum Testamentum, hoc est, per sanctum Evangelium et per Christum maledictæ et derelictæ.

III. Sabbata vero quomodo in Quadragesima judaice observatis? Aut non audistis evangelistam loquentem : quia transeuntes discipuli in sabbatis cœperunt iter agere evellentes spicas et comedentes? Dicebant autem Judæi ad Christum : « Vides quid isti fecerint sabbatis? » Qui dixit : « Etiam. Aut nescitis quid egit David cum esuriret ipse, et qui cum eo erant? quomodo intravit in templum, et panes propositionis comedit, » et cætera. Et quia « sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum. » Qui et dicebant, « quoniam homo iste non est ex Deo, quia sabbatum non custodit (*Marc.* II, 23, seqq.; *Luc.* VI, 1 seqq.). » Et iterum loquente Christo in sabbato, et qui manum habebat aridam, similiter et eo qui dæmonis spiritum habebat, in sabbato mundato, murmurantibus Judæis et similia dicentibus, dicit Christus : « Hypocritæ, unusquisque vestrum non solvit asinum a præsepe, aut bovem suum, et ducit adaquare? (*Luc.* XII, 15). » Et paralytico similiter quem sanum fecit. Et ideo hi qui sabbata cum azymis custodiunt, neque Judæi neque Christiani sunt, sed similes sunt leopardo, sicut dicit magnus Basilius, cujus capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

IV. Quomodo autem et suffocata hi tales comedunt, in quibus sanguis tenetur? An nescitis ut omnis animalis sanguis anima ipsius sit, et qui comederit sanguinis animam comedit? Et idcirco secundum hoc nec gentiles ex toto sunt. Illi enim occidunt, aut plagantes comedunt.

V. Item alleluia in Quadragesima non psallitis, sed semel in pascha tantummodo : quod interpretatur, *Dominus venit, laudate, hymnum dicite, et benedicite ei.* Ergo secundum hoc neque *Domini, Dominum,* neque *Benedictus qui venit,* psallitis. Et istud vero alleluia Hebraice dictum est.

VI. Cur tantam deceptionem horum talium non aspicitis nec intelligitis, neque corrigitis populos et vosmetipsos, sicut qui debent judicari ex his a Deo? Non derelinquitis quod dicitur quod hoc Petrus et Benedictus et Paulus et cæteri docuerunt? Decipitis vos ipsos et populum in istis. Quæ vero scripsi, ea sunt quæ Petrus et Paulus et cæteri apostoli et Christus docuit, et sancta Ecclesia catholica suscepit et custodit religiose. Quæ et vos correcti custodite. Azymas vero et custodias sabbatorum projicite miseris Judæis; similiter et suffocata barbaris gentibus, ut flamus puri in recta et immaculata fide, et unus grex unius pastoris Christi. Cujus in cruce divino sanguine inebriati laudamus puri pure Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Universa Mosaicæ legis et ab eo custodita derelinquentes sine Deo Judæis, qui velut cæci perquirentes Christum lumen amiserunt, permanentes in umbra, sicut insipientes perpetuo. Hæc autem, homo Dei, et multoties ipse cum populo agnoscens docuisti esse, et correctus scripsisti multis similem consuetudinem habentibus. Et ut habeas salutem animæ tuæ, mitte principibus sacerdotum et sacerdotibus, et adjura ut per hæc seipsos corrigant, et Dei populum, ut Dei mercedem in istis habeas. Et si hoc feceris, propono et per secundam scriptionem majora et perfectiora his tibi scribere, fidei vera ostensione et firmamento animarum pro quibus Christus posuit animam suam.

TEXTUS PRÆFATORUM SYCOPHANTARUM EXPLICATUR.

Incipit responsio fratris Humberti sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ dicti episcopi, instar dialogi ad ipso Latine conscripta apocrisariatus sui tempore Constantinopoli. Et jussu imperatoris religiosi et orthodoxi Constantini Monomachi Græce edita, sub nominibus Constantinopolitani et Romani, anno Domini millesimo quinquagesimo quarto.

I. Romanus. Præfulgente gratia sanctæ et individuæ Trinitatis, in cujus manu nos et sermones nostri, hinc jam aggredimur responsum in litteris et cavillationibus vestris : ut palam sit nos illius summi Petri disciplina eruditos, qui dixit : « Sitis parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe, cum modestia et timore conscientiam habentes bonam : ut, in eo quod detrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. » Quod figurate per Moysen Dominus innuit, ubi vectes quibus arca portaretur, circulis ipsius semper inesse præcepit : nec unquam extrahi ab eis, ne qua mora fieret quotiescunque arcam elevare necesse esset. Arca siquidem sanctam Ecclesiam; circuli ejus divinam Scripturam; vectes ejus præpositos Ecclesiæ significant, quos semper expedit sacræ Scripturæ insistere : ne pudenter tunc velint discere, quando jam ad exaltationem sanctæ Ecclesiæ debent quæstiones quorumlibet enodare. Unde calumniam ve-

Digitized by Google

stram seriatim discussuri, ab ipsius initio non pigritamur ordiri.

Insuper ut manifestius vestra dicta a nostris secernantur, vestra obelis, nostra autem asteriscis prænotantur. Sed tandem videamus quale sit illud vestræ calumniæ proœmium, quo laborastis auditorem vestrum efficere benevolum, ita dicendo :

II. CONSTANTINOPOLITANUS. Del magna dilectio et jucunda compassionis viscera flexerunt nos scribere ad tuam sanctitatem, et per te ad universos principes sacerdotum, et sacerdotes Francorum et monachos et populos, et ad ipsum reverendissimum papam : et memorari de azymis et sabbatis, quæ mystice indecenter custoditis et communicatis Judæis. Etenim azyma et sabbata ipsi custodire a Moyse jussi sunt.

III. ROMANUS. Ex hac vestra præfatione sicut profitemini, crederemus vos salutem totius Latinæ seu occidentalis Ecclesiæ pro sola magna Dei dilectione quærere : si sciremus vos vestram vestrorumque non negligere. Cum vero vos ipsos et vobis commissos negligatis, ut nefandos Jacobitas, imo Theupaschitas, seu alias hæreticorum pestes, inter vos et penes vos habeatis : neque eorum consortia, neque colloquia, neque convivia seu pariter orare devitetis : quomodo saltem suspicabimur vos aliqua dilectione Dei aut proximi præmonitos compati nostræ perditioni, sicut putatis? Et quare ad præceptum gloriosi Pauli, sic aures præcordiorum obdurastis, ut dicentem non advertatis : « Hæreticum hominem post unam et secundam admonitionem devita? (*Tit.* III, 10.) » Unde ipse Paulus, sciens quod nulla pars esset fideli cum infideli, Irenæum et Philetum devitavit, Et Timotheo Alexandrum ærarium devitare præcepit. Cur etiam non animadvertitis beatum Joannem contestantem fidelibus : « Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis : Qui enim dicit ave, communicat operibus illius malignis? » (*II Joan.* 10 et 11.) Ast vos, quasi omnia munda immunda sint vobis, oculis contra vos et vestra clausis sanctam Romanam et omnem occidentalem Ecclesiam pollutam hæresi et Judaismo proclamatis, et velut quamdam abominationem devitatis. Ex qua tam cæca et hactenus inaudita audacia ad hoc prorupistis ut cunctorum hæreticorum, quos adhuc deprehendere valuimus, temeritatem transcendatis. Quamvis omnino singulæ hæreses suis adinventionibus aliqua ecclesiæ membra fatigaverint, nulla tamen adhuc ad tantam vesaniam erupit, ut opinionem suam primæ et apostolicæ sedi ingerere præsumpsisset, cum interpositione anathematis. Recensete si placet, ab initio Christianitatis usque ad nostra tempora cunctarum hæreseon volumina; et videbitis an aliqua earum præsumpserit talia. Et cum non inveneritis, saltem tunc resipiscite, ne, quod absit! permaneatis viciniores præcursores illius Antichristi, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. In cujus arrogantiæ monte consistentes, et ex supercilio ejus omnia subter vos jacere reputantes, dicitis vos flexos viscæribus compassionis scribere cunctis sacerdotibus Francorum et reverendissimo papæ. Sed non solum Romani et Francorum sacerdotes, verum etiam omnis Latina Ecclesia de monte domus Domini clamat, vobis contradicens : « In Domino confido : Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer? » (*Psalm.* x, 2.) Tamen eum quem papam reverendissimum dixistis, revereri et non detestari debuistis.

IV. Quod autem impudenter calumniamini nos communicare Judæis, observando typice azyma et sabbatum, phrenesi inveterata arbitramur adeo vos perdidisse sensum ut nec factum vestrum respicitis nec dictum. Quapropter suademus vobis ut ad cor redeatis, et animadvertatis quid in Exodo Moyses jubeat de azymis : « Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperum comedetis azyma, usque ad vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris. Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tam de advenis quam de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitationibus vestris comedetis azyma (*Exod.* XII, 18, 19, 20). » Item unde superius : « Septem diebus azyma comedetis. In die prima non erit fermentatum in domibus vestris. Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a prima die usque ad diem septimam. Dies prima erit sancta atque solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis, nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent, et observabitis azyma (*Ibid.*, 15-17). » Item in sequentibus, scilicet in capitulo tertio decimo ejusdem Exodi dicitur : « Septem diebus vesceris azymis, et in die septima solemnitas Domini erit. Azyma comedes. Septem diebus non apparebit apud te aliquod fermentatum, nec in cunctis finibus tuis (*Exod.* XIII, 6, 7). » Item : « Solemnitatem azymorum custodies : Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi, in tempore messis novorum (*Exod.* XXXIV, 18). » Et in Levitico : « Mense primo, quarta decima die mensis ad vesperam Phase Domini est : et in quinta decima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis, dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque, omne opus servile non facietis in eo, sed offeretis sacrificium in igne septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior et sanctior, nullumque opus servile fiet in eo (*Lev.* XXIII, 5-8). » Et in Numero : « Mense primo quarta decima die mensis Phase Domini est, et quinta decima die solemnitas. Septem diebus comedetis azyma. Quorum dies prima venerabilis et sancta erit : omne opus servile non facietis in ea, offeretisque holocaustum Domino : vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos et immaculatos septem, et sacrificia singulorum, et si-

Digitized by Google

milam quæ conspersa sit oleo. Tres decimas per singulos vitulos, et duas decimas per arietem, et decimam decimæ per agnos singulos, id est, per septem agnos, et hircum pro peccato unum, ut expietur vobis (*Num.* xxviii, 16-22). » Et in Deuternomio : « Observa mensem novarum frugum et verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte. Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus et de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. Non comedes in eo panem fermentatum : septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto, ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ. Non apparebit fermentatum in omnibus terminis tuis septem diebus, et non remanebit de carnibus ejus quod immolatum est vesperi, die primo mane (*Deut.* xvi, 1-4). »

V. Hæc omnia, si ita Judæis carnalibus carnaliter observanda veteris legis lator cœlitus censuit constat hæc secundum carnalem observationem omnino aliena a nobis. Quia in illis septem diebus quotidie fermentatum in omnibus finibus et terminis nostris et domibus invenitur, apparet atque comeditur. Nec ipsos septem dies aliter quam reliquos totius anni in azymis observamus : nec apud nos perit de cœtu nostro anima illius quicunque, tam de advenis quam et de indigenis, terræ comederit fermentatum in diebus supra dictis. Sed nec velut ipsi, a decima die mensis primi sumptum agnum masculum anniculum ex pecoribus usque ad quartum decimum servamus, nec ad vesperam immolamus, ut sanguine ejus postes signemus, nec carnes ejus assas igni, accincti et calceati, tenendo baculos in manibus, nocte comedimus festinanter, cum azymis panibus et lactucis agrestibus. Insuper non offerimus incensum holocaustum Domino in his diebus quotidie in igne vitulos duos de armento, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem : et sacrificia singulorum, et similam conspersam oleo : neque hircum pro peccato, ut expietur pro nobis. In quo ergo communicamus Judæis? et in quo solemnitatem azymorum custodimus? An forsan quia solemnes eosdem dies et feriatos habemus, et a quarta decima luna usque ad vicesimam primam observamus? Et cur eadem vos observatis? nisi quia aliud nobis innuunt, aliud illis? Illis enim data sunt (7) in memoriam spiritualis egressionis nostræ ex hoc mundo, ut vacemus et videamus quoniam ipse est Deus qui nos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, conresurgere et consedere nos faciens secum in cœlestibus, et ut instar lunaris globi incipiamus lucem cordis nostri, id est rationem, a terrenis avertere et ad cœlestia convertere; sicque sapiendo et quærendo quæ sursum sunt, reviviscamus Deo et moriamur mundo. Sic quoque omnia quæ superius nos carnaliter observare negavimus, Domino annuente, spiritualiter et observamus et omnimode cupimus observare, procul dubio credentes quod, quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, beato Paulo sic protestante : « Hæc omnia in figuris contingebant illis : Scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* x, 11). »

VI. Nunc ad observantiam sabbati veniatur. De quo ita in Exodo præcipitur : « Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septima autem die sabbatum Domini Dei tui. Non facies omne opus, tu et filius tuus et filia tua servus tuus et ancilla tua, jumentum tuum et advena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit die septimo. Idcirco benedixit Dominus diem sabbati, et sanctificavit eum (*Exod.* xx, 8-11). » Item in eodem : « Sex diebus operaberis : die septimo cessabis arare et metere (*Exod.* xxxiv, 21). » Igitur in hujusmodi observatione sabbati, ubi et quamer communicamus Judæis? Illi enim in sabbato otiosi et feriati nec arant nec metunt, nullumque opus ex more faciunt, sed festum habent et convivium, et requiescunt servi et ancillæ eorum, boves et jumenta. Nos vero nihil horum observamus, sed omne opus facimus, sicut et in præcedentibus quinque diebus, et jejunamus sicut et in proxima sibi feria sexta jejunamus. Vos vero si non judaizatis, dicite cur Judæis in simili observantia sabbati communicatis? Sabbatum certe ipsi celebrant, et vos celebratis : epulantur ipsi, et solvunt semper in sabbato jejunium. Illi in sua quadragesima solvunt a jejuno omne sabbatum præter unum, et vos in vestra quadragesima solvitis a jejunio omne sabbatum præter unum. Illis duplex est causa sabbatum celebrandi, scilicet ex præcepto Moysi, et quod contristatis discipulis, ipsi fuerunt de morte Domini, quem non credebant resurrecturum, in hac die gavisi. Unde quia cum Judæis sabbatum, et nobiscum celebratis diem dominicum, videmini in tali observatione imitari sectam Nazarenorum, qui sic recipiunt Christianismum ut non dimittant Judaismum. Latina autem Ecclesia, compatiens passo et sepulto Domino, congaudet resurgenti in die Dominica; quando Judæos nimia occupavit mœstitia, et custodes sepulcri conati sunt corrumpere pecunia. Unde nos, traditionem apostolicam usque in hodiernum diem de sabbato retinentes, et usque in finem retinere cupientes, hic subscribere curavimus quid

(7) Hic evidenter ad plenum rationabilemque sensum deest aliquid, quod oppositionem in præcedenti clausula τὸ *aliud nobis* et τὸ *aliud illis* signatam referat. Unde probabiliter supponi potest hujusce phrasis initium sequentibus aut parum dissimilibus verbis ab auctore conscriptum fuisse : *Illis enim data sunt hæc observanda in memoriam illorum egressionis ex Ægypto; nobis autem in memoriam*, etc. EDIT.

Digitized by Google

super hoc senserint et confirmaverint nostri antiqui et venerabiles Patres. Ex quorum numero beatissimus papa Silvester, magni Constantini Augusti spiritualis pater, inter alia dixit : « Si omnis Dominicus dies resurrectionis gratia est colendus in gaudio Christianorum : omnis ergo sabbati dies sepulturæ deputandus est in exsecratione Judæorum. Omnes enim discipuli Domini Sabbato fletum habuerunt, sepultum Dominum suspirantes, et Judæis exsultantibus lætitia inerat. Apostolis autem jejunantibus tristitia imperabat. Tristemur itaque cum tristantibus de sepultura Domini, si volumus cum iisdem de Domini resurrectione gaudere. Neque enim fas est ut destructiones ciborum et cærimonias Judæorum more Judaico observemus. » Hæc et his similia dicente sancto Silvestro, non placuit quibusdam Orientalibus ista traditio apostolicæ sedis, sed magis elegerunt celebrare sabbatum cum Judæis. Cujus sententiæ concordans sanctus papa Innocentius ait : « Sabbato jejunandum esse ratio evidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob venerationem resurrectionis Domini nostri Jesu Christi non solum in pascha celebramus, verum etiam per singulas hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac sexta feria propter passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Quod utique constat apostolos biduo isto et in mœrore fuisse, et propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non dubium est, et in tantum eos jejunasse biduo memoratur, ut traditio Ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari. Quæ forma utique per singulas hebdomadas est tenenda, propter quod commemoratio diei illius semper est celebranda. » Quod si putatis semel atque uno Sabbato jejunandum, ergo et dies Dominica et sexta feria semel in pascha erit utique celebranda. Si autem Dominicæ diei ac sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est, dementis est, bidui agere consuetudine, Sabbato prætermisso, cum non disparem causam habeat a sexta videlicet feria in qua Dominus passus est, quando et apud inferos fuit, ut die tertia resurgens redderet lætitiam, post biduanam præcedentem tristitiam. Non ergo nos negamus sexta feria jejunandum, sed dicimus in Sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam apostolis et his qui Christum secuti sunt indixerunt, qui, die Dominico exhilarati, non solum ipsum festivissimum esse voluere, verum etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt. Hinc jam reliqua vestra dicta discutiamus.

VII. Constantinopolitanus. Nostrum vero pascha Christus est. Qui, ut non juxta legem inveniretur adversarius, et circumcisus est, et legale pascha celebravit primitus, sic, illo discedente, nostrum novum operatus est.

VIII. Romanus. Quod Christus vestrum pascha sit, scialis nos ita concedere, si eum asseritis etiam nostrum, imo totius catholicæ Ecclesiæ pascha esse. Quod si, quod absit! pertinaciter contradixeritis, auscultabimus ipsum Dominum nostrum Jesum Christum sic suos præmonentem de pseudochristis et pseudoprophetis : « Si quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus, aut ecce illic : nolite ire, neque sectemini (*Luc.* XVII, 23). » Quod vero dicitis Dominum Jesum, celebrato vetere pascha, novum discipulis suis celebrandum tradidisse : quis sapiens id negat? Sed illud quod dicitis, Dominum nostrum Jesum Christum ideo circumcisum et vetus pascha celebrasse ne juxta legem inveniretur Deo contrarius, quis unquam ausus erit astruere, nisi manifestus hæreticus? In hoc enim videmini perverse cum Marcionitis et Manichæis sentire alium Deum veterem legem, alium novam dedisse; et, ut apertius dicam, Deum malum et Deum bonum vultis introducere. Et ne illi malo, hoc est Deo tenebrarum, bonus iste Deus lucis inveniretur adversarius, et circumcisus fuit et celebravit pascha vetus. Et quasi devitans illius tyranni, velut fortioris se, iram incurrere, ad tempus simulavit se legem ejus observare. Sed absit tam pestiferum virus a fidelium auribus et cordibus, ut vel suspicetur aliquis aliquid aliquando simulasse omnipotentem et simplicissimam Veritatem, quæ est Christus Deus noster, aut alium veteris legis esse, alium novæ auctorem! cum ipsa Veritas protestetur, dicens : « Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas : non veni solvere legem, sed adimplere (*Matth.* v, 17); » et Psalmista dicat : « Etenim benedictionem dabit legis lator (*Psal.* LXXXIII, 8). » Deinde subjunxistis :

IX. Constantinopolitanus. Et hoc manifestum est, sicut, in Evangelio secundum Matthæum, de mystica cœna loquens, evangelista sic quoque inquit : « Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere pascha? Qui ait : Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei : Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis (*Matth.* XXVI, 17, 18). » Et post pusillum : « Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis, et edentibus illis dixit : Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est (*Ibid.*, 20, 21). » Et post pusillum, dicente Juda : « Nunquid ego sum, Rabbi? (*Ibid.*, 25), » dicit ei : « Tu dixisti (*Ibid.*, *ib.*). » Huc usque Dei hominis, universa legalis paschæ sunt. Deinde ea quæ mystici et nostri sunt, addidit Evangelista, et dixit : « Edentibus autem illis, accepit Jesus panem, fregit et dedit discipulis suis, et dixit : Accipite et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit et dedit eis dicens : Bibite ex eo omnes : hic est sanguis meus Novi Testamenti (*Matth.* XXVI. 26; *Luc.* XXII, 17-20), » Dicendo enim, *Novi*, ostendit quoniam ea quæ Veteris fuerunt Testamenti cessaverunt.

X. Romanus. Hæc omnia non a vobis, sed a veracibus Evangelistis conscripta, et ab omnibus orthodoxis Patribus constanter prædicata credimus, et

Digitized by Google

ipsum Dominum nostrum Jesum Christum quarta decima luna ad vesperam pascha vetus perfecisse, et mox novum inchoasse prædicamus. Quapropter sequentia videamus.

XI. CONSTANTINOPOLITANUS. Aspicite quomodo panem corpus suum sub Novo Testamento vocavit, sicut vivificum et plenum spiritu, et sicut caloris demonstrativum. Vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. Ἄρτος autem interpretatur elevatus et sursum portatus a fermento et sale, calorem et elevationem habens. Azymæ autem nihil distant a lapide sine anima et luto lateris deorsum conjunctæ terræ et sicco luto comparatæ, quæ cum amaritudinibus Moyses comedere miseris semel in divina lege constituit : quoniam malæ passionis et tribulationis symbola sunt significativa.

XII. ROMANUS. In hac vestra disputatione, illud tantum approbamus, quod Dominus Jesus panem benedictum et fractum in memoriam sui sub novo testamento corpus suum vocavit. Et quod omnis panis hujusmodi vivificet et det vitam mundo, utpote plenus spiritu et calore Dei vivi, et quod nos panem, vos ἄρτον dicitis; reliqua vero vehementer detestamur, et velut hæreticam vanitatem et audaciam olentia atque resonantia, anathematizamus. Quis enim audebit panem quemlibet, absque mysterio quod supra diximus, asserere plenum spiritu et animatum, nisi discipulus Manichæi? Ipsi enim delirando, sicut vere pleni insania, impudenter asserunt panem et vinum, lignum, lapidem et vestem, cæteraque talia animam habere. Illud quoque quod, azymum negantes panem esse, per etymologiam ejus nominis, quod est ἄρτος, conamini nos vincere : sciatis omnino vanum et puerile. Quia et a linguarum peritis diversæ etymologiæ dantur ex uno nomine, secundum humanum placitum magis quam secundum naturam rerum. Et in omnibus Scripturis invenimus panem indifferenter dici, sive fuerit azymus, sive fuerit fermentatus. Quod hinc demonstrare incipimus.

XIII. Primo omnium, ecce manna, tam in lege et prophetis et psalmis, quam in evangelicis et apostolicis litteris, panis, id est, ἄρτος vocatur. Sicut in psalmo : ἄρτον οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς, ὄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος : quod latine dicitur : *panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo.* Et in Evangelio : Κύριε, ἀεὶ δὸς ὑμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον. Et in Exodo : Οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος, ὃν ἔδωκεν ὑμῖν Κύριος. Si ergo manna, quod erat album et minutum sicut semen coriandri, et quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ, gustusque ejus quasi similæ cum melle, auctoritate divina dicitur panis, sive ὄρτος, quod utique nullam similitudinem aut verum saporem panis habebat; quomodo azymæ possit tolli nomen panis, non videmus : qui utique natura, forma et sapore omnimodis panis est et dicitur, præsertim cum angeli apud Abraham et Lot subcinericios panes, ἄρτους ὑποτέφρους dicantur comedisse, angelusque Heliæ legatur in desertum attulisse. Sed quid multa? In lege et in Evangelio invenimus τοὺς ἄρτους προθέσεως, id est, *panes propositionis*, quos azymos fuisse nemo dubitat, qui legis Mosaicæ aliquam notitiam retentat. Ubi dicitur : « Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet : nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini (*Lev.* II, 11). » Et in Deuteronomio Moyses azymum vocavit, ἄρτον ταπεινώσεως, id est *panem afflictionis.* Sermo quoque Domini ad Ezechielem factus dixit : « Et tu, fili hominis, sume tibi frumentum, hordeum, fabam, lentem, milium et viciam, et mittes in vas unum, et facies tibi panes (*Ezech.* IV, 9). » Ecce tam hic quam in subsequentibus panes dicuntur, ubi nulla fermenti mentio habetur : in tantum ut subcinericius, hordeaceus ibidem vocetur. Verumtamen, ut de vestris aliquid dicamus, audite quid Joannes monachus Damascenus in laude Dei Genitricis dicit ? (8) Ἐπεὶ αὕτε τῶν βροτῶν οὐσία διὰ σοῦ ὁμιλίσασα θείῳ πυρὶ ὡς ἔγκυμα (9), πάναγνε παρθένε, ἐξ οὗ ὤπτης θεοτόκον ἀληθινὸν διαφυλάξαντα. Quin etiam volumus ut dicatis fermentatumne azymus sit de quo Salomon ait : « Suavis est homini panis mendacii (*Prov.* XX, 17). » Et : « Panis absconditus suavior est (*Prov.* IX, 17); » scilicet quem mulier stulta repromittit. Et hic enim et illic non azymus, sed ἄρτος dicitur. Et quia nos ad hoc trahere nititur tota vestra disputatio, ut pro eo tantum quod Matthæus dicit : λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον, id est *accepit Jesus panem* (*Matth.* XXVI, 26), incipiamus credere fermentatum et non azymum discipulis suis in memoriam suæ passionis Dominum dedisse; sciatis istam sententiam vestram satis infirmam esse, si aliud non habetis quod possit vestræ parti favere. Omnis enim sententia ex opinione procedens, est dubia. Quæ autem ex scientia procedit, certa omnimode et rata. Unde, si aliam sententiam firmiorem non habetis, hac sola tam ambigua nostrum consensum vobis non vindicabitis : quia, ut superius copiose monstravimus, azymus, sicut fermentatus, dicitur ἄρτος. Quin etiam Matthæus, qui Hebraice scripsit Evangelium, non dixit : λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον, sicut Græcus, sed ut Hebræus Hebræis : *Lachah Jesus lechem.* Lechem autem Hebraice etiam azymum vocari in Deuteronomio cognoscite, ubi sic habetur : *lechem oni*, id est panem afflictionis, atque panes propositionis *lechem parini* (10) dicuntur. Unde in Psalmo, manna quoque similiter vocatur ut *lechem albicini* (11) *achal is*, quod interpretatur, *panem angelorum manducavit homo.*

XIV. Tam copiosis ergo trium principalium linguarum exemplis enervatam etymologiam vestram ex nomine, quod est ἄρτος, sapienter considerate, et azymo nostro fermentatum vestrum præferre cavete. Quia si non obstinata mente manifestæ veritati resistitis, et si Vetus et Novum Testamentum

(8) Locus plane depravatus.
(9) ἄζυμα.
(10) Panim.
(11) Abirim.

Digitized by Google

aperte non impugnatis, nobiscum sentire et profiteri habetis, azymum panem fuisse, quem ipse Dominus Jesus in cœna primis Ecclesiæ suæ fundatoribus distribuit in memoriam suæ passionis. Nam, sicut sufficienter supra ostensum est, in septem paschæ diebus fermentatum nec inveniebatur nec apparebat in cunctis domibus seu finibus Israel. Et apud quemcunque fuisset inventum, justa animadversione, velut divinæ legis transgressor, absque recrastinatione peribat de cœtu Israelitarum. Quod si credimus verbis Veritatis dicentis : « Non veni solvere legem, sed adimplere (*Matth.* v, 17), » credendum etiam et prædicandum est Dominum Jesum nec unum iota aut unum apicem legis præteriisse, et ut totius transgressionis expertem insidiatoribus suis dixisse : « Quis ex vobis arguet me de peccato (*Joan.* VIII, 46). » Alioquin nec ipse peccata multorum tulit, nec pro transgressoribus oravit ut non perirent ; nec pro nobis passus, sed pro sua prævaricatione juste punitus : præsertim qui nec solus legis transgressor inventus est, fermentato apud se tunc reperto, sed insuper multos discipulos reos mortis effecit, cibans illos fermentato. Videte quorsum evadat hæc vestra disputatio. Nempe si in solemnitate azymorum dicitur quolibet usus fermentato, vere mortuus asseritur in peccato suo, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ipsius. Insuper administratis Judæis materiam magnam sibi placendi super interfectione Domini, et permanendi in errore suo, et fidem nostram evacuandi : si gloriantes nomine Christiano objecerint Christo quod Judæorum nemo objicere præsumpsit, nec tunc nec modo, nisi forte vestro edoctus magisterio. Quamvis enim principes sacerdotum et omne concilium quæsissent falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, et nec in verbis ejus invenissent : tamen tale aliquid, quale vos objicitis, nullus eorum objecit. Quod si fuisset objectum, solum unum sufficeret ad perdendum illum. Nec jam Pilato dicenti : « Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum (*Joan.* XVIII, 31), » dicerent : « Nobis non licet interficere quemquam (*Ibid.*) ; » quia ipsi præcepto legis interfecissent fermentati participem. Denique tota in Jesum calumnia ex interrogatione Pilati et responsione Judæorum facillime potest animadverti juxta Evangelium Matthæi et Marci, ubi, interrogante Pilato : « Quid enim mali fecit? (*Matth.* XXVII, 23), » clamaverunt : « Crucifigatur (*Ibid.*). » Porro, Luca attestante, omnis multitudo tradentes Jesum Pilato dixerunt : « Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse (*Luc.* XXIII, 2). » Quibus paulo post ait Pilatus : « Nihil invenio causæ in hoc homine (*Ibid.*, 4). » Et illi : « Commovit populum per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc (*Ibid.*, 5). » Deinde post aliqua dixit eis Pilatus : « Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce ego, coram vobis interrogans, nullam causam mortis invenio in homine isto ex his in quibus eum accusatis, sed neque Herodes. Corripiam ergo illum, et dimittam (*Ibid.* 14-16). » At illi postulabant ut crucifigeretur. Joannes autem refert Pilatum sic dixisse Judæis : « Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? (*Joan.* XVIII, 29.) Qui dixerunt ei : « Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum (*Ibid.*, 30). » Et post aliqua dicente eis Pilato : « Accipite eum vos et crucifigite (*Joan.* XIX, 6). » Responderunt : « Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Ibid.*, 7). » Nonne tot testibus iniquis in Dominum insurgentibus, et iniquitati mentienti sibi, sufficisset hoc unum vestrum mendacium, si constaret eis saltem hoc solum? Nonne instarent Pilato, et dicerent : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia fermentatum in pascha comedit? aut certe apud eum apparuit? Et forte dicetis, eum clam egisse hoc. Absit! Quia non solum de factis suis, verum et de dictis ait ipsi pontifici percunctanti : « Ego palam locutus sum mundo. Ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui me audiverunt, quæ dixerim ego (*Joan.* XVIII, 20, 21). » Nunquid etiam dominum domus in qua pascha celebrabat, sanctæ legis prævaricatio posset latere? quem constat paternarum traditionum æmulatorem apprime fuisse. Quod si forte et hunc latere potuit, aut certe ipse consensit ; nunquid et Judam complicem malignorum Judæorum latere potuit, qui, juxta Psalmistam, « Unanimis ejus dux et notus (*Psal.* LIV, 14), » et præsertim dispensator fuit? Quem ipse Dominus dilecto Joanni demonstrans ait : « Ipse est cui intinctum panem porrexero (*Joan.* XIII, 26). » Et cum intinxisset panem, dedit Simoni Iscariotis. Ecce hic bis dixit ἄρτον, quem vos non nisi fermentatum accipitis. Quod si ita est, quæ res prohibuit infelicem Judam, demonstrato ipso fermentato, prodere sanguinem magistri palam, quemadmodum volebat prodere clam? Aut quid necesse habuit desperando dicere : « Peccavi, tradens sanguinem justum? » (*Matth.* XXVII, 4), cum tradendo transgressorem legis averterit a se et a populo furorem Domini, et gratiam promeruerit? Ut enim præceptum legis divinæ super hoc breviter tangamus, perpendite quid in Deuteronomio latius dicatur : « Si propheta quilibet, sive frater tuus, filius aut filia, uxor vel amicus quem diligis ut animam tuam, voluerit clam persuadere tibi ut avertaris a cærimoniis legis, non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei tuus oculus ut miserearis et occultes eum ; sed statim proditum populo interficies, ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, et misereatur tibi, multiplicetque te, sicut juravit patribus tuis (*Deut.* XIII, 6-8, 17). »

XV. Hic ne quid minus factum videatur, etiam vestratium ridiculæ opinioni obviamus : qui, non invenientes quarum sanctarum Scripturarum funiculo scapham assertionis suæ pertrahant ad alicujus

Digitized by Google

stabilitatis littus, fluctuando pertrahuntur in illud divinæ omnipotentiæ pelagus. Namque sciscitantibus nobis unde Dominus Jesus fermentatum in cœna habuerit, cum in omnibus finibus Israel non inveniretur, respondent : Si creditur omnipotens, potuit subito undecunque fermentatum exhibere, aut certe ipsum azymum benedicendo fermentare. Quod quam sit frivolum nemo non intelligit; quia, quocunque modo apud eum in ipsa solemnitate fermentatum apparuisset, legis transgressor fieret, plane dignus puniri, qui in sanctæ legis contumeliam fermentatum tractasset. Sed, etsi quolibet modo id fuisset factum, aliquis Evangelistarum tantum narraret miraculum, non inferius illo quo aqua conversa narratur in vinum. Et cum tam subtiliter gesta sive dicta in ipsa cœna describunt ut etiam aliqua velut minus necessaria videantur recitare, sicut illud est de contentione prioratus inter discipulos facta, sive quod Dominus ipse præceperit vendi tunicam et emi gladium; quomodo tam obstinato silentio reticuere tam necessarii sacramenti initium, et ut ita dicamus, omnium odam metamorphosim, et qualem vos somniatis? Neque enim fuerat negligenter commemorandum, quod totius Ecclesiæ exstat fundamentum, et usque secundum Christi adventum retinebit Christianitatis statum, per quod in Christo manemus, et ipse in nobis. Unde vos, assertionis vestræ difficultatem passi, laboratis nobis præjudicium facere ex omnipotentia Christi. Sed vobis fideliter et constanter respondemus : Quamvis omnia quæcunque voluit fecerit et faciat Dominus Jesus, hoc facere non potuit, sicut quondam de lapidibus panem facere non potuit. Si quæritur, cur? Breviter respondetur, quia noluit. Sed unde scitur quia noluit? quia non transgredi potuit nec transgressus est legem, quam non venit solvere, sed adimplere. Itaque unum e duobus eligatis necesse est. Aut enim fermentato abjecto in solemnitate azymorum legem implevit, aut suscepto fermentato legem solvit, propter quam adimplendam se venisse mentitus invenietur, quod absit! Porro de omnipotentis Dei coomnipotente Filio, ita habetur in Joannis Evangelio : « Non potest Filius facere quidquam a se (*Matth.* v, 19). » Qui etiam, secundum Marcum, in patria sua non poterat virtutes multas facere.

XVI. Hinc nil tergiversationum vestrarum prætermittentes, quia consideratis vestro fermentato secundum legem et Evangelium juste contradici astruere conamini Dominum non celebrasse pascha cum Judæis quarta decima luna mensis primi, sed priusquam fieret legalis abjectio fermentati. Et hoc probare contenditis ex Evangelio Joannis qui ait : « Et ipsi non introivere in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha (*Joan.* xviii, 28). » Quod quanta absurditate dicatur, saltem ex hoc perpendite, quod Christum transgressorem legis non cavetis denuo pronuntiare : Quia « cum facta esset hora, discubuit (*Luc.* xxii, 14). » Quamvis enim vobis posse celebrari pascha lex concedat, tamen quartam decimam lunam omnimodis observandam denuntiat. Et mundis quidem quartam decimam lunam primi mensis, immundis autem quartam decimam secundi mensis. Et quicunque aliter præsumpsisset, de medio populi sui periret. Quod si quæritur quare Joannes decimam quintam lunam, id est, a pascha secundam, dixerit *pascha?* cum videatur dicere debuisse : Et ipsi non introierunt in prætorium ut non contaminarentur, sed ut manducarent azyma, quorum prima erat dies ipsa : sciatis indifferenter ab Evangelistis dici *pascha* et *azyma*. Nam licet Dominus discipulis dixerit : « Scitis quia post biduum pascha fiet (*Matth.* xxvi, 2). » Matthæus tamen ipsius diei in cujus vespere fiebat pascha mentionem faciens, inquit : « Prima autem azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : ubi vis paremus tibi pascha comedere (*Ibid.*, 17). » Cui concordans Marcus ait : « Erat pascha et azyma post biduum (*Marc.* xiv, 1). » Et post pauca : « Et prima die azymorum, quando pascha immolabant (*Ibid.*, 12). » Ubi si indifferenter non accipiuntur pascha et azyma, ut modo pascha pro festo azymorum, modo festum azymorum intelligatur pro pascha, quomodo stabit : « Erat pascha et azyma post biduum? » (*Ibid.*, 1.) Nam juxta opinionem vestram debuit sic scribi : Erat pascha post biduum, et azyma post biduum. Sed beatus Lucas omnem hujusmodi dissolvens controversiam inquit : « Appropinquabat dies azymorum, qui dicitur pascha (*Luc.* xxii, 1). » Et quia cum eo qui proprie dicebatur pascha, subsequentes quoque septem dies azymorum abusive nuncupabantur pascha, quem diem vellet specialiter intelligi, in sequentibus luce clarius ostendit, dicens : « Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha (*Ibid.*, 7). » Quod plane in quarta decima luna fiebat ad vesperum, quando agnus occidebatur; quem etiam pascha dici sic Evangelista perhibuit, ut ipsum pascha occidendum diceret. Idem quoque in Actibus apostolorum narrat quod Herodes captum Petrum misit in carcerem, volens post pascha producere eum populo. Qui quod pascha dicat mox subjungens declarat : « Erant autem dies azymorum (*Act.* xii, 3). » Nec mirum. Cum etiam Exodi tertio Dominus, tria festa præcipiens, pascha tacuit, solemnitatem azymorum tantum custodiri jussit, quæ prætermisso pascha observari nequit. Porro Joannes qualiter intelligi vellet quod ait : « Ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha (*Joan.* xviii, 28); » paulo post ait : « Erat autem parasceve paschæ, hora quasi sexta (*Joan.* xix, 14). » Parasceve paschæ, *præparatio paschæ* interpretatur; quando jam præparabatur vel instabat celebritas magni diei Sabbati, qui celebrior reliquis paschalibus diebus apud Judæos habebatur, adeo ut, ob reverentiam ejus, gentilis hominis cohabitatione, vel introitu prætorii pollui vererentur; et insuper ne in cruce remanerent corpora in Sabbato, præcaverent. Nec repugnat vero quod pascha solemnitas azymorum dicitur : quandoquidem ipsum pascha cum azymis edebatur,

Digitized by Google

nec per totum diem illum, sicut scriptum est, apparebat fermentatum in finibus illis usque ad vesperum octavæ diei, quam habebant celeberrimam.

XVII. Insuper harum trium solemnitatum continuati octo dies pro uno die sunt habiti, sicut de scenopegiæ diebus Dominus dicit : « Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum hunc (*Joan.* VII, 8). » Qui tamen postea jam die festo mediante dicitur ascendisse, et in novissimo magnæ festivitatis die stetisse et clamasse : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat (*Ibid.*, 37). »

XVIII. Ecce vestris opinionibus reluctati forsitan plus necessario fuimus verbosi; sed hinc minime debemus reprehendi, quia causam humano generi super omnia necessariam voluimus evacuari. Si Dominus Jesus legem potuisset transgredi, inanis enim esset fides nostra, inanis et prædicatio nostra; quia posset doceri peccatum Adæ obfuisse humano generi, mortem autem Christi nihil profuisse. Nunc sequentia videamus : ubi postquam vanis declamationibus, ut supra monstratur, ἄρτον interpretati fuistis elevatum et sursum portatum a fermento et sale, calorem et elevationem habentem, horrenda excitate, abominati azyma, dixistis :

XIX. Constantinopolitanus. Azyma autem nihil distant a lapide sine anima et luto lateris deorsum conjuncta terræ, et sic luto comparata.

XX. Romanus. Heu! heu! heu! Domine Deus! ecce compleri videmus principis apostolorum præsagium nostris temporibus. « Ex vobis, » inquit, « erunt magistri mendaces, qui inducent sectas perditionis, et eum qui emit eos Dominum negant. Superducentes sibi celerem perditionem, et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphematur, et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus judicium jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat (*II Petr.* II, 1-3). » Cujus sententiæ concordans doctor gentium ait Timotheo : « Scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi (*II Tim.* III, 1-2), » et cætera. Et post pauca : « Quemadmodum Jamnes et Mambres restiterunt Moysi, ita et isti resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit (*Ibid.*, 8, 9). » Unde et vos impudenter detrahentes azymis etiam illi vivifico mysterio redemptionis nostræ inauditas injurias irrogare non timetis. Nec mirum si in secretis cœlestibus acies mentis vestræ caligat, quandoquidem in terrenis tam perverso errat, ut azymum, quod visu et tactu atque gustu simul et usu quotidiano panem comprobat, lapidem seu siccum lutum lateris credat. Et, o quam dignam erroris sui mercedem vestra vesania reciperet, si vobis retrusis, et omni consolatione humani victus fraudatis, lapidem seu siccum lutum lateris apponeret aliquis pro azymis! Ibi procul dubio in summo discrimine vestro discerneris plurimum distare lapidem sive laterem ab azymis, et quod lapidibus seu lateribus paries, azymis autem confirmetur cor hominis. Quæ quamvis humanam vitam temporaliter sustentent, tamen sine anima esse, sicut et fermentatum, nullus negare audet, nisi Manichæus demens. Nam in corporis Christi mysterio indubitanter vitalis esca fit perpetuo. Sed dum nitimini apostolicæ sedi derogare super azymis, putredine inveteratæ hæresis vos scatere monstratis, asserendo panibus inesse animam fermentatis, etiam absque mysterio aliquo dominicæ passionis.

XXI. Quod autem calumniamini azyma deorsum terræ conjuncta, non negamus vulgo hæc eadem sic parari lapidibus aut argilla superposita, non, sicut dicitis, terræ conjuncta. Verum hæc ad communes usus hominum et cæterorum animalium transeunt : nam ad magnam Christi mensam non accedunt; sed illud solum quod diaconi cum subdiaconis seu ipsi sacerdotes, sacris amicti vestibus, cum melodia psalmorum conspersum et in ferro paratum ex secretario proferunt. Nempe, sicut apostolici Actus indicant, diaconi specialiter constituti sunt super hoc opus, Petro dicente : « Non est æquum relinquere nos verbum Dei, et ministrare mensis (*Act.* VI, 2). » Vos autem, sicut facere nos reprehenditis, nec in lapide aut argilla seu aliquo metallo vestrum fermentatum paratis. Ergo aut in aqua paratis, aut de cœlo manna venit vobis, quod ad humanos et divinos usus habetis.

XXII. Sed ad reliqua frivola vestra veniamus. Non invenitur Moyses dixisse azyma malæ passionis et tribulationis symbola fuisse, sed *lechem oni*, id est *panem afflictionis* : non quod naturaliter aliquid afflictionis in se habeat, sed quod Hebræis ad memoriam revocet quia, ab Ægyptiis exire compulsi, conspersam farinam, antequam fermentaretur, asportarint in humeris; quæ, ut superius sufficienter disseruimus, nihil nos tangunt juxta carnalis observantiam ritus. Ideo discutiamus quod sequitur.

XXIII. Constantinopolitanus. Nostrum vero pascha gaudium et lætitia totum est, et extollit nos ab humo propter gaudium ad cœlum, sicut et fermentum, propter proprium calorem, panem; qui panis omni suavitate repletus est. Azymum vero, neque sal neque fermentum habens, lutum est aridum. Aut non audistis Jesum dicentem discipulis suis : « Vos estis sal terræ? » *Matth.* V, 13.) Et : « Simile est regnum cœlorum fermento, quod accipiens mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum? (*Matth.* XIII, 33.) » Mulierem sanctam Ecclesiam vocat : satis vero tribus, hoc est, tribus modiis repletis, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quorum nequaquam lutulentum azymum est particeps.

XXIV. Romanus. Optamus vobiscum celebrare pascha, quod totum sit lætitia, et plenum gaudii, in terra scilicet viventium, quia hoc omni conces-

Digitized by Google

sum est in terra morientium, ubi et de præteritis scandalis subest gemitus, et de futuris metus. Unde, si cupitis de continuo pascha postmodum gaudere, in isto animo non sitis interim sine timore. Sed, sicut Psalmista monet : « Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore (*Psalm.* II, 11). » Et instanter cum apostolis petite ut gaudium vestrum sit plenum. Illum etiam quod asseritis, id est, pascha vos ab humo sustollere ad cœlum præ gaudio, ita agere debet omnino. Quia si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextra Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram : sin alias, jam non levatur anima vestra ad Deum, sed contra Deum.

XXV. Sane quoniam vestrum gaudium comparatis fermento, quod suo calore panem extollit, ambigimus jam quale illud gaudium sit, quia fermentum in bono accipi vix invenimus, nec fermentatus panis absque consecratione est suavitate aliqua plenior azymis panibus, quos plerique sibi salubriores et sapidiores arbitrantur; sed qualis fuerit propositio, aperit hæc vestra conclusio.

XXVI. CONSTANTINOPOLITANUS. Azymum vero, neque sal neque fermentum habens, lutum est aridum.

XXVII. ROMANUS. Iteratis contumeliis in tantum azyma lacessitis, ut pene omnibus visibilibus et invisibilibus naturis injuriam irrogetis. Si enim, ut definistis, lutum aridum est quidquid neque sal neque fermentum habet; ergo beati spiritus et animæ justorum, sive ipsa quatuor elementa, ex quibus omnia visibilia existunt, lutum sunt : quoniam neque sal neque fermentum habent. Nec sufficit vobis tantum nefas evomuisse, nisi insuper Dominum testem vestræ opinionis produceretis, quasi pro sola commendatione et confectione vestri fermentati dixerit discipulis suis : « Vos estis sal terræ (*Matth.* v, 13), et simile est regnum cœlorum fermento (*Matth.* XIII, 33). » Ergo quia verba quæ sunt spiritus et vita, ad litteram placet vobis intelligere : placeat etiam vestro fermentato aliquid palmitum et sinapi adjungere. Nam idem Dominus dicit discipulis : « Vos estis palmites (*Joan.* XV, 5). » Et : « Simile est regnum cœlorum grano sinapis (*Matth.* XIII, 31). » Quod scilicet calorem administrat, quem tantopere tota vestra calumnia in fermento collaudat. Noveritis tamen ipsam de fermento absconso expositionem vestram catholico dogmati contrariam. Si enim mulier illa Ecclesiam signat, et tria sata sanctam Trinitatem, ubi et quando et ad quid Ecclesia in ipsa beata Trinitate fermentum abscondit? An forte quisquam summo et incommutabili bono Deo quidquam augmenti aliquando conferre potuit aut poterit? Quapropter convenientius parabolam hanc exposuissetis, si regnum cœlorum sanctam Ecclesiam significare dixissetis; fermentum autem doctrinam apostolicam; tria sata tres filios Noe, quibus post diluvium mensuratur farina, id est, totius humani generis massa : in qua utique mulier, id est coæterna Deo Patri Sapientia, facta ex muliere, doctrinam apostolicam quasi fermentum recondidit, et regnum cœlorum, id est præsentem Ecclesiam, ex diversis nationibus coadunavit.

XXVIII. Jam quia, post multiplices azymorum obtrectationes, ad hoc prorupit vestra insolentia, ut in ipsa terribilia et vivifica sacramenta redemptionis nostræ apertis contumeliis irreverenter insurgat, et azymum exclamet lutulentum, et nequaquam sanctæ Trinitatis particeps esse, respondere cogimur deinceps vobis stultis juxta stultitiam vestram, ne vobis sapientes esse videamini. Certissime sciatis quod gloriatio vestra stercus est et vermis, hodie enim extollimini, et cras non inveniemini; et, secundum Psalmistam, ut pulvis ante faciem venti comminuemini, et ut lutum laterum delebimini, juxta proverbium Sapientis, de stercore boum lapidandi, et velut stercus in via conculcandi, sicut et antecessores vestri hæretici ac præcursores antichristi. Ut enim in libro beati Job dicitur : « Ex quo posuit Deus hominem super terram, cognoscitur laus impiorum brevis esse, et gaudium hypocritæ ad instar puncti (*Job.* XX, 5). » Unde, quia in eo putatis vos sapientes si aliorum institutionibus detrahitis, hinc par pari referemus, quod vestram impudentiam mordebit; ut retrahat [eam *vel* vos] a reverendorum sacramentorum injuriis.

XXIX. Salva ergo, ut dignum est, reverentia corporis Domini nostri Jesu Christi, et, in fermentato et in azymo, perquiramus an fermentum ad humanas mensas præparatum sincerius ac mundius sit plebeio azymo. Et primo omnium fermentatum repetamus, ut perspecta diligenter ejus scaturigine verax judicium de puritate fermentati habeamus. Necesse est enim ut rivus fontis qualitatem et naturam sequatur. Ita enim originem fermenti invenire cupimus, sicut hominis cujuslibet originem ipsam matrem omnium terram invenimus. Nam si hominis originem alium hominem dixerimus, jam propago, non origo, erit; quomodo nec fermentum fermenti origo esse poterit. Sicut enim sententia vulgi exstat, fermenti origo fit, cum aut spuma musti seu fæx cujusdam rusticæ potionis quæ apud Gallos *cervisia* dicitur, vel certe jus elixati hordei aut ciceris, sive lac ficulneæ vel pecorum corruptum injicitur conspersæ farinæ. Cum ergo spuma, fæx, elixatum leguminum, et lac ficus vel pecorum corruptum apud homines computentur inter sordida, constat fermentum sordibus non carere per omnia. Massæ autem cuicunque fermentum injicitur, necesse est corrumpatur, sicut ait sapientissimus Paulus : « Modicum fermentum totam massam corrumpit (*Gal.* V, 9). » Ubicumque autem corruptio tam in divinis quam et in humanis litteris dicitur, ibi etiam deterioratio seu vitiositas aliqua substantiæ accidisse comprobatur. Unde, si non potest aliquando corruptio in bonam partem intelligi, nulli

Digitized by Google

dubium est quin fermentato azymum mundius sit, quod, nullam corruptionem fermenti admittens, ex munda farina tantum et pura aqua conficitur. Fermentum quoque si aliquandiu in massa negligitur, tanto acrore eam corrumpit ut ultra humanis usibus non prosit. Deinde panis fermentatus parvo situ efficitur mucidus, quod rarissime incurrit azymus, utpote plenus et solidus, non tumidus et cavernosus, uti fermentatus. Qui licet magna ex parte impar sit nostris laudibus, tamen per omnia par est vestris moribus. Ipse enim, fermento veteri corruptus, deprehenditur acidus, cavernosus et tumidus : et vos haud secus, humana opinione corrupti, loquacitate apparetis acidi, calliditate cavernosi. Et, ut divinæ scientiæ vacui, humana scientia inceditis inflati, juxta illud dictum Apostoli : « Scientia inflat (*I Cor.* VIII, 1). » Cui etiam supradicta vitia inesse ibidem Apostolus attestatur, Timotheo dicens : « Si quis aliter docens, et non acquiescens sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus, nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt (*I Tim.* VI, 3, 4, 5). » Quod vero fermentum sicut præfati sumus, in divinis et humanis litteris, in malum ponatur, Dominus in Evangelio testatur : « Cavete, » inquiens, « a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis (*Luc* XII, 1). » Et Paulus : « Expurgate, inquit, vetus fermentum (*I Cor.* V, 7). » Et paulo post : « Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ (*Ibid.*, 8). » In sæcularibus quoque litteris satyricus, effeminationem et corruptos mores Romanorum redarguens, ait :

Quid didicisse? nisi hoc fermentum, et quo semel intus
Innata est, rupto jecore, exierit caprificus?
(PERS. I, 21.)

XXX. Et, si omnes Scripturas perscrutati fueritis, nunquam et nusquam fermentum in bonam significationem poni invenietis, nisi in uno loco Evangelii, ubi regnum cœlorum fermento simile Dominus dicit, doctrinam videlicet apostolicam significans. Si vero omnes revolvatis Scripturas, nunquam et nusquam invenietis azyma poni in significationem contrariam, sed aut sinceritatem aut veritatem significare, sicut Apostolus ait : « Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis (*I Cor.* V, 8). » Unde vestra duplicitas, suo fermentato contenta, Romanæ et Latinæ simplicitati azymum extorquere desinat. Ne, si fuerit pertinax, anathema maranatha cum suo fermentato fiat, et prophetam sibi exprobrantem audiat : « Ite ad Bethel, et impie agite, et sacrificate de fermentato laudem (*Am.* IV, 5). »

XXXI. Nunc videatur quænam Ecclesiarum majori diligentia et subtiliori significatione Dominici corporis proprietatem imitetur. Romana quippe et Occidentalis Ecclesia a ministris sacri altaris in secretario confectum offert azymum, quod ex grano frumenti et limpida lympha per ignem fuerit præparatum, significans se in una mediatoris Dei et hominum, hominis Dei Jesu Christi, persona, tres perfectas credere et venerari substantias : humanam scilicet carnem, animam rationalem, et Verbum Dei Deum. Et granum quidem assimilari carni, quam de sola Virginis carne, quasi ex grano matris terræ, sola virtute cœlesti, non autem aliqua commistione virili factam omnipotens Divinitas animavit, puriorem substantiam, id est animam, quasi aquam præclaram et nobilem ei infundens. Quas geminas substantias ab ipsius virginalis conceptionis exordio Verbum Dei rite suscepit, et, mediante suæ divinitatis calore, tanquam igne, sibi construxit et consolidavit. Taliter præparatus azymus fideli invocatione totius Trinitatis, fit verum et singulare corpus Christi ; non, sicut Theupaschitæ volunt, corpus Patris et Filii et Spiritus sancti. Quod et vos videmini sentire, dicentes Patris et Filii et Spiritus sancti particeps non esse azymum, sed subaudiatur, sicut fermentum est particeps eorum. Ex qua prava sententia si non vultis cum Theupaschitis damnari, nolite in ipsa commemoratione Dominicæ passionis aliquod participium seu communionem, præter solam consecrationem vel cooperationem, concedere sanctæ et impassibili Trinitati ; quia mors solius humanitatis Filii Dei in illo sacramento visibili [recolitur], ut Apostolus ait : « Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat (*I Cor.* XI, 26). » Ipse quoque Dominus Jesus in speciali commemorationis suæ privilegio discipulis distribuens panem, ait : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur (*Ibid.*, 24). » *Meum*, inquam, quod, Spiritus sancti septemplici gratia subnixum, ipsa sapientia Dei Patris æterne ædificavi mihi templum quadraginta et sex diebus in utero et ex utero intactæ Virginis : quodque, mox pro vobis et pro multis per passionem crucis in mortem resolvendum, omnipotens Trinitas post triduum suscitabit, non permittens sanctum suum videre corruptionem. *Meum*, inquam, hoc est, Filii Dei et Filii hominis, qui vadit sicut scriptum est de illo. Quapropter, sicut prædiximus, tota beata Trinitas in consecratione Eucharistiæ cooperatur, sed sola mors Christi in fractione ejus et in usu annuntiatur.

XXXII. Hinc jam quæ apud vos habeatur disciplina et cautela supra tanto mysterio advertamus. Vos aliquando pretio fermentatum a quocunque viro seu femina præparatum habetis, in tantum ut nonnunquam ab ipsis publicis negotiatorum tabernis emptum panem ad Dominicam mensam transferatis ; quem tractatum illotis et sordidis quorumlibet manibus negare non potestis. Qui sane, juxta nostram narrationem, quinque substantiarum particeps est, id est, fermenti, farinæ, salis, aquæ et ignis. Quorum omnium significationes congruas in illa simplici et sincera carne Salvatoris, si habetis,

Digitized by Google

date nobis. Par est enim ut de fermento nobis rationem reddatis, quemadmodum nos de azymis vobis : ne forte, quod absit! perversitas Manichæorum, ad fulciendum errorem suum, asserat has quinque substantias in sacrificium Christianorum assumi propter quinque antra tenebrarum, quæ fingunt mentiendo sibi. Date quoque evidentem causam illius circumcisionis, qua coronulam panis ad sanctum sacrificium ferro levatis, cum immaculata hostia immaculatum corpus Domini aptius videatur significare, et integritas panis integritatem Ecclesiæ, quæ corpus Christi fit participatione ejus integerrimi corporis. Quod qualiter fieri debeat, Paulus Corinthiis ita prædicat : « Panis quem frangimus, nonne participatio Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane et uno calice participamus (*I Cor.* x, 17). » Unde et Dominus panem accepisse, benedixisse et fregisse, non autem legitur ante vel postea incidisse. Deinde quod sanctum panem vitæ æternæ in calice a intritum cum cochleari sumere consuestis, quid opponitis? Neque enim ipse Dominus panem in calice vini intrivit, et sic apostolis dedit dicens : accipite et cum cochleari comedite : hoc est enim corpus meum. Sed, sicut sancta Romana Ecclesia usque nunc observat, panem integrum benedixit et fractum singulis particulatim distribuit dicens : « Accipite et comedite, hoc est corpus meum (*Matth.* xxvi, 26). » Quibus, postquam cœnatum est, calicem porrexit dicens : « Bibite ex eo omnes (*Ibid.*, 27). »

XXXIII. Quam reverendam angelis et hominibus institutionem etiam sancta Sion, prima scilicet Ecclesia, usque ad hæc moderna tempora, sicut ab apostolis accepit, fideliter retinuit : adeo ut quidam Hierosolymitanorum pontificum datis epistolis significaverint quantum illorum institutio discrepet a Græcis. Sic enim scriptum reliquerunt : « Ex ipsa sancta civitate Hierusalem, quæ et sancta Hierosolyma, exiit fides Christiana : in ipsa quoque sancta Sion et sancta resurrectio primæ Ecclesiæ dicuntur et veraciter habentur. In ipso sancto et venerabili loco adimpletur divina et immaculata oblatio Domini nostri Jesu Christi, sicut decet per ordinem. » Et puto quia benefaciunt ibi, quod non nisi integras et sanctas ponunt ipsas oblationes in sanctas patinas, nec, quomodo Græci, habent lanceam ferream qua scindant in modum crucis ipsam oblationem, id est proscomiden. Porro in præfatis sanctis Ecclesiis, cum ipsa sancta patina sanctam anaphoram, id est oblationem, exaltant. Etenim veræ et aptæ sunt ipsæ oblationes, tenuesque, ex simila. Lanceam vero ferream nesciunt, nisi quæ latus Domini nostri Jesu Christi aperuit. Cochlear vero cum quo communicent, sicut in Ecclesia Græcorum, minime habent, quia non ita commiscent ipsam sanctam communionem in calice, sed sola [panis] communione communicant populum. Itaque et in magnis et in parvis Ecclesiis hunc morem traditum sibi a sanctis apostolis habent omnes Christiani ipsius provinciæ. A Græci autem, cohabitantes eis, alii sic, alii qualiter a suis acceperunt. Ad hæc, si quid ex sancta et venerabili Eucharistia in Hierosolymitanis ecclesiis superfuerit, nec incendunt nec in foveam mittunt, sed in pyxidem mundam recondunt, et sequenti die communicant ex eo populum, quia quotidie communicant ibi, eo quod conveniunt illuc ex diversis provinciis Christiani, qui, propter fidem et maximum amorem Filii Dei, communicare ibi desiderant, quia et locus ipse venerabilior et sanctior est omnibus locis in omni terra. Et ibi est sepulcrum sanctum et honorabile Domini nostri Jesu Christi, et sanctus Calvariæ locus. Subterrare autem vel infodere sanctam Eucharistiam in terra, sicut quidam dicuntur agere, aut in lagenam mittere, aut effundere B illam, negligentia magna est et nullus timor Dei. Etenim fides Christianorum, ipsa impolluta et divina mysteria sunt, secundum quod Christus dixit : « Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, vita vivet in æternum (*Joan.* vi, 55, 59). » Sed de his hactenus : præcipue cum vos ipsi possitis hæc colligere subtilius ex tenore epistolæ illius quam istis ex græca latinam perfecimus. Ubi luce clarius intelligi datur, eumdem ritum divini sacrificii sanctam Hierosolymitanam Ecclesiam observasse antiquitus, quem sacrosancta Romana Ecclesia observare non cessat hactenus. Siquidem tenues oblatas ex simila præparatas integras et sanas sacris altaribus nos quoque superponimus, et ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamur. C Et tunc demum calice meri et liquidi cruoris potamur : quandoquidem nemini discipulorum nisi Judæ proditori intinctum panem a Domino porrectum invenimus, significante quod eum esset traditurus; pari modo etiam residuum dominicæ oblationis reponimus.

XXXIV. Jam, quia sufficienter auctoritate Novi et Veteris Testamenti constat Dominum nostrum Jesum Christum commemorationem suæ passionis recolendam in azymis discipulis sub ipsa cœna commendasse, sicut hodieque sancta Romana et Latina Ecclesia noscitur recolere, dicere debeatis cujus institutionem in fermentato tam obstinate defenditis. Nempe quicunque seu qualiscunque ille fuerit, juxta beatum Job, compositus Deo, qui est D ipsa justitia et sapientia, nec sapiens erit. Nec potest fieri ut quilibet convenientius aut verius commendare prævaluisset sacrosanctum mysterium fidei, quam ipse qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis, Agnus immaculatus qui tollit peccata mundi. Cui comparata, imperfecta, cujus inscientia summa est ignorantia. Quapropter eventilemus reliqua dicta vestra.

XXXV. CONSTANTINOPOLITANUS. Dixit autem David de ipso : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* cix, 4). » Qui, ante Abraham et Moysen, cœli, terræ et cæterarum creaturarum agnoscens Deum, exsurgens obtulit illi panem et vinum. Ideo dicit divinus Apostolus : « Quo-

Digitized by Google

niam si consummatio per leviticum sacerdotium erat, non secundum ordinem Melchisedech sacerdos Christus diceretur; et quia, translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat (*Hebr.* VII, 11). » Quæ lex lutulenta constituit azyma Judæis custodire. Idem ipse magnus Paulus ad Corinthios prima Epistola ex his loquens sic ait : « Fratres, ego accepi a Domino quod et tradidi vobis. Quoniam Dominus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit: Accipite et comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et de calice : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem; quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis (*I Cor.* XI, 23-26). »

XXXVI. ROMANUS. Quandiu vestigia doctiloqui Pauli fideliter tenuistis, omnino irreprehensibiliter cucurristis. Sed mox ut præcurrere tentastis, miserabiliter corruistis. Quibus non sufficit aberrasse, nisi insuper doctorem gentium in fide et veritate maluissetis post vos reluctantem trahere, quam illius vestigia repetendo errorem vestrum evadere. Insuper inauditum præjudicium eidem facitis, quando, suis dictis eum impugnando, azyma lutulenta pronuntiatis, quæ tam ipse quam omnis catholicus esse sinceritatis et veritatis asserit. Illam deinde etymologiam vestram super pane contra nos defensando, complicem vestrum tantum apostolum laboratis efficere, quasi in eo quod, veraces Evangelistas secutus, ait : « accepit panem (*Matth.* XXVI, 26; *Marc.* XIV, 22; *Luc.* XXII, 19), » non nisi fermentatum voluisset affirmare. Quod si fieri potuit, inanis prædicatio et labor tanti Apostoli erit. Evacuabitur mors Christi, quia jam non tradidit semetipsum pro nobis, sed juste interiit, sicut transgressor legis. Verum quam sit hæc vestra etymologia frivola, satis abundeque ostenditur supra. Jam videamus quorsum pertrahere conamini tantum Apostolum suæ assertionis funibus.

XXXVII. CONSTANTINOPOLITANUS. Azyma vero neque commemorationem habent, neque mortem annuntiant, sicut Mosaica et ante mille quadringentos annos ex lege constituta, et per Novum Testamentum, hoc est, per sanctum Evangelium et per Christum maledicta et derelicta.

XXXVIII. ROMANUS. O sacrilega temeritas! o virosa et maniosa Manichæorum dicacitas! o ab omnium viribus et cordibus procul abigenda impietas! Eone pertraxistis Apostolum, ut in tantæ perfidiæ barathrum præcipitaretis vobiscum? Ecce illud pestiferum ovum, quod tandiu parturistis, repente peperistis, ex quo qui comederit morietur, ut Isaias propheta dicit : « Et quod fuerit confotum, erumpet in regulum! » (*Isa.* LIX, 5). Ecce, ut claret, dolorem concepistis, iniquitatem peperistis, et, contra ipsam veritatem et omnes divinas paginas mentiti, impudenter latratis ipsum Filium Dei legem et azyma, quæ constituerat, maledixisse. Sed o sancta, o bona, o venerabilis lex cum universis mandatis et observationibus tuis! quicunque te et tua usque ad unum iota maledixit, maledicit aut maledicet, sit ille maledictus! Potuitne aut debuit Dominus noster sic ingratus esse, ut tam fidelem et devotum præconem et constantissimum testem suum aliqua maledictione confunderet? qui non cessavit tota sua intentione, signis, mandatis, sacrificiis, cæremoniis atque verbis gloriam ejus conclamare. Et ubi didicistis quod Dominus legi et azymis maledixerit? Forsitan dicturi estis : Ubi novum pascha tradidit discipulis suis, aut ubi surrexit a mortuis. Sed, ut superius liquido cognoscitur, et ipsis benedictis et fractis novum pascha instituit, et ipsa suæ resurrectionis die a duobus invitatus in Emmaus castello, accepit panem, benedixit, et mox ἐγνώσθη αὐτοῖς ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, id est « cognoverunt eum in fractione panis (*Luc.* XXIV, 13, 30, 31, 35) » ; quem omnimodis azymum fuisse constat, quia usque ad octavas paschæ nullo modo fermentatum in omnibus finibus Israel apparebat. Sane quod ipse, factus sub lege, legis testimonium habuerit, dicit Judæis : « Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere, et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me (*Joan.* V, 39). » Et iterum : « Si crederetis Moysi, crederetis et mihi : de me enim ille scripsit (*Ibid.*, 46). » Unde in alio loco protestatur se non venisse solvere legem, sed adimplere (*Matth.* V, 17). Cujus quodlibet minimum mandatum quisquis solverit, etiam in regno cœlorum, hoc est in præsenti Ecclesia, minimus foret, nedum illam futuram aliquo modo introiret, in qua factor et doctor legis magnus vocaretur. Ipsa quoque suæ resurrectionis die, duobus supradictis discipulis, incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur Scripturas quæ de ipso erant. Deinde undecim congregatis dixit : « Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis et in prophetis et in psalmis de me. Et quia oportebat pati Christum, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes (*Luc.* XXIV, 44, 46, 47). » Ecce breviter Salvator innotuit incarnationis ac passionis suæ humilitatem, atque resurrectionis gloriam, omniumque gentium vocationem et per baptismum salvationem, in veteri testamento prænonstratam, et in novo fuisse exhibitam, ut merito Evangelium nihil aliud sit dicendum quam legis expositio. Quæ lex, velut bajula et nutrix Christi et Ecclesiæ, id est sponsi et sponsæ, capitis et corporis, in plenitudine temporum prævia evangelicæ gratiæ et veritatis lucerna, publicis visibus revelavit quod diu in secretis cubiculi occultavit. Tunc repente illius « speciosi forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3) » [decus] omni creaturæ resplenduit, ubi per sanctos apostolos, quibus aperuit sensum ut

Digitized by Google

elligerent Scripturas, mysterium cunctis retro sæculis absconditum in omnem terram et usque in fines orbis transmisit. Maledicendus ergo est uterus ille, qui, Spiritu Dei gravidatus, ab initio parturivit omnia sacramenta Christi et Ecclesiæ, tandemque in fine sæculorum peperit ipsum Evangelium prædicandum ubique? Siquidem Vetus Testamentum efficit ut per Novum libera fronte prædicetur partus Virginis, et credatur resurrectio ex mortuis, atque per lignum et aquam et Spiritum reparatio humani generis. Alioquin deleto Veteri Testamento Novum evanescet, fabulaque putabitur, nec retineri poterit absque charactere suo, quoniam nec paries stabit sine fundamento. Quod ipse Dominus suis factis et dictis supposuit, et apostolis seu prædicatoribus suis inspiravit narrationis suæ cursum firmare anchora Testamenti Veteris; cujus auctoritatem primus magister Ecclesiæ profitetur certiorem esse illa voce quam super Dominum transfiguratum factam audivit. Unde firmissimum credendum est et liberrime profitendum quod quicunque Veteri Testamento contradicit, etiam Novi adversarius existit, quod velut rota in medio rotæ inesse Veteri sanctus Ezechiel vidit (*Ezech.* I, 16; X, 10).

XXXIX. Deinde quasi subjectum vel fundamentum est Vetus Testamentum, cujus ædificium vel superior pars constat Novum : quod necesse est deficiet vel corruet, deficiente vel corruente subjecto cui insidebat, et subjecto quidem seu fundamento permanente, permutantur supersidentia sæpe; intereunte autem vel ruente, nequeunt pariter non interire vel ruere. Hoc utique Dominus utriusque Testamenti lator intelligi volens, cum posset omnipotenti voluntate vacuas sex hydrias in nuptiis vino de nihilo repente creato implere, maluit tamen, certi mysterii gratia, prius aqua easdem hydrias a festi ministris usque ad summum impleri, et post solo nutu suo mirabile vinum fieri. In quo provido Redemptoris nostri facto dicimus aquam non substantiam suam, sed qualitates, id est saporem et colorem et si qua sunt hujusmodi, permutasse, ut animadvertamus ipsum Dominum Vetus Testamentum, quo sex mundi ætates per ministerium priorum patrum repleverat, non evacuasse, sed innovasse; nec inde quidquam reprobando minuisse, sed quod ei inerat et latebat approbando exhibuisse. In quibusdam enim, sola permutatione temporum seu varietate excepta, lex et Evangelium idem concorditer clamant. Verbi gratia, lex prædicit : « Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris (*Deut.* XVIII, 15; *Act.* VII, 27). » Et : « Ecce virgo concipiet et pariet filium (*Isa.* VII, 14). » Evangelium prædicat : « Propheta magnus surrexit in nobis (*Luc.* VII, 16). » Et : « Virgo concepit et peperit filium (*Luc.* II, 7). » In quibusdam etiam, tempore et themate salvo, commemorant voces pietatis et impietatis. Ut est : « Deus meus, ut quid dereliquisti me? » (*Matth.* XXVII, 46; *Marc.* XV, 34.) Et : « Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum (*Psalm.* XI, 9). » Porro si alicui insipida videtur talis lympha, noverit nullo vitio lymphæ istud sibi contingere, sed nimio palati sui stupore. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia siquidem est illi lex Dei, nec novit ex ea mentis ventrem salubriter replere, sed perniciose distendere. Spiritualis autem, qui judicat et discernit omnia, cum nostro architriclino Paulo fideliter decantat : « Scimus quia bona est lex, si quis ea legitime utatur (*I Tim.* I, 8). » Et illud : « Scimus quoniam lex spiritualis est (*Rom.* VII, 14). » Quod si lex spiritualis est, ministratio Spiritus sit spiritualiter examinata, et ministratio mortis carnaliter discussa. Quamvis enim lex suapte natura sit vita, vitio tamen hominum mors fit, sicut idem Apostolus dicit : « Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? absit! Sed peccatum non agnovi, nisi per legem (*Ibid.*, 7). » Et post pauca : « Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum : Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? absit! Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem (*Ibid.*, 12, 13). » Et rursus : « Invenio igitur legem volentem mihi bonum facere, quoniam mihi malum adjacet (*Ibid.*, 21). » Tandem, si sapienter audistis quæ præmisimus, resipiscite ab injuriis legis, quam sanctam, et mandatum sanctum et justum et bonum affirmat Apostolus; ne medicum demonstrantem morbos et curare volentem videaminiobruere lapidibus tanquam phreneticus.

XL. Porro numerosa patrum conjugia, et ex tribu sua, atque carnalia sacrificia, et circumcisionis seu variarum purificationum cærimonias, ciborumque differentias noveritis temporaliter carnalibus aut permissa aut jussa : ut eos talium jugo vel licentia mandatorum retineret, ne ad idololatriam seu ad cætera flagitia corruerent; spirituales autem significatione bonorum futurorum quæ in his promittebantur, jugiter sublevaret, ut advenientia a longe conspicerent et devote salutarent. Quod, licet hujusmodi observationibus pro loco et tempore viderentur nimium dediti, ut sua condescensione paulatim brutas plebes per signa traherent ad res, tamen quid in his senserint, ex his beati David dictis liquet : « Si voluisses sacrificium, dedissem utique : holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus (*Psalm.* L, 18). » Unde rursum ait : « In me sunt, Deus, vota tua (*Psalm.* LV, 12). » Cujus personam suscipiens, carnali populo contestatur, dicens : « Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua (*Psalm.* XLIX, 13, 14). » Nonne huic et reliquis patribus aqua legis, colorem et saporem mutaverat, quæ pallida et insipida carnalibus apparebat? Quippe his frigebat, quæ illis sic calebat ut jam tunc discipuli Jesu dicere possent : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via et aperiret Scripturas? » (*Luc.* XXIV, 32.) Littera enim legis per Moysen data, carnales occidebat, cujus spiritus,

Digitized by Google

gratia et veritate per Jesum Christum facta, spirituales vivificabat : ut illi, timore temporalis mortis, ac si frigore contracti, inde pallerent, unde isti, amore æternæ vitæ, quasi calore vegetati, rubebant, et cum Paulo libere proclamant : « Plenitudo legis est dilectio (*Rom.* XIII, 10). » In cujus duobus præceptis charitatis totam pendere Veritas perhibuit. Quod si Deus charitas est, Deo procul dubio adversatur quisquis aliquid legi Moysi subtrahere conatur, quam ipse totam in charitate pendere testatur. Quæ charitas gemina, carnalibus et terrenis cæremoniis contecta, velut quidam bisulcus hamus vermiculis seu volaticis plumis insertus, et in pelagus humanæ captivationis cœlitus demissus, vagos et vacuos cœlestium homines, inescatos visibilibus, invisibili mucrone trajecit, et trajectos ad sinum angelicæ libertatis retraxit : dicentes Deo in Canticorum cantîcis : « Trahe me post te (*Cant.* I, 3). » Et : Vulnerata charitate ego sum (*Cant.* IV, 9). Sic, dum homo adhæret Deo, et homini proximus, decentissima linea, et tanquam aurea mandatorum divinorum catena, pariter ad paradisum retrahuntur.

XLI. Deinde quanta instantia Euphration Rhodiorum episcopus legem veterem contra Severianos hæreticos defenderit, ex subjectis verbis ipsius liquet, ubi inter nonnulla alia dixit : « Fundamenta domus præclaræ circa squalida loca sunt posita, ut ea quæ sunt superius nullas contumelias stercorum patiantur. Superiora ergo domus laquearibus auratis, parietibusque pictis, et vario marmorum metallo sunt edita ; inferiora vero, humori terreno vicina, degesta etiam superiorum universa suscipiunt. Quid ergo nunc faciemus? Si auferimus inferiora, superiora corruunt : tamen, si destruenda erant inferiora, non hoc aliis poterat, nisi Dei Filius facere. Videamus ergo utrum ipse destruxerit hoc quod nos dicimus permanere. « Putatis, inquit, quia veni legem solvere aut prophetas? Non veni legem solvere, sed adimplere (*Matth.* V, 17). » Et vos ergo saltem, his et aliis proprii doctoris vestri vocibus revocati, ab injuriis sacratissimæ legis cessate, ne ab eodem et ab omnibus Catholicis anathema cum Severianis sitis.

XLII. Sed ne forte adhuc vobis nimium placeatis ex opinationibus vestris, cum nihil teneatis, diligentius recapitulemus dictum Apostoli, quem supra violenter ad vestrum suffragium attrahere tentastis. Quia ait : « Si consummatio per sacerdotium leviticum erat; populus enim sub ipso legem accepit; quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est ut legis quoque translatio fiat (*Hebr.* VII, 11, 12). » In quibus verbis, sicut superius ostenditur, nil aliud intelligitis consummationem, nisi consumptionem, id est, abolitionem et finem, non qui perficit, sed qui interimit. Quod longe aliter esse idem Apostolus edocet dicens : « Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti (*Rom.* X, 4). » Unde, quoniam aliter dicitur *finivi panem*, » aliter « *finivi telam*, » accipiamus necesse est Christum finem legis, consummantem, non consumentem : perficientem, non annihilantem : complentem, non evacuantem. Quod finis ab initio sæculi promissus, et in fine exhibitus, dum penderet in cruce pro nobis sacrificium vespertinum et ultimum factus, sciens quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dicit : « Sitio (*Joan.* XIX, 28). » Qui cum accepisset acetum, dixit : « Consummatum est (*Ibid.* 30). » Et inclinato capite tradidit spiritum. Ubi certe nec Evangelista dicit : *ut consumeretur*, sed *ut consummaretur* Scriptura. Nec ipse Dominus : *consumptum est*, sed *consummatum est*. Ad quam morientis vocem velum templi scissum est usque deorsum, ut, juxta Apostolum, accedentibus ad Christum velamen usque tunc positum in lectione Veteris Testamenti significaretur ablatum. Quæ consummatio non per leviticum sacerdotium fuit, quia, attestante Apostolo : Nihil ad perfectum duxit. Ex quibus Apostoli verbis ne forte resumatis ansam calumniandi, attendite quia non dixit, *nil boni fecit lex*, sed, *nil perfecit*. Habuit enim, ut idem Apostolus ait, justificationes culturæ, et sanctum sæculare, et tabernaculum manufactum, et pontifices præsentium bonorum, qui per alienum sanguinem semel in anno introeuntes sancta sanctorum, sanctificabant inquinatos ad emundationem carnis. A quibus munera et hostiæ offerebantur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis et potibus et variis baptismatibus et justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum et vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa, quando per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, et mundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Equidem secundum legem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium : qui solus proprio sanguine semel æternam redemptionem perfecit, quam illi alieno sanguine incessanter imitantes, imperfectam repræsentabant. Quæ ut accessit, omnis ille sacrificiorum seu cærimonialium carnalium cursus jure conquievit. Neque enim deinceps pluribus sacrificiis indigemus, quia in uno æternam redemptionem invenimus, quæ, per leviticum sacerdotium incepta, per pontificatum Domini Jesu constat perfecta, qui non secundum Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech ideo sacerdos dicitur, quia panem et vinum offerendum atque sumendum in veritate carnis et sanguinis sui constituit fidelibus suis. Cujus generatio inenarrabilis de Patre, sine matre, de Matre, sine patre : nec initium dierum nec finem

Digitized by Google

habens, solus verus Rex justitiæ et pacis. Cui quia convenientius assimilatur Melchisedech, non solum ex uno sacrificio et genealogia, sed etiam ex prænomine, quam Aaron ; dicitur sacerdos Christus secundum ordinem Melchisedech, non secundum Aaron. Denique Melchisedech ille nec corpus et sanguinem suum in pane et vino Divinitati obtulit, nec sine parentibus aut initio et fine fuit, neque substantialiter Rex justitiæ et pacis ; sed quod hæc omnia Scripturæ de illo homine aut tacuerunt aut dixerunt, in manifestiori significatione nostri Melchisedech : cujus ille, sicut et Aaron, umbra, non veritas fuit. Ad quem translato sacerdotio, necesse est ut legis quoque fiat translatio, a littera scilicet occidente ad spiritum vivificantem, a vetustate ad novitatem, ab imperfectione ad perfectionem, a servitute ad libertatem et filiorum Dei adoptionem, a Judæis ad gentes, quibus Apostolus ait : « Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore. sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater (*Rom.* VIII, 15). » Quia utique lex translatione est alterata, non facta alia : immutata, non est mutata : accessu gratiæ cumulata, non est recessu suo exinanita. Sicut Dominus suis inquit : « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* V, 20). » Nunquid dixit : Nisi reprobaveritis aut omnino reliqueritis justitiam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum? Sed quoniam justitia illorum erat tantum a malo opere abstinere : voluit Dominus in hoc suorum justitias superabundare, ut non solum malum ab opere sed insuper a cogitatione satagerent resecare. Nam illis ex lege bonum erat non occidere, nec mœchari : istis autem super hoc ex gratia optimum et perfectum, non irasci nec concupiscere. Ideo lex ramos malitiæ succidit; gratia vero etiam radices ejus evellit. Et, sicut in resurrectione hoc ipsum corpus humilitatis nostræ et non aliud reformabitur, sic et lex ipsa per Evangelium reformata in toto mundo prædicatur. In qua utique reformatione quamvis plurimum decus augeatur naturæ, tamen integritas in nullo auferetur, quando, ad similitudinem grani, seminatum corpus animale, surget corpus spirituale, et seminatum in infirmitate, surget in virtute. Hac quoque reformatione cœlum et terra transibunt; non interibunt : transferentur, non auferentur. Nec moveamur a nostro sensu, nec terreamur, si nonnulla legis sacramenta exhorret animalis sensus : quandoquidem ipsius sancti Evangelii nonnulla mysteria exhorruit hactenus, in tantum ut, Domino dicente : « Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI, 54), » etiam maxima pars discipulorum ejus ab eo discessissent, dicendo : Durus est hic sermo. Quis potest eum audire? » (*Ibid.*, 61.) Præterea Novum Testamentum ideo dicitur, quia procul dubio æterna sunt quæ pollicetur, sicut malis supplicium æternum. Nam quantum ad recitationem seu conscriptionem, ipsum Evangelium in novissimo die omnino præteribit; ubi deinceps nec Scriptura aliqua necessaria erit.

XLIII. Cæterum si ad rem pertineret, monstraremus non mille quadringentos annos tantum, sicut scripsistis, sed mille quingentos et amplius annos ab institutione azymorum per Moysen usque ad passionem Christi decurrisse. Sed, cum nostræ intentionis sit Romani ritum sacrificii approbare, chronographis relinquimus opinionem vestram præfato annorum numero reprobare. Itaque si azyma, quemadmodum astruere conamini, per Christum et ejus Evangelium fuerunt maledicta, reprobata et derelicta, et ideo deinceps non debentur offerri in sacrificio Domini, quia per Moysen constituta sunt Judæis ; sciatis fermentatum quoque constitutum per Moysen Judæis. Sicut in Levitico dicit : « Hæc est lex hostiæ pacificorum : Offeret panes fermentatos cum hostia gratiarum, quæ offertur pro pacificis (*Lev.* VII, 11, 13). » Idem Moyses in eodem : « In pentecoste offeretis ei panes primitiarum de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domino : offeretisque cum panibus septem agnos (*Lev.* XXIII, 17). » Sal quoque, quem tantopere prædicatis in fermento, per Moysen ita constitutus Judæis in Levitico : « Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal (*Lev.* II, 13). » Quapropter, si a nobis non debent offerri azyma quia Mosaica sunt, nec a vobis debent offerri fermentatum et sal, quia æque Mosaica sunt. Et quia, ab Apostolo audientes : « Vetera transierunt, ecce facta sunt nova (*II Cor.* V, 17), » insipienter putatis omnia Veteris Testamenti reprobata, et penitus destructa et ad nihilum redacta sacramenta; hinc jam perpendatis necesse est, ad quantas difficultates properet hæc vestra opinio. Denique si vetera non proficiendo, sed deficiendo transierunt, unde vobis templum, altare, sacrificium, candelabrum, et cætera sancti ministerii vasa seu ornamenta aut vestimenta sacerdotalia? Unde vobis encænia, pentecoste et pascha seu Quadragesima? Unde vobis pontifices, sacerdotes et levitæ ac reliqui ecclesiastici gradus ex ordine? Unde primariæ et decimæ? Postremo, unde vobis dilectio Dei et proximi? ac reliqua mandata Decalogi? Quia ergo, secundum vos, ita nova facta sunt ut vetera relicta sint omnino et per Christum maledicta, abjiciantur procul dubio ab ejus Ecclesia, quæ supra diximus omnia, et plura quæ reticuimus alia, et veteribus contraria fiant jam nova. Odio habeatur Deus et proximus, pater et mater inhonoretur, homo occidatur; omnes mœchentur, furentur, mentiantur, concupiscant, adulterent; conjugia nulla sint : omnis homo ad proximam sanguinis sui, et quæ ei affinitate jungitur, accedat. Ad summum quoque nec comedatur, bibatur nec dormiatur, sed relinquatur quidquid Vetus Testamentum exhibuit et exercuit,

Digitized by Google

tam in cultu divino quam in usu humano, et videbitis quia nec bestiæ eritis, nedum homines, imo ab eo quod est aliquid transibitis ad nihil. Nos potius, catholica aure intendentes tanto Apostolo dicenti : « Si qua ergo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt nova (*II Cor.* v, 17), » corde credimus et ore confitemur vetera, a vetere homine transeundo ad novum hominem Jesum Christum, nova facta esse; quemadmodum idem Apostolus mox secutus curavit declarare : « Omnia autem ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Christum (*Ibid.*, 18). » Cujus singulari novitate innovantur omnia cœlestia atque terrestria : quando quidquid ad cultum Dei seu ad commodum sui vetus ille populus cœlitus acceperat, ad novum transtulit. Qui ideo novus dicitur, quia ab umbra ad veritatem, a signis ad res, a timore ad amorem, a servitute ad libertatem, a filiis iræ ad filios gratiæ, a carne ad spiritum est translatus. Unde dicit Apostolus : « Vos non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis (*Rom.* VIII, 9). » Et quomodo in carne non erant, quos epistolis instruebat, nisi secundum quod ipse ait : « In carne ambulantes, non secundum carnem militamus (*II Cor.* X, 3). » Hinc rursus inquit : « Nemo vestrum sibi vivit, et nemo sibi moritur (*Rom.* XIV, 7). » Et : « Vivo, jam non ego, vivit vero in me Christus (*Gal.* II, 20). » Sic itaque nobis, et omnibus in novitate spiritus ambulare satagentibus, nova facta sunt omnia, templa scilicet et altaria, sacerdotes, sacrificia, candelabra, thuribula, cibus et potus, et quæque carnalis Israel tam in supellectile quam in mandatis retinebat, vetera ut eadem et non eadem sint omnia, instar utique aquilæ, quæ dum naturaliter renovatur, juventus eidem accedit, et senectus, non substantia, ab ea recedit. Pari tenore prædicamus azymum Christianorum longe distare ab azymo carnalium Judæorum, quos ad umbram veritatis observandam et captandam sola promissio et desiderium terrenæ felicitatis invitabat : ut est longævitas, abundantia frugum, successio filiorum, perditio inimicorum et cætera. Nos vero, corpus veritatis ex azymo et in azymo rite venerantes atque retinentes, ore et corde prægustamus jam quam suavis est Dominus : unum petentes ab ipso et hoc requirentes, ut maneamus in eo et ipse in nobis, in æternum. Sane si mutare vultis fermentato azymum, mutate quolibet aliquo liquore vinum : quo, sicut et azymo, Christus et vetus pascha finivit, et novum inchoavit. Si enim recipitis vinum, azymum cur abjicitis?

XLIV. Quod vero passio et mors Christi convenientius annuntietur azymo quam fermentato, ex hoc comprobatur quod Dominus ipse azymo discipulis memoriam sui agendam tradidit; et quod in lege panis afflictionis dicitur ut per hoc præmoneamur affligere animas nostras, et pariter offerre sacrificium Deo spiritum contribulatum, cor contritum et humiliatum (*Psal.* L, 19), illud Apostoli recolentes : « Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini (*Philip.* II, 12). » Et : « Si compatimur, et conregnabimus (*II Tim.* II, 12). » Porro quæ per legem fuerunt usque ad tempus correctionis imposita carnalibus Judæis, Paulus breviter colligens, ait : « Munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis et potibus et variis baptismatibus et justitiis carnis (*Hebr.* IX, 10). » Carnales ergo victimæ atque purificationes variæ in lege, in quibus maxima erat circumcisio, et cæteræ justitiæ carnis, ut est differentia ciborum, festivitas tabernaculorum, non arare in bove simul et asino, nec serere agrum diverso semine, et his similia; quæ nihil sanctitatis conferebant conscientiis, excepta devotione obedientiæ et admonitione spiritualis munditiæ; data sunt usque ad præfinitum tempus a Patre, quando per Filium suum factum sub lege, redemit eos qui erant sub lege. Cujus carnales justitias evadens idem Apostolus ait : « Quæ mihi aliquando fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, et non solum detrimenta, sed etiam stercora, ut inveniar in illo non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed quæ ex fide Jesu Christi (*Philip.* III, 7, 8). » Quod Colossensibus quoque denuntiat dicens : « Nemo vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum (*Coloss.* II, 16). » Hactenus defendisse legem Moysi et azymum Eucharistiæ Christi sufficiat. Jam discutiamus vestra quæ restant.

XLV. CONSTANTINOPOLITANUS. Sabbata vero quomodo in Quadragesima judaice observatis? Aut non audistis in Evangelio dicentem quia transeuntes discipuli in Sabbatis cœperunt iter agere, evellentes spicas et comedentes? Dicebant autem Judæi ad Christum : « Vides quid isti faciunt in Sabbatis? » Qui dixit : « Etiam. An nescitis quid egerit David, cum esuriret ipse et qui cum eo erant, quomodo intravit in templum, et panes propositionis comedit? » (*Matth.* XII, 1-4; *Marc.* II, 23-26.) et cætera. « Et quia Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum (*Marc.* II, 27). » Qui et dicebant : « Quomodo homo iste est ex Deo, qui Sabbata non custodit? » (*Ibid.*) Et iterum loquente Christo in Sabbato ei qui manum aridam habebat; similiter et ei qui dæmonis spiritum habebat in Sabbato mandato, et murmurantibus Judæis et similia dicentibus, dicit Christus : « Hypocritæ, unusquisque vestrum non solvit asinum a præsepi, et bovem suum in Sabbato ducit adaquare? » (*Luc.* XIII, 15) Et paralytico similiter, quem sanum fecit. Et ideo qui Sabbata cum azymis custodiunt, neque Judæi neque Christiani sunt, sed « similes sunt leopardo, » sicut magnus dicit Basilius, « cujus capilli nec nigri sunt, nec albi omnino. »

XLVI. ROMANUS. Quod nos Sabbata nec intra nec extra Quadragesimam judaice observamus, sufficienter monstratur superius. Vos autem si non judaizatis, cur saltem Quadragesimæ non parcitis? ne, cum Judæis feriati et epulantes, jejunium Christi

Digitized by Google

in sabbato dissolvatis. Unde testimonia evangelica quæ posuistis, omnino refragantur vobis, suffragantur vero nobis. Denique nos, ut discipuli Jesu, non solum iter agimus in sabbato et spicas evellimus, sed insuper piscamur, et quidquid oportet operamur, et hora competenti comedimus. Vos quod legitis discipulos spicas transeundo comedisse, a luce prima in vesperum studetis variis deliciis et multo mero crapulam continuare. Nec mirum : cum istic quoque, obliti etymologiæ vestræ, ex nomine, quod est ἄρτος, dixistis David comedisse panes propositionis, id est, τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ; quos negare non potestis fuisse azymos, si qua scientia veteris legis remansit apud vos. Deinde quoniam Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum (*Marc.* II, 27), nullo convivio aut otio honoratur apud nos tanquam Dominus, sed oneratur jejunio et labore, veluti devotus servus Dominica sepultura occupatus. Mox, succedente die quam specialiter fecit Dominus, solemniter exsultamus et lætamur, quia in ea Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors ultra illi non dominabitur. Qui etiam pro custodia Sabbati non timemus a Christo notari hypocrisi, quoniam in eo non tantum manum aridam, sed et totum corpus curandum offerimus Deo et medicis. Nec tantum bovem et asinum solvimus a præsepio, et ducimus adaquare, sed etiam arare. Ast vos volentes esse legis doctores, nec intelligentes quæ loquimini neque de quibus affirmatis, assertionem vestræ opinionis sic conclusistis :

XLVII. Constantinopolitanus. Et ideo qui Sabbata cum azymis custodiunt, neque Judæi sunt, neque Christiani sunt, sed « similes sunt leopardo, » sicut magnus dicit Basilius, « cujus capilli nec nigri sunt, nec albi omnino. »

XLVIII. Romanus. O mirabilis Græcorum philosophia! o ars Pelasga! o Atheniensis et Academica perspicacia! Unde tibi tantus stupor et vertigo repentina? Vere triplici fune lingua tua divinitus est ligata. Nam Græci sapientiam quærunt, quam simplex prædicatio Christianæ fidei stultam effecit, sicut Dominus repromisit : « Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus sæculi? » (*I Cor.* I, 20.) Qua stultitia vos repleti, nec secundum divinas paginas definivistis aliquid, et magnum Basilium secundum humanas monstratis definivisse nihil. Falsissimum enim est ut qui Sabbata et azyma custodiunt, nec Judæi nec Christiani sint. Quia verissime Judæi sunt qui Sabbata et azyma custodiunt carnaliter. Sed et illud in infinitam dubietatem recidit, nec ullo modo consequens erit ut leopardus sit tantum, cujus capilli nec nigri nec albi sunt; quia præter hunc innumerabilia animalia sunt, quorum pili nec albi nec nigri sunt. O egregii scrutatores divini eloquii! o dociles discipuli magni Basilii, ex cujus præclaro fonte nihil nisi lutum hau- A rire prævaluistis! cum hinc inde vobis resonaret rivus ille cœlestis lactis æterni mellis, Romanam et Occidentalem Ecclesiam vocans dominam, et obsecrans succurrere perditioni Orientis. Nunc, gratis subvertere Latinam Ecclesiam molientes, armamini contra nos quasi Basilii sententia, quæ multo vecordior invenitur illa ridicula Tiresiæ prophetia : *Quidquid dicam, aut erit, aut non.* Nempe accidit vobis illud satyrici proverbium :

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus
(Hor. *De arte poet.*, 139.)

Atque utinam tacuissetis, ut putaremini sapientes, ceu Sapientia dicit : « Stultus, si tacuerit, sapiens putabitur. » Modo autem stultitia vestra omnibus nota est. Hinc reliqua perspiciamus.

B XLIX. Constantinopolitanus. Quomodo autem et suffocata hi tales comedunt in quibus sanguis tenetur? aut nescitis ut omnis animalis sanguis anima ipsius sit, et qui comedererit sanguinem, animam comedet? Et idcirco, secundum hæc, nec gentiles ex toto sunt; illi occidunt, aut plagantes comedunt.

L. Romanus. Cur ex lege istud, secundum vos per Christum maledicta et derelicta, mandatum nobis opponitis? Numquid vobis solis licet quidquid libet, ut modo ad legis patrocinium humiliter recurratis, et modo ab ea superbe tanquam anathematizata resiliatis? Nonne vetus lex, et non Evangelium, interdicit ut omne suffocatum et captum a bestia non comedatur? « Quia anima omnis animalis in sanguine est (*Lev.* XVII, 11). » Constat utique C huc mandatum ex illis esse quæ carnali populo ad qualemcunque munditiam seu justitiam carnis, non ad aliquam sanctitatem mentis data sunt ad tempus. Est enim de cibo : unde Apostolus dicit : « Nemo vos judicet in cibo (*Col.* II, 16). » Ac si aperte diceret : Nemo vos velut Judæos discernat ab his inter quos habitatis, in differentia scilicet ciborum, et in reliquis quæ idem Apostolus adjecit. Quod autem hic, *judicare*, dixerit discernere, in Epistola ad Romanos liquet, ubi de diverso jejunio quorumdam loquens ait : « Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem (*Rom.* XIV, 5). » Quapropter, sicut idem ait : « Alius credit se manducare omnia (*Ibid.*, 2). » Is qui non manducat quædam, observans morem D suæ patriæ et provinciæ, et præcepta majorum suorum, manducantem non judicet. Tu enim qui es, qui judicas alienum servum, qui salva fide et pura conscientia comedit quidquid a majoribus suis comedendum accepit? ut enim Dominus ait : « Non quod in os intrat coinquinat hominem (*Matth.* XV, 11). » Et secundum Apostolum : « Omnia munda mundis. Coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens et conscientia (*Tit.* I, 15). » Quod Romanis denuntians ait : « Scio et confido in Domino Jesu, quod nihil commune per ipsum, nisi qui existimat quid commune esse, illi commune est (*Rom.* XIV, 14). » Et post pauca : « Qui discernit, si manducaverit, con-

Digitized by Google

dempatus est : quia non ex fide : omne autem quod non est ex fide, peccatum est (*Ibid.*, 23). » Sed quamvis omnia munda sunt, tamen, secundum eumdem Apostolum : « Malum est homini, qui per offendiculum manducat aliquid (*Ibid.*, 20) » quod frater modicæ fidei et adhuc infirmus in fide credit immundum et propter hoc non comedendum. Cui condescendere debemus in abstinentia escarum hujusmodi, ut possimus eum Domino lucrari : ne religionem Christianam pro aliqua esca incipiat abominari, et cibo nostro perdatur frater, pro quo Christus mortuus est.

LI. Nos ergo quamvis a Domino et ab apostolis licentiam habeamus manducare omnia quæ nec nostræ nec fraternæ saluti officiunt, consuetudine tamen provinciarum et præceptis majorum nostrorum hactenus detenti, devitamus comedere nonnulla, non quia mala aut immunda sunt, sed quia aut nobis aliquo modo non expediunt, aut longo usu in naturam jam verso horrent. Nonne draco populis Æthiopum in esca datus dicitur? Et nonnullæ nationes quibusdam vescuntur quæ aliæ penitus abominantur. Cur hoc, nisi quia unaquæque gens in suo sensu abundans, quædam sibi assumpsit, quædam rejecit? Unde nos quoque absque culpis in antidotis plurima percipimus quæ ex serpentibus, et ex aliis quæ exsecramur animantibus, assumpta esse non dubitamus. Quod ergo infirmo qualiscunque medicina, hoc fame pereunti qualiscunque esca. Et sicut abominandus infirmus non est, artificialiter refectus sanguine et cadavere aliquorum reptilium : sic nec fame tabescens, si sanguine et suffocato naturaliter sustentat miserabiles artus, potens etiam ad litteram cum beato Job dicere : « Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt (*Job*, VI, 7). » Omnis enim creatura Dei bona, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur : sanctificatur enim per verbum Dei et orationem. Et vos peregrinos, egenos et pauperes Christi, nec inter gentiles computatis, quibus nil est mundum, quia aliquando qualicumque cibo retinent a Deo sibi datum præsentis vitæ munus? Quare non potius signatæ arcas pecuniæ et promptuaria eructantia ex hoc in illud aperitis, et dispergitis pauperibus, ut justitia vestra maneat in æternum, et jam non sit eis necessitas præsumere cibum insolitum? Nunc autem, usuris et oppressionibus miserorum ditati et elati, calumniamini, si egens omnium sustentetur aliquo quod vos impinguati et crapulati abominamini; non attendentes Dominum misericordiam malle quam sacrificium. Qui primo mensis hominum post cataclysmum amovit aliqua quasi immunda, cum utique omnia fecerit valde bona, et rationalis creaturæ vitium abominabile sit apud Deum, non quælibet irrationalium creaturarum; voluntas quoque hominum aliquando sibi quædam vindicat, aliquando alienat. Ceu Romani paucis annis ante Constantinum Magnum porcinæ carnis esum per Aurelianum imperatorem sibi vindicarunt. Et Græci usque nunc ursinam alienant. Et certe si humanum super his interrogetis judicium, immundior erit porcus reptilibus, sordibus atque reliquo suo pabulo. Sed sive nos, sive vos, quod a majoribus nostris accepimus aut usu tenemus comedendum, sic observemus, ut is qui non manducat, manducantem non spernat : et qui manducat, non manducantem non judicet.

LII. Considerate tamen ad quantam stultitiam devoluta sit vestra scriptura et sapientia, quæ cum ab hominibus exquirere deberet finem præceptorum Dei, id est charitatem de corde puro et conscientia bona et fide non ficta : hoc solum exquirendum putat, an aliquando comederint carnem ursinam. Cujus usum quamvis non admittatis, admittentibus tamen pro crimine reputare non debetis; quibus evangelica et apostolica auctoritas omnia edenda constituit.

LIII. Nec hoc dicentes suffocatum et sanguinem nobis contra vos defendentibus : antiquam enim consuetudinem seu traditionem majorum nostrorum diligenter retinentes, nos quoque hæc abominamur; adeo ut sanguinem vel quocunque morticinio aut aquis seu quacunque negligentia humana præfocato, apud nos aliquando vescentibus absque extremo periculo vitæ hujus, pœnitentia gravis imponatur : pro eo maxime quia antiquas consuetudines et traditiones majorum, quæ non sunt contra fidem, leges apostolicas arbitramur : nam de cæteris, quæ aucupio aut canibus seu laqueo venantium moriuntur, Apostoli præceptum sequimur : « Omne quod in macellum venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam (*I Cor.* x, 25). » Domini est terra et plenitudo ejus. Quod etiam in convivium gentilium vocatis concessit dicens : « Si quis infidelium vocat vos ad cœnam et vultis ire : Omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam (*Ibid.*, XXVII). » Dominus quoque pro mercede prædicatoribus suis providens alimoniam, dixit eis : « In domo recipientium vos manete edentes et bibentes quæ apud illos sunt (*Luc.* x, 7). » Ecce Dominus non dixit quædam apud illos comedite, sed indifferenter *quæ apud illos sunt*. Quapropter omnis homo scientiam habens, si simpliciter edit et bibit quidquid in macellum venit aut quod sibi apponitur, nullatenus est culpandus, nisi inde aliquam immunditiam conscientiæ suæ contrahat. Quia non quod intrat in os, sed quod procedit de ore coinquinat hominem (*Matth.* XV, 11). Nec esca aliqua est in vitio, sed immoderatus appetitus. Verum, ne scandalizetur frater infirmus in fide, qui putat aliquid commune vel immundum esse; si quis dixerit : hoc suffocatum est, vel morticinium; non est comedendum, ut Apostolus de idolothyto ait : « Si quis dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite manducare, propter eum qui indicavit, et propter conscientiam. Conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius (*I Cor.* x, 28, 29). » Multa siquidem usu aut traditione majorum ita observamus, ut ali-

Digitized by Google

ter facientes omnino abhorreamus, sicut est non lotis manibus manducare. Quod quamvis, juxta sententiam Veritatis, non coinquinat hominem, tamen velut immundum exhorrere solet homo hominem non lotis manibus manducantem.

LIV. Sed forsan dicturi estis : Non solum in Veteri, sed et in Novo Testamento ab Apostolis traditum gentibus ut abstineant a sanguine et suffocato. Nec nos nescimus, tamen pro loco et tempore nonnulla carnalia veteris legis mandata apostolos observasse scimus, quando adhuc quasi in matutino crepusculo tenebræ et lux confulgebant, et intuentium oculos nunc huc, nunc illuc, reducebant. Sic apostoli in Judæa commorati, aliquando, claritate Evangelii expergefacti, ab umbra legis recedebant; aliquando, necessitate vel consuetudine torpentes, in eam recidebant. Denique sorte associarunt sibi Matthiam, et templum, in quo adhuc sanguis animalium offerebatur, orationis gratia frequentabant. Ipse quoque vertex apostolorum Petrus, modo cum gentibus comedebat, modo ab eis timens se subtrahebat. Cujus coapostolus Paulus, quamvis dixerit Galatis : « Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit (*Gal.* v, 2), » tamen dilectum discipulum propter subintroductos falsos fratres circumcidit, et cum aliis purificatus in templo sacrificium legis exhibuit. Sed ubi, ab angustiis Judææ exclusi, amplitudine gentium fuere potiti, mox, quasi catenis servitutis palam erepti, quotquot ad spiritualem gratiam attrahebant, a carnalibus cæremoniis legis avertere non cessabant. Quod procul dubio ex præcedentibus et subsequentibus verbis Pauli intelligitur, ubi sic protestatur : « Spiritus manifeste dicit quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere, et abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus et his qui cognoverunt veritatem. Quoniam omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem (*I Tim.* IV, 1-5). » Ecce tantus Apostolus, raptus usque ad tertium cœlum et in ipsum paradisum, proclamat omnia munda mundis, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, quia per verbum Dei et orationem sanctificatur. Et vos qui estis, qui, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquimini mendacium, scripta Latinis populis destinantes ut relinquant mandata Dei et quæ graviora sunt legis, judicium scilicet et misericordiam et fidem, et sequantur traditiones et opiniones vestras, quasi nullos usque nunc habuerint prædicatores ac patres, ac necesse habeant a vobis doceri quæ sint elementa sermonum Dei ?

LV. Nempe inter alia ignaros omnium conamini instruere quid et qualiter præparatum comedant, et eos asseritis nec gentiles esse nec Judæos, nisi obediant. Quia, ut dicitis, gentiles occidunt, aut plagantes comedunt : quasi Latini soliti sint animalia viva aut integra comedere. Nunquid archimagiri omnibus nationibus delegati estis ? Et si forte alicui fame deficienti animæ obsonium vel victus desit, avis autem et ovis adsit, sed ferrum absit, satius erit eum inedia deficere quam quovis ingenio ea mactare et comedere ? Itaque doctrinis variis et peregrinis nolentes abduci : « Scimus et confidimus in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est (*Rom.* XIV, 14), » sicut Paulus dicit. Deinde optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Sed jam insistamus reliquis.

LVI. Constantinopolitanus. Etenim Alleluia in Quadragesi : a non psallitis, sed semel in Pascha tantummodo, quod interpretatur *Dominus venit, laudate, hymnum dicite, et benedicite eum.* Ergo secundum hoc neque *Laudate*, neque *Benedictus qui venit*, psallitis. Et istud vero Alleluia hebraice dictum est.

LVII. Romanus. Scimus Alleluia hebraice dictum, et latine interpretari *Laudate Deum*, sed quod etiam, *Dominus venit*, aut, *Benedictus qui venit*, interpretetur, nescimus, nec nisi a vobis hactenus audivimus. Porro ipsum Alleluia, sicut calumniamini, non solummodo in Pascha cantamus, sed omnibus totius anni temporibus, exceptis novem hebdomadibus quibus id intermittere a patribus nostris accepimus; scilicet quibus negligentias aliorum temporum diluere attentius debeamus. Sicut enim quondam populus in eremo, peccatum idololatriæ in seipso puniturus, et Ninivitæ pœnitentiam in prædicatione Jonæ acturi omnem ornatum suum et delicias deposuerunt, et saccum et cinerem sibi imposuerunt; nec tam peregrinis verbis ac exquisitis seu dulcisonis melodiis, sed propriis sermonibus, et incompositis sive amaris ejulatibus ad Dominum clamaverunt : sic et venerabiles patres nostri agere consueverunt. Unde, ornamenta et delicias divitis linguæ tempore Quadragesimæ deponentes, pauperrimum habitum nostræ linguæ nobis imponimus, et, stulti facti propter Christum, nihil nos scire judicamus, nisi ipsum crucifixum. Cujus districtum præ oculis habentes judicium, vinculati et gravati peccatis, tanquam idiotæ, vix audemus vel in nostro idiomate interpellare Deum. Nam ex libro Sapientis didicimus : quia « non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV, 9). » Et tamen tunc jugiter hymnum dicimus Domino, atque *Benedictus qui venit* psallimus, et omnem creaturam ad laudem ejus die noctuque invitamus, dicentes *Laudate Dominum*, sed, ut prædiximus, patria voce tantum. Tunc quoque alium angelicum hymnum intermittimus, id est *Gloria in excelsis Deo.* Denique hi duo solummodo hymni ab angelis in Novo Testamento inveniuntur decantati : *Alleluia* scilicet, et *Gloria in excelsis Deo.*

Digitized by Google

Quos pariter in Septuagesima intermittimus ; quia, peccato veteris hominis a conventu angelicæ jubilationis expulsi in hujus miseræ vitæ Babylonem, super flumina ejus sedemus et flemus, dum recordamur illius Sion in qua Deum decet hymnus, dicentes adversariis nostris : « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena ? » (*Psal.* CXXXVI, 4.) Siquidem vetus homo vetus et non novum canticum cantare potest, donec post hanc laboriosam vitam, quæ significatur per Quadragesimam, renovetur in aquitione secundum imaginem ejus qui creavit eum, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis. Nec tamen *Sanctus*, *sanctus*, *sanctus Dominus Deus Sabaoth* in Quadragesima intermittimus, quamvis sit hymnus angelicus et in Novo Testamento decantatus, qui et in Veteri prius fuit dictus, fidem videlicet perfectam patrum humiliter Deo offerens, nullum autem meritum bonæ operationis eorum attollens. Sic et nos interim in hac nostræ peregrinationis Quadragesima, scientes nos per fidem et non per speciem ambulare, sed sola fide apud Deum præsumimus, supplici confessione dicentes : *Sanctus*, *sanctus*, *sanctus Dominus Deus Sabaoth* ; cui, de operibus diffidentes, cum Psalmista proclamamus : « Non intres in judicium cum servis tuis, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (*Psal.* CXLII, 2). »

LVIII. Quod autem novem hebdomadibus « Alleluia » intermittimus, non incongrue per novem hebdomadas novem ordines angelorum accipimus. Quorum decimus ordo, per superbiam corruens, angelicum numerum imminuit, et felicitatem perturbavit. Qui condolentes suæ diminutioni, et parem ruinam timentes sibi, a perfecta laude Creatoris fuere præpediti. Quorum recuperationi et consolationi consulens omnipotens Creator primum hominem de limo terræ formavit, qui sui generis multiplicatione damna cœlestis patriæ resarciret, atque angelorum gaudia suppleret. Qua spe angelicus chorus ad modicum exhilaratus, nec mora, ex lapsu ipsius hominis fuit conturbatus. Unde ille novem ordinum concentus in laude Creatoris remansit imperfectus, donec in Christo resurgente resurrexit prolapsus ille protoplastus. Ibi augmento sui collegii et meliori spe angelicus exercitus gavisus, in novum « Alleluia » consurrexit totus, et in eo perstat devotus. Quem et nos pro modulo nostro imitantes, a Septuagesima, quando lapsus protoplasti in Ecclesia recitatur, « Alleluia » novem hebdomadibus intermittimus, scilicet in pascha, ubi Christus resurgens a mortuis tristitiam nostram in gaudium vertit, et « Alleluia » reddit. Quod utique si non aliquando Latina Ecclesia decantaret, reprehendi a vobis non deberet, cum tamen in sua lingua laudem Domini personaret. Nunc quæ sit ista vestra superbia miramur, quæ latrat Latinos non pertinere ad Deum, si Hebraice aut Græce non persolvant et hymnum et debitum officium, cum etiam Latina lingua principaliter confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Ipsa quidem cum Hebræa et Græca titulum crucifixi Domini complevit, et, quæ erat novissima, facta est prima : ferro et fide usque ad adventum maligni Antichristi et benigni Jesu Christi defendens sibi terrenam et cœlestem potestatem. Hinc, jam diu calumniis vestris reluctati, breviter attingamus intentionem vestri epilogi.

LIX. CONSTANTINOPOLITANUS. Cur tantam deceptionem horum talium non aspicitis, nec intelligitis, neque corrigitis populos, sicut qui debentur judicari a Deo ? Non derelinquitis quod dicitur quoniam hoc Petrus et Benedictus et Paulus et cæteri docuerunt ? Decipitis vos ipsos et populum in istis. Quæ vero scripsi, ea sunt quæ Petrus et Paulus et cæteri apostoli et Christus docuit, et sancta atque catholica Ecclesia suscepit et custodit religiose ; quæ et vos correcti custodite.

LX. ROMANUS. Sicut sufficienter monstratur superius, converso ordine et versa vice procederent hæc rectius, scilicet si vos seductos, seductores et mature judicandos a Domino diceremus Quia volentes esse doctores, nec intelligentes quæ loquimini neque de quibus affirmatis, sanctorum apostolorum et catholicorum puram doctrinam humana præsumptione fermentatis, omnino decipientes vos et alios in istis. Quæ autem nunc vobis scripsimus, Christus docuit, et apostoli ipsius ; quæ ab eis et a sanctis Patribus sancta et catholica suscipiens Ecclesia religiose observat hactenus ; quæ et vos correcti observate, si non vultis a Christo anathema esse. Porro Benedictus monachorum Pater egregius in nullo a vobis est detrahendus, quia fide, doctrina et vita præcipuus, nec ad dextram nec ad sinistram aliquando declinavit a recta via, nec terminos quos Patres posuerunt est transgressus, nec leopardum curavit definire, sed regulam discretione plenam cœnobitis tradere. In qua et si constituit esum carnium infirmis, et femoralia in itinere positis, absit tamen ut arbitraretur hæc duo pejora esse fornicatione, quam quidam vestratium adeo sibi defendunt, ut publice profiteri nec erubescant nec metuant, tale esse fornicari, quale est quolibet pomo vesci et refici ! Unde et fornicantes Sarabaitas venerantur : femoralibus vero et carnibus in necessitate utentes cœnobitas omnino detestantur. Sed quid dicit Propheta ? « Væ his qui dicunt bonum malum, et malum bonum (*Isai.* V, 20) ! » Nunquid vas electionis beatus apostolus Paulus alicubi definit : Neque carnibus aut femoralibus utentes, regnum Dei possidebunt ? Qui tamen plerisque locis vehementer inculcat, dicens : « Nolite errare ; neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI, 10). » Item : « Fornicatores et adulteros judicabit Deus (*Hebr.* XIII, 4). » Et : « Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (*I Cor.* VI, 8). »

LXI. CONSTANTINOPOLITANUS. Azymas vero et cu-

Digitized by Google

stodias Sabbatorum projicite miseris Judæis. Similiter et suffocata barbaris gentibus, ut fiamus puri omnes in immaculata et in recta fide, et unus grex unius pastoris Christi. Cujus in cruce divino sanguine inebriati, laudamus puri pure Patrem et Filium et Spiritum sanctum : universa Mosaicæ legis et ab eo custodita derelinquentes sine Deo Judæis. Qui velut cæci perquirentes Christum, lumen amiserunt, permanentes in umbra sicut insipientes perpetuo.

LXII. ROMANUS. Superius monstravimus copiose, nec Sabbata vel azyma nos judaice observare, nec suffocata gentiliter manducare, sed apostolicam catholicamque fidem principaliter retinere, nec procaciter refugere, sed humiliter fugere ad unum unius summi boni Pastoris ovile, qui posuit animam suam pro ovibus suis : quas vocem suam, non alienorum, recognoscentes et sequentes carne sua instanter cibat et sanguine potat, ut corde, ore et opere collaudent sanctam et individuam Trinitatem. Unde super omnia dolemus veteres anias vestro de pulmone hactenus non potuisse revelli. De quibus in Actibus apostolorum dicitur : « Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi addiscere aut audire aliquid novi (*Act.* XVII, 21). » Sed jam profanas vocum novitates devitando, veterem pelliculam quantocius abjicite, ne, quod absit ! dicatur vobis Sponsi voce : « Si ignoras te, egredere et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos (*Cant.* I, 7) : » illos scilicet quos ipse pastor in fine a sorte humilium ovium separat ; quia, lascivi et petulci, hic se vi superbiæ exaltare non cessant.

LXIII. Deinde si universa Mosaicæ legis relinquimus Judæis, nulla honestas aut sanctitas remanebit nobis, ceu ex superioribus recolligere potestis. Relinquantur ergo eis sola carnalia mandata, et sanctum sæculare, in quibus cæci quærunt quid invenire, dum umbram sectantes exsulant a luce. In qua umbra numeratur et Sabbatum vestrum, Apostolo dicente : « Nemo vos judicet in cibo aut potu aut in parte diei festi, aut neomeniæ aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum (*Coloss.* II, 16). » Porro sicut sine Deo sunt Judæi, sic et omnes hæretici. Verum ne quid sit minus, quod sequitur attendamus.

LXIV. CONSTANTINOPOLITANUS. Hæc autem hujusmodi multoties et ipse cum populo agnoscens docuisti eos, et correctus scripsisti multis talem consuetudinem habentibus. Et ut habeas salutem animæ tuæ, mitte principibus sacerdotum et sacerdotibus, et adjura ut per hæc seipsos corrigant et populum, ut mercedem et in istis habeant. Et si hoc feceritis, propono et per secundam scriptionem majora et perfectiora his scribere tibi fidei vera ostensione et firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam.

LXV. ROMANUS. O viri cordati, perpendite hic et cavete hæreticorum callidam subreptionem ; qui per benedictiones et dulces sermones seducunt corda innocentum. Ecce his specialiter Tranensem episcopum Joannem, cui talia scripsistis, alloquentes, oleo peccatoris caput ejus impinguare satagitis, dicentes : « Hæc autem hujusmodi multoties cum populo agnoscens docuisti eos, et correctus scripsisti multis similem consuetudinem habentibus. » Sed nos e contrario per Salomonem dicimus vobis. « Os quod mentitur, occidit animam (*Sap.* I, 11). » Neque enim præfatus episcopus correctus a vobis aliquando talia populum docuit aut cuiquam super his scripsit. Quod si fecisset, correctus a nobis fuisset, cur, correptus non autem correctus a vobis, talia præsumpsisset? Sed ille qualiscunque sit in opere, sanus tamen hactenus exstitit in orthodoxa fide juxta capacitatem suæ intelligentiæ. Unde, nullis vestris susurrationibus acquiescens, adhuc persuaderi non potuit ut alicui sacerdotum has vestras nænias pro correctione illorum et populi cum adjutorium mitteret. Et ipse non solum nullam mercedem in his haberet, sed insuper gradus sui periculum incurreret. Cui etiam, si vobis in vestris nugis obediat, aliud mercedis repromittis : scilicet vos secundo ei scriptum ire majora et perfectiora his, vera fidei ostensione, ac firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam. In quibus plane promissis antiquum ritum hæreticorum retinetis, quorum sermo sicut cancer serpit, et pollicetur curiosis fastigium perfectæ scientiæ, ut pertrahat ad barathrum extremæ stultitiæ. Quorum vanitatem Sapientia Dei per Salomonem proprie demonstrans ait : « Mulier stulta et clamosa, plenaque illecebris, et nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ, in excelso urbis loco, ut vocet transeuntes per viam, et pergentes itinere suo. Quis est parvulus? declinet ad me. Et vecordi locuta est : Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior. Et ignoravit quod gigantes ibi sunt, et in profundis inferni convivæ ejus (*Prov.* IX, 13-18). » Hic plane hic vestri efficax depictor est, qui majora et perfectiora ad ostensionem fidei et firmamentum animarum pollicemini invitando parvulos et vecordes ad aquæ furtivæ dulcedinem, et panis absconditi suavitatem. Vere omnino aqua furtiva est, in qua rebaptizatis Latinos catholice baptizatos, quod nullus catholicus adhuc præsumpsit scilicet ut rebaptizaret aliquos, in nomine sanctæ Trinitatis ab ipsis etiam hæreticis baptizatos. Vere omnino ad nescio quem panem absconditum invitatis, quando vivifica et terribilia sacramenta corporis et sanguinis Jesu Christi profanis pedibus conculcatis.

LXVI. Hæccine sunt illa majora et perfectiora, ut tanta oblatio imponatur altari, quanta nequeat a ministris vel a populo sumi, et idcirco debeat subterrari, aut in puteum ad hoc præparatum projici? Hæccine quoque sunt illa majora et perfectiora, ut novus maritus et recenti carnis voluptate resolutus et totus marcidus Christi ministret altaribus, et ab ejus immaculato corpore sanctificatas manus confestim ad muliebres transferat amplexus?

Digitized by Google

Hæccine sunt illa perfectiora, ut mulieribus Christianis in partu vel in menstruo periclitantibus communio degeneretur? aut paganis baptismus interdicatur? et parvulis morituris ante octò dies regeneratio per aquam et Spiritum sanctum subtrahatur? In quo utique crudeliores Herode, non tantum in corpore sed et in anima quotidie trucidatis parvulorum innumerabilem populum, et destinatis ad ignem æternum. Nunquid etiam inde est quod hominis morituri imaginem affigitis crucifixæ imagini Christi, ita ut quidam Antichristus in cruce Christi sedeat ostendens se adorandum tanquam sit Deus? Nunquid et illud inde est quod pejus sit monachos femoralibus indui et carnibus vesci, quam fornicari? Ideone clauditis Ecclesias Latinorum et dirigitis scripta per totum orbem, ut ad hæc majora et perfectiora pertrahatis omnem Christianum populum? Non sunt hæc talia ostensio veræ fidei, sed adinventio diaboli. Nec sunt firmamentum, sed destructio animarum. Pro quibus omnibus et aliis, quos longum est scripto prosequi, erroribus, nisi resipueritis et digne satisfeceritis, irrevocabile anathema hic et in futuro eritis a Deo, et ab omnibus Catholicis, pro quibus Christus animam suam posuit.

EXPLICIT RESPONSIO.

INCIPIT

CUJUSDAM NICETÆ

PRESBYTERI ET MONACHI MONASTERII STUDII

LIBELLUS CONTRA LATINOS EDITUS

Et ab apocrisiariis apostolicæ sedis Constantinopoli repertus

I. Niceta presbyter et monachus monasterii Studiorum, qui prænominor Pectoratus : Romanis, de azymis et sabbatorum jejuniis, et nuptiis sacerdotum. Bona est dilectio ad proximum, o omnium gentium sapientissimi et nobilissimi Romani. Ex habitudine enim dilectionis ad proximum, et humilitas abundat ad eum qui habet illam. Ipsa autem abundans efficit participem sui omnia diligere, omnia sustinere, ut ait divinus Apostolus, et non inflari adversus proximum suum aliquando, neque ea quæ ipsius solius sunt quærere, aut zelum habere adversus eum et altercationem et æmulationem. Omnia enim hæc dilectionem persequuntur et humilitatem, et faciunt hominem non secundum Deum ambulare, sed secundum hominum libitum. Quod et Paulus arguit, dicens : « Cum sit inter vos zelus et contentio et discordia, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ? » (*I Cor.* III, 3) Propter quod rogo vestram charitatem, humiliari vos propter Dei præceptum, et audire a nobis indignis et minimis.

II. Requirentes enim ab illis qui ex diversis provinciis Romanorum peregrinantur hic de azymis, quid dicemus de his in dilectione Christi ad vos? Qui azymorum adhuc participant, sub umbra legis sunt, et Hebræorum mensam comedunt, non autem rationalem et vivam Dei mensam, et nobis qui credidimus supersubstantialem, quemadmodum superius exigere supersubstantialem docti sumus panem. Quid enim est supersubstantialis, nisi quia nobis est consubstantialis? Alter autem nullus est nobis consubstantialis panis, sed corpus Christi, quod consimile nobis est secundum carnem humanitatis ipsius. Si autem animata est nostræ massæ substantia qua Verbum induit se, ergo non substantialem nobis panem comeditis, quia azymorum participamini. Azyma enim inanimata sunt, sicut ipsa rerum natura declarat atque liquidius edocet. Intermistum enim modicum fermentum in farina et commista sibi, ipsa unam efficit seipsam propter fermentum, vivifica quadam virtute, et calefacit eam, et tam mobilem quam vivam operatur. Quod in azymo fermento Pharisæorum, quod effugere nos sermo admonet, neque effectum est aliquando, neque fiet omnino. Divinæ enim effecti sumus participes naturæ, cujus et participamur quotidie, qui communitatem habemus cum Christo, sicut dicit et Petrus vertex : « Gratia vobis et pax multiplicetur in cognitione Dei, et Jesu Domini nostri (*I Petr.* I, 2). » Et post pauca : « Ut per eam efficiamini divinæ participes naturæ (*II Petr.* I, 4), » non autem fermento azymi interfectorum Dei. Divinam autem naturam, quisquis rationis est dominus, dicet aliquando azymum et mortuum fermentum Judæorum, quod in sacrificio vos Deo offertis, quod in figura veræ et vivæ carnis Domini comeditis? Quomodo unitatem habebitis cum Christo, vivente Deo, mortuum, ut dictum est, et infermentatum fermentum comedentes, legis, umbræ, non Novi Testamenti? Si enim et hoc dixeritis, sed non sic se ha-

Digitized by Google

bet. Inquit enim dilectus Christi discipulus : « Si dixerimus quia communitatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et non facimus veritatem. Si autem in lumine ambulamus sicut ipse est in lumine, communitatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi purificat nos ab omni peccato (*I Joan.* I, 6, 7). » Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat. Et quomodo [non] habebit societatem cum Christo, qui est in lumine Novi sui Testamenti et gratiæ? Nam qui in lumine ambulant gratiæ, panem comedant qui est corpus Christi, et bibunt sanguinem immaculatum ejus, et ita habent ad invicem, et cum Christo societatem, purificati, sicut dictum est, ab omni inquinamento. Azymum autem non est panis. Neque enim compositus, neque per se ipsum perfectus est, sed indigens semique perfectus, indigens plenitudine fermenti. Panis autem compositus, per seipsum perfectus est et plenissimus, sicut ille qui totum habet in seipso plenitudinis.

III. Animadvertite et attendite quia in azymis nulla est vivens virtus, mortua enim sunt; in pane autem, hoc est, corpore Christi, tria sunt viventia et vitam præbentia eis qui ea digne comedunt : Spiritus, aqua et sanguis, ceu et ipse, qui super pectus Christi in cœna recubuit, Joannes contestificatur in eo verbo : « Tres sunt qui testimonium dant, Spiritus, aqua et sanguis, et hi tres in uno sunt (*I Joan.* v, 8), » videlicet in corpore Christi. Quod et secundum tempus Dominicæ crucifixionis declaratum est, cum aqua et sanguis ex immaculata costa ipsius effluxit : lancea percussa carne ipsius, sanctus Spiritus vivificusque in deificata carne ejus permansit. Quam comedentes in pane, qui immutatus est per Spiritum et effectus est corpus Christi, vivimus in ipso, tanquam vivam et deificatam carnem edentes. Sic autem et sanguinem vivum et calidissimum ejus bibentes cum effluente aqua ex immaculata costa ejus, mundamur ab omni delicto, ferventi replemur Spiritu. Calidum enim, ut videtis, velut ex latere Domini, calicem bibimus, quia ex viva carne et calida spiritu Christi calidissimus nobis sanguis et aqua emanavit. Quod in eis qui azyma comedunt, nequit fieri.

IV. Si autem mortuum fermentum comeditis, o sapientissimi, ut sermo declaravit, cujus rei gratia gloriamini, dicentes : « Quia non sicut vos sale et fermento atque aqua farinam temperamus, et sic facimus oblationem azymorum nostrorum, sed aqua sola et farina et igni azymum conficimus, et in tribus his puram facimus nostram oblationem; » percontamur igitur vos, hæc tria, aquam et farinam et ignem, ad quid accipitis; et cui effigiem esse hæc æstimatis? Carnis Domini? Sed non inquit dilectus Christo Joannes : « Tres sunt qui testimonium perhibent (*I Joan.* v, 8), » aqua et farina et ignis. Sed quid? « Spiritus et aqua et sanguis, et hi tres in uno sunt (*Ibid.*,), » videlicet in corpore Christi, ut dictum est, quod nos comedentes unimur incarnato propter nos et immolato Christo incorporati, et velut caro ejus, sicut scriptum est. Si autem ad increatam et incorpoream naturam sanctæ Trinitatis assumitis, erratis cadentes in hæresim eorum qui asserunt Deum passum, qui dicunt compassum Verbum carni, et eamdem ipsam deitatem sustinuisse passionem. Non enim pariter Trinitas incarnata est, Pater et Filius et Spiritus sanctus, ut conspiciantur in ea hæc tria, aqua ut dicitur, farina et ignis, et ut in figura ipsius faciatis azymum et sacrificium offeratis : sed unus ex Trinitate Filius, et Verbum Dei incarnatum est, ex castissimis sanctæ Virginis carnibus homo effectus; et omnia ordinationis suæ perficiens, crucifixus est carne, non passa divinitate ipsius. Carne igitur crucifixus, tradidit nobis edere per panem carnem suam, quam in Spiritu sancto ita vivam dicimus : « Accipite et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis fractum est, in remissionem peccatorum (*Matth.* xxvi, 26-28). »

V. Quid ergo vobis, in Christo fratribus nostris, et legi quæ maledicta est in Christo? quoniam adhuc azymum fermentum ejus comeditis? Nova creatura sumus in Christo : vetera transierunt. Paulum audite dicentem : « Ecce facta sunt omnia nova (*II Cor.* v, 17). » Si autem hæc comedere decernitis justum : cur non et circumcidimini? Christus circumcisus est. Cur non et purificamini? Paulus etiam et hoc fecit : et alia etiam omnia similiter servare veterum, sicut et hi ea quæ legis sunt faciunt, per quos nomen Dei in gentibus blasphematur, sicut est scriptum : « Non bona est gloriatio vestra (*I Cor.* v, 6), ut et ego quæ Pauli sunt loquar ad vos : « Nescitis, » inquit, « quia modicum fermentum totam massam corrumpit? » (*Ibid.*,) Et panis tandem, non azymum efficitur. Sed quid hic dictus Apostolus scribit ad Corinthios? Nunquid, ut vos æstimatis, de celebratione quam vos in azymis celebratis? Nequaquam. Sed quoniam illi hoc despiciebant quod aliquis novercam acceperat, et in antiquis consuetudinibus falsæ scientiæ suæ gloriabantur; volens autem eos converti Paulus et ex vetere removere malitia, venit per similitudinem hanc, fermenti dico et massæ, ostendit eis quoniam unum malum, tanquam modicum contemptum, magnam in toto corpore Ecclesiæ faciet læsionem. Propterea inquit adjiciens : « Et non luctum habuistis, ut auferatur de medio vestri qui hoc opus operatus est? » (*I Cor.* v, 2.) Potest enim, inquit, iniquitas ista ad omnes vestras urbes transire, et, tanquam modicum fermentum totam massam fermentat, sic omnes apprehendi et fermentari, et unam massam majoris iniquitatis operari : « Expurgate, » inquit, « vetus fermentum (*Ibid.*, 7), » peccati. Tollite hunc a medio, ut efficiamini Christo nova conspersio, sicut estis baptizati, id est vel azymi vel puri, mortificati mundo et desideriis carnis. Etenim pascha nostrum hoc est, quoniam, ut eriperet nos ex iniquitate ac morte, immolatus est Christus. Qua de re sic ait : « Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ

Digitized by Google

et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis (*Ibid.* 8), » hoc est puræ vitæ et fidei, qua in Deum credimus, et veraces oratores ejus efficimur. Sic Magnus Gregorius theologus hoc verbum accepit. O sapientissimi, ea quæ mentis apostolicæ sunt intelligite, et non, quemadmodum hoc vos accepistis, de azymorum festivitate et participatione. Si enim de azymis et de celebratione eorum Corinthiis Paulus præcepisset, et eos in azymis epulari jussisset, non promulgasset cum undecim, et omnem reducens Ecclesiam fidelium in ordinem, in septuagesimo canone, cum excommunicatione præcepisset omnibus, hujusmodi causam a Judæis nullatenus accipi : « Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut omnino ex numero clericorum jejunaverit cum Hebræis, aut epulatus fuerit cum eis, et acceperit festivitatum eorum munera, ut sunt azyma aut aliquid hujusmodi, deponatur : si autem laicus, sequestretur. »

VI. Si autem dicitis : Quia ab Hebræis non accipimus, sed domi facere consuevimus; cur hoc? sive ab illis accipiatis, sive domi faciatis, azyma sunt. Et juxta hoc graviorem pœnam habebitis, quoniam relinquitis agere quæ jussa sunt vobis a Christo et Apostolis ipsius, facientes velut illi qui sub servitute legis sunt, qualia Judæi faciunt, in umbra et tenebris legis sedentes, nullatenus dicenti Paulo credentes : « Fratres, unusquisque in eo ordine quo vocatus est, in ipso permaneat (*I Cor.* VII, 20 *et* 24). » Non enim invenietis omnino in divina Scriptura quoniam azymum dictum sit a Christo aut apostolis ejus, cum administraretur ab illo Novi Testamenti mysterium. Paulus enim Corinthiis scribens dicit : « Discernere vos oportet calicem benedictionis quem benedicimus; nonne communicatio sanguinis Christi est? Panem quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Quoniam unus panis, unum corpus, multi sumus. Etenim omnes ex uno pane participamus (*I Cor.* X. 16). Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis : quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, » et non azymum, « et benedicens fregit, et dixit : Accipite et comedite : hoc est corpus meum, quod pro vobis frangetur. Hoc facite in meam commemorationem (*I Cor.* XI, 23, 24). » Et non semel dixit panem, sed etiam sæpe. Non hic solus dixit, sed et cæteri apostolorum, et Matthæus quidem ait : « Cœnantibus autem illis atque comedentibus accipiens Jesus panem (*Matth.* XXVI, 26) : » Aspicis, panem et hic inquit, « et benedicens fregit, et dedit discipulis suis et dixit : Sumite et comedite, hoc est corpus meum (*Ibid.*). » Similiter autem et hoc Marcus inquit, et reliqui : et nequaquam azymum ab eis commemoratur.

VII. Quoniam quidem oportebat pati Christum secundum diem legalis paschæ, in qua et agnus ab Hebræis immolabatur. Oportuit enim fieri pascha ab interfectoribus Dei in sexta feria, in qua tandem et quarta decima luna erat juxta primum mensem, in quo contingit evenire 1534 annos : cyclus enim solis erat 18 et 5, ut non adhuc traditus prævenisset proprium pascha discipulis tradere, recumbens in cœna secundum vesperum quinti diei; postquam cœnavit, accepit panem, fregit, tradidit apostolis mysterium Novi Testamenti in nocte quinta in qua traditus est a Juda : sicut scriptum est. Sed quid dicit Lucas apostolus? « Accepit panem, et benedicens fregit (*Luc.* XXIV, 30). » Ecce et Lucas accipere panem Christum dixit, et non azymum. Non enim adhuc erat sextæ feriæ dies. Tertia decima erat luna in illa quinta feria, et non erat azymum, neque adhuc oblatio fermentati.

VIII. Azyma enim in quintadecima luna promulgata erant in lege, ut in quartadecima die ad vesperam agnus immolaretur, et in quartadecima die lunæ primi mensis Pascha appellaret lex, quintamdecimam diem primum azymorum et Sabbatum nominaret. Proh dolor insipientiam illiteratorum! Et non erat azyma in quinta feria, cum esset luna tertiadecima, et non quartadecima. Secundum quintamdecimam lunam fuerat institutum azyma fieri, sicut et agnus ad vesperam quartædecimæ diei jussum esse immolari, secundum quam immolatus est Christus, Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Si autem Christus immolatus est et crucifixus in decima quarta die lunæ, feriæ sextæ, in Sabbato autem erat festum azymorum, quando azyma comedit? etiam apostolis sic facere in Novo Testamento tradidit? Quomodo dicitis ab apostolis accepisse vos facere azyma jam post resurrectionem a mortuis? Non videtis quia manifeste ex rebus arguimini, quoniam non tunc azyma, cum mysteria Novi Testamenti traderet apostolis Christus?

IX. Ostendam vobis hoc ex legislatione Moysi. Loquitur enim : « Hæ sunt festivitates Domini et ipsæ sanctæ, quas vocabitis in temporibus suis. In primo mense in quintadecima die mensis hujus festum azymorum Domini; et in quartadecima die mensis intra medium ad vesperum erit Pascha Domino; et in quintadecima die hujus mensis festum azymorum Domino. Septem enim diebus azyma comedite (*Levit.* XXIII, 4-6). » Ecce enim ex legislatione Moysi didicistis, quoniam non tunc azyma, quando post cœnam secundum diem quintæ feriæ Christus tradidit per fractionem panis Novi Testamenti mysterium. Ante festum autem azymorum hoc fecit, cum esset tertiadecima dies mensis Quintadecima enim die mensis, ut legislatio Moysis, erat festum azymorum. Et Christus in feria sexta crucifixus, secundum quartamdecimam diem mensis, quando debebant Judæi immolare agnum; Sabbato autem secundum quintamdecimam diem mensis, cum esset festum azymorum, in sepulcro jacuit sepultus. Azyma ergo dum non essent ante festum azymorum in toto anno ipso : septem enim diebus comedebant azyma Judæi, ceu instituit Moyses : in quintadecima die primi mensis incipientes festum horum, ubi reperta sunt azyma, quando cum discipulis suis co-

Digitized by Google

nam comederet Christus? Si enim sicut dicitis, a Domino apostoli acceperunt azyma, et illi iterum tradiderunt vobis hæc in figura corporis Christi in mysterio Novi Testamenti, dum nec ablatio panis fieret secundum constitutionem Moysi, neque erant tunc azyma, ubi reperta sunt? Quomodo obliviscimur legislationum Moysis? Septem namque solis diebus facere tradidit vobis. Sed vos in toto anno conculcatis instituta Moysis. Et Christus non venerat solvere legem, sed adimplere (*Matth.* v, 17).

X. Valde enim veritatem obsistitis, fratres. Si enim traditum vobis fuit ab apostolis comedere azyma, quomodo Agathon sanctissimus papa vester, præsessor cum esset sextæ synodi sub Constantino imperatore, et divinus Gregorius Acragantinorum episcopus non abstinuere; eum, sicut hujus synodi divini Patres, adversum azyma legem constituissent a nemine fidelium hoc fieri? Et, ut ostendam vobis horum legislationem contra azyma, adjicio rationi et canonem ipsorum sic habentem in undecimo capitulo : « Nemo in sacerdotali constitutus ordine, aut laicus, ea quæ apud Judæos sunt azyma comedat, aut cum eis cohabitet, aut in infirmitatibus invitet, aut medicinam ab eis accipiat, vel in balneis cum eis lavetur. Si quis hoc agere initiaverit, siquidem clericus fuerit, deponatur; si autem laicus, sequestretur. » Qui azymum conficit et comedit, etsi non acceperit hoc a Judæis, sed imitator fuerit in hoc, ut Judæus intelligit, et extra legem est, quemadmodum et si circumciderit quis seipsum, aut a Judæis circumciditur, simul et in scientia est illis, canonesque et instituta apostolorum sanctorumque Patrum transgrediens, et irrita omnia facit, ut ratio nostra demonstravit. Sed de azymo sufficienter vobis quod prohibitum sit ab omni Scriptura divina demonstravimus.

XI. Age nunc qui cætera demonstravimus vobis, et subito memoriæ suggestum est vobis de jejunio Sabbatorum, quoniam insultatis nobis : unde jejunare Sabbata, ex qua sancta Scriptura accepistis? Ab apostolis? Nequaquam. Apostolorum vertices in quinto quidem libro ordinationum, qui de martyribus inscribitur, juxta Clementem : « Quartam feriam et sextam præcepit nobis jejunare Dominus. Unam quidem propter traditionem, alteram propter passionem. Ipsum autem Sabbatum non tradidit nobis jejunare, quoniam non oportet, propter illud solum, in quo Creator omnium sub terra fuit. » Unde, juxta calcem ejusdem libri, iterum sic loquitur : « Omne quidem Sabbatum et omnem Dominicum celebrandum esse dicimus. Gaudere enim oportet in his et non lugere. » Septimo quidem libro earum constitutionum juxta vicesimum quartum caput hoc inquiunt : « Sabbatum namque et Dominicum celebramus, quia illud quidem divinæ operationis est memoria; hic vero resurrectionis. Unum vero tantum Sabbatum custodiendum est in toto anno sepulturæ Domini, quo jejunare oportet. Quando enim Christus in sepulcro jacuit, discipuli potentio- A rem circa eum fletum habebant quam gaudium ex memoria divinæ operationis. » Verumtamen hæc mystice per Clementem papam constituentem non steterunt hic, sed scientes magnam damnationem esse jejunare Sabbata, excommunicatione valida ligant ex hoc Ecclesiam. Dicit enim in sexagesimo quarto canone : « Si quis inventus fuerit Dominicum diem jejunare, aut Sabbatum, præter unum solum, deponatur; si autem laicus, sequestretur. »

XII. Hoc autem exsequentes et qui in sexta synodo Patres, convenienter huic sic promulgant sancte, præsidente synodo Agathone papa Romæ, et Gregorio cum eis Agrigentinorum episcopo præsente : « Quoniam quidem discimus eos qui in Romanorum urbe sunt, in sanctæ Quadragesimæ jejuniis eadem B Sabbata jejunare extra traditam sibi ecclesiasticam consequentiam : placuit sanctæ synodo observare Romanorum Ecclesiam immobilem canonem dicentem : Si quis clericus fuerit inventus, » et cætera quæ deinde scribit. Hæc igitur, sicut cernitis, apostolicis constitutionibus et canonicis fidelium Ecclesiam ligat cum papa Romæ Agathone. Vos unde aliter et ex quo jejunare Sabbata accepistis? Quinetiam oblationem perfectæ missæ per omnem diem facere in sacris diebus jejuniorum, sive Sabbato sive Dominico die : unde assuevistis? a quo doctore accepistis? Ex apostolis? nullatenus. Apostoli enim ex hoc posuere canonem sic loquentem : « Si quis episcopus aut presbyter, vel diaconus aut lector aut cantor, sanctam non jejunaverit Quadragesimam quartamque et sextam feriam, deponatur, nisi infirmitate C corporis impediatur. » Ministrantes ergo atque complentes ministrationem sanctæ missæ secus tertiam horam diei, in qua et promulgatum est offerri sacrificium, quomodo jejunium usque ad horam diei nonam observatis? solventes hæc in tempore ministrationis missæ? Nequaquam. Si autem hoc impossibile est, maledictione plectemini.

XIII. Qui in Gangreno fuere Patres concilio cap. 19 talia effantur : « Si quis continentia sine corporali necessitate elatus fuerit, et constituta jejunia in commune et observata ab Ecclesia dissolverit, præsumendo sibi perfectam rationem, anathema sit. » Similiter Patres qui in Laodicensi fuere concilio, secundum quinquagesimum canonem sic effati sunt: D « Quia non oportet in Quadragesima martyrum natalitia celebrare, sed sanctorum commemorationem facere in Sabbatis et Dominicis diebus. » Et juxta quadragesimum octavum canonem item aiunt ipsi : « Quod non decet in Quadragesima panem offerre, nisi in Sabbato et Dominico solo. »

XIV. Et qui in sexto universali concilio convenerunt Patres similiter juxta quinquagesimum secundum canonem sanciunt cum sanctissimo Agathone papa dicente sic : « In omnibus sanctis Quadragesimæ jejuniorum diebus, sine Sabbato et Dominico die, et sine sancto Annuntiationis die, fiat missa ex antesanctificatis oblationibus. » Sic ergo accipientes nos Sabbato et Dominica die, secus tertiam diei

Digitized by Google

horam, in qua et Spiritus sanctus descendit super discipulos, immolantes, in ipsis sanctificamus munera, ex quibus sufficientia in tota hebdomada conservamus. In aliis autem diebus hebdomadis juxta tempus horæ nonæ diei concludentes omnem ministrationem in consummationem completorii, agimus nos sacerdotes cum diaconibus ingressum, thuribulum solum ferentes. Et post lectionem prophetarum constitutas orationes a magno Basilio facientes, et munera transferentes appositionis altario et orantes cum ipsis. Insuper autem et traditam nobis a Domino orationem dicentes, exaltamus præsanctificatum panem, et damus præsanctificata sancta sanctis, et uniti communione pane et calice mysteriorum Christi. Et ita agentes gratias Deo, linquimus eos atque dimittimus ex congregatione, sumentes nos communem mensam per folia et legumina, et calidam aquam qui voluerint. Sunt autem et alii qui sola communione et benedictione per totam perseverant hebdomadam. Vos autem referentes per unumquemque diem perfectam in Quadragesima ministrationem, quæ congrua est juxta tertiam horam dici offerri, positos transgredimini canones Ecclesiæ. Et in hoc maledictioni Patrum subjacetis, sicut dictum est.

XV. Quis ille est qui tradidit vobis prohibere et abscindere nuptias sacerdotum? Quis ex doctoribus Ecclesiæ hanc vobis tradidit pravitatem? Siquidem nisi nupserit, manus impositionis accipiet. Et ita ad nuptias ruit, qui ordinatus est innuptus, legitime. Hoc et secundum canones facitis, hujusmodi nuptias prohibentes? Si autem ante habuerit uxorem ille qui ordinatus est sacerdos, perseveraveritque in castitate magnaque vita, nuptias ejus solvitis, transgredimini, ut ex præcepto apostolicorum canonum ostendam vobis. In sexto enim libro Clementis ordinationum quæ ab eo conscriptæ sunt, juxta septimum decimum caput Apostoli hæc dicunt : « Episcopum et presbyterum et diaconum dicimus, qui unam habent uxorem, ordinari, quamvis vivant eorum conjuges, quamvis defunctæ, non licet eos post manus impositionem innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire, aut si nupserint, alteras amplecti, sed sufficere quas habent cum ad ordinationem venerunt. » In quinto sanctorum canonum ita fatur in 2 cap. : « Episcopus aut presbyter aut diaconus uxorem suam non abjiciat obtentu religionis; si autem abjecerit, sequestretur. Perseverans autem deponatur. » In quadragesimo vero canone, inquiunt palam : « Propriæ episcopi res. » Et post pauca : « Ne occasione ecclesiasticarum rerum cadere episcopum ab eis quæ sunt episcopi, in mulierem et pueros et propinquos, ne per occasionem eorum, ea quæ Ecclesiæ sunt subtrahat. » Et deinde: « Siquidem sunt qui prohibeant sacerdotes legitimis conjugibus. » Non ita vertices apostolorum exposuerunt ecclesiasticos canones. Si autem dicis mulierem Ecclesiam dixisse apostolos, tunc infidelis apparebit sermo tuus et vacuus, cum sacris canonibus ipsorum, qui a nobis prædicti sunt, non abjicere episcopos et presbyteros occasione religionis, uxores sanxerunt, et ut caderent res episcoporum ex potestatibus eorum propter filios et mulieres ipsorum.

XVI. Si autem aliquis dixerit de sancta et universali synodo, quod papam Romæ sanctissimum Agathonem, ut sæpissime diximus, præsessorem habuit, ipsa centum septuaginta Patrum, sub Constantino imperatore, nepote Heraclii et patre Justiniani : quomodo non obstitit divinus Agathon sanctæ synodo sancienti adversus hos impios quos usque nunc habetis? Si vero ab apostolis haberetis has traditiones, obsisteret forsitan, et non suscepisset hæc quæ apud nos ab ea promulgata sunt. Papa cum esset vester, quoniam adulteras cognoscebat traditiones ipsas et extraneas ab apostolorum doctrina : propterea pariter cum Patribus sacræ sextæ synodi, sicut de azymis et jejuniis Sabbatorum et sacræ missæ mysteriis, sic et de nuptiis sacerdotum promulgavit dicens in decimo tertio capite : « Quia in Romanorum Ecclesia in ordine canonis tradi cognovimus, præsentes diaconi aut presbyteri dignas fore manuum impositiones confiteri, ut non amplius a suis disjungantur conjugibus. Nos antiquum exsequentes canonem apostolicæ diligentiæ et ordinationis, sanctorum virorum copulationes secundum legem et a modo valere volumus, nullatenus a conjugum copulatione dissolventes aut privantes eos ab invicem, secundum tempus congruum locationis. Quia vero si quis dignus inventus fuerit, manus impositione diaconus vel subdiaconus aut presbyter, hic nullatenus prohibeatur ad hujusmodi gradum ascendere, conjugi cohabitaturus legitime; neque in tempore ordinationis exigatur confiteri ad legem propriæ locationis propter propriam uxorem. » Et post pauca : « Si quis ergo præsumpserit extra apostolicos ordines motus quemdam sacrorum presbyterorum et diaconorum privare a copulatione legitimarum mulierum, a communione sequestretur. Similiter si quis presbyter aut diaconus collactaneam suam occasione religionis projecerit, separetur; perseverans autem deponatur. »

XVII. Unde igitur vobis et ex quibus hæ horribiles infirmitates supervenerunt, o viri Romanorum sapientissimi et omnium aliarum gentium nobilissimi? Æstimo quod quidam ex Judæis in tempore apostolorum credentes, vana lucra cupientes et pecuniarum amatores reperti, volentes multos fidelium abstrahere ex Evangelio, hoc est, ex fidei prædicatione, corruptis dum prædixissent eis, in hoc et Christianitas et Judaismus corrupta sunt. De quibus Joannes fatus est : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum (*I Joan.* II, 19), » de his qui circa Simonem et Deman, Nicolaumque et Cleobium subtexendo. Reliqui autem verticum in septimo libro Institutionum juxta sextum decimum caput liquidius dixerunt : « Scimus enim, inquit, quia [illegible]

Digitized by Google

qui, circa Simonem et Cleobium et Judam, conscripserunt libros in nomine Christi et discipulorum ejus, circumferunt ad seductionem vestram, et eorum qui diligunt Christum, et nos servos ipsius. » Et in veteribus quidam conscripserunt libros apocryphos Moysi et Enoch et Adam, Isaiæ et David, et Eliæ, et trium patriarcharum, corruptiones facientes atque veritatis inimicos libros. Sed et Paulum Domini apostolum hæc præscientem, ut æstimo, sic ad vos ascendisse hujusmodi seductores, dolum texentes vobis, Philippensibus scribit : « Videte canes, videte malos operarios, videte abscissionem (*Philipp.* III, 2). » Et Timotheo iterum : « In ultimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus et doctrinis dæmonum, in hypocrisi loquentium mendacia, et incedentium propria conscientia, impedientium nubere, et abstinere a cibis quos Deus creavit (*I Tim.* IV, 1-3). » Et ea quæ exinde. Propter quod et Tito præcepit : « Argue eos, inquit, duriter, ut sani sint in fide, non attendentes Judaicis fabulis, et præceptis hominum subvertentium veritatem (*Tit.* I, 14). »

XVIII. Quamobrem diligentissime inquisivimus de cætero circa hæc, o fratres, ne aliquando ex his quæ dicta sunt et redarguta vobis mendacia, dico nunc azyma, Sabbatorum jejunia, nuptias sacerdotum et in jejuniis oblationes accipiatis; sed scientes A nunc, quod primum est eorum, ex omni a Deo inspirata Scriptura; fugite quæ hujusmodi sunt actitare, cum sitis Ecclesia Dei et totius orbis semper splendidus oculus, ut uniti nobis vestris confratribus : quos per jam dicta scidistis, cum sitis corpus Christi; revelata facie gloriam Domini in concentu et unitate cum orthodoxa fide conspeculemur, et imaginem ejus transformemus in nobis, viva demonstratione, et ipsius ad gloriam sempiternam, sicut a Domini spiritu, quoniam ipse est caput nostræ Ecclesiæ corporis; et in eo sicut in uno corpore, omnes nos conjungimur.

XIX. Hæc vobis Romanis. Si ergo possimus vos, cum sitis homines, ad credulitatem nobiscum reducere per ea quæ diximus, et docendo vos ex divina B Scriptura arguimus; gratia Dei, et vobis scientibus bene Spiritui sancto credere, et prosequi rationem jam dictam ex Scripturis. Si vero aliter tenetis, date nobis testimonia ex divina Scriptura consistentia : in quibus volo benevolos vos esse, ut super sedes intelligentiæ requiescatis, et nos, scientes obedire inenarrabili rationi spiritus, docere omnia quæ ad vos scripsimus. Salutamus vos in Christo Jesu Domino nostro, cui est gloria et potentia, cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Finis libelli Nicetæ, presbyteri et monachi monasterii Studii, contra Latinos.

INCIPIT

RESPONSIO SIVE CONTRADICTIO

IN EUMDEM LIBELLUM

A FRATRE HUMBERTO

EPISCOPO SILVÆ CANDIDÆ.

I. Si diligenter sanctæ Chalcedonensis synodi C quartum considerasses caput, quiete monastica et jejuniis atque orationibus in monasterio tuo contentus, nequaquam ecclesiasticis rebus communicasses, nec importunitatem intulisses. Quapropter sexcentorum triginta Patrum concordi decreto a communione es suspensus, ne per te nomen Domini blasphemetur. Decet enim unamquamque professionem se sub mensura sui habitus et gradus cohibere, ne conturbet ecclesiastici dogmatis ordinem totum, dum, non suo contentus officio, præripere quærit alienum. Sed væ tibi, Sarabaita, qui nulla cœnobitali examinatus disciplina, voluntate atque voluptate ductus propria, contra sanctam et Romanam et apostolicam Ecclesiam et omnium sanctorum Patrum concilia horribiliter latrasti, stultior asino, frontem Iconis, et murum adamantinum frangere tentasti! In quo utique conatu, non es victor erroris, sed victus errore; nec presbyter, sed inveteratus dierum malorum, et puer centum annorum maledictus; potius dicendus Epicurus, quam monachus. Nec credendus es degere in monasterio studii, sed in amphitheatro aut lupanari. Qui etiam vere prænominaris *pectoratus*, quoniam cum serpente antiquo super pectus tuum graderis. Quod, sicut quidam Patrum dixit : « Quicunque vult, intrat et solvit asinum : » ex abundantia enim cordis os loquitur (*Matth.* XII, 34). Deinde detestabilior omni veneficio, labia mortiferi poculi melle charitatis et bono odore humilitatis imbuens, ex prædictis virtutibus delectabile exhibuisti proœmium, ut prægustata dulcedo faceret inconctanter absorberi fel draconum et reliquum

Digitized by Google

venefícium. Sed væ ei qui potat amicum suum potione turbulenta! Quam ideo necessariam duximus subtiliori linteo colatum ire, ut modus concinnationis ejus, et potentia aliquatenus possit deprehendi, et deinceps caveri, quia ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.

II. Ecce in ipso livoratus tui vestibulo tria proposuisti : de azymo scilicet, de Sabbato et de sacerdotum nuptiis. Ex quibus tot et tanta evomuisti, ut in pervertendo divinas sententias non inferior videaris perversis et rabiosis canibus Juliano et Porphyrio. Denique divini eloquii scalam ad cœlos subrectam, quantum in te fuit, retorsisti ad inferos, ne cum angelis scanderes ad catholicos, sed cum apostatis descenderes ad hæreticos. Inde est quod, sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis sacrificio detrahens, falsissime definivisti nos mensam Judæorum comedere. Quod satis ostenditur in superiori nostra narratione, ubi commentis complicum tuorum, Michaelis scilicet Constantinopolitani et Leonis Acridani voluimus obviare. Nec est necesse eadem nos toties repetere. Quia stuppæ collectæ et paleæ conjectæ zizaniisque collectis una potest flamma sufficere. Unde ea tantum decrevimus leviter succendere, quæ solus videris plus illis congessisse.

III. Itaque quod dixisti consubstantialem et supersubstantialem idem esse, omnino est futile. Quia Dominus Jesus, quamvis nobis humanitate sit consubstantialis; sic et humanæ mensæ panes, licet sint consubstantiales sibi, mensæ tamen divinæ panis supersubstantialis est eis. Et, o mentite Deo, et aperte impugnator sancti Evangelii! ubi et quando dixit Veritas, veracis Patris Filius : « Cavete ab azymo fermento Pharisæorum? » (*Marc.* VIII, 15.) Numquid *azymum* quolibet modo potest dici *fermentum*, quando azymum dicatur, eo quod absque fermento sit? et ubicunque fermentum fuerit, necesse est ut aut fermentum efficiat, aut fermentum permaneat? Cum ergo fermentatum non sit sine fermento, nec fermentum aliquando possit esse sine ipso, quomodo saltem somniare ausus es azymum fermentatum? Sed quamvis talia dicendo telas araneæ texueris, muscas et culices seu vermiculos aberrantes his irretire poteris; non autem columbas simplices et oves recognoscentes vocem sui auctoris.

IV. Deinde, o subverse subversor, subvertere conatus sententiam apostoli Joannis dicentis : « Si dixerimus quia societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur et non facimus veritatem (*I Joan.* I, 6), » et cæteris nequius usus es hoc ejus testimonio, quam adulter oculo et latro ferro, quæ utique bona sunt. Illi enim lædere tentant aliquos, tu perdere cunctos. Unde et sic concludis : *Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat.* Sed idem Joannes intentionem tuam enarrans, luce clarius demonstrat, qui dixerit, subjungens : « Qui odit suum fratrem, in tenebris est, et in tenebris ambulat (*I Joan.* II, 9). » Hic plane liquet quod non ab apostolo sancto, sed ab apostata angelo accepisti, ut diceres : *Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat*, quia tota epistola illa, nec fermentatum nec azymum commemorat, sed solum charitatem.

V. Post hæc non minori sacrilegio abusus alio testimonio ejusdem apostoli dicentis : « Tres sunt qui testimonium perhibent in terra, Spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum sunt (*I Joan.* V, 7); » perverse conaris ad panem mensæ Christi transferre, quod ille de baptismo ejus voluit intimare. In baptismo siquidem hæc tria sunt, et unum baptisma efficiunt. Et Spiritus quidem sanctificat, aqua abluit, sanguis redimit. Si quodlibet horum defuerit, baptismus non erit, sicut venerabilis pater Augustinus ait : « Tolle aquam, non est baptismus. tolle verbum, non est baptismus. Sed accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. » Tu autem nequam pectorate, nequiter interpretando et depravando sententiam recumbentis super pectus Jesu, dixisti : *Et hi tres in uno sunt*, scilicet in corpore Christi, quod dilectus ejus, nec sensit, nec scripsit, sed, « hi tres unum sunt (*I Joan.* VII, 8), » secundum superiorem de baptismo sensum.

VI. Parva sunt hæc et pene nulla ad comparationem sequentis blasphemiæ, qua asserere laboras, quod tempore Dominicæ passionis et crucifixionis, quando sanguis et aqua de latere ejus exivit, sanctus et vivificus spiritus in delficata ejus carne remansit. Quod si constiterit, mortuus non fuit. Si mortuus non fuit, neque resurrexit. Si non resurrexit, inanis est fides et prædicatio nostra, quia nec nos resurgemus. Et sicut Apostolus ait : « Si ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? » (*I Cor.* XV, 32.) Ut quid enim quotidie tanta patimur? Comedamus et bibamus : imo bestialiter vivamus, eras enim ut bestiæ moriemur. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores omnibus sumus hominibus; sed absit hoc ab omni genere humano! Nam idem præclarus evangelista, qui hoc ipsum præsens vidit, attestatur carnem Christi vere exanimatam in cruce fuisse, dicens : « Et inclinato capite emisit spiritum (*Joan.* XIX, 30). » Porro Marcus et Lucas dicunt eum exspirasse (*Marc.* XV, 39; *Luc.* XXIII, 46). Unde et in symbolo confitemur *mortuum et sepultum*. Alioqui sepeliri non debuit, qui mortuus non fuit. Obmutesce, canis : linguam, canis improbe, morde; Christus enim vere mortuus est propter delicta nostra, et propter justificationem nostram (*Rom.* IV, 25) resurrexit a mortuis primitiæ dormientium (*I Cor.* XV, 20).

VII. Ecce pestifera doctrina, ecce diabolica suggestio, cujus tu signifer effectus conaris opiniones et adinventiones tuorum contra traditionem apostolicam, et contra manifestam veritatem defendere, dicendo : Aquam calidam et sanguinem de vivo et calido Christi corpore exisse, et ideo Græcos aquam

Digitized by Google

ferventem sanguine ejus jure miscere. Quod totum longe aliter est. Nam veraces evangelistæ concorditer narrant Dominum nostrum hora nona in cruce mortuum, et sero a Josepho postulatum depositum de ligno et sepultum. Ipso enim emittente spiritum, velum templi et petræ scissæ sunt, terra mota, monumenta aperta, et multa corpora sanctorum resurrexerunt. In tanta itaque perturbatione et quasi naufragio totius creaturæ, non solum latus Domini non fuit apertum lancea, sed etiam hi qui prius ei insultaverant, et ad spectaculum illud convenerant, viso terræmotu et his quæ fiebant, pectus suum percutientes, revertebantur. Adeo ut ipse centurio, cui traditus fuerat ad puniendum, diceret : « Vere Dei filius erat iste (*Matth.* xxvii, 54). » At ubi tumultus mundi conquieverat, et securitas aliqua rediit, cum jam sero esset, Pharisæi rogaverunt Pilatum ut propter solemnem diem Sabbati frangerentur crucifixorum crura et deponerentur. Tunc quoque Joseph rogavit Pilatum ut tolleret corpus Jesu. Pilatus vero mirabatur si jam obiisset. Et accersito centurione, ubi cognovit Jesum jam mortuum, donavit corpus Joseph. Porro milites ad præceptum Pilati fregerunt crura prioris et alterius latronis. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua, quibus formaretur Ecclesia, quemadmodum ex costa Adæ dormientis formata est Eva. Ecce si hora nona obiit, et sero, jam de cruce deponendus, lancea percussus fuit; sanguis fuit ille, naturaliter calidus non fuit, toto corpore jam præmortuo et frigido. Quod si aliquo modo caluit : Evangelium quare tantum miraculum et sacramentum tacuit? Unde vos novi symmystæ volumus dicatis an sanguis tantum, aut aqua tantum, an simul utrumque caluerit? Si sanguis tantum, quare aquam calefacitis; si aqua tantum, quare ex ea calefacitis sanguinem Christi? Si utrumque simul, quare utrumque simul non calefit? Sed cujus visu vel tactu potuit discerni, quodlibet horum duorum ex uno vulnere simul erumpentium, calidum aut frigidum fuisse? Præterea si aqua illa caluit, quare et aqua baptismatis non calefit, cum præcipue ipsa baptismum præfiguravit, sicut sanguis redemptionem? Volumus autem scire qua intentione costam Christi immaculatam dixeris? Si pro sanctitate et innocentia : optime; si autem pro eo quod impenetrabilis ferro fuit : pessime; quia de vero vulnere verum, non phantasticum, sanguinem pro nobis fudit. Et non de costa, sicut tu scribis, sed de latere, quia os sanguinem non solet emittere, nec os comminutum fuit ex Dominico corpore.

VIII. Cæterum quod panis sit et dicatur etiam azymus, et quod non cum Theupaschitis in sacra oblatione erremus, et quod non azymum veteris legis, sed sinceritatis et veritatis comedamus, quodque vetera transierunt, et facta sunt nova, satis ostenditur in alia nostra epistola.

IX. Tu vero maledicte et maledictus sermo oris tui, sanctam legem, sicut Severianus, maledictam dixisti. Nec mirum, cum etiam panem tuum laudare supra modum cupiens, nimium vituperasti illum dicens : « Modicum fermentum totam massam corrumpti, et panis tandem, non azymum efficitur. » Deo gratia, quia azymum non efficitur de massa fermento corrupta, sicut tuus panis. Nam corruptio nunquam et nusquam in bonum accipitur; quia ubicunque corruptio, ibi etiam substantiæ deterioratio. Quinetiam cum exponeres sententiam beati Pauli, quam post tot orthodoxos Patres, nobis nolumus ab hæreticis exponi, quamvis nolens azymum laudasti dicens : Sicut estis baptizati, id est, azymi et puri. Si ergo secundum tuam confessionem baptizati sunt azymi, quid sunt non baptizati, nisi fermentati, id est, corrupti?

X. Dic tamen ubi et quomodo Paulus cum undecim apostolis canones illos cum excommunicatione exposuit, quorum tu nobis septuagesimum caput objicis? omnino nesciens quid loquaris : « Si quis, inquit, episcopus aut presbyter aut diaconus, aut omnino ex numero clericorum jejunaverit cum Hebræis, aut epulatus fuerit cum eis, et acceperit festivitatum eorum munera, ut sunt azyma, aut aliud hujusmodi, deponatur; laicus autem sequestretur. » Etiam si hoc capitulum ex libris authenticis prolatum esset, nullo modo nos tangeret, quia nec cum Hebræis jejunamus, nec cum eis epulamur aut festivitatum eorum munera aliqua accipimus. Quod autem tu vesane subjungis : Sive ab illis accipiatis, sive domi faciatis, azyma sunt. Id jaculum tibi retorquemus dicentes : « Sive cum Hebræis Sabbato epulemini, sive domi, epulatio est. » Sane hoc dignius contra vos dirigeretur, quia vos nihil aliud in Sabbato quam solemnitatem Judæorum, nos autem in azymo longe aliud sacramentum retinemus et amplectimur. Si enim interrogemus Judæos, quid celebrent in Sabbato? Respondebunt : « Requiem Domini. » Si Græcos, idem et non aliud dicent. Ergo sub servitute legis sunt. In cujus umbra et tenebris consederunt.

XI. Deinde post inanes latratus super vocabulo panis, reduxisti nobis annos ab initio mundi, usque ad passionem Christi, quando secundum te cyclus solaris erat XVIII et lunæ V : ut hoc saltem figmento possis evadere cum fermento tuo, quasi juxta hanc supputationem tuam, occurrat in Cœna Domini luna XIII, in qua nondum fermentum abjecerat plebs Hebræa. Sed nos chronographis et calculatoribus talia relinquentes, maxime cum apud Græcos et Latinos atque Hebræos diversæ de temporibus habeantur rationes : hoc tantum dicimus, quia Christus nec unum iota aut apicem veteris legis resolvit. Unde et XIV luna ad vesperum quinta Sabbati Pascha celebravit, et mox eadem nocte comprehensus, crucifixus est quintadecima luna, id est sexta Sabbati, quæ specialiter dicebatur prima dies azymorum. Quamvis et in tota præcedente die, id

Digitized by Google

est quarta decima luna, fermentatum non appareret in omnibus finibus Israel. Nam et agnus cum azymis comedebatur. Quod si juxta tuam assertionem Christus Pascha fecit tertiadecima luna cum fermentato, dupliciter reus fuit; juste puniendus secundum legem, quia Pascha fecit in tempore non suo, et quia cum fermentato. Quapropter mors ejus nihil nobis conferet, qui non pro nostris sed pro suis peccatis interiit, scilicet quia fuit transgressor sanctæ legis. Sed de his alias copiose disseruimus.

XII. Deinde si exceptis septem diebus Judæi toto anno fermentatum, ut asseris, comedunt, quis convenientius debet argui, ille qui minimo tempore eos imitatur in azymis, an ille qui toto anno in fermentatis? Absit tamen ut eorum carnalem ritum in aliquo imitemur!

XIII. Verum quoniam labyrintheo errore duceris, ut nunc qua exibas intres, nunc qua intrabas exeas, iterum eamdem viam teris, dicens : « Si traditum vobis fuit ab apostolis comedere azyma, quomodo Agatho papa vester, præsessor sanctæ sextæ synodi, cum Gregorio Agrigentinorum episcopo et aliis Patribus, contra azyma ne fierent legem statuit? » Audi, stulte, vane : non tantum ab apostolis, quantum ab ipso Domino nostro Jesu Christo traditum est nobis, azyma non de Phase Judaico comedere, sed de Pascha Christiano percipere.

XIV. Nec rei tenemur illo quod objecisti cap. 11 sextæ synodi, dicens : « Nemo in sacerdotali constitutus ordine, aut laicus ea quæ apud Judæos sunt azyma comedat, aut cum eis habitet, aut in infirmitatibus eos invitet, aut medicinam ab eis accipiat, vel in balneis cum eis lavetur. Si quis hæc egerit, siquidem clericus fuerit, deponatur : si autem laicus, sequestretur. » Quis nostrum, rogo, azyma quæ apud Judæos sunt comedit? Quamvis enim reliqua capituli hujus observemus, illud tamen super omnia de azymis observamus.

XV. Sed quid dices? Nonne magnus Basilius a Joseph Judæo medicinam multoties accepit? tu autem sicut diabolus psalmum, ita exponendo capitulum subjunxisti : « Qui ergo azymum confleit et comedit, quamvis hoc non acceperit a Judæis, imitator tamen Judæorum est, sicut et is qui circumciditur. » Perdes, Domine, omnes qui loquuntur mendacium! (*Psal.* v, 7.) Nunquid omnibus omnino Christianis interdicitur ne aliquando alicubi azyma comedant, sicut interdicitur ne se aliquando circumcidant? Quare hoc? quia in his imitantur Judæos? Concedimus tamen circumcisionem solum fuisse Judæorum : verumtamem azyma omnium gentium, quæ tu malitiose non solum a divina, sed ab humana mensa omnino repellis. Sed quid facies, o fermentate? Judæi, ceu superius asseruisti, exceptis septem diebus toto anno fermentatum comedebant, et aliquando offerebant. Nunquid et hoc tolles hominibus?

XVI. Hinc videamus si non estis Sabbatiani, quos commemorant Patres sanctæ quinisæ synodi. Reprehendens enim nos cur jejunemus Sabbatis, dicis : « Quarta et sexta feria jugiter jejunandum : una propter traditionem, altera propter passionem Domini, Sabbato autem nunquam nisi uno. » Et hoc asserere conaris ex apocryphis libris et canonibus pari sententia sanctorum Patrum repudiatis. Nam Clementis liber, id est, itinerarium Petri apostoli et canones apostolorum numerantur inter apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt regulis orthodoxis adjungenda. Unde nos quoque omnes apocryphos abjicientes, dedignamur audire eorum fabulosas traditiones, quia non sunt ut lex Domini. Quapropter his omissis, in altera epistola, vide quid sentierint de Sabbato beati et antiqui pontifices Romani, Silvester et Innocentius, quorum sententiæ sententia Agathonis quamvis sanctissimi nullatenus præfertur. Sed absit ut aliquando contraria eis Agatho sensisset! Et tamen in hoc, sicut et in aliis falleris, quod eum præsessorem illius synodi fuisse dicis, cum tantum legati ejus eidem synodo præsederint. Cujus gesta hic summatim placuit inseri.

XVII. Tempore Constantini, filii Constantini imperatoris, anno imperii ejus septimo decimo, Agatho papa, ex rogatu Constantini, Heraclii et Tiberii principum piissimorum, misit in regiam urbem legatos suos. In quibus erat Joannes Romanæ Ecclesiæ tunc diaconus, longe post episcopus, pro adunatione facienda sanctarum Dei Ecclesiarum. Qui benignissime suscepti a reverendissimo fidei catholicæ defensore Constantino, jussi sunt remissis disputationibus philosophicis, pacifico colloquio de fide vera perquirere, datis eis de bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum Patrum, quos petebant, libellis. Adfuerunt autem et episcopi 150, præsidente Gregorio regiæ urbis præsule et Antiochiæ Machario. Et convicti sunt qui unam voluntatem et operationem astruebant in Christo, falsasse Patrum catholicorum dicta per plurima. Finito autem conflictu, ea hora tantæ aranearum telæ in medium populi ceciderunt, ut omnes mirarentur. Ac per hoc significatum est quod sordes hæreticæ pravitatis depulsæ essent. Et Gregorius quidem correctus est, Macharius autem cum suis sequacibus simul et prædecessoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo et Petro anathematizati, et in loco ejus Theophanius abbas de Cilicia episcopus factus. Tantaque gratia legatos catholicæ pacis comitata est, ut Joannes Portuensis episcopus, qui erat unus ex ipsis, Dominica octavis Paschæ missas publicas in ecclesia Sanctæ Sophiæ coram principe et episcopo ipsius urbis Latine celebraret. Eo tempore Damianus Ticinensis Ecclesiæ episcopus sub nomine Mansueti episcopi Ecclesiæ Sancti Michaelis, satis utilem rectæque fidei epistolam composuit, quæ in præfata synodo non mediocre suffragium tulit.

XVIII. Recta autem et vera fides hæc est : Ut in

Digitized by Google

Domino nostro Jesu Christo sicut duæ sunt naturæ, A hoc est, Dei et hominis, sic etiam duæ credantur esse voluntates sive operationes. Vis audire quod deitatis est? « Ego, inquit, et Pater unum sumus (*Joan.* x, 30). » Vis audire quod humanitatis? « Pater major me est (*Joan.* xiv, 28). » Cerne secundum humanitatem cum in navi dormientem. Cerne ejus divinitatem cum evangelista dicit : « Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna (*Matth.* viii, 26). »

XIX. Hæc est sexta synodus universalis Constantinopoli celebrata et Græco sermone conscripta, temporibus papæ Agathonis, exsequente ac residente piissimo principe Constantino intra palatium suum, simulque legatis apostolicæ sedis et episcopis 150 residentibus, qui omnes quidem hæresim damna- B verunt. Tunc piissimus princeps Constantinus interrogavit eos qualiter Romana Ecclesia de sacrificio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi ordinem teneret? Illi responderunt : « In calice Domini non debet solum offerri vinum, sed aqua mistum. Nam si solum vinum offertur, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Et si aqua pura offertur, sola plebs incipit esse sine Christo. Quando utrumque admiscetur, id est, vinum et aqua, tunc sacramentum spirituale perficitur. Oblatio vero quæ in sacrificium altaris offertur, nullam commistionem aut corruptionem fermenti debet habere, sicut beata virgo Maria absque omni corruptione Christum concepit et peperit. Hinc in Ecclesia mos obtinuit ut sacrificium altaris non in serico aut in panno tincto, C sed in lino terreno celebretur, sicut corpus Domini fuit in sindone munda sepultum. Sic et oblatio munda debet esse a fermento, juxta quod in gestis pontificalibus a beato Silvestro legimus esse statutum. » Tunc placuit piissimo principi Constantino hæc traditio apostolicæ sedis. Ecce istius et sex cæterarum synodorum omnibus sanctis Patribus et orthodoxis imperatoribus, per omnia placuit fides et traditio apostolicæ sedis. Et tu qui es, cui displicet? Sed volumus dicas : Videturne tibi congruum ut omni quarta et sexta feria jejunes propter traditionem et passionem Christi, et propter sepulturam nullo Sabbato, nisi uno? Cum ergo omni Dominica celebres resurrectionem, omnique quarta et sexta feria jejunes propter traditionem et crucem; cur D non et omni Sabbato propter sepulturam, cum de celebrando Sabbato nullam rationem teneas, nisi quam Judæi, scilicet quia in eo requievit Deus? Qui utique fatigatus non est, verbo creans quidquid voluit, sed in hoc nostram requiem præfiguravit. Quod si uno Sabbato in toto anno jejunandum est, propter sepulturam Christi, ergo et una quarta feria propter traditionem, et una sexta feria propter passionem, in toto anno est jejunandum. Una quoque Dominica propter resurrectionem celebranda.

XX. Non autem mirum si Agathoni papæ et sanctis Patribus sextæ synodi vestra imputatis deliramenta, et quæ aut finxistis capitula, cum etiam ipsi Domino Jesu et apostolis ejus imputetis figmenta Unde nos, scientes sextam synodum ad destruendam hæresim Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas institutiones congregatam, capitula quæ nobis sub ejus auctoritate opponitis, omnino refutamus, quia prima et apostolica sedes, nec aliquando ea accepit, nec observat hactenus; et quia aut sunt nulla, aut, ut vobis libuit, depravata sunt. Depravastis Joannis Chrysostomi atque Gregorii theologi aliorumque orthodoxorum Patrum dicta, et exhibuistis in eadem synodo sexta. Nempe a prima synodo Nicæna usque ad hanc sextam trecenti et amplius anni dicuntur evoluti. Et quomodo in Nicæna et reliquis quatuor synodis universalibus nulla mentio fit de tam necessariis rebus? Nunquid usque ad sextam synodum Græci et Latini rationem missæ ac jejuniorum ignoraverunt, et per sexcentos et amplius annos a passione Christi in talibus errarunt? An forsan Græci hæc noverunt, et Romani ignoraverunt? Sed ex Missalibus Romanorum libris, ab omni Ecclesia Occidentali antiquitus receptis, evidenter cognoscitur quam rationem jejunii et missæ habuerint sub reverendissimis pontificibus, Silvestro scilicet auctore Nicænæ synodi, Gelasio damnatore vestri Acacii, maximeque Gregorio dialogo, compatre imperatoris Mauritii. In cujus libris Missalibus omnis dies Quadragesimæ habet specialis missæ plenarium officium, et, excepta Dominica, nullus dies ejus solvit susceptum jejunium, quam traditionem si tentasset papa Agatho aliquatenus removere Romanis, non audiretur ab eis. Quia, licet ipse magnus exstiterit, præfatis tamen decessoribus suis sicut tempore, ita scientia et auctoritate minor fuit. Quamobrem caput quo asseritis eum promulgasse ut si quis clericus jejunaret Sabbatum præter unum, deponeretur, magis dicendum est Nazarenorum esse quam apostolorum, Cherinti et Hebionis quam sextæ synodi et papæ Agathonis. Cui sane capitulo epistola Pauli aperte contradicit, ubi ait : « Nemo vos judicet in cibo aut potu aut in parte diei festi, et neomeniæ et Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum. » Unde Romani proprio auctori et magistro gentium in fide et veritate obedientes, nulli Sabbato festum vel otium dependunt, sicut nec neomenia, quia profecto Judaica sunt, et utique umbra futurorum.

XXI. Porro unde acceperimus omni die jejuniorum perfectam missam facere, supra curavimus ostendere : nec timemus caput quod dicitis apostolorum de his qui non jejunaverint Quadragesimam, quarta quoque et sexta feria, qua, excepta gravissima infirmitate, sollicite cuncti jejunamus diebus Quadragesimæ, adeo ut interdum decennes pueros nobiscum faciamus jejunare, nec solvimus per Sabbata quadragesimalem abstinentiam, quam Dominus noster non solvit in quadraginta jejunii sui diebus. Nec solveremus etiam in die Dominica, quemadmodum nec ipse, nisi præ gaudio resurrectionis ejus hoc inter-

Digitized by Google

dixisset ab initio omnium catholicorum Patrum sententia, etiam cum anathemate. Quos secuti sancti Patres Gangrensis concilii dixerunt : « Si quis non dijudicans diem Dominicam, jejunaverit tanquam in ejus contemptu, anathema sit. » Ubi certe sicut eis attestantur omnes autenthici libri, non contradicunt jejunio Sabbati, sed Dominicæ diei.

XXII. Sed, o perfide Stercorianista, qui putas fideli participatione corporis et sanguinis Domini quadragesimalia atque ecclesiastica dissolvi jejunia, omnino credens cœlestem escam velut terrenam per aqualiculi fetidam et sordidam egestionem in secessum dimitti, plane sentis cum Ario. Qui cum pro aliis blasphemiis in Filium Dei, tum etiam pro ista, foveam delapsus in atram, visceribus fusis vacuus quoque ventre remansit. Et ubi est Salvator qui dans discipulis panem a se benedictum et fractum dixit : « Accipite et comedite, hoc est corpus meum? » (*Matth.* xxvi, 26.) In quo quid traderet, alibi dicit : « Panis quem ego dedero, caro mea est, pro mundi vita (*Joan.* vi, 52) : » et; « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (*Joan.* vi, 56). » Quomodo verus? Quia « qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam (*Joan.* vi, 55). » Et quæ est vita æterna? Nempe Christus Jesus, sicut ipse dicit : « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* xiv, 6). » Qui ergo panem Dei manducat, carnem Dei Christi manducat. Qui autem carnem ejus manducat, Christum manducat; qui Christum manducat, procul dubio vitam æternam manducat. Ergo, o pestifer leno antiqui serpentis, qui conaris astutia tua corrumpere sensus Christi sponsæ, quæ est Ecclesia, ut excidatur a charitate tanti et talis sponsi, credis nos vitam incorruptibilem comedentes, corrumpere integritatem jejuniorum, velut aliquo cibo corruptibili?

XXIII. Horremus quidem dicere, sed compellimur a tua impudenti improbitate. Conaris Christum, imo ipsam vitam per digestionem sicut cœnum olidum demittere in latrinam. Et ubi est, quod dixit : « Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo? » (*Joan.* vi, 57.) Sine qua refectione quia non habetur vita, ipsa Vita, quæ est Christus, quasi quodam jurejurando protestatur dicens : « Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Ibid.*, 54). » Nunquid hic dixit : Si manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, dissolvetis jejunium? Et utinam hoc solo sacramento, non ad judicium nostrum, omni hora reficeremur! Sed quia corpore corruptibili, et nimia miseria conscientiæ nostræ gravati, etiam bonum nostrum nequimus sufferre, a sanctis Patribus certæ ad percipiendum tantum sacramentum præfixæ sunt horæ. Quod ne vilescat carnalibus, et in percipiendo escam spiritus submurmuret aliquis carnis appetitus, cum summa parcitate prægustamus; videre tantummodo cupientes quam suavis est Dominus, cujus panis non vult, sicuti nec manna fastidium. Nec dubitandum in quantulacunque portione ejus fideles manducare sibi totam vitam, id est Christum, infideles autem mortem, id est, judicium suum, utpote qui rei sunt corporis et sanguinis Domini. Deinde quotidie sive tertia, sive nona, sive quacunque hora fiat a nobis missa, non fit nisi perfecta. Nec reservatur ex oblatione ejus pars aliqua, ut per dies quinque agatur missa imperfecta. Quia nec sancti apostoli leguntur quidquam ex illo primo corporis et sanguinis Christi mysterio sub ipsa cœna distributo reservasse, nec actus eorum indicant eos aliquando tale quid egisse aut præcepisse. Quinimo, sicut Lucas narrat : « Erant fideles perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis (*Act.* II, 42). » Quæ communicatio qualiter et quibus diebus fieret, post pauca demonstrat, dicens : « Quotidie perseverantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem sumebant (*Ibid.*, 46). » Ecce verax evangelista testatur sub apostolis fideles quotidie orasse et panem fregisse. Et vos, qui estis, qui dicitis duobus tantum diebus hebdomadis missam perfectam fieri debere, reliquis vero quinque imperfectam? Nempe hic in panis fractione et communicatione, non nisi perfectam actionem missæ debemus accipere, quemadmodum et ipsum Dominum legimus, non imperfectam, sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse, in pane a se benedicto et mox fracto et distributo. Non enim benedixit tantum et servavit frangendum in crastinum, nec fregit tantum et reposuit, sed fractum statim distribuit. Unde beatus Alexander martyr et papa V ab apostolo Petro, passionem Domini inserens canoni missæ, non ait : Hoc quotiescunque feceritis, sed « Hæc quotiescunque feceritis, id est, benedixeritis, fregeritis et distribueritis, in mei memoriam facietis, » quia quodlibet horum trium, si sine reliquis fiat, scilicet benedictio sine distributione, aut fractio sine benedictione et distributione, perfectam Christi memoriam non repræsentant, sicut distributio nulla sine benedictione et fractione. Quod autem quotidie et quotacunque hora diei, non autem sola tertia perfectam missam agimus, auctoritatem tenemus ex verbis ipsius Domini juxta beatum Paulum dicentis : « Hoc facite quotiescunque sumitis, in meam commemorationem (*I Cor.* xi, 25). » Unde mox idem Apostolus secutus adjecit : « Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis (*Ibid.*, 26). » Et quandiu? *Donec veniat* (*Ibid.*) : scilicet judicare vivos et mortuos. Putasne alicubi dixerit : Hoc facite hora tertia in meam commemorationem? Non utique, sed nullam horam aut tempora excipiens dixit : *Quotiescunque*. Nec ipse Paulus jejunia aliqua aut certam quamlibet evolutionem annorum attendens ait : Quotiescunque per tot annos hora nona manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis; sed indifferenter : *Quotiescunque;* et : *Donec veniat.*

XXIV. Nec nescimus sanctos Patres diei Domi-

Digitized by Google

nicæ et præcipuarum solemnitatum missas hora tertia celebrasse solitos, propter Spiritus sancti effusionem hora tertia in discipulos, et hoc mandasse ad posteros quatenus illa unius actio missæ gemino privilegio insigniretur : resurrectione videlicet Christi et adventu Paracleti, utque propter gaudium festi temporibus relaxarentur cunctis frena jejunii. Verumtamen alia causa est Dominicæ diei, ac solemnitatum, alia jejuniorum; si ergo hora nona aut vespertina diebus jejuniorum, perfecta agitur missa, nulla procul dubio inde contrahitur noxa, quia et Dominus in cœna ad vesperum primam et perfectam administrationem tanti sacramenti discipulis instituit, et hora nona spiritum tradens sacrificium vespertinum expansis manibus in cruce, et præmissa oratione ad Patrem consummavit. Propterea quamvis hora tertia et nona propter supradictas rationes sint aptiores missarum actioni, quotiescunque tamen horis aliis fiunt occupatione itineris, aut gratia cujuslibet necessariæ rei, in memoriam fiunt Christi; nec violatur inde integritas jejunii. Quod utique beatus Thelesphorus papa a Petro septimus sentiens, etiam nocte Nativitatis Domini missas celebrari instituit, nec ullam resolutionem jejunii ante horam tertiam et diurnam missam inde fieri, sicut vos perverse putatis, timuit. Dicite autem, si potestis, cur Sabbatum et cæteræ extra Dominicam feriæ hora tertia missam debeant habere, cum in eis Spiritus sanctus non legatur descendisse. Itaque nos, sicut supra ostenditur, divina auctoritate subnixi, nec jejunia resolvimus in celebratione missæ quotacunque hora diei fit; nec in aliquo natalitio martyrum, sed nec in Annuntiatione Mariæ virginis. Et ideo nullus universalis synodi percellimur anathemate. Cæteri autem quamvis sanctorum Patrum conventus, etsi potuerunt de utilitate et conversatione Ecclesiarum suarum tractare, nullas tamen traditiones universali Ecclesiæ præfigere. De papa quoque Agathone omnino scimus quia nec sextæ synodo per seipsum præsedit, nec aliquibus capitulis ejus subscripsit, nisi quæ promulgata fuerunt adversus Monothelitarum hæresim. Vos videte unde hæc quæ proponitis habeatis, quia Ecclesia Romana talia hactenus ignoravit. Nec credi potest post tot annos Romanorum pontificem Græcis promulgasse aliquas de missa observationes. Deinde ritum vestræ discere non curamus, quia minimam cautelam et maximam negligentiam ei inesse cognoscimus, dum sanctum panem frangentes et sumentes, hinc inde decidentes micas non curatis. Quod etiam solet contingere, dum patinas sanctas foliis palmarum et porcorum setis fricatis inhoneste. Multi quoque vestrum tam irreverenter corpus Christi reponunt, ut pyxides inde cumulent, et ne decidat aut superfluat, manu inculcant. Reliquias quoque oblationis, velut communes panes, nonnunquam usque ad fastidium sumunt. Et si sumere non sufficiunt, subterrant, aut in puteum projiciunt. Si autem, ut dicis, panem jam pridem oblatum et sanctificatum exaltatis altera die, unam oblationem videmini bis offerre. Et cur non attendistis in epistola papæ Clementis, cujus traditiones, ut putatis, contra nos defenditis, quod illi promulgasse putatur? « Certe, inquit, tanta in altario holocausta offerant, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore et tremore clericorum cautela et diligentia consumantur. » Ad hæc quod asseris, vos ab ipsa sancta communione statim ad communes cibos transire, non sic sensisse idem Clemens invenitur in præfata epistola, ubi de his qui residua sacrificii consumpserint subjecit : « Qui autem, inquit, residua corporis Domini quæ in sacrario relicta sunt consumunt, non statim ad communes accipiendum cibos conveniant, ne putent sanctæ portioni esse commiscendos cibos qui per aquaticuli egestus in secessum funduntur. Si igitur mane Dominica portio in sacrario edatur, usque in sextam jejunent ministri qui hæc consumpserint. Et si tertia aut quarta, jejunent usque in vesperum. » In quibus sane verbis liquet quod non solum hora tertia, sed etiam mane hora quarta missas fieri licet, quodque ex sacrificio jejunium non solvitur, dum illic dicitur, ut qui consumpserint usque ad sextam vel vesperum : alioqui quomodo jejunabant, si ex sacrificio jejunium solverunt? Deinde abstinentiam paucissimorum nobis prædicantes, tacetis ingluviem multorum, qui aut parum aut nihil Quadragesimalis jejunii Deo offerunt, dum a primo mane usque vesperum crapulari non metuunt nec erubescunt. Aliqui etiam ad Ecclesiam legumina et alia obsonia deferentes inibi comedunt, nec Paulum attendunt dicentem : « Qui esurit, domi manducet (*I Cor.* XI, 34); » et : « Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent? » (*Ibid.* 22.) At nos Quadragesimam unius septimanæ, quam dicitis sancti Theodori, nescientes, solam Quadragesimam Domini nostri Jesu Christi quadraginta diebus diligenter observare contendimus, quam ut aliquis, excepta gravi infirmitate, in aliquo infringat sufferre nequimus. Nec licet cuiquam apud nos, sicut apud vos, post unam refectionem quidquam pomorum aut herbarum diebus jejuniorum percipere.

XXV. Hinc perpendentes a te tam perverse defendi adulteria potius quam nuptias sacerdotum, arbitramur ab inferis emersisse principem hujus hæresis nefandum diaconum Nicolaum. De quo Epiphanius vester sic scripsit : « Quarta Nicolaitarum a Nicolao hæresis est adinventa, uno ex septem diaconibus ab apostolis ordinato. Iste cum zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, docere cœpit indifferenter uti conjugibus, non solum laicos, sed etiam qui sacerdotii fungerentur officio. Hos damnavit sanctus evangelista et apostolus Joannes, et jussit ut quicunque cum eis vel sermonem colloquii miscuissent, ex hoc ipso communione privandos. Docens rationabiliter a mundi origine Deo castitatem plurimum placuisse. Tunc etiam in seipso Christum Dei

Digitized by Google

Filium castitatis gloriam dedicasse, cum, virginem possidens matrem virgo mansurus, nullum discipulorum suorum commistione etiam legitima conjugii uti permisit, dicens : « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum » sibi, « et tollat crucem suam et sequatur me (*Matth.* XVI, 24). » Unde idem Dominus Jesus in Apocalypsi præcipiens apostolo Joanni scribere angelo Ephesi, inter alia inquit : « Hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et « ego odi (*Apoc.* II, 6). » Hinc etiam angelo Pergami dicit : « Habeo adversum te pauca, quia habes « illuc tenentes doctrinam Baalam, qui docebat Ba- « alac mittere scandalum coram filiis Israel, edere « et fornicari : ita habes et tu tenentes doctrinam « Nicolaitarum (*Ibid.*, 14, 15). »

XXVI. Sufficerant quidem hæc, o Nicolaita Niceta, ad convincendum errorem, sed quia canonibus sub nomine apostolorum editis nos urgere videris : exponere tibi tua capitula decrevimus, quamvis ea inter apocrypha usque nunc magna ex parte computaverimus, ut aperte cognoscatur nec apocryphis nec authenticis vos vestras ineptias posse defendere. Ante omnia autem comprobamus te esse mentitum ipsi veritati, in eo quod dixisti nostros prius ordinari, deinde uxores sortiri. Quia apud nos nec ad subdiaconatus gradum quisquam admittitur, nisi perpetuam continentiam etiam a propria conjuge profiteatur. Nec post gradum cuiquam uxorem ducere unquam conceditur. Sed tu Ecclesiam Dei volens efficere synagogam Satanæ et prostibulum Balaam et Jezabel, cum Nicolao dicis : « Episcopum et presbyterum et diaconum dicimus, qui unam habet uxorem, ordinari, quamvis vivant eorum conjuges, quamvis defunctæ. Nec licet eos post manus impositionem innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire, aut, si nupserint, alteras amplecti, sed sufficere eis quas habent cum ad ordinationem venerunt. » O abominabilis Cynice, quomodo non erubuisti tantum nefas evomere? Ergo non licet aliquem post manus impositionem sine uxore esse? Si ita est, ipse Joannes apostolus et Paulus et Barnabas et omnis continens in gradu ecclesiastico in culpa est procul dubio. Unde necesse est ut futurus episcopus, presbyter, diaconus et subdiaconus, prius uxorem sortiatur, quæ sibi sufficere debeat ad carnales amplexus? Nunquid laicis non sufficit una? nisi forte discipulis maligni Muhamed, cujus farinæ totus es. Tu quoque quia presbyter es, sine uxore esse non debes, secundum assertiones tuas.

XXVII. Sed jam videamus capitula quibus putas posse defendi adulteria sacerdotum, non conjugia. « Episcopus, inquam, presbyter aut diaconus uxorem suam non abjiciat obtentu religionis. Si autem abjecerit, sequestretur, perseverans autem deponatur. » Omnino confitemur non licere episcopum, presbyterum, diaconem vel subdiaconem uxorem propriam causa religionis abjicere a cura sua, scilicet ut ei victum et vestitum provideat, non ut cum illa ex more carnaliter jaceat. Sic et sanctos apostolos legimus egisse, beato Paulo dicente : « Nunquid non habemus potestatem, sororem mulierem circumducendi, sicut fratres Domini et Cephas? » (*I Cor.* IX, 5.) Vide insipiens, quia non dixit : Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi, scilicet ut de mercede prædicationis sustentaretur ab eis, nec tamen foret deinceps inter eos carnale conjugium. Præterea cur aliquis laicus uxoratus dubitabit ad ecclesiasticos gradus ascendere, cum ei una, sine qua esse non debet, possit ad carnales amplexus sufficere? Et quare tu, qui tantopere Clementis capitula proponis, epistolam ejus de qua superius diximus, non attendis? Ibi enim ita dicitur : « Tribus gradibus divinorum commissa secretorum « sunt sacramenta, id est, presbyteris, diaconibus et subdiaconibus. » Et post nonnulla : « Ministri altaris ad Dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem conjuges noverunt, scilicet si semper continere voluerint. Quod si post ordinationem contigerit ministrum propriæ invadere cubile uxoris, secretarii non terat limina, nec sacrificii portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausta vel oblationes suscipiat, nec ad Dominici corporis portionem accedat. Aquam sacerdotum porrigat manibus, ostia forinsecus claudat; minora tantum gerat officia, urceum sane ad altare non suggerat. »

XXVIII. Porro synodus Nicæna omnino venerabilis et authentica, sic de suis actis, id est, subintroductis habet : « Omnimodis interdicit sancta synodus, et neque episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque ulli omnino clericorum permittit habere secum mulierem extraneam, nisi forte mater sit, sororve aut amita. In his namque personis et horum similibus omnis suspicio declinatur. Qui autem præteragit, periclitabitur de ordine suo. »

XXIX. Beatus quoque papa Innocentius latius hinc scribens Exsuperio episcopo Tolosano dicit : « Proposuisti quid de his observari debeat, quos diaconii ministerio, aut in officio positos incontinentes esse aut fuisse generati filii prodidere. De his et divinarum legum est disciplina, et beatæ recordationis viri Siricii episcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus positi omni honore ecclesiastico privarentur, nec admitterentur accedere ad ministerium quod sola continentia oportet impleri. » Idem ad Victricium episcopum : « Præterea quod dignum et pudicum et honestum tenere Ecclesia omnimodo debet, ut sacerdotes et levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim : « Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus Deus vester (*Levit.* XI, 44). » Nam priscis temporibus de templo Dei anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem, uxorius usus fuerat relaxatus; quia ex alia tribu et propter semen Aaron ad sacerdotium nullus fuerat permissus acce-

Digitized by Google

dere. Quanto magis hi sacerdotes vel levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec præterit dies qua vel a sacrificiis divinis aut baptismatis officio vacent? Nam si Paulus ad Corinthios scribit, dicens : « Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi (*I Cor.* VII, 5); » et hoc utique laicis præcepit; multo magis sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere : qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia exaudiri posse se credit? cum dictum sit : « Omnia « munda mundis; coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum (*Tit.* I, 15). » Sed fortasse hoc licere credit, quia scriptum est : « Unius uxoris virum (*I Tim.*, III, 2). » Non propter permanentiam in concupiscentia generandi hoc dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait : « Vellem autem omnes esse sicut et ego (*I Cor.* VII, 7). Et apertius declarat dicens : « Qui autem in carne sunt, Deo placere non « possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in « spiritu (*Rom.* VIII, 8). » Et habentem filium, non generantem dixit. »

XXX. Et venerabilis papa Siricius : « Feminas non alias esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantum quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem synodus Nicæna permisit. »

XXXI. Sanctus deinde Leo papa mirabilis doctor et sanctæ Chalcedonensis synodi auctor, omnem ambiguitatem hujus rei abscindens ait : « Lex continentiæ eadem est altaris ministris, quæ episcopis atque presbyteris. Qui cum essent laici, sive lectores, licite et uxores ducere et filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenere gradus, cœperunt eis non licere quæ licuerunt. Unde ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant sic habere : quo et salva sit charitas connubiorum, et cessent opera nuptiarum. » Ecce isti cum Petro et per Petrum effecti clavigeri regni cœlorum, ita confringunt omnes claviculas infernalium portarum, ut nulla jam supersit hæresis Nicolaitarum.

XXXII. Sed ne quid minus factum dicas, seriatim et aperte prosequemur, quid Romana Ecclesia in gradibus clericorum agat. Clericos tantum ostiarios, lectores, exorcistas, « t acolythos, si extra votum et habitum monachi inveniuntur et continentiam profiteri nolunt, uxorem virginem ducere cum benedictione sacerdotali permittit : non autem viduam et repudiatam; quia propter hoc solum deinceps nec ad subdiaconatum provehi poterunt, nec laicus non virginem sortitus uxorem, aut bigamus ad clericatum. Quod si quis præfatorum ordinum desiderat ad subdiaconatum ascendere, nequibit hoc sine consensu uxoris suæ, ut de carnali deinceps fiat conjugium spirituale, nemine eos ad hoc cogente. Nec permittitur postea uxor jungi eidem suo marito carnaliter, nec cuiquam nubere in vita aut post mortem illius, alioqui anathematizanda est : sicut et diaconus, et subdiaconus, et presbyter aut episcopus deponendus suam repetens, aut extraneam ducens, juxta quod in Neocæsariensi concilio orthodoxi sanxere Patres.

XXXIII. Talibus ergo traditionibus usque nunc sancta Romana Ecclesia et apostolica sedes omni mundo refulsit, nec aliquando Judaicis fabulis et apocryphis scripturis acquievit, sed per primos apostolorum in ipso summo angulari lapide Christo Jesu fundata, nullis hæresibus cessit, nec prohibuit a conjugio laicos : sed sacri altaris ministros et apostolicam perfectionem professos monachos.

XXXIV. Illa tamen Ecclesia, quam Arius corrupit, Macedonius prostituit, quæ genimina viperarum, id est, Nestorium, Eutychen, Monothelitas et Theupaschitas et reliquas hæreticorum pestes peperit, adhuc a Nicolai hæresiarchæ complexibus abstrahi non potuit, adeo ut ad sacri altaris ministerium ordinandos interroget an habeant uxores. Qui respondentes se non habere compelluntur primum ducere, et sic impositionis manum accipere : ut novi mariti, et recenti carnis voluptate toti resoluti et marcidi, et inter sancta sacrificia cogitantes quomodo placeant uxoribus, immaculatum Christi corpus tractent atque populo distribuant, indeque sanctificatas manus ad tractandum membra muliebria mox referant, et sit sicut populus sic et sacerdos, et tandem populi sicut sacerdotes mali.

XXXV. Quapropter parcite jam vobis, et nolite attendere spiritibus erroris et dæmoniorum doctrinis, ut nobiscum de vera pace, quæ Christus est, hic et in futuro gaudeatis. Tu vero, miserrime Niceta, donec resipiscas, sis anathema, ab omni Christi Ecclesia, cum omnibus qui tibi acquiescunt in tam perversa doctrina. Nam volens esse legis divinæ doctor, non intelligis quæ loqueris, neque de quibus affirmas, et stultus ipse, sapientior tibi videris septem viris loquentibus parabolas. Sed saltem aliquando disce tacere, qui nunquam loqui didicisti.

Explicit responsio fratris Humberti episcopi contra Nicetæ blasphemias.

Digitized by Google

INCIPIT

BREVIS ET SUCCINCTA COMMEMORATIO

EORUM

Quæ gesserunt apocrisarii sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis in regia urbe, et qualiter anathematizati sunt Michael cum sequacibus suis.

I. Anno undecimo imperii Constantini Monomachi indictione VII, ipso die nativitatis beati Joannis Baptistæ, advenientibus a Domino papa Leone nono apocrisariis sanctæ Romanæ sedis, Humberto scilicet cardinali episcopo Silvæ Candidæ et Petro Amalphitanorum archiepiscopo, Friderico quoque diacono et cancellario, ad monasterium Studii intra urbem Constantinopolitanam. Niceta monachus, qui et Pectoratus, ante præsentiam præfati imperatoris et procerum ejus, insistentibus ipsis nuntiis Romanis, anathematizavit quoddam scriptum sub suo nomine contra sedem apostolicam et omnem Latinam Ecclesiam editum, et prætitulatum : De azymo, de Sabbato, de nuptiis sacerdotum. Insuper anathematizavit cunctos, qui ipsam sanctam Ecclesiam Romanam negarent primam omnium Ecclesiarum esse, et qui illius fidem semper orthodoxam præsumerent in aliquo reprehendere. Post hæc statim in conspectu omnium, ad suggestionem eorumdem nuntiorum Romanorum, jussit idem orthodoxus imperator præfatum incendi scriptum, sicque fuit discessum.

II. Sequenti autem die prædictus Niceta urbe est egressus: ultro adiit legatos ipsos intra palatium Pigi. A quibus accipiens perfectam suarum propositionum solutionem, iterum sponte anathematizavit omnia dicta et facta vel tentata adversus primam apostolicam sedem. Hic ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Porro dicta vel scripta eorumdem nuntiorum adversus diversas calumnias Græcorum, et maxime contra scripta Michaelis Constantinopolitani episcopi et Leonis Acridani metropolitani episcopi, et sæpedicti Nicetæ monachi, jussu imperatoris in Græcum fuere translata, et in eadem urbe hactenus conservata.

III. Tandem Michaele præsentiam eorumdem et colloquium devitante, atque in stultitia sua perseverante, præfati nuntii XVII Kal. Augusti adierunt Ecclesiam Sanctæ Sophiæ, et super obstinatione illius conquesti, clero ex more ad missas præparato jam hora tertia diei Sabbati, chartam excommunicationis super principale altare posuerunt sub oculis præsentis cleri et populi. Inde mox egressi, etiam pulverem pedum suorum excussere in testimonium illis, dictum Evangelii proclamantes : *Videat Deus et judicet.* Hinc ordinatis Ecclesiis Latinorum intra ipsam Constantinopolim, et anathemate dato cunctis qui deinceps communicarent ex manu Græci Romanum sacrificium vituperantis, in osculo pacis accepta orthodoxi imperatoris licentia donisque imperialibus sancto Petro et sibi, alacres cœpere reverti XV Kal. Augusti; sed nimia instantia precum Michaelis spondentis tunc demum se conflicturum cum eis, imperator compulsus a Solembria litteris suis eos revocavit XIII Kal. Augusti. Quo etiam die festinantes regressi devenerunt ad palatium Pigi. Quos præfatus Michael hæresiarca comperiens rediisse, quasi ad concilium conabatur adducere in Ecclesiam Sanctæ Sophiæ, sequenti die, ut ostensa charta, quam omnino corruperat transferendo, obruerentur ibidem a populo. Quod prudens imperator præcavens noluit haberi aliquod concilium (12), nisi et ipse adesset præsens. Cumque hoc ei omnimodis Michael contradiceret, jussit Augustus ipsos nuntios confestim arripere iter. Quod et factum est. Porro vesanus Michael dolens suas non procedere insidias, concitavit imperatori vulgi seditionem maximam, velut nuntiis cooperata fuerit ejus voluntas. Unde imperator coactus, interpretes Latinorum Paulum ac filium ejus Smaragdum cæsos et detonsos Michaeli tradidit; sicque tumultus ille conquievit. Verum imperator post nuntios Romanos directis suis, exemplar excommunicationis verissimum a civitate Russorum remissum sibi accepit, civibusque exhibuit, ac tandem Michaelem falsasse chartam legatorum comperit atque convicit. Itaque commotus, amicos et affines ipsius honoribus privatos a palatio eliminavit, contraque ipsum usque nunc graves iras retinuit. Denique exemplar chartæ excommunicatoriæ est tale :

« HUMBERTUS, Dei gratia cardinalis episcopus sanctæ romanæ Ecclesiæ; PETRUS Amalfitanorum archiepiscopus; FRIDERICUS, diaconus et cancellarius, omnibus catholicæ Ecclesiæ filiis.

« Sancta et Romana prima et apostolica sedes ad quam tanquam ad caput sollicitudo omnium Ecclesiarum specialius pertinet, ecclesiasticæ pacis

(12) Narrat contraria *Michael*; asserit enim legatos semper renuisse concilium et imperatoris jussu fuisse excommunicatos. Vide Michaelis epistolam apud Coteler. Monum. Ecclesiæ Gr. tom. II.

Digitized by Google

et utilitatis gratia ad hanc regiam urbem nos apocrisarios suos facere dignata est, ut juxta quod scriptum est, descenderemus et videremus utrum opere completus sit clamor, qui sine intermissione ex tanta urbe conscendit ad ejus aures, aut si non est ita, ut sciret. Quamobrem cognoscant ante omnia gloriosi imperatores, clerus, senatus et populus hujus Constantinopolitanæ urbis, et omnis Ecclesia catholica nos hic persensisse magnum unde vehementer in Domino gaudemus bonum, et maximum unde miserabiliter contristamur, malum. Nam quantum ad calumnas imperii et honoratos ejus cives sapientes Christianissima et orthodoxa est civitas. Quantum autem ad Michaelem abusive dictum patriarcham, et ejus stultitiæ fautores, nimia zizania hæreseon quotidie seminantur in medio ejus. Quia sicut Simoniaci donum Dei vendunt; sicut Valesii hospites suos castrant, et non solum ad clericatum sed insuper ad episcopatum promovent; sicut Ariani rebaptizant in nomine sanctæ Trinitatis baptizatos, et maxime Latinos; sicut Donatistæ affirmant, excepta Græcorum Ecclesia, Ecclesiam Christi et verum sacrificium atque baptismum ex toto mundo periisse; sicut Nicolaitæ carnales nuptias concedunt et defendunt sacri altaris ministris; sicut Severiani maledictam dicunt legem Moysis; sicut Pneumatomachi vel Theumachi abscinderunt a symbolo Spiritus sancti processionem a Filio; sicut Manichæi inter alia, quodlibet fermentatum fatentur animatum esse; sicut Nazareni carnalem Judæorum munditiam adeo servant, ut parvulos morientes ante octavum a nativitate diem baptizari contradicant, et mulieres in menstruo vel in partu periclitantes communicari, vel si paganæ fuerint baptizari prohibeant, et capillos capitis ac barbæ nutrientes eos qui comam tondent, et secundum institutionem Romanæ Ecclesiæ barbas radunt, in communione non recipiant. Pro quibus erroribus et aliis pluribus factis suis, ipse Michael litteris

(15) Qui azymis in sacrificio uti respuunt.

A domini nostri papæ Leonis admonitus resipiscere contempsit. Insuper nobis nuntiis illius, causa tantorum malorum rationabiliter reprimere volentibus, præsentiam suam et colloquium denegavit, et Ecclesias ad missas agendum interdixit, sicut et prius Latinorum Ecclesias clauserat, et eos azymitas vocans, verbis et factis ubique persecutus fuerat: in tantum, ut in filiis suis anathematizasset sedem apostolicam, contra quam se adhuc scribit œcumenicum patriarcham. Unde nos quidem sanctæ primæ apostolicæ sedis inauditam contumeliam et injuriam non ferentes, catholicamque fidem subrui multis modis attendentes, auctoritate sanctæ et individuæ Trinitatis atque apostolicæ sedis, cujus legatione fungimur, et cunctorum orthodoxorum Patrum ex B conciliis septem atque totius Ecclesiæ catholicæ anathemati, quod noster reverendissimus papa itidem Michaeli et suis sequacibus, nisi resipiscerent, denuntiavit, ita subscribimus.

« Michael abusivus patriarcha neophytus, et solo humano timore habitum monachorum adeptus, nunc etiam criminibus pessimis diffamatus, atque cum eo Leo Acridanus episcopus dictus, et sacellarius ipsius Michaelis, Constantinus, qui Latinorum sacrificium profanis conculcavit pedibus et omnes sequaces eorum in præfatis erroribus et præsumptionibus, sint anathema Maranatha, cum Simoniacis, Valleslis, Arianis, Donatistis, Nicolaitis, Severianis, Pneumatomachis et Manichæis, et Nazarenis, et cum C omnibus hæreticis, imo cum diabolo et angelis ejus, nisi forte resipuerint. Amen, amen, amen. »

Item alia excommunicatio ibidem facta in præsentia imperatoris et optimatum ejus, viva voce :

« Quicunque fidei sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis ejusque sacrificio pertinaciter contradixerit, sit anathema, Maranatha, nec habeatur Christianus catholicus, sed prozymita (15) hæreticus, Fiat, fiat, fiat. »

Digitized by Google

HUMBERTI

S. R. E. CARDINALIS

ADVERSUS SIMONIACOS

LIBRI TRES.

(Apud D. Martene, *Thesaurus Anecdot.*, tom. V, pag. 629, *ex bibliotheca Laurentiana.*)

ADMONITIO PRÆVIA.

Postquam simoniam cum ipso parente suo Simone Mago spirituali jaculo confodit princeps apostolorum, tam horrendi monstri ne nomen quidem apud Christianos audiri deberet. Verum ea est ejus malitia ut, quamvis nihil eo in Ecclesia perniciosius, nihil tamen in ea eo frequentius; adeo ut, cum ipsa natum, non nisi ea deficiente defecturum videatur. Verum, licet omni tempore prævaluerit, nec ullis unquam sanctorum doctorum prædicationibus aut scriptis, nullis episcoporum censuris, nullis conciliorum decretis compesci potuerit, sæculo tamen undecimo adeo grassata est immanis illa pestis, ut pene universum orbem infecisse diceres. Tunc adversus eam insurrexerunt, auctoritate apostolica summi pontifices, Leo papa IX, Gregorius VII, Urbanus II; scriptis suis, Petrus Damiani et Humbertus cardinalis; factis ac miraculis, Petrus Ignitus et Joannes Gualbertus, omnes ordinis nostri, nec incasso sane labore.

Ut autem de Humberto cardinali, cujus libros tres adversus Simoniacos hic damus, aliquid dicamus. Is in Lotharingia natus, sub monachali habitu adhuc puer Hardulfo abbati oblatus in Mediano Tullensis diœcesis monasterio, vix adolescentiæ annos attigit cum omnem vitæ religiosæ perfectionem est assecutus. Tunc humanioribus litteris informatus, brevi omni scientiarum genere imbutus, cum doctrinam cum pietate conjungeret artemque musicam apprime calleret, Brunonis Tullensis episcopi sanctissimi, qui ea delectabatur, amicitiam et gratiam adeo sibi devinxit ut factus summus pontifex, Leo nonus, Humbertum secum in Italiam duxerit, atque eo adjutore in præcipuis ac magis arduis Ecclesiæ negotiis usus sit. Quia in re, inquit cardinalis Baronius (*ad annum* 1049), « debuit plurimum Ecclesia Romana Leoni, qui tantum virum, otiosum fortasse in Lotharingia commorantem, his opportune temporibus in orbis theatrum pro universa Ecclesia catholica constituit laborantem. » Statim autem atque Romam pervenit Leo, Humbertum fecit archiepiscopum Siciliensem, nec multo post cardinalem creatum et episcopum Silvæ Candidæ propugnatorem habuit adversus Ecclesiæ hostes, legatumque misit Constantinopolim ad compescendum Græcorum schisma, adversus quos disputationem habuit de azymo et fermentato, quam jussu imperatoris Constantini Monomachi in scriptis reductam ex ms. Vaticano publici juris fecit Cæsar Baronius, cum responsione ejusdem ad objecta Nicetæ Pectorati. Cæterum Humbertum cardinalem ita commendat Lanfrancus, Cantuariensis archiepiscopus, in Commentario adversus Berengarium : « Humbertum virum fuisse religiosum, fide Christiana et sanctissimis operibus perseverantissime decoratum scientia divinarum ac sæcularium litterarum apprime eruditum testantur omnes qui, vel propria experientia eum noverunt, vel ab aliis qui ipsum experti sunt ejus cognitionem acceperunt. Hunc non de Burgundia, sed de Lotharingia S. Leo Romam traduxit, et ad prædicandum Siculis verbum Dei archiepiscopum ordinavit. Postea vero sancta Romana Ecclesia præsulem sibi cardinalem constituit. Quo in loco positus taliter vixit, taliter docuit, ut de fide vel doctrina ejus nec saltem sinistræ suspicionis fama aliquando exorta sit. Hujus rei testis est tota fere Latinitas quæ, pro excellentia apostolicæ sedis, cujus conciliis et consiliis semper aderat et præerat, eum ignorare non potuit. » Huic Lanfranci testimonio suffragantur Trithemius, et Bellarminus aliique scriptores posteriores.

Porro, præter commemorata Humberti opuscula et alia edita ab erudito viro Henrico Canisio in tomo sexto antiquarum Lectionum, tres adversus Simoniacos conscripsit libros, in quibus legationis suæ Constantinopolitanæ mentionem facit. His conscribendis occasionem præbuisse videtur Spinosulus quidam qui Simoniacorum ordinationes approbabat, quas e contrario impugnabat Humbertus. Id saltem conjicimus ex his Humberti, lib. I, cap. 7, verbis : « Unde, se quoque nolente, Spinosulus iste suæ perversæ intentionis initium, progressionem et finem, procedente disputatione, noscitur jam revelare, et, velut implicitus ericius, caput suum, et pedes caudamque, accedente aqua, cogitur explicare. Constat enim eum pertinaciter defendere ab hæreticis et specialiter a Simoniacis ordinatos, quia in catholica, sicut in superioribus abunde monstratur, semel acceptus ordo non iteratur. Laborat quoque variis, sed vanis argumentis astruere quod a Simoniacis, ut dicitur, ordinati sine pœnitentia et manus impositione debent in clero catholico haberi, et in eo permanere ut puta quibus nihil desit in nulla gratia. Nos vero sufficientibus sanctorum Patrum superius comprobavimus testimoniis Simoniacos hæreticos pejores esse pessimis Arianis, » etc. Quis autem sit ille Spinosulus, quem unicum his in libris nominatim impugnat, necdum rescire potui.

Tempus vero quo fetum hunc edidit Humbertus, colligimus ex libro III, cap. 7, ubi in primis invehitur in Henricum Francorum regem quod Simoniacis plus æquo faveret, nec admonitus a reverendæ memoriæ pontificibus Leone et Victore corrigi voluerit. Hinc colliges Humbertum ante annum millesimum sexagesimum, quo Henricus rex vivere desiit, et post pontificatum Leonis et Victoris, summorum pontificum, qui Stephanum X habuere successorem anno millesimo quinquagesimo septimo, scripsisse.

Porro hos libros ex Laurentiana bibliotheca eruit Mabillonius, mihique edendos majoribus occupatus concessit noster Renatus Massuetus, laborum illius hæres et studiorum successor. Codex ex quo descripti sunt, auctoris ævo exaratus, adeo ut autographum ipsum censeri posse videatur cæteroquin optimæ notæ.

Digitized by Google

INCIPIT PRÆFATIO HUMBERTI

CARDINALIS EPISCOPI SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

In responsione sua contra Simoniacos.

Ne sibi sapiens videatur, respondere stulto cogimur qui, titulo frontis tractus, imo latratus sui, eraso, nomineque suppresso, impudenter persuadere conatur non separandum a vili pretiosum, nec aliquid differre sanctum et profanum, mundum et immundum. Et quandoquidem inter lepram et lepram lex divina nonnullam facit distantiam, hic prodigiosus tergiversator et dæmoniosus argumentator, velut alter Jovinianus et redivivus Stoicus, unam eamdemque catholicis et hæreticis contendit inesse et cooperari gratiam, nihilque referre utrum extra, an intra catholicam Ecclesiam contingat fieri aut haberi quorumlibet sacramentorum Christi administrationem, cum intra vel extra eam indifferenter et æqualiter operari censeat Spiritus sancti plenitudinem, nec posse aliquid conferri ad catholicam reversis, nec auferri ab ipsa aversis. Quodlibet ergo sit acerrimus iste conjector, inimicus tamen Dei esse convincitur, etiamsi in aliquibus ejus videatur defensor, quia, secundum Apostolum, habet quidem speciem pietatis; virtutem autem ejus abnegat (*II Tim.* III, 5), æstimans quæstum esse pietatem (*I Tim.* VI, 5). Qui, etsi quædam recte aliquando offerat, in eo tamen quod non recte dividit peccat, Cain a maledictione et sententia percellendus, et a facie terræ, videlicet catholicæ Ecclesiæ, projiciendus, siquidem ad suam et multorum pusillorum Christi perditionem, sanctas Scripturas, sanctorumque Patrum rectas sententias contorquendo depravat, aliquas quidem decurtat, aliquas autem sua dicendo prolongat. Tandemque violenter intenso arcu paravit sagittas suas in pharetra, ut sagittet in obscuro rectos corde (*Psal.* X, 3), et, quod adhuc est deterius, arrogantia scientiæ seu qualiscunque continentiæ suæ elatus et cæcatus, zelum quidem Dei, ut putatur, habens, sed non secundum scientiam (*Rom.* X, 2), sæ obsequium præstare Deo arbitratur (*Joan.* XVI, 2), si velut cancer pestiferis sermonibus serpendo inficiat, corrumpat, et a castitate, quæ est in Christo, simplicium fratrum sensus abscidat. Nempe, derelicto fonte aquæ vivæ, fodit sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas (*Jer.* II, 13); nec curat de puteis quos foderunt pueri Isaac (*Gen.* XXVI, 15-22) aquam vivam efferre, sed eis potius lutum inferre. Et velut mulier illa Proverbiorum garrula et vaga, quietis impatiens, stulta et clamosa, plenaque illecebris, nihil omnino sciens, nec valens in domo consistere pedibus, et per omnia veri panis inops, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians, nunc sedet in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco, ut vocet transeuntes per viam et pergentes itinere suo: Qui est parvulus declinet ad me. Et vecordi locuta est: Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior. Et ignorabunt quod gigantes ibi sunt, et in profundis inferni convivæ ejus (*Prov.* VII, 10-12; IX, 13-18).

A cujus fornicariæ delubro, imo volutabro, pertinacique procacitate et procaci pertinacia, nil est quo aptius et cautius nostros parvulos deterreamus et revocemus quam his in utero sanctificati Jeremiæ invectionibus seu increpationibus: « Nunc quid tibi vis in via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? quid tibi in via Ægypti ut bibas aquam turbidam? » (*Jer.* II, 18.) Et vasis electionis, beati Pauli, talibus dissuasionibus: « Non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum (*I Cor.* X, 20, 21). » Et: « Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens (*II Cor.* VI, 14-18). »—« Has igitur promissiones habentes, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei (*II Cor.* VII, 1). » In quibus sane Apostoli verbis, etsi conjugium et copulam carnalem luce clarius monemur separatum iri ab infidelibus, multo magis spiritualem, nec immundum tangere, ut Deo nostro exhibeamus nosmetipsos gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi (*Ephes.* V, 27); ut ipse in nobis inhabitet, et ipse nos recipiat, perficiens sanctificationem nostram. Porro infideles cum audis, non solum paganos intellige, sed et hæreticos, quos pejores paganis et beatus Hieronymus omnisque sanctorum doctorum chorus protestatur, quia in paganis spes est adhuc fidei; in hæreticis autem jam pugna discordiæ. Hæreticus autem est, qui a fide catholica dissentit, credens et defendens quod non est credendum, sive de Deo sive de creaturis ejus. Nec tamen quis continuo hæreticus habendus est, ubi quid contra fidem senserit; sed

Digitized by Google

ubi obstinate et irrationabiliter sensa sua vel opiniones defenderit. Et ideo mox devitandus, ut idem ait Apostolus : « Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem vita. Subversus est enim qui ejusmodi est, et delinquit proprio judicio condemnatus (*Tit.* III, 10, 11). » Quod si cum tali abominatione et tam repentina animadversione damnandus et abjiciendus est hæreticus, defensor ejus quid meretur? Qui enim aliorum errorem defendit, multo est damnabilior et notabilior illis, quia non solum ipse errat, sed aliis offendicula erroris præparat et confirmat. Unde, quia magister erroris, non tantum hæreticus, sed hæresiarcha quoque qui ejusmodi est recte dicitur, utpote in errore primus.

Viderint itaque Simoniacorum utique discipulorum, vel sequacium Simonis Magi, scilicet primi post revelatam gratiam hæretici, pertinaciter defensores, quoto gradu, aut quo nomine habendi sint inter fideles. At nunc jam, Spiritus alme, veni, nostræque adjungere voci. Correptionem, et, si fieri potest, correctionem adhibe Simoniacæ vesaniæ in te verbum dicenti, et te blasphemanti, et per me, tuum subjugale mutum, secundum omnipotentiam tuam, in hominis voce de cœlo loquens, prohibe pseudoprophetarum insipientiam, qui volentes esse legis doctores, non intelligunt, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (*I Tim.* I, 7). Defende, o liberrime omnium Deus, et Domine coæqualis per omnia, atque coæterne Deo Patri et Filio, tuam singularem libertatem a sacrilegis negotiatoribus, a Simonis Samardaci pecuniosis hæredibus, ne contra sententiam magni Simonis Petri, in ipsis quoque Christianissimis primordiis datam, inducantur in tam perniciosum errorem parvuli et simplices tui, ut aliquatenus credant vel (quod tolerabilius putatur) æstiment, te summum et incomparabile Dei donum pecunia possideri (quod dictu etiam scelus est) tanquam servum emptitium, aut venale jumentum, servile mancipium. Et quorsum accidet illa nostra libertas, de qua et ipsi per te jam præsumimus in spem et gloriamur in libertate filiorum Dei, Apostolo prætonante : « Ubi Spiritus Domini, ibi libertas (*II Cor.* III, 17). » Et : « Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei (*Rom.* VIII, 14), » si ipse nummulariis et servis mammonæ servus addictus es, et tu, columba, necessitate aut voluntate te ipsam laniandam milvis præbes? Quod si ad tam nequam servorum et pessimorum mercatorum nutum sanctificandis creaturis illaberis aut infunderis, dicendum est te, aut timore talium dominorum, velut offensis emptionis tuæ instrumentis et chartis, ad id violenter cogi, aut, certe concordissimum et unanimem perversis dominis effectum, amore et reverentia quadam pecuniæ delectabiliter trahi ; et sic gratia jam non est gratia, quia non gratis accepta. Si ergo timore cogeris, omnipotentia tua et libertas perit, quia jam non spiras ubi et quando vis. Si autem amore traheris, jam non beati, sed miseri pauperes spiritu, quoniam tu pecuniæ pertinax sectator deprehenderis, quam contemni et dispergi sine aliqua futura retributione falso præcipis. Sed absit tale aliquid vel leviter suspicari de te, o inviolabilis et irreprehensibilis veritatis verax Spiritus, quem dedit nobis Deus fidei et spei pignus, ut pecuniæ pignore obligatus Simoniacis, non Dominus dominorum, sed jam tertio gradu inferius aut etiam millesimo servus pessimorum servorum pejoris domini, mammonæ scilicet, prædiceris. Unde jam nunc blasphemantium te, et indebitum sibi sacerdotium vindicare præsumentium dicta dictis refellamus obviis, prægrediente igne tuo et temerarios comburente, ac, demum igne eorum alieno huc illucque disperso, ænea thuribula, ut puta mortibus peccatorum sanctificata, in lamınas producantur et altari Domini affigantur, quatenus ex ipsorum sermonibus, vocalibus quidem sed obscuris, eloquia Domini casta quasi argentum et aurum, ex comparatione ejus, notiora fiant, clariusque et evidentius innotescant. « Oportet enim hæreses esse, ait Apostolus, ut probati manifesti fiant in vobis (*I Cor.* XI, 19). »

INCIPIUNT CAPITULA

In librum Humberti cardinalis episcopi sanctæ Romanæ ecclesiæ in responsione sua contra Simoniacos.

I. *Invectio adversus corruptorem arguens eum mendacii.*

II. *De pseudoepiscopis, quos notat decretale capitulum Leonis papæ.*

III. *Quod Simoniaci pejores Arianis et ipso suo magistro Simone sint.*

IV. *Ira Spiritus sancti in Simonem et comparatio ejus et suorum sequacium, et quid accipiant.*

V. *Quod capitulum illud sancti Leonis non de hæreticis, sed catholicis sit intelligendum.*

VI. *De differentia pseudoepiscoporum et ordinationibus eorum.*

VII. *De capitulo sancti Gregorii prohibenti reordinari; ubi etiam concedit Simoniacos saltem Arianis æquiparari.*

VIII. *De canonibus apostolorum et secunda manus impositione.*

IX. *Qualiter baptisma hæreticorum permittatur, et quid sit permissio.*

Digitized by Google

X. *De imperfectione baptismatis hæreticorum sententiæ sanctorum Patrum.*
XI. *Ubi sanctorum Patrum sententiæ promuntur, in quibus sint hæretici vitandi.*
XII. *De ordinationibus hæreticorum, juxta beatum Innocentium.*
XIII. *Unde supra, secundum beatum Gregorium.*
XIV. *Recapitulatio superiorum sententiarum beati Gregorii contra falsos argumentatores.*
XV. *De propriis et impropriis dictionibus, et vanitate Simoniacorum.*
XVI. *Sententia sancti Ambrosii de ordinationibus Simoniacorum.*
XVII. *Recapitulatio unde supra. Deinde beati Augustini sententia.*
XVIII. *De mercantibus ecclesiasticam dignitatem sanctorum Patrum sententiæ.*
XIX. *Repulsio eorum qui dicunt Simoniacos gratiam habere a qua deponantur.*
XX. *Quod Simoniaci sine fide sint, quodque sibi consentientes fide privent.*
XXI. *Repulsio eorum qui dicunt haberi et juste posse dari Spiritum sanctum ab eo qui injuste accepit.*
Expliciunt capitula libri primi Antisimoniaci.

INCIPIT LIBELLUS PRIMUS

Contra hæreticos et maxime Simoniacos, instar dialogi sub nomine Corruptoris et Correptoris, editus a Humberto, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali episcopo.

CAPUT PRIMUM.

CORREPTOR. In ipso controversiæ suæ vestibulo, præfixis aliquot ad defensionem sui suorumque capitulis, quasi quibusdam muscipulis aptatis aut casibus ad illaqueandum incautos prætensis, subversus subversor atque seductus seductor, tandem violentus ab insidiarum cuniculis emergit, atque in hæc argumenta ad suffocandum irretitos repente erumpit:

CORRUPTOR. « His ergo relectis capitulis, o justitiæ dilectores, liquidius audistis quod a pseudoepiscopis ordinatio facta posset rata consistere. »

CORREPTOR. Venelicorum est mortiferi poculi ora aliquantulo melle imbuere, ut prægustata dulcedo incunctanter faciat absorberi quidquid superest lethale. Quod iste calumniator fecisse arguitur, ubi, ordiens tendiculas capitulorum, quæ quaquaversum C omen licando et suæ disputationis foribus præfigendo corruperat, infit.

CORRUPTOR. « Abhinc præclara sequuntur testimonia, quibus papæ Formosi ordinatio rata et legitima esse monstratur. »

CORREPTOR. Hanc sententiolam suam, ut ei maximum conciliaret favorem, et omnibus efficeret reverendam vel ex maxime et primo synodi auctoritate, falso prætitulavit ex concilio Nicæno.

In qua utique præsumptione qualis habetur in subsequentibus innotuit, qui ipsam suæ narrationis januam mendacio, quin potius sacrilegio, polluit. Neque enim capitulum illud primum, aut versiculus in toto Nicæno vel in aliquo post ipsum concilio invenitur; nec de papæ Formosi ordinatione, utrum D rata an irrita habenda sit, quidquam in Nicæno, vel in aliquo post ipsum concilio tractatur, aut monstratur, cum etiam vel leviter tale quid suspicari infinitæ stultitiæ reputetur. Nam inter Nicænam synodum et papam Formosum quingenti et amplius anni inveniuntur ut puta inter maximum Constantinum et Imperatorem Arnulfum, cujus adjutorio Formosus Romanum prævaluit retinere pontificatum. Porro Arnulfus a Carolo Magno imperatore computatur sextus, aut septimus. Quod si capitulum illud idcirco ex concilio Nicæno putavit prætitulandum, quia aliquot capitula eorum quæ subjunxit, ex illo concilio sint; vel admonitus cognoscat nullum inibi se subjecisse prælo solum de Catharis capitulum. Hinc ergo apparet quantus sit calumniator qui, victus errore, mentiendo quoque contra maximum et omni mundo notissimum venerabileque concilium, impudenter laborat apparere victor. Sed jam dicta illius eventilando discernantur.

CAPUT II.

Præmisso Leonis papæ beati et magni doctoris capitulo, errorem suum corroborare conatur ex eo, quasi de Simoniacis aut certe de aliis hæreticis aliquis illic ei fuerit sermo, et non potius de catholicis, si quos forte præpositi Ecclesiæ ignorantia, seu præsumptione, vel necessitate non secundum subtilitatem canonum consecrant, aut consecrarint aliquando. Fieri enim potuit, et poterit, ut aut unum, vel duo, aut simul hæc tria capitula consecratis desint, id est, ut nec a clericis sint electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati; quibus tamen consecratio non deest, quia sine pecuniaria venalitate facta est quamvis ex tribus supradictis capitulis vaga et instabilis fluctuet et aberret. Alioquin, si nulla in eis esset episcopi consecratio, nulla eorum omnino esset ordinatio, quamvis clericos in Ecclesiis, quæ ad proprios episcopos pertinebant, consueto judicio præsidentium, ut ita dicatur, ordinarent. Neque enim quælibet Ecclesia, nec quodlibet judicium eidem præsidentium potuit aut poterit aliquando efficere ut aliquis possit alicui dare quod comprobatur ipse nullo modo habere, consecrationem ratam aliis ministrare oratione sua et operatione quam sibi ipsi nullatenus potuit accipere, aut in se habere. Nonne laudabilior in hoc ordinatio laici catholici haberetur quam cujuslibet hæretici episcopi,

Digitized by Google

si solo judicio episcoporum ecclesiis præsidentium posset dare quam quod non habet? Nam laicus noster, si necessitas postulat, in remissione peccatorum per Spiritum sanctum baptizat, quod hæreticus quilibet etiamsi episcopus dicatur, nulli aliquando præstat. Quod ipse beatus Leo, in aliis Decretalibus suis, sic profitetur ut ipsum quoque baptisma ab hæreticis in nomine sanctæ Trinitatis datum, formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute habere protestet. « Illi, inquiens, qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum baptizati ante non fuissent sola sancti Spiritus invocatione, per impositionem manuum, confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi, sine sanctificationis virtute, sumpserunt. » Et hanc regulam, ut scitis, servandam in omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo : « Unus Deus, una fides, unum baptisma (*Ephes.* IV, 5), » cujus ablutio nulla iteratione temerenda est, sed, ut diximus sola sanctificatio sancti Spiritus invocanda est, ut quod ab hæreticis nemo accipit a catholicis sacerdotibus consequatur.

Liquet ergo, ex his beatissimi Leonis dictis, baptisma hæreticorum formam tantum vel speciem veri baptismatis habere, et lavacrum sive ablutionem corporibus solummodo, non etiam animabus, præstare, quia sine sanctificationis virtute aut sancti Spiritus sanctificatione datur et accipitur; quod utique ab hæreticis nemo accipit vel consequitur. Si autem baptismum Domini Jesu, secundum Baptistæ sit testimonium in Spiritu sancto, fit et egit ut omnium remissio peccatorum ex illo valeat fieri, et vetus homo noster renovari, apparet baptisma hæreticorum, quia sine sancti Spiritus sanctificatione constat, nullam peccati remissionem, nullam veteris hominis renovationem, sed solam visibilem ablutionem operari. Quod certe non propter aliquam sanctitatem sui vel reverentiam catholici non iterare consenserunt, sed scandalum contentiosæ et ineptæ multitudinis prudenter devitantes, ut quocunque modo Christo plures reducerent, lavacrum eorum ex meliori utique parte imperfectum permiserunt esse ratum; sic tamen ut a catholicis sacerdotibus, per manuum impositionem et sancti Spiritus invocationem, accipiant quam nullam hactenus habebant sanctificationem in peccatorum, emundationem atque vetustatis innovationem. Et ut manifestius animadvertamus quantæ imperfectionis judicentur vel habeantur, etiam post istam receptionem suam universali canone præfixum est ut nemo talium promoveatur ad catholicorum clerum; et si de clero, qui apud hæreticos putatur existit, laica tantum communione contentus sit, exceptis Catharis, quos solos sancta Nicæna synodus in clero suo inventos in catholica esse permittit, nec tamen sine manus impositione, quamvis magnæ et mirabilis sint conscientiæ, nec in aliquo devenit a catholicæ fidei confessione et apostolicæ Ecclesiæ unitate, nec in sola criminosorum, quam devitant exceptione et communione, licet eos jugiter admoneant facere fructus dignos pœnitentiæ, et solam indulgentiam quærere et exspectare.

CAPUT III.

Si ergo Cathari pro hoc minimo errore, imo pro hac nimium severa et minus discreta sententia sua, computati sunt hæretici, cum in nullo alio dissentiant a veritate catholicæ fidei, nec sine manus impositione possent ad clerum catholicum admitti, potestne aut poterit majorum et pejorum hæreticorum ordinatio, aut, ut dicitur, consecratio rata haberi, quam revertentes Cathari sine manus impositione non possunt adipisci, vel retinere sibi, et, ut expressius dicam, a Simoniacis ordinationes et consecrationes præsumptæ sine aliqua consideratione et retractatione in catholicam Ecclesiam suscipientur, quos pejores Arianis septima et universalis synodus in epistola patriarchæ Tarasii ad Adrianum papam indubitanter diffinivit? Deniquè Ariani quanquam in hoc maxime errent quod Filium minorem Patre et creaturam esse asserunt, Spiritum quoque sanctum minorem Patre et Filio, atque creaturam; dum tamen utrumque dicunt, neutrumque eorum ulli omnino creaturæ, nisi Domino Patri, Creatori visibilium omnium et invisibilium, subjicere contendunt. At Simoniaci, minime contenti tanto Arianorum sacrilegio, omnipotentem Spiritum sanctum non tantum minorem Patre et Filio, seu subjectum soli Patri et Filio, sed etiam semetipsis inferiorem, atque sibimetipsis subditum, tanquam quodlibet venale et vile mancipium credunt, ut, velit nolit, obediat voluntatibus et vocibus eorum, atque funiculis pecuniæ attractus aut velut aureis eorum catenis alligatus, plenitudine suæ sanctificationis, et gratiæ sacrilegis ipsorum officiis, et exsecrandis consecrationibus administret, eorumque venalitati seu operationi cooperetur. Quod ut ad momentum æstimare, intolerabilis est et forte irremissibilis blasphemiæ, quia in Spiritum est peccare aut certe verbum in eum dicere. Qua sola æstimatione Simon ille, sectæ eorum primus auctor et signifer a quo et ipsi agnominantur, irrecuperabiliter damnatus est. Qui utique quoquo modo posset excusari vel religionis novitate, vel ignorantia sub tanta Spiritus sancti evidentia, qua scilicet delectatus aut obstupefactus, tanquam adhuc rudis in baptismo, et novitius in fidei notitia, repente vel ut strenuus et impatiens morarum discipulus, tam inæstimabile donum scientiæ ab efficacibus magistris æstimavit etiam cum summa pecuniæ expetendum sibi et accipiendum. Sed inexcusabilis exstitit beatis apostolis Petro et Joanni, adeo ut ille mitissimus Petrus, et Bar Jonæ, idem *filius columbæ* simplicissimus, et innocentissimus nulla mansuetudine reservata, nulla, ut rudibus assolet fieri, modesta increpatione præmissa, nulla satisfactione requisita, nulla emendatione exspectata, nulla admonitione ut deinceps tale quid attentare caveret adhibita, in miserrimum illum tanto zelo exarsit, tanta asperitate infremuit ut non ser-

Digitized by Google

vato judicii ordine, prius data sententia irrevocabili reum anathemate feriret dicens: « Pecunia tua tecum sit in perditionem (*Act.* VIII, 20); » deinde omnem causam tantæ, et tam repentinæ damnationis innotesceret subjungens: « Quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri (*Ibid.*). » Mox qualemcunque spiritualis gratiæ portionem existimationi ejus denegans dicit: « Non est tibi pars neque sors sermone isto (*Ibid.*, 21), » scilicet in dono isto. Ac demum sic ejus nequitiam et cordis pravitatem exsecratus, vehementer redarguit: « Cor enim tuum non est rectum coram Domino; in felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse (*Ibid.*, 21, 23). » Tandemque ad pœnitentiam provocatum, incertum et dubium ex tanta blasphemiæ remissione effecit, dicens: « Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Dominum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui (*Ibid.*, 22). » In qua utique B. Petri ultima in Simonem sententia, nihil nisi cogitatio cordis redarguitur, sicut et in prima existimatio tantum condemnatur.

CAPUT IV.

Itaque luce clarius est omnibus sacri capitis, Petrum, nimiæ patientiæ et rusticanæ simplicitatis virum, nequaquam suo instinctu et humana passione seu perturbatione commotum, tam repentinam tamque districtam dictasse sententiam, sed ipsum Spiritum sanctum in Petro quasi in templo suo habitantem tantam non tulisse injuriam, blasphemiam et contumeliam, penitusque indignatum, cujus jam C iræ nemo resistere potest, atque, ut in Genesi metaphorice legitur, tactum dolore cordis intrinsecus (*Gen.* VI, 6), et præcaventem in futuro animadversione detestabili et terribili contra avaritiam Magi, et sectatorum ejus impudentem et sua quærentem præsumptionem, venerabilis Petri defendisse, et vindicasse gratiæ suæ libertatem, quia putabatur pecunia posse redigi in servitutem. Porro vesanus ille, tanto tonitru fulmineque verborum perterrefactus, apostolorum intercessione a se tantam Dei indignationem amoveri quæsivit, dicens: « Rogate vos Dominum pro me, ut nihil veniat super me eorum quæ dixistis (*Act.* VIII, 24). » Quod tamen nullum super hoc ab eis meruit, nec tunc nec postea responsum, ut posteri discerent quam enorme incurrisset præcipitium, cui nec ipsi sancti apostoli præsumpserunt porrigere suæ intercessionis manum, justius arbitrati eum a sua communione abscissum irrevocabilem iræ Domini relinquendum, quia inexpiabile animadvertebant ejus piaculum. Quod si, ut Chrysostomus ait, « ruina præcedentium admonitio debet esse sequentium, » considerare debemus secundum quod idem doctor subjungit, quia « si frequenter ceciderimus in ipsam, magis veniam merentur illi qui primi ceciderunt quam nos qui secundi. » Unde, rogo, tandem expergiscantur Simoniaci, et eorum intimi cubicularii atque fidi pedissequi, ut, videntes quantam ruinam incurrerit, ad quantumcunque præcipitium devolutus sit auctor ipsorum primus recogitent, et vel sero agnoscant ubi jaceant, et quod jam non secundi ab ipso, sed multo plusquam millesimi in Ecclesia subsistant, credere ausi se per pecuniam sacerdotes vel aliud quodlibet ecclesiastici ordinis posse fieri, aut promereri, seu dare alicui gratis vel pretio; quod constat ipsos nullo modo potuisse per pecuniam adipisci, protestante principe apostolorum principi ipsorum Simoni: « Non est pars tibi, neque sors in sermone isto (*Act.* VIII, 21). » In qua utique præsumptione venialior est error Magi, qui tantum æstimavit donum Domini pecunia posse possideri, quam istorum qui crepunt et confidunt, insuper et dicunt se illud nihilominus pecunia accepisse possidere, et cuilibet dare. Nam si hoc non crederent episcopos se per pecuniam non potuisse fieri, nobiscum et ipsi prædicarent, et officium non suum usurpare cessarent, perditionisque suæ damnationem potius quam aliquam episcopalis ministerii ordinationem, seu consecrationem aliis non communicarent. Si autem credunt, manifeste hæretici sunt, pejores illo qui hoc prius existimavit vel cogitavit tantum. Si vero non credunt, cur officium alienum præsumunt, et quod sibi non habent nec in ministerio concedere se aliis non posse, cur non recognoscunt?

Et in hoc quoque manifeste hæretici sunt et desperant, aut certe in spe blasphemias quotidianas primæ suæ in Spiritum sanctum blasphemiæ maledicti adjungunt, pejores illo suo magistro qui, post repulsionem suam, nec se accepisse vel habere donum Domini, sanctum videlicet Spiritum, credidit, nec cuiquam manus propter hoc imposuit, cum ille hanc tantum potestatem quæsivisset ab apostolis, ut cuicunque manus imponeret, acciperet Spiritum sanctum. Malus ille, quia ad hoc obtulit pecuniam; pejores isti, quia non solum offerunt, sed etiam pertinaciter conferunt. Malus ille, quia, nondum a conversione sua dimidio anno expleto, in hoc sacrilegium semel evasit; quanto pejores isti, quia, ab utero carnalis matris, fide Christi suscepta, a pueritia usque ad senium nihil aliud cogitare aut agere appetunt? Sceleratus ille, quia nec correptus aut admonitus pœnitendo resipuit; multo scelratiores isti, quia incorrigibiles et D pœnitentes effecti, nullaque increpatione vel admonitione compuncti, alienum officium vel locum, quem sibi præsumpserunt non relinquunt, nec jugi se pœnitentiæ subducunt, si forte remittatur eis aliquando quod secum multos perdiderunt, atque damnationis suæ contagio Ecclesiam Christi infecerunt. Nequam ille, quia, vix dum anno altero a passione Domini incœpto, hujusmodi aggressus est facinus, nullius propter hoc reprobati exemplo deterritus; multo tamen nequiores isti, quia post mille et amplius a condemnatione, et reprobatione ipsius Magi annos, exemplis innumerabilium damnatorum quasi audaciores effecti, non desinunt tantum crimen aggredi, et plus ipso magistro suo in ea culpa perseverando transgredi contraque manifestam Veri-

Digitized by Google

tatis, quæ Christus est, sententiam credentes, docentes et facientes, Spiritum sanctum non gratis se accepisse, aut dare confidunt, ipsa Veritate protestante, « Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* x, 8). » Hinc ergo patet quia nequaquam Spiritum veritatis accipiunt qui non gratis accipere quærunt. Quid ergo tandem accipiunt? spiritum utique mendacii, quem sine dubio dant sive non gratis sive gratis cuique manus imponunt; neque enim aliud quam quod acceperunt dare possunt, quia neque de tribulis ficus, neque de rubo vindemiatur aliquando uva. Denique gratia, nisi gratis accipiatur, gratia non est, nec dici recte potest. Simoniaci autem non gratis accipiunt quod accipiunt. Igitur gratiam quæ maxime in ecclesiasticis ordinibus operatur non accipiunt, si autem non accipiunt, nec habent; si non habent, nec gratis; neque non gratis cuiquam dare possunt quod non habent. Quid ergo dant? profecto quod habent. Quid autem habent? spiritum utique mendacii. Quomodo hoc probamus? Quia si Spiritus veritatis, testante ipsa Veritate de qua procedit, gratis accipitur, qui non gratis accipitur procul dubio spiritus mendacii esse convincitur.

CAPUT V.

Sed hinc jam ad discussionem propositi capituli revertamur, et beatum Leonem, illic pseudoepiscopos commemorantem, non contra Simoniacos seu quoscunque alios hæreticos, sed contra quosdam catholicos eum illius modi regulas præfixisse demonstremus. Et de Simoniacis quidem, seu aliis quibuscunque hæreticis non eum ibi locutum sufficienter est superius demonstratum, nunc autem quod de pseudoepiscopis, tamen catholicis, loquatur est demonstrandum. Quicunque consecratur episcopus secundum decretales sanctorum regulas, prius est a clero eligendus, deinde a plebe expetendus, tandemque a comprovincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrandus. Neque enim aliter certus et fundatus, vel verus episcopus dici vel haberi poterit, nisi certum clerum et populum quibus præsit habuerit, et a comprovincialibus suis auctoritate metropolitani, ad quem vice apostolicæ sedis cura ipsius provinciæ pertinet consecrandus fuerit; nec certus, nec fundatus, nec verus, sed pseudoepiscopus dicendus est et habendus, nec inter canonice plantatos vel factos episcopos computandus; quia, cum episcopus dicatur *superintendens*, aut *superinspiciens*, cui clero aut cui populo hic talis superintendit, qui nullius cleri, nulliusque populi quibus superintendat electionem habuit, insuper et metropolitani atque comprovincialium auctoritate caruit? Quod autem in proposito subsequitur capitulo: « Unde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis tribuendum quod docetur non fuisse collatum, » ita est intelligendum, honorem quidem episcopalem, scilicet consecrationem, acceptum, sed male, non quia per pecuniam vel a Simoniacis, taliter enim nulla prævenire posset aut haberi consecratio, sicut supra satis ostenditur, sed quia sine clero et plebe, et metropolitani auctoritate, et ideirco non esse dubitandum hujusmodi episcopos indignos, quibus tribuatur quod docetur non fuisse dum consecrarentur collatum, certa scilicet propriaque parochia, et certos propriosque clericos ordinandi auctoritas, aut quemadmodum de presbyteris sine nomine titulorum ordinatis in Africano concilio legitur, nusquam ministrent aut ordinent, ad injuriam eorum qui tales non canonice ordinavere. Ubi tamen et in quibus, et per quos, et qualiter ordinatio talium possit stare, in ipso capitulo subjungens curavit demonstrare. Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios episcopos pertinebant, et ordinatio eorum consueto judicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita ut ipsis Ecclesiis perseverent. Aliter autem vana habenda est ordinatio, quæ nec loco fundata est nec auctoritate munita. Patet ergo quia, si clericos quorumcunque episcoporum proprias Ecclesias habentium, judicio eorum et consensu ordinaverint, rata ordinatio haberi possit, ita ut permaneant clerici ab eis ordinati in suorum episcoporum Ecclesiis, quia istis non sunt quas dent a se ordinati. Ita enim consecratio eorum hactenus instabilis munitur auctoritate cæterorum episcoporum, fundatur loco, in Ecclesiis scilicet eorum.

CAPUT VI.

Hinc ne quis perverse contendat hujusmodi pseudoepiscopos non posse aliquando ratas facere ordinationes, quomodo nec Simoniacos seu quoslibet alios hæreticos; aut certe Simoniacos seu quoslibet alios hæreticos ratas ordinationes facere posse, quomodo et istos; atque uno modo habendos istos et illos, ut puta, quoniam pseudoepiscopi dicuntur isti sicuti et illi, scilicet falsi episcopi, animadvertat, quisquis ille est, falsum non semper uniformiter dici, sed aliquando ex parte, aliquando ex toto, quod hoc quotidiano facillime comprobatur exemplo. Dicitur equidem nummus falsus, qui tamen aliter se habet visus a vigilantibus, aliter a dormientibus. Nam illi, aut in caragmate, aut in materie, aut certe tantum in pondere fallit, iste autem in cunctis, quia nec exstitit, nec existit, nec existet, sed ex toto se falsum est, et nihil. Unum quidem etsi humana præsumptio maximo aut minimo sui tenore fraudat, tamen vel parum aut plurimum eidem dat. Alterum diabolica illusio totius probitatis vacuum fingit, nilque illi præter solam deceptionem attribuit. Jure ergo ex catholicis pseudoepiscopus falso quidem nummo comparatur; sed quem humana ars, etsi in aliquibus imperfectum, in aliquibus tamen perfectum format. Porro ex hæreticis pseudoepiscopus falso itidem nummo juro assimilatur sed quem diabolica ars in se toto nihil existentem, in sola tamen illusione perfectum format. At noster nummus, quamvis falsus, alicujus tamen pretii erit, quantæcunque falsitatis fuerit. Nam si reprobatur ex pondere, probabitur ex mate-

Digitized by Google

rie, et ex caragmate; aut si non ex duobus simul, ex uno tamen horum trium aliquo modo approbabitur. Ita et noster pseudoepiscopus quantumcunque minus justitiæ in se habeat, tamen probatur apud Deum et homines sanæ mentis, aut ex fidei vel vitæ suæ sinceritate, aut ex sola consecratione, quamvis reprobetur ex electione stertentium. At falsus nummus, quantæcunque perfectionis appareat, nil est, nullius est pretii aut momenti in quamlibet partem sui exstat; quem vel credere nummum esse, fuisse, vel fore, perniciosum est mendacium. Ita et hæreticorum pseudoepiscopus, quantæcunque continentiæ, vel sanctitatis, si dici debet, videatur, apud Deum tamen et homines pervigilis cordis nihil computatur, quia quidquid sine fide est, peccatum est. Quem quod hactenus credere episcopum non tantummodo peccatum, sed immane quoque est sacrilegium, hinc ad nostræ assertionis affirmationem, libet huic opusculo aliquorum inserere commemorationem, qui nec a clero fuere electi, nec a plebibus expetiti, nec metropolitani judicio a comprovincialibus episcopis consecrati, et tamen ex sola consecratione tantæ auctoritatis, sanctitatis, et utilitatis inventi sunt in Ecclesia Christi ut nemo nisi sacrilegus præsumat eos pseudoepiscopos in aliquo profiteri. Et primo quidem beatissimos apostolos universalis Ecclesiæ fundatores et principes in hoc commemoremus, nisi justissimum arbitraremur leges et naturas necessario tacere, ubi benedictionem, gratiam et gloriam dedit legislator et naturarum Dominus.

Unde tanta taliumque ordinationum debita cum reverentia salutata prætermittentes, nec non et illa quam ipsi beati apostoli exemplo Domini et magistri sui Asiam, Europam, et Africam episcopis hujusmodi illustrarunt, maximeque Petrus, qui suam Italiam, et cunctas Gallias directis prædicatoribus taliter a se ordinatis post Christum currere fecit, ex posteris eorum longo post tempore duos tantum commemorandos arbitramur, qui jam promulgatis inde sacris canonibus taliter ordinati noscuntur, sicut in Historia Tripartita legitur. Perigenes in Petris ordinatur episcopus, et quoniam cives eum suscipere noluerunt, Romanæ civitatis episcopus jussit eum inthronizari in Corintho metropoli, defuncto ejus episcopo, eique, donec advixit, Ecclesiæ præfuit. Sisinnius quoque Constantinopolitanus antistes Proclum in Cituco consecravit, qui antequam proficisceretur Cizicum, cives procedentes Dalmatium monachum episcopum sibimet ordinarunt. Mansit ergo Proclus non habens Ecclesiam propriam, qui tamen in doctrina Ecclesiarum Constantinopoleos valde florebat; postea in Constantinopolitana sede inthronizatus. Apparet ergo neutrum a clero vel populo fuisse electum, quos non receptos est manifestum. Superius etiam eadem Historia mentionem faciens secundi universalis concilii, scilicet Constantinopolitani, dicit: Firmaverunt rursus Patres Nicænam fidem et patriarchas constituerunt, distribuentes provincias, ut episcopi uniuscujusque diœcesis ad Ecclesias non irent extraneas. Hoc enim primitus propter persecutionis tempus indifferenter agebatur, siquidem pro taliter ordinatis talem regulam alia synodus proposuit: « Si quis episcopus ordinatus ad parochiam, in qua ordinatus est, minime proficiscitur, non sua culpa, sed, sive populo respuente, aut propter aliquamlibet aliam causam, non necessitate factam, hunc honorem ministerioque participari tantum, nec eum misceri rebus Ecclesiæ, in qua collectam celebrat Ecclesiæ, sed sustinere quod provinciæ synodus suo judicio terminaverit. » Hinc ergo perpendatur nostros catholicos olim et postea sine tribus illis capitulis consecrationem ratam obtinuisse; hæreticos vero omnes, et nominatim Simoniacos, nullam omnino nec tunc, nec postea, etiamsi illis tria illa adsint capitula, videlicet electio cleri, expostulatio populi, judiciumque metropolitani, quia infidelibus nihil munditiæ vel gratiæ potest adhærere, donec corda eorum fide mundentur. Hæc tamen dicendo, ita sanctorum Patrum nostrorum ordinationem veneramur, ex necessitate temporis et eorum maxima auctoritate, ut posteris nostris et nobis ipsis per omnia contestemur ecclesiasticas regulas observatum iri, quia antiquos excusat necessitas et sua libertas; modernos autem accusat sola sua voluntas, et temeritas.

CAPUT VII.

Corruptor. Audistis etiam quia, sicut denuo quisquam baptizari non debet, ita nec denuo in eodem ordine consecrari potest.

Correptor. Quis dicit aut sentit denuo aliquem in eodem ordine consecrari posse? Absit nobis sic sapere! Inter alia equidem quæ super hoc a sanctis Patribus accepimus, etiam beati papæ Gregorii capitulum propositum debita veneratione suscepimus. Sicut enim ipse ibidem testatur, merito judicatus est qui tale aliquid facere fuit ausus, videlicet quia Probum prius lapsum ab officio deposuit et pœnitentiæ supposuit; qua expleta, eumdem rursus in eodem ordine, quasi presbyter nunquam fuisset, consecravit. Quod utique nullo modo fuit aut est agendum, sed si depositus quisque injuste postea innocens reperiatur, sicut concilium Toletanum statuit, episcopo virga et annulus, presbytero planeta et orarium dantur, et sic, per cæteros ordines, unicuique quod ablatum fuit, cum deponeretur. Inventus autem in aliquo excessu leviori, privata pœnitentia satisfactio ita injungitur ut tamen non deponantur, sed omnino eis ordo quem habent conservetur, quemadmodum ipse beatus Gregorius in fine præsentis capituli sensisse cognoscitur; quod hic subtraxisse comprobatur vafer ille et impurus, quia sensit evidenter obsistere suis cavillationibus. Si quis, inquiens, in levi forsitan culpa a sacerdotio venit, pœnitentia indici debet, et tamen ordo servari. Nam pro criminalibus juste depositus, aut non, aut vix invenitur quis licite restitutus. Quod si injuste depositus, restituitur, quemadmodum ex concilio Tole-

Digitized by Google

tano supra dicitur; juste autem depositus nusquam et nunquam licite restituitur. Inventus autem in minus gravibus excessibus, non quidem deponitur, sed eidem suo ordine reservato aliquandiu ab ipso suspenditur. Quis tandem denuo a catholicis consecratus arguitur? siquidem, exceptis irreprehensibilis vitæ clericis, amplius his tribus supradictis generibus in catholica non reperiuntur. Aut enim juste depositi erunt, aut injuste, aut certe non depositi; et si in levioribus culpis inventi jam quicunque plus his sunt, extra catholicam Ecclesiam procul dubio sunt. Sunt enim hæretici aut episcopi, aut presbyteri, seu diaconi, vel cujuscunque alterius gradus clerici dicti.

Unde se quoque nolente, Spinosulus (14) iste suæ perversæ intentionis initium, progressionem et finem, procedente disputatione, noscitur jam revelare, et velut implicitus ericius caput suum, et pedes caudamque, accedente aqua, cogitur explicare. Constat enim eum pertinaciter defendere ab hæreticis et specialiter a Simoniacis ordinatos, quia in catholica, sicut in superioribus abunde monstratur, semel acceptus ordo non iteratur. Laborat quoque variis, sed vanis argumentis astruere quod a Simoniacis ordinati sine pœnitentia et manus impositione debent in clero catholico haberi, et in eo permanere, ut puta quibus nihil desit in nulla gratia. Nos vero sufficientibus sanctorum Patrum superius comprobavimus testimoniis Simoniacos hæreticos pejores esse pessimis Arianis. Et si adhuc dubitatur an Simoniaci sint habendi hæretici, revolvantur catholicorum Patrum de diversis hæresibus libri, SS. Epiphanii, Philastrii, Augustini, cæterorumque qui inde sunt scribere conati, et in omnibus deprehenduntur Simoniaci, qui et Simoniaci in Catalogo hæreseon primum, quorum auctor Simon, si damnari ut manifestus hæreticus meruit, quia æstimavit vel cogitavit Spiritum sanctum pecunia se posse mercatum iri, et quibus vellet largiri; videant ipsi quid mereantur quia certissime credunt se episcopos, pecunia intercedente, posse vel potuisse fieri, et consecrationes vel ordinationes ecclesiasticas cuiquam impertiri. Nisi enim hoc se posse crederent, a tanta præsumptione se suspenderent. Ex qua certe sua æstimatione, si Simon ille pessimis Arianis pejor evidenter prædicatur, quoniam sibi Spiritum sanctum subjicere quæsivit, Simoniaci ejus, quoniam omnino tantum nefas credunt, quibus jam pejores erunt? Neque enim pejores Arianis in hæreseon Catalogo dignoscuntur. Palam ergo Simoniacos, sicut tempore ita et errore, reliquis hæreticis priores esse. Verum, ne supra modum prægravari se a nobis causent, pares eos Arianis tandem concedimus, quamvis auctorem eorum Simonem Arianis perversiorem præmonstraverimus quo utique perversiores isti ejus discipuli probantur. Qua certe paritate concussa, necesse erit Simoniacos cum sibi paribus Arianis parem etiam contra se a catholicis exspectare sententiam. Itaque jam non nostris, sed antiquissimorum, et per omnia catholicorum et orthodoxorum Patrum impetantur spiculis et obruantur sententiis, ut, secundum Salomonis elogia, qui se divites affectant, nihil se, nisi extremam inopiam, habere (*Prov.* XI, 22); vel sero erubescant, sive, juxta Dei atque Patris ejus attestationem, ubi evigilaverint a somno suo omnes viri divitiarum, nihil in manibus suis, id est ordinationibus inveniatur (*Psal.* LXXV, 6). Primo tamen hic calumniæ eorum summa suffigatur, ac deinde evidentibus Patrum fulminibus confodiatur.

CAPUT VIII.

CORRUPTOR. Unde supra in canonibus apostolorum, quos sanctus Isidorus recipiendos esse confirmat : « Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus secundam manus impositionem acceperit ab aliquo, deponatur, et ipse qui eum ordinare tentaverit. Nam eos qui ab ejusmodi baptizati fuerint, vel ordinati, neque fideles, neque clericos esse possibile est. »

CORREPTOR. Cum dicit, unde supra, patet quod præcedens caput sancti Gregorii supposito capitulo apostolorum ideo conjungat ut nil differre catholicorum et hæreticorum ordinationem astruat, dum, quod S. Gregorius super catholicorum ordinationem specialiter protestatur, iste ad hæreticorum partem generaliter transferre conatur, quasi apostoli vetuerint ab hæreticis, ut dicitur, ordinatos secundam manus impositionem a catholicis accipere. Hinc, ex apostolorum canonibus sola capitula L (15), non tantum auctoritate beati Isidori quantam sanctissimi papæ Clementis et plurimorum successorum ejus, novimus debere recipi; sed, sicut ex authenticis et antiquis exemplaribus poterit probari, præsens capitulum constat istic proprio sensu et integritate circa sui finem fraudari et privari, et alienum figmentum eidem appositum sub specie veri. Nam in antiquioribus et veracioribus canonibus ita invenitur : « Si quis secundam manus impositionem acceperit, dejiciatur ipse, et qui eum reordinare tentaverit, nisi forte eum ab hæreticis ordinatum comprobaverit. » Porro quod caupo ille nequissimus, subtracto vino Sorec, admiscuit ex cisternæ dissipatæ aquis, ut propinaret a se deceptis, dicendo ab ejusmodi baptizatos, vel ordinatos, non posse neque fideles neque clericos esse, nec in isto sanctorum apostolorum, nec in aliquo catholicorum Patrum invenitur canone. In qua sua fraudulenta præsumptione, vel profanæ vocis novitate, sole clarius innotescit quam sit recipiendus, vel audiendus, in præcedenti aut subsequenti sua disputatione. Mani-

(14) Non videtur, inquit Fabricius (*Biblioth. med. et inf. Lat.* IV, 306) esse nomen hominis proprium, sed positum convicii loco in spinosiora adversarii nomina. EDIT. PATROL.

(15) Solos quinquaginta canones admittit Gelasius, sequentibus inter apocrypha recensitis, can. *Sancta*, dist. 15.

Digitized by Google

feste enim impugnat, et, quantum in se est, cassat et evacuare contendit sanctam Nicænam synodum, quæ etiam capitulum, quod nobis phreneticus ille putavit ad defensionem sui in subsequentibus objiciendum, continet; in quo Cathari, scilicet viciniores catholicæ fidei hæretici, si quando ad catholicam veniunt, manus impositionem accipere, sicque in catholico clero permanere censentur. Neque enim putandum est sanctos Patres id statuisse de Novatianorum laicis, qui nullam manus impositionem pro adipiscendis ordinibus acceperunt; sed de illorum clericis, quibus a suæ sectæ præpositis manus imposita fuit, ut ad quodlibet ministerium promoverentur altaris. Quibus ad catholicam venientibus cum a catholicis sacerdotibus manus imponitur, nonne secundam manus impositionem accipere noscuntur? Quam ideo a catholicis accipiunt, quia ab hæreticis ordinati comprobantur, ut in supra dicto canone apostolorum secundum antiquam veritatem legitur, quam hic mendosus emendator subtrahere non veritus, etiam sancto Nicæno concilio publicas injurias irrogasse deprehenditur. Quin etiam illa ejus conclusio consideretur, in qua diffinivit ab ejusmodi baptizatos, vel ordinatos nec fideles nec clericos esse posse. Quod si ita est, ut de cæteris interim taceatur, constat Novatianos hæreticos ad catholicam transeuntes, quasi a facie leonis fugere, sed ursum eis occurrere, dum, per impositionem manus catholici sacerdotis, hoc eis ad perniciem confertur, ne deinceps ipsi, vel ab eis baptizati aut ordinati, possint fideles aut clerici haberi. Sane hoc pacto tolerabilius illis fuerat sic permanere quam ad catholicam accedere, et inibi manus impositionem, post illam quam a suis acceperant, accipere. Duplici namque contritione contriti probantur quorum baptisma vel clericatus nil jam esse posse prædicatur. Sed absit a nobis hoc vel leviter æstimare! Alioquin et Nicæna synodus convincitur errorem non amputasse, sed propagasse; sanctique Patres, auctoritatem ejus secuti, quibuscunque hæreticis ad catholicam eorum transeuntibus manus imposuere, ex malis pejores hic et in futuro effecere.

Hinc ergo calumniator ille, si cæcus utrobique non est, jam evidenter recognoscere potest nec laicos hæreticorum ad communionem, nec clericos ad clerum in catholica debere suscipi sine impositione manus catholici sacerdotis post illam quam a suis accepisse sciuntur. Etenim, si laici fuerint, per manus impositionem et chrismatis unctionem in fide confirmantur; si clerici, nihilominus per manus impositionem permanent in ordine, quem hactenus habuisse videbantur. Unde liquet secundam manus impositionem authenticam esse et pernecessariam, si tamen a catholicis post hæreticos, non autem post catholicos fiat. Quæ tamen manus impositio, si prudenter advertitur, nequaquam secunda aut altera recte sed rite dicitur. Nam beatus papa Innocentius omnium hæreticorum manus impositionem esse pravam protestatur, rectam autem catholicorum. Si ergo hæreticorum manus impositio prava est, catholicorum autem recta, patet illam pravam ex quadam recte omnino vana similitudine abusive dici secundam, cum nulla substantialiter seu accidentaliter ad invicem habeant connumerationem. Nam, si hæc quæ abusive dicitur secunda, nihilominus prava vel pravior esset, non jam abusive, sed vere diceretur secunda. Nunc vero, cum sit illa prava, ista autem recta, constat in duabus rebus, sibi omnino contrariis et dissimilibus, non debere dici primam et secundam, sed unam illam, unam et istam. Identidem sentiendum et de ordinationibus, sive, ut obtrectatores contendunt, de reordinationibus. Denique si hæreticus post hæreticum alicui manus imponat, prava vel pravior est reordinatio, et ideo nec ordinatio, sed unica purgatio; quam si catholicus post catholicum iterare (ut putatur) præsumit, rectum sine ambiguitate pravo confundit; et ideo non dicendus est reordinasse, sed se et alium a recto ad pravum seduxisse vel attraxisse. Propter quod præmisso apostolorum capitulo judicandi sunt ambo, scilicet deponendi, quia catholicam ordinationem iterandam putantes, par periculum incurrerunt. Hæc cum ita sint, solis Simoniacis præfata Patrum regula in nullo putatur esse necessaria, quasi ipsi aut non computandi sint hæretici; aut certe ejusmodi, quibus a catholica nil gratiæ spiritualis possit conferri, utputa quibus plenitudo sancti Spiritus ad votum, sive gratis, sive non gratis eam largiri velint, famulatur vel obsequitur.

CAPUT IX.

Verum quia a catholicis adversus hæreticos clamatur, cum utrique se profiteantur catholicos, et alterutros vel invicem se dicant hæreticos, ita ut, in hujus plagosæ Ægypti palpabilibus hoc nostro tempore tenebris, non facile perspici possit quis cujus spiritus sit, prætermissis omnibus his de quibus impræsentiarum dubitari potest, catholici an hæretici habendi sint, ad duos tantum ex antiquissimis retorqueatur stylus, quos certos et diffamatos hæreticos, et a sanctis Patribus concordi sententia damnatos ab initio fuisse ambigit nullus. Et priorem quidem sancti apostoli, alterum vero detexerunt et damnaverunt omni mundo reverendi Patres Nicænæ synodi, et post eos quotquot fuere vel sunt catholicæ fidei. Decimus autem Simonem Magum cum suis Simonianis, et Arium Alexandrinum presbyterum cum suis Arianis: quorum prior quamvis a sanctis Patribus reputetur pejor, tamen quia pares in hæresi utrosque esse supra concessimus, contra fusile scutum et armaturam perfidi et redivivi Simonis vibremus et contorqueamus jacula sanctorum Patrum, quibus impugnata et expugnata fuit artificiosa armatura vesani Arii, nec jam usquam comparentis. Et primo quidem prolatis catholicorum Patrum testimoniis atque regulis ostendatur, Arianorum et aliorum hæreticorum baptisma quanti habuerint, vel quid esse senserint. Itaque, in sanctorum Patrum apostolorum canonibus, quos his

Digitized by Google

noster contradictor auctoritate sancti Isidori recipiendos esse superius dixit, et nos, potius auctoritate beati papæ Clementis plurimorumque successorum, illius capitula, hæc duo sine dubio reperiuntur.

(*Can.* 47.) « Episcopum aut presbyterum hæreticorum suscipientem baptisma damnari præcipimus. Quæ enim conventio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli? » (*II Cor.* VI, 15.)

Sequitur alterum ejusmodi :

(*Can.* 48.) « Episcopus aut presbyter, si eum, qui secundum veritatem baptismum habuerit, rebaptizare præsumpserit, aut si pollutum ab impiis hæreticis non baptizaverit, deponatur tanquam deridens crucem Domini, nec veros sacerdotes a falsis sacerdotibus omnino discernens. »

Quæ utique regula, quia multa sui subtilitate offendebat plurimos et scandalizabat, ab apostolorum successoribus est remota, et quodam temperamento circumlita, ut baptisma, id est aquæ intinctionem, sub invocatione Trinitatis permitterent esse ratam, decernerentque nullomodo iterandam, si constiterit in nomine ejusdem sanctæ Trinitatis peractam. Quo certe permittendi verbo usus est et beatissimus Leo, « hæreticorum baptisma, inquiens, ratum esse permittimus. » Sed et gloriosus martyr et pontifex Cyprianus quid de hæreticorum baptismate senserit, ex concilio ipsius evidenter cognosci poterit. Eadem enim contra illud cum suis coepiscopis sanxit quod et præfati canones apostolici. Sed prævaluit posterior regula, quia et plures revocabat, et disceptationes sequentium removebat, et indocti vulgi animositatem reprimebat. Porro quod permittitur, quamvis sit licitum, non tamen usquequaque censetur bonum, sicut beatus Joannes Chrysostomus, de hujus verbi proprietate in expositione super Matthæum latius disserens, ait : « Vidit itaque Judæos Moyses propter delectationem carnalem circa studia sacrificiorum esse deditos, et si mandasset eis recedere a sacrificiis, non fuerat audiendus, quia annosa passio medicamento momentaneo non curatur; jussit eis sacrificare quidem, sed non jam dæmonibus, sicut in Ægypto, sed Deo vivo. Dimidium mali permisit, ne totum perderet bonum. Hac ratione permisit illis etiam dare libellum repudii, quia melius judicavit permittente lege matrimonii solvi quam odio compellente homicidium fieri. Permisit eis malum facere, ne facerent pejora. Ergo hoc permittendo, non eis Dei justitiam demonstravit, sed cum peccato abstulit culpam peccandi, ut, quasi secundum legem agentibus, eis peccatum suum non videatur esse peccatum, ut puta si quis habet servum qui furatur et inebriat se, considerans dominus quia si utrumque insimul mandaverit observare, nihil proficit, mandat illi ut bibat quidem quantum vult, sed publice bibat, ut paulatim discat obaudire præceptis. Sic permissum est et repudium, malum quidem, tamen licitum. Hac ratione et apostoli præceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere secundum præceptum Apostoli licitum est; secundum autem veritatis rationem, vere fornicatio est. Sed, cum permittente Deo publice et licenter committitur, fit honesta fornicatio, propterea bene dixit Dominus, quia Moyses hoc permisit, non præcepit. Aliud est enim præcipere, aliud permittere. Quod enim præcipimus volumus : quod autem permittimus nolentes præcipimus, quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus. » Huc usque Chrysostomus. Cujus egregii viri efficax allegatio, cum plurimis et maximis auctoribus et doctoribus, tam etiam hoc jam trito proverbio suffulcitur : Permittit Deus fieri quod non vult.

CAPUT X.

Verum in subsequentibus evidentius apparebit quantæ imperfectionis hæreticorum baptismus sit. Beatus papa Syricius (*epist.* 1) Tarraconensi episcopo inquirenti sic super baptismo respondit. « Prima paginæ tuæ fronte signasti baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem catholicam festinare, et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle, quod non licet cum hoc fieri et Apostolus vetet et canones contradicant, et, post cassatum Ariminiense concilium, missa ad provincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant. Quos nos cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut est in synodum constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, episcopalis manus impositione catholicorum conventui sociamus. Quod etiam totus Oriens Occidensque custodit. A quo tramite vos quoque posthac minime convenit deviare, si non vultis a nostro collegio synodali sententia separari. » In quo denique decretali capitulo aperte innuitur non uniformem, sed biformem regulam super susceptionem venientium ab hæreticis catholicos a tempore apostolorum usque Liberium papam retinuisse, eumdemque post cassatum Ariminense concilium generali decreto primitus prohibuisse ne ab Arianis baptizati rebaptizarentur a catholicis, sed per episcopalis manus impositionem catholicorum conventui sociarentur, sed quantæ imperfectionis in catholica habeantur ab hæreticis baptizati, beatissimus papa Innocentius prolata sanctæ Romanæ Ecclesiæ antiqua, et authentica regula liquido ostendit dicens :

(Innoc. *epist.* 22, n. 4.) « Nostræ lex est Ecclesiæ venientibus ab hæreticis qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquam in clericatus honorem vel exiguum subrogare. » Ex qua regula patet quid sancti Patres de baptizatis ab hæreticis sentiant, quos non dico ad aliquem sacri altaris gradum, sed nec ad solum clericatus honorem promoveri consentiunt, exceptis, ut supra dictum est, Catharis. Quid etiam clarissimus doctor fidei Leo de baptismo hæreticorum senserit, quamvis superius copiose expositum sit, ejus tamen capi-

Digitized by Google

tulum super hoc denuo hic inserere minime nos piguit.

(Leo, *epist.* 129, *ad Nicetam*, cap. 7.) « Hi, qui baptismum ab hæreticis acceperunt cum baptizati ante non fuissent, sola sancti Spiritus invocatione per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt. Et hanc regulam, ut scitis, servandam in omnibus Ecclesiis prædicamus, lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo : « Unus Deus, una fides, unum baptisma (*Ephes.* IV, 5). » Cujus ablutio nulla iteratione temeranda est, sed ut diximus, sola sanctificatio sancti Spiritus invocanda est, ut quod ab hæreticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur. » Unde supra idem doctor (Leo, *epist.* 2 *ad Rustic.*, cap. 18) : « Sunt qui non se baptizatos nesciunt, sed cujus fidei fuerint qui eos baptizaverunt se nescire profitentur, unde quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperunt, baptizandi non sunt, sed per manus impositionem invocata virtute Spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt. » Beatus quoque Eusebius (Euseb. *epist.* 1), ante Melchiadem et Sylvestrum Romanam Ecclesiam gubernans, de suscipiendis hæreticis ita Gallicanos episcopos instruxit : « Quod significastis quid de conversis hæreticis fieri debuisset, scitote nos eos qui in sanctæ Trinitatis fide baptizati sunt per impositionem manus suscipere. » Item, unde supra, Campaniæ et Tusciæ episcopis (*Epist.* 3) : « Hæreticos omnes, quicunque ad gratiam Dei convertuntur, et in sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati sunt, Romanæ Ecclesiæ tenentes regulam, per manus impositionem reconciliari præcipimus. » Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est. Quæ ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus, nec tempore apostolorum ab aliis quam ab ipsis apostolis legitur aut scitur peracta esse, neque ab aliis, sicut jam dictum est, quam ab illis qui eorum locum tenent, unquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, et vacuum, nec inter ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta. Unde supra, ex concilio Arelatensi cujus auctor B. papa Sylvester fuisse dicitur (*Conc. Arelat. can.* 8) : « Si ad Ecclesiam aliquis ab hæresi venerit, interrogent eum de symbolo, et si viderint eum in Patre, et Filio, et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei imponatur; tantum ut accipiat Spiritum sanctum. » His ergo et aliis hujusmodi sanctorum Patrum quampluribus testimoniis, manifeste instruimur catholicæ fidei fundatores et prædicatores quanti habuerint hæreticorum baptisma, manus quoque eorum impositionem, quæ utraque sine chrismate non fuerunt. Nempe ex eis ad catholicam venientes, et manus impositionem cum invocatione sancti Spiritus accipiunt ab episcopis catholicis, et sacro chrismate perunguntur, quasi qui nihil horum hactenus habuerint.

CAPUT XI.

Præterea hinc, jam prolatis aliis sanctorum Patrum regulis, monstrare laborabimus quanti æstimaverint, imo decreverint hæreticos habendos in qualibet actione sua vel conversatione, quos pejores paganis et Judæis judicavere, sicut ex B. Joannis Chrysostomi, super Matthæum expositione, docemur clarius luce. Ait enim : « Rex, cum viderit in Ecclesia Christi non vestitum veste nuptiali, id est fide vera, jubet ministros suos, id est malos spiritus seductionum, nam mala per malos spiritus reddit, qualis fuit spiritus erroris quem misit Deus ut seducat Achab, sicut scriptum est in tertio libro Regnorum, vel qualis est operatio erroris, quem dabit eis Deus, qui charitatem Dei non receperunt, ut credant mendacio. » Et post pauca : Et apprehendentes eum per ipsa opera, per ipsa consilia ejus, mittunt eos in tenebras exteriores, id est in errorem gentilium, Judæorum, vel hæreticorum. Et forsitan propinquiores sunt tenebræ gentilium, exteriores autem Judæorum, pejus autem exteriores hæreticorum, quoniam gentiles veritatem spernunt quam non audierunt; Judæi autem quam non crediderunt, hæretici autem quam audierunt et didicerunt. Ipsarum quoque hæreticorum tenebrarum quædam sunt prope lucem veritatis, aliæ autem longius a veritate, et ideo nigriores, aliæ autem amplius longe, et ideo pressiores et exteriores, id est in hæreses perversissimas. » Ex qua Chrysostomi sententia convincuntur hæretici paganis et Judæis pejores, quamvis ex ipsis hæreticis sint quidam veritati, id est catholicæ fidei propinquiores, quidam longinquiores. Porro in quibus hæretici a catholicis sint devitandi, et velut pagani aut Judæi procul habendi, et ex multis sanctorum Patrum docemur scriptis, et ex subjectis catholicorum conciliorum capitulis.

Ex concilio Laodicensi, cap. 6. « Non concedendum hæreticis ingressus domus Dei in hæresi permanentibus. »

Item, ex eodem concilio, cap. 9. « Non accedendum ad cœmeteria vel quæ martyria dicuntur hæreticorum catholicos orationis gratia, et petendæ curationis intrare, sed et qui ierint, si sunt fideles, incommunicabiles factos, ad pœnitentiam usque ad aliquid temporis redigi. Pœnitentes autem eos et se errasse confessos suscipi oportere. »

Item, ex eodem, cap. 10. « Eos qui ad Ecclesiam pertinent indifferenter, filios proprios hæreticorum nuptiis minime sociari debere. Cui capitulo concordans. Carthaginense concilium statuit (*cap.* 16 *et* 17) ut filii clericorum gentilibus, aut hæreticis aut schismaticis, matrimonio non conjungantur, et ut episcopi, vel quicunque clerici in eos qui catholici Christiani non sunt, etiamsi consanguinei sint, per donationes rerum suarum nihil conferant. »

Item, ex concilio Laodicensi, cap. 40. « Non oportet cum omnibus miscere convivia, et vel filios, vel filias dare, sed magis accipere, si tamen profiteantur se Christianos futuros esse catholicos. »

Digitized by Google

Item, ex eodem concilio, cap. 42. « Non oportet hæreticorum benedictiones vel eulogias accipere, quoniam istæ maledictiones magis sunt quam benedictiones. »

Item, ex eodem concilio, cap. 46. « Non oportet cum hæreticis vel schismaticis orare. »

Item, ex eodem, cap. 47. « Non oportet a Judæis vel hæreticis feriatica quæ mittuntur accipere. »

Unde supra, in canone apostolorum. « Episcopus, presbyter, aut diaconus, qui cum hæreticis oraverit, tantummodo communione privetur. Si vero tanquam clericos hortatus fuerit eos agere, vel orare, damnetur. »

Unde supra, ex decretis Fabiani(16) *papæ.* « Omnes qui rectam non docent doctrinam, vel rectam non tenent fidem accusatores, neminem recte credentium accusare possunt, quia infamia sunt notati, et a sinu matris Ecclesiæ a publico mucrone usque ad rectam conversionem et reversionem eorum abscissi. Unde apostolica auctoritate cum omnibus ejusdem apostolicæ atque universalis Ecclesiæ filiis statuentes sancimus ut omnes qui in catholica fide suspecti sunt, in accusatione recte credentium non suscipiantur, quia suspecti omnes semper sunt amovendi, et non recipiendi. Merito ergo reprobatur eorum accusatio, qui in recta fide suspecti sunt, nec eis omnino esse credendum. »

Item, ex decretis B. Dionysii papæ et martyris. (Dionys. *epist.* 2, *ad Severum episcop.*) « Crimina quæ episcopis impingi dicis per alios, non sinas ullo modo fieri, nisi per ipsos qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni et irreprehensibiles apparuerint, et actibus docuerint publicis, omni se carere suspicione et inimicitia, et irreprehensibilem fidem conversationemque ducere. Nemini enim de se confesso credi potest super crimen alienum, quam ejus, omnisque rei professio periculosa est, et admitti non debet. »

Ex decretis quoque Gaii papæ Felici episcopo. « Primum quidem scias paganos et hæreticos non posse Christianos accusare, aut vocem infamationis inferre. »

His et hujusmodi catholicorum Patrum decretis et sententiis evidenter agnoscitur hæreticis domus Dei ingressus interdici, et ab omni catholicorum communione eos removeri, scilicet orationum, conviviorum, nuptiarum vel matrimoniorum, vel donationis rerum aut patrimoniorum, nec accusandi catholicos, vel testificandi contra eos licentiam concedi, quorum etiam cœmeteria orandi causa intrare, vel eulogias, vel feriatica accipere, omnino vetantur catholici. Unde nemo ambigit hæreticos per omnia a catholicis repudiandos, sicut aut certe plusquam Judæos vel paganos, quia in istis adhuc est spes fidei, ut supra dictum est; in illis jam pugnæ de discordia.

CAPUT XII.

Sed etiam nunc attendamus quid sancti Patres A senserint de hæreticorum ordinibus, aut potius ordinationibus.

Ex epistola B. Innocentii papæ episcopis Macedoniæ. (Innoc. *epist.* 22, n. 3.) « Ventum est ad tertiam quæstionem, quæ pro sui difficultate longiorem exigit disputationem, cum nos dicamus ab hæreticis ordinatos, vulneratum per illam manus impositionem habere caput, et ubi vulnus infixum est, medicina adhibenda est, ut sanitatem possit recipere. Quæ sanitas post vulnus secuta sine cicatrice esse non poterit, atque ubi pœnitentiæ remedium necessarium est illic ordinationis honorem locum habere non posse. Nam sicut legitur : « Quidquid tetigerit immundus, « immundum erit(*Num.* xix, 22),» quomodo id ei tribuetur, quod munditia ac puritas consuevit accipere? B sed econtra asseritur eum qui honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat quod ille posset accipere. Et verum est certe quia quod non habuit, dare non potuit. Damnationem utique quam habuit per pravam manus impositionem dedit. Et qui particeps factus est damnato, quomodo habet honorem accipere invenire non possum. »

Hinc jam a Simoniacis ordinati evigilent tandem, et tanto tonitru tantoque fulmine tam egregii inter egregios pontifices subito turbati et confusi, quid ab ordinatoribus suis acceperint saltem sero recognoscant, aut Simoniacos nec esse nec dici debere hæreticos, si possunt vel audent, rationabiliter nos edoceant.

C Nempe ab hæreticis ordinati per illam manus impositionem vulneratum habere docent caput, quia: « Quidquid tetigerit immundus, immundum erit» Constat ergo omnem hæreticum immundum esse. Quidquid tangit procul dubio immundum fit, secundum dictum Domini in lege Moysi.

Neque enim ab immundo hæretico potuit, aut poterit tribui quod munditia ac puritas accipere consuevit, cujus cor sincera fide constat non esse mundatum. Cui ergo nihil munditiæ ac puritatis potuit tribui, quid aliud poterit illi tribuere quæcunque tetigerit, nisi immunditiam quam solam habet? Ergo restat ut nihil aliud quam immundus sit, quem immundus tangit, quia damnationem, D quam habet, dat per pravam suæ manus impositionem. Nec enim qui honorem non habet, honorem dare potest. Et ubi nihil est in dante, nihil est quod possit quis, etiamsi omnimodis cupiat, accipere. Itaque accipit damnationem, quam habet ille qui sibi facit pravam, et non rectam manus impositionem. Hujusmodi ergo ordinatus, ut putatur, damnato, id est, hæretico particeps factus ex illa sua ordinatione, irrecuperabilis est, in honore decernitur a tanto pontifice. Censet enim ejus vulneri, quod utique capiti illius infixum est, necessariam esse pœnitentiæ medicinam.

Quam etiamsi sanitas sequatur, cicatrix tamen ex

(16) Hæc Fabiani, uti et præcedentes Eusebii ac sequentes Dionysii et Gaii papæ epistolæ sunt spuriæ, ab Isidoro Mercatore suppositæ.

Digitized by Google

toto jam non exterminatur, quia post pœnitentiam nemo ad ecclesiasticum est admittendus honorem. Claret ergo dupliciter eos repelli qui ab hæreticis comprobantur ordinati scilicet quia facti sunt eorum participes, et quia pœnitentes. Unde perpendant quantam ruinam incurrerint, quibus etiam ipsa medicina, id est pœnitentia, ne ad honorem ecclesiasticum aspirare debeant obsistit. Sed ne, aucupantes verba tantum et negligentes sensa, putent se aliquid tenere, in eo quod in præfato capitulo legitur eum qui honorem amisit honorem dare non posse, et qui particeps factus est damnato, quasi dictum sit de illo qui quondam honorem habuit et postea amiserit, vel qui quondam regulariter ordinatus et postea damnatus fuerit, agnoscant non sic accipiendum ex aliis divinis Scripturis; sed quia amisit ubi inordinate honorem accipere quæsivit, ibique damnatus exstitit, ubi hæreticus fieri non timuit. Velut accipiendo enim amisit, aut certe damnatus fuit, quia ne deinceps honorem ecclesiasticum accipere possit promeruit, secundum quod Psalmista ait: « Dejecisti eos, dum allevarentur (*Psal.* LXXII, 18). » Non enim ait dejecisti eos postquam elevati sunt, sed cum elevarentur.

CAPUT XIII.

Beatus quoque Gregorius in Moralibus de struthione, quod privasset eam Deus sapientia, nec dedisset illi intelligentiam, loquens ait: « Quamvis aliud sit privare, aliud non dare, hoc tamen repetiit subdendo non dedit, quod præmisit, privavit. Ac si diceret, quod dixi, privavit, non injuste sapientiam abstulit, sed juste non dedit. Unde et Pharaonis cor Dominus obdurasse describitur, non quod ipse duritiam contulit, sed quod, exigentibus meritis, nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate mollivit. » Hinc, ex ipsius B. Gregorii dictis, ostendatur utrum Simoniacus sit habendus aut dicendus hæreticus.

Ex epistola ejus ad Brunichildam, reginam Francorum. « Nec illud prætermittimus, sed omnino exsecrabile et esse gravissimum detestamur, eo quod sacri illic ordines per Simoniacam hæresim, quæ prima contra Ecclesiam orta et districta maledictione damnata est, conferantur. Hinc ergo agitur ut sacerdotis dignitas in despectu, et sanctus sit honor in crimine. Perit utique reverentia, adimitur disciplina, quia qui culpas debuit emendare committit, et nefaria ambitione honorabilis sacerdotis ducitur in depravatione censura. Nam quis denuo veneretur quod venditur? aut quis non vile putet quod emit? Unde valde contristor, et terræ illius condoleo, quia dum Spiritum sanctum, quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, divino munere habere despiciunt, sed præmiis assequuntur, sacerdotium illuc subsistere diu non arbitror. Nam ubi dona supernæ gratiæ venalia judicantur, ad Dei servitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur. »

Item Theodorico et Theudeberto, regibus Francorum. « Fertur Simoniaca hæresis, quæ prima contra Dei Ecclesiam diabolica plantatione suscepit et in ipso ortu suo zelo apostolicæ ultionis percussa atque damnata est, in regni vestri finibus dominari. Cum in sacerdotibus fides sit eligenda cum vita, si vita decet, fides meritum non habet, beato Jacobo attestante, qui ait: *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II, 20). Quæ enim opera esse valeant sacerdotis qui honorem tanti sacramenti convincitur obtinere per præmium? Ex qua re agitur ut ipsi quoque qui sacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere studeant, sed divitias quibus honor sacer emitur congregare. Hinc fit etiam insontes et pauperes a sacris ordinibus prohibiti despectique resiliant. Et, dum innocentia pauperis displicet, dubium non est quod præmium illic delicta commendet, quia, ubi aurum placet, et vitium. Hinc igitur non solum in ordinatoris et ordinati animam lethale vulnus infligitur, verum etiam excellentiæ vestræ regnum episcoporum culpa, quorum magis intercessionibus juvari debuerat, prægravatur. Si enim is dignus sacerdotio creditur cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, restat ut nihil sibi in honore ecclesiastico gravitas, nihil defendat industria, sed totus auri profanus amor obtineat. Et, dum vitia honor remunerat, in locum ultoris is qui fortasse fuerat ulciscendus adducitur, atque hinc sacerdotes non proficere, sed præire potius indicantur. Vulnerato namque pastore, quis curandis ovibus adhibeat medicinam? aut quando populum orationis clypeo tueatur, qui jaculis se hostium feriendum exponit? aut qualem de se fructum producturus est, cujus pravi peste radix infecta est? Major ergo metuenda est locis illis fore calamitas, ubi tales intercessores adducuntur ad locum reginis, qui Dei in se magis iracundiam provocent quam per semetipsos populis placare debuerant. »

Item, idem Siagrio episcopo Augustodunensi. « Nuntio apud nos olim discurrente vulgatum est quod, in Galliarum partibus, sacri ordines per Simoniacam hæresim conferantur, et vehementi tædio mœroris afficimur si in ecclesiasticis officiis quemquam habeat locum pecunia, et fit sæculare quod sacrum est. Quicunque ergo hoc pretii studet datione percipere, sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit. Quid scilicet? quid per hoc agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla fit de vita discussio, sed ille solummodo dignus qui dare pretium sufficerit æstimetur? Ex qua re si recti libraminis examinatione pensetur, dum improbe ad inanem gratiam locum festinat humilitatis arripere, eo ipso magis qui honorem quærit indignus est. Sicut autem is, qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus, sic qui ultro ambit, vel importunum se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo exterius, interius in profunda descendat? Itaque, frater charissime, in sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, sit

Digitized by Google

simplex sine venalitate consensus. Pura præferatur electio, ut ad summam sacerdotii non suffragio venditorum, provectus, sed Dei credatur judicio: nam, quia grave omnino facinus est Dei donum vel pretio comparare vel vendere, evangelica est testis auctoritas (*Matth.* XXI, 12): Templum enim Dominus et Redemptor noster ingressus cathedras vendentium columbas evertit. Quid aliud est columbas vendere, nisi pretium de manus impositione accipere, et sanctum Spiritum, quem omnipotens Deus hominibus tribuit, venundare? Quorum sacerdotium ante Dei oculos cadere, cathedrarum utique patenter eversione signatum est. Et tamen exerit adhuc nequitiæ pravitas vires suas. Nam cogit vendere quos decipit ut emerent; et dum non attendit quod divina voce præcipitur: « Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* X, 8), » agitur ut crescat, et geminata fiat in uno eodemque delicto conditio, mentis scilicet et vendentis. Et cum liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera subrepsisse, atque in ipsa sua origine apostolica esse detestatione damnatam, cur non cavetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur? Plerumque igitur adversarius animarum, dum non potest in his quæ ad faciem sunt prava subripere, callide, specie quasi pietatis injecta, nititur subplantare, suadetque forsitan debere ab habentibus accipi, ut sit quod possit non habentibus erogari, dummodo vel sic venena mortifera, eleemosynæ celata obumbratione, transfundat. Nam nec venator feram, nec avem auceps deciperet, vel piscem piscator caperet, si aut illi laqueum in aperto proponerent, aut ille hamum esca absconditum non haberet. Omnino ergo metuenda et cavenda est hostis astutia, ne quos aperta nequit tentatione subvertere, latente telo valeat trucidare. Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur, quia qui hac intentione male accipit, ut quasi bene dispenset, gravatur potius quam juvatur. Eleemosyna Redemptori nostro illa placet, quæ non de illicitis et iniquitate congeritur, sed de rebus concessis et bene acquisitis impenditur. Unde etiam illud certum est quia, etsi monasteria, aut xenodochia, vel quid aliud construitur, mercedi non proficit, quoniam dum perversus emptor honoris in locum venditoris transit, et alios ad sui similitudinem sub datione constituit commodi, plura male ordinando destruit quam ille potest ædificare qui ab eo pecuniam pro ordinatione accepit. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum peccato aliquid studeamus accipere, aperta sacra Scriptura nos prohibet, dicens: « Hostiæ impiorum abominabiles Domino, quæ offeruntur ex scelere (*Prov.* XXI, 27). » Quidquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, Omnipotentis iracundiam non placat, sed irritat. Hinc rursus scriptum est: « Honora Dominum de tuis justis laboribus (*Prov.* III, 9). » Qui ergo male tollit, ut quasi bene præbeat, constat sine dubio quia Dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur: « Qui offert sacrificium de substantia pauperis, ac si victimet filium in conspectu patris (*Eccli.* XXXIV, 24). » Quantus autem dolor patris sit perpendamus, si in ejus conspectu filius victimetur: et hinc facile cognoscemus quanto Deus omnipotens dolore exasperatur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum est, dilectissime frater, sub obtentu eleemosynæ, peccata Simoniacæ hæreseos perpetrare. Nam aliud est propter peccata eleemosynam facere, aliud propter eleemosynas peccata committere. »

Et post aliqua idem eidem, unde supra. « Ne forsitan adhuc pravæ se consuetudinis quisquam velit objectu defendere, fraternitatis vestræ discretio rationis eos freno coerceat, et labi in illicitis non permittat, quia quidquid ultioni dignum est, non ad imitationis, sed potius ad exemplum debet correptionis adduci. »

Et post pauca: « De his itaque quæ superius dicta sunt, fraternitatem vestram auctore Deo volumus synodum congregare, atque in ea, reverentissimo fratri nostro Aregio episcopo, et dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate mediantibus, omnia quæ sanctis canonibus, sicut prædiximus, sunt adversa, districte sub anathematis interpositione damnentur, id est, ut nullus pro adipiscendis ecclesiasticis ordinibus dare aliquod commodum præsumat, vel pro datis accipere, neque ex laico habitu quisquam repente audeat ad locum sacri regiminis pervenire, neque ut aliæ mulieres cum sacerdotibus habitent, nisi hæ quæ a sacris canonibus sunt permissæ. »

Item, idem Victorio episcopo. « Quisquis ad hoc facinus videtur Simoniacæ ac Neophytorum hæresis emendandum officii sui consideratione vehementer non arderi, cum ipso se habere non dubitet portionem, a quo prius hoc peculiare flagitium sumpsit exordium. »

Ex decretis ejusdem, unde supra. « Antiquam Patrum regulam sequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea quam nova per ambitionem simulatio invenit appellatione pastelli. Quia enim ordinando episcopo pontifex manum imponit, evangelicam vero lectionem minister legit, confirmationis autem ejus epistolam notarius scribit, sicut pontificem non decet manum quam imponit vendere, ita minister vel notarius non debet in ordinatione ejus vocem vel calamum venundare. Pro ordinatione ergo vel usu pallii, seu chartis atque pastellis, eumdem qui ordinandus est omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus si quis huic aliquid commodi appellatione exigere vel petere forte præsumpserit, in districto Dei omnipotentis examine reatui subjacebit. »

Item, eidem Virgilio episcopo Arelatensi. « Quibusdam narrationibus agnovi quod, in Galliarum vel Germaniæ partibus, nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, fleus dico, gemens denuntio, quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Sci-

Digitized by Google

mus quippe, ex Evangelio, quod Redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus templum cathedras vendentium columbas evertit (*Matth.* xxi, 12). Columbas enim vendere est de sancto Spiritu, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi, per impositionem manuum, hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi, malo jam innuitur quid sequatur, quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo judice cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque qui ad sacrum honorem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior ést aliis venundare quod emit. Ubi est quod scriptum est: « Gratis accepistis, gratis date? (*Matth.* x, 8.) » Et cum prima contra sanctam Ecclesiam Simoniaca hæresis sit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia, eum quem quis cum pretio ordinat provehendo, agit ut hæreticus fiat? »

Idem Joanni episcopo Corinthiorum, unde supra. « Quia hanc nefandissimam pravitatem sancta universalis omnino damnat Ecclesia, hortamur fraternitatem vestram, ut tam detestabile et immane peccatum, de locis omnibus quæ sub se sunt, sollicitudinis suæ modis omnibus compescat instantia. Nam si quid tale deinceps fieri senserimus, jam non verbis, sed canonica hoc ultione corrigemus, et de vobis quod non oportet aliud incipiemus habere judicium. Novit autem fraternitas vestra quia prius pallium nisi dato commodo non dabatur; quod quoniam incongruum erat, facto concilio ante corpus beati Petri, apostolorum Principis, tam de hoc quam de aliis ordinationibus aliquid accipere sub districta interdictione vetuimus. Oportet ergo neque per commodum, neque per gratiam, aut per quorumdam supplicationem aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis adduci. Nam et peccatum, sicut diximus, grave est, et sine correptione hoc non patimur permanere. »

CAPUT XIV.

Ex his sane tam præclari doctoris multiplicibus et repetitis sententiis, manifeste comprobatur sacrorum ordinum venalitatem hæresim esse, et Simoniacam agnominari, omniumque primam, et in ipsa sua origine apostolica detestatione atque districta maledictione damnatam, velut contra sanctam Ecclesiam radice pestifera primitus proserpentem. Qua profecto fit ut omnis reverentia sacerdotalis, vel actio intus et exterius depravetur et in crimine sanctus honor habeatur. Neque enim venerandum quis putat quod venditur, imo omnino vile esse quod emitur. Denique ubi dona supernæ gratiæ venalia judicantur, contra Deum pecuniæ venerantur, ut jam, in homine misero, non Deus verus et antiquus, sed falsus et recens dominetur, scilicet qui pecuniis præest talibus mammona nequissimus, et non est dubium pauperum innocentiam displicere, ubi præmium comprobatur delicta commendare, quia, ubi aurum placet, et vitium. Hinc non solum in ordinatoris et ordinati animam lethale vulnus infigi prædicatur, sed etiam qui episcoporum intercessionibus sublevari debuerant, culpa prægravantur. Astruit quoque idem doctor quia, si is dignus sacerdotio creditur cui pecuniæ copia suffragatur, consequens est ut nihil sibi, in honore ecclesiastico, probitas defendat, sed totum auri profanus amor obtineat, ut vitia quæ vindictam merebantur, honore remunerentur, dum is qui corripiendus est locum correptoris usurpat. Tales profecto sacerdotes non proficere, sed perire potius affirmat, quorum radix gravi peste est infecta. Nihilominus astruit majorem calamitatem timendam locis illis, quibus tales intercessores ad regimen dantur, qui magis iram Dei contra se provocent, quam per semetipsos populis placare debuerant. Deinde vehementi mœrore se affligi testatur, si ecclesiasticis officiis locum aliquem habet pecunia, quia quod sacrum est mox fit sæculare. Nam omnem, qui quod sacrum est studet pretio percipere, asserit sacerdotem non esse, sed tantummodo inaniter dici velle. Tandem, post multa quibus eos reprobat, asserit benedictionem illis in maledictionem converti, et ad hoc solum promoveri ut ex catholicis fiant hæretici, quorum omnis actio, etiamsi alicujus videatur momenti, apud Deum tamen reputatur nihil.

Sed quia ex his et quibusdam beati Gregorii dictis quidam sibi præsumunt, unde opinionis suæ errorem impudenter et pertinaciter defendant in tantum ut Spiritum sanctum vendi simul et comparare dogmatizent, insistendum est, ut tandem aliquando hoc sensisse vel dixisse pœniteat. Ait enim: Ecce quid beatus Gregorius super hoc senserit ad majores Francorum epistolarum ejus tenor aperte ostendit. « Omnino, inquit, exsecrabile et gravissimum detestamur, quod sacri ordines in vestris partibus per Simoniacam hæresim conferantur. Et paulo post: Unde valde contristor, et terræ illi condoleo quia, dum Spiritum sanctum, quem per manus impositionem omnipotens Deus omnibus elargiri dignatur, divino munere habere despiciunt, præmiis assequuntur. » Ex qua sane propositione verborum tanti pontificis, vecordes concipiunt sibi causas perfidæ argumentationis, et velut per Sapientem dicitur: « A facie veri parturientis » dicunt (*Eccli.* xix, 11): Ecce hic apte beatus Gregorius testatur, quod sanctus Spiritus per pecuniam venditur et conferitur, et per manus impositionem pretio emptam nihilominus Spiritus sanctus accipitur et tribuitur. Nempe profitetur quod sacri ordines per Simoniacam hæresim conferantur, et quod homines sanctum Spiritum præmiis assequuntur. Heu miseri, inquit, dies ultra miseri, qui sceleratiores militibus, Dei Virtutem et Dei Sapientiam cruciligentibus, tunicæ illius inconsutili violentas manus injicere et particulas sibi inde abscindere non metuant, quodque adhuc est gravius, eamdem sibi totam cessisse arbi-

Digitized by Google

trantur. Cum enim ex periochis tanti doctoris vestigari debuerit, isti particulam sententiæ sibi illam arripiunt, quod illic sacri ordines conferri dicuntur, et abjiciunt quod ibidem per Simoniacam hæresim inserit. Ubi si simplici mentis oculo considerassent quid sit hæresis et maxime Simoniaca, nequaquam putarent per Simoniacam hæresim conferri sacros, id est sanctos, sed potius. . . . . id est exsecrabiles ordines, et ideo nec ordines, sed errores.

Abscindunt quoque et illud quod « Spiritum sanctum homines præmiis assequuntur, » nec respiciunt quod illic inserit, « quem per manus impositionem omnipotens Deus omnibus largiri dignatur, divino munere habere despiciunt ; » quod si perspexissent, nequaquam putarent aliquos hominum per cujuscunque manus impositionem quantocunque pretio posse consequi Spiritum sanctum, quem divino munere habere despiciunt. Quomodo enim donum omnipotentis Dei consequi poterit qui illud ejus munere habere contemnit, insuper et pecuniis prolatis expugnare et diripere contendit ? miserabiliter namque desipit qui putat aliquam violentiam posse fieri Deo omnipotenti, ut gratiam suam concedat alicui, qui hanc dono ejus despicit adipisci. Ad hæc, qui supra semel conceptam blasphemiam defendendo exaggerant, subjungunt : In alio quoque loco gloriosus Gregorius exponens verba Evangelii inter cætera, sic ait : « Vobis sacerdotibus lugens loquor, quia nonnullos vestrum cum pretiis facere ordinationes agnoscimus, spiritualem gratiam vendere, et de alienis iniquitatibus cum peccati damno temporalia lucra cumulare. » Et post pauca : « Columba venditur, quia manus impositio per quam sanctus Spiritus cœlitus accipitur, ad pretium præbetur. » In quibus utique beati Gregorii verbis si recipiunt quod ait nonnullos spiritualem gratiam vendere, cur negligunt, quod subjungit, eos de alienis iniquitatibus cum peccato temporalia lucra cumulare ? Et quomodo spiritualis gratia potest illic vendi et emi, ubi alterius iniquitas, emptoris scilicet, lucrum temporale, alteri, id est venditori, cum peccato cumulat ? Quæ enim spiritualis gratia poterit dari et accipi, ubi utrisque iniquitas ostenditur operari si quidem, ut dilectus Domini Joannes asserit : « Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas ? » (*I Joan.* III, 4.) Absit ergo, absit, ut Spiritus sanctus mediator aliquatenus æstimetur vel tam turpibus et nefandis commerciis, ubi hinc inde iniquitas comitatur et dominatur ! Non ergo columba venditur, non emitur, sed vendi vel emi putatur, aut videtur a sacrilegis et stultis, quoties prava manus eorum impositio ad pretium præbetur. Per quam tamen, quandocunque fit ab illis quorum interest, Spiritus sanctus cœlitus accipitur, qui nullam manus eorum impositionem negotiatorum quales diximus aliqua ex parte gratia sua dignatur, sed ex damnatione sola taliter accepta pariter exsecratur.

CAPUT XV.

De propriis et impropriis dictionibus, et vanitate Simoniacorum.

Hæc igitur et hujusmodi orthodoxorum Patrum dicta si pia aure audissent et catholici cordis ore ruminassent, tandemque nobiscum Spiritum sanctum nec posse vendi nec comparari prædicarent ; sed suam damnationem negligentes aut dissimulantes, suscipiunt quidem improprie et usualiter loquentes sanctos Patres, sed respuunt proprie et regulariter seipsos exponentes. Usualiter siquidem vel improprie B. Gregorius loquitur ubi dicit quod sacri ordines a talibus conferantur ; sed regulariter et proprie semetipsum exponit quid de illis ordinibus intelligi velit, ubi inserit, per Simoniacam hæresim, neque quidquam spiritualis gratiæ intervenit, ubi maligna hæresis mediatrix fuerit. Sic et ibi usualiter loquitur, ubi dicit quod homines Spiritum sanctum præmiis assequuntur, sed regulariter sese exponit, quid quod intelligi velit, ubi inserit quem divino munere habere despiciunt. Quis enim sine Deo Spiritum sanctum, scilicet donum ejus, habere potest ? Neque enim aliud Deus, aliud donum ejus, id est Spiritus sanctus, quamvis merito dicatur et sit alius. Qui modus locutionis tam creber in divinis vel humanis reperitur litteris, seu etiam in quotidianis confabulationibus nostris, ut prisci grammatici proprio tropo, qui catachresis dicitur, cum donari, vel odorari consueverint. Cujus etiam vocabuli vim taliter edocent. Cathachresis est usurpatio alieni nominis, ut piscina, cum pisces non habeat. Fit ergo tropo hoc, ut res non habens suum nomen, usurpet alienum. Itaque constat hoc modo sanctos Patres nostros aliena nomina rite ex aliqua rerum similitudine usurpasse, ubi eis propria, quæ utique pauca sunt, et aliquando narrationi minus apta contingit non adesse.

Unde cum plurimi alii, tum etiam B. papa Innocentius dicit quosdam ab hæreticis ordinatos, cum statim astruat nihil ex illa ordinatione nisi damnationem adeptos. Quod si proprie loquens dixisset ab hæreticis damnatos, putaretur dixisse aliquos catholicos ab hæreticis depositos aut excommunicatos. Quin etiam ipse B. Gregorius, qua intentione sacros ordines a talibus conferri vel spiritualem gratiam vendi, aut emi, et hujusmodi cætera dixerit, in fine suæ narrationis ostendit, ubi protestatur benedictionem illis in maledictionem converti, et ad hoc promoveri ut fiant hæretici. Ad quod facinus emendandum quisquis, officii sui consideratione, vehementer non exarderet, cum auctore hujus hæreseos portionem se habiturum incunctanter sciret ? Hoc quoque modo locutionis pene quotidie dicitur quis vendere Deum, cum justitiam vendit, cum constet neutrum posse vendi, sed utrumque pretio offendi ; neque enim venditor aliud concedit nisi falsitatem, nec emptor aliud accipit nisi eamdem, pro qua parem utrique incurrunt damnationem. Et tamen cum uterque vere sit reus, et sua ipsius conscientia teste uterque dam-

Digitized by Google

natus, unus eorum judex abusive dicitur, alter vero absolutus, cum potius sit obligatus. Sic et apud hæreticos dicuntur esse episcopi, sacerdotes, et reliquorum ordinum, cleri, ecclesiæ, ordinationes, consecrationes, sacrificia et reliqua omnia sacramenta, sed nomine tenus et specie tenus tantum, non autem aliqua virtute et veritate ipsarum rerum. Nec mirum, cum et apud ethnicos pene omnia nostrorum sacramentorum nomina reperiantur, quibus tamen solum sacrilegium, non autem aliquam sanctitatem, aut veritatem inesse, nemo nisi insanus arbitratur: quidquid enim sine fide est peccatum est (*Rom.* XIV, 23.) Quapropter nullus jam usurpatus, et in propriis dictionibus seductus a propria et intima sacramentorum veritate aberret, ut credat, aut prædicet se vel quemquam alium gratis aut non gratis accipere posse a quolibet, quia quod quærit nec accipit, nec habet. Quantolibet enim studio piscinæ incumbas, aut insistas, ut pisces tibi, quos quia non accepit non habet, ex ea capias, nihil tibi nomen ejus vel rei similitudo nisi vanam fatigationem præstat, sive gratis, sive non gratis id exigas. Restat ergo ut Simoniaci sacerdotes cum aliis hæreticis ad comparationem sacerdotum qui gratia Dei sunt id quod sunt (*I Cor.* XV, 10), non incongrue assimilentur statunculis, velauri argentique simulacris, quæ, sicut Psalmista canit « os habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt; aures habent, et non audient; nares habent, et non odorabunt; nec est spiritus in ore ipsorum. Manus habent et non palpabunt; pedes habent et non ambulabunt; non clamabunt in gutture suo (*Psal.* CXIII, 5-7). » Neque enim ea fides, sed perfidia adinvenit.

Unde, cum nomina eadem et aliquam verorum membrorum similitudinem aure tenus, sive oculo tenus referant, nihil tamen veritatis in se retinent. Nam os eorum nil, nisi oris veri inane nomen et quantulamcunque similitudinem, tamen vanam, prætendit, cum ex materia, factura, et efficientia omnino dissimile sit, scilicet careat ossibus, compagibus, nervis, venis, sanguine, carne, cute, vita et motu, gustandi, flandi, spuendi, sive screandi effectu hoc et de cæteris membris dictum puta, quibus nec sibi nec cuiquam valent prodesse, aut aliqua efficere simulacra. Simoniaci ergo sacerdotes, instar simulacrorum, nonnisi inane nomen catholicorum sacerdotum, et exterioris cultus eorum similitudines usurpantes, quia mediatrice avaritia, quæ est idolorum servitus (*Ephes.* V, 5), auro et argento facti sunt, quasi simulacra aurea vel argentea ab idololatria acceperunt. Quorum quia omnia sunt fucata, patet profecto quod minime æstimanda sint quæ apud eos dicuntur sacramenta. Unde et episcopus talium factor, etiamsi pridem computabatur catholicus, accedente sibi pretio, fit et ipse statunculus; pariterque simulacra, vel potius idololatræ quotquot spem salutis in eis ponentes, eorum vanitatem reverentur, secundum quod Psalmista imprecatur: « Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis (*Psal.* CXIII, 8). » Et iterum: « Confundantur omnes qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis (*Psal.* XCVI, 7). » Nonne gloriantur in simulacris suis qui prædicant ratas consecrationes fieri a Simoniacis? Unde necesse est confundantur, quia, quod constat non acceptum, nec pretio poterit conferri cuiquam hominum. Et quia quod unusquisque colit, hoc fit, simulacrum fit qui simulacrum colit, sicut Deus fit qui Deum colit, gratia, tamen non natura, ut ait Psalmista: *Ego dixi: Dii estis* (*Psal* LXXXI, 6). Unde avarissimi homines, pecuniam tanquam deum colentes alienum, omnipotentem eam, sicut pagani quoscunque deos suos, æstimant, in tantum ut Spiritum sanctum sibi subjicere prævaleat. Et sese majestatem imminensam metiri conantes, qui, viso nummo, ipsi pallent, et ad ejus nutum fasque nefasque exercent, omnino credunt Deo placere quæ ipsis non potest non placere; quorum insaniam Satiricus etiam redarguit sic:

> Curvæ in terris animæ, et cœlestium inanes.
> Quid juvat hoc templis nostros immittere mores,
> Et bona diis ex hac scelerata ducere culpa?

Quod si ethnicus, ratione abusus, crederet idola deos esse omnipotentes, et totius boni auctores, tamen, tanquam rationale animal, ratione ad hoc tractus est ut quos credebat summe bonos, consequenter quoque crederet non posse eis placere vitiosas hominum affectiones sive passiones; summa enim virtus necesse est totius vitii sit expers. Putasne Christiani sint, qui Patrem luminum, a quo est descendit omne datum optimum, et omne donum perfectum (*Jac.* I, 17), ducunt adeo imperfectum ut pecuniis, quas super omnia diligunt, credant se posse sibi conciliare, et conquirere ipsius summum donum, nec posse Deo non placere, quod ipsis sic placet negotium?

CAPUT XVI.

Sententia sancti Ambrosii de ordinationibus Simoniacorum.

Sed hinc jam aliqua magni Ambrosii subjungantur dicta, quibus Simoniaci, quia avari, comprobentur etiam usurarii, et ideo secundum quod scriptum est, super omnes maledicti (*Eccli.* X, 9). Omnis quippe avarus usurarius, et usurarius avarus. B. ergo Ambrosius, de vita et ordinatione episcoporum loquens, inter alia ait: « Licet jam coarctet nos libelli hujus prolixitas, et tempus nos urgeat, ut ad finem hujus operis veniamus, sollicitudo fraterni nos retardat amoris, illorum præcipue sacerdotum qui, mentis torpore hebetati, sacerdotalem infamant honorem, et qui novam prodigialiter regulam hanc tempestatem peperisse noscuntur, et Giezi sectantes et Simonis sententiam, sancti episcopatus gratiam pecuniis coemerunt, nequaquam timentes, cum sacerdotalem honorem pecuniis emerent, a B. Petro apostolo se cum Simone fuisse damnatos, sicut ait: « Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem, qui donum sancti Spiritus te credidisti pecunia comparare (*Act.* VIII, 20). » Nam et lepram cum Giezi a sancto

Digitized by Google

suo cepisse credant Eliseo, qui gradum sacerdotalem se existimant pecuniis comparasse. Quibus cum ista dixerimus, sufficere debuit suam comparando lepram possidere. Nam, sicut validioribus morbis capite vitiato, reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari: ita et hi qui caput videntur esse Ecclesiæ, morbo pestifero fraternum vitiant corpus, ut nihil ex tota corporis compage insanciatum possit evadere, quod negligentium sacerdotum vitiositatis mortale non infecerit virus, ita ut videas in Ecclesia passim quos non merita, sed pecuniæ ad episcopatus ordinem provexerunt; nugacem populum et indoctum, qui talem sibi asciverunt sacerdotem; quos si percontari fideliter velis quis eos præfecerit sacerdotes, respondebunt mox et dicent: Ab archiepiscopo sum nuper ordinatus episcopus, centumque ei solidos dedi, ut episcopalem gratiam consequi meruissem; quos si minime dedissem, hodie episcopus non essem. Unde melius mihi est aurum de sacello invehere quam tantum sacerdotium perdere. Aurum dedi et episcopatum comparavi. Quos tamen solidos, si vivo, recepturum me illico non diffido. Ecce et aurum quod dedi, in meo sacello recepi, et episcopatum gratis accepi. Nempe hoc est quod doleo, quia archiepiscopus carnaliter episcopum fecit. Nam propter pecunias specialiter leprosum ordinavit. « Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem, quia donum sancti Spiritus gratiæ pretio comparasti, » et commercium miserabile in animarum exitium peregisti. Et nescii homines et indocti in ordinationibus eorum proclamant, et dicunt: Dignus es, et justus es; et conscientia misera: Indignus es, et injustus es, dicit. Pronuntiat enim episcopus hujusmodi ad populum dicens: Pax vobis. Oculis quidem carnalibus videtur quasi episcopus magnus, et divinis obtutibus inspicitur leprosus magnus. Per pecuniam acquisivit indebitum ordinem, et apud Dominum perdidit interiorem hominem. Caro suscepit dignitatem, et anima perdidit honestatem. Caro ancilla domina facta est animæ, anima quæ erat domina facta est famula carnis. Caro dominatur populis et anima servit dæmoni. Carni sacerdotium comparavit, et animæ detrimentum paravit. « Et quid prodest hujusmodi homini si totum mundum lucretur, et animæ suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? » (*Matth.* XVI, 26.) Quod dedit cum episcopus ordinaretur, aurum fuit: et quod perdidit, anima fuit. Cum alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit: et quod dedit, lepra fuit.

« Hæc sunt mercimonia iniquorum in pernicie eorum. Interrogo tamen fratrem et coepiscopum nostrum, quia et ego episcopus sum, et cum episcopo loquor. Dic ergo mihi paulisper, frater episcope, cum dares pecuniam, quid accepisti? Gratiam episcopalem accepi. Ergo interrogo te: Hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur? Respondet: Cur, inquis? ut reor, pro eo quod gratis datur, ideo gratia vocatur. Ergo si gratia gratis datur, et auro non æstimatur, a te cur gratia pecuniis comparatur? Respondet: Non, inquit, mihi daretur, si pecuniis non emeretur, nec episcopus fuissem ordinatus, si pecunias non dedissem. Ergo, ut apparet ex responsionibus tuis, gratiam cum ordinareris non suscepisti, quia gratuito eam non meruisti. Et ideo, frater, si gratiam non accepisti, quomodo episcopus effici potuisti? nam et ad discipulos Dominus dicit: « Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* X, 8). » Cur ergo gratuitam gratiam æstimasti te pretio possidere? Nam, ut video, aurum dans perdidisti, et sanctam gratiam non acquisisti. Adhuc tamen semel adjiciens fratrem perquiro, ne quid de approbamentis veridicis nos prætermisisse videamur. Quis dat, frater, episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio: Deus; sed tamen per homines dat Deus, homo imponit manus, Deus largitur gratiam: sacerdos imponit supplicem dexteram, et Deus benedicit potenti dextera; episcopus initiat ordinem, et Deus tribuit dignitatem. O justitia, o æquitas! si homini pecunia datur, qui nihil in ordine amplius operatur, nisi solum servitium quod ei creditur; cur Deo totum negatur, qui ipsum ordinem tibi largitur? Justumne tibi videtur ut servus honoretur et Dominus injuriam patiatur, et injuste accipiat sacerdos pecuniam et Deus patiatur ab homine injuriam? Sed quia pro concesso ordine Deus a te nihil exspectat, cur a te sacerdos pecuniam impudenter exspectat? Dominus homini concedere voluit gratis, et episcopus rapax pecuniam ab homine expetit gratis; Deus homini, ut certe benignus, gratis donavit; et sacerdos indignus eum sine causa prædavit. « Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? (*I Cor.* IV, 7.) » Ecce ad quæ mala volvitur deificus ordo: ecce ad quæ probra prolapsi sunt sacerdotes qui audire meruerunt a Judice mundi: « Vos estis lux mundi (*Matth.* V, 14). » Ecce quibus subjiciuntur gentes, quibus a Domino dictum est: « Vos estis sal terræ (*Ibid.*, 13). » Ergo si lux est Ecclesiæ episcopus, a Domino ordinatur, ita ut imperitiæ tenebras prædicationis suæ eloquio rutilante conscientiarum tenebras illuminet, cur ipse palpabilibus tenebris tenetur obstrictus? Et non solum quia ipse dum male agit, digne perit, insuper et alios secum digne perdit. Si enim meruisti salis saporem possidere ut insipientium possis corda condire, cur infatuatum tali vitio immundis te porcorum conculcandum pedibus præbuisti; ita ut nec te ipsum, nec alios possis condire? » etc.

Item quoque B. Ambrosius (lib. VI *in* IV *Luc.*) de Evangelio exponens illud quod dictum est: « Multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta et nemo mundatus est nisi Naaman Syrus (*Luc.* IV, 27), » post aliqua ait: « Disce etiam congruæ præcepta virtutis. Probabit fidem, qui præmia recusabit. Disce utroque dictorum factorumque magisterio, quid sequaris. Habes Domini præceptum, vatis exem-

Digitized by Google

plum, gratis accipere, gratis dare, nec vendere ministerium, sed offerre. Non enim pretio taxatur Dei gratia, nec in sacramentis lucrum quæritur, sed obsequium sacerdotis. Non tamen sat est, si lucrum ipse quæras; familiæ quoque tuæ cohibendæ manus sunt. Nec hoc solum exposcitur, ut te solum castum immaculatumque custodias. Non enim dixit Apostolus te solum, sed « te ipsum castum custodi (*I Tim.* v, 22). » Quæritur ergo non solum tua ab hujuscemodi nundinis, sed etiam domus tuæ castitas. « Oportet enim irreprehensibilem esse sacerdotem, sui domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit (*I Tim.* III, 2-5.) » Instrue ergo familiam, hortare, custodi. Fefellerit servulus? (hominis enim non excipito facultatem) prophetico deprehensus repudietur exemplo; cito turpem sequitur lepra mercedem, et pecunia corpus animumque male quæsita commaculat. « Accepisti, inquit, pecuniam et possidebis ex ea agrum, et vineam, et oliveta et greges; sed et lepra Naaman adhærebit tibi et semini tuo usque in æternum (*IV Reg.* v, 27). » Vides quia propter facta auctoris, successio damnatur hæredis? Inexpiabilis est venditi culpa mysterii, et cœlestis gratiæ vindicta transit ad posteros. Denique Moabitæ et cæteri non intrabunt in Ecclesiam Dei usque in tertiam et quartam generationem, tandiu videlicet, ut simplicius interpretemur, donec culpam auctorum multiplicis successio generationis aboleret. Sed cum illi qui in Deum idololatriæ errore deliquerunt in quartam generationem videantur esse mulctati, profecto durior videtur esse sententia qua Giezi semper usque in æternum pro cupiditate habendi prophetica auctoritate damnatur, præsertim cum Dominus noster Jesus Christus per lavacri regenerationem omnibus remissionem dederit peccatorum. »

CAPUT XVII.

Recapitulatio unde supra; deinde B. Augustini sententia.

Ecce, ex præmissis tanti tamque prudentis viri assertionibus, multifariam docemur pretio gratiam episcopalem nun posse accipi, sed lepram. Et audet quis contra hiscere et gannire sibi aut cuilibet posse dari ab hujusmodi leprosis, scilicet Simoniacis, aliquam sanctorum ordinum quam non habent gratiam, et non potius solam quam acceperunt, et habent lepram? Et cum idem clarissimus doctor indubitanter prædicet inexpiabilem esse venditi culpam ministerii et cœlestis gratiæ vindictam transire ad posteros, adeo ut exemplum Giezi adhæreat venditori et semini ejus in perpetuum, cujus momenti sunt quæ e diverso contradicunt, « Anima quæ peccaverit ipsa morietur, et filius non portabit iniquitatem patris (*Ezech.* XVIII, 20), » præsertim cum Dominus de seipso dicat: « Reddam iniquitatem patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem? (*Exod.* XX, 5.) » Et tamen utraque sententia vera est, quia Domini est; sed pro qualitate personarum et culparum ex circumstantiis suis competenter intelligenda est. Neque enim uniformis sententia blasphemis omnibus est danda, quia nec uniformis est blasphemia, attestante Veritate ipsa: « Omne, inquit, peccatum et blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittetur (*Matth.* XII, 31). » Nonne super hanc Spiritus blasphemiam propheta, apostolus, doctor eamdem quam ipse Dominus eorum, uniformemque comprobantur dictasse sententiam? Propheta siquidem ait: « Lepra Naaman Syri adhærebit tibi, et semini tuo usque in æternum (*IV Reg.* v, 27); » apostolus autem: « Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem (*Act.* VIII, 20). » Et post pauca: « Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Dominum si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui (*Ibid.*, 22). » Quorum auctoritatem profecto secutus doctor, ait: « Inexpiabilis est venditi culpa mysterii. » B. quoque Augustinus, unde supra in expositione Evangelii sancti Joannis. « Simon ille ideo volebat emere Spiritum sanctum, quia vendere volebat Spiritum sanctum, et putabat apostolos mercatores tales esse quales Dominus de templo flagello ejecit. Talis enim ille erat, et quod venderet emere volebat. De illis erat qui columbas vendebant; etenim in columba aparuit Spiritus sanctus. Qui ergo vendunt columbam, fratres? qui dicunt, Nos damus Spiritum sanctum. Quare enim hoc dicunt? et quo pretio vendunt? Pretium honoris sui accipiunt, pretium, cathedras temporales, ut videantur ipsi vendere columbas. Caveant a flagello de resticulis. Columba non est venalis, gratis datur, quia gratia vocatur. »

Idem unde supra in eadem expositione. (Aug., tract. 6, *in Joan.* II, 18.) « In Actibus apostolorum legimus multos credidisse in Samaria per prædicationem Philippi (*Act.* VIII, 12). Intelligitur autem sive unus ex apostolis, sive ex diaconis, quia septem diaconos ibi legimus ordinatos, inter quos est etiam nomen Philippi (*Act.* VI, 6). Per Philippi ergo prædicationem crediderunt Samaritæ; Samaria cœpit abundare fidelibus. Ibi erat Simon iste Magus. Per magicas factiones suas dementaverat populum, ut eum virtutem Dei putarent. Commotus tamen signis quæ fiebant a Philippo, etiam ipse credidit. Sed quomodo crediderit, posteriora sequentia demonstraverunt. Baptizatus est et Simon. Audierunt hoc apostoli, qui erant Hierosolymis; missi sunt ad illos Petrus et Joannes, invenerunt multos baptizatos, et quia nullus ipsorum acceperat adhuc Spiritum sanctum, sicut tunc descendebat ad ostendendam significationem gentium crediturarum, ut linguis loquerentur in quos descendebat Spiritus sanctus, imposuerunt illis manus orantes pro eis, et acceperunt Spiritum sanctum. Simon ille qui non erat in Ecclesia columba, sed corvus, quia ea, quæ sua

Digitized by Google

sunt, quærebat, non quæ Jesu Christi, unde in Christianis potentiam magis amaverat quam justitiam, vidit per impositionem manuum apostolorum dari Spiritum sanctum, non quia ipsi dabant, sed quia, ipsis orantibus, datus est; et ait apostolis : « Quid vultis a me accipere pecuniæ, ut per impositionem manuum mearum detur Spiritus sanctus? » Et ait illi Petrus : « Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei putasti pecunia comparandum (*Act.* VIII, 18-20). » Cui dicit : « Pecunia tua tecum sit in perditionem? » utique baptizato. Jam baptismum habebat, sed columbæ visceribus non hærebat. Audi quia non hærebat, et verba ipsa Petri apostoli adverte. Sequitur enim : « Non est tibi pars, neque sors in hac fide; in felle enim amaritudinis video te esse (*Ibid.* 21-23). » Columba fel non habet : Simon habebat; ideo separatus a columbæ visceribus. Baptismus illi quid proderat? »

In quibus eloquentissimi et perspicacissimi doctoris dictis animadvertant necesse est qui impudenter et impie astruere conantur columbam, vel spiritualem gratiam vendi, illud quod ait : « Columba non est venalis, gratis datur, quia gratia vocatur; » necnon illud, quia « vidit Simon per impositionem manus apostolorum dari Spiritum sanctum, non quia ipsi dabant, sed quia ipsis orantibus datus est. » Deus enim Spiritum sanctum suum hominibus largitur, sed oratione et invocatione illorum, qui hujus ministerii vel officii ordinationem a catholicis gratis accepisse noscuntur, etiamsi pravæ conversationis in oculis hominum habeantur. In qua utique fide vel ministerio, non est hæreticis pars, neque sors, quia nec ministri Christi, sed Satanæ pretio efficiuntur; nec ipsorum oratione aut invocatione Spiritus sanctus datur, quia ministerium eorum, etiamsi rectæ conversationis videantur, a Deo non recognoscitur, et ideo oratio eorum fit in peccatum (*Ps.* CXVIII, 7), secundum quod de alio pessimo mercatore a Psalmista constat imprecando prophetatum. Nam ut B. Apostolus Corinthiis ait : « Ejusmodi sunt pseudoapostoli, operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. Et non mirum. Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur, velut ministri justitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum (*II Cor.*, XII, 13-15). » Itaque, sicut Satanas transfiguratus in angelum lucis non potest non esse angelus tenebrarum, tanto perversior quanto præsumptuosior; ita et ministri ejus, transfigurati in ministros justitiæ, non possunt non esse ministri injustitiæ, tanto detestabiliores quanto audaciores; mentiuntur se esse quod nec sunt, nec fieri possunt.

CAPUT XVIII.

De mercantibus ecclesiasticam dignitatem sanctorum Patrum sententiæ.

Item, unde supra, ex Canonibus apostolorum, cap. 30. « Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur ipse et ordinator ejus, et a communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus a Petro. »

Item, ex eisdem, cap. 31. « Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur ipse et ejiciantur omnes qui illi communicant. » Contra quod capitulum qui sibi pretio potestates conciliant, etiamsi ecclesiasticæ sint, procul dubio sæculares fiunt, sicut ait B. Gregorius. « Si in ecclesiasticis officiis quemquam habet locum pecunia, fit sæculare quod sacrum est. »

Item inde, ex concilio Chalcedon., cap. 2. « Si quis episcopus per pecuniam fecerit ordinationem, et sub pretio redegerit gratiam quæ non potest vendi, ordinaverit que per pecuniam presbyterum aut diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecuniam dispensatorem aut defensorem, vel quemquam qui subjectus est regulæ, sub turpissimi lucri commodo, is cui hoc attestanti probatum fuerit proprii gradus periculo subjacebit. Et qui ordinatus est nihil ex hac ordinatione, vel promotione quæ est per negotiationem facta proficiat, sed sit alienus ea dignitate, vel sollicitudine quam pecuniis quæsivit. Si quis vero mediator tam turpibus et nefandis datis vel acceptis exstiterit, si quidem clericus fuerit, proprio gradu decidat, si vero laicus aut monachus, anathematizetur. »

Item inde, exempla Hormisdæ papæ (epist. 25). « Quos constiterit indignos meritis sacramenta mercatos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri, quia dantem pariter accipientemque damnatio Simonis quam sacra lectio testatur involvit. Hoc itaque ad proxima conjungimus, ne benedictio per impositionem manus, quæ a Deo esse creditur pretio comparetur, quia Simon, per Spiritum sanctum volens pretio mercari, apostoli fuit detestatione percussus. »

Item inde, ex Expositione Remigii. « Dominus ut ostenderet omnes venditores, et emptores cœlestis gratiæ eliminandos esse a societate sanctæ Ecclesiæ, idcirco cœpit ejicere vendentes et ementes de templo, et cathedras vendentium columbas evertit, ut doceret quia talium sacerdotium negotiatorum destruitur. Quamvis enim sint nonnulli qui corporaliter a societate sanctæ Ecclesiæ non repellantur, verumtamen spiritualiter apud Deum repulsi sunt, et proprio honore privati. »

CAPUT XIX.

Repulsio eorum qui dicunt Simoniacos gratiam habere a qua deponantur

Verum quia trutinatoribus verborum et neglectoribus rationum supra responsum sufficienter putatur, ex quibusdam dictionibus quæ in supradictis capitulis usurpative, et improprie, secundum tropum

Digitized by Google

catachresim, ponuntur, sicut obtinuerit dignitatem pretio, vel fecerit ordinationem, et hujusmodi cætera, illud tamen nunc ventiletur quod nobis opponere frustra nituntur. Aiunt enim :

OBJECTIO. Ecce per pecuniam ordinati deponi præcipiuntur. Constat ergo eos spiritualem gratiam adeptos, et ad gradum honoris promotos a quo deponi jubentur. Etenim dispositio habiti honoris est amissio vel privatio.

REPULSIO. Quibusdam superius monstratum sit piscinam dici et quæ pisces non habet, tropo eodem, si pertinaces esse nolunt, quantocius animadvertere possunt depositionem quoque rite dici quæ nullam promotionem et honoris gradum habuisse, nisi ex aliqua similitudine superficie tenus comprobatur, præsertim cum et propositum Chalcedonensis concilii capitulum evidenter nostræ parti suffragetur; in ejus initio sic legitur (*Conc. Chalc. can.* 2) : « Si quis episcopus per pecuniam fecerit ordinationem, et sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest vendi, » etc. Quapropter tam consono et unanimi tonitru sexcentorum triginta sanctorum episcoporum prævaricatores ad cor reversi, discant gratiam non posse vendi. Nam ipsi sancti Patres hanc suam synodum usque ad sanguinem defensores professi leguntur. Tandem inusitato quidem modo, sed proprio loquimur, si depositionem hujusmodi revelationem dicimus, sicut a Simeone Dominus Jesus in ruinam et resurrectionem multorum evangelizatur positus (*Luc.* II, 34). Ruendo enim resurgit quisque, malum deserens, ad bonum se accingit. Unde quia multis divinæ auctoritatis testimoniis palam est Spiritum sanctum non posse vendi, jam sicut deficit fumus (*Psal.* LXVII, 3), deficiant tetra illa, et nebulosa argumenta, imo phantasmata nihil veritatis, sed totum vanitatis habentia, quibus argumentantur talia.

OBJECTIO. Si is, qui pro manuum impositione pretium accipit, ei quem per pretium consecrat Spiritum sanctum non tribuit, profecto Spiritum sanctum nec ille vendidit, nec iste comparavit. Sacerdotium vero sine datione sancti Spiritus nec tribuitur nec accipitur. Liquet igitur sacerdotem non esse qui per manuum impositionem sacerdotium consequitur. Relinquitur vero ut necesse non sit eum ab illo ordine deponi, quem nunquam obtinuit. Frustra itaque hujusmodi statuta canonum, a sanctis Patribus edita, proferuntur, quæ tales deponi decernunt.

REPULSIO. Tam sophistico et perplexo syllogismo subversa perversitas aperte resistere Spiritui sancto non verita, quia perverse credit eumdem vendi et emi, ubi venditoris et emptoris audiuntur nomina, ironice concludit necesse non esse eum deponi ab ordine, quem nunquam obtinuit, aut si consequatur, non deponendum, ac per hoc cassandum sanctorum Patrum capitulum, adversus Simoniacos prolatum. Cornibus enim phantasticus ille syllogismus minabundus; utrumlibet presseris, ab utrolibet mox premeris. Nam si deponendos concesseris, dignitatem quoque eos obtinuisse a qua deponantur necessario concedis. Si dignitatem eos obtinuisse concesseris, constabit Spiritum sanctum quoque venditum et emptum ab eis. Quod si constiterit, necessario quoque Spiritum sanctum haberi, dari et accipi ab eis constabit, ac per hoc ordinationes vel consecrationes, gratis vel non gratis factas a Simoniacis, utique hæreticis, per omnia ratas esse, nihilque minus habere quam quæ fiunt a catholicis, necessario confiteberis. Porro si dignitatem eos obtinuisse negaveris, deponendos non esse ab ea quam nunquam obtinuere dignitatem necesse est profitearis. Si autem minime deponendos concesseris, sanctorum Patrum decreta, quæ venditores et emptores gratiæ deponi decernunt, incassum esse prolata necesse arbitreris. Restabit ergo aut concessa depositione Simoniacorum, etiam cætera, quæ superius omnino absurda concedi videntur, concedantur, et sic capitula illa sanctorum Patrum approbabuntur, aut contradicta depositione reprobabuntur. Sed, quamvis latius supra monstratum sit Spiritum sanctum nec posse vendi nec emi, sine quo sacerdotium non potest aequiri aut haberi, vel consecratio aliqua fieri, et ideo hujusmodi præsumptores debere deponi ab ea transfiguratione vel specie, quam, velut ministri justitiæ, injuste usurpando arrogant sibi, concedatur tamen inter venditorem et emptorem rem negotii necessario versari, quia nec ille venditor, nec iste emptor aliter poterit jure dici. Sed ea Spiritus sanctus esse non potest, quoniam ipse Spiritus sanctus gratia dicitur et est. Gratia autem, nisi gratis accipiatur et detur, gratia nec est, nec vere dicitur. Nam si venditur et emitur gratia, jam non esse gratia merito concluditur. Constat igitur Spiritum sanctum, aut certe gratiam, rem venditionis et emptionis non esse.

Quapropter altera quæratur res oportet, quam, ne diutius et passim quærendo fatigemur, aut certe aberremus, B. Ambrosium nobis eam demonstrantem advertamus. « Quod dedit, inquit, cum episcopus ordinaretur, aurum fuit; quod perdidit, anima fuit » Ex qua tam egregii viri sententia sine ambiguitate docemur rem nefandi hujus commercii perditionem et damnationem animarum, et lepram tantummodo recte dici et vere esse. Et perditionem quidem etiam secundum principem apostolorum, damnationem autem juxta B. Innocentium, lepram vero secundum eumdem Ambrosium. Unde ubicunque perditio vel damnatio taxatur, necessario auctor perditionis, vel damnationis diabolus taxeotis hujusmodi cooperatur et principatur, sicut nihilominus idem ipse spiritus immundus ubi lepra datur. Neque enim rei cujus auctor est principari aut dominari non potest. Quibus autem spiritus perditionis, damnationis, immunditiæ principatur, Spiritus salutaris nostr.

Digitized by Google

Domini scilicet Jesu, qui est auctor totius munditiæ, procul ab eis sequestratur. Nam quæ conventio Christi ad Belial? A quibus ergo perditio et immunditia possidetur, quosque vicissim ipsa possidet, quid nisi perditio vel immunditia, quam solam acquisierunt dari et accipi potest? Itaque quia necessario concluditur perditionem et lepram venditam et emptam, restat hujusmodi mercatores improprie dici sacerdotes et clericos, proprie autem perditos et leprosos; quorum prava manus impositio, malum quod solum acquisivit tribuit, nullum autem bonum concedit, quia nullum taliter negotiando acquisivit. Nunquam enim juste tribuitur, quod injuste colitur. Unde secum alios quoque perdit et sordidat, non sanctificat aut mundificat, sicut Scriptura evidenter clamat: « Quidquid tetigerit immundus, immundum fiet (*Num.* XIX, 22). » — « Spiritus quoque sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate (*Sap.* I, 5). » Ideo spiritus disciplinæ dicitur, quia disciplinatos quibuscunque aspirat efficit, et per eos dona gratiarum suarum, prout vult, singulis ad disciplinam distribuit. Indisciplinatos autem longe a se repellit, vel potius quia ficti sunt effugit. Et quis perniciosius convincitur esse fictus, quam qui contra disciplinam catholicam, cujus specialis administrator creditur Spiritus sanctus, fingit se esse quod nec est, nec esse potest aliquatenus, scilicet ut per pecuniam habeatur episcopus, vel cujusque alterius ordinis clericus?

CAPUT XX.

Quod Simoniaci sine fide sint, quodque sibi consentientes fide privent.

Et quidem alii hypocritæ incorporatione istorum minus sunt noxii, quia vix alienis nocent, nisi sibi; isti autem secum Christianos catervatim interficiunt, dum eos sua lepra vigente interficiunt, et damna ignis vel perditionis venditæ aut emptæ participes ordinandi, seu sanctificandi obtentu efficiunt. Qui plane simulatores et callidi præ cæteris provocat, non autem placant iram Dei, quia venditi venditores quotidie vendunt oves et boves Christi, scilicet simplices et ingeniosos, aut certe invalidos et validos. Et cui vendunt, nisi, ut beatus Augustinus ait, diabolo? Ubi enim seducti credunt sacerdotes pretio posse fieri, et Spiritum sanctum vendi et emi, primogenita cordis eorum, id est fides, probatur corrumpi: qua corrupta, necesse est adeo corrumpi, si qua inesse potuere bona, ut omnino fiant nulla; quia unica virginitas animæ est fides incorrupta, quam utique a pseudoapostolis corrumpi timebat, qui Corinthiis dicebat: « Æmulor enim vos Dei æmulatione, despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri et excidant a simplicitate quæ est in Christo Jesu (*II Cor.* XI, 2). » Quam profecto fidem idem Apostolus secundum gratiam sibi datam, ut sapiens architectus « fundamentum » eis posuit: quod, sicut ipse subsequitur, « aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11). » Porro Christus Jesus habitat in cordibus per Spiritum sanctum corroboratis, sicut ipse insinuat Ephesiis: « Flecto genua mea ad Patrem Domini Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum ejus in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris (*Ephes.* III, 14). » Si ergo secundum tam egregium Symmistam, et usque ad tertium cœlum (*II Cor.* XII, 2), vel in ipsum paradisum raptum fides christianitatis fundamentum est, fundamentum autem Christus Jesus est, restat ut fides Christus sit, qui nos per Spiritum Dei Patris corroboratos inhabitans regit. Hinc procul dubio patet qualis inter Christianos reputandus sit, qui de Spiritu sancto male sentit. Constat enim, quia nec Filium, nec Patrem habet. Nam, sicut catholice prædicatur, inseparabilia sunt opera Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et cuicunque unius cujuslibet trium visitatio defecerit, necessario etiam reliquiorum duorum deerit. Quisquis itaque credit Spiritum sanctum non solum fide sed etiam pecunia posse acquiri, Deum Patrem non habet, ad quem devotissimus Apostolus genua flectebat, ut Ephesios per eumdem Spiritum suum corroboraret. Filium quoque non habet, præter quem nemo aliud Christianitatis fundamentum ponere potest, quia ne sub tanti fundamenti magnitudine deficiamus, per Spiritum sanctum fulcimur et corroboramur. Restat ergo ut qui Spiritum sanctum, cui fundamentum, quod est Christus Jesus, innititur, non habet, nec ipsum fundamentum habeat. Si fundamentum non habet, Christum non habet. Si Christum non habet, fidem non habet, per quam Christus cor ejus inhabitet. Itaque consequitur ut qui fidem non habet, infidelis sit; infidelis autem, quia Spiritum Christi non habet, ejus non est. Cujus ergo est? Nimirum ejus, qui homicida est ab initio, quique in veritate non stetit, quia veritas non est in eo, quia mendax est ipse et pater mendacii (*Joan.* VIII, 44), quoniam qui cum Christo non colligit, spargit (*Matth.* XII, 30); et quia non est cum eo, contra eum est. Unde manifestum est Simoniacos per cupiditatem a fide aberrasse, vel potius apostatasse, et circa fidem naufragasse, sicut Apostolus Timotheo dicit: « Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis (*I Tim.* VI, 10). » Quos videlicet erroneos, vel apostatas vel fidei naufragos, non autem episcopos, aut clericos debere dici vel haberi constat. Nam si terrenæ et temporalis mercedis negotiatores per cupiditatem nonnunquam a fide aberrant, dum incaute et artificiose jurando, et perjurando assumunt nomen Dei sui et animas suas in vanum, ut sibi corradant lucri aliquantulum, quantum putamus aberrare a fide eos qui non solum animas suas venales habent, sed etiam Spiritum sanctum, Deum utique et Dominum vendere conantur? Vere aberrant

Digitized by Google

tota via a fide, quorum ab initio damnatas nundinas quia Spiritus exsecratur, fugit eos longe. Quo fugiente, nec fundamentum quod est Christus Jesus potest eis remanere, quia subtrahit se ipse Spiritus, cujus interest suffulcire et corroborare. Sic accidit ut dum cupidissimi mortalium incomparabilem comparare et vendere concertant, malignos spiritus ad destruendum exterius non solum honorum operum suorum muros, sed etiam interius ad convellendum ipsam fidem, scilicet fundamentum, alacriores reddant, et quasi invicem sed ad omnimodam destructionem adhortantes dicant, quid Psalmista deflendo insinuat : « Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea (*Psal.* CXXXVI, 7). » Siquidem et avulso a cordibus hominum fundamento, hoc est Christo, qui semper innititur Spiritui sancto, certum est hujusmodi domum desertam, et funditus destructam derelinqui a Deo, et effici speluncam latronum (*Matth.* XXI, 13), qui eam mox suo vindicant ludibrio; ita ut jam nomine vacuo Christianus dicatur, cui nihil fidei, id est Christi, remansit omnino : ac per hoc convincitur sine Deo et pejor pagano, quia hic infidelis simul est et apostata; cum paganus quamvis sit infidelis, tamen Christianæ fidei, vel conversationis, quam nunquam habuit, nequeat recte dici aut haberi apostata. A cujus etiam cogitationibus, sicut prædictum est, aufert te Spiritus sanctus, quia sunt sine intellectu. Et quæ cogitationes magis sunt sine intellectu, quam quæ æstimant Spiritum sanctum posse vendi et emi? Minus enim est noxium quidquid de creatura cogitatur irrationabiliter, quam quod de Creatore.

CAPUT XXI.

Repulsio eorum qui dicunt haberi, et juste posse dari Spiritum sanctum ab eo qui injuste accepit.

Quod si ab illis se aufert Spiritus sanctus, qui eum æstimant posse vendi, multo magis ab illis, qui non solum id æstimant, sed etiam in tantum credunt, ut ad perniciem multorum verbis et scriptis sic prædicent :

Objectio. Liquet, inquiunt, sancti Spiritus gratiam vendi simul et comparari. Ergo Spiritum sanctum, quem quis injuste acquisivit, injuste habuit; cui injuste concessit, hunc secum damnavit; cui vero juste largitus est, hic, si justus est, juste potest habere, quoniam bonus a malo bonum bene accepit.

Repulsio. In qua utique sententia, quis intellectus, vel quæ rationis sint illa inveniri potest? O Deus et Domine Spiritus sancte, qui es justitia sempiterna, secundum perfidiam istorum prædicatorum, imo perditorum, injuste acquiri, injuste haberi, injuste concedi potes! Et ubi tam justitia quærenda est, si justitia injuste acquiri et haberi potest? Heu miseri et insani, qui te velut aliquid pecus furto acquisitum et a fure habitum, sicque scienter comparatum æstimant! Sed prius ipsi fiant sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (*Psal.* XXXI, 9), quia homines cum in honore essent, non intellexerunt, comparati sunt jumentis insipientibus, et similes facti sunt illis (*Psal.* XLVIII, 13). Quamvis enim rationale animal a Deo creati sint, ratione tamen abutentes non intelligunt justitiam injustitiæ, aut virtutem vitio cohærere aut convenire non posse. Qui, ut B. Judas apostolus ait : « Quæcunque quidem ignorant, blasphemant. Quæcunque autem naturaliter tanquam bruta animalia noverunt in his corrumpuntur (*Jud.* 10). » Unde Spiritu sancto ab hujusmodi cogitationibus effugato et ablato, ut supra dicitur, corripiuntur, id est ex toto arripiuntur a superveniente iniquitate, maligno spiritu scilicet, qui sic iniquus est ut sit etiam ipsa iniquitas, sicut gloriosus Paulus declarat : « Mysterium, inquit, jam operatur iniquitatis; » et post pauca : « Et tunc revelabitur ille iniquus (*II Thess.* II, 7), » qui denique sic est homicida ut sit etiam ipsa mors; sic perditus et perditor ut sit quoque ipsa perditio. Ab hac ergo iniquitate ex toto arrepti, jam sicut omnino animales homines non percipiunt ea quæ sunt Spiritus Dei (*I Cor.* II, 14). Stultitia est enim illis, et non possunt intelligere quæ spiritualiter examinantur. Porro, ut idem Apostolus subjungit : « Spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur. Quis enim cognovit sensum Domini? quis instruet eum? nos autem sensum Christi habemus (*I Cor.* II, 15, 16). » Nam sicut paulo superius præmittitur : « Nobis revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis : quæ et loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. (*Ibid.*, 10-13). » Ex quibus Apostoli verbis inter alia illud maxime considerandum est quod ait : « Nos non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est. » Spiritus enim mundi, ut B. Joannes scribit, in maligno positi, spiritus malignus est, qui a Domino in Evangelio princeps mundi vocatur, sicut est illud : « Princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII, 31); » et : « Princeps hujus mundi judicatus est (*Joan.* XVI, 11); » et : « Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV, 30). » Quem utique palam est eos non accepisse qui sciunt quæ a Deo donata sunt eis. Quam scientiam operatur in eis Spiritus qui ex Deo est. Quem ad hoc accepisse perhibentur, ut sciant quæ a Deo donata sunt eis. Probatio ergo acceptionis Spiritus, qui ex Deo est, eorum quæ ab ipso donantur recognitio est. Quam nos perfecte retinere ex hoc comprobatur, quia donum donari, id est gratis accipi, et dari secundum evangelicam et apostolicam traditionem profitemur, et pro modulo nostro defendimus, spiritualibus spiritualia comparantes Unde e diverso colligitur eos spiritum mundi accepisse, qui

Digitized by Google

contra evangelicam apostolicamque disciplinam donum Dei pecunia posse possideri æstimant, credunt, profitenturet, quantum possunt, defendere conantur, carnalibus spiritualia comparantes. Qui si eumdem spiritum mundi quis et ubi sit, vel quid jam passus recolerent, cum magna cordis contritione erui de potestate tenebrarum, atque, dum adhuc licet, transferri in regnum Filii claritatis paternæ quærerent. Siquidem ille est princeps mundi, rector tenebrarum earum, hominum scilicet infidelium, in quibus tanquam in filiis diffidentiæ regnat et operatur sua ipse serpens antiquus, qui est diabolus et Satanas jam judicatus et damnatus atque foras ejectus, non utique extra fabricam cœli et terræ, sed extra corda fidelium, quos fecit Christus regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo. Quod si spiritus mundi jam damnatus est et foras ejectus, patet jam damnatum et cum eo foras ejectum mundum, cui ipse principatur, nec jam esse in mundo, quem dilexit Deus, et, sanguine Filii sui redemptum, emundavit lavacro aquæ in verbo, ut sit ipse Deus cum eis eorum Deus. Nam quæ pars fideli cum infideli? Quapropter quisquis de Spiritu sancto male sentit, animadvertat quid B. papa Damasus Paulino Antiocheno patriarchæ scribens, inter alia dicit : « Si quis de Patre et Filio bene senserit, de Spiritu autem sancto non recte habuerit, hæreticus est. » Et quod omnes hæretici de Filio Dei, aut de Spiritu sancto male sentientes, in perfidia Judæorum et gentilium inveniuntur. Nempe Judæis dicentibus : « Nos ex fornicatione, » videlicet idololatria, « non sumus nati. Unum Patrem habemus Deum; » respondit Dominus Jesus : « Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi, et veni. Neque enim a me ipso veni, sed ille me misit. Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII, 41). » Simoni quoque Mago Spiritum sanctum mercari cupienti Petrus dixit : « Non est tibi pars, neque sors in hac fide (*Act.* VIII, 21). » Sed ne forte continuata hæc repulsio licet pernecessaria, si diuturnior habeatur, sic desertorem urgeat et impetat, ut commilito noster defessus oppetatur, delicato lectori respirandi gratia oportet scriptoris intentio consulat, tandemque hic finis primi hujus libelli fiat.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

I. *Quid beatus Petrus apostolus suique coapostoli de hæreticis senserint.*

II. *De pietate et impietate, et de Cham et Balaam præsumptione.*

III. *De peccato Chore et fautorum ejus atque pœna eorum.*

IV. *De vulgo sequaci præsumptorum, et de differentia veri et falsi sacerdotii.*

V. *De Jamne et Mambre, quibus pejores sunt Simoniaci.*

VI. *Ubi admonentur Christiani vitare supplantationem hæreticorum, quorum inibi malum atque pœna eorum ostenditur.*

VII. *De damnatione ficte quærentium Deum sub exemplo Ananiæ et Saphiræ.*

VIII. *De eo quod non solum vovendum, sed et reddendum sit Domino.*

IX. *Quod Spiritus sanctus fidelibus appareat, infideles autem lateat, a quibus nec quæritur.*

X. *De excessus eorum differentia qui super fundamentum Christi excedunt et eorum qui sine ejus fundamento.*

XI. *Quod vitandi sint hæretici exemplo viperarum et malæ arboris.*

XII. *Quod plusquam viperæ cavendi sint hæretici, et de natura et typo earum.*

XIII. *Qualiter viperæ conveniant Simoniacis.*

XIV. *Quod unius modi sint subversores sacramentorum et verborum Christi, et quod nec petant nec impetrant ab eo.*

XV. *Qualiter a quibusdam juxta quædam non audiatur et juxta quædam audiatur Dominus.*

XVI. *Ubi contradicitur hæreticos nec sicut criminosos intra ecclesiam Deum audire.*

XVII. *De differentia negotiatorum sæculi et eorum qui dicuntur Simoniaci.*

XVIII. *De eo quod carnales Ecclesiæ sine fide non sint instar Ruben et Gad, et dimidiæ tribus Manasse.*

XIX. *De eo quod Simoniaci a Satana pervadantur exemplo Judæ proditionem Domini aggredientis.*

XX. *Quot maledictionibus cum Juda Simoniaci subjaceant, et qualiter omnem Ecclesiam vendant.*

XXI. *De eo quod non prosit Simoniacis qualiscunque eorum eleemosyna.*

XXII. *Quid vulpes Simoniacæ faciant vel patiantur.*

XXIII. *Allegoria de vulpibus a Samsone captis.*

XXIV. *Collatio actuum Judæ et Simoniacorum.*

XXV. *De eo quod Judas sine fide pœnituit, et quod consentientes principibus sacerdotum fide privati sunt.*

XXVI. *Quod nil nisi damnationem a Simoniacis accipiant etiam gratis ordinati, et quod idola faciant pro Christo adorari.*

XXVII. *Sententia sancti Augustini qua omnes hæretici convincuntur negare Jesum Christum in carne venisse.*

XXVIII. *Item cujus supra, de eo quod hæretici Spiritum sanctum non habent, quamvis visibilia sacramenta habeant.*

XXIX. *Item cujus et unde supra in quo cognoscitur Spiritus Dei.*

Digitized by Google

XXX. *Recapitulatio præmissorum verborum sancti Augustini.*
XXXI. *De malitia Simoniacorum, et quod pejores sint latronibus, et sine aliqua fide Dei.*
XXXII. *Qualiter hæretici a Deo fornicantes faciant et alios fornicari.*
XXXIII. *De diminutione Ecclesiæ et hæreticorum multiplicatione.*
XXXIV. *Quanto pernicriosiores omnibus hæreticis sint Simoniaci.*
XXXV. *De nativitate et incremento Simoniacæ hæreseos.*
XXXVI. *Qualiter Simoniaci non solum res Ecclesiæ, sed ipsos quoque principes cum populis diabolo vendunt.*
XXXVII. *De inæstimabili nequitia hæreseos et quali bestiæ in Apocalypsi comparetur.*
XXXVIII. *Recapitulatio præmissæ sententiæ ex Apocalypsi.*
XXXIX. *Quæ sint signa et prodigia catholicorum.*
XL. *Quæ sint signa et prodigia hæreticorum.*
XLI. *De sævitia hujus bestiæ et de charactere Christi et Antichristi.*
XLII. *De negotiatoribus Christi et Antichristi.*
XLIII. *Quo charactere Simoniaci noscantur esse Antichristi.*
XLIV. *Quantum sint rei Ecclesiæ Simoniaci, et de numero nominis Christi.*
XLV. *De numero nominis Antichristi.*
XLVI. *Qualiter Satanas profanam Trinitatem contra divinam exstruat.*
XLVII. *Quod nihil prosit hæreticis nec ad fidei nec ad salutis effectum, etiamsi grandibus vocibus catholicum decantent symbolum.*

Expliciunt capitula.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid beatus Petrus apostolus suique coapostoli de hæreticis senserint.

Principis apostolorum piissimi Simonis Petri sententiam in impiissimum Simonem Magum zelo ipsius columbæ, cujus filius erat, prolatam, contra pertinaces calumniatores defensum ire pro captu ingenioli aggressus, nullum mihi aptius principium, quam verba ejusdem, cujus egregia fides nec defecit nec aliquando deficiet, sum arbitratus Quibus concordes sententiæ coapostolorum ejus velut subscriptiones subjungantur. Hic enim de ipso et hujusmodi perfidis et apostatis in epistola sua secunda latius disserens, ait: « Fuerunt pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum qui emit eos Dominum negant, superducentes sibimetipsis celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphematur, et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, quibus judicium jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat (*II Petr.* II, 1-3). » Et post pauca: « Ili velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem et in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem injustitiæ.... Pellicientes animas instabiles, cor exercitantis avaritiæ habentes, maledictionis filii: derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit. Correptionem autem habuit suæ vesaniæ: subjugale mutum, quod in hominis voce loquens prohibuit prophetæ insipientiam. Hi sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba enim vanitatis loquentes, illiciunt in desideriis carnis luxuriæ eos qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur: libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis; a quo enim quis superatus est, hujus et servus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in agnitione Domini nostri, et Salvatoris Jesus Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitam retro converti ab eo quod traditum est illis sanctum mandatum. Contigit enim illis illud veri proverbii (*Prov.* XXVIII, 12): « Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti (*II Petr.* II, 22). » Judas quoque apostolus de talibus nos commonens, ait: « Subintroeunt quidam homines, qui olim proscripti sunt in hoc judicium impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes (*Jud.* 4). » Et post pauca: « Væ illis, qui via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et contradictione Chore perierunt. Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes: nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ; fluctus feri maris, despumantes suas confusiones; sidera errantia, quibus procella tenebrarum in æternum servata est. Prophetavit autem, et de his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris quæ locuti sunt contra eum peccatores et impii. Hi sunt murmuratores, querelosi, secundum desideria sua ambulantes, et os illorum loquitur superbiam, mirantes personas quæstus causa. Vos autem, charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores secundum sua desideria ambulantes in impietatem. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Vos autem, charis-

Digitized by Google

rimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ veræ fidei, in Spiritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Domini servate, exspectantes misericordiam Dei nostri Jesu Christi in vitam æternam. Et hos quidem arguite judicantes, illos vero salvate de igne rapientes; aliis autem miseremini in timore, odientes et eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam (*Jud.* 11-23).» Joannes quoque sive evangelista, ut creditur, sive presbyter Ecclesiæ Ephesi, cuidam sanctæ feminæ scribens dicit : « Hoc est mandatum Dei, ut quemadmodum audistis ab initio in eo ambuletis. Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem. Hic est seductor et Antichristus. Videte vosmetipsos ne perdatis quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis. Omnis qui recedit et non manet in doctrina christi, Deum non habet : qui permanet in doctrina, hic et Filium et Patrem habet. Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis (*II Joan.*, 6-10). » Hinc etiam ille minimus apostolorum vocatione, maximus autem prædicatione et operatione Paulus, Galatas a pseudoapostolis fascinatos deterret, dicens : « Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium; quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema sit. Sicut prædixi, et nunc iterum prædico : Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit (*Gal.* I, 6 9). » Idem ad Philippenses ait : « Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus, et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit. Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula. Imitatores mei estote, fratres, et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram (*Phil.* III, 15-17). » Idem ad Colossenses : « Hoc dico, ut nemo vos decipiat in subtilitate sermonum (*Coloss.* II, 4). » Et post pauca : « Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum (*Ibid.*, 8).» Idem quoque ad Thessalonicenses : « Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et non commisceamini cum illo, ut confundatur. Et nolite quasi inimicum æstimare, sed corrigite ut fratrem (*II Thess.* III, 14, 15).» Idem ad Timotheum : « Finis præcepti est charitas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta. A quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium : volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (*I Tim.* I, 5-7). » Et post aliqua idem ad eumdem : « Spiritus manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium conscientiam suam (*I Tim.* IV, 1). » Et post aliqua idem ad eumdem : « Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, superstitiones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantes quæstum esse pietatem. Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus; habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis (*I Tim.* VI, 3-10).» Idem ad eumdem : « Noli verbis contendere. Ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Profana autem et vaniloquia devita. Multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit. Ex quibus est Hymæneus et Philetus qui a veritate ceciderunt, dicentes resurrectionem jam factam, et subvertunt quorumdam fidem. Sed firmum fundamentum Dei stetit, habens signaculum hoc. Cognovit Dominus qui sunt ejus, et discedit ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia. Et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo mundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Juvenilia autem desideria fuge. Sectare vero justitiam, fidem, charitatem, pacem, cum his qui invocant Dominum de corde puro. Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt, ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem (*II Tim.* II, 14-26).» Hoc autem scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, et hos devita. Ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes : quemadmodum Jamnes et Mambres re-

Digitized by Google

stiterunt Moysi (*Exod.* VII, 11), ita et hi resistunt veritati, homines corrupti, mente reprobi circa fidem, sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus sicut illorum fuit (*II Tim.* III, 1-9). » Et post pauca : « Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur (*II Tim.* IV, 3, 4). » Et post aliqua idem ad eumdem : « Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, reddet ei Dominus secundum opera ejus (*Ibid.*, 14). » Item ad Titum : « Sunt multi inobedientes, vaniloqui et seductores, maxime qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui : qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis proprius propheta ipsorum : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis, et mandatis hominum aversantium se a veritate (*Tit.* I, 10-13). » Et post aliqua idem ad eumdem : « Stultas autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita ; sunt enim inutiles et vanæ. Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit proprio judicio condemnatus (*Tit.* III, 9-11). »

A

B

CAPUT II.

De pietate, et impietate, et de Cain et Balaam præsumptione.

C

Hæc nos ex apostolicis litteris latius decerpsisse, et continuatim hic inseruisse nullus superfluum ducat, quia cum alias hæreses, tum maxime illam notant, quæ turpis lucri sequax, pietatem quæstum æstimat. Pietas autem hic non est intelligenda ea quæ vulgo solet intelligi, et improprie dici misericordia, sed ea quæ Græce dicitur eusebia, id est *bonus cultus*, vel potius theusebia, id est *Dei cultus*, secundum quam Dei cultor, vel boni cultor dicitur pius, scilicet recta fide Deo devotus et religiosus, sicut e contrario impius, quisquis veri Dei ignarus, infidelis scilicet aut incredulus, spiritibus erroris passim prostituitur, et ad libitus eorum famulatur. Pietatis enim ostiaria fides est, sine qua nec Deo placetur, nec Deus placatur, nec colitur. Unde hujus vocabulo attendentes, quotquot fideles sumus, peccatores quidem nos dum peregrinamur a Domino (*II Cor.*, V, 6) veraciter atque salubriter profitemur, impios autem nos omnimodis dicere abhorremus et devitamus. Ac per hoc astruitur omnis quidem impius etiam peccator, sed non omnis peccator etiam impius, quia quisquis fidelis quandiu hic vivitur non quidem sine peccato est, cum tamen sine impietate, id est infidelitate sit. Infidelis autem nec sine peccato, nec sine impietate, quales sunt impii Judæi et pagani, de quibus Dominus in Evangelio ait : « Qui non credit jam judicatus est, sicut et princeps mundi hujus jam judicatus est (*Joan.* III, 18). » Ideo secundum Psalmistam : « Non resurgent impii in judicio (*Psal.* I, 5). » Si ergo juxta Apostolum veritate privati sunt qui quæstum æstimavit pietatem, scilicet Dei cultum, quanto magis Simoniaci, qui adeo pietatem quæstum putant, ut etiam omnia ipsius pietatis officia, ordines videlicet divini cultus quæstus causa venales habent, ita ut ipsius quoque pietatis auctorem Spiritum sanctum donum utique Dei, quod principaliter in ipsis ecclesiasticis ordinibus vel sacramentis operatur, pecunia posse possideri confidant ? Nec negligenter prætereundum est quod in ipsis sanctorum apostolorum scriptis, ubi præsentes simul et futuræ hæreses arguuntur, tacito nomine innumerabilium ante legem, et sub lege reorum nominatim Cain, Balaam, Chore; Jamnes quoque et Mambres paradigmatice ad medium deducuntur. Et tres quidem primos Judas Jacobi seriatim proponit dicens : « Væ illis quia via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et contradictione Chore perierunt *Jud.* 11). » Quorum medium beatus Petrus sic commemorat : « Secuti viam Balaam ex Bosor (*I Petr.* II, 15). » Porro duos ultimos beatus Paulus ita detegit : « Quemadmodum Jamnes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati (*II Tim.* III, 8). » Quapropter si diligenter inspicitur præsumptio, avaritia simul et pertinacia, in his quinque argui deprehenduntur. Quæ utique tria omnium hæreseon existunt gemina, incrementa tamen et firmantia. Et Cain quidem præsumptio illa inter alias existit, quod secundum B. Joannis apostoli dictum, ipse qui ex maligno erat (*I Joan.* III, 12), et cujus opera maligna, ob invidiam sanctissimi fratris, cujus justa erant opera, sacerdotale sibi officium sacrificium Deo offerendo præsumpsit (*Gen.* IV, 8). Quam nimirum sacerdotii prærogativam sola devotio patribus ante legem conferebat, ut velut sacerdotes sub lege altaria Domino sacrificarent et hostias offerrent, sicut Noe, Melchisedech, Abraham, Isaac et Jacob et B. Job. Porro avaritia illi tanta aspiravit, ut commune et publicum omnibus bonum, primus ad proprium et privatum redigere laboraret, præsumptis spatiis et terminis translimitando. Cujus squalidus et sedulus fossor sic incubabat, ut quidquid sibi ex illa proveniebat, in illam anxius sic reponebat, ut vix tandem connivente avaritia ad solam invidiam fratris ex terra levatum manipulum offerret. Et vere miserabilis et mirabilis avaritia perfidi hominis, cui cum duobus tantum viris, tunc patre scilicet et fratre, parvus et angustus visus est totus orbis terrarum cum totidem partibus suis. Demum pertinacia eumdem sibi inextricabiliter devinxit, ubi etiam ipsi Domino a peccatis et a præmeditato fratricidio se compescenti et absterrenti acquiescere contempsit. Refert namque Genesis, Dominum dixisse ad Cain : « Quare iratus es? et cur cecidit facies tua? Nonne si bene egeris recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum aderit, sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius (*Gen.* IV, 6). » Vel secundum aliam translationem : « Si recte

D

Digitized by Google

offeras; recte autem non dividas, peccasti, quiesce.» Porro Balaam præsumptione hac notatur, quoniam cum esset ariolus et idololatra, credebat se prophetam atque benedictum cui benediceret, maledictumque cui malediceret, quodque veluti sacerdos Dei altaria ædificabat. Avaritia quoque illius et ex libro Numeri, et ex Epistola B. Petri apostoli evidenter agnoscitur, ubi prædicit magistros mendaces ab Ecclesia exituros, qui pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii, derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit (*II Petr.* II, 15; *Num.* XXII, 23). Cui concordans coapostolus ejus Judas Jacobi, intentat illis Vae, qui errore Balaam mercede effusi sunt (*Jud.* 11). Cujus pertinacia ex hoc maxime convincitur, quod etiam quater a Domino correptus, et admonitus mentem a maledictione... perditionem Israelis minime mutavit. Nempe sicut sacra historia refert, bis eum domi adhuc positum, sic Dominus præmonuit: « Noli ire cum hominibus istis, neque maledicas populo, quia benedictus est (*Num.* XXII, 12). » Cui tamen postmodum præcepit: « Si vocare te venerunt homines isti, surge et vade cum eis, ita duntaxat, ut quod præcepero tibi facias (*Ibid.*, 20). » Cui jam in via posito post afflamina asinæ angelus apparens interminatus est sic: « Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria (*Ibid.*, 35). » Quem tamen permittens ire, dixit: « Vade cum istis; et cave ne aliud quam præcepero tibi loquaris (*Ibid.*, 35). » Sed impius ille ferali avaritiæ addictus, clam eis laqueos perditionis aptavit, quibus palam se in mortem fieri similem optavit.

CAPUT III.

De peccato Core et fautorum ejus, atque pœna eorum.

Jam in ipsa contradictione Core, præsumptio et avaritia idem videntur esse. Nam ambiendo indebitum sibi sacerdotium præsumpsit, et præsumendo ambivit. Porro avaritia, ut B. Gregorius ait, non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis. Recte enim avaritia dicitur, cum supra modum sublimitas ambitur. Si enim non ad avaritiam honoris rapina pertineret, nequaquam Paulus de Unigenito Filio diceret: « Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (*Philipp.* II, 6). » In hoc ergo diabolus parentem nostrum ad superbiam traxit, quo eum ad avaritiam sublimitatis excitavit. Pertinacia quoque Core in hoc ostenditur, quod nec increpatione, nec admonitione ad cor fuit reversus. Denique, ut historia refert, ita illi acriter impudenterque jurganti et exprobranti mitissimus hominum Moyses respondit: « Mane notum faciet Dominus qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi, et quos elegerit appropinquabunt ei. Hoc igitur facite. Tollat unusquisque thuribula sua, tu Core, et omne concilium tuum, et hausto cras igne ponite desuper thymiama coram Domino, et quemcunque elegerit ipse erit sanctus. Multum erigimini, filii Levi. Dixit rursum ad Core: Audite, filii Levi. Num parum vobis est quod separavit vos Deus ab omni populo, et junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, et staretis coram frequentia populi, ut ministraretis ei? Idcirco ad se fecit accedere te, et omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vindicetis, et omnis globus tuus stet contra Dominum (*Num.* XVI, 5-11). » Hinc summotenus per internuntios comperta Dathan et Abiait ad ron proterva contradictione, iratus est Moyses valde; Dominum: « Ne respicias sacrificia eorum. Tu scis quod ne asellum quidem acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. Dixitque ad Core: Tu, et omnis congregatio tua, state scorsum coram Domino, et Aaron die crastino separatim. Tollite singuli thuribula vestra, et ponite super ea incensum, offerentes Domino CCL thuribula; Aaron quoque teneat thuribulum suum. Quod cum fecissent, stantibus Moyse et Aaron, et coacervantes adversus eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini. Locutusque Dominus ad Moysen et Aaron ait: Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante contra omnes tua ira desæviet? Et ait Dominus ad Moysen: Præcipe universo populo, ut separentur a tabernaculis Core et Dathan et Abiron. Surrexitque Moyses et abiit ad Dathan et Abiron, et sequentibus eum senioribus Israel, dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan et Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum cum uxoribus et liberis omnique frequentia. Et ait Moyses: In his scietis quod Dominus miserit me, ut facerem universa quæ cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim. Si consueta hominum morte interierint, et visitaverit eos plaga, qua et cæteri visitari solent, non misit me Dominus: sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos et omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quod blasphemaverint Dominum. Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis, et universa substantia; descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis. At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne forte et nos terra deglutiat. Sed et ignis egressus a Domino interfecit CCL viros qui offerebant incensum (*Ibid.*, 15-35). » Ex quo utique divinæ severitatis judicio, etiam in superficie historiæ, quam pene totam huic opusculo inserendam judicamus, conjicere possumus quid mereantur aut quid passuri sint qui sacerdotium Christianæ gratiæ sibi seculariter vindicare præsumunt, si tanta animadversione mulctati sunt, qui sacerdotium Mosaicæ legis sibi contumaciter præripere attentaverunt; quorum duorum sicut quam maxima in sacramentis est diffe-

Digitized by Google

rentia, sic et quam maxima debet esse in ministris utriusque distantia, quantum scilicet distare solet servuli ab imperatoris persona. Equidem Mosaicum illud sacerdotium sacrificiis carnalibus insistens sanguinem hircorum et taurorum, aliquorumque animalium, quo secundum Apostoli dictum impossibile erat auferri peccata, umbram solummodo futurorum bonorum præferebat; Christianum autem, spiritualibus hostiis vacans, sanguinem Agni inconta-minati et immaculati Jesu Christi, qui tollit peccata mundi, quotidie fundit in remissionem peccatorum per manifestam veritatem præsentium et futurorum bonorum. Illud quoque animadvertendum, quod Core non pecunia [sibimet sacerdotium quæsierit], sed gradus sui propinquitate, sed cognatione, qua contribules erant ipse et Aaron, quamvis non ejusdem familiæ, et quia confidebat se quoque Domini esse, sicut ex his verbis ejus cognoscitur aperte: « Sufficiat, inquit, vobis quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus. Cur elevamini super populum Domini? » (*Num.* xvi, 3.) Sed et illud non minus animadvertendum, quam horrendo et miserabili modo Dathan et Abiron viventes in infernum cum omnibus suis, cumque omni supellectile sua descenderint, cum sibimet sacerdotium non quæsierint, neque enim ex tribu Levi erant, sed tantummodo præsumptoribus faverint. Et tamen gravius puniti sunt fautores et defensores, quam ipsi præsumptores. Gravius est enim terra deglutiri vivos cum rebus et ipsis parvulis, qui non peccaverant, quam igne amburi solos qui peccaverant. Animadvertant hoc laici et clerici, qui non timent pravis et indisciplinatis patrocinari, maximeque qui indignos, aut potentia sua, vel favore, seu pretio ad sacros ordines exigunt promoveri. Animadvertant quoque quia prohibitus fuit populus contingere quidquid eorum quæ ad Dathan et Abiron pertinebant, ne involverentur peccatis eorum, cum supellex Core in tantum non perierit, ut etiam thuribula eorum in laminas producta jussu Dei altari affusa sint. Et ut historia refert in sequentibus, factum est grande miraculum, ut, pereunte Core, filii illius non perirent; tandemque cognoscant defensores vel fautores pravorum quanto pejores sint pravis ipsis. Etenim sicut priores in scelere prius Dathan et Abiron terra absorbuit; dein Core cum suis complicibus flamma corripiens combussit. Præ cunctis autem animadvertant Simoniaci, qui post innumera anathemata Spiritum sanctum pro ecclesiasticæ dignitatis ambitione pecunia impugnare præsumunt, quique se expugnare vel expugnari posse eumdem credunt, quanto sceleratiores sint Core, qui, ante quidlibet anathema, sacerdotium Judaicæ Synagogæ nulla pecunia prolata vel promissa, sed sola cognationis, vel sanctitatis fiducia, sibi arripere tentavit. Præterea animadvertant Simoniacorum, seu quoramlibet indisciplinatorum fautores et obstinati defensores a b evangelica veritate quid timere debeant, si Dathan et Abiron ab umbra legati tantam cladem experti sunt. Severior enim Evangelii quam legis est cautio, quia in hac pravum factum solummodo, in illa autem punitur etiam cogitatio. Et certe Dathan et Abiron atque Core duplici contritione, corporis scilicet et animæ, creduntur contriti, ut attestatur Judas Jacobi.

CAPUT IV.

De vulgo sequaci præsumptorum et de differentia veri et falsi sacerdotii.

Jesus de terra Ægypti populum salvans, secundo eos qui non crediderunt perdidit. Sed hinc jam quid eadem historia subjungat perpendatur: « Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen et Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. Cumque oriretur seditio et tumultus increscceret, Moyses et Aaron fugierunt ad tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi sunt operuit nubes, et apparuit gloria Domini, dixitque Dominus ad Moysen: Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque jacerent in terram, dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, et hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis. Jam enim egressa est ira a Domino, et plaga desævitur. Quod cum fecisset Aaron, et cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama; et stans inter mortuos et viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit. Fuerunt autem qui percussi sunt quatuordecim millia hominum et septingenti, absque his qui perierunt in seditione Core (*Num.* xvi, 41-49). » In quo videlicet facto evidenter monstratur quod etiam perversorum sequax vulgus divina indignatione enormiter prosternitur, dum eosdem perversos quos populus Dei falso credebat et dicebat interfectos conqueritur. Nec mirum, quia amicus stultorum efficietur similiter, ut ait Salomon, quorum societatem cavendam edocet sic: « Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint: Veni nobiscum, aut sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum. Pedes enim eorum ad malum currunt. Ne æmuleris viros impios, nec desideres esse cum eis, quia fraudes labia eorum loquuntur. Et cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum, et ruinam utriusque quis novit? Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena, et gemas in novissimis quando consumpseris carnes et corpus tuum, et dicas: Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum, nec audivi vocem docentium me, et magistris non inclinavi aurem meam? (*Prov.* I, V, XXIV.) » Pene fui in omni malo in medio Ecclesiæ et synagogæ, quæ ex proverbiis idcireo latius collegimus, quia bruta et segnis ad malumque prona hominum multitudo doctrinam veritatis cognoscere contemnit, tantum prava facta majorum vel rectorum suorum imitari cupida, sua se ignorantia, cui sponte subja-

Digitized by Google

cet, excusare contendit, cum dicat Paulus : « Qui ignorat ignorabitur (*I Cor.* XIV, 38). » Unde abjiciat a se ignorantiam quæ mater est vitiorum Christianus populus, discat quis sit pastor, quis mercenarius, quis fur et latro ; et pastorem quidem omnino sequatur et audiat, mercenarium autem solummodo audiat, et interim sufferat ; furem vero et latronem nec aliquando audiat, nec sufferat, quia non veniunt nisi ut furentur et mactent et perdant. Et heu lacrymabiliter vitiata nostræ humanitatis conditio ! quæ vix unquam, diurnis meditationibus et quotidianis prænonitionibus fatigata, cognoscit sibi appetenda, vel fugienda, cum reliqua omnia animalia ab ipso sui exordio solo instinctu naturæ appetant sibi accommoda, et fugiant incommoda, vel, ut turtures [milvos] et hujusmodi, sive accipitres, generisque eorum aves columba. In superficie quoque præfixæ historiæ indubitanter monstratur quantum differant qui sumunt sibi honorem ab his qui a Deo vocantur. Core quippe ejusque complices offerendo incensum et preces Domino nemini profuerunt, sibi autem per omnia obfuerunt, ubi nec mora incendium meruerunt. Aaron autem solus offerendo incensum, et rogando pro pereuntibus, inter mortuos et vivos stans, quasi quidam inexpugnabilis et impenetrabilis murus, et ipse a tanto incendio permansit illæsus, atque illud avertit a superstitibus. Taliter unius legitimi sacerdotis oblatio, et oratio indignationem divinitatis placavit, quam ducentorum quinquaginta præsumptorum sibi et aliis provocavit. Quod oportet audiant Simoniaci atque eorum defensores, si habent aures audiendi, tandemque desinant precibus suis et sacrificiis contra se et contra populum inexstinguibiliter accendere iram Dei.

CAPUT V.

De Jamne et Mambre, quibus pejores sunt Simoniaci.

Restant Jamnes et Mambre quorum præsumptio et avaritia palam est. Denique cum essent malefici, geminæ avaritiæ causa, præsumebant signa divinitatis æmulari, sive ut pares Moysi vel superiores illo æstimati a populo magnificarentur, aut certe ut regiis donis cumularentur. Quorum pertinacem fallaciam nuda veritas et maxima potentia signorum Moysi non repressit, donec illis copia fallendi palam omnibus defecit. Nam quia uti ratione ad discernendum bonum a malo nolebant, eos tanquam infideles non verba, sed signa respicere admonebant, et increpabant. Siquidem admonitio simul et increpatio illis adhibebatur, ubi a virga Moysi virgæ eorum devorabantur, et aqua in sanguinem versa atque ranæ eductæ ad id quod fuerant per solum Moysen revertebantur, cum ipsi malefici plagas illas sibi et aliis tantum addere, non autem possent auferre. Qui cum postea etiam ipsam fallendi et nocendi possibilitatem in tertia plaga amisissent, dixerunt : « Digitus Dei est hic (*Exod.* VIII, 19). » Unde constat Spiritum sanctum, cujus operationi in Moyse resistebant, eorum præstigia tunc exinanisse, et postea in tertia nihilominus plaga, quæ jam sexta erat, propter pertinaciam, etiam cum jumentis eos ulceribus et vesicis turgentibus deturpasse et condemnasse, ne jam possent stare coram Moyse. Porro digitum Dei Spiritum sanctum esse ipse Dominus in Evangelio indicat, dicens : « Si in digito Dei ejicio dæmonia (*Luc.* XI, 20). » Quod alius evangelista exponens, ait : « Si in Spiritu Dei. » Hinc perpendant hæretici quibus sint assimilati, et caveant se suaque arcana aut, sicut ipsi sibi præsumunt, sacramenta assimilare sacramentis catholicorum, quibus cooperatur digitus Dei, nec pro sua irrationabili pertinacia a Spiritu sancto, cui contumaciter repugnare non metuunt, velut jumenta irrationabilia irrecuperabiliter percutiantur. Perpendant quoque maleficos illos nullis suis invocationibus et exsecramentis potuisse auferre vel imminuere clades suorum et suas, sed potius augmentasse, et tandem, digitum Dei confessi, incipiant sibi suisque ecclesiasticos ordines humiliter declinando pavere, potius quam superbe usurpando interitum propagare. Quod nisi sategerint, nequiores se Jamne et Mambre procul dubio noverint, cum isti digitum Dei sibi adversari sentientes cesserint, ipsumque professi fuerint, licet impœnitentes veniam non meruerint. Ipsi vero nihil præter solam pertinaciam habuerint, tanto scilicet nequiores, quanto illi in scelere minores, ut puta qui fuerint magi Pharaonis mortalis utique hominis, cum sint ipsi sub nomine religionis lenones antiqui serpentis. Quapropter exemplo Cain, Balaam, et Core, de quibus supra diximus, et magorum horum de quibus sermo est, perterrefacti, quotquot cupiunt de catholicæ Ecclesiæ pace in æternum gaudere, caveant præsumptionem, fugiant avaritiam, devitent pertinaciam, illam B. Pauli semper præ oculis habentes sententiam : « Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt (*Rom.* XV, 4). » Et : « Hæc omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X, 11). »

CAPUT VI.

Ubi admonentur Christiani vitare supplantationem hæreticorum, quorum inibi malum atque pœna ostenditur.

Et nunc sacerdotes, reges terræ, et omnes populi, intelligite, erudimini, principes et omnes judices terræ ; juvenes et virgines, senes cum junioribus, apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus et pereatis de via justa. Diligite justitiam, recolite quis dederit vobis pignus Spiritus, et nolite contristare eumdem Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. « An nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis a Deo, et non estis vestri? (*I Cor.* VI, 19.) » — « Vos enim estis templum Dei vivi, et Spiritus sanctus habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus (*I Cor.* III, 16, 17). » — « Templum enim Dei sanctum est quod estis vos. Empti estis pretio magno (*I Cor.* VI, 20). » Nolite vos denuo vendere diabolo quadrante minimo, quem donec reddatis, de

Digitized by Google

carcere districti Judicis exitum frustra speratis. Nolite facere domum Dei Patris domum negotiationis, neque domum orationis speluncam latronum. Sentite de Domino in bonitate, præsumite de illo ad bonum incipere, facere et perficere, et in simplicitate cordis quærite illum, non autem in aliqua duplicitate, neque potestis Deo servire, vel adhærere, et mammonæ. Denique quia ipse Spiritus sanctus simplicitas est, et simplices facit, simplicesque ut ab ipsis quæratur quærit, congrue in simplicissima avium super simplicissimum Dominum Jesum apparuit et mansit: quæ, simplicibus frugibus contenta, nulli rapinæ inhiat, quin potius fallaces milvos, et hujusmodi raptores [aves] caute devitat. « Simplicitas autem justorum diriget eos, et supplantatio perversorum vastabit illos (*Prov.* XI, 3). » Unde justi ex fide viventes sive pro officio suo manus alicui simpliciter imponant, sive aliud quid in nomine Domini agant, omnia eis cooperantur in bonum. Econtrario perversi quia supplantationi mutuæ insatiabiliter inhiant, peccatum est quidquid actitant, quoniam sine fide exstat. Nam ubi supplantatio est, fraus quoque est. Ubi vero fraus, ibi et infidelitas atque maledictio, sicut propheta denuntiat: « Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter (*Jer.* XLVIII, 10). » Itaque attendatur inter alias illa Simoniacorum supplantatio, qua se invicem supplantant vendendo et emendo. Equidem emptor pretium dando supplantat venditorem, dum illum gratia Dei fraudat ne eam habeat venditor, aut pretium accipiendo nihilominus supplantat emptorem, dum illum gratia Dei fraudat, ne eam accipiat. Qua supplantatione quia utrique invicem se gratia Dei fraudant, elongatur ab eis benedictio, qua postmodum secum alios damnent. Quoscunque sive gratis, sive non gratis contaminat manus eorum impositio; ac per hoc fit ut supplantatio perversorum vastet illos, nec relinquat eis radicem et germen spiritualis gratiæ. Nam quam periculosum sit etiam laicis ex sæcularibus rebus negotium, Sapientis monstrat hoc proverbium: « Duæ species difficiles et periculosæ mihi apparuerunt: Difficile exuitur negotians a negligentia, et non justificabitur caupo a peccatis labiorum. Propter inopiam multi deliquerunt, et qui quærit locupletari, avertit oculum suum, sicut in medio compaginis lapidum palus figitur. Sic et inter medium venditionis, et emptionis angustabitur peccatum (*Eccli.* XXVI, 28; XXVII, 1, 2). » Quod si tam difficilis et periculosa est venditio et emptio laicis in communibus et privatis eorum utilitatibus, quis enarrare potest quam difficilis et periculosa sit clericis in ecclesiasticis ordinationibus? Et certe tibi licita est venditio rei tuæ, quia secundum B. Augustini dictum, non illicite venduntur quæ licite emuntur. Nam ipse Dominus adolescenti cuidam: « Vade, inquit, et vende omnia quæ habes (*Matth.* XIX, 21); » et alibi, ipso dicente Judæ proditori: « Quod facis, fac citius (*Joan.* XIII, 27), » quidam discipulorum putaverunt eum solito dixisse: Eme nobis ea quæ opus sunt ad diem festum. Et tamen licita et perquæ necessaria plurimis mortalium venditio suarum rerum vix non infligit peccatum, quod Scriptura asserit inter vendentem et ementem figi et coangustiari velut palus inter medias junctures lapidum. Et quantum putamus crimen incurrunt, qui illicita et pestifera venditione alienam rem, contradicente eo cujus est, distrahere præsumunt? Plane violenti et raptores sunt de quibus Apostolus: « Neque raptores, inquit, regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI, 10). » In quibus, si possint, juste considerent quantam rapinam præsumant, qui de ipso Deo et omnium rerum visibilium et invisibilium Domino nefande negotiari affectant, ubi gratiam ejus, quam gratis acceptam a se gratis dari præcipit: vendere et emere ad multarum animarum perditionem non dubitant. Verum in hoc non solum raptores et sacrilegi, verum et homicidæ, perjuri, apostatæ atque hæretici, quorum justæ ultioni vix sufficiant varia et innumerabilia tormenta inferioris inferni: qui nec præfatis sceleribus contenti, ad cumulum sempiternæ damnationis suæ blasphemant Spiritum sanctum, quem suo sacrilegio et rapinæ cæterisque nequitiis in tantum cooperari prædicant et credunt, ut ad votum illorum sacrificetur et benedicatur quidquid ipsi leprosi et maledicti ore manuque contingunt.

CAPUT VII.

De damnatione ficte quærentium Dominum, sub exemplo Ananiæ et Saphiræ.

Igitur quotquot estis filii Dei, quia Spiritu Dei agimini, in simplicitate cordis quærite ipsum Spiritum Dei, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum. Simplex est enim, imo ipsa simplicitas, cui per omnia exsecrabilis est simulatorum et calidorum duplicitas, juxta quod scriptum est: « Simulatores et callidi provocant iram Dei (*Job* XXXVI, 13). » Ubicunque autem simulatio vel calliditas, ibi quoque fraus; et ubicunque fraus, ibi quoque tentatur divinitas: qua utique tentatione ira Dei provocatur, sicut in apostolorum Actibus verbo et facto principis apostolorum monstratur, ubi sic legitur: « Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore sua, vendidit agrum, et fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua, et afferens partem quamdam ad pedes apostolorum posuit. Petrus autem dixit ad eum: Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat; et venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit et exspiravit. Et factus est timor magnus in omnes qui audierunt. Surgentes autem juvenes amoverunt eum, et efferentes sepelierunt. Factum est autem quasi horarum trium spatium, et uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introivit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid utique convenit tentare vobis Spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt

Digitized by Google

virum tuum, ad ostium, et efferent te. Et confestim cecidit ante pedes ejus et exspiravit. Intrantes autem juvenes invenerunt illam mortuam et extulerunt, et sepelierunt ad virum suum. Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, et in omnes qui audierunt hæc (*Act.* v, 1-11) ». Quæ nimirum divina indubitanter attestantur, quod fraudator non hominibus sed Deo, utique Spiritui sancto mentitus, ipsum Spiritum Dei tentare convincatur. Cui misero pro vindicta mors infertur subita, quam etiam post paululum incurrit Saphira; cædis quidem tunc nescia, sed fraudis prius conscia. In quibus etiam ad litteram sententia completur, qua dicitur : Facientes et consentientes pari pœna plectuntur; et : « Qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus (*Rom.* I, 32). » Quem certe consensum beatus Petrus conspirationem arguit esse, dicens : « Utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? » quia enim Spiritus sanctus effusione gratiæ suæ hanc charitatem primitivæ Ecclesiæ inspiraverat, ut multitudinis credentium esset cor unum, et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat suum esse aliquid diceret, sed essent illis omnia communia (*Act.* IV, 32); nemini semel admoventi manum hujusmodi aratro permissum est respicere retro; alioquin non est aptus regno Dei (*Luc.* IX, 62), a quo prioris præpositi sui defraudator quis sponte effectus, apostatat omnino. Unde secundum Sapientis sententiam : « Qui transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad romphæam (*Eccli.* XXVI, 27), » scilicet qua a paradiso ejus prohibitus relinquatur sociandus diabolo et angelis ejus. Denique etiam si quis a superiori proposito recedens, bono quidem, sed tamen inferiori se conferat, ipsum bonum non jam bonum, sed peccatum constat. Verbi gratia si quæ virginalem seu vidualem continentiam professæ, ad nuptias quæ utique bonæ sunt devolvantur, juxta Apostolum habent damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; hinc et Moyses in Deuteronomio ait : « Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illum Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, imputabit tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris; quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate, et ore tuo locutus es (*Deut.* XXIII, 21). » Quapropter Spiritus sanctus institutioni suæ, communi scilicet vitæ, fraudem irrogari nec ad momentum passus, simul infelix Ananias ingressus pretii partem pedibus apostolorum exposuit, correptus exspiravit, nec puncto temporis cum sanctis quos fraudaverat participari permissus, nec vivus nec mortuus, sed nec conscia fraudis uxor ejus. Et certe quantum ad humanum arbitrium ultio hæc severa videtur nimium, ut nemo in conversatione illa cœnobitali adhuc valde rudis vel novitius, et qui nullum super hoc interdictum prius accepisse legitur, tam repentino et horrendo exitu cum conjuge damnatur; nec non quia non alieni, sed sicut Arator dicit :

Fur census sub fraude sui;

sed ob semel abreptum communis vitæ propositum, quod suum fuerat, jam non erat suum, quia erat et illorum qui non præsumebant, nec dicebant aliquid suum. Unde non solum fraudator, sed fur quoque sacrilegus exstitit, quia quod suæ potestatis prius fuerat retinere aut vendere, voto et professione ejus sacrum cœperit esse; et quia sacrum de sacro subripuit, dum sanctos suo censu fraudavit duriori vindictæ jure subjacuit, quam si sacrum non de sacro aut non sacrum de sacro subtraxisset. Quod necesse est sollicite considerent communis vitæ professores, ne post prohibitiones se invicem fraudent, saltem extrema facultatum quondam suarum portione, et ut veri sacrilegi damnationem, quam illi (17) in corpore pertulerunt, hanc ipsi cum omnibus qui aliquam fraudem aut rapinam Ecclesiæ facere præsumunt in anima patiantur tanto gravius, quanto melior est anima quam corpus. Considerent quoque quod omnis illorum in fraude, et post fraudem cogitatio, locutio et actio, licet bona videatur hominibus, Spiritui sancto tamen habeatur mendacium et tentatio, dicente Petro Ananiæ : « Cur tentavit Satanas mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. » Ubi evidenter monstratur quod fraudem in corde ponendo mentitus sit Deo. Et post pauca uxori ejus inquit : « Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini. »

CAPUT VIII.

De eo quod non solum rovendum, sed et reddendum sit Domino.

Sed ne quis modicæ fidei apud se dicat, Si tam districte exigitur quod vovetur, cavendum est deinceps ne tale quod voveatur, Psalmistam in Spiritu sancto sic præmonentem audiat (*Psal.* LXXV, 12) : « Vovete. » Et ne tibi sufficere solum vovere putares, mox subjungit : « Et reddite. » Et velut interrogares cui voveatur, et reddatur? respondet : « Domino Deo vestro. » Et ne forsan crederes te vel alios exteriora munera, v. g. oleum, ceram et incensum, jejunium et plura hujusmodi offerentes excipi, adicit : « Omnes qui in circuitu ejus offertis munera. » Ac si diceret : Non vitupero quidem quod exteriora vestra Domino offertis, sed moneo ut et vos ipsos, animam scilicet ac corpus hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, non conformati huic sæculo, sed reformati in novitate sensus vestri offeratis;

(17) Innuit hic Humbertus Ananiam et Saphiram corporali tantum morti addictos fuisse, id quod cum eo docent gravissimi sancti Patres, Origenes tract. 8 in Matth., Augustinus libro III contra Parmen. et serm. 148; Cassianus collat. 6; S. Benedictus in regul. cap. 57, et alii. Idem disertis verbis docet idem Humbertus infra lib. III, cap. 27.

Digitized by Google

ut quæ sit voluntas Dei, quod bonum et beneplacitum, et quod perfectum est probetis. Quod votum ne negligeres, cui voveris inculcat dicens: « Terribili. » Putasne quam *Terribili?* Adjecit: « Et ei qui aufert spiritum principum. » Cujus tenorem ut vere ineffabilem adhuc revelare mortalibus laborans conclusit sic: « Terribili apud omnes reges terræ. » Ergo quia indignum nimis est ut Domino nostro Jesu Christo, qui tanta et talia in nobis et pro nobis est operatus et passus, ingrati simus, totum quod habemus, vivimus et sumus, ipsi voveamus et reddamus. Alioquin melius est non vovere, quam post votum non reddere; cum etiam per Moysen monstretur peccatum esse si tardamus votum reddere. Quod si peccatum est si reddere tardaverimus, quanto magis si non reddiderimus? Nam simili nobis homini si quid vovemus nec reddimus, quasi rebus suis eum fraudaverimus, adversari nobis quantumcunque poterit sentiemus. Si autem aggressi Deo votum reddere deficimus, post Satanam convertimur, canisque ad vomitum reversus, et sus in volutabro luti lota efficimur (*II Petr.* II, 22). Itaque postquam multis modis sapienti satisfactum putatur quantum vitanda sit fraus, tandem Simoniaci, quibus pene tota hæc nostra tragœdia texitur, in se redeant, et quantam fraudem perpetrent vel admoniti recognoscant. Et si Ananias ex sola fraude, furto, sacrilegio, mendacio, conspiratione simul et tentatione Spiritus Dei notatus morte subita multatur, pro eo tantum quod ex agelluli sui pretio aliquantulum sibi retinuit de crastino sollicitus, hi, si sufficiunt, æstiment quanto furto, sacrilegio, mendacio, conspiratione simul et tentatione Spiritus Dei obnoxii sint, et qua pœna digni, qui se invicem Spiritui sancto fraudaturi, eumdem mediatorem sibi et causam pretii proponere satagunt, ut aucupantes alienam rem alienumque census, adimpleant conspirationem suam, qua tentare convenit eis ipsum Spiritum sanctum. Qui tamen quia non invenitur ab his qui tentant illum, omnis eorum cogitatio, locutio et actio, sine dubio habetur Spiritui sancto mendacium, etiamsi hominibus videatur alicujus veritatis præferre indicium.

CAPUT IX.

Quod Spiritus sanctus fidelibus appareat, infideles autem lateat a quibus nec quæritur.

Porro quod mendacium a Spiritu sancto damnationem sibi et consciis suis, nullam autem sanctificationem quibuscunque acquirat, Ananiæ et Saphiræ mors clamat. Quin etiam si Deus apparet his qui fidem habent in illum, profecto patet Spiritum sanctum nec apparere Simoniacis qui perfidia et mendacio impugnant illum. Ubi enim mendacium, ibi et perfidia. Unde Dominus qui apparet fidelibus, abscondit se ab infidelibus. Fidei siquidem catholicæ apparet, ut puta in qua, et per quam in cordibus nostris manet; perfidæ autem hæresi, ut puta quam per omnia horret, nusquam et nunquam nisi iratus et vindex adest. Unde constat quia nec inveniA tur ab eis, quoniam fraudando et mentiendo tentant illum, ut puta qui fidem non habent in illum, secundum quod incredulitatem judæorum cavendam Apostolus monens, ait: « Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt (*I Cor.* x, 9). » De quibus et Psalmista ait: « Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis (*Psal.* LXXVII, 18), » dicendo, ut historia refert: « Est ne Deus in nobis an non? » Illud quoque Sapientiæ dicentis: « Quærent me mali et non invenient. » Si in hoc sæculo subauditur, secundum præcedentia accipiendum est, quasi diceretur: Tentabunt me mali et nec juxta velle suum invenientur me faventem sibi; alioquin quis quæsivit Dominum et non invenit? « Quoniam in sæculum misericordia ejus (*Psal.* CVI, 1), » et qui quærit, invenit (*Matth.* VII, 8). Si autem in futuro subauditur, quæretur tunc, et non invenietur quia dum inveniri potest nunc non quæritur. Unde propheta ad vere quærendum Dominum admonens ait: Si quæritis, quærite (*Isa.* XXI, 12). Qui enim ficte quærit Deum, nunquam inveniet eum: « Quærite, inquit Psalmista, Dominum, et confirmamini, quærite faciem ejus semper (*Psal.* CIV, 4). » Et tamen quia omnino verum est: Qui quærit, invenit, concedatur etiam Simoniacos non ficte sed inhianter quærere, et ob id quod quærunt indubitanter invenire. Sed quid quæritur? Quod psalmus increpative demonstrat dicens: « Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? » (*Psal.* IV, 3.) Et quid inveniunt? Nimirum patrem mendacii, scilicet diabolum, qui attestante Domino in veritate non stetit, quia veritas non est in eo. Et cum loquitur mendacium, de suo loquitur, quia mendax est ipse et pater ejus. Hinc et Sapiens dicit: « Semper jurgia quærit malus (*Prov.* XVII, 11) » Angelus autem crudelis mittitur contra eum, auctor utique discordiæ. Si ergo quis quod quærit invenit, et si quærens mendacium vel jurgium, patrem mendacii vel auctorem discordiæ invenit, Simoniaci venditores et emptores quid quærunt, lucrum procul dubio terrenum, et ut summatim et aperte dicatur, pecuniam tantum. Sed quid inveniunt? Tentationem et laqueum diaboli, quia impugnando gratiam Dei volunt ditari. Et cujus diaboli? Mammonæ scilicet, qui lucris et pecuniis terrenis præest. Et ad quid inveniunt? ut sit eorum Dominus, ipsique servi ejus, secundum quod dicitur: Amator pecuniæ servus est Mammonæ.

CAPUT X.

De excessus eorum differentia qui super fundamentum Christi excedunt, et eorum qui sine ejus fundamento.

Verum quia et apud catholicos, velut rara avis, æstimatur qui inter eos pecunias aspernatur, quamvis plurimum differant qui eas sibi juste quærunt ad solum usum necessarium, ab his qui etiam ad superfluum, non se delent negotiatores, de quibus agitur nostris in aliquo assimilare, qui malunt temporaliter agere quam patriam Dei venalem de

Digitized by Google

cere confidentes quia nihil deerit timentibus eum: qui, si etiam in terrenarum rerum negotiis interdum excedunt, eleemosynis, aliisque bonis quantocius pro certo placare sibi Dominum possunt, quia catholicæ fidei fundamentum in mente conservant integrum. Cujus fundamenti merito salvi fiunt, sic tamen quasi per ignem, etiamsi superædificaverint ligna, aliquando fenum, stipulas (*I Cor.* III, 12), quod de omnibus etiam criminosis creditur a quibus fundamentum id retinetur, si tamen in hac vita fecerint dignos pœnitentiæ fructus. Porro emptitii servi Mammonæ, ejusque vesanæ malitiæ duces et signiferi, qui non solum suas animas venales habent, sed etiam ipsarum Creatorem et Sanctificatorem animarum vendere laborant, quid agent? aut quo iidem mulvi fallacissimi a facie columbæ ipsius, quam venalem putant, fugient, qui fundamento quod est Christus Jesus, fide scilicet se privarunt, super quem, velut super firmam Petram, Ecclesiam suam ipse ædificat? Neque enim eleemosynis aliisque bonis, quæ utique, subtracto ipso fundamento, nulla eis insunt, juvari possunt, cum potius in peccatum illis reputetur quidquid aliis salutem operatur. Nec mirum cum ipsi nec salutem suam, nec alicujus quærant in ecclesiasticis officiis; quæ sibi male præsumunt, quod ex hoc probatur quia sola pecunia eis dominatur, quæ sola in actionibus eorum operatur; ipsa enim petitur, ipsa quæritur a venditore, ipsa pulsatur, ipsa proponitur, ipsa adoratur, ipsa invocatur, ipsa datur, ipsa accipitur, ipsa habetur, ipsa possidetur. Quæ si de medio auferatur, aut certe, dum exigitur, denegatur, procul dubio constat quia nec Deus petitur, nec quæritur, nec pulsatur, nec proponitur, nec adoratur, nec invocatur, nec datur, nec accipitur, nec habetur, nec possidetur. Sic versa vice ipsa petit, ipsa pulsat, ipsam emptor proponit, ipsam adorat, ipsam invocat, ipsam dat, per ipsam accipit, per ipsam habet quod habet, per ipsam possidet quod possidet. Sed quid? exteriorem dealbationem et interiorem denigrationem, quia perditionem, quia damnationem, quia maledictionem, quia sacrilegium, quia mendacium, quia apostasiam invicem sibi dant et accipiunt, habent ac possident. Quin potius a tot dæmonibus possidentur quot modis prave negotiando supplantant et supplantantur. Specialiter autem a maligno mammona, cujus sunt summi usurarii, cuique omnis intentio, et actio eorum militat. Neuter enim eorum, venditor scilicet ac emptor, Deum proponit ante conspectum suum; imo penitus proponit sibi Deum, cui proponit numerum. Quo fit ut postponendo Deum, primum et novissimum Antiquum utique dierum, cujus sine fine regnum, proponant sibi recentem Deum, atque deserendo suum adorent Dominum alienum, Psalmista contradicente sic: « Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum (*Psal.* LXXX, 10). » Sed quia non obauditus fuit, subdit: « Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum (*Ibid.*, 13). » Et paulo post: « Inimici Domini mentiti sunt ei (*Ibid.*, 16); » de quibus alibi congeritur: « Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere (*Psal.* LXI, 5), » Deum meum scilicet ad me. Qua cogitatione ad quid pervenerint, subjungit dicens: « Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant (*Ibid.*). » Si ergo qui cogitaverunt Deum a sancto viro repellere, jam maledicunt corde, quamvis benedicant ore, quid putas agunt, qui non sola cogitatione, verum locutione et opere laborant Dominum a se et ab aliis repellere? Quorum oris benedictio quæcunque illa sit, indicibilis maledictio apud Deum fit, qui verba vel facta hominum ex sola intentione cordis perpendit. Nec considerant quid boni dicant, sed dicendo quo intendant. Quod tantum solius Dei est discernere, sicut Apostolus prædicat aperte: « Vivus est, inquit, sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus ad quem nobis sermo (*Hebr.* IV, 12, 13). »

CAPUT XI.

Quod vitandi sunt hæretici exemplo viperarum et malæ arboris.

Sed ne crederet quis se immunem noxæ, si negligeret tales cavere, velut qui corda eorum nequiret penetrare, ipse Dominus, in Evangelio monens a falsis prophetis attendendum, indicium cognoscendi mox addidit, dicens: « A fructibus eorum cognoscetis eos (*Matth.* VII, 16). » Unde quorum avaritia videtur palam sic sævire, ut non dubitent Spiritum sanctum venalem proponere, constat eos falsos prophetas esse, quia, velut profanæ arboris occultum germen, quale sit sapor pestiferi fructus prodit. Itaque quæ de ore procedunt, de corde exeunt; et ideo si mala sunt in corde, bona esse nequeunt in ore, etiamsi videantur esse. Ea sunt enim quæ coinquinant hominem, cujus in ore benedictio, quia non pro Deo sonat, sed pro nummo plurima computatur maledictio, et nulla benedictio. Hujusmodi enim, ut ait Apostolus, « per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium (*Rom.* XVI, 18). » Ecce, quales benedictiones, quæ seducunt innocentes! Et quid est proprie seducunt? seorsum ducunt. Unde et quo? a Deo ad diabolum. Nam si a diabolo ad Deum, bene seducerent. Vere, malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala (*Luc.* VI, 45). Nam quid aliud inde proferre poterit, nisi quod thesaurizavit? In tales invehitur Dominus dicens: « Genimina viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? aut facere [facite] arborem malam et fructum ejus malum? (*Matth.* XII, 33, 34). » In quibus Veritatis verbis arguuntur deteriores malis arboribus, quia istæ quales sibi sunt in radice tales se exhibent hominibus in sapore, illi autem, cum mali sint in corde, bona tamen verbo tenus præsumunt in ore. Et quam

Digitized by Google

congrue, per arbores malas, quæ vivunt quidem, nec tamen sentiunt, accipiuntur pagani, qui perfidiam idololatriæ, quam habent in corde, exhibent in ore. Per genimina autem viperarum, quæ vivunt et sentiunt, nec tamen discernunt, increduli et perversi hæretici, qui perfidiam quidem retinent simul in opere; sed in ore monstrant interdum se quoque quiddam recti sentire. Quod quia non discernunt, sibi et multis pejores, et perniciosiores paganis sunt, qui nihil fidei Christianæ sentiunt, sicut viperæ, nocentiores mala arbore existunt quantum, scilicet venena, ab amaro vel noxio pomo differunt. Et viperæ quidem, si non impetantur vel læsantur, ultro impetunt cætera animalia, et naturaliter lædunt. Mala autem arbor, nec quemlibet fructu suo impetit, nec quemlibet, si non impetatur, lædit. Cum ergo tantum viperæ, quas hæreticos, et malæ arbores, quas paganos præfigurasse dictum est, differant, quis magis a catholicis tolerandos paganos quam hæreticos dubitat? Siquidem pagani, nisi eos lacessas, non te lacessunt; et lacessiti, si prævalent, damna exterioris substantiæ et contumelias inferunt, mortem vero corpori tantum vix aliquando inferunt. Porro hæretici præsumpta sibi specie Christiani sensus et prælata ultro te lacessunt, etiamsi quiescas et sileas, et tantum animæ mortem pertinaciter quærentes, damna exteriora et mortem corporis inferre nihili ducunt, quamvis etiam hæc nonnunquam, si prævalent, inferant constanter sibi resistentibus. In quo facto omnimodis similes sunt diabolo qui, tantum animarum mortem sitiens, non curat, sicut B. Gregorius docet, ut terrena tollat, sed ut charitatem in nobis feriat, cujus fundamentum fides exstat. Pagani autem irritati in sua sævitia similes sunt bestiis, quæ se irritantium vestes discindunt, et aliquando in eos usque ad mortem carnis sæviunt. Qui profecto tanto fuerunt bonis tolerabiliores, hæreticique intolerabiliores, quanto bestiæ deprehenduntur crudelitate dæmonibus inferiores, quarum crudelitas natura est, cum istorum sit vitium.

CAPUT XII.

Quoa plus quam viperæ cavendi sunt hæretici; et de natura et typo earum.

Unde si horremus viperas quæ, naturæ legibus ductæ, nil peccati ex sua feritate contrahunt, quanto abhorrendi sunt hæretici qui, solo afflatu dæmonum impulsi, quidquid vitiorum et scelerum, ubique jacet, irreverenter agunt. Quos non absurde Chaldæos captivantes, scilicet vel quasi dæmones, accipimus, quia quamvis natura homines sint, tamen captivando fideles populos, vitio suo dæmones sunt, tanto utique sollicitius cavendi quanto bestiarum nequissimi, non solum dentibus lædunt, sed, quod miserabilius est, lingua quoque innumeras hominum catervas perimunt, cum reliquæ bestiæ dentibus solummodo, cornibus, aut pedibus sibi objecta impetere soleant, quæ tanto minus formidandæ sunt quanto exterius est quod quærunt, quantoque atrocius sæviunt. De quibus Psalmista dicit: « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, lingua eorum gladius acutus (*Psal.* LVI, 5). » Quæ lingua quantum incauto prævaleat beatus Job manifestat, dicens: « Occidet eum lingua viperæ (*Job* XX, 16). » Cujus natura tam abominabilis est hominibus ut, cum nullo ab eis experimento sciatur, vix sine aurescendo [*f.*, horrore] animi audiatur, cum forte refertur. Ut enim physiologi asserunt, vipera conceptura aperto ore comparem suam expetit, cujus ori caput ille insano amore inserit. quod illa insaniori mordicus truncatum deglutit; quæ ex comparis sui morte taliter peracta mox concipiens, ubi maturi partus tempus habuerit, a filiis in ortum festinantibus infelix mater corrosa costis, perimitur, quia ei natura negavit communes omnibus concipiendi et parturiendi effectus. Sic pessimæ bestiarum pereunt, mas videlicet dum coit, femina dum parit; et mas quidem a femina, femina autem a filiis, lege parentum non multo post perituris. Quod physice dictum, si typice fuerit discussum, « Nihil enim fit in terra sine causa (*Job* V, 6), » congruit hoc nimirum animæ pravis suis concupiscentiis, et carnis stimulatæ, ac per hoc fornicari a Deo, legitimo ejus Sponso, cupidæ; cui, velut viperæ, compar suus occurrit, diabolus scilicet qui ratione simul et apostasia prior, velut adulter, concupiscentiæ illius tanquam ori caput, id est suggestionem vel suasionem suam inserit; quam misera anima, supra modum oblectata, ab illo tollit, et in secretis suis recondit. Ex qua mox concipiens paulatim et sensim intra se pravitatis semina fingit et nutrit, quæ maturata, quoniam impensa mente naturales et aptos suis conatibus meatus vel exitus non inveniunt (neque enim natura est animæ vel angeli, ut vitiorum opera gignant), miseram matrem suam, id est animam, occidunt. Nam dum ejus naturam obstare suæ nativitati sentiunt, in tantum efferantur ut corrosis vitalibus et costis, videlicet immortalitate et robore illius, cum summo matris suæ interitu effectum suum capiant et foras erumpant. Sic « peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem (*Jac.* I, 15). » — « Anima enim quæ peccaverit ipsa morietur (*Ezech.* XVIII, 4). » Sed anima morietur parturiendo, adulator illius, id est diabolus coeundo, prava utique suadendo, ipsius enim diaboli caput suasio ejus est; quæ si recipitur, omnis peccati seminarium et initium efficitur.

Et ne putet quisquam se suggerendo mala posse non mori, intelligat ipsum diabolum, spiritualem scilicet viperam, toties mori quoties mala hominibus suggerit. Qui, quoniam immortalis est conditus, licet semper vivat, semper tamen morietur, tum ex suo peccato quod ab initio incurrit, tum ex suggestione maligna, qua animas perire semper cupit. Moritur ergo sine intermissione, nec moritur, qui quidem ipsa vita sua aliquando penitus non privatur, et tamen sine intermissione tormentis ingeminatis et renovatis urgetur. Cui hoc solum

Digitized by Google

illa sua vita largitur, ne semper moriens aliquando moriatur, et vel sic ab accrescentibus sibi supplicis eripiatur. Ipse enim homicida est ab initio (*Joan.* VIII, 44). Primum siquidem hominem occidit, et deinceps quotquot potuit et poterit. Et non certe non ferro aut veneno aut quolibet alio necis instrumento armatus protoplastum adiit. Pravum verbum seminavit et occidit. Quapropter nullus mali suasor dubitet se homicidam, in quo ne putet alio occiso se adhuc vivere, apostolum Joannem animadvertat dicentem : « Scitis quoniam omnis homicida non habet vitam in se manentem (*I Joan.* III, 15). » Quod, ne tergiversaremur et pro libitu sententiam ejus verteremus, præmisit inquiens : « Qui odit fratrem suum homicida est (*Ibid.*). Omnes autem vos, inquit Christus, fratres estis (*Matth.* XXIII, 8). » Quos procul dubio odit qui eis prava scienter suggerit. Unde et tanto majori homicidio reus tenetur quanto primum homicidam, scilicet diabolum in hoc similius imitatur, quantoque potior est anima quam corpus. Et tamen nullum homicidii genus prætermisit idem apostolus, ubi ait : « Scitis quoniam omnis homicida, etc. (*I Joan.* III, 15). »

CAPUT XIII.

Qualiter viperæ conveniant Simoniacis.

Hæc autem quæ de natura viperarum typice ad diabolum retulimus, etsi ad omnia membra illius referri possunt, specialius tamen principalibus congruunt, scilicet hæreticis, ut puta ab illo secundis; ut enim inter Deum et seraphim nulli spirituum intersunt, sic inter diabolum et hæreticos nulli hominum intersunt. Sed quoniam nec ad nomina tot monstrorum sufficimus, Simoniacis tantum, de quibus impræsentiarum agitur, quomodo congruant videamus. Quæcunque Christianæ professionis persona, si vitiato animæ suæ naturali motu, scilicet laudabiliter concupiscibili arripiatur, ut ita dicatur, honoris ambitione, charitate Dei prius privatur; ac deinde ambitiosa effecta, ut Dominus se glorificantem glorificet minime exspectat. Unde quietis et moræ impatiens, passim et inhianter vestigat suæ concupiscentiæ parem. Cui forte invento vastam pectoris sui flammam patulo ore inspirat, ubi in corde, et cum corde hactenus repositam anxia proferendo manifestat. Ubi enim thesaurus, ibi et cor (*Matth.* VI, 21). Itaque ille miser, velut alter a diabolo adulter, visa pecunia, velut occulta quondam, sed nunc manifestata sibi alterius cordis avaritia, insanus amore pecuniæ caput suum eidem condemnat, ubi vitæ suæ inimicus, et sempiternæ mortis oblitus fidem suam, vel rationem, quam a Domino, velut principale membrum, sortitus erat, infidelitati et irrationabilitati alterius infideliter et irrationabiliter immersat, sed taliter capite privatus moritur, nec tamen reliqua vipera capite illo comparis sui ad profectum suum vel cujusquam, nisi ad solum interitum potitur, quia ambitiosa persona perdit quidem complicem suum, dum ei proponendo cupitum nummum, aufert ei fidem, scilicet principale suum, nec tamen sibi aut cuiquam ablatam fidem possidet, sed solam perfidiam, quam veneno diaboli ebria deglutivit ad seminarium sui interitus et aliorum. Neque enim fides perfidia fieri potest, sed simul ac perfidia accedit, fides abscedit, tanquam ab ea cui aliquando non communicat. Et sicut compar viperæ ubi detruncandum caput addicit, jam nec sibi caput est, nec infandæ conjugi sed illi mors, isti autem fit seminarium mortis; sic nefandi Simoniaci, ubi gratiam spiritualem vendendam et emendam adducunt, venditorem quidem gratia deserit, nec tamen emptorem adit, sed ira Dei utrumque horribiliter pervadit. Invicem se ergo linguis suis, ut viperæ, occidunt, quia hic exigendo, ille exhibendo gratiam venalem hæretici facti pereunt. De quibus, quoniam venenati sunt, non nisi venenati filii nascuntur, ut quidam Sapiens testatur : « Filii abominationum fiunt filii peccatorum, et qui conversantur secus domos impiorum. Filiorum peccatorum peribit hæreditas, et cum semine illorum assiduitas opprobrium. De patre impio quæruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio. Væ vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Domini altissimi; et si nati fueritis in maledictione nascemini, et si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. Omnia quæ de terra sunt, in terra convertentur; sic impii a maledicto in perditionem (*Eccli.* XLI, 8, 13); » et alibi : « Filii adulterorum in consummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur : et siquidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum, et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem. Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes (*Sap.* III, 16, 19). » Dominus quoque per prophetam pseudosacerdotium reprobans, ait : « Quia repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi (*Ose.* IV, 6). » Scientia enim Dei est, verbi gratia, gratiam Dei acceptam gratis dare. Scit namque ipse, sicut in Deuteronomio legitur, quid loquatur. Quam scientiam, quia Simoniaci repellunt, et ei præbere ad se aditum nolunt, etiamsi non verbis, tamen factis ipsi Domino Deo dicunt : « Recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolumus (*Job* XXI, 14). » Unde et ipsi juste a Deo repulsi, ne ei sacerdotio fungantur quidquid sacerdotalis officii specie tenus præsumunt, sibi tantum et non Deo, nec populo ejus funguntur : alioquin Deo, si ejus populo. Quorum panis in utero illorum vertitur in fel aspidum intrinsecus (*Job* XX, 14), quia vitæ potum convertunt sibi in veneni poculum, et inde moriuntur, unde nutriri ad vitam videntur. Quibus in errorem hæreseos lapsis contingit ut, sicut de felle aspidum, sic infelices de suo pane moriantur. Et in suo sacrificio mortem inveniunt, quia in sacramentis vitæ, vel verbis, vitam minime quærunt. Et notandum quia hujusmodi panis, jam non panis

Digitized by Google

Dei, sed panis ejus, videlicet hæretici, in libro beati Job dicitur (*Job* xx, 14).

CAPUT XIV.

Quod uniusmodi sint subversores sacramentorum et verborum Christi, et quod nec petant, nec impetrent ab eo.

Hæc nos in hoc versiculo beati Gregorii sensa sequendo quæ ad hæreticos sacra eloquia pervertentes retulit, ad istos qui sacramenta altaris pervertunt non inconvenienter transtulimus, quia verbum Dei et panis Dei, nihilominus paris, imo ejusdem dignitatis, et coæternitatis sunt. Siquidem verbum Dei nostri, juxta Isaiam, stabit in æternum (*Isai.* xl, 8), et juxta ipsum coæternum Deo Patri Verbum in Evangelio dicens: « Verba mea non transibunt (*Marc.* xiii, 31). » De quibus et beatus Petrus eidem ait: « Verba vitæ æternæ habes (*Joan.* vi, 69). » Pari modo panis Dei, ut docet in Evangelio ipsum Verbum, imo panis descendit de cœlo, et dat vitam mundo: « Et ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum (*Ibid.*, 51, 52). » Hinc ergo apparet Verbi Dei et panis ejus coæqualitas et coæternitas, quia sicut illud ex sanctis Scripturis, ita hic ex sacramentis vitam æternam præstat. Nec mirum cum unus idemque Dominus noster Jesus Christus et in Scripturis sanctis sit Verbum Dei, et in sacramentis panis Dei. Unde consequens est ut pari abominatione devitemus eversores divinorum eloquiorum, atque eversores cœlestium sacramentorum. Quibus et si cœlestem Patrem, ut putatur, petant panem, datur tamen lapis; si piscem, serpens; si ovum, scorpius (*Matth.* vii, 9, 10); quia ut Psalmista prophetice imprecatur, dat illis Dominus secundum opera ipsorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum secundum opera manuum eorum tribuit illis, reddit retributionem eorum ipsis. Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum eorum destrues illos, et non ædificabis eos (*Psal.* xxvii, 4, 5). Nec mirum; neque enim cœlestem Patrem petunt quod est cœleste, et ideo nihil ab eo consequuntur cœleste, sed justo ipsius Dei Patris permissu et judicio accipiunt a diabolo, seu filii mali a patre pessimo, pro pane charitatis vel sacramenti, obdurationis lapidem, pro pisce, fidei perfidiæ serpentem, pro ovo, spei desperationis scorpionem. Nam nihil beneficii cœlestis malignus hic pater suis filiis valet conferre, cum carnales patres quamvis mali recusent, nisi bona data, quantum ad hoc sæculum, filiis se petentibus dare, ut si petat panem, panem; si piscem, piscem; si ovum, ovum porrigat.

Qua in re claret eos, quibus perniciosa dantur, perniciosa sibi petiisse, nec a Patre luminum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum est (*Jac.* i, 17), quidquam petiisse, nec in nomine Jesu petiisse; alioquin contradicitur sic repromittenti ipso Christo: « Amen, amen dico, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (*Joan.* xvi, 23). » Et: « Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (*Joan.* xiv, 13). »

Constat itaque hæreticis his dari quod petunt ab eo quem petunt. Et quem petunt? patrem et dominum suum mammonam. Et quid petunt? panem. Quem panem? nimirum qui sibi dulce sapere solet, ut Salomon ait: « Suavis est homini panis mendacii (*Prov.* xx, 17); » quem ne dubitaret quis lapidem esse, subjunxit: « Et postea implebitur os ejus calculo (*Ibid.*). » Videsne hic pro pane charitatis lapidem datum obdurationis, cujus pessimo merito efficitur ut petentibus fidem perfidia, velut serpens pro pisce, detur? Nam ubi panis mendacii comeditur, vinumque iniquitatis bibitur, dubium non est quin ibi sola perfidia dominetur. Unde fit ut, tam pestifero serpente possessi, si ovum spei petierint, mereantur scorpionem extimæ desperationis. Qua impletur in illis, quod Sapiens ait: « Impius, cum venerit in profundum malorum, contemnit (*Prov.* xviii, 3). » Quæ utique tria principalia mala, præfatis tribus et principalibus animæ virtutibus contraria, ex sola procedunt avaritia. De cujus pessima sobole, quidam tale distichum prompsit:

Semper avarus eget, nil namque scelestius illo;
Semper avarus amat mendacia, furta, rapinas.

Qui tantam egestatem et miseriam idcirco incurrit, quia infideliter panem petens, lapidem promeruit. Unde prodito corde carneo, in quo requiesceret spiritus pietatis et misericordiæ, invenit lapideum contra omnia charitatis officia vel humanitatis insensibiliter obduratum. Quod videlicet nor Dominus nec dat homini, nec facit, sed juste deserendo fieri permittit, ubi ultroneæ obdurationis subditum sua aspiratione non emollit, sed spiritualibus nequitiis obduratum adhucque obduratum relinquit. Quod si vere peteretur, spiritum charitatis gratanter largiretur, cujus fervore frigus avaritiæ resolveretur. Nam si, ut Dominus ait, patres, « quamvis mali, norunt bona data dare filiis suis, quanto magis ipse Pater de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se! (*Luc* xi, 13) » hinc datur intelligi quia, si mali sunt liberales ad petitionem et voluntatem filiorum suorum, multo magis et incomparabiliter liberalis est Pater summe bonus filiis se petentibus, velut incomparabilia sunt bonum et malum; sic quod quilibet hæretici et nominatim Simoniaci Spiritum bonum non accipiunt, constat quia a Patre cœlesti Spiritum bonum non petunt. Et quid et a quo petunt? spiritum utique malum a maligno patre suo, ut puta auctore et inventore totius mali. Sed econtra dicitur: Nonne videntur, et audiuntur tales Patrem cœlestem invocare, et Spiritum bonum sibi vel aliis petere? Quibus apostolice respondetur: « Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? (*Rom.* x, 14.) » Et ne dicatur, quia vere et catholice credunt in Deum, subjungitur: « Quomodo credent ei, quem non audierunt? (*Ibid.*) » Et quidem prætermissis humanæ fragilitatis, et repentinæ concupiscentiæ

Digitized by Google

quotidianis excessibus, quomodo credunt ei, qui diuturna præmeditatione et consilio in hujus hæreseos crimen lapsi contendunt, nec audiunt dicentem : « Gratis accepistis, gratis date? » Constat ergo quia non in eum credunt ; sacramentis suis inviolabilia et perpetua privilegia decernentem et constituentem non audiunt.

CAPUT XV.

Qualiter a quibusdam juxta quædam non audiatur, et juxta quædam audiatur Dominus.

Sed, ne quis hinc ansam calumniæ in nos retorquendam arbitretur, asserendo nec nos credere in Deum, quia multoties peccata et crimina vetantem, atque ad virtutes invitantem non audimus, noverit, sicut plurimam esse diversitatem divinorum præceptorum, sic et plurimam conversorum. Sunt enim quædam divina præcepta, quæ si quis pie transgreditur, non solum nil culpæ, sed et plurimum mercedis nanciscitur, velut ille gloriosus transgressor Paulus, qui cum a Domino præceptum sicut et coapostoli ejus habuerit, ut Evangelium annuntians de Evangelio viveret (*I Cor.* IX, 14), nihil horum usus, labore manuum suarum vixit, ne quam occasionem daret Evangelio Christi (*Act.* XX, 34). Sic sunt et aliqua, quæ si continuatim aguntur, nec aliquando pro tempore intermittuntur, non modicum deviatur, sicut de sacculo, vel pera, seu reliquis non tollendis et tollendis, scilicet tempore pacis aut persecutionis. Nam ipse qui prius dixerat : « Nolite portare sacculum aut peram (*Luc* X, 4); » idem postea dicit : « Nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram (*Luc* XXII, 36). » Hujusmodi ergo Dominica præcepta cum discrete intermittuntur, beatus procul dubio intermissor taliter habetur. Sunt quoque alia quæ etiam perfectos conturbant nimia subtilitate sua, ut est : « Non concupisces (*Exod.* XX, 17), » et non solum contumeliosi, sed etiam otiosi verbi vehemens interdictio (*Matth.* XII, 36); in quibus cum transgrediuntur, non utique eorum fides sauciatur sed sanctitas conversationis deterioratur, quamvis post concupiscentias suas non cunctando, ex verbis quoque suis sese acriter judicando reparata melioretur, præcipue ubi corde, ore, opere Deo Patri suo quotidie sic profitentur : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*Matth.* VI, 12). » Hinc sunt et alia quæ etsi ad perfectionem minus perfectos invitent, tamen arbitrium eorum necessitate prægravant, ut est : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes (*Matth.* XIX, 21). » Et : « Qui potest capere capiat (*Ibid.*, 12). » Quæ quatuor diversitates divinorum præceptorum spiritualibus et vere catholicis competunt, qui quamvis non omnia, mandata Dei sic audiunt ut faciant, tamen eorum sanam fidem recta opera clarificant. Restat quinta, quæ fideles quidem, sed tamen carnales et rudes informat, et a flagitiis atque facinoribus refrenat, ut est Decalogus, et hujusmodi cætera, sicut : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo (*Deut.* VI, 5); » et : « Honora patrem et matrem, non occides, non mœchaberis (*Deut.* V, 16-18). » Tales si a malo declinant, nec tamen bona faciunt, fideles quidem sunt, sed otiosa est fides eorum. Si autem nec a malo declinant, sed insuper criminalibus peccatis seipsos pessumdant; jam quidem fides eorum reputatur ut arbor mortua, sed non radicitus evulsa, cum tamen quoquo modo adhuc vivat ex spe qua veniam sibi sperant, et Deum a quo ipsam veniam sperant, et proximum quantulumcunque ament. Denique, ut Apostolus ait : « Fides est sperandarum substantia rerum (*Hebr.* XI, 1). » Unde patet fidem spei substantiam esse. Ubi autem spes, ibi et amor, quia necesse est ames bona quæ speras. Ac per hoc constat illud B. Gregorii dictum, « unumquemque quantum credit tantum sperare et amare. » Porro spes in tantum dicitur proprie rerum bonarum esse, ut habeatur a grammaticis pro vitio quod Græce acyrologia, Latine vero impropria dictio dicitur, ubicunque aliter posita invenitur, ut est illud poetæ :

Hinc ego si potui tantum sperare dolorem.

Unde et sic exponunt ; *sperare* dixit pro *timere*. Cujus verbi proprietatem servans alter ait :

Licest sperare timenti.

Quamobrem quamvis fides bonarum rerum sit et malarum, spes tamen nonnisi bonarum, quia credimus quidem bona quæ promittit Deus, et mala nihilominus quæ minatur, cum tamen bona ipsa tantum speremus, mala autem tantum timeamus. Ac per hoc B. Jacobus licet dicat : « Tu credis quia unus est Deus; bene facis, et dæmones credunt, et contremiscunt (*Jac.* II, 19); » in hoc tamen credulitas pravorum hominum a credulitate dæmonum differt, quia pravi homines credunt et sperant; dæmones autem credunt quidem, sed non sperant, imo desperant, et ideo contremiscunt. Quod si perversi homines credunt quidem, sed non sperant, jam a credulitate dæmonum nil distant. Sed sciendum quia, sicut malum est hominibus desperando peccare, sic, et supra modum sperando, de die in diem pœnitentiam differre, peccatisque peccata addere, et ex eis velut restim longam sibi texere, qua in fine ligati manus et pedes præcipitentur in tenebras exteriores, quos, quandiu nec desperant, nec peccata sua defendunt, nequaquam a catholicæ Ecclesiæ paradiso extrema sententia damnamus, quamvis interdum a communione nostra aliquandiu medelæ causa removeamus. Et ideo constat tales adhuc computari inter fideles, et quamvis criminosos, non tamen recte dici impios, quia « impius, » id est infidelis, « cum venerit in profundum malorum, contemnit (*Prov.* XV, 3). » Itaque nec isti audierunt Dominum crimina interdicentem, et tamen credunt ei, sicut supra monstratur evidenter, quod et de his dicendum est, qui etiam de summo virtutum culmine ad ima vitiorum pari modo nonnumquam corruunt.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Ubi contradicitur hæreticos, nec sicut criminosos intra Ecclesiam Deum audire.

Verum ne præfati hæretici his nostris armis, velut incautos, aggrediantur, asserentes se quoque, exemplo eorum quos commemoravimus, in Deum credere, quamvis eum non audiant præcipientem : « Gratis accepistis, gratis date, » noverint nostram a sua causa incorporabiliter discrepare. Si quidem nostri quædam Christi mandata quasi non audiunt, ubi ea aut suæ supremæ perfectionis gratia alacriter transeunt, aut imbecillitate mentis perterriti non adeunt, aut fragilitate humana interdum ducti incaute prætereunt, aut tentatione diabolica superati illis obeunt, aut ab illis redeunt. Quorum primi non solum sunt laudandi et imitandi, verum et beatificandi ; medii autem laudandi quidem, sed miserandi ; postremi vero pariter miserandi et arguendi, et tamen pro tempore et causa si corripi et corrigi patiuntur, patienter tolerandi et exspectandi. Qui etsi a Deo apostatarunt pravi operis perpetratione, tamen adhuc sunt cum eo et stant pro eo ex fidei professione quam retinent corde et ore. Quamvis enim factis, non tamen fide a Deo recedunt, dum eum fidelem in omnibus verbis suis, et sanctum in omnibus operibus suis (*Psal.* CXLIV, 15) credunt et dicunt, etiam cum fidem ipsam factis astruere negligunt. Qui quidem ad credendum audiunt Christum Dominum dicentem : « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille (*Joan.* VI, 29) ; » et : « Creditis in Deum, et in me credite (*Joan.* XIV, 1) ; » sed non audiunt eum ad faciendum, dicentem : « Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos (*Matth.* V, 44), » — « et nolite thesaurizare vobis thesauros in terra (*Matth.* VI, 19) ; » et similia his quamplurima. De quibus ex fide viventibus, vel virentibus, atque ex operatione morientibus vel arentibus, illud propheticum non incongrue dicitur : « Pars una compluta est, et pars super quam non pluit, aruit (*Amos* IV, 7). « Virent ergo succo fidei quam auditam perceperunt ad credendum, et retinent; et arent neglectu boni operis, quod auditum ad faciendum non retinent. Ad quos, quantum ad fidem, illa Domini sententia, incredulos sibi Judæos arguentis, non plene pertinet, qua dicitur : « Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi ? Qui est ex Deo, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis (*Joan.* VIII, 46). » Nam carnales quique in Ecclesia Christum veritatem dicere credunt, et verba ejus audiunt, et si non ad profectum. Unde et ex Deo sunt, in quantum verba Dei audiunt, et ex Deo non sunt, in quantum non audiunt. Porro hæretici neutro modo Deum aut verba illius audiunt, quia fide non amissa, vel amissa, non solum nil boni faciunt, verum etiamsi quid facere videntur, totum est peccatum, ut puta quod sine fide est. Alioquin si sine fide catholica, quæ sola est fides, non sunt, hæretici non sunt. Sed interim prætermissis aliis, Simoniaci ab ipsis Christianitatis rudimentis hæretici sunt dicti et habiti. Ergo sine fide sunt ; si sine fide sunt, nec spem habere possunt, quia fides est substantia spei. Si spem non habent, nec charitatem, quia non potest amare quod nec sperat, nec credit, sicut paulo superius astruitur satis.

Hinc conjici potest hæreticos et paganos inferiores esse ex incredulitate, quia dæmones unum Deum esse credunt et contremiscunt; illi autem nec hoc tantillum. Et tamen superiores dæmonibus in hoc sunt quia, et pagani per baptismum, et hæretici forsan per pœnitentiam salvari possunt. Quamvis si bene definitio fidei consideretur, fides aut credulitas dæmonibus inesse non proprie, sed abusive, dicitur. Nam si fides, ut Apostolus definit, « est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (*Hebr.* II, 1) » constat dæmones nec fidem habere, nec credere Deum, quem in evangelica dignitate ab ipso creati ante lapsum suum noverant, et solebant facie ad faciem contemplari. Ac per hoc non credunt Deum esse, non posse dicere quod dixit insipiens in corde suo : « Non est Deus, » quia in eo quod prius viderunt, sciunt eum esse. Quod enim videt quis, quid sperat ? Hinc ergo constat quod nec dæmones fidem habeant. Alioquin si fidem vere haberent, spe quoque et charitate non carerent, ac per hoc jam dæmones non essent. Quapropter et illa spes diaboli, de qua Dominus B. Job dicit : « Spes ejus frustrabitur eum (*Job.* XL, 28), » non est vera spes, sed quædam securitas, qua sibimet ipse vel sui de misericordia Dei frustra blandiuntur, cum ejus justitiæ districtione nequaquam verentur. Quam procul dubio timerent, si ex fide spes illorum subsisteret, quia fides credit in Deum et ex eo quo timendus est, et ex eo quo amandus. Unde fides, retento sibi timore, justissimi Judicis spe communicat amorem piissimi Patris, ut tantummodo amando speret quod fides quoque credit amandum. Sic fides et spes nec diabolo, nec impiis insunt, quamvis ejus inesse inveniatur abusive dictum, sicut B. Gregorius fidem asserit habere infideles, cum credunt se natos ab eis quos sibi parentes dicunt, quamvis conceptionem suam et nativitatem non viderint, et plurima hujusmodi humanæ conversationis, seu actionis. De quibus ipse doctissimus Pater ait : « Habent infideles fidem, sed utinam in Deum ! »

CAPUT XVII.

De differentia negotiatorum sæculi et eorum qui dicuntur Simoniaci.

Sed, his non usquequaque incassum præfixis, disquiratur quo pacto ecclesiastici, qui in sacramentis ecclesiasticis non gratis dant danda gratis, dicantur omnino fidem perdere, et plusquam quilibet Christiani cleri vel laici, etiamsi terreni quæstus causa circumveniant in negotio fratres suos, (*I Thess.* IV, 6), aut nimium care vendant quod viliter, aut certe gratis acceperunt. Et primo videatur

Digitized by Google

utriusque modi negotiatoribus, quæ sit jugiter communis intentio vel causa, deinde quæ privata. Ergo, ut summatim dicatur, hæc nobis communis utrisque intentio in suo negotio videtur, quia uterque quærit temporaliter ditari temporalibus rebus. Quo fit ut utrisque pariter, quamvis per diversitatem officiorum suorum, impariter feriantur illo elogio Sapientis : « Qui quærit ditari non erit innocens (*Prov.* XXVIII, 20). » Nam secundum communem intentionem commune damnum innocentiæ incurrunt, licet pro ordinis diversitate unus majus, alter minus. Quod non et commune est eis negotii causa merces proponere, taxare, vendere, atque emptorem cupere. In quibus si nil aliud intercederet, aut nulla, aut minima culpa esset. Neque enim culpæ imputandum est, si communis necessitatis causa merces venales proponantur, taxentur, vendantur et emantur, siquidem non illicite venduntur quæ licite emuntur. Est etiam eis aliquando communis circumventio fratris, quia unus eorum quotiescunque negotiatur, circumvenit et circumvenitur; alter autem, etsi aliquando, non tamen semper. De qua circumventione, quamvis vendex sit Dominus in utrumque, tamen non gravius in unum quam alterum pro circumventionis et causæ qualitate. Sic et viliter vendere quæ care accepta sunt, utrisque est aliquando commune, quia unus eorum quotiescunque vendit quid care acceperat, viliter distrahit; alter autem etsi aliquando, non tamen sedulo. Et tamen ille semper viliter distrahendo quod carum est enormiter peccat; hic autem inde meritum sibi bonum et gratiam apud Deum et homines præparat.

Diximus tandem quæ sint utrisque communia, dicamus et quæ sunt privata, episcopis, vel reliquis cleris, quorum interest divina sacramenta administrare, præcipuum est et singulare, mercem cœlestem tantum proponere, vel exponere; laicis autem, vel cæteris sæcularis negotii professoribus terrenam tantum et sæcularem; illorum quoque est rem non suam, contradicente eo cujus est, semper proponere, taxare et vendere; istorum autem suam solummodo nemine contradicente. Haud secus illorum est semper viliter venundare non sua; istorum autem vix aliquando viliter distrahere sua. Nihilominus illorum est gratis accepta, non gratis dare; istorum vero est non gratis accepta, non gratis dare. Nam si diligenter consideretur, nunquam ab homine homo gratis aliquid commodi adipiscitur, aut enim pro obsequio, aut pro favore humano vel gratia, aut pro recompensatione manualis muneris accipit quod accipit, et si pro Deo solo ab homine quod accipit, multo magis non gratis accipit, quia et ipse homo a Deo ut alteri dare possit accepit, et dando meritum apud Deum reponit, qui solus ideo verus est Deus et Dominus, quoniam, secundum Psalmistam, bonorum nostrorum non eget (*Psal.* XV, 2). De cujus plenissima et sola plenitudine etiam egregius Prosper, juxta intellectum doctissimi Patris Augustini, prius prosa, deinde metro sic edisserit : « Nil Deus jubet quod sibi prosit, sed illi cui jubet. Ideo verus est Dominus qui servo non indiget, et quo servus indiget. »

Epigramma cujus et unde supra.

Non ideo quidquam mandat Deus, ut sibi prosit
Nec servi officio verus eget Dominus.
Cujus præceptis angetur qui famulatur,
Fitque minor quisquis negligit imperium.
Nam Deus omnipotens, simul omni tenensque potestas
Nil perdit proprium, nil capit occiduum.
Nunquam non habuit quod habet, dans quidquid habere
Proderit, et sumens nonnisi quod dederit.

CAPUT XVIII.

De eo quod carnales Ecclesiæ sine fide non sint instar Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse.

Verum ut ad propositos nobis negotiatores redeamus, illorum est ipsum Deum et Dominum, Spiritum utique sanctum venalem credere et habere; istorum vero, si ad profundum malorum avaritiæ pervenerint, animas suas venales habere, nec tamen credere se posse eas alicui hominum vendere aut dare. Illinc vivaci mentis acie resculpendo communes et peculiares horum negotiatorum, quas prænotavimus, lineas sigillatim discernamus, quis eorum magis peccat, aut quis Scyllæ seu Carybdi perfidiæ magis appropinquat. Et primitus attendamus sæcularis negotii professores, in quibus delinquere soleant. Plane delinquunt in hoc quod ditari temporaliter quærunt, sed quis invenitur pius justo ditari non cupidus? certe rarissima est hujusmodi volucris. Delinquunt etiam in hoc quod lucri studio circumveniunt in negotio fratres suos, dum vilia carius illis vendunt, vel cara viliter auferunt.

Restat aliquibus eorum illud maximum avaritiæ culmen, quo etiam animas suas venales habent, ubi eas quæstus causa sectando varia crimina et peccata occidunt, ex quibus quamvis animæ illorum moriantur, fides tamen illis omnino non extorquetur. Non solum enim fidem sanam non impugnant, aut refutant, sed eamdem quoque licet sibi mortuam corde et ore defendere laborant. Quos non incongrue filii Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse significant, qui armati Jordanem ante fratres suos, eisque terram repromissionis potenti brachio et ferro decertantes acquirunt, et subjiciunt. Inter quos sortem aliam sibi non requirunt, sed ad suam quam trans Jordanem liquerant post se habitaturi redeunt. Attamen altare super ipsum Jordanem ædificeant sibi in testimonium, quod Dominus ipse sit Deus, ne postea filii cæterarum tribuum possent dicere filiis eorum : « Non est vobis pars in Domino, quia inter nos et vos Jordanem posuit medium (*Jos.* XXII, 25-27). » Sic et sæculares quique et tamen fideles in sancta Ecclesia quoties, catholicis baptismum fide et opere conservantibus, certamen fidei ab hæreticis vel paganis induitur, mox sententiis sanctorum Patrum armati, et interdum potentiæ sæcularis suffulti, fratribus suis pro fide pugnaturis accurrunt Neque

Digitized by Google

prius relinquunt quam eis, hoste fortiter expugnato, optatam quietem acquirant. Sed ad suam, trans Jordanem, quantocius revertuntur, quia licet catholicæ fidei zelo, quam profitentur, catholicis pro tempore suffragentur, tamen post Jordanis transitum, baptismi scilicet sacramentum, filiem baptismatis quantum ad opera transgrediuntur, eamque in pace prætereunt quam in bello fortiter defendunt. Sola enim labentia et transitoria magnopere appetentes, non curant aliam sibi cum fratribus suis provideri hæreditatem, nisi ejusdem fidei professionem ac defensionem.

Quod etiam velut altaris super ipsum Jordanem in terra repromissionis a se constituti testimonio comprobant, quandocunque catholicis atque spiritualibus viris eorum carnalem conversationem redarguentibus et detestantibus in tantum, ut partem eis in Deo denegent ad confessionem catholicæ fidei, quam supra fontem sacri baptismatis, quasi altare supra Jordanem, ipsi et patres eorum professi construxerunt, ad confirmandam sibi sanctorum communionem recurrunt, eoque sibi partem in Deo vindicant, quo fidei symbolum corde et ore fideliter retentant, atque, quotiescunque expetit, admoniti pro viribus alacriter defendant. Quo fit ut altare quod prius putabatur et dicebatur sacrilegum, quasi fuerit ad holocausta et victimas contra divina mandata ædificatum; postea rationabili causa approbatur, et vocatur fidei societatisque Christianæ inter carnales et spirituales testimonium. Quod qui per fidem et opera est Dominus spiritualium, ipse sit per fidem etiam Deus carnalium. Ad cujus causæ discussionem non sine causa Phinees mittitur legatus, cui pactum sempiterni sacerdotii statuit Dominus, quia sacerdotis est diligenter requirere, ne forte quilibet, derelicto Deo et unica fide ejus, tanquam unico altari contempto, præsumant sibi indebitum sacerdotium, et altare aliud eligant ad perfidiæ suæ sacrificia, et cultum dæmonum. Quod utique faciunt quia fide aberrant, et speciem ecclesiasticorum sacramentorum usurpant, quemadmodum post multos annos filii Israel derelicto Domino per impium Joroboam altaria vitulis aureis, et sacerdotes dæmoniis adversus altare Domini et sacerdotium ejus instituerunt.

Sed de hoc plenius in loco alio dicetur. Hoc solum interim hinc animadvertatur, quod quandiu filii Israel altare præter unum et sacerdotium alterum sibi præsumpserunt, sub unius Dei cultu, id est fide, pacem inter se retinuerunt. Mox autem ut præsumpserunt, se invicem continuo bello impugnarunt, nec concordare Judas cum Israel potuit, aut amicitias jungere ausus fuit, Domino contradicente et Josaphat regem super hoc ausu taliter increpante: « Iis qui oderunt Dominum amicitia conjungeris, et impio præbes auxilium, et idcirco iram Domini merebaris, etc. (*II Par.* XIX, 2). » Quin etiam ex beati Gregorii Moralibus indubitanter ostenditur quot et qui intra Ecclesiam male vivunt, sint, et jure fideles dicantur. Ait enim in libro XXXIII: « Vehemoth alios, sub Christianitatis nomine positos devorat, quia in ipso eos fidei errore supplantat, alios a rectitudine fidei nequaquam devitat, sed ad usum pravæ operationis inclinat. Alios, quantum vult, in operationem immunditiæ inflectere non vult; sed apud semetipsos intus in studio intentionis intorquet ut dum a charitate mentem dividunt, rectum non sit quiquid extrinsecus operatur. Et fidem ergo tenent, sed vitam fidei non tenent quia aut aperte illicita faciunt, aut ex perverso corde quæ agunt perversa sunt, etiamsi sancta videantur. Quia et nonnulli confitendo fideles sunt, non vivendo; hinc est quod voce Veritatis dicitur: « Non omnis qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* VII, 21): » hinc rursum ait: « Quod autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? (*Luc.* VI, 46.) » Et post pauca: « Nemo fidem sine operibus sufficere posse confidat, cum sciamus quod scriptum sit: « Fides sine operibus otiosa est (*Jac.* II, 20, 26). » Nullus Vehemoth morsum ex sola confessione fidei plene evasisse se æstimet, quia jam quidem fluvium absorbuit, sed adhuc Jordanem sitit, et toties in ore illius Jordanem fluit, quoties Christianus quisque ad iniquitatem defluit. Os quidem ejus jam fide nos sublevante fuimus, sed magno studio curandum est ne in hoc lubrica operatione dilabamur. Si ambulandi cautela negligitur, incassum credendo rectum iter tenetur quia vita quidem fidei ad cœlestem patriam profuit, sed offendentes minime perducit. »

CAPUT XIX.

De eo quod Simoniaci a Satana pervadantur exemplo Judæ, proditionem Domini aggredientis.

Hinc postquam evidenti multaque auctoritate sub occasione sæcularium negotiatorum monstratum est quantum distent nostri carnales, etiam cum mortua fide sua, ab hæreticis quibus nec mortua fides superest, sed omnino nulla, ut puta stirpitus evulsa et exinanita, restat seriatim monstrandum ecclesiastici ministerii venditores in quibus delinquant, nimirum ubi et ipsi ditari temporaliter quærunt, sed delinquunt tanto plus negotiatoribus aliis quanto sempiterna, quam temporalia cœlestia cum terrenis sunt pluris, et, ut brevius et apertius dicatur, quanto Creator omnium Deus vilissimæ creaturarum præfertur. De cujus sacramentis ubicunque negotiando quærunt ditari, procul dubio volut alter Judas ipsum Deum, qui ipsis sacramentis essentialiter inest et cooperatur, prodere perfidis disponunt. Unde necesse est ut quos eadem intentio impio et crudeli Judæ coæquat, eadem culpa devinciat, parque damnatio involvat. Et certe diabolus qui stat a dextris Judæ, furis non qualiscunque, sed sacrilegi, ad mala suadendum pro sola proditionis meditatione cor illius intravit ad seducendum, sicut Joannis testatur Evangelium: « Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes (*Joan*, XIII, 2), » etc. Ex qua immissione

Digitized by Google

diaboli quid infelix Judas adeptus sit, Lucas apertissime sic ostendit : « Intravit Satanas in Judam qui cognominabatur Iscariotes unum de duodecim, et abiit. et locutus est cum principibus sacerdotum et magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gavisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare, et spopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis (*Luc* XXII, 3-6). » In quibus veracium evangelistarum veracissimis verbis aperte innuitur quantum reatum ex proditionis illius conceptione incurrit proditor pessimus, qui, licet longe ante ipsam proditionem fur sacrilegus fuerit, quando Dominicam pecuniam egenis profuturam, quam ministerio portabat, furto a loculis exportabat, non tamen in eum diabolus intrasse legitur, nisi ubi in cor ejus ut prodat Magistrum mittitur; quod si talem habitatorem meruit ex solo proditionis affectu, qualem putamus meruit ex ipso effectu? Denique sciendum est quia, sicut bonitas gradus suos habet, quibus paulatim ascendendo proficit, sic malitia suos, quibus indesinenter ad pejora descendendo deficit. Nec mirum cum suggestio boni sit semen Dei; suggestio autem mali nihilominus semen diaboli. Et ut semen Dei, in bonam terram jactum, secundum evangelici agricolæ parabolam, prius mittit germen, dein fructiferat herbam, deinde spicam, inde plenum frumentum in spica, quod statim fl ce defectum atque palearum selectum reponitur in cœleste horreum (*Matth.* XIII, *Marc.* IV, *Luc* VIII); ita et semen diaboli in mala terra suis augmentis contendit provenire, ut mox ad suum perveniat locum, perpetuum scilicet incendium. Neque enim quisquam repente fit imus in malo, sicut nemo repente summus in bono.

Unde et semen diabolici lolii in cor pessimi Judæ jactum prius occulte germinavit deliberationem proditionis, deinde aperte erupit herbam pestiferæ machinationis, ubi abeundo et loquendo inde Judæis verbis suis, velut luxuriantibus sibi foliis umbra nequitiæ suæ, alii semini nequam ad mortificando principalem, et singulare granum frumenti communicavit. Quibus dum super hoc gavisis et pecuniam super hoc pasciscentibus spopondit, velut spicam prôtulit, quæ adolescebat, dum tradendi opportunitatem quærebat (*Matth.* XXVI, 15, 16), et plenum lolium in sese exhibuit, quando traditionem osculi signo perfecit (*Ibid.*, 49). Cui tandem falx accessit, ubi laqueo suspensus medius crepuit, et in locum suum reponendus hinc abiit (*Act.* I, 18). Cujus propinquiores sequaces effecti Simoniaci, non minori avaritia ad hoc usque devolvuntur, ut Spiritum sanctum prodere conentur. Cum qua sua immissione diabolus corda eorum, effractis foribus fidei, scilicet timore et amore, violentus intrat, qui hactenus eis exterius assistebat, dum alia avaritiæ mala illectos supplantabat, ne tamen qualemcunque fidem Dei ab eorum cordibus elimabat. At mox, ut de Deo sentire prava et conari licet, clam non metuunt, fidem omnino perdunt, sicque secedenti Christo, qui prius per fidem habitabat in eorum cordibus succedit ad invadendum perfidiæ hospes diabolus. Hinc, ubi tantæ iniquitatis conceptu parturientes clandestinum pus mentium suarum, quibus refundant similes sibi solerter vestigant, eisque repertis talia insusurrant. Quid vultis nobis dare, et nos vobis Spiritum sanctum tradimus? Nunquid non hæc vox quæ una fuit Judæ, et uno tantum die, pene continua et quotidiana est istis?

Atque utinam hic milvi, secundum Isaiam, alter ad alterum in suam Babylonem congregati, hanc nefandam vocem sibi invicem lente et tenuiter insusurrarent, et non proterve et granditer inclamarent! Sed, quod pejus est, in tantum inolevit hujusce negotiationis usus ut jam, velut ex auctoritate et regula, Spiritus sanctus in sacramentis suis venalis palam omnibus proponatur, palam taxetur, palam pretium ejus expostuletur, palam, ut creditur, venditur, palamque ematur, qua in re sceleratiores sunt sceleratissimo Juda, qui proditionem, nullo modo attentandam a quovis vel latenter, attentavit. Quod si inter alia Dominum Deum etiam ex hoc immaniter offendit quod inæstimabilem arbitrio Judæorum appretiandum reliquit, et quod incomparabilem adeo parvipendit, ut denariorum numero eum traderet profanis, quo ibunt a Spiritu Dei, et a facie ejus, quo fugient isti, qui nunc suo, nunc alieno arbitrio ipsum Spiritum sanctum appretiare solent, adeoque minimi faciunt, ut non solum paucorum summula nummorum, verum etiam piget, pudetque dicere, pro cane, sue, accipitre, et reliquis qualibuscunque, et hujuscemodi xeniolis vendere non dubitent? Inæstimabilis enim culpæ est Creatorem cœli et terræ pro quantumlibet magna, et pretiosa merce velle distrahere. Ideo, sicut supra dicitur, intolerabile facinus perpetrant quotiescunque quod pretiosum, et super omnia carum est, viliter venumdare tentant. Quid enim carius et pretiosius Deo? Cujus incomparabilem excellentiam, sub nomine sapientiæ, Sapiens sic commendat, dicens : « Nihil esse duxi in comparatione illius; nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, et tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius, quoniam inexstinguibile est lumen illius. Infinitus enim thesaurus est hominibus (*Sap.* VII, 8-14). » Et post pauca : « Est enim in illa spiritus intellectus sanctus, unicus, multiplex, subtilis, mobilis, disertus, incoinquinatus, etc. (*ibid.*, 22). » Beatus quoque Job inde ait : « Nescit homo pretium ejus. Non dabitur aurum obrisum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Non confertur tinctis in die coloribus, nec lapidi sardonico pretiosissimo, vel sapphiro. Non adæquabitur ei aurum, nec vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri. Excelsa et eminentia non memorabuntur in comparatione ejus. Trahitur autem sapientia de occultis. Non adæquabitur ei topazium de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur (*Job* XXVIII, 13-19). » Qui post

Digitized by Google

panca breviter aperiens quid sit sapientia, ex persona Dei dicit homini : « Ecce timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia (*Job* XXVIII, 28). » Hinc beatus Hieronymus, in expositione Zachariæ, ait : « Salvator pretium suum, id est majestatis, in XXX cernens argenteis, et tam vili mercede se proditum ironice ait : « Decorum pretium quo appretiatus sum ab eis (*Zach.* XI, 13). » Hoc autem est legendum cum irrisione dicentis : « Tanto me populus meus, et pauperes quondam gregis, et a me electi in filios, emendum atque vendendum pretio judicaverunt! »

CAPUT XX.

Quot maledictionibus cum Juda Simoniaci subjaceant, et qualiter omnem Ecclesiam vendant.

Haud secus hos hæreticos nefandi ambitione commercii dirumpere vincula Christianæ legis, et projicere a se jugum apostolicæ disciplinæ quærentes, qui habitat in cœlis irridet et subsannat (*Psal.* II, 3-4), ubi impudenter negotiando de Deo nihil inveniunt in manibus suis (*Psal.* LXXV, 6), nisi quod Judas et Judæi in suis, perpetuam scilicet maledictionem et damnationem, quia, exemplo Judæ, fiunt filii eorum orphani (*Psal.* CVIII, 9), et uxor vidua, quia sanguis Christi super eos et super filios eorum (*Matth.* XXVII, 25), ut vindicetur, manet. Quorum plane filii ab ipsa conceptione sua et nativitate fiunt orphani, quia sine Deo Patre; et uxor, scilicet plebes eorum, vidua, quia sine legitimo marito, Christo. Unde apparet hæreticos generando mori, quorum uxor vidua remanet, et filii orphani. Et vere penitus Deo moriuntur, ubi sacramentorum ejus gratiam perverse alios ordinando vendere non verentur, ut filii amborum, nonnisi orphani, nascantur, quia mox sempiterno Patre orbantur, ubi sacramentis quæ apud hæreticos dicuntur initiantur. Quibus pariter ad suæ damnationis cumulum accrescit, ut a generatione eorum requiratur blasphemia Spiritus sancti, qui est remissio peccatorum, sicut ab insano Juda et perfidis Judæis, sanguis Christi, qui effusus est in remissionem peccatorum. Quorum substantiam omnem perfidus ille fenerator mammonas pro accommodato eis perfidiæ suæ nummo scrutatur, laboresque eorum diripiunt alieni illi, quorum voces non noverunt oves Christi. Et quid plura, cum psalmus de quo hæc strictim decerpsimus, latius tales insectetur? Quem si fidelis lector Christiano sensu discusserit, nec mora sub titulo Judæ proditoris animadvertat quantæ, quales, et quot maledictiones atque ultiones debeantur Simoniacis. Neque enim aliquibus hæreticis magis aptari potest psalmi illius prophetica imprecatio, in venditorem Christi et emptores ejus directa, quam istis qui Spiritum sanctum venalem faciunt in omnium sacramentorum ipsius gratia.

Ex quibus ut aliqua specialiter commemorem, isti catechismum, baptismum, et perfectæ Christianitatis sigillum vendunt, scilicet a primo pabulo sacrati salis usque ad confirmationem per episcopum, quæ est septima sacramentorum regenerationis, secundum eumdem septemplicem Spiritum, ad remissionem omnium peccatorum. Et hæc quidem vendunt, quotiescunque ordinant pretio episcopos, presbyteros, aliosque, quorum officia regeneratrici gratiæ in Ecclesia catholica deserviunt. Nihilominus in diaconibus, quidquid sacramentorum in diaconos pertinet; in subdiaconibus quidquid ad subdiaconos; in acolytis quidquid ad acolytos; in exorcistis quidquid ad exorcistas; in lectoribus quidquid ad lectores; in ostiariis quidquid ad ostiarios; in cleris quidquid ad cleros, in œconomis quidquid ad œconomos; in ecclesiis quidquid ad ecclesias; in monasteriis quidquid in monasteria et ad ejusmodi reliqua. Taliter dum nullum Christianæ religionis ordinem immunem venditionis relinquunt, nil non venditum in totius Christianitatis mundo prætermittunt. Non quantulæcunque possessionis angulum, non agellum, non tuguriolum, sed nec minimum obolum; intantum ut non solum præsentes, verum et futuræ fidelium oblationes in Ecclesia deprehendantur prius venditæ quam collatæ. Sic hi qui dicuntur Christiani, totum Christianorum mundum quantum in eis est vendunt; quem « sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret (*Joan.* III, 16) » redemptionem propter eum. Et cui vendunt, nisi diabolo? Et ad quid ei venduntur? Ut sint denuo ipsius, et faciant mala ad voluntatem ejus, neque prosint eis sacramenta aliqua Christianitatis, quia gratis accepta nec dantur nec administrantur gratis; qui si etiam bona videantur agere, jam bona non sunt, quia illi reputantur cui servi addicti sunt per magistrorum suorum male cautum chirographum; qui, velut vasis boni pastoris præcincti (18), fraudulenter maligno leoni retrahunt quos benigno Agno pertinaciter subtrahunt. Unde et inconsolabiliter plangendi sunt, quia sola sua injuria vel ignorantia pereunt, dum devitare tantorum et talium luporum malitiam aut negligunt, aut nesciunt.

Quorum rabiei si Judæ rabies comparetur, tolerabilior multis modis reperietur. Ille etenim, repentina furia actus, semel Magistrum, quem mortalem videbat et passibilem non dubitabat, vendidit; isti autem, diutina meditatione succensi, millies Spiritum sanctum, quem immortalem et impassibilem ore profitentur, vendunt. Ille, quamvis pro tempore paucos discipulos ad horam conturbaverit, non tamen eis Christum etiam occisum abstulit; isti autem et universalem Ecclesiam sine intermissione conturbant, et ab innumerabilibus Christi populis ejus gratiam exterminant. Ille, unus dum unum prodidit, se quidem et paucos complices suos perdidit, sed tamen totius mundi saluti quamvis nolens et

(18) In ms. codice in margine hæc leguntur: *Secundum Hieronymum, vasa pastoris insignia illius et habitum debemus accipere, baculum, peram fistulam, sibulum. Judas semel Christum, Simoniaci millies Spiritum sanctum vendunt.*

Digitized by Google

nesciens servivit; isti vero, dum innumerabiles unum produnt, se ipsos suosque fautores perdunt, et in perniciem totius mundi grassantes, omnium fidelium saluti resistunt, et nec sibi, nec alicui nisi forte resipiscendo prodesse aliquando possunt. Ille magistrum solum, et sine sua suorumque supellectile distraxit; isti autem non solum Spiritum paraletum, sed insuper quidquid ejus est, et suorum ubivis, usque ad minimum assis. Ille præter se neminem mediatorem, vel testem quærere præsumpsit; isti autem non solum se et domesticos suos, verum et extraneos sui negotii mediatores ac testes persæpe acciunt et faciunt. Ille pœnitentia ductus xxx argenteos etiam nolentibus refudit; isti autem impœnitentes non solum non refundunt quantulumcunque pretium, sed vellent plus acceptum. Quin etiam, nec in aliquo inferiores perdito Juda ejusque complicibus putentur qui in tot criminibus superiores illis monstrantur, gaudent et isti cum Spiritum sanctum appretiaverint, instar illorum, qui appretiando Christum sunt gavisi, et ut illi opportunitatem proditionis, sic et isti exquirunt suæ negotiationis.

CAPUT XXI.

De eo quod non prosit Simoniacis qualiscunque eorum eleemosyna.

Nempe velut quis avarissimus negotiator, anxius exspectat, et anhelus expetit nundinas annuas : sic et isti ordinationes, tempore suo agendas, ut aut inde redimant res suas, talis pretii spe oppigneratas, aut saccellum vacuum impleant, aut pleno superfundant. Ex qua utique pecunia, quam sic amant ut Spiritum sanctum vendere non metuant, fructus non capient etiamsi in pauperes et loca sancta expendant, quemadmodum nec Judas ex sua, qua emptus est ager in peregrinorum sepultura, quæ nec venditori Christi, nec emptoribus ad animarum suarum mercedem quidquam profecit, in tantum nec vile lustum ibidem profanus Judas acciperet, vel inhumatos superjaceret. Hinc si illud consideretur, quod sacerdotum principes pecuniam proditionis sibi refusam arbitrati sunt, simul et professi non licere mitti in corbonam, id est reponi cum denariis templi sacri, quia pretium sanguinis esset (*Matth.* xxvii, 5-8); putamusne quanto sceleratiores Judæis arbitramur istos, qui pretium Paracleti interdum cum oblationibus, quas Christianorum devotio ecclesiis Dei contulit aut confert, reponendum arbitrantur? Solent siquidem sacrilegi ex tam sacrilego pretio quadam vana spe redemptionis animæ suæ modo prædia, modo pallia, modo librorum, modo vasorum atque utensilium ecclesiastici ministerii varia et superflua insignia, possessionibus et gazophilaciis ecclesiarum Dei adjungere. Quod facientes non solum nil mercedis, verum et maximum augmentum damnationis sibi conquirunt, ubi suæ immundæ oblationis contactu sanctuarium, et omnia quæ illius erant polluunt, sicut Dominus per Moysen astruit : « Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet (*Num.* xix, 22); » quod ne fiat, idem Moyses in Deuteronomio sic vetat : « Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domum Domini Dei tui; quidquid illud est quod voveris, quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum (*Deut.* xxiii, 18). » Quo divinæ legis præcepto reprobatur per vitium acquisita oblatio, quia Dominus odio habet rapinam in holocausto; qui mercedem prostibuli merito deligatur, quam ex suæ et alienæ carnis corruptione meretrix profana a profanis fornicando consequitur, quanto magis illam, quam ex suæ animæ, multarumque prostitutione Simoniacus a fide Christiana fornicando mercatur? Nihilominus abominatur pretium canis, non quod eis cujuscunque animalis natura sit abominabilis, sed quod abominetur oblationem, quam quis, velut mutus canis adulando et favendo vitiis alienis, a vitiosis meruit. Vel certe pretium canis Deo est quidquid post pœnitentiam ad peccati vomitum reversus offert. Utrumque enim abominatio est apud Deum, sive fornicationis, sive assentationis tuæ pretium ei voveas offerendum, quantumlibet sit illud magnum pretium, et pretiosum. Quomodo ergo placabitur Deus pretio quo virginitas innumerabilium animarum, id est fides incorrupta sibique desponsanta prostituitur, aut quo pertinacia vel impœnitentia flagitiosis administratur, quandocunque « laudatur peccator in desideriis animæ suæ et iniquus benedicitur? » (*Psal.* x, m.) Quod si possessiones, familias et reliqua, tantum sæculari hominum conversationi utilia, inde sibi suisque propinquis et amici, ut alter Giezi, comparaverint, nihilominus fructus non capient ex eis, quia lepra Simoniacæ maledictionis sibi et semini eorum in perpetuum sic adhærebit ut nutantes transferantur filii eorum et interdicentur et ejiciantur de habitationibus suis (*Psal.* cviii, 10). Sive ergo spiritualiter sive carnaliter pretia illa expendant, omnimodis eos incassum laborare constat, quia nec juste, nec fructuose cuiquam unquam tribuit, qui injuste tollit. Unde hi negotiando sese invicem circumveniunt, et sibi invicem quæ habebant auferunt. Venditor quippe exigendo pecuniam, emptori simul fidem subripit et pecuniam. Emptor autem exhibendo venditori nihilominus subripit fidem et Spiritus sancti gratiam; fitque miro et misero modo ut neuter quod alteri subripuit habeat, sed insuper uterque perdat quod prius habebat, et ab invicem accipiat solam damnationem quam prius non habebat. Quid si uterque est miser, miserior tamen ille, qui et suam pecuniam et fidem perdidit et gratiam spiritualem, quam pro dato pretio exigebat; alteri quidem abstulit, et sibi non accepit; quin potius pro benedictione maledictionem incurrit. Quo fit ut quemadmodum quis, dum alteri animam tollit, illi quidem tollit, sed ipse duas animas non habet, quin potius et suam perdit; sic et isti fidem sibi et gratiam invicem tollunt, sed neutram earum habet quilibet illorum, et insuper in manus Dei viventis horribiliter incidunt (*Hebr.* x, 31), ubi mortem eis generat peccatum consum-

Digitized by Google

matum (*Jac.* I, 15). Unde mox diabolo qui prius intravit corda illorum ad invadendum traduntur divinitus ad semper sibi in pace possidendum, sicque eos denuo, velut alterum Judam, post buccellam intinctam, Satanas intrat (*Joan.* XIII, 27), ubi proditores fidei suæ ex mutua fraude convictos sibi vindicat. Intinctus enim panis fraude infectam significavit mentem proditoris. Denique non semper abluitur quod intingitur, sed aliquando polluitur.

CAPUT XXII.

Quid vulpes Simoniacæ faciant vel patiantur.

Itaque quia fraudulenti et versipelles isti pro nihilo habent ut Dominus pars eorum sit ipsique pars Domini: tanquam vulpeculæ, ne sicut Sodomorum vinea, demoliantur, etiam florentem vineam Christi capiunt, et partes vulpium illarum efficiunt, quæ sibi in eis foveas habent. Qua, quoniam pro qualitate seu differentia suæ nequissimæ potestatis sibi possidendam patiuntur, sub nominibus et significationibus diversarum et nocivarum volucrum, arborum, herbarum, et bestiarum immundarum, Isaias super Idumæam sic vaticinatur: « Possidebunt illam onocrotalus, et ericius, et ibis et corvus habitabunt in ea (*Isai.* XXXIV, 11). » Et post pauca: « Et orientur in domibus ejus spinæ et urticæ, et paliurus in munitionibus ejus. Et erit cubile draconum, et pascua struthionum, et occurrent dæmonia onocentaurus, et pilosus clamavit alter ad alterum. Ibi cubavit lamia, et invenit requiem; ibi habuit foveam ericius, et enutrivit catulos, et circumfodit, et fovit in umbra eius. Illuc congregati sunt milvi alter ad alterum (*Isai.* XIII, 5). » Talium ergo et tam versipellium vulpium partes pariter et participes effectæ vulpeculæ, de quibus nunc sermo est, possidentur et possident duplicitatis suæ merito a multiformi dæmonum nequitia multiplicer partitæ, et adhuc multiplicius partiendæ, multifariamque partientes, et partituræ sibi illas ipsas possidendas, a quibus ipsæ possidendæ vicissim partiuntur. De quibus quondam Sapientia ait: « Vulpes inhabitant animæ, quæ memor est malitiæ, et bestiæ cubant in turbulento corde. » Porro Christi oviculæ simplicitatis suæ merito beatæ sunt; quarum Dominus est Deus earum, qui totus est unica pars præclaræ hæreditatis earum, quam eis ipse restituet (*Psal.* XV, 5) totus in singulis, quæque singulæ totæ in ipso toto, ut sint omnes consummatæ in unum (*Joan.* XVII, 23), sitque Deus unus omnibus, et omnia in omnibus (*I Cor.* XV, 28). Ita sane ipse populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit earum Deus (*Zach.* VIII, 8).

Quarum unicam simplicitatem quia abhorrent præfatæ vulpeculæ, habitant solitudines draconum et struthionum deserti, privatæ præclara et populosa hæreditate unius ovilis uniusque pastoris. Quæ quoniam nonnunquam pastoralitatis vel divinæ speculationis mentem occupant, dum regimen Ecclesiæ, vel sacræ Scripturæ studium sibi præsumendo utrumque prava actione, et interpretatione dissipant, recte in lamentationibus sic conqueritur Jeremias: « Mœstum factum est in dolore cor nostrum, contenebrati sunt oculi nostri propter montem Sion, quia disperiit; vulpes ambulaverunt in eo (*Thren.* V, 17, 18). » Sed licet propter hujusmodi speculatores mons Sion interdum dispereat nonnulla tamen nobis est consolatio, quod non habitasse aut stetisse, sed ambulasse tantum dicuntur in eo. Neque enim in catholica Ecclesia seu canonica Scriptura hæreticorum episcopatus, vel ministerium aliquandiu requiescere, aut stare poterit. Siquidem quia non loquuntur veritatem in corde suo, quia agunt dolum in lingua sua, quia munera super innocentes accipiunt, in tabernaculo Dei habitare, aut requiescere in monte sancto ejus nequeunt (*Psal.* XIV, 1-3). Sic quia accipiunt in vano animas suas et jurant in dolo proximo suo, nec stare prævalent in loco ejus sancto. Et quod dicitur, quia nec stabunt, in quem nec tales ascendunt. Qualis enim ascendat, Psalmista declarat, dicens: « Innocens manibus et mundo corde, » etc. (*Psal.* XXIII, 3, 4.) Unde liquet vulpes has tam subdolas et rapaces nec ambulasse in monte catholicæ Sion, quem nec ascendere potuerunt. In quo tamen, secundum æstimationem, vulgi credentis tales Ecclesiæ Dei principari, vel doctrinam ejus scrutari, ambulasse dicuntur, Domino per prophetam dicente: « Ipsi regnaverunt et non ex me. Principes exstiterunt et non cognovi (*Ose.* VIII, 4). » Et alibi: « Omnes principes ejus erunt in nihilum (*Isa.* XXXIV, 12). » Ex quibus utique trecentas vulpes fortissimus ille Samson typice cepit, et, ut Historia refert, caudas eorum revinxit ad caudas, et faces ligavit in medio, quas igne succendens, dimisit, ut huc illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum, quibus succensis et comportatæ jam fruges, et adhuc stantes in stipula concrematæ sunt, in tantum ut vineas quoque et oliveta flamma consumeret. Quod factum in figuram contigisse illis, et ad nostram doctrinam scriptum nemo ambigit qui Pauli Evangelio credit. Siquidem Dominus noster Jesus Christus, fortissimus omnium et zelotes, non ferens uxorem, quam ex gentibus duxerat, cuilibet alii nuptam, ad tantæ injuriæ suæ ultionem, eos qui sapientes erant ut facerent mala, bene autem facere nesciebant, in astutia eorum, quasi vulpes, comprehendit, quæ ccc numero illas hæreses exprimunt tantummodo, quæ sibi applaudunt de nomine Christiano, sicut Simoniaca, Sabelliana, Ariana, et reliquæ, exceptis hæresibus Judæorum et paganorum, quibus crucifixus Christus, aut scandalum est, aut stultitia.

CAPUT XXIII.

Allegoria de vulpibus a Samsone captis.

Quod autem trecentorum numerus universitatem Christianorum, cruce Christi signatorum, designet, *Thau* littera ostendit, quæ, crucis charactere formata, ipsum numerum exprimit. De qua in Ezechiele viro lineo induto dicitur: « Signa Thau in frontibus virorum gementium et dolentium (*Ezech.* IX, 4). » Quos ne interfectores tangant, subjungitur.

Digitized by Google

« Super quem videritis Thau, ne interficiatis (*Ezech.* IX, 6). » Quod character et Gedeoni affuit, ubi divino oraculo instructus in trecentis viris Madianitas prostravit, in figura nostri Gedeonis, qui gyrum cœli circumiens, in utero Virginis totus mansit. Hic, in trecentis armatis tubis spiritualis prædicationis lagenis corporeæ fragilitatis et lampadibus miraculorum divinitatis, mundum devicit, et vincit quos semetipsos abnegare, et crucem suam tollere atque post se venire docuit. Quorum Sol, id est Samson, post hæc, quia non est qui se abscondat a calore ejus et clarore, ab ovili Ecclesiæ suæ, quam justitiæ radiis profundebat, dolosas et immundas vulpes hæreseon venatus separavit, specie quidem pietatis, sed non virtute trecentas, quas caudis ad caudas invicem colligavit, docens quia, quamvis ad diversa intendant facies et ora, unum tamen errorum finem, velut ex unius perfidiæ nodo, celant et retinent earum posteriora. Nam, quamvis singulæ hæreses superbiæ suæ, velut turrim Babyloniæ suæ, contra Deum exaltari molientes, diversitate linguarum divinitus confusæ, diversa de religione Christiana sentiant et dicant, seseque palam invicem impugnent, in fine tamen unius impietatis nodo convexæ clam concordant, ubi deprehenduntur nil aliud nisi fidem perfidia subvertere, et gregem Christi sibi diripere conatæ. In quarum medio, scilicet in connexione caudarum noster Samson faces apposuit, ubi earum malignam concordiam, quæ in fine jungebatur mutuis et intestinis odiis, zeloque invidiæ contra se invicem concitavit. Hinc est quod dum una quælibet alteram post se trahere aut a se disjungere laborat, omnes invicem pertinacibus animis serviant. « Non est » enim « pax impiis, dicit Dominus » (*Isa.* XLVIII, 22). Quas faces tunc accendit, quando irrevocabili anathemate, quasi igne furoris sui, qui arderet usque ad inferni novissima, per sententiam suæ catholicæ earum odia ad perniciem sui, et multorum aperte inflammavit. Sic dimissæ, vagæ, et perfugæ huc illucque discurrunt, quia exardescente in brevi ira Dei, de via justa perierunt (*Psal.* II, 12, 13).

Demum Philisthiim ingressæ, omnia victualia gentis adulteræ et alienigenæ secum concremavere, quia procul dubio consentientes adulterari uxorem Christi, igne justi judicii ejus, quem in fine suo hæreses, tanquam in caudis, advehunt, quidquid boni habebant, amittunt. Unde et Philisthiim interpretantur *ore*, vel *poculo corruentes*, ut subaudiatur *suo* vel *alieno*. Sive enim alienigenæ, pagani scilicet, seu vicini eorum vecordes, et male viventes Christiani ore alieno corruunt, quandocunque doctrinis hæreticorum, quæ utique sunt dæmoniorum, credunt, sicut miseri Gothi, quorum alii a paganismo, alii a catholica fide ad Arianam hæresim, per imperatorem Valentem et Eudoxium Constantinopolitanum, transierunt. Qui etiam suo ore corruunt, dum hæreticos suo favore protegunt, et extollunt; nec sine causa nominatim messes; vineæ et oliveta eorum consumpta referuntur, cum nonnulla alia cum istis perierunt. Cur hoc, nisi ut innotescat hæreticos vel fautores eorum verum sacrificium et sanctificationem perdidisse? In messibus enim et vineis sacramentum corporis et sanguinis Domini, quod inde ad vitam populi fidelis conficitur, non incongrue accipitur. In olivetis autem sacræ unctionis oleum; quibus apud illos evacuatis, superest illis ex omnibus ecclesiasticis sacramentis sola aqua baptismatis, quod solum ad solam perniciem dare possunt, sicut superius satis constat monstratum. Et hæc tanta mala noster Samson, Christus, fecis e vel facere dicitur, non quia talia jussit, sed quia juste fieri permisit. Paulus quoque has vulpes coambulantes et occasione, sive invidia Crucifixum sic prædicantes, ut ejus crucem evacuare studerent, cavendas Philippensibus denuntiat, dicens : « Imitatores mei estote, et observate eos qui ita ambulant, sicut habentes formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi (*Philip.* III, 17, 18); » quarum caudis ignem suæ perditionis inesse demonstrans, sul jungit : « Quorum finis interitus (*Ibid.*, 19). » Deinde, ut physiologi astruunt, vulpes famelica in locum squalidum se projicit, et mortuam fingit, sicque aves male credulas subito sibi arripit et occidit. Quod constat nonnunquam facere hæreticos, qui, terrenum lucrum aut popularem favorem esurientes, mortuos se huic mundo quadam continentia simulant, et animas volantes quidem, sed adhuc carnales, securas periculorum effectas, sua perfidia strangulant, et diabolum secum incorporant. Ex quibus etiam Herodes exstitit, qui fingebat se Jesum signorum gratia cupere videre, quem quærebat occidere. Unde et ipse Dominus sibi hoc renuntiantibus respondit : « Ite, dicite vulpi illi (*Luc.* XIII, 32), » quod evidenter in Passione monstratur, ubi Jesus illusus et spretus ab illo, et universo exercitu ejus narratur (*Luc* XXIII, 11).

CAPUT XXIV.

Collatio actuum Judæ et Simoniacorum.

Sed hinc jam finem proditionis, et proditoris Christi consideremus, et ex collatione illius actum et meritum proditorum Spiritus sancti perpendamus. Judas mercator pessimus suis inquit complicibus : « Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute (*Matth.* XXVI, 48). » Simoniaci autem suis nihilominus : Cujuscunque vestrum orando manus imposuerimus, nec mora, advenit ei Spiritus sanctus, quem necesse est accipiat, et ad ecclesiasticum officium libere agendum sibi teneat. In qua præsumptione multo pejores fiunt ipso Juda, qui nec Dominum proditum sibi remansisse putavit, nec temere, sed caute ducendum præmonuit, cum isti Spiritum sanctum sic prodant, ut sive remansisse credant, et ei gratiam aliis proditam pro libitu tractandam ex auctoritate jubeant. Et Judas quidem salutando et osculando, pacem et dilectionem ore, nutu, vel gestu simulans, quam in corde non habebat, Dominum Jesum pretio tradidit; isti vero supplicando, orando, manus imponendo, etc.,

Digitized by Google

quæ sunt legitimorum sacerdotum propria, ad oculum faciendo, Spiritum sanctum pretio, ut putatur, tradunt; quorum vocibus et reverentiis exterioribus, quod responsum convenientius redditur a Spiritu sancto, quam quod Judæ a Christo? Juda, osculo Spiritum Patris et Filii tradis? quasi ironice dicens: Putasne me tibi ita concessum, ut habeas cuicunque volueris etiam ficte tradendum et vendendum? sed væ illi per quem Spiritus sanctus pretio tradetur. Melius illi erat si natus non fuisset. Et non absurde Simoniacus isthic vocatus est Judas, qui interpretatur *confessio*, quia sicut ille ore confitendo et dicendo, Rabbi, prodebat Magistrum; sic et iste sanctam Trinitatem ore confitendo et invocando, distrahit Spiritum sanctum, quem nominatum dicit Deum et Dominum. Verum talibus hæreticorum conatibus nullomodo cooperatur Deus, sed malignus spiritus, qui Christi proditoribus, de quibus sic dicitur : « Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum (*Luc.* XXII, 53). » Neque enim deinceps isti possunt Spiritum sanctum aliis habere vel sibi, etiamsi aliquando habuerint, quemadmodum nec Judæi, nec Judas Christum, licet ipse prius eum habuerit. Sed cur dicitur quia jam habere non possunt quem nec invocare jam possunt? Quod detestabilis exitus Judæ significavit, qui, prodito Christo, ad laqueum festinavit, condignaque suo sceleri pœna, nodatis et omnino circumstrictis faucibus illis quæ funestæ voci proditionis suos meatus laxare vel commodare præsumpserant, interiit, nec post veras voces malæ machinationis, nec post fictos pejoris supplicationis, nec vere nec ficte Deum invocare potuit. Cujus non immerito anguntur arteriæ, ut jam nec vitalem flatum possint emittere, quæ tenere et iserunt vocem ausam Redemptorem mundi vendere. Unde « suspensus crepuit medius, et effusa sunt omnia viscera ejus (*Act.* I, 18). » Nec communem aliis hominibus, et naturalem exitum spiritus ejus habere meruit, qui contra communem naturæ Dominum conspiravit. Sicque cœlo terræque perosus, omnique creaturæ invisus, inter utrumque periit, dum terra cadaver ejus fœdissimum et fetidissimum, aer autem spiritum impiissimum et impurissimum suscipere refugit. Quapropter in primitiis suis discant Simoniaci qui et quales sint et quod mereantur. Et si primitiæ duplici contritione conteruntur, tam grandes acervi eorum quoties conterentur? Videntne quod post ipsam vocem venditionis nequeunt Dominum invocare, quoniam angustantur guttura ipsorum inextricabili laqueo perfidiæ. Etenim quomodo invocabunt in quem non crediderunt? sed forsan cervice ferrea adhuc pertinaces et fronte ænea impudentes obstinate contendunt se catholico sensu credere in Deum, licet vendant Spiritum sanctum. Vestigent ergo, quotquot modis possunt, omnes latebras illius primi auctoris sui in venditione Domini Dei, et præfetant sicubi repererint eum credidisse in Jesum ex quo Satanas intravit cor ejus ad prodendum illum. In quem si quolibet modo crederet, neA quaquam tale quid attentaret. Cognosceret enim Dominum non posse vendi, nec aliquem resistere ipsius voluntati et potestati. Sed miser non cognovit in eo nisi quod hominis erat et videbat. Nec mirum qui nec ea quæ videbat ex toto cognoscebat, dum forsan Pharisario fermento corruptus, miracula Salvatoris principi dæmonum ascribebat. Nam si cognosceret, utique crederet; nam nemo credit quod nullatenus cognoscit, quamvis credendo promereatur cognoscere perfectius, sicut dicit Apostolus : « Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum (*I Cor.* XIII, 12). » Et alibi : « Cognoscentes Deum » scilicet per fidem, « cogniti estis ab eo (*I Cor.* VIII, 3). » Sed quis hoc de Juda carnali et mortali ambiget, cum idem Apostolus asserat nullum principum hujus sæculi, quamvis subtilioris et immortalis naturæ, ut puta spiritualia nequitiæ in cœlestibus existant, cognovisse incarnatam Dei Patris Sapientiam? « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II, 8). »

CAPUT XXV.

De eo quod Judas sine fide pœnituit, et quod consentientes principibus sacerdotum fide privati sunt.

Sed ne forte opinentur eum credidisse ubi pœnituisse et pretium retulisse legitur, noverint abusive dicendam pœnitentiam illic, cum proprie tristitia sæculi fuerit, quæ mortem operatur, non illa, quæ, ut ait Apostolus, « secundum Deum est, et pœnitentiam in salutem stabilem operatur (*II Cor.* VII, 10). » Denique laudabilis pœnitentia sine spe non est, cujus substantia fides est. Unde pœnitentia Judæ, quia sine spe fuit, constat quia nullam fidem habuit; ac per hoc videns se damnatum, tristitia sæculi ductus, maluit desperando sibi guttur elidere quam sperando fructus dignos pœnitentiæ suppliciter offerre. Quod si fecisset, error haud nocuisset. Sed perfidus qui prius blasphemaverat Filium Dei, quem crediderat posse vendi, in fine blasphemavit et Spiritum sanctum, quem credidit non posse tanti peccati sibi veniam largiri. Quod autem Christum Jesum non Deum, sed tantummodo hominem, quamvis justum crediderit, confessio ejus ostendit, quia dicit : « Peccavi tradens sanguinem justum (*Matth.* XXVII, 4). » Cui mox pessimi emptores responderunt : « Quid ad nos? Tu videris (*ibid.*); » ac si dicant : Quid ad nos pertinet istud peccatum tuum, qui solummodo eminus quem vendidisti? Tu vides quid feceris, quia nos, quem emptum et traditum apte accepimus et tenemus, non dimittemus. Nonne hac responsione quotidie Simoniaci utuntur, quandocunque eorum sacrilega ordinatio reprobatur? Quid ad nos crimen Simoniacæ hæreseos? Videant illi quid fecerint, qui nobis spiritualem gratiam vendiderunt et tradiderunt, quia quod semel accepimus tenemus, nec officium nostrum dimittemus? A quorum sorte ne se putent exceptos, quamvis multo tolerabiliores sint isti, qui ab emptoribus gratiæ gratis acceperunt, ut

Digitized by Google

putatur, gratiam ecclesiasticorum ordinum, considerent quod principes sacerdotum Jesum quem emerant turbis quarum favorem sibi conciliarant dare nequiverunt, sed secundum quod eis persuaserant, Barabbam, seditiosum latronem et homicidam a judice impetrarunt. Sic miser ille populus, persuasus a Pharisæis et seductus, Pharisæus, id est divisus a Deo Patre et Magistro, fieri meruit, et filius patris vel magistri eorum effici, ut deinceps frater illorum esset, qui ex patre diabolo vel ex magisterio ejus erant. Hoc enim interpretatur Barabbas, vel Barrabbas. Quo facto tantum fidei pristinæ defectum incurrit ut, qui paulo prius Domino cum palmis obviam venerat, et vestimenta sua ramosque arborum in via illius straverat, et Osanna filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel, Osanna in excelsis clamaverat, repente clamaret Barabbam. Quos quotiescunque judex, ut puta desipientes, resipiscere, et ab errore corrigere curavit, nihil profecit, sed magis tumultus fiebat, et invalescebant voces eorum, nec aliud volebant nisi Jesum a se abjicere, et Barabbam sibi poscere decendo : « Non hunc, sed Barabbam (*Joan.* XVIII, 40); » et : « Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam (*Luc.* XXIII, 18); » et : « Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum (*Joan.* XIX, 15); » et : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25) ; » et alia his similia.

Qua conspiratione et sententia sic se suosque posteros diabolo manciparunt; paucissimi enim fuerunt qui inde crediderunt, ad comparationem eorum qui non crediderunt; nec se suosque posteros a sempiterna morte subtrahere curarunt. Unde etiam cum morte animæ turpissimam et acerbissimam corporis mortem incurrerunt, velut per Vespasianum et Titum, atque per Ælium Adrianum. De quo populo et illud considerandum est quia quotquot eorum salvati sunt, non solum baptismate, quod procul dubio remissionem omnium peccatorum attribuit, Deo perfecte reconciliari meruerunt, nisi et prius per pœnitentiam eum sibi placare laborassent. Sic enim ad Spiritus sancti evidentem effusionem, et ad prædicationem Petri compunctis dictum est : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti (*Act.* II, 38). » Nec excusare eos ignorantia potuit quin pœniterent, quamvis etiam ipse Petrus eis de illa testimonium perhiberet in subsequentibus, dicens : « Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. Pœnitemini igitur et convertimini, ut deleantur vestra peccata. » Et quæ præcipue illa fuerint in præcedentibus ostendit, dicens : « Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem Sanctum et Justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis; Auctorem vero vitæ interfecistis (*ibid.*, 13, 15). » Si ergo negasse Christum dicti sunt, qui cum non credentes vel dubitantes Deum, velut hominem purum, pro puro homine interficiendum judici tradiderunt, dubitabiturne an negent Spiritum sanctum qui se asserunt eum omnino credere Deum et Dominum, et tamen pro auro vendunt? Et, o quanto tolerabilior hæc negatio foret, si vel pro homine fieret! tanto utique, quanto potior est homo lapide.

CAPUT XXVI.

Quod nil, nisi damnationem, a Simoniacis accipiant etiam gratis ordinati, et quod idola faciant pro Christo adorari.

Hinc necesse esse colligant quid acceperint a talibus Spiritus sancti negotiatoribus persuasi, et sic gratis ordinati. Nullo modo enim manus impositionem acciperent, nisi eos sacerdotes Domini esse persuasum haberent. Attendant quoque quanta pœnitentia sint castigandi scientes, quandoquidem attendant, nec Judæos etiam baptizandos a pœnitentia excusatos, quamvis ignorantes. Et certe, quantum humano videtur judicio, debuit excusari ignorantia. Sed inexcusabilis fuit, quia juxta quod Apostolus ait : « Qui ignorat, ignorabitur (*I Cor.* XIV, 38). » Et o quot et quantæ catervæ simplicium et rusticanorum, quærendo veritatem, ignorantes ab hæreticis sunt seductæ, quas quidem credimus juste periisse! sed qualiter justum fuerit nequimus ex toto comprehendere. Et revera « qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; et qui communicaverit superbo induet superbiam (*Eccli.* XIII, 1). » Qui sibi nequam est, cui alio bonus erit? Cognoscant, vel admoniti, quia quotquot fures sunt et latrones sunt, non veniunt nisi ut mactent et perdant (*Joan.* X, 10). A quorum sanguinolentis manibus non solum nil sanctificationis, sed etiam plurimum contaminationis acceperunt, in tantum ut facta sit meretrix anima eorum quondam fidelis plenaque judicii. Et in qua prius justitia requievit, nunc homicida, cujus argentum versum est in scoriam, et vinum mistum aqua (*Isa.* I, 22). Et cur hoc? quoniam omnes principes ejus infideles socii furum, a quibus persuasi ignari simplicitatis catholicæ fidei, et incauti, pro Christo accipiunt illum seditiosum latronem, qui in corde suo dixit : « Ponam sedem meam ad aquilonem, similis ero Altissimo (*Isa.* XIV, 14), » atque homicidam illum qui erat ab initio. Sic qui hactenus prompti laudatores et devoti susceptores Domini fuerant, non improbi blasphematores ejus, atque importuni petitores latronis existunt, quorum intentio illum solum requirit, etiam cum vox eorum Deum se interpellare fingit. Quem, rogo, interpellant, nisi mammonam, qui nec pro Deo nec pro proximo verbum ederet, aut hisceret, vel manum levaret, nisi acciperet aut speraret pecuniam? Sed benignus Spiritus sapientiæ non liberavit maledictum a labiis suis. Siquidem quoniam renum illius testis est Deus, et cordis ejus scrutator est verus, et linguæ illius auditor, nisi liberavit hæreticum maledictum a labiis suis, cui nihil est aliud bene loqui, quam sua

Digitized by Google

seipsum voce damnare, et sibi maledicere, cujus linguæ benedicentis, et si auditor est Spiritus Domini, quia replet orbem terrarum et continet omnia, tamen quia habet scientiam vocis, ut putarunt, scrutator renum et cordis non curat quid quis dicat, sed dicendo quod intendat. Hujusmodi voces et exteriores devotiones aspernatus ipse Spiritus sanctus per Isaiam protestatur : « Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis. Et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Manus vestræ sanguine plenæ sunt (*Isa.* I, 15). » Nunquid non socii furum et latronum fures sunt et latrones, Salomone dicente : « Amicus stultorum efficitur similis (*Prov.* XIII, 20) ; » et : « Qui cum fure participat, odit animam suam ? (*Prov.* XXIX, 24). » Porro fures et latrones, viri sanguinum et dolosi sunt, quorum particeps quicunque est, sanguinolentus et fraudulentus sit necesse est.

Unde quia manus ejus plenæ sunt sanguine, et latronum sibi confœderatorum communione, oratio ejus repellitur a mundissima majestate. Ut enim Sapiens ait : « Qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus exsecrabilis (*Prov.* XXVIII, 9). » Quod si evenit illis qui non audiunt legem præcipientem honorari Dominum de propria et vernacula substantia (*Prov.* III, 9), quid fiet eis, qui alterius elemosynam sibi sic creditam, ut gratis dent gratis acceptam impie vendunt? Quorum oratio vel benedictio non solum non auditur aut recipitur, verum etiam in peccatum et in maledictionem convertitur; quoniam « non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est (*Psal.* V, 10). » — « Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant; venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est ; veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt; non est timor Dei ante oculos eorum. Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis? Dominum non invocaverunt (*Psal.* XIII, 3, 4). » Et qui magis plebem Dei sicut cibum panis devorant, quam qui omnia Christianæ religionis sacramenta venalia portant, et plebi Dei denegant, nisi ea pretio sibi redimant? Sed væ misero qui taliter duplici damno afficitur, quia et exteriora bona sua negotiando perdit, et interiora non accipit, quin potius damnationem incurrit, quia a corpore Christi, velut panis corruptus respuitur, et ab hæreticis decoratur, eisque invisceratus sic consumitur ut non sit nisi cum sociis ejus qui non est; quem, velut leonem rugiendo circumeuntem et quem devoret quærentem, dum stulti incaute fugere conantur, occurrit eis visus, callida videlicet hæresis, quamdam speciem humanitatis, quasi rationis præferens; sicque intima jecoris eorum, id est rectam intentionem bestialiter dirumpit, et leoni, quem se frustra putaverant effugisse, devorandos latenter addicit.

Unde quia de hujusmodi devoratoribus subditur « quia Deum non invocaverunt (*Psal.* LII, 6), » quærendum est quem invocent, quoniam prolixas orationes nonnunquam habent, et Deum invocare audiuntur, et videntur ab hominibus. Sed ab hac difficultate quæstionis B. Hieronymus solito succinctus nos eximit, ubi Zachariam sic dicentem exponit : « Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra, et prophetas et spiritum immundum auferam de terra (*Zach.* XIII, 2). » Sicut idola fiunt de manu artificis, ita hæreticorum perversa doctrina, quodcunque simulaverit in idolum vertit, et facit pro Christo adorari Antichristum. Qui si etiam verbis aliquando diabolum maledicunt, seipsos profecto maledicunt, sicut Sapientis elogio comprobatur dicentis : « Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam (*Eccli.* XXI, 30). » Hæc ita esse nemo qui refragetur, nisi manifestus hæreticus. Unde perpendant nunc a latronibus ad benedicendum, et orandum quolibet modo etiam gratuito constituti et subrogati, quid vel sibi vel aliis acquisierint ex illorum communione cujus participes sunt facti, et cui spontanei subscripserunt, dum factum eorum non solum crediderunt ratum, sed etiam prædicaverunt. Nimirum homicidæ sunt quales et illi quibus consentiunt. Nempe sic interiorem hominem in se et in aliis occidunt ut exterior eorum vivat incassum, post paululum habiturus æternum supplicium. Quocunque enim anima tandem peribit, corpus quoque post ibit.

CAPUT XXVII.

Sententia sancti Augustini, qua omnes hæretici convincuntur negare Jesum Christum in carne venisse.

Verum ne calumnietur quis nos de corpore proprio, et non ex divinis paginis, novam suggillationem in hæreticos componere, dum non putat eos omnino sine fide esse, aut Dominum Deum negare, animadvertat venerabilem et catholicum doctorem Augustinum in Epistola B. Joannis apostoli hæc intonantem (Aug., *Tract.* 2, *in epist. Joan.* n. 4) : « Omnes hæretici, omnes schismatici ex nobis exierunt, id est, Ecclesia exeunt, sed non exirent si ex nobis essent antequam exirent. » Et post aliqua. « Omnes certe qui exeunt de Ecclesia, et ab unitate Ecclesiæ præscinduntur, Antichristi sunt; nemo dubitat. Ipse enim designavit : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum (*I Joan.* II, 19). » Quicunque ergo non manent nobiscum, sed exeunt a nobis, manifestum est quod Antichristi sunt. Et quomodo probantur Antichristi? ex mendacio. « Et quis est mendax, nisi qui negat quod Jesus est Christus? (*Ibid.*, 22.) » Videat charitas vestra magnum sacramentum. Attendite quid inspiraverit Dominus Deus et quid insinuare vobis velim. Ecce exierunt a nobis, et facti sunt Donatistæ. Interrogemus eos utrum Jesus Christus sit, sta im confitentur quia Jesus Christus est. Si ergo ille est Antichristus qui negat Jesum esse Christum, nec nos possunt dicere Anti-

Digitized by Google

christos, nec nos illos, quia et nos confitemur et illi. Si ergo nec illi nos dicunt, nec nos illos, ergo nec illi a nobis exierunt, nec nos ab illis. Si ergo non a nobis exierunt, in unitate sumus. Si in unitate sumus, quid faciunt in hac civitate duo altaria? quid faciunt divisæ domus, divisa conjugia? Quid facit communis lectus et divisus Christus? Admonet nos veritas fateri quod verum est, aut ipsi a nobis exierunt, aut nos ab ipsis, sed absit ut nos ab ipsis! Habemus enim testamentum Dominicæ hæreditatis. Recitemus, et ibi nos inveniamus : « Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II, 8). » Tenemus hæreditatem Christi, illi autem non tenent. Nec communicant orbi terrarum, non communicant universitati redemptæ sanguine Domini. »

Et post pauca : « Si ergo ex nobis exierunt, Antichristi sunt. Si Antichristi sunt, mendaces sunt. Si mendaces sunt, negant Jesum Christum. Iterum redi ad difficultatem quæstionis. Singulos interroga, confitentur Jesum esse Christum. Coarctat nos angustus intellectus in hac Epistola. Videtis certe quæstionem. Hæc quæstio et nos et ipsos turbat, si non intelligatur. Aut nos sumus Antichristi; aut illi sunt Antichristi. Sed designavit hæc Epistola Antichristos. Quicunque negat quod Jesus non sit Christus, ipse est Antichristus. Jam ergo quæramus quis neget, et non attendamus ad linguam, sed ad facta. Si enim omnes interrogentur, omnes uno ore confitentur Jesum esse Christum. Quiescat paululum lingua, vitam interroga. Si invenerimus hoc, si ipsa Scriptura nobis dixerit quia negatio non tantum lingua fit, sed et factis, certe invenimus multos Antichristos, qui ore profitentur Christum, et moribus dissentiunt a Christo. Ubi invenimus hoc? In Scriptura. Paulum interroga, et audi; de talibus cum loqueretur, ait : « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* I, 16). » Invenimus et istos Antichristos. Quisquis factis negat Christum, Antichristus est. Non audio quid sonet, sed video quid juvat. Opera loquuntur, et verba requirimus. « Hypocritæ, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali (*Matth.* XII, 34)? » Voces vestras ad aures meas affertis, ego cogitationes vestras inspicio. Voluntatem malam ibi video, et falsos fructus ostenditis. Novi quid inde colligam? Non colligo de tribulis ficus, non colligo de spinis uvas. Unaquæque arbor ex fructibus cognoscitur. Magis mendax est Antichristus qui ore profitetur Jesum esse Christum, et factis negat. Ideo mendax, quia aliud loquitur, aliud agit. »

Ex quibus tanti doctoris verbis ne Simoniaci nos impudenter urgeant, et se sic nobiscum in unitate catholica degere præsumant, quia unum altare nobis et illis est, et unæ nuptiæ, nec in aliqua conversatione a nobis comprobantur dissidere, noverint hoc nostræ imputandum ignorantiæ, aut negligentiæ, suæque fraudulentiæ atque impudentiæ. Qui cum revera sint Antichristi, fingunt se esse Christi, tanto magis cavendi quanto sub obtentu societatis perniciosius incumbant ovili Christi, lacteolam ovem mentiti, dum in sacramentis catholicæ, velut in vestimentis ovium, non cessant catholicis insidiari, et cruda per agninos exercent funera rictus. Quique exemplo auctoris sui Judæ, pacis vel osculi signo, sub unius communionis symbolo meditantur, et pergunt tanto numerosiores proditiones et strages ex Ecclesia, quanto occultior se conservat eorum nequitia. Nam velut sicarii se socios itineris mentiuntur, et repente sica ex oculis educta incautos nil tale suspicantes inter amicas confabulationes adoriuntur, docti per pacem facere bellum; pares immundis Manichæis, qui ne deprehenderentur, etiam catholicorum communionem ore sacrilego præsumebant : qui tamen in hoc interdum deprehendebantur, quod abstemii a vino sanguinis Christi, quem in remissionem peccatorum effusum non credebant, se subtrahebant. Sic et istos nihilominus deprehendere nequimus, nisi ubi eos Spiritus sancti gratiam vendere conari comperimus, sed quantumlibet se occultant et fingunt, ab Ecclesia tamen cum Manichæis et aliis hæreticis, sicut vere hæretici, et primo omnium anathematizati et abscissi, sive falso intus sint, sive vere foris sint, Antichristi sunt. Nec quales Antichristi sunt aliqui ex catholicis, qui contrarii adhuc sunt Christo ad Christiane vivendum, cui tamen concordant ad Christiane credendum. Isti autem utrobique Antichristi sunt, quia contrarii sibi sunt ex perversa credulitate, et ex prava operatione, quæ etiam si bona videatur, nil nisi peccatum est, quia sine fide est. A quorum tergiversatione quo discernamus tali charactere nostri insignimur, « gratis accepistis, gratis date (*Matth.* X, 8). »

CAPUT XXVIII.

Item cujus supra, de eo quod hæretici Spiritum sanctum non habent, quamvis visibilia sacramenta habeant

Sed adhuc aliqua ipsius doctoris dicta attendamus : « Dilectissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt (*I Joan.* IV, 1). » Et quis est qui probat spiritus? Difficilem rem nobis proposuit, fratres mei. Bonum est nobis ut dicat ipse unde discernamus. Dicturus est, ne formidetis; sed primo videte, attendite. Videte hinc exprimi illud unde vani hæretici calumniantur. Attendite, videte quid ait : « Dilectissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt. » Spiritus sanctus nomine aquæ appellatus est in Evangelio, Domino clamante, et dicente : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII, 38); » quid est illa aqua? Nemo me interroget. Evangelium interroga : « Hoc dicebat, ait, de Spiritu quem accepturi erant, qui in eum erant credituri (*Ibid.*, 39). » Aliud est ergo aqua sacramenti, aliud aqua Spiritus. Aqua sacramenti visibilis est. Aqua Spiritus invisibilis est. Ista abluit corpus, et significat quod fit in anima. Per illum Spiritum ipsa anima mundatur et saginatur. Ipse Spiritus Dei, quem non possunt

Digitized by Google

habere hæretici, et quicunque se ab Ecclesia præscindunt, » etc. In qua catholici doctoris catholica sententia aperte monstratur, visibilia tantum sacramenta sine aliqua invisibili sanctificatione, quæ procul dubio Spiritus sanctus est, hæreticis remansisse. Unde panis visibilis sacramenti tantummodo eis adest, sed invisibilis panis Spiritus abest. Quod nihilominus de aqua baptismatis, de unctione sanctificationis, et cæteris ecclesiasticis sacramentis credendum est. Et o utinam ipsa visibilia sacramenta remansissent eis pura, sicut videntur, et simplicia, et in sua tantum natura, et non inesset eis pollutio aliqua; sed quod pejus, panis pollutionis et mendacii est, et quidquid eorum est, sicut Spiritus sanctus per prophetam Osee, sub nomine Ephraim, attestatur, dicens : « Reversus est Ephraim in Ægyptum, et in Assyriis pollutum comedit. Non libabunt vinum Domino, et placebunt ei sacrificia eorum quasi panis lugentium. Omnes qui comedunt eum contaminabuntur, quia panis eorum animæ ipsorum non intrabit in domum Domini (*Ose.* IX, 34). Factæ sunt ei aræ in delictum, hostias offerent, immolabunt carnes et comedent, Dominus non suscipiet eas (*Ose.* VIII, 11, 13). » De quorum doctoribus præmisit, dicens : « Ventum seminabunt et turbinem metent. Culmus stans, non eis germen, non faciet farinam. Quod si et fecerit, alieni comedent eam (*Ose.* VIII, 7). Propheta laqueus ruinæ factus est. Super omnes vias ejus insania. In domo Dei ejus profunde peccaverunt sicut in diebus Gabaa (*Ose.* IX, 8, 9). »

Si quæritur quod fuerit peccatum Gabaa, liber Judicum aperte monstrat, qui habitatores Gabaa effeminatos, et Sodomitas alios, alios autem defensores eorum narrat. Nimirum talia sunt hæreticorum conventicula, quæ domum Dei faciunt speluncam latronum, et lupanar. Quorum auditores ne lætentur, sicut catholici, sic Spiritus Dei : « Noli exsultare, sicut populi, quia fornicatus es a Deo tuo (*Ose.* IX, 1). » Et specialiter notans Simoniacam hæresim, subdit : « Dilexisti mercedes super omnes areas tritici (*Ibid.*) » Et post pauca : « Circumdedit me in negatione Ephraim, et in dolo domus Israel (*Ose.* XI, 12). » — « Canaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit. Et dixit Ephraim. Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi. Omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem, quam peccavi (*Ose.* XII, 7, 8). » Quod autem nulla sacramenta, quæ apud hæreticos putantur auditoribus eorum prosint, ostendit dicens : « Area et torcular non pascet eos, et vinum mentietur eis. Non habitabunt in terra Domini (*Ose.* IX, 23). » — « Iniquitatem arastis, et impietatem messuistis, comedistis fructum mendacii (*Ose.* X, 13). » Sed et quod ab Ecclesia tam populus, quam princeps eorum projiciendi sint, ita prædicit : « De domo mea projiciam eos, non addam ut diligam eos. Omnes principes eorum recedentes, radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient : Quod et si genuerint interficiam amantissima uteri eorum. Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, et erunt vagi in nationibus (*Ose.* IX, 15, 17). » Porro quia Ephraim, qui et Israel a Juda separatus hæreticorum typum tenuit, et Judas catholicorum, discamus nunc quanti pendantur a Deo opera amborum. « Judas testis descendit cum Domino, et cum sanctis fidelis (*Ose.* XI, 12). » — « Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum. Tota die mendacium et vastitatem multiplicat, et fœdus cum Assyriis iniit, et oleum in Ægyptum ferebat (*Ose.* XII, 1), » scilicet sanctificationem suam, vel misericordiam in pauperes ab interioribus in exteriores tenebras. « Judicium ergo Domini cum Juda (*Ibid.*, 2), » discretio scilicet et veritas. Et quia hæretici et invocant Dominum, et non invocant, dicitur : « Me invocabant : Deus meus, cognovimus, te Israel (*Ose.* VIII, 2), » — « et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis. Super triticum et vinum ruminabant (*Ose.* VII, 14). » Ululare ergo luporum est. Unde apparet hæreticos non orare Deum, sed ululare. Quod præ aliis congruit Simoniacis, qui, ut rapaces et famelici lupi, voces nullas ad Deum habent, nisi ut quæstu malitiæ suæ ventrem satient; qui et super triticum et vinum oblationis non orant, sed ruminant, quia nil ibi nisi solitam escam suam, id est pecuniam retractant. Sic Simoniacus fur ingressus in domum Domini, spoliat latrunculos foris, dum minores suos vendendo, visibilia sacramenta etiam tenero sensu suo privat.

CAPUT XXIX.

Item, cujus et unde supra, in quo cognoscatur Spiritus Dei.

Sed jam canamus B. Augustini quæstioni præfatæ reddatur, et summatim tangat quæ doctor ille solito diffusus seriatim et enucleate populis eructat. (Aug., *Tract.* 6, *in epist. Joan.* n. 11.) « Si, inquit, aquæ nomine significatur Spiritus sanctus, et dicit Epistola ista : « Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt (*I Joan.* IV, 1), » intelligamus inde dictum esse : « Ab aqua aliena abstine te, et de fonte alieno non biberis (*Prov.* V, 15). » Quid est, de fonte alieno non biberis? Spiritui alieno non credideris. Restat ergo examen unde probetur quis spiritus Dei est. Posuit quidem signum, et hoc fortasse difficile. Videamus tamen. Ad illam charitatem rediturі sumus. Ipsa est quæ nos docet quia ipsa est unctio. Tamen hic quid ait : « Probate spiritus, si ex Deo sunt, quia multi pseudoprophetæ exierunt in istum mundum (*I Joan.* IV, 1). » Jam ibi sunt omnes hæretici, et omnes schismatici. Quomodo ergo Spiritum probabo? Sequitur : « In hoc cognoscetur Spiritus Dei. Omnis spiritus qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, non est ex Deo, et hic est Antichristus, de quo audistis quod venturus sit, et nunc in isto mundo est (*Ibid.*, 2, 3). » Ergo spiritus qui est apud hæreticos ex Deo est, quia confitentur Jesum Christum in carne venisse? Jam hinc erigunt se forte adversum nos et dicunt : Vos non habetis Spiritum ex Deo, sed et nos confitemur Jesum Christum in carne venisse. Iste autem illos ne-

Digitized by Google

gavit Spiritum Dei habere, quia non confitentur Jesum Christum in carne venisse. Quære ab Arianis, confitentur Jesum Christum in carne venisse; quære a Macedonianis, confitentur Jesum Christum in carne venisse; interroga Cataphrygas, confitentur Jesum Christum in carne venisse; interroga Novatianos, confitentur Jesum Christum in carne venisse. Omnes ergo istæ hæreses Spiritum Dei habent? Non ergo pseudoprophetæ sunt? Nulla est ergo ibi deceptio, nulla seductio? Certe Antichristi sunt qui ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Quid ergo facimus? Unde discernimus? Opera attendamus, non strepitum linguæ, quæramus quare in carne venerit Christus, et invenimus quis eum negat in carne venisse. Nam si linguas attendas, multas hæreses auditurus es confitentes Christum in carne venisse, sed convincit eas veritas. Quare venit Christus in carne? quia oportebat nobis afferri spem resurrectionis. Deus ergo venit in carne, ut moreretur pro nobis. Quemadmodum autem mortuus est pro nobis? « Majorem hanc charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* xv, 13). » Charitas ergo illum adduxit ad carnem. Quisquis ergo non habet charitatem, negat Christum in carne venisse.

« Nunc etiam interrogo omnes hæreticos. Christus venit in carne? Venit, hoc credo, hoc profiteor. Imo hoc negas. Unde nego? Audis quia hoc dico? Imo hoc convinco, quia negas. Dicis voce, negas corde; dicis verbis, negas factis. Quomodo, inquis, nego factis? Quia ideo venit Christus in carne, ut moreretur pro nobis. Ideo mortuus est pro nobis, quia charitatem multam docuit. Tu non habes charitatem, quia pro amore tuo dividis unitatem. Ergo intelligite hinc Spiritum ex Deo. Pulsate, tangite vasa fictilia ne forte crepuerint, et male resonent. Videte si integre sonent, videte si ibi est charitas. Tollis te ab unitate orbis terrarum; dividis Ecclesiam ab unitate, dilanias corpus Christi. Ille venit in carne ut colligat; tu ideo clamas ut spargas. Ergo ipse est Spiritus Dei qui dicit Jesum Christum in carne venisse, qui dicit non lingua, sed factis; qui dicit non sonando, sed amando. Ille autem non est Spiritus Dei qui negat Jesum Christum in carne venisse. Negat et ipse non lingua, sed vita; non verbis, sed factis. Manifestum est ergo unde cognoscamus fratres. Multi intus, quasi intus sunt; nemo autem foris, nisi vere foris. Adeo ut noveritis, quia ad facta retulit, « et omnis spiritus, » ait, « qui solvit Jesum in carne venisse, non est ex Deo (*I Joan.* iv, 3). » Solvere factis intelligitur quid tibi ostendit, qui negas quia dixit solvit? Ille venit colligere, tu venis solvere. Distinguere vis membra Christi, quomodo non negas Christum in carne venisse, qui pro honore tuo dirumpis Ecclesiam Dei, quam ille congregavit? Contra Christum ergo venis, Antichristus es. Intus sis, foris sis, Antichristus es. Sed quando intus es, lates; quando foris es, manifestaris. Solvis Jesum, et negas Deum in carne venisse. Non es ex Deo. Ille ergo solvit qui non facit. Quid nos docet, nisi ut facta interrogemus, non verba credamus? Omnes negant Jesum in carne venisse, qui violant charitatem. Jesus enim non opus erat ut veniret in carnem, nisi propter charitatem. Quomodo poterat filius Dei ponere animam suam pro nobis, nisi carne indueretur, ubi mori posset? Quisquis ergo violat charitatem, quidlibet dicat lingua, vita ipsius negat Christum in carne venisse, et iste est Antichristus, ubicunque fuerit, quocunque intraverit. « Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos; qui non novit Deum, non audit nos. Ex hoc cognoscitur Spiritus veritatis, et spiritus erroris (*I Joan.* iv, 6). » Jam ergo intentos nos fecit, quia qui novit Deum, ipse audit, qui autem non novit, non audit; et hæc est discretio spirituum veritatis et erroris. Videamus quid moniturus est, in quo illum audire debeamus. « Dilectissimi, diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est (*I Joan.* iv, 7). »

Item unde supra (Aug., Tract. 7, *in Joan. Epist.*, n. 11): « Violatores charitatis schisma fecerunt. Quomodo oderunt ipsam charitatem, sic oderunt et columbam. Sed convincit illos columba. Procedit de cœlo, aperiuntur cœli, et manet super caput Domini. Ut quid hoc? ut audiant: « Hic est qui baptizat (*Joan.* i, 33). » Recedite, prædones, recedite, invasores possessionis Christi. In possessionibus vestris, ubi dominari vultis, titulos Potentis ausi estis infigere. Cognoscit ille titulos suos, vindicat sibi possessionem suam. Non delet titulos, sed intrat et possidet. Sic ad catholicam venienti non deletur baptismus, ne titulus imperatoris deleatur; sed qui sit in catholica? agnoscitur titulus. Intrat possessor sub titulis suis, quo intrabat prædo sub titulis alienis. »

Idem unde supra: « Omnis qui credit quod Jesus sit Christus, ex Deo natus est. » (Aug., *Tract.* 10, *in epist. Joan.*, n. 1.) » Quis est qui non credit quod Jesus sit Christus? qui sic non vivit quomodo præcipit Christus. Multi enim dicunt, Credo; sed fides sine operibus non salvat. Opus autem fidei ipsa dilectio est, dicente Paulo apostolo: « Et fides quæ per dilectionem operatur (*Gal.* v, 6). » Opera quidem tua præterita, antequam crederes, vel nulla erant, vel, si bona videbantur, inania erant. Si enim nulla erant, sic eras quasi homo sine pedibus, aut vexatis pedibus ambulare non valens. Si autem bona videbantur, antequam crederes, currebas quidem, sed præter viam currendo errabas potius quam perveniebas. Est ergo nobis et currendum, et in via currendum. Qui præter viam currit, inaniter currit; imo ad laborem currit: tanto plus errat, quanto præter viam currit. Quæ est via per quam currimus? Christus, qui dixit: « Ego sum via (*Joan.* xiv, 6). » Quæ patria ad quam currimus? Christus, qui dixit: « Ego sum veritas (*Ibid.*). » Per illum currimus, ad illum currimus, in ipso requiescimus. Sed ut curreremus per illum, extendit se usque ad nos.

Idem unde supra. « Quid potuerunt plus credere dæmones, quam ut dicerent: « Scimus qui sis, Filius Dei, sanctus Dei (*Luc.* iv, 34)! » Quod dixerunt dæ-

Digitized by Google

mones, hoc dixit et Petrus. Eadem verba, non idem animus. Et unde constat quia Petrus hoc cum dilectione dicebat? Quia fides Christiani cum dilectione Dei est; dæmonis autem sine dilectione. Quomodo sine dilectione? hoc dicebat Petrus ut Christum amplecteretur : hoc dicebant dæmones, ut Christus ab eis recederet. Namque an equam dicerent : « Scimus qui sis, Filius Dei; quid nobis et tibi est (*Marc.* I. 24), » dixerunt, « Quid venisti ante tempus perdere nos (*Luc.* IV, 34)? » Aliud est ergo confiteri Christum, ut teneas Christum, aliud confiteri Christum, ut repellas Christum a te. Ergo videtis quia quomodo hic dicit, qui credit, propria quædam fides est, non quocumque modo communis cum multis. Nemo hæreticorum dicat vobis, Et nos credimus. Ideo enim de dæmonibus exemplum proposui, ne gaudeatis ad verba credentium, sed exploretis facta viventium. Quid est credere in illum? et omnis qui diligit Genitorem, diligit eum qui genitus est ab ipso. Statim fidei conjunxit dilectionem, quia sine dilectione fides inanis est. Cum dilectione fides Christiani est; sine dilectione fides dæmonis. Qui autem non credunt pejores sunt quam dæmones, et tardiores. Omnis qui diligit Patrem, diligit Filium. In hoc cognoscimus, quia diligimus filios Dei. Filios Dei dixit, qui Filium paulo ante dicebat, quia filii Dei corpus sunt unici Filii Dei. Et cum ille caput, nos membra, unus Filius Dei. Ergo qui diligit filios Dei, Filium Dei diligit. Et qui diligit Filium Dei, Patrem diligit. Nec potest quisquam Patrem diligere, nisi Filium diligat. Et qui diligit Filium, diligit filios Dei. Quos filios Dei? Membra Filii Dei. Et diligendo fit et ipse membrum, et fit per dilectionem in compage corporis Christi, et erit unus Christus amans seipsum; cum enim se invicem amant membra, corpus se amat. « Et si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; et si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra. » Et quid secutus ait? « Vos autem estis corpus Christi et membra de membro (*I Cor.* XII, 26, 27) : » — « Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? » (*I Joan.* IV, 20.)

« Extende charitatem per totum orbem, si vis Christum amare, quia membra Christi per orbem jacent, ubi esse debes, ut sub capite sis. Si in corpore non es, sub capite non es. Quid prodest, quia credis et blasphemas? adoras illum in capite, et blasphemas in corpore. Amat ille corpus suum. Si tu te præscidisti a corpore ipsius, caput non se præscidit a corpore suo. Sine causa me honoras, clamat tibi caput desuper; sine causa me honoras. Tanquam si vellet aliquis tibi osculari caput, et calcare tibi pedes. Forte caligis clavatis contereret pedes tuos, volens tibi tenere caput et osculari. Nonne inter verba honorantis clamares, et diceres, Quid facis, homo? calcas me. Non diceres, Calcas caput meum, quia caput honorabat, sed plus clamaret caput pro membris calcatis quam pro se, quia honorabatur. Nonne clamat ipsum caput : A Nolo honorem tuum, calcare jam nunc me noli? Jam tu dic, si potes, Quare te calcavi? Dic illud capiti : Te osculari volui, amplecti volui. Sed non vides, o stulte, quia quodvis amplecti per quamdam compagem unitatis pervenit ad id quod calcas? Susum me honoras, jusum me calcas. Plus dolet quod calcas, quam gaudet quod honoras, quia et quem honoras dolet pro eis quos calcas. Quomodo clamat lingua? Dolet mihi. Non dicit, Dolet pedi meo, sed, Dolet mihi, dicit. O lingua! quis te tetigit? quis stimulavit? quis pupugit? Nemo, sed conjuncta sum eis quæ calcantur, quomodo vis non doleam, quæ non sum separata? Ascensurum Caput in cœlum vidit multos honoraturos se, quia ascendit in cœlum, et vidit quia honor ipsorum inutilis est, si conculcent B membra sua in terra. Et ne quis erraret, et cum adoraret Caput in cœlo, calcaret pedes in terra, commendavit membra in terra, dixit ubi essent membra ipsius, dixit verba novissima, et discessit. Post ipsa verba non est locutus in terra. Jam non invenis loqui Christum in terra. Invenis illum loqui, sed de cœlo. Et de ipso cœlo quare? quia membra calcabantur in terra. Persecutori enim Saulo dixit : « Saule, Saule, quid me persequeris? » (*Act.* IX, 4.) Ascendi in cœlum, sed adhuc in terra jaceo; hic ad dexteram Patris sedeo, ibi adhuc esurio et sitio, et peregrinus sum. Quomodo ergo corpus suum commendavit in terra, ascensurus? discipulis suis respondit; « Accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientis in vos, et eritis mihi testes in Jeru- C salem, et in omni Judæa, et Samaria et usque in totam terram (*Act.* I, 8). » Ecce qua jaceo, qui ascendo, ascendo enim quia caput sum, jacet adhuc corpus meum. Qua jacet? per totam terram. Cave ne percutias, cave ne violes, cave ne calces. Novissima verba Christi sunt ista ituri in cœlum. Fratres, cogitate visceribus Christianis, si hæredibus carnalibus novissima verba morituri patris plus sunt dulcia, plus grata, et majoris ponderis mox ituri in sepulcrum; hæredibus Christi qualia debent esse verba novissima non redituri in sepulcrum, sed ascensuri in cœlum? Et si plus custodiuntur a filiis novissima verba morientis patris, cujus cadaver in sepulcro sine sensu jacet, quid sibi sperant illi, qui verba D novissima sedentis in cœlo non custodiunt, videntis desuper an contemnatur an non contemnatur, illius qui dixit : « Saule, Saule, quid me persequeris? » (*Act.* IX, 4.) Qui servat ad judicium quidquid videt pati membra sua, quibus gravior et intolerabilior est machæra linguæ hæreticorum, quam ferri paganorum. »

CAPUT XXX.

Recapitulatio præmissorum verborum sancti Augustini.

In quibus præcipui doctoris claris sententiis necesse est ad cor redeant prævaricatores novi mandati quicunque hæretici, et præ omnibus Simoniaci, qui ex accepta virtute Spiritus sancti faciunt sibi propostam ad solum negotium sæculi, non ad aliquod testimonium Christi, qui ipsam Spiritus sancti vir-

Digitized by Google

tutem ascensurus ad hoc solum suscipiendam suis A discipulis asserit, ut resurrectionis ejus et charitatis ubivis terrarum testes sint. Sed perversissimi hominum conversi in arcum perversum, eum a quo intensi sunt impetunt et percutiunt, ubi divitias gratiæ ejus quas jussi sunt omnibus gratis sicut acceperunt exponere et erogare, ad pretium distribuere præsumunt. Sic ingrati Christo, contra eum suis donis pugnaturi insurgunt, et fidelibus ejus tanquam membris ipsius pessimas et insanabiles plagas imponunt, quia ad ipsum, qui caput suorum est pertingere nequeunt. Quem etsi labiis se nonnunquam velle honorare fingunt, injuria est illi non reverentia totum quod agunt, quandiu fideles ejus sua perfidia tanquam fures et latrones interimunt. Quod velut oves simplices sub simulato pastoris B sibilo seductas sibi convocant, sicque nunc furtim, nunc raptim diabolo gregatim immolant, dum consentiunt ut ab eis ematur quod non aliter accipitur, nisi ut gratis detur. Quo contagio pauculæ oves morbidæ totum gregem contaminant, dum carnales aliqui morbo ambitiosæ avaritiæ attacti, pabula cœlestis doctrinæ fastidiunt, et oculis pastorum se per devia vitiorum abducunt et abscondunt. Quapropter a latrocinantibus Simoniacis, velut solivagæ oves, inventi, quantocius præ nimietate morbi sui concordant eorum voluntati. Occidere enim volunt illi, mori isti. Quærunt illi interficere, isti non vivere. Illi perdere, isti perire. Sic illi et isti et ad suam perditionem, et totius Ecclesiæ contagium de Spiritu C sancto carnale vel sæculare excogitant et faciunt mercimonium. Quorum persecutio gravior Christo est quam quorumlibet paganorum, qui publica sævitia et transitoriis plagis debacchantur in Christianos, quam istorum qui, occulta conspiratione, sub agno pacis sempiternas mortes inferunt.

Quod si Christus perpeti nequit persecutionem membrorum suorum, quin de cœlo Saulo eum ignoranti, et zelum Dei quamvis non secundum scientiam habenti, inclamaret, visumque communem auferret, quid putamus fiet istis, qui confitentur se nosse Deum, et rectores Ecclesiæ ipsius, et tamen zelo diabolico inflammati, scienter non desinunt innumeras fidelium animas persequi, et jugulare? Et si Saulus pro corporali persecutione tanto impetu per- D cellitur, quanto, putas, isti pro spirituali percelluntur? Unde ille jure amisit ad tempus oculos corporis; isti autem cordis, ut deinceps ipsi cæci duces cæcorum effecti cum sequacibus cadant in foveam æternæ perditionis. Qui si se cæcos cognoscerent, sicut ait Dominus similibus eorum, peccatum non haberent, quia fructus dignos pœnitentiæ facere solliciti quærerent. Nunc autem quia dicunt, Videmus, peccatum eorum manet : quibus de cœlo Dominus toties clamat, quoties per servos suos in quibus quasi in cœlis habitat, verbis, sanctarum Scripturarum præsumptionem illorum increpat; qui quoniam nunc non auditur, postmodum sicut fortis et potens a secretario suo ad publicum egredietur et sicut vir prælia-

tor suscitabit zelum, vociferabitur et clamabit, super inimicos suos confortabitur, quibus tunc dicet : Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar; hæc enim fecistis, et tacui (*Psal.* XLIX, 20). Unde quia paulatim et partim dissipastis gregem meum, et absorbuistis, dissipabo vos, et absorbebo simul.

CAPUT XXXI.

De malitia Simoniacorum, et quod pejores sint latronibus, et sine aliqua fide Dei.

Adversus quos falsos testes, quos jam impassibilis Jesus, sed adhuc tales patiens in passionibus Ecclesiæ suæ, quales prius passus est, in se interpellat Patrem, dicens per Psalmistam : « Ne tradideris me in animas persequentium me, quia insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi (*Psal.* XXVI, 12). » Quos quantulamcunque scintillam dilectionis Dei, et proximi retentare impium est credere. Dilectio enim Dei et proximi propria et specialis virtus est piorum atque sanctorum, cum cæteræ virtutes bonis ac malis possint esse communes, quæ qualiter potest inesse illis qui Deum sic despiciunt ut eum etiam vendere quolibet pretio laborent, et proximum sic oderunt ut ab eo viscera sua omnino claudant, ne gratis accipiant, quod illi per ipsos divina gratis dari voluit, et juss't largitas. Qui si etiam substantiam mundi hujus habentes proximo necessitatem patienti viscera sua clauderent, nec de suo aliquid gratis darent, quomodo charitas Dei, quæ nonnisi geminata est, in eis maneret? (*I Joan.* III, 17.) Sed isti non solum de suo nihil dant, sed ut dent quod a Deo gratis dandum gratis acceperunt, infelicem proximum bonis omnibus corporis et animæ spoliant, sic contra charitatem obdurati, ut nec os Deo aperiant charitate illius vel proximi, nisi interventu nummi dati vel pacti. Et, o quanto pejores latronibus pessimis, qui simul animam corpusque proximi dilaniant, cum alii latrones sic corpus occidant ut animam occidere nequeant. Constat ergo eos nil charitatis Dei, quem non vident habere, qui tam pessime norunt proximum, quem vident diligere, quem si aliquatenus pro Deo, et in Deo diligerent, jam hæretici non essent, quia necessario tantum rectæ fidei etsi minimæ quantum veræ dilectionis haberent.

Sed quoniam neutram habent, hæretici et Antichristi sunt qui negant Jesum in carne venisse. Cur enim Jesus venit in carne, nisi ut, ex diversis qualitatibus hominum atque ex omnibus nationibus gentium, per nimiam charitatem qua posuit pro illis animam suam, exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, vel aliquid ejusmodi (*Ephes.* IV, 27), in qua una columba sua, amica, sorore et sponsa immaculata quiescente, immaculatus ipse Sponsus requiesceret, atque in regnante regnaret, sicque omnibus suis in se ipso uno consummatis, unus ipse Deus omnia in omnibus esset? Cui mirabili et desiderabili unioni præ cæteris invident et insidiantur, qui Spiritum sanctum quo tanta di-

Digitized by Google

versitas membrorum sub uno capite, Christo irreprehensibili, et incomprehensibili compositione coadunatur, compaginatur, et unitur, vendere non verentur. Ipse enim, tanquam violentissimum et ferventissimum bitumen, aut gluten charitatis, quam in sanctorum cordibus diffundit, corpus Christi per nexus et junctu as aptas formatum, et præparatum conglutinat, et conjungit, crescereque facit in augmentum Dei, ubi ex diversæ professionis et conversationis hominibus unum corpus, et unum spiritum, secundum vocationem, qua vocati sunt, in una spe efficit. Quem dum, velut efficacissimum glutinum, fabricæ Dei isti hæretici subripere præsumunt, quantas et quam miserabiles ruinas faciunt? In quibus seu in parietinis solet, nil jam reperietur ordinatum, nil non confusum. Quibus jam nullus inest decor, nisi urticarum, et veprium libidinis videlicet, atque avaritiæ squalor, et serpentini latibuli horror.

CAPUT XXXII.

Qualiter hæretici a Deo fornicantes faciant et alios fornicari.

Ecce qualiter fornicantes a Deo, et profani Simoniaci maculant et destruunt illam gloriosam, quam ut sine macula esset Christus mundavit lavacro aquæ in verbo, et ut sine ruga efficeretur rugas ejus in crucis extendit patibulo. Quam, proh dolor! nunc impune fornicatores maculant, dum lavacrum illius, et cæteras divinorum sacramentorum species ad conservandum decorum sibi cœlitus concessas contagio suæ immunditiæ contaminant, et sua negotiatione evacuant, quas nihilominus corrugant, dum simplicem ejus intentionem, velut nitidam cutem duplicitate suæ calliditatis deturpant, ut merito Sponsus ille, « speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3), » comminetur huic speciosissimæ sponsæ suæ, cujus super omnia specie delectatur, ne vagari incipiat per gregem sodalium ejus (*Cant.* I, 6), hæreticorum scilicet, qui gregem hædorum suorum pascendo, se amicos sponsi mentiuntur, sponsamque non sponso, sed sibi zelantes, nil nisi adulterium meditantur. Unde, juxta expositionem beati Hieronymi, sponsus eidem sponsæ in Canticis canticorum comminatur, et dicit: aut cognosce temetipsam quoniam Regis es sponsa et formosa, et a me facta formosa, siquidem ego mihi exhibui gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam; aut scito, quia si te non cognoveris, et tuam neseiveris dignitatem, patieris hæc quæ sequuntur. Quænam ista sunt? Si non cognoveris temetipsam, o pulchra in mulieribus, egredere tu in vestigiis gregum, et pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum, et pasces non greges ovium, non agnorum, sed hædos tuos (*Ibid.*, 7). Statuit quippe oves a dextris, et a sinistris hædos. In vestigiis, inquit, pastorum novissima fies, non inter oves, sed inter hædos tuos, cum quibus habitans, non poteris mecum, id est cum bono esse Pastore. « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te (*Ibid.*, 8) » Si vis intelligere, o sponsa, quomodo scire te debeas, cognosce cui te comparaverim, et tunc videbis talem te esse, quæ turpari non debeas, cum tuam speciem cognoveris. Quid est igitur: « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te? » Scio equitem Sponsum, propheta dicente: « Et equitatio ejus salus. » Assimilata est ergo equitatui meo in curribus Pharaonis. Quantum differt equitatus meus, qui sum Dominus, et demergo in fluctibus Pharaonem, et christatos ejus, et ascensores, et equos ejus et currus ejus, quantum, inquam, differt equitatus meus ab equis Pharaonis, tanto melior es omnibus filiabus tu, sponsa, tu ecclesiastica anima, omnibus, animabus, quæ si non sunt ecclesiasticæ. Igitur ecclesiastica es anima, omnibus animabus es melior, si non es melior, non es ecclesiastica.

Qua de re, hei mihi! quantum vereor, ne juxta hanc tam prudentis viri sententiam, sponsus ille cœlestis sponsæ suæ, scilicet nostræ catholicæ, impudenter, ut jam dixi, per hæreticorum maudras vaganti exacerbatus det libellum repudii, eique irrevocabiliter dicat: « Egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum (*Cant.* I, 7). » Sic enim se ignorare videtur, ut profanis pastoribus per devia adhærere, et commorari non vereatur, qui nil nisi hædos pascere noscuntur, de quibus etiam negotiantur. Unde summopere cavendum ne hædorum lascivia hircorumque petulantia castitas ejus ex assiduitate cohabitationis periclitetur, sicque, adulteris paulatim in sponsi cubili admissis, usque ad verticem constupretur, nec jam pascat agnos. Consentiendo et communicando hæreticis facit hædos ad sinistram ponendos, ex quibus interim adolescunt ductores, et patres eorum petulci hirci, sorte perventuri cum multis maledictionibus, et totius populi catholici peccatis capiti, et fronti eorum imprecantis ad partem diaboli a Deo deserti, in cujus inferno nullus est qui confiteatur Domino (*Psal.* VI, 6). Accipient ergo cum hædis suis sortem, desertum maledictionis, qui refugerunt possidere sortem sibi assignatam, paradisum benedictionis Fient clerus diaboli et synagoga Satanæ, quia recusarunt clerum Dei et Ecclesiæ esse. Quod incomparabile malum dum vigilanter non cavetur, tantos sine intermissione infert Ecclesiæ Dei defectus, ut velut luna in menstruo seu interlunio, quamvis integra sit, aut minima, aut nulla videatur. Quod ei idcirco accidit, quia se ignorare etiam correpta et commonita non erubescit. Unde justo Dei judicio, quæ se ignorat, adeo et suis ignoratur, ut iam a pluribus an sit aliqua dubitetur.

CAPUT XXXIII.

De diminutione Ecclesiæ, et hæreticorum multiplicatione.

Sic invisceratis sibi mortiferis humanioribus Simoniacæ hæreseos, pectus catholicæ premitur, sic sententia illius gravatur, sic intestino et domestico illius bello confunditur et atteritur ut sponsa illa vix semiviva jam extremum palpitet ac, velut ca-

Digitized by Google

pacissima navis nec oemergenda, tabulas jam so- A nantes laxet, vel, sicut populosa quondam civitas a sese impugnata et expugnata, tandem laboret vixque alicujus suorum salutem speret. Quæ, quia modica spernit, paulatim decidit (*Eccli.* XIX, 1), ad hoc ut jam pene ignoret ubi sit et cujus sit, solo Deo inter tot millia venditorum et emptorum pessimorum cognoscente qui ejus sint, quibus quotidie blande et familiariter in aure cordis inquit : « Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum ; vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit (*Luc.* XII, 32, 34). Sed, o Jesu, Pastor bone, B quam pauculus apparet nunc istorum agnorum tuorum numerus inter hædorum innumerales cœtus? Ita jam superatus lenissimus tuus Jacob ab hispido et hirsuto fratre uterino, ut secundum Isaiam hædis pascendis vepres et spinæ sint in omni terra, et pauculis agnellis vix aliqua supersint pascua. Vere adest nobis dies illa ab eodem vate sic prædicta : « Et erit in die illa, attenuabitur gloria Jacob, et pingues carnes ejus marcescent ; et erit sicut congregans in messe qui restiterit et brachium ejus spicas leget. Et erit sicut quærens spicas in valle Raphaim, et reliquetur in eo sicut racemus, et sicut excussio oleæ duarum aut trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in ca- C cuminibus ejus, dicit Dominus Israel (*Isa.* XVII, 4-6). » Deinde in ipsa paucitate sua quid diminutionis adhuc incurrat catholica, subjungit idem propheta : « Propterea plantabunt plantationem infidelium, et germen alienum seminabunt (*Ibid.*, 10) » — « Heu, heu, heu, Domine Deus, parce, parce populo tuo, et ne des hæreditatem tuam in perditionem (*Joel.* II, 17)! » — « Propitius esto, obsecro, quiesce. Quis suscitabit Jacob, quia parvulus est? (*Amos* VII, 2.) » Imminuti enim sumus plus quam omnes gentes, et insuper quos tibi plantamus fiunt infideles, et germen alienum seminamus, quia juxta lamentum Jeremiæ, quos educamus et nutrimus, inimicus noster consumit eos (*Thren.* II, 22). Et, o, vel soli consumerentur? Sed quod gravius est Ecclesiæ D utero geniti et lacte ejus nutriti sunt, qui postmodum ab ea ad perfidum Simonem cum maternis armis transeunt, et adversus illam crudeliter insurgunt, et fratres quondam suos deceptos cum periculo matris sub pace interimunt. Quid ergo tanto odio, tantaque pertinacia Ecclesiam Christi, pro qua sola venit in carne, sine intermissione dilaniat, Christum venisse in carne non negant? Nam si beatus Pater Augustinus asseruit Arianos, Macedonianos, Cataphrygas, Novatianos negare Christum in carne venisse, eo quod, de divinitate sentiendo prava, Ecclesiam ejus sua insolentia discindunt, multo magis Simoniaci, qui non solum de Deo prava sentiendo, sed etiam Ecclesiam ejus negotiando cum et quidquid illius est pene ad nihilum, quantum in eis est, redigunt. Et certe Ariani, quamvis Filium et Spiritum sanctum minorem Deo Patre, et creaturam perverse dicant, non tamen utrumlibet vendere se porro æstimant, qui nec ipsi Macedoniani, quamvis Spiritum sanctum minorem Patre et Filio, atque creaturam maligne dicant. Sed nec Cataphrygæ licet asserant Spiritum sanctum in Montanum, suæ sectæ auctorem substantialiter, venisse. Qua de re sola clarius constat Simoniacos plus omnibus his negare Christum in carne venisse, qui ore quidem Spiritum sanctum Patri et Filio per omnia coæqualem dicunt, quem tamen quotidie vendere se posse credunt in eo quod visibilia ipsius sacramenta impudenter vendunt.

CAPUT XXXIV.

Quanto perniciosiores omnibus hæreticis sunt Simoniaci.

Quantum excusabilius hoc negotium agerent Ariani et Macedoniani, et pretio Spiritum sanctum vendi posse crederent, quem creaturam prædicarunt? Magis enim consequens est creaturam posse vendi quam Creatorem et Sanctificatorem mundi. Ad hæc multo tolerabilior eorum furor, quos magis contra catholicam armabat manifestus terror quam fictus amor, quosque publica confessio clamabat cavendos, quibus tanto intolerabiliores Simoniaci sunt quanto blandiores et occultiores, quos et catholicos putamus ex confessione, et patres vel amicos ex blanda vel pacifica admonitione vel salutatione, quam sic student suæ perversitati obtendere, ut credantur blandiores esse blandissimis, cum nullatenus quiescant populum Dei tanta mala non sentientem, quin potius illis arridentem, et applaudentem interimere, quos pejores pessimis Arianis, sicut superius aperte monstratur, sancta septima synodus irreprehensibili et authentica sententia definivit. In quorum comparatione boni possunt putari etiam Novatiani, qui miræ continentiæ et acerbissimæ disciplinæ secta elati, bigamos et pro criminibus pœnitentes dogmatizant ab Ecclesia non debere recipi, cum in omnibus aliis nullo modo contradicant catholicæ fidei. Sed quia suo scandalo Ecclesiam scandalizant, et dividunt, negant et ipsi in carne venisse Jesum Christum, non ore, sed, sicut pene omnes alii hæretici, actione. Itaque si Novatiani, ex nimia justitia notati, negant Christum in carne venisse, vel leviter dubitandum est Simoniacos negare Christum in carne venisse, qui plus quam diabolica elatione repleti, non jam se æquales Deo rapina, sicut diabolus, sed superiores arbitrantur, quem a se posse distrahi pretio sic opinantur, ut etiam profiteantur? Qua utique vesania non solum Ecclesiam Dei scandalizant, sed quod nullatenus est ferendum, sic supplantant, ut pignus ejus, scilicet Spiritum sanctum quo signata est in die redemptionis et a quo sanctificatur et vivificatur ei penitus extorqueant, dum se in ministros jus itiæ trasformant. Quos quis audet vel somniare in Spi-

Digitized by Google

ritum sanctum credere, quem plus quam millies aggrediuntur vendere; et potest hoc credere de quolibet vili servulo, ut, toties venditur, ire patiatur æquo animo, et non magis fuga vel quolibet periculo eligat carere tam fastidioso dominio, tantoque ludibrio?

Sed proh nefas! huic tam probroso ridiculo et injuriæ nec vilissimis servorum tolerabili, Spiritus libertatis creditur obnoxius, et ad votum parere se vendentibus, quorum spinæ in ortu suo mollitiem herbæ prætenderunt, sed jam olim adultæ rhamnum intelligunt. Nunquid enim non conatus perfidi Simonis quasi mollis herba fuit ad comparationem actus sequacium ejus nostri temporis. Siquidem ille, licet Spiritum sanctum ad hoc emere voluerit, ut carius venderet, suam tamen et non alienam pecuniam propter hoc obtulit, sicut etiam B. Petrus eidem respondendo ostendit, dicens: « Pecunia tua tecum sit in perditionem (*Act.* VIII, 20). » Cujus propinquiores sequaces hoc ipsum fecisse noscuntur, quando solummodo ex proprio censu, vel ex paternis, seu amicorum facultatibus vel possessionibus ecclesiasticos gradus mercatum iri moliebantur, ob eam causam maxime ut qui, prius fuerant potentes et nobiles ex sæculari copia, potentiores quoque et nobiliores cæteris supereminerent ex dignitate ecclesiastica. Nam nil magis potentia optat sibi omnis rationalis anima, sive sana, sive insana, quam utique potentia sana quærit adipisci adhærendo Domino Deo, et spem suam in ipso ponendo, exemplo angelorum sanctorum qui perstiterunt. Insana autem elongando se a Deo, et in se confidendo, vel de se præsumendo, exemplo refugarum spirituum, qui ab initio corruerunt, quorum princeps, ut propheta indicat, prius quam caderet in corde suo dicebat: « In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (*Isa.* XIV, 13, 14). »

CAPUT XXXV.

De nativitate et incremento Simoniacæ hæreseos.

Verum hæc creata ecclesiasticæ dignitatis ambitio ab ipso tempore apostolorum usque ad tempora Christianorum principum, immanitate persecutionum deterrita, disparuit, quia primus omnium et gravioribus tormentis subjiciebatur qui primus rector et potentior cæteris videbatur. Simul ac vero pax est reddita Christianis in tantum ut ipsi etiam imperatores, augustum verticem, cunctasque Tauri insulas sacerdotum Christi submitterent vestigiis, pestis illa antiqua rediit, tantamque potentiam et gloriosum, in quo cum Christo sancti jam regnabant, regnum et sacerdotium videns, obstupuit: cui dominari et principari solito cupida, quia veritate, cujus particeps non est, nequivit, fallacia sibi præripere maluit. Unde quod catholica Ecclesia promeruerat, Dei gratia, ambitio Simoniaca obtinere quæsivit pecunia, non ut in catholica velut adoptionis filius subesset gratiæ Dei ac deserviret, sed ut præsumptionis tyrannus præesset ac imperaret. Et hoc prius suo vel suorum tantum pretio, sicut prædiximus, consequi moliebantur, ut vel minimæ parti Ecclesiæ principarentur; interdum et ingentes possessiones suas hac de causa possessionibus ecclesiasticis adjungebant, atque, sub talis commodi obtentu, negotium suæ ambitionis exercebant, ut putaretur ab indoctis principatus talium non solum nil officere, sed et plurimum Ecclesiæ Dei proficere; quam, ut vel sic impetrarent ei præesse, ditabant sua peculiaritate. Verum quia, sicut suis bonitas gradibus progreditur, sic et malitia suis, tandiu..... hic quantulumcunque excusabilis negotiationis Ecclesiæ adhæsit, quandiu aliquis status Christianitatis, vel honestatis progenitoribus nostris insedit. At ubi peccatis prævalentibus ignorantiam Dei prorsus incurrerunt, omnem colorem excusationis vel qualiscunque honestatis abjecerunt, nec jam palliare suam avaritiam curarunt, sed exertis brachiis palam sævire permiserunt, quæ pessimam libertatem tandem adepta, ad hoc cupidos ecclesiasticarum dignitatum impulit, ut jam crumenis suis, vel suorum, seu facultatibus nil prorsus demant aut subtrahant, sed totum pretium datum, vel promissum ex redditibus vel possessionibus ecclesiarum quibus præponuntur corradant. Inde passim et maxime per totam Italiam videntur ecclesiæ Dei, monasteria, seu reliqua religiosa loca quædam a fundamentis destructa, et eversa, quædam etiam effossa, quædam a semirutis tectis, et ruinam sui minantibus parietibus horrida, quædam desolata ab hominibus, bestiis tantum noxiis, et volucribus immundis relicta, quædam frutetis et urticis repleta, quædam et si adhuc videntur muris et ædificiis exterius stare et inhabitari, omni tamen decore suo atque interiori ornatu, tam in libris quam et in ecclesiastici ministerii vasis et vestibus, inveniuntur spoliata, ut ex multis quæ devota antiquitas piis locis conquisierat, vel paraverat, ne qualecunque supersit psalteriolum, aut fictile samiolum, seu corporale linteolum. Quædam etiam multis et variis prædiis, castris, municipiis, familiis et peculiis olim inclyta, nunc ne agellum quidem, nec tuguriolum, nec municipiolum, nec asellum vel hædulum, sed nec quidquam eorum quæ possederant retentant, in tantum ut ipsa sanctuarii atria et Christianorum cœmeteria alienus agricola sibi aret atque excolat, messibusque vel vitibus repleat.

CAPUT XXXVI.

Qualiter Simoniaci non solum res Ecclesiæ, sed ipsos quoque principes cum populis diabolo vendunt.

Taliter multorum sanctorum, et religiosorum Christianorum ossa ab ipsis bustis suis indifferenter extrahuntur, et tanquam irrationabilium animalium ossa super faciem terræ nuda et abjecta relinquuntur. Me miserum! memini frequenter me vidisse intra ipsos parietes pavimenta quoque nobilium quondam basilicarum exarari, et seri, seu pecora stabulari. Et his tantis cladibus, non tantum Vanda-

Digitized by Google

lus, Gothus, Hunnus, Longobardus, aut Hungarus est auctor, quantum Simoniacus hostis, qui mobiles et immobiles, seseque moventes res venerabilium locorum sic vendendo et propinquis et extraneis donando, dilapidat et dissipat, ut nil sibi nec posteris suis præter lacrymas relinquat. Qui, utinam, vel illa tantum, quæ ab antecessoribus suis parata invenit et præ manibus suo tempore habet, diriperet, et non etiam illa, quæ necdum habet! Decimas enim et oblationes vivorum et defunctorum, atque cunctos redditus, quos post se usque in finem sæculi Ecclesia erat habitura, per diabolicos contractus sæcularibus hominibus vendit, aut donat, et quibuscunque modis et conditionibus potest, perpetuo alienat, ut Deo post in futuris generationibus servituri, suamque et aliorum salutem operaturi, nihil omnino sibi relictum, nec ad victum unius horæ, nec ad vestitum, nec ad diversorium sub nocte inveniant. Inde libelli in sæcularibus manibus, inde chartarum monumenta, et instrumenta subscriptionibus talium male cautæ, quibus evacuantur ecclesiarum Dei antiqua chirographa et canonica privilegia, et juri laicorum usque ad finem sæculi addicitur et confirmatur omnis possessio ecclesiastica. Nequeunt jam catholicorum pontificum decreta vel privilegia conscriptionibus horum hæreticorum obviare, nequeunt ulli canones, aut ullæ synodi sanctorum Patrum jam prævalere, nequeunt ulla edicta et præcepta imperatorum, vel leges religiosorum principum jam obsistere.

Ita prævaluit adversarius ut jam ante eum subsistere non possit clypeus, non thorax, non hasta, non gladius. In stipulam ei omnis armatura vertitur, quia nec defensionem, nec vindictam aliquam veretur. Deridet enim vibrantem hastam, nec reputat tubæ sonare clangore, quia pro ludibrio habet spirituali comminationem seu sententiam, quæ, velut astra, ferit eminus, et carnalem condemnationem quæ cominus sic floccifacit anathema cujusvis sacerdotis, sic leges cujuscunque terreni principis, propter eos quamlibet vilis homo dedignetur restituere piis locis, vel passum pedis ex omnibus, quæ illi hæreticus propria manu confirmavit. Sic quod prius fuerat furtum, quodque gradatim factum est latrocinium, ad tantam jam tyrannidem, ut cuicunque seu ecclesiis, seu civitatibus principari quærit, non prius id adipiscatur quam ipsi quoque plebeculæ libellos hæreticorum, et sacrilegorum se observaturum et defensurum juramento et scripto confirmaverit. Parum videtur hoc exigi ab inferioribus potestatibus, ab ipsis summis hoc exigitur imperatoribus. Nec prius licet eis imperii insignia suscipere quam juraverint se non solum scripta illa non cassatum, sed etiam defensum iri. O libertas et pietas Romanæ reipublicæ! O liberalitas et potestas majestatis imperatoriæ! Cogitur summus princeps jurare ne leges religiosorum principum ante se vel suas debeat observare, sed potius evacuare. Vult sua reddi quæ sunt Cæsaris ab his qui contradicunt Deo, reddi quæ sunt Dei. Videat, quæso, quale sibi sit illud imperium, quod eum repente efficit ex Christiano paganum; imo pejorem pagano, quia apostatat a Deo; cum perversis enim efficitur perversus, et cum sacrilegis sacrilegus, et ideo morte dignus, quia consentit talia facientibus, qui jam est dicendus perversis consentire, sed revera ut pejora faciant imperare, quibus licentiam suo juramento administrat impune retinendi quæ invaserant, et audaciam impune invadendi, si qua restant. Si enim, ut philosophus allegat, qui non prohibet peccare cum possit, imperat, multo magis ille, qui non solum non prohibet cum valeat, sed insuper jurat ne aliquando prohibeat, qui Deo et sanctis apostolis sacerdotibusque ejus nihilominus jurat se prohibiturum talia atque defensurum ecclesiastica bona. Exploret qui potest qualiter, et qua hunc labyrinthum evadat, scilicet jurare ut talia prohibeat, et jurare ne prohibeat. Hic jurare ut bona ecclesiarum defendat, ille jurare ne defendat.

CAPUT XXXVII.

De inæstimabili malitia hæreseos, et quali bestiæ in Apocalypsi comparetur.

Sic populi malitia suaque ignavia summi principes excæcati, opera Dei, quam terribilis sit in consiliis super filios hominum (*Psal.* LXV, 5) videre negligunt, ideoque cum eis quos regere, et sub eis quibus præesse debuerunt, in foveam sempiternæ mortis corruunt. Quibus paganorum principes tanto sunt liberiores et superiores in ipsis quoque tormentis, quanto liberaliores et promptiores suum cuique jus conservandi et restituendi in rebus mundanis. Siquidem illi privilegia pontificibus suæ, ut credebatur, religionis et templis devota largitate conferebant, potentique manu suo tempore defendebant, et in futuro legibus suis munimenta contra quarumlibet diminutionum seu alienationum casus eis providebant, quorum industriam a superstitione ad religionem maximus Constantinus retorquens, privilegia, quæ illi suis sacerdotibus et delubris, Christi ecclesiis concessit eorumque ministris quod et sui posteri, quotquot orthodoxi exstiterunt, agere usque ad hæc periculosa tempora studuerunt. Et, o quanto tolerabilior Christi Ecclesiis Ariana, seu Eunomiana, vel Eutichiana, sive quæcunque alia hæresis! quia quamvis sua rabie tanquam lupus oves Dei diripiant et dispergant, caulas tamen et pascua carum auferre non curant, sed post se relinquunt ubi residuæ, et futuræ oves commaneant, et unde vivant. Nonnulla enim consolatio præteriti, vel præsentis damni est catholicis, ubi parum aut certe nil victus et vestitus minus est eis. Sic, post Auxentium Arianum, Ambrosius catholicus sibi relictum reperit Mediolanensis ecclesiæ stipendium et diversorium; sic, post Maximum Cynicum, Nectarius; sic, post Dioscorum, Proterius. Et si reliquas hæreseon bestias recenseas, nullam invenies perniciosiorem hac, quæ sic oves Christi diripit, ut post se victuris nec caulæ pascua supersint.

Profecto hæc non solum dentibus ferreis, et ma-

Digitized by Google

guis omnia comcoit et comminuit, ac suis pedibus reliqua proterit, velut bestia illa, quæ Romanum imperium præfiguravit; sed flamma insuper ex se exeunte nil ante se inconsumptum relinquit, unde si propheta nomen illius stupore potentiæ et immanitatis perculsus reticuit, cum aliarum, quamvis terribilium, nomina non præterniserit; cui bestiæ hæc assimilabitur? aut quo nomine vocitabitur, quæ dissimilior et crudelior omnibus invenitur? attamen licet illam, quæ quarti regni prophetia exstitit, Daniel, hoc est, *judicium mei Dei*, exceptis dentibus et pedibus, nec nomina, nec forma ostenderit; Domini gratia tamen, id est Joannes, hanc, quæ hæreseos prophetia exstat, in sua Apocalypsi, nomine tantum suppresso, ac si visibilem omnibus effigiavit, dicens : « Et vidi bestiam aliam ascendentem de terra et habebat cornua duo similia Agni, et loquebatur ut draco, et potestatem prioris bestiæ, » scilicet quæ similis erat pardo, cujus pedes sicut ursi, et os sicut leonis, « omnem faciebat in conspectu ejus. Et fecit terram et inhabitantes in ea ut adorarent bestiam primam. Et fecit signa magna, ut ignem de cœlo descendere faciat in terram in conspectu hominum. Et seduxit habitantes in terra propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra ut faciant imaginem bestiæ. Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ, et faciat quicunque non adoraverit imaginem Bestiæ, occidatur. Et faciet omnes pusillos et magnos, divites et pauperes, liberos et servos habere characterem in dextra manu, aut in frontibus suis, et ne quis possit vendere aut emere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus, etc. (*Apoc.* 13, 11-18). » De qua, post pauca, angelus voce magna dicit hominibus : « Si quis adoraverit bestiam et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, et cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum suorum, et ante conspectum Agni, et fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum ascendit, nec habent requiem die ac nocte qui adoraverunt bestiam, et imaginem ejus, etsi quisquam acceperit characterem nominis ejus (*Apoc.* xiv, 9-11). »

Porro bestiam illam secundam in subsequentibus vocat pseudoprophetam, dicens : « Et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, et procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum Dei omnipotentis. Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, et ne videant turpitudinem ejus (*Apoc.* xvi, 13-15). » Et post aliqua : « Et vidi bestiam, et reges terræ et exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus. Et apprehensa est bestia, et cum illo pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ, et qui adoraverunt imaginem ejus, vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure, et cæteri occisi sunt gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius, et omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum (*Apoc.* xix, 19-21). » Et post hæc de gloria sanctorum etiam in præsenti sæculo ita dicit : « Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis. Et animas decollatorum propter testimonium Jesu et propter verbum Dei. Et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem in frontibus, aut in manibus suis, et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis; cæteri vero mortuorum non vixerunt donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi et regnabunt cum illo mille annis (*Apoc.* xx, 4-6). »

CAPUT XXXVIII.

Recapitulatio præmissæ sententiæ ex Apocalypsi.

Quæ prophetia apostolica, quoniam a sanctis Patribus multipliciter et copiose exponitur, hoc tantum inde breviter insinuandum arbitramur, quod bestia prima similis pardo, cujus pedes ursi, et os leonis erat, Antichristum specialiter portenderit, cujus dominatio mirabili velocitate, et callidissima rapacitate proveniret, cujusque temporalis vita citissimo fine, mensibus scilicet XL duobus terminabitur. Siquidem pardus est varium, sanguinarium, velox, rapax, et præceps animal; adeo ut saltu in mortem ruat, quia ut ait Jeremias, non potest mutare varietates suas (*Jer.* xiii, 23), cujus pedes, pedes sunt ursi; omnes scilicet hæretici quamdam speciem humanæ sagacitatis, quasi divinæ rationis mentiti, qui quanto sunt inferiores in Antichristi corpore, tanto perniciosiores. Ipsis enim universorum compages membrorum retinentur et reguntur, ipsis tota moles diabolici corporis sustentatur ipsis gestatur, ipsis armatur, ipsis passim vagatur, ipsis vestigatur, non ut conteratur, sed ut augeatur, ipsis tanquam solidissimis basibus, et columnis attollitur. Ipsos quisquis sequitur, sive Paganus, sive Judæus, sive Christianus, Antichristo mox incorporatur, et per eos ad æternum interitum portatur. Deinde ut Dominus Jesus os Patris dicitur et est, sic et ille blasphemus os illius leonis rugientis est, qui circuit quærens quem devoret (*I Petr.* v, 8), cui etiam tanquam filio et brachio virtutem suam et potestatem dedit draco, idem qui et leo, ut aperta simul et occulta malitia debacchetur in mundo. Sed hæreticos quos incorporatos et pedes ejus esse symmista Dei prævidit in alia bestia specialiter significatos in subsequentibus conspexit, quæ ascendebat de terra, et habebat duo cornua similia Agni, et loquebatur ut draco. Omnes enim hæretici, qui Christiani se esse dicunt, tanquam bestiæ de terra ascendunt, quia de soliditate Ecclesiæ ostentationis vel elationis suæ

Digitized by Google

fastu exeunt ad illius marinæ belluæ, Antichristi scilicet, potentia sæculari intumescentis obsequium, secundum præsentis apostoli dictum : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. »

Terra enim non incongrue hic intelligitur sancta Ecclesia, de qua allegorice ait Psalmista : « Qui fundavit terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi (*Psal.* cm, 5). » Et : « Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo. Quia ipse super maria fundavit eum, et super flumina separavit eum. Quis ascendit in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? (*Psal.* xxiii, 1-3). » Ipsam enim super maria Dominus, id est super elationem et potentiam mundanam esse fecit. Ipsam super flumina, cupiditates scilicet sæculares, extulit, ut sit jam singularis mons ejus pariter et sanctus locus. Ex qua quotquot exeunt duo cornua similia Agni prætendunt, quia aut duo Testamenta se recipere, aut totidem charitatis præcepta observare, aut suam potentiam ad regnum et sacerdotium Christi pertinere, aut baptismo ejus, et cruce se sanctificatos contendunt. Sed in his nullam veritatem præter solam cornuum Agni similitudinem specie tenus ostendunt. Unde et loquuntur, sicut draco « qui in veritate non stetit. Qui, cum loquitur mendacium, de proprio loquitur, quia mendax est ipse, et pater ejus » (*Joan.* viii, 44), et sicut ille ad hoc tantum locutus et loquitur tantum ut homicida fiat; sic et isti ad hoc tantum loquuntur ut homicidæ fiant. Qui etiam omnem potestatem prioris bestiæ faciunt in conspectu ejus, quia, aut occulta aut aperta malitia, non minus ipso Antichristo in homines sæviunt. Quam tamen in conspectu ejus faciunt, quia sicut catholici ad Christum referunt quidquid ipso auctore agunt, ita et hæretici ad Antichristum quidquid potestate ab illo data faciunt. Nam, sicut sancti prophetæ præierunt ante faciem Domini parare vias ejus (*Luc.* i, 76), sic et isti præcursores facti illius apostatæ præeunt, et in conspectu illius faciunt quidquid faciunt. Quod totum nonnisi malum esse potest, etiamsi bonum apparet. Ut enim boni exemplo Redemptoris sui dicentis : « Ego gloriam meam non quæro (*Joan.* viii, 50); » et : « Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me (*Joan.* vi, 38), » quidquid sunt et possunt ipsi tribuunt, non quæ sua sunt, sed quæ Christi quærendo; sic et reprobi suo tantum quærendo et non Christi, quidquid faciunt (*Philip.* ii, 21), in conspectu Antichristi faciunt, qui in nomine suo venturus a semetipso sicut mendax loquetur, gloriam tantum propriam quæsiturus exemplo patris sui draconis, qui ab initio sua tantum quæsivit, ubi propriam sibi sedem exploravit, et Altissimo similis fore per superbiam concupivit (*Isai.* xiv, 14).

CAPUT XXXIX.

Quæ sint signa et prodigia catholicorum.

Qualiter autem faciant hæretici terram et inhabitantes in ea adorare bestiam primam, B. Hieronymus sicut jam superius positum est, sic ostendit, dicens : « Sicut idola fiunt manu artificis, ita hæreticorum perversam doctrinam quicunque simulaverit in idolum vertit, et facit pro Christo adorari Antichristum. » Qui quoniam signis quæ faciunt in conspectu bestiæ illius seducunt habitantes in terra scilicet Ecclesiam, pusillos et magnos, divites et pauperes, liberos et servos, etiam Dominus in Evangelio sic suis prædicit : « Exsurgent pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, electi. Et tunc si dixerint vobis : Ecce hic est Christus, ecce illic; nolite credere (*Matth.* xxiv, 23, 24), » nolite ire, neque sectemini. Sicut enim prophetæ sancti ante adventum Jesu Christi primum, sancti quoque apostoli et imitatores eorum, ante secundum, dederunt et dant signa, et prodigia multa et magna, sic et hæretici, qui a Domino dicuntur pseudoprophetæ et pseudochristi, ut puta Antichristi faciunt ante suum principem Antichristum. Sed inquiratur quæ signa et prodigia cultores Christi dederint, vel dent, et quæ cultores Antichristi Equidem præcones primi adventus Christi omnibus suis actis et dictis sacramenta Christi, et Ecclesiæ ejus prætulerunt, et præinvenerunt, sicut Moyses, in summi Pontificis nostri figuram, Israeliticum populum per mare Rubrum transtulit, manna de cœlo cibavit, et aqua de petra potavit, sacerdotesque et tabernaculum cum omni suppellectili sua non solo sanguine purificavit, sed etiam chrismate sanctificavit. Quæ catholicæ veritatis imago, vel umbra non cessavit, donec advenit Veritas ipsa, Christus, qui etiam est via et vita. Tunc veritas de terra orta omnes gentes, per præcones secundi adventus sui, per verum baptisma, transfert, pane vivo et vero cibat, vino novo potat, et non solum sacerdotes, sed universam quoque Ecclesiam suam suo sanguine prius redemptam gratiæ suæ unctione sine intermissione sanctificat.

Et hæc quatenus agat Apostolus, panem et vinum Christi commendans, demonstrat. « Quotiescunque, inquit, manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat (*I Cor.* xi, 26). » Igitur ut interim taceamus de languidis curatis, et mortuis vivificatis, cæterisque beneficiis seu vindictis, quæ etiam signa et prodigia fuerunt et sunt, dicamus aliquid de solo baptismo, sacrificio et unctione, quæ nobis videntur principalia, et maxima signa et prodigia esse, quia sine his nemo potest Deo vivere. In his itaque nobiscum est a primo adventu suo usque secundum qui erit in fine sæculi. Hæc ita signa sunt ut sint etiam res. Nam quod sunt et in se habent, significant. Sic visibilis fons baptismatis signum est, quod tamen in se habet rem, scilicet Spiritum sanctum, qui præbet spirituale m et invisibilem ablutionem interiori homini in mente per signum corporale, et visibile quod oculis carnis ostenditur ex ea quæ fit in aqua exterioris hominis intinctione. Hoc de sacramentis altaris;

Digitized by Google

hoc etiam dictum puta de unctione sancti chrismatis. Hoc de reliquis catholicæ ecclesiæ mysteriis, quæ idcireo mysteria, id est secreta dicuntur, quia inest eis occulta virtus, quæ per rem visibilem quod suum est pro qualitate et ministerio hominis operatur. Secretum enim a verbo *secerno* veniens, *seorsum cretum*, id est visum, qualis separatum dicitur ab oculis scilicet carnis, non cordis. Hæc quoque sic sunt signa ut sint et prodigia, hoc est porro dicentia. Sic enim mortem Christi et dispensationem ejus præteritam significant, ut tamen nunc semper vivere et regnare, et venturum judicare vivos et mortuos prophetizent, id est, porro dicant.

CAPUT XL.

Quæ sint signa et prodigia hæreticorum.

Veruntamen signa et prodigia, ante primum adventum Christi, in hoc differunt a signis et prodigiis quæ fiunt a catholicis, ante secundum ejus adventum, quia illa sic significaverunt ut omnino res non essent; ista autem sic signa sunt ut res quoque essentialiter et vere sint. Restat ergo ut bestiæ illius, quæ universalis hæreticorum typus est, signa et prodigia quæ sint, et quæ significent vel prophetent discutiatur, et ante omnia animadvertatur quia bestia hæc in subsequentibus pseudopropheta appellatur. Quod si falsus propheta est, signa ejus et prodigia sint falsa necesse est. Et quæ falsa sunt, necesse est falsum tantummodo significent, et mendacium. Constat ergo nil veri nec recti signi apud eum haberi qui nil nisi falsa significat. Sed quæ sunt signa quæ bestia illa sibi agenda præsumit? utique aqua, panis, vinum, oleum, et cætera visibilia instrumenta sacramentorum catholicæ religionis, quæ oculo tenus et specie tenus a Deo, usque in finem irato, sine aliqua spirituali gratia vel significatione eis permissa sunt. Et, o utinam, ipsa visibilia sacramentorum instrumenta apud eos vel in suæ substantiæ aut naturæ munditia haberi possent, et spiritu immundo carerent! sed, quod pejus est, a Spiritu Dei contemnuntur, et a spiritu diaboli appetuntur quo et imbuuntur. In quibus licet exterius videatur aqua, panis, vinum et oleum, ac reliqua sacramentorum, tanquam victus et vestitus ovium, interius tamen latet rabies dira luporum. Unde Dominus per Osee super decem tribubus, speciem hæreticorum tenentibus, conqueritur, dicens : « Hæc nescivit, quia dedi ei frumentum, vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei, et aurum quæ fecerunt Baal (*Ose.* II, 8). » Et post pauca : « Et corrumpam vineam ejus et ficum ejus, et ponam illam in saltum, et comedet eam bestia agri (*Ibid.*, 12). »

Itaque hac arte, his fucis bestia hæc facit imaginem prioris bestiæ, ut sicut sancti Patres suis cæremoniis, ante legem et sub lege, perfiguraverunt Christum venturum, sic et hæretici suis præstigiis Antichristum. Nam sicut in antiquis Patribus nostris tunc operabatur, et nunc in catholicis operatur mysterium sempiternæ justitiæ et æquitatis, quæ est Christus; sic et in hæreticis tanquam in filiis diffidentiæ operatur mysterium injustitiæ, et iniquitatis quæ est Antichristus. Qui si nunc non esset in eis secretus et velatus, non diceret de ejus manifestatione Apostolus : « Ut reveletur in suo tempore et tunc revelabitur ille inimicus (*II Thess.* VI, 8). » Nam quomodo catholici quædam Hebræorum signa retinent, in quibus Dominum velatum essentialiter bajulent et prophetent, sic et hæretici quædam signa catholicorum usurpata exhibent, in quibus Antichristum velatum bajulent et prophetent. Cujus imagini etiam spiritum dant, eam ejus imitatione mendacio suæ prædicationis et defensionis quibus possunt commendant. Qui, et inter alia signa quæ fingunt, etiam ignem de cœlo in terram descendere faciunt, quandocunque, instar apostolorum, manus alicui imponentes, Spiritus sancti gratiam ac consecrationem eum accipere præsumunt. Sed hoc in terra, quam suam dicunt Ecclesiam, agere videntur, et in conspectu hominum, hoc est carnalium. Sive aliter de cœlo ignem in terra deponunt, quando eorum impietas sæculariter prosperatur, in tantum ut etiam electi, in quibus Deus tanquam in cœlis habitat, stupore concutiantur ignemque humani zeli in Ecclesiam excutiant, dum, minus recti corde, pacem et abundantiam hæreticorum videntes, in eos zelant.

CAPUT XLI.

De sævitia hujus bestiæ, et de charactere Christi et Antichristi.

Sed bestia hæc quæ prius quasi domestica signis blandiebatur, ut seduceret, in fine, velut indomabilis fera, rugitu suo et debacchatione omnes terret, ne sit qui jam ejus sævitiæ, præ timore mortis, obviet. Quod ex una Simoniacorum hæresi liquido potest intelligi, quæ prioribus temporibus blanda in tantum visa est ut vix ejus nequitia deprehenderetur. Nunc autem ad tantam feritatem erupit ut, sicut quondam tempore Arianorum, nostri quoque temporis homines, publice cæsi et facultatibus spoliati, exsiliati atque interempti a Simoniacis referantur, qui vel verbis charitativis et blandis eos resipiscere monuerint. Sic bestia hæc, quæ caput quasi mite et agninum protulit, paulatim caudam suam tanquam cedrus stringit, ut jam nulli parcat ætati, nulli sexui, nulli conditioni, nulli professioni, nulli ordini, nulli potestati. A maximis usque ad minimos turmatim ad prælium contra Agnum et ejus exercitum ducit populos. Et ante se quidem præmittit multos, sed post se innumerabiles trahit, in tantum ut, cum his qui terrena sapiebant, etiam spirituales qui in Ecclesia tanquam stellæ in cœlo lucere videbantur, cauda draconis, ut puta ejus sequax effecta, in terram detrahat. Sic ex ambitiosa et spinosa rhamno ignis egressus, non solas steriles silvas, quæ ab oliva, vite et ficu repudiatæ, eam sibi in regem elegerant, combussit, sed ipsas quoque cedros Libani devoravit. Quam malitiam ut perficere queat, charactere Antichristi dexteras manus, et frontes omnium sibi consentientium notat; quem qui non

Digitized by Google

qui non habuerit, nec vendere, nec emere poterit.

Forsan inquiritur character hic quis sit, nimirum perfidia, quæ et proprie dicitur impietas. Sicut enim fides catholica, quæ et pietas dicitur, character est Christi, ita et perfidia hæretica dignoscitur esse character Antichristi. Et sicut catholici characterem Christi dextera manu et fronte præferunt, sic nihilominus hæretici characterem Antichristi. Dextera quippe stigmata crucis Christi gestamus, quam levi motu ipsius dexteræ nobis et aliis quotiescunque expedit proferimus, quam et in frontibus nostris impressam chrismate salutari proferimus, nec de illa erubescimus, sed potius in illa sic gloriamur ut cum Apostolo profiteamur : « Ego stigmata Jesu Christi in corpore meo porto (*Gal.* VI, 17). » Et cum Hieronymo : « Vexillum crucis in mea fronte porto. » Et quam congrue in fronte præfigitur, quæ est principalis et honorabilior pars capitis locusque pudoris, tanquam in superliminari nostri exterioris hominis, ut præmoneat principali nostri interioris hominis parti, quæ est ratio, præfigendam, ad æternum monimen et municimen, crucem Christi, ut ei sic compatiamur ut corregnemus, summamque gloriam pro ejus nomine contumeliam pati arbitremur, nec quidquam pro eo, nisi peccatum, erubescamus. Sic et dexteræ nostræ, quæ post caput principatum obtinet artuum, laboriosaque imitatrix est artium et administratrix variarum utilitatum sui corporis et aliorum, character crucis inest, quo monemur facta et dicta crucifixi Christi in omni actione nostra nos attendere debere, Apostolo dicente : « Omnia quæcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum (*Coloss.* III, 17). » Quod cum fecerimus, nil sinistrum, sed totum dexterum erit quod egerimus, nescietque sinistra malorum quid faciat dextera nostra (*Matth.* VI, 3).

CAPUT XLII.

De negotiatoribus Christi et Antichristi.

Itaque, quia per fidem ante omnia a Deo cognoscimur, fides profecto est character quo signamur; qui in dextra nostra et fronte deprehenditur, quoties in regno regis nostri negotiari proficue et pacifice quærimus. Si enim diligenter advertimus, nemo sive bonus, sive malus, valet saltem una hora in hoc sæculo vivere nisi negotietur. Unde Christus in regionem longinquam iturus, sub speciem cujusdam nobilis hominis, ait servis suis : « Negotiamini dum venio (*Luc.* XIX, 13). » Unde et de sancta Ecclesia in Proverbiis dicitur : « Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum. Sindonem fecit et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo (*Prov.* XXXI, 14, 24). » Negotiator ergo est Christus et sui; negotiator Antichristus sui; cur per Ezechielem Dominus sub specie regis Tyri dicit : « Tu cherub protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti; perfectus in viis tuis a die negotiationis tuæ, repleta sunt interiora tua iniquitate (*Ezech.* XXVIII, 14, 15). » Et post parca : « In multitudine iniquitatum tuarum, et iniquitatum negotiationis tuæ, polluisti sanctificationem tuam (*Ibid.*, 18). » Cujus rubi etiam dixit : « In negotiatione tua repleta es, et glorificata nimis in corde maris, in aquis multis adduxerunt te remiges tui (*Ezech.* XXVII, 25, 26). » Patet ergo quia vita humana isthic non transigitur nisi negotiando. Sed fideles sub charactere Christi vendunt peritura bona, et emunt sempiterna. Infideles autem et ipsi sub charactere Antichristi vendunt peritura bona, et emunt sempiterna mala. Dant illi vitam suam temporalem, et accipiunt æternam; dant isti vitam suam temporalem, et accipiunt mortem sempiternam. Et illi quidem se et sua omnia vendunt, et centuplicata cum pleno fenore vitæ æternæ recipiunt; isti vero se et sua omnia vendunt, et nil eorum, nisi mortis æternæ accumulatum fœnus, postea reperiunt; quorum negotiis nemo militans Deo se implicabit (*II Tim.* II, 4). Perfidia enim sive impietas generalis character est illis omnibus, paganis scilicet, Judæis, hæreticis, tanquam filiis alienis et Deo mentitis. Sed quid est quod horum impiorum pars characterem crucis in dextera manu et fronte portat? Ergone hoc charactere imputabuntur inter negotiatores Christi? Nonne fures sunt et latrones? Cujus ergo crucem pro charactere suæ perfidiæ præferunt? Procul dubio illius blasphemi et procacis latronis, qui per crucifixum Filium suum, scilicet latronem, Domino secum crucifixo procaciter convitiabatur. Sed quid est quod latrones isti characterem crucis sic exhibent ut Christi nomen invocent? Non mirum, quia hoc ad Christi nostri improperium et dispendium, et ad sui latronis gloriam et compendium faciunt. Nam illorum complex et condiscipulus, quamvis dicit Deo : « Si Filius Dei es, salvum fac temetipsum, et nos (*Luc.* XXIII, 39), » omnipotentiæ Christi insultabat et detrahebat, atque inimicis ejus materiam subsannandi præbebat. Cui improperando pœnam crucis, et quia par latronibus esset, nec præsentem, nec futuram confusionem suam, ex confusione Christi, protervus ille, felle draconis ebrius, sentiebat. Quem socius quondam suus dum increpat (*Ibid.*, 40), et Christum Regem et Dominum, etiam in cruce morientem, corde credere et ore confiteri non dubitat, characterem latronis, cui additus erat, in Christi characterem commutat, sub quo ex pœna latronis mereatur triumphum martyris. Sic hæretici quidquid, quasi dextrum, agere videntur, aut habere præcipuum, totum Antichristi est negotium, ut puta per recognitionem characteris ejus, scilicet perfidiæ, dextera et fronte effectum, licet ipsi Antichristi suum Antichristum cum Judæis vocitent Christum.

CAPUT XLIII.

Quo charactere Simoniaci noscantur esse Antichristi.

Ut ergo Ariani hoc charactere Antichristi esse noscuntur, quod prædicant Filium Patre minorem, et Spiritum sanctum utroque; sic et Simoniaci

Digitized by Google

nihilominus hoc charactere Antichristi esse noscuntur, quo Spiritum sanctum, ut putatur, vendunt et emunt, aut vendi et emi posse credunt et dicunt. Qui non solum occulte sicut alii hæretici sub Antichristo negotiantur, sed insuper aperte et sæculariter tanquam vile mancipium Spiritum sanctum venalem proponunt, et pretium sæculare pro eo paciscuntur et accipiunt. Quem non potest quisquam vendere aut emere, nisi charactere Antichristi hoc est perfidia notatus in dextera manu et in fronte, scilicet in suæ cogitationis et actionis principali parte, ut jugiter possit suo negotio Antichristum ditare. Unde et propheta Judæam plangens, ait: « Facti sunt hostes ejus in capite, inimici illius locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam (*Thren.* I, 5). » Sed et alius psaltem idoli arguens, inquit: « Cor insipiens adorabit illud, et non liberabit animam suam, neque dicet: Forte mendacium est in dextera mea (*Isai.* XLIV, 20). » Sed hoc negotium non perficitur, nisi ubi uterque, venditor scilicet atque emptor, characterem Antichristi præferre invenitur; quem, quia Petrus non habuit, vendere non potuit, licet Magus, charactere illo signatus, emere voluerit. Ubi attendendum a quanta imbecillitate hæresis hæc ad quantum roborem pervenerit. Primo enim venditorem non invenit, deinde, longo post tempore, venditorem quidem reperit, sed qui solius emptoris, et non alterius, pretium quæsivit. Hinc jam venditor ab emptore non solum suam et suorum, sed insuper ecclesiasticam pecuniam non erubescit omnimodis exigere. Hei mihi! contigit me ab his qui inferunt tam horrendum facinus cognovisse, videlicet post pretiosa marmora parietum et emblematum basilicarum pro hoc negotio distracta, etiam tegulas, tectis earum cogente et jubente venditore direptas, ut sibi a miserrimo emptore, jam sero super tale factum lamentante, promissi pretii summa persolveretur. Dicat, si quis valet, quænam hæresis aliquando tantam desolationem Ecclesiis Dei machinata est quantam hæc. Et prædicatur a sapientibus mitius agendum cum Simoniacis quam actum sit cum aliis, et temperandam eis severitatem canonum plusquam Novatianis, erga quos clementiorem et remissiorem catholica se ostendit? Parcatur, volo, lupis, furibus et latronibus, si ipsi aliquando pepercerunt, aut parcunt ovibus, aut si eas aliquando rapiunt vel furantur, ne mactent et perdant. Permittantur impune crescere, et filios procreare, sed provideatur an pusillo gregi agnorum hoc expediat. Coquatur hædus in lacte matris suæ, Domino etiam vetante (*Exod.* XXIII, 19), sed caveatur ne sic fiat hircus multandus irrevocabili maledictione. Suspendantur a morbidis ovibus chirurgica ferramenta, scabiosis costis earum sal mordax, acetum, et sulphura viva, sed videatur ne paulatim serpant in omni dira contagia. Parcatur quoque sacrilegis, quibus leges nullæ parcunt, sed caveatur ne hæc erga eos pietas sit in Deum et in suos impietas, et pia loca, si quid eis superest, amittant. Parcatur fratricidæ Cain, si ipse etiam admonitus a fratricidio quievit. Parcatur homicidis, si non ad mortem peccaverint. Parcatur raptoribus, si non solum rapere desierint, sed si rapta quoque, quæ adhuc sibi violenter retinent, rite restituerint.

CAPUT XLIV.

Quam sint rei Ecclesiæ Simoniaci, et de numero nominis Christi.

O quot et quantorum fratricidarum et homicidarum, præ cæteris hæreticis, Simoniaci habentur rei, qui, excepta plebeia manu, tot catervas domesticorum Dei, scilicet clericorum, monachorum et sanctimonialium quotidie occidunt cum sacrilegio immani! Quorum stipendia dum sæcularibus vendendo et donando alienant, et corpora eorum intolerabili inedia rerumque omnium penuria interficiunt, et animas nihilominus ad peccata quibus moriuntur cogunt. Ubi enim cælibem et spiritualem vitam ducturi, nil sui stipendii, qui subsistant, sibi relictum sentiunt, ad sæcularium hominum suffragia coacti refugiunt; quibus necesse est animas subjugare cogantur, dum corpora relevare conantur. O quot pauperes, viduas et orphanos stipe ecclesiastica alendos, necaverunt! O quot pia loca destruxerunt, ubi debitam pauperibus et ecclesiis portionem decimarum et oblationum perpetuo sæcularibus vendiderunt, aut donarunt! Unde jam necesse est ut contra Christianæ militiæ privilegium suis stipendiis militet quisquis militare Christo volet. Inde est quod, nec clericos, nec monachos, aut sanctimoniales quisquam ad regulare propositum cogere aut libera fronte provocare audet, nisi secundum uniuscujusque eorum voluntatem. Sed hinc jam breviter de numero nominis bestiæ hoc intimemus, quod sicut nomen Christi nostri, qui est Jesus, Græcis elementis consideratum, 888 exprimit, sic et Antichristi nomen 666 qui calculus in plerisque Græcis dictionibus, Græce consideratis, invenitur, ex quibus est Teitan, qui apud nos scribitur Titan, cujus pluralis est Titanes, qui intelliguntur gigantes, quondam fabulose aggressi expugnare cœlites; et solis, qui respuisse dicitur prius complices; unde adhuc sol dicitur Titan; qui et Apollon Græce, id est *Perdens* dicitur, quod fervore suo omnem succum virentium decoquendo perdat herbarum.

Quo nomine regem abyssi Apocalypsis nominat, qui, ut ibidem subjungitur, Latine habet nomen Exterminans (*Apoc.* IX, 21), cujus derivatum Græcum ἀπολλύειν, quod significat *perditionem*. Si consideres nihilominus 666 reperies. Sive ergo gigantem sive perditionem Antichristum nomines, nil obest, quia et gigas est, qui Deo adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur (*II Thess.* II, 4), et perditio est, quia homo peccati et filius perditionis est (*Joan.* XVII, 12), qui, quamvis salutem omnibus promittat, nec semet salvat, ut

Digitized by Google

Psalmista clamat : « Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ (*Psal.* XXXII, 16). » Ante quem retrorsum quoque accingendus, velut ante contrariam sibi fortitudinem gigas ille accinctus præliatur, de qua et Psalmista testatur : « Exsultavit ut gigas ad currendam viam (*Psal.* XVIII, 6). » Cui B. Ambrosius succinens ait : Procedit de thalamo suo, pudoris aula regia geminæ, gigas substantiæ alacris, ut currat viam. Cujus gratia sicut nos salvamur videndo, sic et priores patres nostri salvari meruerunt sperando, dicente Petro apostolo : « Per gratiam Jesu Christi credimus salvari quemadmodum et illi (*Act.* XV, 11); » quem sub nomine futuræ salutis in octonario numero illi præferebant, velut Noe octavus in arca, et Abraham in circumcisione Isaac die octava. Quem et nos, sub nomine exhibitæ, et exhibendæ salutis, in eodem retinemus numero. Per resurrectionem ejus factam die octavo, et per adventum Spiritus ejus ab ipsa resurrectione octavæ septimanarum die primo, credentes nos per octonarium numerum Jesum nunc in animabus resurgere, et in corporibus in novissimo die. Qui non frustra eo numero significatur quo senarius et septenarius continetur, ut, instar Conditoris mundi, demonstret, post perfectionem bonorum operum, tanquam post senarium, nos septenarium quietis animarum habituros, tandemque resurrectionis etiam corporum octonarium percepturos.

CAPUT XLV.

De numero nominis Antichristi.

Unde et Antichristus, ut nihil minus quam diabolus credatur, quantum potest mysterium Jesu Christi, seu fallendi peritissimus, ad se signis et numeris retorquere conatur, abusus etiam illius nominibus, ut et ipse dicatur Messias, vel Christus, Gigas, vel Fortis, cum vere sit filius perditionis, qui venit omnia perdere, quæ Dominus Jesus, secundum nomen suum, venerat quærere et salvare, quia perierant. Ad cujus injuriam atque suarum tenebrarum dissimulationem, Titan, vel Apollo, quasi Sol nominari affectat, ut putetur principalis ille Sol, quem sic Malachias prænuntiat : « Vobis qui timetis nomen meum orietur Sol justitiæ (*Malac.* IV, 2); » cum sit omnino mancipium piceæ sulphureæque gehennæ, rebellis incommutabili soli, et perdens omnem virorem et germen fidei. Quique ex nefando incesto clam concipiendus et nasciturus, in ipsa sua conceptione ab ipso principe tenebrarum arripiendus, et in filium adoptandus et habendus, ut ejus potentia signisque mendacibus prima spes nostra virginis hominis, scilicet sanctissimæ Mariæ partus, evacuetur, dicaturque et habeatur hic manzer, vice illius Filius hominis, qui tamen longe illo superior et potentior sit. Et hæc omnia et multis his plura finget, ut Regis nostri humilitatem superbia, pietatem impietate, clementiam crudelitate, veritatem mendacio subvertat, per quas clam suas tergiversationes, quibus, A quia nonnulla verisimilitudo inerit, facilius sibi incautos subjugabit. Ob hoc, numerum sui nominis numero nominis Jesu Christi coæquare frustra laboret, quia eidem non appropinquat. Nam licet senarium sibi usurpet, septenario et octonario caret. Per quod prudentibus claret Antichristum et sucs nonnisi perfectionem malorum operum, nec ad septenarium quietis animarum, nec ad octonarium resurrectionis corporum, nisi in mortem secundam pertingere posse, quia præter visibilis et temporalis operationis suæ senarium, nil sibi curant mercedis reponere in futurum. Hæc ideirco de signis et charactere Antichristi numeroque nominis ejus forsan diffusius necessario discurrimus, ne quis, insidiarum ejus et secretæ iniquitatis ignarus, suspicetur in B fine mundi ab illo aut mortuos ad vitam suscitandos, aut charactere illius visibili homines in dextera, et in fronte inurendos, aut numero nominis ejus inscribendos, et frustra jactet se talia nullo sui corporis cruciatu accepturum, si tunc advixerit, cum forte jam ultroneus his omnibus se subjecerit. Heu ! quot et quanti tempora Antichristi non viderunt, et tamen in corpore ejus sunt, qui quanto plures et fortiores sibi inviscerat quanto callidius malitiam suam eis occultat. Avidius enim venenum potatur quam nobile vinum ; non solum ex pretioso poculo, sed etiam ex colore putatur.

CAPUT XLVI.

Qualiter Satanas profanam trinitatem contra divinam exstruat.

C Quapropter antiquus draco, semper cupidus et fingendi peritus, inter tot et tanta, quæ cum attentare et simulare superius monstratur, etiam hoc omnimodis efficere conatur ut, secundum quod tres sunt qui testimonium dant veritati in cœlo, et tres qui in terra (*I Joan.* V, 7, 8), sic et ipse e contrario tres, qui suæ falsitati testimonium dent in hoc turbido, quem adhuc permittitur occupari aere, transfigurat, et tres qui in terra. Ad hoc enim ejus superbia prorupit ut jam eotenus similis Altissimo fieri quærat, ut tamen supra omne quod dicitur aut quod colitur sese extollat (*II Thess.* II, 4). Unde rebellis Deo contra beatam et individuam ejus Trinitatem, constituit suam altrinsecus abominationem, se D videlicet atque Antichristum suum et pseudoprophetam amborum, ut ipse Pater mendacii Patri veritatis, et Antichristus Christo, seu mendacium veritati, atque pseudoprophetam, velut conspiratio mendacis et mendacii Spiritui veraci et veritatis resistat. Qui nihilominus, pariter contra tres qui testimonium dant veritati in terra, tres ex suo ore spiritus immundos in modum ranarum evomunt, qui polluant, invadant et vendant quos aqua abluit, Spiritus imbuit, sanguisque Christi redemit. Qui sane spiritus immundi ranis non incongrue æquiparantur, quæ limpidas et fluentes aquas devitant, et limosas paludes affectant, in quibus improba et incondita garrulitate concrepant, et suam generationem multiplicant et

Digitized by Google

educant. In quibus non invenis ubi deambulaturus et requieturus figaris, sed ubi polluendus et absorbendus infigaris; in quibus nil aliud procreatur, nisi nebulæ, fetores, acutæ catrices, cannæque palustres, et scirpi, venenosi serpentes, et perniciosi vermes atque steriles arbores. Talis quippe reprobrorum multitudo quæ, velut stativa et amara aqua, terram, prius aridam et hominibus habitabilem, in paludes squalidas et invias vertit. In quibus jam nil non debitum igni inexstinguibili invenitur. In quibus jam nil, nisi inepta et contentiosa carnalium et garrulorum loquacitas, ebrietatem suam defendentium et sobrietatem spiritualium, et taciturnorum sua improbitate iniquietantium auditur, quales sunt poetæ et philosophi gentilium, fabulatores Judæorum atque hæreticorum qui, velut lutulentæ ranæ in limosis paludibus, nænias suas irrationabiliter et pertinaciter declamant; quibus utique principantur, et carmina inspirant tres illorum auctores, gentilibus videlicet Satanas, Judæis Antichristus; hæreticis autem pseudopropheta.

His enim tribus diabolus sibi tres sectas totius generis humani venari, aucupari, et piscari molitur, et per se quidem tanquam Vehemoth gentiles, per Antichristum tanquam per avem Judæos, per pseudoprophetam tanquam per Leviathan Christianos. Ex quibus quotquot capiuntur ad aquas furtivas tanquam vecordes retrahuntur, quia aut sapientia sæculari, aut felicitate temporali, seu nomine Christiano, seducuntur. Quorum tertius tanto est perniciosior quanto geminæ aquæ, sapientiæ scilicet atque baptismi, præ illis professor. Quod ex hoc quoque innuitur quod a tempore illius draco et bestia prima velut feriati in Apocalypsi videntur. Gentilibus siquidem ab initio a diabolo possessis, et Judæis ab Antichristo pervasis, draco et bestia jam securi otiantur, quia solus pseudopropheta seducendis sibique subjugandis Christianis posse prævalere non dubitat. Ab his tribus spiritibus immundis ædificata Babylon de trium professionum hominibus datur a Domino, ut propheta ait, in possessionem ericii illius, qui in veritate non stetit, et in paludes aquarum, scilicet in cœtus profanarum turbarum, quarum mentes errorum nebulæ corpora autem omnimodæ libidinis fetores possident (*Isai.* XIV, 23). In quibus nil nisi intractabilis ira, et vana pompa, hypocrisisque et insidiæ, hebetudo quoque, atque sterilis et proterva verbositas procreantur, inter quæ et « sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes : Affer, affer (*Prov.* XXX, 15). » Avaritia enim exstat hirudo sævissima, non missura cutem nisi plenam cruoris. Cujus duæ sunt filiæ, cupiditas et rapina, quæ licet omnibus inhæreant carnalibus, tamen Simoniacis vivacius et manifestius. Isti enim non prætermittunt invicem sibi dicere : « Affer, affer, » verbi gratia, cupidus venditori emptor dicit : Da mihi invisibilem gratiam; rapax venditor emptori nihilominus dicit : Da mihi visibilem pecuniam; vel certe emptor dicit; Affer mihi Spiritum sanctum; venditor e contra : Affer mihi nummum sanum. Unde claret eos accolas paludum Babyloniæ esse, qui nil conferre possunt sine morsu, sine vulnere, sine sanguine. Qui nisi prius haustu alicujus erroris venenum innatæ sibi avaritiæ rejecerint, nonnisi pestem invitare norint.

CAPUT XLVII.

Quod nihil prosit hæreticis, nec ad fidei, nec ad salutis effectum, etiamsi grandibus vocibus catholicum decantent symbolum.

Pergant ergo nunc Simoniaci grandibusque vocibus confiteantur Jesum in carne venisse, cujus non satiantur corporis vexatione et dilaceratione, cujus pascuntur nece. Correcti et convicti obstinate et impudenter, ut eis moris est, recitent catholicum symbolum, omnibus, ut dicitur, novem instrumentis humanæ vocis conclament et proclament se credere in Jesum Christum Filium Dei unigenitum, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est, etc. Vociferentur quoque, si possint et malunt ferrea aut ænea voce, centenosque sonos pectora eorum anhelent, quibus profiteantur « se credere et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas; et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, » etc. Nonne supradictas plagas corpori Christi, quod est ejus Ecclesia, inferendo, negant eum in carne venisse? Nonne supradictas blasphemias, et injurias Spiritui sancto irrogando, negant eum Dominum et cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum, atque per prophetas locutum? Et quod negare prædicantur Novatiani, prædicandum est Simoniacos confiteri?

Quamvis enim Novatiani claris et magnis vocibus audiantur symbolum nostrum decantare, atque eidem subscribere, convincuntur tamen negare Jesum Christum in carne venisse, non quia sana membra ejus sauciant, sed quia saucia curari ab Ecclesia Dei posse desperant. Et quo modo audiendi sunt Simoniaci quandoque vociferantur se credere Jesum in carne venisse, aut Spiritum sanctum adorandum cum Patre et Filio, quia non solum sancta Christi membra non curant, sed sana quoque usque ad mortem sauciant? Verum, ut in comparatione Simoniacorum deprehendatur quanto sit tolerabilior hæresis Novatianorum, isthic ex Historia Tripartita putavimus inserendum quis et unde exstiterit error eorum. Postquam, inquit, scripta et subscripta est a concilio Nicæno fidei definitio, requisivit imperator Acesium, Novatianorum religionis episcopum « si et ipse consentiret in fide et paschalis definitione festivitatis. » At ille : « Nihil, inquit, novi, o imperator, synodus definivit. Sic enim olim et a temporibus apostolorum ipse percepi, et terminum fidei, et tempus paschalis festivitatis. » Porro denuo imperatore requirente : « Cur ergo a communione

Digitized by Google

separaris? » ille ea quæ sub Decio gesta sunt persecutionis tempore replicavit, et subtilitatem acerbissimæ regulæ deduxit ad medium quia, « non oporteat eos qui post baptisma peccant peccatum, quod ad mortem esse Scripturæ divinæ pronuntiant, communicatione sanctorum fieri dignos, sed invitandos quidem ad pœnitentiam, spem vero remissionis non a sacerdotibus, sed a Deo solummodo sustinere, qui potestatem habet peccata remittere. » Sed his hactenus. Hinc jam cum lectoris respirationi, tum scriptoris recreationi consultum ire cupientes, necessarium duximus ut hujus opusculi istic secundus figatur limes.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

I. *Contra eos qui dicunt se non consecrationem, sed res Ecclesiæ comparasse.*

II. *Comprobatio nil prodesse possessionem sine privilegio ejus.*

III. *De sententia Chalcedonensis concilii contra supradictos.*

IV. *De sanctificatione sanctificante res ecclesiasticas, subsequentibus inde sanctorum Patrum testimoniis.*

V. *Qualiter Simoniaci suo negotio expugnent Ecclesiam Dei, et quod pene omnes laici et clerici de Ecclesia quærant jugiter negotiari.*

VI. *De baculis et annulis per manus sæcularium potestatem datis.*

VII. *De tempore Otthonum et studio Henrici imperatoris, et de malitia regis Francorum.*

VIII. *De quadripartita venditione apud Latinos, et de magni Constantini devotione erga clericos.*

IX. *De differentia clericorum et laicorum, et de studio divi Gregorii in talibus.*

X. *Quanto liberior sit Græcorum Ecclesia, quam Latinorum a potestate laicorum.*

XI. *Qualiter et per quos ecclesiæ suis privilegiis privatæ sint.*

XII. *De præsumptione feminarum, et dignitate sacratarum rerum.*

XIII. *De dignitate sacerdotii veteris legis, et de præsumptione et pœna regum Juda et Israel.*

XIV. *De præsumptione Saulis et pœna.*

XV. *Quanta flagella premant principes cum populis pro præsumptione sacerdotalis officii.*

XVI. *De studio sanctorum regum erga divinum cultum, et remuneratione, et peccato, et vindicta plebium.*

XVII. *De meritis Israelis et Judæ in typo hæreticorum et catholicorum.*

XVIII. *De differentia sacerdotii catholicorum et hæreticorum, et de primitiis Simoniacorum.*

XIX. *Qualiter et ipsi sacerdotes sub lege communionem impiorum vitaverint, et ab eis contaminata qualiter purificaverint.*

XX. *De periculo sacerdotum, et indisciplinata ambitione clericorum nostri temporis.*

XXI. *De præcipuo malo Italiæ, et de quodam vano episcopo, et officio sacerdotum, et principum et plebium.*

XXII. *De novica taciturnitate sacerdotum, vel loquacitate adulatorum.*

XXIII. *De periculo male tacentium sacerdotum, et male loquentium, et de individuâ unitate divinitatis, et suorum.*

XXIV. *De exemplari individuæ Trinitatis in omnibus creaturis.*

XXV. *Quod individua sit sanctificatio ab his quæ sanctificat, et qualiter sanctificentur.*

XXVI. *De pœna divisorum, et quod Spiritum sanctum non accipiant, nisi sequaces fidei apostolorum.*

XXVII. *De Spiritus sancti gratia post Resurrectionem, et vindicta in Anania.*

XXVIII. *Quanta operatus sit, vel operetur idem Spiritus in Ecclesia usque in finem sæculi.*

XXIX. *Sententia sancti Augustini de animæ potentia, et retractato ex ea, et quales sint promoti a laicis, et metropolitani eorum.*

XXX. *Recapitulatio de depositione hæreticorum, et sententia Ezechielis in eos.*

XXXI. *De impropriis dictionibus in supradictis prophetæ, et beati Gregorii verbis subjunctis.*

XXXII. *De criminosis catholicis promotis, vel post lapsis, et de ministerio et depositione eorum.*

XXXIII. *De qualibuscunque promotis a Simoniacis, et repulsione objectionis adversariorum.*

XXXIV. *Argumenta ex mundanis legibus contra promoventes, vel promotos Simoniacos.*

XXXV. *Replicatio sententiæ Domini de bonis pastoribus, et mercenariis.*

XXXVI. *De mercede mercenariorum, et promotione eorum.*

XXXVII. *De eo quod catholici nullum pro crimine promoveant, et quod Simoniaci pro solo crimine omnem.*

XXXVIII. *In quo audiendi sunt mercenarii, et in quo non attendendi.*

XXXIX. *De malis scienter et nescienter promeritis, et de ministerio eorum sententia Paschasii.*

XL. *De furibus Simoniacis, et qualiter ovile intrent.*

XLI. *Qualiter Simoniaci imitentur sæculi fures, et quæ sit eorum vox, quam non audiunt oves.*

XLII. *Quanta vigilantia oves furibus debeant obsistere, ingressis ovile.*

XLIII. *De differentia mercenariorum et furum, et quod hæretici non sint a catholicis tolerandi, sicut male viventes catholici.*

XLIV. *Exemplis propositis ostenditur hæreticos, nec*

Digitized by Google

ad horam a catholicis antiquis toleratos, et mercenarios toleratos.

XLV. *De eo quod sanctus Gregorius adhuc diaconus Eutichium devitavit, et quod sanctus Hieronymus non exspectandum in eis publicum judicium asserit.*

XLVI. *De synodis censentibus qualiter hæretici sint reconciliandi, et de quartodecimanorum aliqua excusatione.*

XLVII. *De libellis protestationum, et potestate eorum.*

XLVIII. *De constantia aliquorum catholicorum ne cederent vel acquiescerent hæreticis.*

XLIX. *De beato Joanne episcopo tentato quidem, sed custodito, ne venderet gratiam, et de admonitione ejus contra hæreticos.*

L. *De cautela B. Antonii et visione ejus, et de vigilantia B. Hieronymi.*

LI. *De duabus generationibus Cain et Abel usque in finem mundi, secundum dicta Chrysostomi.*

LII. *De reprobatione communionis et baptismatis, et ordinationis eorum, et de non retractanda damnatione eorum secundum sententiam papæ Felicis ad Zenonem et Acacium.*

LIII. *Compendiosa retractatio superiorum, et quod hæretici jure mulis comparentur.*

Expliciunt capitula.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Contra eos qui dicunt se non consecrationem, sed res Ecclesiæ comparasse.

Sicut in rerum natura nihil rotunda et aperta veritate solidius, et potius, sic nihil angulosa et latebrosa falsitate inanius et pejus. Tanta est enim veritatis evidentia simul et efficacia ut sicut lux vera non solum omnium oculos feriat, sed etiam in tenebris luceat. E contrario tanta est falsificatis obscuritas, simul et imbecillitas, ut veritatem, qua comprehenditur et penetratur, nec comprehendat nec sentiat. Quam homines ex justa damnatione incurrisse ipse auctor veritatis, Veritas in Evangelio sic voluit ostendere: « Hoc est judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum mala opera. Omnis qui male agit odit lucem, et non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta (*Joan.* III, 19-21). » Ac si diceret: Medicus venit in mundum, omnem hominem invenit ægrotum. Quorum quidam, magis eligentes infirmi remanere quam medicum adeundo infirmi apparere, falsitatem fecere. Quidam, magis eligentes infirmi apparere quam infirmi remanere, medicum adeundo veritatem fecere. Sive ergo illi, sive isti pariter habebantur infirmi. Sed illorum opera erant mala per superbiam medico repugnantium et infirmitatem suam negantium. Istorum autem bona per humilitatem medico cedentium et infirmitatem suam confitentium. Quod plane judicio deprehenditur etiam in Simoniacis, inque per manus eorum, ut dicitur, ordinatis, dum pars ipsorum sententiis sanctorum Patrum contra Simoniacos prolatis sapienter acquiescit, reatumque suum humiliter patefaciens, medelam competentem exposcit; pars autem insipienter resultans, culpam suam superbe defendit, medelaque se non egere contendit. Nec mirum, dum procul dubio ad generationem illam pertineat quæ, secundum Salomonem, munda sibi videtur, nec tamen lota a sordibus suis habetur (*Prov.* XXX, 12). Quæ dum suam falsitatem veritate exsuperari et confutari sentit, nebulis obtegere non desinit, mandatumque Dei propter suam adinventionem irritum facere contendit. Ex qua utique generatione, et illi erant quos in Evangelio Veritas confutat, dicens: « Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui dicitis: Si quis juraverit in templo, nihil est; qui autem juraverit in auro templi debet. Cæci, quid majus est auro, an templo quod sanctificat aurum? Et quicunque juraverit in altari nihil est, qui autem juraverit in dono, quod est super illud debet. Cæci, quid majus est donum, an altare quod sanctificat donum? » (*Matth.* XXIII, 16-19.) Nec injuria cæci et hypocritæ dicuntur, quoniam legi divinæ attestanti: « Quicunque tetigerit templum et altare sanctificabitur (*Exod.* XXIX, 37), » sic adversantur ut impudenter persuadere quærant sanctificantem nihil esse, sed sola sanctificata pensari et attendi debere. Quorum sequaces nunc Simoniaci dum redarguuntur de sanctificatione, sive de sanctificatore hominum Spiritu sancto negotiari, ad aliud falsitatis suæ angulum refugiunt, indeque has supervacuas excusationum nebulas evomunt. Absit ut mercenarius consecrationem ecclesiasticam, sed solam possessionem ecclesiasticam, ac si præpostero vestigio callem Pharisæorum terentes, astruere contendant solum sanctificatorem honorari debere, sanctificata autem nihil esse! Adversus quos, quia superiori narratione sanctificatorem defendere pro viribus laboravimus, nunc defensum ire sanctificata, producere eodem Spiritu sancto, aggrediamur.

Et primo illud quale sit eventiletur, quo pars præfatorum negotiatorum se quidem palliare et defendere, hæresem suam aut statuere et confirmare conatur, asserendo se minime invisibilem Spiritus sancti gratiam, sed visibiles ecclesiarum res tantum pretio comparasse: quia contigit eos consecrationem a metropolitano gratis accepisse. Quod non assererent, si saltem scintillam alicujus prudentiæ, seu frontem alicujus verecundiæ haberent. Sed quia nec sapiunt, nec erubescunt ad excusandas excusationes in peccatis (*Psal.* CXL, 4.), ex foliis ficus cui maledixit Dominus perizomata brevia, et volatica, velut protoplasti, male consuunt, et a paradiso Dei cum anathemate ejiciendi pudo-

Digitized by Google

dis suis opponunt. Unde, quia hoc pallium mendacii eorum breve est, utrumque operiri non potest, quoniam, si eo caput coopertum iri tentant, pedes mox nudant. Quod si pedes cooperiunt, caput simul discooperiunt. Aut enim ex initio aut ex fine actio seu intentio eorum denudatur. Si enim solum patrimonium, seu censum Ecclesiæ comparare voluerunt, quare nec mora post venditionem et emptionem sedem episcopi et auctoritatem ejus etiam non consecrati invadunt? Cur de inferiori ad superiorem gradum prosiliunt? Cur episcopale judicium, et consilium super delinquentes proferunt? quo debito consecrationem, canonice electis ad episcopatum dandam, expetunt, nisi quia possessionem ecclesiasticam retentant, quam prius coemerunt, nec quemquam super se ecclesiam occupaturum confidunt? Qui si ad hoc tantum ecclesiasticas facultates comparant ut eis utantur, quare non contenti earum usu, insuper benedictionem, quam se non comparasse dicunt, impudenter exigunt? sed fortes, quod non puto, dicent se, quando prædia ecclesiastica emerunt, nescisse se ob hoc etiam consecrandos, sed tanquam laicos quæ emerant putasse possessuros. Monstrent ergo omnibus se tunc nescisse, et cessent episcopalem gratiam exigere; quam, pretium dando pro rebus ecclesiasticis, nec cogitabant, nec exigebant. Et quamvis cum sacrilegio habeant sola quæ comparaverunt, nec sibi inde justitiam episcopis debitam præsumant, sed, sicut laici, non solum ex beneficiis, sed etiam ex prædiis sui quidquid episcoporum persolvant. Demittant alii accipere consecrationem, episcopalem auctoritatem, animarum procurationem, quæ procul dubio spiritualia sunt, et invisibilis gratiæ. Sed recognoscunt quod utique, antequam negotiarentur, cognoverunt ad episcopos res ecclesiarum pertinere, et se illas aliter non posse retinere, nisi sub episcopali habitu et nomine, consecrationem quam in aliis ecclesiarum bonis prius emerunt, velut sibi jure debitam requirunt. Nonne, cum quis laicus fundos, aut lacus comparat, pariter quoque quidquid sibi inde gratis proveniet comparat? Nonne etiam ipsam culturam, qua possessionem exercet, comparat?

CAPUT II.

Comprobatio nil prodesse possessionem sine privilegio ejus.

Si enim culturam ipsam, imo licentiam habendi et colendi non comparat, possessio comparata quid commodi ei præstat? Videtur enim nil aliud quam suæ pecuniæ jacturam voluisse facere, et insuper suæ personæ, et suis acerbas injurias, et
emisse; quandocunque præsumet exercere culturam, quam in comparato fundo non comparavit. Qua ex re constat omnimodis nullum potentum imo nullum hominum comparare in rebus verisimilibus, nisi quod videtur, verbi gratia, comparat quis numerosas urbes, provincias, regna. Quid in his comparavit, nisi licentiam habendi et dominandi? Ad minora veniatur. Comparat quis equum; quid in eo comparat, nisi licentiam habendi, equitandi, et faciendi inde quid vult? Aliter enim quilibet quid comparat? Constat ergo nil, nisi licentiam vel usum rerum quæ veneunt, comparari. Quamobrem desinant Simoniaci latrones damnationis suæ patibulum dealbare; imo quia parricidæ et fratricidæ sunt, culeum, quo insuendi et puniendi sunt, cessent frustra supergere, et tandem vel sero discant se non possessiones ecclesiasticas, sed solam licentiam possidendi comparasse. Quæ licentia benedictio est episcopalis, tanquam privilegium possessionis. Certe sicubi locorum edictum sic proponeretur, ut in prætermissis observaretur, ne quid videlicet sine subscriptione regiæ manus a quo inibi possideretur, quid dicendus esset aliquis eorum jure comparasse nisi solam subscriptionem regiam, sive gratis sive non gratis eam consequeretur? Neque enim sine illa licentia juri ejus cederet possessio, quamvis comparata.

Itaque principalius licentia, sive gratuita, sive empta, dominum possessionis in alterum translegat quam possessio concessa vel empta licentiam. Sic episcopalis dignitas potius possessionem, quam possessio episcopalem dignitatem sibi vindicat. Et tamen tale est episcopale officium ut sine his, quibus debet impendi, vel adhiberi, non sit officium, velut si quis dicatur habere licentiam agrum colendi, et ei ager quem colat desit. Nonne ea licentia supervacua est et nulla? Pari exemplo episcopus, qui *superintendens* dicitur, nullus erit, si ei defuerit quibus superintendat. Et quid plura? Quidquid inseparabiliter continetur a quolibet, neutrum eorum sine altero vendi et comparari valet. Continet autem episcopalis dignitas res Deo sacratas; continetur quoque ab eis, imo in eis, ut puta et ipsa a Deo consecrata, ac si quodlibet subjectum sic sua accidentia contineat ut id quoque ab ipsis principalius contineatur. Unde sicut in omnibus rebus visibilibus quandocunque venduntur, non tantum ipsarum visibilis materia, quantum substantialiter et accidentia, quæ utique per se visibilia sunt venduntur, licet neutrum sine altero vendi patiatur; sic et in rebus Deo consecratis, in quibus magis consecratio, eorum vel sanctificatio, quæ est Spiritus sancti gratia per se quidem invisibilis venditur, licet quoque ipsæ res vendantur. Denique, verbi gratia, qui arborem comparat, magis ei comparat ejus formam, scilicet proceritatem, grossitudinem, et, ut breviter dicatur, quantitatem ejus et qualitatem, quæ per se sunt invisibilia, quam subjectam sensibus per formas materiam. Sic qui equum, sic qui fundum et quæcunque hujusmodi sunt.

CAPUT III.

De sententia Chalcedonensis concilii contra supradictos.

Sed jam multifariam deprehensi et confutati asseclæ Simonis Magi, frivolas technas, quibus larvas naturales et veras facies suas obtegendo quoscunque possunt impune derident et deludunt, deponant,

Digitized by Google

et aut résipiscant, aut soli pereant, sensuri quia delusores Deus illudet. Quos licet præcedentibus humanæ scientiæ argumentationibus quæsierimus arguere, habemus tamen in promptu divinas sanctorum Patrum sententias, quæ solæ sufficiunt ora eorum oppilare, et tergiversationem sistere. Siquidem sancta et universalis synodus Chalcedonensis (c. 2) unanimi consensu eamdem super œconomum, id est dispensatorem per pecunias promotum sententiam intentavit, quam super episcopum vel presbyterum, cæterosque ministros clericalis ordinis, scilicet ut promotor deponatur, et promotus alienus sit a sollicitudine, quam pecuniis quæsivit, et mediatores tam turpis ac nefandi dati, et accepti, si clerici fuerint, deponantur. Si vero laici aut monachi anathematizentur, putasne, sentis, Simoniace, pallium tuum cœlesti tibi flamine decussum, teque nudum sub hiemalibus superno fulmini relictum? sentisne sexcentorum triginta Patrum trabalibus telis confossus, quid comparando sollicitudinem vel dispensationem ecclesiasticam habeas minus illis, qui ipsam quoque consecrationem compararunt? Ecce œconomus res ecclesiasticas dispensare, non autem consecrari pretio quæsivit, neque enim œconomus consecratur, et tamen si pretio promovetur, nihilominus damnationem incurrit quam episcopus aut presbyter pretio promotus. Cur hoc, nisi quia non solum in maximis, sed etiam in minimis ecclesiasticæ procurationis officiis Spiritus sanctus operatur? Quod experimento noverat ille dispensator fidelis, qui dicebat : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei; hic jam quæritur inter dispensatores quis inveniatur (*I Cor.* IV, 1, 2). » Denique de spiritualibus nolens ignorare Corinthios, ait : « Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, et divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus (*I Cor.* XII, 4-6). » Qui mox secundum quod in tertium cœlum raptus novem cœlestium agminum ordines conspexerat, novem quoque gratiarum distributionibus in hoc nostro regno cœlorum, id est in præsenti Ecclesia enumeratis, subjunxit : « Hæc omnia operatur unus ac idem Spiritus, dividens singulis, prout vult (*I Cor.* XII, 11). » Et considera quod Apostolus qui prius sub ternario numero spirituales gratias comprehenderat, mox eas in novenarium dilatat, significans quod, instar beatæ Trinitatis, tres tantum diversitates hominum in hujus temporis Ecclesia faveniantur, doctorum scilicet, continentium et conjugatorum. Quæ tamen tres, si pro officiorum diversitate, velut personaliter, considerentur, novem procul dubio in hac Ecclesia diversitates hominum, cœlestis militiæ instar, reperiuntur, secundum quod venerabilis Pater Dionysius Areopagita subtiliter et sufficienter in suis scriptis De cœlesti hierarchia attestatur.

A

CAPUT IV

De sanctificatione sanctificante res ecclesiasticas, subsequentibus inde sanctorum Patrum testimoniis.

Unde non mirum si dispensator cujuscunque, quantulæcunque rei ecclesiasticæ per pecuniam promotus, etiamsi non consecretur, damnatur ab ecclesiasticis regulis cum suis auctoribus et mediatoribus, ac si consecraretur, quia necesse est sancta siat quæcunque sanctuarii et altaris famulantur, et debentur usibus. Quod si sancta sunt, sicut vere sunt, necesse est sanctitatem et sanctificationem in se habeant, quia sancta sunt. Sanctitas autem, vel sanctificatio nec est, nec esse potest sine Spiritu B sancto, imo ipsa est Spiritus sanctus, velut quisquis sapiens vel castus est, necesse est sapientiam vel castitatem in se habeat, quia sapiens vel castus est. Itaque constat sanctificationem vel sanctitatem, scilicet Spiritum sanctum, sanctificatis, vel sanctis rebus, aut personis inesse. Quapropter quicunque stipendium vel beneficium ecclesiasticum vendit aut emit, Spiritum sanctum procul dubio vendit aut emit, non ut ipse Spiritus sanctus in re, aut cum re vendita aut empta habeatur, sed ut ab ea, quam sanctificabat, offensus effugetur, et ab immundo spiritu polluenda pervadatur, juxta quod per Malachiam dicitur : « Contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit (*Malac.* II, 11). » Neque enim sanctificatio contaminari potest, sed metonymicos pro eo quod continet, id quod continetur C contaminari dicitur : Ubi res ea quam hactenus sanctificabat qualiter dictum est contaminat. Pro talibus quandiu non resipuerint, nec orandum sanctus Hieronymus super eumdem prophetam sic aperte ostendit : « Quia igitur hoc fecerunt, prophetæ ad eos sermo dirigitur, et a peccato maledictionibus retrahuntur. Nec dixit : Maledicat Dominus ei qui fecit hoc, sed qui fecerit, in futurum tendens maledictionem, ut peccatores ad pœnitentiam provocentur. Doctorem inquit, atque discipulum; sive ille sacerdos sit, sive levites, una maledictione ferientur. Et offerentem munus Domino exercituum, subauditur : Disperdat Dominus eum, qui pro hujusmodi hominibus voluerit ad altare D munus offerre, quorum solum remedium est non facere quæ fecerunt. »

In qua tamen docti viri stricta quidem sed districta sententia, animadvertant quid mereantur qui res Deo sanctificatas contaminant, dum ex illis sibi negotiantur Per quorum negotium fit sæculare quod sacrum est, ut beatus Gregorius edocet. Unde quia sacra legunt, id est furantur, merito sacrilegi dicuntur. Furantur enim sanctificationem, dum illam, subtractis rebus vel invasis quas sanctificabat, tanta fraude subtrahunt et auferunt ut, velut incautus homo, furtum passus affectent se ecclesiastica affectatione divites, nihil ejus jam habentes. Quos

Digitized by Google

utique sacrilegos cavendos, (19) Pius, apostolicæ sedis pontifex, ita denuntiat, dicens (*epist.* 2.) : Ab « omnibus illius usurpationibus contumelia depellenda est, ne prædia sibi secretorum cœlestium dicata a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis præsumpserit, sacrilegus habeatur, et sicut sacrilegus judicetur. Ipsos autem qui hoc agunt, clericos et Domini sacerdotes persequi eosque infamare audivimus, ut malum super malum addant, et deteriores fiant, non intelligentes quod Ecclesia Dei in sacerdotibus consistit, et crescit in templum Dei. Et sicut qui ecclesiam Dei vastat, ejus prædia, et donaria exspoliat et invadit, fit sacrilegus, sicque qui ejus sacerdotes insequitur sacrilegii reus existit, et sacrilegus judicatur. » Et beatus papa Urbanus (*epist.* n. 2) : « Ecclesiasticæ res, inquit, fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo in aliis usibus quam ecclesiasticis, et fratrum Christianorum communem vitam degere volentium, vel indigentium converti, quia vota sunt fidelium, et pretia peccatorum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ. Si quis autem, quod absit! secus egerit, videat ne damnationem Ananiæ et Saphiræ percipiat, et reus sacrilegii efficiatur, sicut et illi qui prædictarum rerum pretium fraudaverunt. » Et post pauca : « Hæc, fratres, valde cavenda sunt et timenda, quia res ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes, et Domino oblatæ cum summo timore non in alios, quam in præfatos usus sunt fideliter dispensandæ, ne sacrilegii reatum incurrant qui eas inde abstrahunt ubi traditæ sunt, et quod pejus est anathema maranatha fiant, et si non corpore, ut Anania et Saphira fecerunt, qui mortui ceciderunt (*Act.* v); anima tamen quæ potior est corpore mortua alienata a consortio fidelium cadat, et in profundum barathri labatur. Hoc enim si quis fecerit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure promenda est, perpetua damnatur infamia, et carceri traditur, aut in exsilio perpetuæ deportationis truditur; quoniam, juxta Apostolum, tradi oportet hujusmodi hominem Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini (*I Cor.* v, 5). »

Beatus quoque Lucius papa sic (*epist.* n. 6) : « Res ecclesiarum vestrarum, inquit, et oblationes fidelium, quam significatis a quibusdam irruentibus vexari, vobisque et ecclesiis vestris auferri, indubitanter maximum est peccatum, teste Scriptura, quæ ait : Qui abstulerit aliquid patri vel matri, et dicit hoc non est peccatum, homicidæ particeps est. Pater ergo noster sine dubio Deus est, qui nos creavit, et mater nostra Ecclesia quæ nos in baptismo spiritualiter generavit. Et ideo qui Christi pecunias et Ecclesiæ aufert, fraudat, et rapit, homicida in conspectu justi Judicis esse reputabitur. Unde scriptum est : Qui rapit pecuniam proximi sui iniquitatem facit. Qui autem pecunias vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Unde et Judas qui pecuniam fraudavit, quæ usibus ecclesiæ id est pauperibus, quos Ecclesia pascere debet, destinabatur, jussu Salvatoris, cujus episcopi vicem tenent, non solum fur et sacrilegus effectus est. De talibus enim, id est qui facultates Ecclesiæ rapiunt, fraudant, vel auferunt, Dominus comminans omnibus per Prophetam loquitur, dicens : « Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris, Deus. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput, » etc., usque in finem psalmi (*Psal.* LXXXII, 2). Hæc fieri prophetæ, hæc apostoli, hæc successores eorum omnium catholicorum Patrum vetant decreta, et tales præsumptiones sacrilegia esse dijudicant. Quorum nos sequentes exempla, omnes tales præsumptores, Ecclesiæ raptores atque suarum voluptatum alienatores, una vobisque a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ, anathematizandos apostolica auctoritate, repellimus, et damnamus, atque sacrilegos esse judicamus. Et non solum eos, sed omnes consentientes eis, quia non qui faciunt rei judicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt (*Rom.* I, 32). Par enim pœna, et agentes et consentientes apprehendit. » De quibus etiam beatus Stephanus papa et martyr ait : « Infames esse eas personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia, id est quæ Christianæ legis normam abjiciunt et statuta ecclesiastica contemnunt. Similiter fures, sacrilegos, et omnes capitalibus criminibus irretitos, » etc. Idem, unde supra : « Quidquid in sacris Dei rebus et episcopis injuste agitur, pro sacrilegio reputabitur, quia sacra sunt et violari a quoquam non habent. » Idem : « Laicis, quamvis religiosi sint, nulla tamen de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas. »

CAPUT V.

Qualiter Simoniaci suo negotio expugnent Ecclesiam Dei, et quod omnes pene et laici et clerici quærunt de Ecclesia jugiter negotiari.

His sane beatorum pontificum et martyrum decretalibus sententiis, eorumque sanguine subscriptis, sole clarius monstrantur invasores, vel vastatores rerum ecclesiasticarum infames, fures, sacrilegi, homicidæ quoque, et excommunicati et perpetuo carceri aut exsilio tradendi. Eant ergo hypocritæ, et impudenter contendant se non consecrationem ecclesiasticam, sed res Ecclesiæ comparasse. Et ne forte adhuc se palliare laborent, asserendo se non irruisse, nec invasisse, neque vexasse res ecclesiasticas, discant omnia hæc se facere aut fecisse, ubi immunitatem earum et privilegia a sanctis Patribus corroborata suo pretio irrumpunt, et usum illarum ecclesiasticis personis, et pauperibus debitum præsumunt sibi aut præsumpserunt. Nam ut latrones suis telis, et fures scalis vel quibuslibet machinis in alias ædes irruunt, et quod alieni juris est, aut vi

(19) Hæc Pii papæ I uti et sequentes Urbani, Lucii et Stephani epistolæ sunt suppositæ ab Isidoro Mercatore.

Digitized by Google

aut dolo sibi diripiunt ; sic et illi sua pecunia, tanquam suis telis et machinis, ecclesias Dei impugnant et expugnant, et quod familiæ ecclesiasticæ debebatur sibi vindicant. Quod si quis scelestus sponsam alterius pecunia iniquissimo et avarissimo tutori illius data aut promissa invaderet cum omni supellectili ejus; nonne pecuniam illam, et sua omnia impugnasse et expugnasse veraciter diceretur, et juste convinceretur? Cujus præsumptionis noxa sacris canonibus excommunicatione usque ad mortem, tam in raptorem quam in tutorem, et in omnibus fautoribus eorum vindicatur, et mundanis legibus sanguine vel perpetuo exsilio expiatur.

Ex qua animadversione intelligitur quam abjecta et ignobilis sponsa Christi reputetur, cujus injurias nemo qui doleat invenitur, cujus pudicitiam, sacrilegis raptoribus prostitutam, venditam et addictam nemo qui defendat, nemo qui saltem ab eis illam eripiat, et Sponso vel constupratam restituat. Et putatur in æternum hoc passurus Jesus, quem nunc nulla ecclesiastica vel laica persona super raptum sponsæ suæ conquerentem respicere et audire dignatur, cum sæpe, si a judicibus et patronis suis querimonia ejus respuitur, quibuscunque potest modis, etiam flammis pessimis raptus suæ sponsæ quamlibet abjectus ulciscatur? Quid, rogo, jam restat sponsæ Christi, nisi, sub intolerabili, et inemendabili calamitate tabescens, seipsam illo desperabili elogio, si potest, consoletur, quo dicitur : Pater meus me vendidit, rex comparavit ; cui conquerar qui mihi ex illis justitiam facit? Si quidem a quibus jam redimetur, cum ab ipsis quorum tutelæ post Deum fuerat commissa venundatur? A summo enim graduum Ecclesiæ usque ad minimum, omnes de ecclesiasticis rebus sibi negotiari non prætermittunt. Imperatores quoque, reges, principes, judices et quotquot aliquid in sæculo possunt ante omnia istud exercent, et quærunt hoc qui deberent res ecclesiasticas ecclesiastico juri defendere gladio spirituali ; hoc qui et materiali. Nec perpendunt quam scelerati, et detestabiles Deo et hominibus fiant dissipando quæ Christi pauperibus tuenda susceperunt. Nam si tutor pupilli cujuslibet patrimoniolum, quod tuendum accepit, pro lucro suo venderet, aut pro libita donaret, seu tutelam semper acceptam in aliquem prodigum exstirpatorem substantiæ pupillo relictæ sciens, et præmeditatus translegaret, abominabiliter et homicida ab omnibus haberetur et judicaretur. Qui putamus quam abominabiles et quot homicidiorum rei fiunt qui pro libitu suo dilapidant patrimonium Ecclesiarum, quarum tutores sint positi ab eo cui derelictus est pauper (*Psal.* x, 14), qui est etiam pater orphanorum, et judex viduarum (*Psal.* LXVII, 6). Inde est quod reges sæculi et principes ecclesiis Dei protectores et defensores assignati, relicto officio desuper sibi commisso, gladium quem ut ministri Dei et judices in ira omni operanti malum ostentant, sine causa portant, quo aut nunquam, aut vix aliquando vindictam malefactorum laudemque bonorum procurant (*I Petr.* II, 14).

Et o utinam, ab hoc suo officio sic frigerent, aut inteperent, ut ad alienum præcipiendum non incalerent aut æstuarent ! Nam, relicto militari negotio quo rempublicam et patriam tueri debuerant ab externis incursibus, sibi relicto quoque judiciario legum suarum tenore et terrore, quibus prævaricatores divinæ justitiæ et humanæ prohibere ab internis et quotidianis excessibus tenentur, omnem suam potestatem, omnem terrorem, omne studium ad expugnandum, et sibi penitus vindicandum res ecclesiasticas, quibus tutores dati fuerant transferunt. Qui etiam non contenti suo foro, ecclesiasticæ succedunt, præsident, et principantur synodo, et terrena potestate terribiles, efficiunt ut omnia procedant, et determinentur eorum nutu et judicio. Ipsi primatibus et metropolitanis in electione episcoporum fiunt priores, qui deberent tantummodo consensum, et desiderium cleri, plebis, et ordinis cujuscunque civitatis suo secundum Deum consensu confirmare, ut beatus Cœlestinus papa edocet (*epist.* 2). « Emeritis, inquit, in suis ecclesiis clericis peregrini et extranei, et qui antea ignorati sunt ad exclusionem eorum, qui bene de suorum civium merentur testimonio, non præponantur. Nullus invitis detur episcopus. Cleri, plebis et ordinis consensus, et desiderium requiratur. Tunc autem de altera eligatur ecclesia, si de civitatis ipsius clericis, cui episcopus ordinandus est, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri. Primo enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis merito præferantur. Habeat unusquisque suæ fructum militiæ in Ecclesia in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minime alter obripiat, nec aliter debitam sibi alter audeat vindicare mercedem. Sit facultas clericis resistendi, si se viderint prægravari. Et quod sibi extraordinarium agnoverint, non timeant refutare. Qui si non debitum præmium, vel liberum de eo qui eos recturus est debent habere judicium. » Cui concordans beatus Leo papa et doctor, ait : « Nulla ratio sinit ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus sunt expetiti, nec a comprovincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati, » etc.

CAPUT VI.

De baculis et annulis per manus sæcularium potestatum datis.

Hæc cum ita venerabiles omni mundo et summi pontifices Spiritu sancto dictante decreverint, cum metropolitani judicio electio clerici, principis autem consensu expetito, plebis et ordinis confirmetur, ad reprobationem sanctorum canonum, et totius Christianæ religionis conculcationem, præpostero ordine omnia fiunt, suntque primi novissimi, et novissimi primi. Est enim prima in eligendo et confirmando sæcularis potestas, quam velit, nolit, subsequitur ordinis, plebis, clerique consensus, tandemque metropolitani judicium. Unde taliter promoti, sicut supe-

Digitized by Google

rius præficiatur, non sunt inter episcopos habendi : quia substitutio eorum capite pendet deorsum, quia quod debuit eis fieri postremum, factum est primum, et ab illis quorum interest nihilum. Quid enim ad laicas pertinet personas sacramenta ecclesiastica, et pontificalem, seu pastoralem gratiam distribuere, camuros scilicet baculos et annulos quibus præcipue perficitur, militat, et innititur tota episcopalis consecratio ? Equidem in camuris baculis superius ad attrahendum et invitandum uncinatis et inflexis ; inferius vero ad repellendum et feriendum acuminatis et armatis, designatur quæ in eis committitur cura pastoralis, quæ utique sua compositione vel futura admonet pastores, ut recti et plani sint, suæque actionis vel contemplationis arduum et rigidum verticem causa imitandi et attrahendi ad se gregem Dei condescendentes leniter dimittant et inflectant, sic tamen ut sibimetipsis quoque semper intendant, nec unquam a suimet consideratione mentis obtuta reflectant. Quorum finis indicat ut severa increpatione indisciplinatos terreant, et, si pertinaces fuerint, extrema sententia ab ecclesia repellant. Quæ omnia Apostolus breviter insinuat ita : « Rogamus vos, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes (*I Thes.* v, 14). »

Porro annulus signaculum secretorum cœlestium indicat, prænonens prædicatores, ut secretam sapientiam Dei cum Apostolo disignent, et loquantur inter perfectos (*I Cor.* II, 6, 7), quam velut signatam reticent imperfectis, quibus nondum solido cibo, sed solo lacte opus est (*Hebr.* v, 12), sive ut tanquam amici Sponsi fidem unam sponsæ ipsius, quæ est Ecclesia, sine intermissione exhibeant et commendent. Quicunque ergo his duobus aliquem initiant, procul dubio omnem pastoralem auctoritatem hoc præsumendo sibi vindicant. Nam post hæc encænia, quod liberum judicium de talibus rectoribus, jam datis clerus, plebs et ordo, seu metropolitanus eos consecraturus, habere poterunt, quid tantum superest rei, nisi connivent ? Sic encæniatus prius violentus invadit clerum, plebem, et ordinem dominaturus quam ab eis cognoscatur, quæratur aut petatur. Sic metropolitanum aggreditur, non ab eo judicandus, sed ipsum judicaturus ; neque enim jam requirit aut recipit ejus judicium, sed solum exigit et extorquet servitium, quod ei solum in oratione et unctione est relictum. Quid enim sibi jam pertinet aut prodest baculum et annulum quos portat, reddere ? Nunquid quia a laica persona dati sunt ? Sed etiam a laico baptisma datum non est iterandum, sed oratione et unctione a sacerdote si supervivitur supplendum, sine quibus, nisi forte supervivatur, regnum cœlorum indubitanter intratur, cum sine aquæ lavacro nullus. Unde palam est omne episcopale officium in annulo et baculo eis datum, sine quorum imitatione et auctoritate episcopali nequeunt, cum sine unctione visibili constet sanctis apostolis hoc attributum in sola præceptione curæ pastoralis, quæ annulo et baculo visibiliter monstratur et datur. Rogo ergo cur redditur quod habetur, nisi ut aut denuo res ecclesiastica sub hac specie jussionis vel donationis vendatur, aut in priori venditione corroboranda a metropolitano suisque suffraganeis subscribatur, at certe ut præsumptio laicæ ordinationis pallietur colore et velamento quodam disciplinæ clericalis ? Quod si nec factum est, nec fit, me hinc aliquis mentitum arguat. Sed quod gravius est, non tantum prioribus temporibus recolitur et prædicatur tale quid factum, sed nostris quoque cernitur et scitur usitatum. Nonne sæculi principes prius vendiderunt et vendunt ecclesiastica, sub falso nomine investitionis ; deinde metropolitano, sub tenore consecrationis ?

CAPUT VII.

De tempore Ottonum et de studio Henrici imperatoris, et de malitia regis Francorum.

Ut enim de prioribus sæculis reticeatur adhuc retinet memoria multorum hanc reciprocatæ venditionis rabiem, grassatam per Germaniam et Gallias totamque Italiam, a temporibus Ottonum, usque ad augustæ et divæ memoriæ imperatorem, Heinricum Chuonradi filium. Hic, in diebus suis, tam a se quam ab ecclesiasticis, imperii sibi crediti personis tantum sacrilegium removit aliquantulum, quamvis instaret multum, et cuperet removere totum. In quo cordis sui optimo desiderio immatura morte præventus, ad vitæ æternæ regnum, ut creditur, vel pro hac sola intentione, velut pro oculi sui simplicitate, est translatus, cum ex multis quoque aliis bonis exstiterit laudatus. Cujus synchronus et æquivocus, occidentalis Franciæ perditor, et Dei tyrannus, e contrario, sicut filius perditionis et Antichristus, Christo adversatur, cujus gratiam impugnat et expugnare non cessat in cunctis suæ ditionis partibus. Quo suo merito, draconis cujus sequax est, cauda putatur, quæ innumerabiles et præclaras stellas cœli, Ecclesiæ scilicet Francorum traxerit et trahat, miseritque et mittat in terram tenebrosam et opertam mortis caligine. Quem Spiritus sanctus, in quem sine intermissione plus quam Simon Magus peccat, aut cito compunctum corrigat, aut cito a se interfectum de medio tollat, ne tot blasphemias et injurias ad suæ damnationis cumulum et sanctæ Christianitatis exterminium diutius ipsi Spiritui sancto inferat. Quem Deus propter peccata populi regnare permisit, ut per eum funditus trahantur ad sortem diaboli, qui nomine tenus censebatur esse Christi. Cui sic perditus ille perditor palam et obstinate usque nunc, velut alter Julianus, repugnat, ut quamvis multoties ab reverendæ memoriæ pontificibus apostolicæ sedis, domno Leone et Victore, super tanta apostasia admonitus et correptus, pejor in dies fiat, finemque suis pravitatibus rebellis Deo et sacerdotibus ejus ponere contemnat ; noxius quoque terræ, quam, ceu sterilis arbor, occupat, cujus nequitiæ imitatores sive compares et consortes cum hac profana pecucuma præsumunt adire et frequentare limina Simonis

Digitized by Google

Petri credentes illi posse placere jam pecunias contra suam sententiam acquisitas, exemplo Simonis Magi; nec timent cum illo ab ipso Principe apostolorum sibi quoque dici: « Pecunia tua tecum sit in perditionem (*Act.* VIII, 20). » Quorum jam pecunia, quantacunque sit, immunda fit, quandocunque Simoniaca pecunia accedens illam contingit. Sed ad propositum redeatur.

CAPUT VIII.

De quadripertita venditione apud Latinos, et de Magni Constantini devotione erga clericos.

Distrahitur ergo passim et sparsim res ecclesiastica prius a principibus et eorum familiaribus, deinde a metropolitanis et eorum familiaribus. Neutra quippe venditio fit sine mediatoribus. Quanto tolerabilius venderetur, si saltem exemplo orientalis et transmarinæ Ecclesiæ, a metropolitanis tantum eorumque familiaribus venderetur, quia bis tantum, et non quater venderetur. Quamvis enim multimodis erroribus Ecclesiæ Constantinopolitani imperii vexentur, ab hoc tamen immunes per omnia noscuntur. Denique, sicut auditu et visu comprobavi, et insuper ab ore orthodoxæ memoriæ imperatoris, Constantini Monomachi, in ipsa regia urbe pro apostolicæ sedis responsis positus agnovi; nec ipse imperator, nec laicorum quilibet ullam dispositionem ecclesiarum aut ecclesiasticarum ordinationum seu facultatum aliquando sibi præsumit; sed cuncta simul postquam semel relicta sunt, relinquuntur disponenda metropolitanis et ecclesiasticis personis, a tempore maximi et primi Constantini qui super his memorabilem et omnibus catholicis reverendam sententiam protulit. Præsidens namque sanctæ synodo, quæ apud Nicæam congregata est, cum querelam quorumdam conspiceret coram se delatam, ait: « Vos a nemine judicari potestis, quia solius Dei judicio reservamini. Dii etenim vocati estis, idcirco non potestis ab hominibus dijudicari. Ite, et inter vos causas vestras disponite, quia dignum non est ut nos judicemus deos. » Unde ipsa sancta synodus sic promulgavit. « Antiqui moris est, ut urbis Romæ episcopus habeat principatum, et suburbica loca et omnem provinciam sua sollicitudine gubernet. Qui vero apud Egyptum sunt Alexandriæ episcopus omnium habeat sollicitudinem. Similiter autem et circa Antiochiam et in cæteris provinciis privilegia propria reserventur metropolitanis Ecclesiis. » Porro quod decretis Romanorum pontificum insertum de rebus et negotiis ecclesiasticis reperitur, hic quoque inserendum arbitramur. Quod tale est. Nemo qui Scripturas divinas legit ignorat quod, in principio nascentis Ecclesiæ, discipulis in unum congregatis cum multitudine credentium, in quibus erat cor unum et anima una (*Act.* IV, 32), quique vendentes prædia et possessiones suas afferebant, et dividebatur singulis, prout cuique opus erat (*Act.* II, 45). Futuram namque Ecclesiam in gentibus apostoli prævidebant, maximeque, quia Dominus illis præ- A dixerat: « Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium (*Marc.* XVI, 15) »: vel quia expellendi erant a Judæa, noverant se et in gentibus dispergendos, Ecclesiamque congregandam ex rudi populo idcirco prædia in Judæa minime sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fovendos egentes.

At vero, cum inter turbines et adversa mundi succresceret Ecclesia, adeo usque pervenit ut non solum gentes, sed etiam Romani principes, qui pene totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Christi et baptismi sacramenta concurrerent. E quibus vir religiosissimus, Constantinus primus, fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per universum orbem sub suo degentes imperio non solum fieri Christianos, sed etiam fabricandi ecclesias, et B prædia tribuenda constituit. Denique, idem præfatus princeps donaria immensa et fabricam templi primæ sedis beati Petri, principis apostolorum instituit; adeo ut sedem imperialem quam Romani principes præsiderant relinqueret, et beato Petro suisque præsulibus profuturam concederet. Ab illo etenim tempore et deinceps viri religiosi non solum possessiones et prædia quæ possederant, sed etiam seipsos Domino consecrarunt, ædificantes basilicas in suis fundis in honore sanctorum martyrum per civitates ac monasteria, in quibus cœtus Domino servientium conveniret. Denique, reges et præsides ac magistratus non solum hanc licentiam attribuerunt, sed etiam ipsi propria largiti sunt per C universa regna terrarum, unde alerentur egentes qui nil in mundo possidebant, ecclesiæque fabricarentur atque restaurarentur, Deoque et Ecclesiæ ejus rite famulantium servorumque illius supplementa absque necessitate tribuerentur ut, hæc accipientes, secundum monita Apostoli, possent orationes, postulationes, obsecrationes, gratiarum actiones fieri pro omnibus hominibus, pro regibus et qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam habeant; et hoc bonum et acceptum esse coram Deo (*I Tim.* II, 1-3), idem Magister gentium protestatur, et cui sollicitudo omnium Ecclesiarum incumbebat (*II Cor.* XI, 28), quique episcopos regere per Spiritum sanctum constituit Ecclesiam Dei (*Act.* XX, 28), quibus ait: « Pascite qui est in D vobis gregem Dei, providentes non coacte, sed sponte secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie (*I Petr.* V, 2). Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus (*II Tim.* II, 4). »

Quæ enim sunt negotia sæcularia, sancti canones manifestant et inhibent sic: « Dum perspicuum sit quod quidam, qui in clero videntur electi propter lucra turpia, conductores alienarum possessionum fiant et sæcularia negotia sub cura sua suscipiant, Dei quidem ministerium parvipendentes sæcularium vero domos discurrentes et, propter avaritiam, patrimoniorum sollicitudinem sumentes, decrevit supradicta synodus nullum deinceps clericum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere, præter pupillorum et orphanorum ac vi-

Digitized by Google

dinarum, aut si forte episcopus civitatis ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat. Ubi liquido patet quia alia sunt negotia sæcularia, alia ecclesiastica. » Nonne Moyses in sæculo erat, cum crebro in tabernaculo intraret et exiret, qui intus in contemplationem raptus, foris infirmantium negotiis urgebatur; intus Dei arcana considerans, foris carnalium onera portabat (*Exod.* XXXIV, 34, 35). Cujus typum in Ecclesia sacerdotes agere debent, ut, dum foras exeunt ad exercenda negotia pro necessitatibus subditorum, intus ad se redeant per contemplationem mandatorum. Sicut Paulus qui cœlestibus secretis inseritur, et tamen per condescensionis viscera carnalium cubile scrutatur. Sicut Jacob ascendentes et descendentes angelos vidit quia videlicet rectores Ecclesiæ non solum Deum contemplando appetunt, sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt. Et dum sacerdotes horum facta imitantur, et se custodiunt et subditorum onera portant. Et videntur tales esse quales idem egregius Paulus præcipit, ut *qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, et qui gaudent, tanquam non gaudentes, et qui emunt tanquam non possidentes* (*I Cor.* VII, 30, 31).

CAPUT IX.

De differentia clericorum et laicorum, et de studio beati Gregorii in talibus.

Ex quibus pariter edocemur, quod sicut clerici sæcularia negotia, sic et laici ecclesiastica præsumere prohibentur. Et sicut clerici a laicis, sic laici removentur a clericis, tam ex licentia mutuæ accusationis quam et testificationis. Et quemadmodum clerici a laicis habitu et professione, sic discreti debent esse actu et conversatione ut neuter eorum officium alterius aut hæreditariam sortem sibi præripiat; sed uterque terminos a sanctis Patribus et orthodoxis principibus positos attendat. Nam sicut clerici a laicis etiam intra parietes basilicarum locis et officiis sic et extra separari et cognosci debent negotiis. Ideo laici sua tantum, id est sæcularia; clerici autem sua tantum, id est ecclesiastica negotia, disponant et provideant. Habent inde utrique sibi regulas præfixas tam a sancto papa et martyre Stephano, cæterisque pontificibus sanctorumque Patrum conciliis, quam et a principibus catholicis. Quod satis in beati Gregorii Gestis ostenditur, ubi sic legitur: Nemo laicorum quodlibet sacri palatii Lateranensis ministerjum, vel ecclesiasticum patrimonium procurabit; sed omnia ecclesiastici juris munia ecclesiastici nihilominus viri subibant; nimirum laicis ad armorum solam militiam vel agrorum curam continuam deputatis. Ob hoc se nonnulli procerum sub ostentu religionis primo tonsurare cœperunt. Quorum tergiversationi Mauricius imperator prudenter occurrens, data per Longinum Stratorem lege præcepit ut quisquis fuisset administrationibus implicatus, ei ad ecclesiasticum venire officium non liceret. Quam legem Gregorius super hoc valde laudavit, dicens: « Qui sæcularem habitum deferens ad ecclesiastica officia venire festinat, non relinquere cupit sæculum, sed mutare. » Hic quoque beatus pontifex nihilominus per diversas provincias, pro custodia sacræ religionis rebusque pauperum strenue gubernandis, ecclesiæ suæ viros industrios rectores patrimoniorum ascivit; in quibus Cyprianum Diaconum patrimonii Siculi; Pantaleonem notarium Syracusani, et cæteros qui ibidem nominantur usque ad Candidum presbyterum, Gallicani.

Unde etiam Januario Calaritano inter cætera scribit, dicens: « Indicatum nobis est quod laicis quibusdam curam vestri patrimonii commisistis. Quod de cætero cavendum a fraternitate vestra est ne sæcularibus viris, atque non sub regula vestra degentibus, cujuslibet res Ecclesiæ committantur, sed probatis de vestro officio clericis, in quibus si quid reperiri poterit pravitatis, ut in subditis emendare quod illicitum gestum fuerit valeatis. Quos videlicet apud vos habitus sui officium magis conveniet quam excuset. » Qui etiam, de sacerdotibus Mauricis imperatori scribens, inter cætera sic ait: « Sacerdotibus autem, non ex terrena potestate dominus noster citius indignetur; sed excellenti consideratione, propter eum cujus servi sunt, eis ita dominetur ut etiam debitam reverentiam impendat. Nam in divinis eloquiis sacerdotes aliquando dii, aliquando angeli vocantur, etc., *usque ad* lapideis serviebant. » Nihilominus ex aliis ipsius pontificis dictis ostenditur, quod ejus judicio et consensu ordinationes episcoporum celebrabantur; quod ex duobus incunctanter apparet, pro quibus sic populo et clero scribens, jubet: « Quanto apostolica sedes, Deo auctore, cunctis prælata constat Ecclesiis, tanto inter multiplices curas et illa nos valde sollicitat, ubi ad consecrandum antistitem nostrum exspectatur arbitrium. Defuncto igitur Laurentio, Ecclesiæ Mediolanensis episcopo, etc., *usque* non minuat. » Sed cum post annos aliquot Constantius, functo insigniter pontificio, in Domino dormisset, clerus et plebs Mediolanensis, Deus dedit diaconem eligentes, ab Agilulfo rege terrerentur quatenus illum eligerent quem Langobardorum barbarus voluisset; at illi, decretum suum Gregorio dirigentes, concilium petunt quibus ipse inter cætera sic rescripsit: « Illud quod vobis ab Agilulfo indicatis scriptum dilectionem vestram non moveat, etc., *usque* ordinatus. » Et post pauca: « Ut igitur in ordinando, etc., *usque* consecrari. »

CAPUT X.

Quanto liberior sit Græcorum Ecclesia quam Latinorum a potestate laicorum.

Igitur, ut prædictum est, hæc sanctorum Patrum et religiosorum principum statuta de personis et rebus ecclesiasticis inviolabiliter hactenus in transmarino imperio observantur, et solis metropolitanis vel episcopis cæteris disponendæ relinquuntur. Unde quælibet Ecclesiæ administratio solo eorum disponitur arbitrio, sive gratis sive non gratis velint eam

Digitized by Google

committere cuilibet clerico; nec, nis a metropolitanis aut episcopis eorumque familiaribus, vendi solet aliquando. Quod, quamvis ex sola venditione sit hæreticum et nimium detestabile, est tamen Ecclesiis Dei illis magis tolerabile quam nostris quæ, ut superius ostenditur, jugiter venduntur quater. Neque enim arrogantia et avaritia principum nostri sæculi et imperii patitur terminis præfixis coerceri, sed, transgressis divinis et humanis legibus, quæ inter arma silent, etiamsi ecclesiastica, omnia sibi præsumentes possident, ut in eis degere aut ex eis vivere sine ullorum datione aut venditione contingat clericorum neminem. Quo fit ut, qui liberiores omnibus esse deberent hominibus, ut puta quorum pars hæreditas est ipse Deus, quique vicissim sunt sors Dei, existant contemptibiliores omnibus. Nam quamlibet vilis laicorum servus aut mercenarius, nulli, præter eum cujus est, famulari cogitur, eique soli subjacet, tum suis rebus, ab aliis liberrimus. Sic cujuscunque laici mediocris aut divitis possessio ejus tantum cujus est subjacet domino, nec invaditur, nec venditur a principum aliquo. Soli sunt clerici, sola est Ecclesia, quibus omnium incurrit calumnia, violentia, potentia, et rapina, in tantum, ut si quid forte ecclesiis Dei laici contulerint pro animarum suarum redemptione, mox fiat calumniosum et venale, quod prius ab ipsis donatoribus possidebatur pacifice. Et a quibus maxime vindicantur et venduntur, nisi ab eis qui se ecclesiarum Dei advocatos vel defensores profitentur? Ab ipsis scilicet imperatoribus, ab ipsis principibus eorumque satellitibus. Ipsi sub nomine et obtentu defensionis præsumunt sibi, alienant, vel vendunt non solum ecclesias, sed et quidquid est earum juris, tam in rebus et personis quam et in officiis. Unde vel correpti animadvertant quantominus Deum revereantur quam sub eorum potestate constitutos cujuscunque conditionis homines, quorum verentur et cavent invadere possessiones. Arbitrantur cedendum hominibus sub se, cum non reputent cedendum Deo supra se. Verentur et erubescunt homines, quibus terrenum vel civile jus conservant, cum nec revereantur, nec erubescant Deum, cui nec terrenum jus, nec cœleste fas reservant. Et cum non dubitent se sacrilegos præbere Deo, cujus hæreditatem sibi vindicant, religiosi et catholici principes ab hominibus dici et habere affectant, cum vere sint inimici Dei, adversus quem unanimiter conspirant, ut hæreditate sanctuarium ejus possideant. Unde, juxta quod Psalmista imprecando prophetat, ponendi sunt sicut Horeb, et Zob, et Zebee et Salmana qui utique alienigenarum principes et Israelitarum hostes erant (*Psal.* LXXXII, 12). Quorum malitiam nostri temporis principes secuti videant quo sint perducti. Denique, ut ex præcedentibus beati Gregorii dictis evidenter apparet, ad hoc eos jam perduxit ambitio perfidi Simonis, ut intolerabilior nunc eorum principatus incumbat catholicis Ecclesiis quam Langobardorum quondam tyrannidis. Neque enim Langobardi, quamvis tunc barbari et Ariani, sed nec eorum rex Agilulfus, quamvis Romanæ libertati et dignitati nimium infensus, resistere Romano pontifici tentaverunt, quin Mediolanensis Ecclesiæ metropolitanum, juxta suæ apostolicæ sedis antiqua et canonica privilegia, substituisset. Nec præjudicavit consensus regis et ejus gentis desiderium, nec extorsit apostolico præsuli suum super metropolitanorum electione judicium, licet potentia armorum et crudelitate barbariei sæ depopularentur, et perterrefacerent omne Italicum solum, et, quod adhuc majus est, Ariana vesania omnem persequerentur catholicum. Quod sane privilegium non solum in Italia, tunc a barbaris et Arianis pervasa retinuit, verum et in Germania totisque Galliis, sicut clare prædicatur in ejus gestis et dictis.

CAPUT XI.

Qualiter et per quos ecclesiæ suis privilegiis privatæ sunt.

Et hæc canonica auctoritas solida et specialis reservata est Romanis pontificibus in omnibus metropolitanis; metropolitanis quoque omnibus in eorum suffraganeis, sicut in Gestis B. Bonifacii Maguntini archiepiscopi reperiet quisquis quæsierit. Nec ipse tunc Pippinus rex, nec filius ejus primus Francorum imperator magnus Carolus hunc canonem infringere fuit aggressus, sed nec pronepotum seu hæredum regni et imperii eorum ullus usque ad Ottonum tempus. Ipsis enim ad imperium adolescentibus et proficientibus, Romanorum pontificum decrescere et deficere cœpit virtus adeo ut, præ ignavia et insipientia eorum, atque pro arrogantia neophytorum principum, omne ecclesiasticum officium et jus paulatim subriperetur et extorqueretur eorum manibus, vix inane pristinæ dignitatis nomen, non autem ipsam suam dignitatem, retinere laborantibus. Sic debilitato et abjecto capite clericalis ordinis, omne mox corpus sibi, pro libito suo substernendum, impune usurpavit potestas sæcularis; quæ, primo quidem, non præripuit cuncta ecclesiastica simul et statim, sed, cæterarum nequitiarum more, seperatim et pedetentim. Nam primo ambitiosis ecclesiasticarum dignitatum vel possessionum cupidis favebat prece, dein minis, deinceps verbis concessivis; in quibus omnibus cernens contradictorem sibi neminem, nec qui moveret pennam, vel aperiret os et ganniret, ad majora progreditur; et jam, sub nomine investituræ, dare primo tabellas, vel qualescunque porrigere virgulas dein baculos laicis, tandemque ecclesiasticis. Quod maximum nefas sic jam inolevit, ut id solum canonicum credatur, nec quæ sit ecclesiastica regula sciatur aut attendatur. Et quidem memini me vidisse a sæcularibus principibus aliquos pastoralibus baculis et annulis investiri de episcopatibus et abbatiis, metropolitanosque eorum et primates, quamvis præsentes essent, nec inde requisites, nec aliquid contra hiscere ausos. Quibus

Digitized by Google

sub tanto adulterio uxorum et nece filiorum deprehensis, suæ negligentiæ et prævaricationis merito accidit illud maledictum Mosaicum, dicens : « Uxorem accipies, et alius coram te dormiet cum ea (*Deut.* XXVIII, 30). » Quo, ut beatus Hieronymus, in Commentario Zachariæ prophetæ, attestatur, nihil crudelius, nihil miserius inveniri potest ut, timore mortis propriæ, nec salutem filiorum, nec uxorum pudicitiam defendere viri audeant.

Hoc ipsum et Amos propheta, ad Amasiam impium sacerdotem comminans, loquitur : « Uxor tua in civitate fornicabitur, et filii tui et filiæ in gladio cadent et humus tua funiculo metietur (*Amos* VII, 17). » Incunctanter enim sacerdotis uxor ab aliis violatur, quandocunque Ecclesia a laicis, quibus non pertinet, administratur vel ordinatur. Cujus etiam humus funiculo metietur, ubi ecclesiastica possessio a sorte Dominici sacerdotii alienatur, et ad laicorum sortem et dominium revocatur. Qui si defensores Ecclesiæ, et non prædones vel invasores essent, procul dubio pro qualicunque culpa seu negligentia sacerdotum ea defendere non negligerent, nec jus illius sibi vindicarent. Factum enim personæ, ut beatus Gregorius docet, non est convertendum in damnum Ecclesiæ; sed sic est castiganda persona ut per omnia indemnis conservetur facultas ecclesiastica. Habet enim Ecclesia suas leges, suos judices, quibus cum consilio religiosorum et sapientum aut corripiantur, aut corrigantur culpæ præpositorum et ministrorum ejus. Quas si ecclesiastici dissimulant aut minime curant, demum sæculares principes et fideles laici, pro defensione et recuperatione, quam matri suæ Ecclesiæ debent, necesse est insistant, eosque opportune importune conveniant et moneant, ne destructoribus ecclesiarum Dei et indisciplinatis tacendo et dissimulando faveant, sed secum ad reformandos eis suos canones exsurgant. Quod si nec monitis resistere pravis curaverint, faciat laica potestas tandem quod liberæ et dilectæ matris degeneres filii, cujus si pudicitiam cognoverint ab adulteris captivari; nec mora, accinguntur vindicaturi, etiamsi pater eorum admonitus negligat tam intolerabile sibi malum ultum iri. Caventes enim maculam suo generi infamiamque non modicam suo nomini, etiam patre cessante, non cessant boni filii matris suæ injurias ulcisci. Qui si eam, adulteris ereptam, suo legitimo matrimonio non restituerent, sed suæ libidini maternam pudicitiam prostituerent; nonne pejores et detestabiliores quibuslibet adulteris essent? Nonne tolerabilius fecrat ab aliis non defendisse, quam defensam sic sibi usurpare et addicere? Rogo considerent hoc Christiana pietate principes Christiani et laici, et tandem cognoscant quanto flagitiores sint, si spiritualem matrem suam sic defendant, ne patri suo restituant, sed sibi ipsis tantum prostituant. Et cui patri? Illi nimirum cui nullus carnalis pater, ne dicam præferendus, sed nec quidem est æquiparandus, juxta quod dicitur : « Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus (*Matth.* X, 37), » quoniam, etiamsi in via spirituali patres contrarios habemus, odisse et fugere debemus.

CAPUT XII.

De præsumptione feminarum et dignitate sacratarum rerum.

Verum cur hæc tantum de viris laicis conquerimur, cum ipsæ quoque laicæ feminæ, quibus nec loqui in Ecclesia permittitur (*I Cor.* XIV, 34), nec dominari in virum (*I Tim.* II, 12), non solum laicis res ecclesiasticas dispensandas committunt, sed insuper pastoralibus baculis et annulis de episcopatibus et abbatiis clericos investiant, quos eis aut favor aut obsequium sæculare, seu pretium temporale, conciliat et commendat. Principantur et ipsæ nihilominus omni ecclesiasticorum concilio et judicio, dum, ad nutum illarum etiam absentum, alii præponuntur, alii deponuntur, alii, quamvis culpabiles, aut prætermittuntur, aut defenduntur. Sic hac perversissima abusione, juxta quod impius Porphyrius calumniatur, senatus noster sunt feminæ a quibus insuper dantur sacerdotalia insignia, nec licet ecclesiasticos, nisi de earum dono, sua sibi assumere, quæ nec dicam feminæ, sed nec masculorum quispiam, nisi clericus, debet contingere, beato Stephano papa martyre sic denuntiante : « Vestimenta ecclesiastica, quibus Deo ministratur, et sacrata debent esse et honesta, quibus in aliis usibus nemo debet frui quam in ecclesiasticis et Deo dignis officiis, quæ nec ab aliis debent contingi aut ferri, nisi a sacratis Deo hominibus, ne ultio, quæ Balthazar percussit, super hæc transgredientibus et talia præsumentibus veniat divina, et corruere eos faciat ad ima. » Ex quo tanti pontificis decreto, necesse est caveant laici et laicæ ecclesiastica vestimenta suo contactu temerare, et a minoribus prohibita majora sibi præsumere. Quibus enim non conceditur claviculam ostiarii qua serat et reserat valvas templi sancti, vel funiculum tintinnabuli quo significat certas horas operis Dei, multo minus conceditur contingere baculum et annulum episcopi, quibus principaliter insignitus, non solos ostiarios, sed reliquos ordines ecclesiasticos, ipsumque templum cum omni sua supellectili, altare quoque cum omnibus suis utensilibus Deo omnipotenti consecrat. Pari modo quibus non licet contingere cingulum aut mappulam subdiaconi, hostias ad altare laturi, multo minus licet annulum episcopi quo insignitur, dum assistit altari, et sanctificat immolatque Agnum Dei, vel dum consecrat chrisma Spiritus sancti, seu dum benedicit populum Dei. Nec mirum si tantopere veritatem Christi in Novo Testamento revereamur, cum ejus umbram in Veteri decreverit Dominus sic reverendam et honorandam, ut in libro Numeri inde per Moysen dicat : « Erunt sub custodia Levitarum tabulæ tabernaculi, et vectes, et columnæ, et bases earum, et omnia quæ ad cultum pertinent hujuscemodi; columnæque atrii cum basibus suis per circuitum et paxilli cum funibus. Castrametabuntur

Digitized by Google

ante tabernaculum fœderis, id est ad orientalem plagam Moyses et Aaron cum filiis suis, habentes custodiam sanctuarii in medio filiorum Israel. Quisquis alienus accesserit morietur (*Num.* III, 36-38). » Deinde vasa altaris in quanta voluerit Dominus reverentia haberi, post aliqua ibidem ostendit dicens : « Ignium receptacula, fuscinulas ac tridentes, uncinos et batilla, cunctaque vasa altaris operient simul velamine janthinarum pellium, et inducent vectes. Cumque involverint Aaron et filii ejus sanctuarium et omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Caath ut portent involuta, et non tangant vasa sanctuarii, ne moriantur (*Num.* IV, 14, 15). »

Quorum periculum denuo cavendum denuntians, ait Moysi et Aaron : « Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum ; sed hoc facite eis, ut vivant et non moriantur, si tetigerint sancta sanctorum. Aaron et filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, et dividet quid portare quis debeat. Alii nulla curiositate videant quæ sint in sanctuario, priusquam involvantur, alioquin morientur (*Num.* IV, 18, 19). » Quod longo post tempore Oza Levites incurrit, ubi arcam Domini inclinatam sustentare tentavit, quam solis sacerdotibus contingere licuit. Ex quibus perpendant quid mereantur qui sola temeritate tractant et ferunt vestes et vasa ecclesiastici ministerii, si occiduntur cœlitus qui, sola curiositate ducti, hæc tantum viderint, aut subita necessitate permoti sustentare tentaverint. Et certe Levitæ et consecrati erant quos tanta animadversio cohibebat ; quanta putamus severitate laicos ab his deterrebat ? Sed ne forsan autumet quis hæc tantum populo sub lege custodienda, et non nobis sub gratia, Apostolum dicentem audiat : « Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt (*Rom.* XV, 2) ; » nec non beatum papam Stephanum, consimilia his superius decernentem ; Dominum nostrum quoque in Evangelio, majoris justitiæ perfectionem suis inculcantem, quibus sic præmisit : « Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* III, 20). » Et revera lex nec iram nec subsannationem, nec verbi convicium in fratrem morte punit, nisi solum actuale homicidium ; sed [Evangelium] ejus quoque fomitem et seminarium, iram scilicet manifestumque convicium, et tanto graviori morte quanto melior exstat anima corpore ; cujus morte, quam solam sentiebant illi, velut servi, perterriti ab excessibus reprimebantur, cum nos velut liberi, sola charitate æterni Patris justitiam operari debeamus. Qua, si ut puta disciplinam ejus abjicimus indisciplinatoque illius voluntati resistimus, non solum exhæredabimur, sed insuper morte animæ perpetuo plectemur ; quam nobis imminere credentes vitare contempsimus. Et tamen in hoc quoque ab illis distamus, quia nobis, tanquam liberis, copia satisfactionis reservatur ; illis autem, tanquam servis, nec mora, vindicta temporalis mortis adhibebatur quæ procul dubio umbra perpetuæ habebatur. Itaque, ut ait Apostolus, in libertatem vocati (*Gal.* V, 13), ne abutamur libertate, nec tardemus reverti ad Patrem nostrum, nec desperando, aut nimium sperando differamus de die in diem, quia, sicut qui desperat, sic et maledictus est qui in spe peccat.

CAPUT XIII.

De dignitate sacerdotii veteris legis, et præsumptione et pœna regum Judæ et Israel.

Nihilominus et perpendant quia, quamvis duodecim tribus Israel totidem tunc haberent principes, in quibus et Nahasson, de tribu Juda, cui non erat auferendum sceptrum et dux de femore ejus usque ad Regem regum, Christum (*Gen.* XLIX, 10), nullus tamen illorum, nisi solus Moyses, præsumpsit ex contribulibus suis ordinare pontificem, sacerdotes et Levitas, cunctasque illius temporis instituere et disponere cæremonias. Siquidem ipse, vice summi pontificis et maximi primatis, Aaron fratrem suum, et filios ejus, inferioris gradus sacerdotes, infulis sacerdotalibus induit, consecravit et inunxit. Ipse quoque tabernaculum utrumque erexit, et cum omnibus utensilibus suis, altaribusque et vasis inungendo, et aqua cum hyssopo aspergendo dedicavit, qua etiam populum aspersum sanctificavit : « Lecto enim, ut ait Apostolus ad Hebræos, omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit, dicens : Hic sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit : Et omnia pene in sanguine mundantur, secundum legem, et sine sanguinis fusione non fit remissio (*Hebr.* IX, 19-22). Hic deinde mortuo Aaron fratre suo, filium ejus Eleazarum vestibus patris induit in monte, ut pontificatu fungeretur illius vice (*Num.* XX, 27-29). » Nunquid alicubi reperitur principes aut populos aliarum tribuum designasse, aut instituisse pontifices, ac reliquos ministros tabernaculi vel templum Domini, seu præsumpsisse quidquam sortis ac juris eorum ? Ipsi enim, per se et inter se, suas ordinationes et causas, prout eis videbatur, agebant ; et tota tribus Levitica suis tantum pontificibus disponenda subjacebat, nemine principum aut plebis contradicente, sed potius cunctis ad præceptum et nutum eorum pendentibus, tam ex oblationibus quam ex observationibus reliquis. Quos quicunque non audiret, de medio populi sui interiret. Et hoc legitimum Leviticæ tribui a cæteris inviolabiliter constat redditum usque ad pessimum regem Jeroboam, qui suo schismate regnum et sacerdotium bipertitus est, instituens alia altaria aliosque sacerdotes idolis, quorum utique sacerdotes fiebant, non Mosaice, sed Simoniace. Nam quicunque, ut historia testatur, volebat, implebat manum suam, et fiebat sacerdos eorum qui non sunt dii. Porro Judas et Benjamin, cum aliqua

Digitized by Google

parte Leviticæ tribus, retinuerunt suæ sorti aliquandiu sacerdotium, quamvis exorbitando interdum; unde et templum et altare nonnunquam aliquorum sacerdotum et regum malitia profanabat, nonnunquam successorum eorum devotio expiabat. In cujus regni primitiva unione et postrema schismate concordia catholicorum discordiaque hæreticorum præcognitabatur quam maxime, et paucitas catholicorum in Judæis Jerosolymitanis, pluralitas vero hæreticorum in Israelitis Bethavenitis.

In quibus pariter etiam considerandum est quia qui non nisi falsum sacerdotium sibi retinuerunt cum ipsa lege Mosaica quam frustra legebant, atque cum psalmis Davidicis quos dæmoniis et non Deo decantabant, prius irrevocabilem et perpetuam captivitatem incurrerunt; illi autem qui divinitus institutum sacerdotium sibi retinuerunt, licet cadendo et resurgendo, non nisi septuagenariam, et hanc longo post illos tempore; ex qua tanquam meliorati et renovati, cum lege et psalmis, cum sacerdotibus suis et prophetis, cum ipsis quoque sacris vasis, plurimisque ethnicorum principum donariis sunt reversi, templum et sanctam civitatem restructuri. Et quidem illis, tanquam uxori pertinaciter meretricanti, dedit Dominus semel libellum repudii, ut jam libidines suas expleat sine aliquo respectu maritalis zeli; istis autem, tanquam filiis lascivis et dissolutis, ut resipiscerent, paterna flagella adhibuit, juxta quod per Zachariam dicit: « Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam. Hæc dicit Dominus exercituum. Reversus sum ad Sion et habitabo in medio Jerusalem, et vocabitur Jerusalem Civitas veritatis, Mons Domini exercituum, Mons sanctificatus (*Zach.* VIII, 2, 3). » Quod cum ex multis aliis, tunc ex hoc uno patenter colligi potest, quia quamvis Jeroboam sacerdotium decem tribuum, quibus præesset, sibi præsumpserit, super altare Bethel stando et thura jaciendo (*III Reg.* XIII, 1), nulla tamen visibili plaga percussus evasit.

Porro Ozias, rex Juda, cum id, quanquam zelo Dei indiscrete fervens, attentaret, lepra percussus est, etiam priusquam ad altare incensi cum thuribulo, quod solum jam arripuerat, accederet (*II Par.* XXVI, 19). « Qui, ut beatus Hieronymus, juxta Historiam, asserit, fuit vir justus, et fecit rectum in conspectu Domini, ædificans templum, aquæductum fabricans, offerens vasa, et pro hoc merito adversarios superans, quod maximum pietatis indicium est; habens multos in suo imperio prophetas. Hic, quandiu vixit Zacharias sacerdos, cognomento Intelligens, placuit Deo, et cum omni veneratione delubrum ejus ingressus est. Postquam vero Zacharias obiit, volens per semetipsum offerre donaria, sacerdotalem ordinem, non tam pie quam audacter, invasit, et reclamantibus Levitis et cæteris sacerdotibus: Nonne tu es, Ozias, rex, et non sacerdos? Audire noluit, statimque lepra percussus in fronte est. Quam corporis partem sacerdos auri lamina protegebat. Ob eam rem terræ motum in templo Dei exortum constat, cujus etiam Zacharias propheta et titulus Amos meminit. Fuit ergo leprosus usque ad diem mortis suæ, et habitavit in domo separata seorsum, filio suo regnum obtinente. Quo utique leproso vivente, et quantum in re est sacerdotium dissipante, Isaias visionem Dei videre non potuit. Quandiu ille regnum tenuit in Judæa, propheta oculos non levavit ad cœlum, non ei sunt reserata cœlestia, non apparuit ei Dominus Sabaoth, nec in ministerio fidei ter sanctum nomen auditum est. Quando vero ille mortuus est, universa hæc aperto sese lumine prodiderunt. » Et post pauca: « Donec Ozias vivit, non intelligis, Isaia, te miserum non compungeris, non moveris; sed quando ille mortuus est, tunc animadvertis immunda te habere labia, tunc indignum te esse cognoscis visione Dei. Isaias justus ut tantum in sermone peccaverat; ideo sola labia habebat immunda, quantum, ego arbitror, quia Oziam in templum irruentem non corripuerat, nec juxta Eliæ exemplum libera vocc impium designaverat. »

CAPUT XIV

De præsumptione Saulis et pœna.

Saul quoque, ut legitur, erat vir electus ac bonus, et non erat de filiis Israel melior (*I Reg.* IX, 2), et parvulus in oculis suis: nonne pro usurpato sibi sacerdotio reprobatus, regnum quod ei Dominus præparabat, in sempiternum perdidit, atque semetipsum interfecit? Quod tamen quanta necessitate usurpaverit, istic, juxta Historiam, nos meminisse non piguit: « Philistini, inquit, congregati sunt ad præliandum contra Israel triginta millia curruum et sex millia equitum, et reliquum vulgus sicut arena quæ est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad orientem Bethaven. Quod cum vidissent viri Israel se in arcto sitos, (afflictus est enim populus), absconderunt se in speluncis et in abditis, in petris quoque » (*I Reg.* XIII, 5) etc., *usque* « et non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis suæ (*I Reg.* XV, 35). » In qua tam districta Divinitatis in utrumque regem sententia animadvertant Christiani principes nec devotionem, nec necessitatem fuisse excusatam, quin uterque divinitus ob sacerdotium sibi præsumptum puniretur. Et Ozias quidem corporis sui salutem et munditiam atque regnum amittit; Saul vero spiritui nequam traditur, Spiritum sanctum perdidit, et regnum mortemque animæ et corporis, et a semetipso interfectus, totiusque domus suæ invenit interitum. Et certe neuter præsumpsit sibi aut rationale aut stolam sanctam, vel laminam auream, seu quamlibet sacerdotalium vestium, nisi quod prior obtulit holocaustum, alter vero arripuit thuribulum ad thurificandum. Notandum quoque quanto excusabilius et tolerabilius quod necessitas cogit quam quod voluntas præsumit. Nam quamvis Saul, necessitate compellente, holocaustum obtulerit, non tamen Dominum aut prophetam sic exacerbavit ut omnino derelictus

Digitized by Google

esset ab eis, quia postea in multis eum triumphis Dominus clarificavit, et propheta multoties illum visitavit, salutavit, et in sermone Domini ad Amalec deletum ire præcepit. Ubi autem voluntate id præsumpsit, statim ab eo spiritus Domini bonus recessit, spiritusque Domini malus eum exagitare cœpit, nec postea victoriam habuit, neque Samuelem vidit.

CAPUT XV.

Quanta flagella premant principes cum populis pro præsumptione sacerdotalis officii.

Quod necesse est attendant Christiani principes, et sacerdotalis officii quidpiam sibi præsumere nunc cessent, ne non tantum simplicem, sed duplicem quoque confusionem sicut diploidem induant. Neque enim Deus, ultionum Dominus, Deus ultionum fortis et zelotes, tantum nefas inultum prætermittere solet; sed aut in præsenti sæculo, aut in futuro, aut certe in utroque vindicare. Proinde attendant bella externa, seditiones internas, gentem super gentem, regnum contra regnum, terræmotus magnos per loca, terrores de cœlo et tempestates, pestilentias et fames, quæ sine intermissione Christianos perturbant, et ante hæc omnia injecisse manus apostolis Dei et ministris, et vel tot flagellis correpti tandem cognoscant, ne forte etiam post flagella mortem perpetuam incurrant. Super hæc attendant, quia cum in Francorum terra reges ex genere prodeant, quis regum a centum et amplius annis recolitur a filiis suis vel usque in quartam generationem regnasse? Siquidem Ottones, præ omnibus ante se regibus sacerdotalis officii præsumptores, vix attigere tertiam. Post quos primus Henricus nullam. Quod et in aliis regnis et principatibus contigisse qui disquisierit, invenire poterit. Et tamen mirabili cæcitate arbitrantur hujusmodi principes se obsequium præstare Deo; si ex pecuniis, vel prædiis taliter acquisitis constituant novas ecclesias vel alia pia loca, cum non solum nihil eis prosit, sed plurimum quoque obsit, sicut ex verbis beati Gregorii superius monstratur satis. Et revera quid prodest principibus mille ecclesias destruere, et unam construere exemplo principum illorum quos prænominavimus, qui de spoliis multarum ecclesiarum, et præsertim provinciarum miseræ Italiæ, duos episcopatus construxere, ut vel sic humano judicio approbarentur qui divino reprobantur; et quasi magnum aliquid fecerint, nomine tenus juri tradiderint apostolicæ sedis, cum sibi tamen et successoribus suis omne dominium inde retinuerint? Nimirum sive isti, sive quicunque imitatores eorum, aut fallunt, aut falluntur, si credunt Principi apostolorum contra suam in Simonem magum sententiam tales oblationes vel pecunias jam posse placere, quasi eum pœnituerit suæ prioris sententiæ. Et cur non perpendunt non esse suum ecclesias Dei facere, sed factas defendere? Ad hoc enim gladium a Christi sacerdotibus accipiunt, ad hoc inunguntur, ut pro Ecclesiarum Dei defensione militent, et ubicunque opus est pugnent, non ut ecclesias instituant, et vel eas, vel aliquid earum sanctificent aut præsumant.

Quod si alicubi ædificanda sunt ovilia intellectualibus ovibus, sint pastoribus earum devoti et strenui adjutores, non ut aliarum lacte et lanis, sed tantum illarum quarum interest, ædificentur: « Qui enim, ut Sapiens ait, ædificat domum suam impensis alienis, quasi qui colligat lapides suos in hieme (*Eccl.* xxi, 9). Et certe quanti penditur hoc a Deo, et sanæ mentis hominibus, si solius eleemosinæ gratia quilibet divitem vel mediocrem spoliet, aut occidat quemlibet hominem, ut nudum vestiat, aut moribundum vivificet? et quanto laudabilior foret, si miseros negligeret, quam ut eis misereretur taliter. Quapropter sæculariter potentes, ne potenter tormenta patiantur (*Sap.* vi, 7), inter alia ecclesiastica sacramenta, caveant annulis et virgis ecclesiasticis quemlibet insignire, scientes hoc non sui officii, sed sacerdotum esse. Ipsi enim, ut servi domestici, juxta evangelicam parabolam, jussu patrisfamilias prodigo filio revertenti profe unt stolam primam, id est catechizant: ipsi eum induunt, id est baptizant; ipsi calceamenta imitationis priorum patrum in pedibus ejus, ipsi multo magis annulum prædicationis seu ecclesiasticæ dispensationis dant in manu ejus. Quorum enim non est baptizare et prædicare, multo minus est annulum dare, quo specialius commendatur prædicatio et magisterium rectorum Ecclesiæ. Quorum est etiam vitulum saginatum adducere et occidere, sacramenta scilicet corporis et sanguinis Christi familiæ ejus epulaturæ præparare. Quod si principes sæculi mercedi animarum suarum in defensione et procuratione ecclesiasticarum personarum et facultatum cupiunt prospicere, per sacerdotes sacerdotales vices, habitacula et sumptus conservari suffragentur, ubicunque ecclesiasticus status incolumis invenitur, exemplo sanctissimi regis David, qui ut sacerdotalibus sortibus sacerdotium tunc incolume per congrua et debita officia Domino dispenseretur institit, et de hostium Domini manubiis, suique juris facultatibus ad templum Domino ædificandum expensas Salomoni filio providit et præparavit, sicut finis libri primi Paralipomenon enucleatius ostendit.

CAPUT XVI

De studio sanctorum regum erga divinum cultum et remuneratione, et vindicta plebium.

Nihilominus ubicunque ecclesiasticus status et divinus cultus imminutus est, aut annullatus, zelo et modo regis Josiæ ad recuperandum et vindicandum accingantur, piaque devotione sacerdotes ejus etiamsi suum negligere officium non timeant, exemplo Ezechiæ; humiles piis querelis et admonitionibus aggrediantur. Sic enim de illo in altero Paralipomenon libro refertur: « Ezechias anno et mense primo regni sui, aperuit valvas domus Domini, et instauravit eas; adduxitque sacerdotes atque Levitas, et congregavit eos in plateam orientalem, dixitque ad eos: Audite me, Levitæ, et sanctificamini. Mundate

Digitized by Google

domum Domini Dei patrum vestrorum, auferte omnem immunditiam de sanctuario. Peccaverunt patres nostri et fecerunt malum in conspectu Dei nostri, derelinquentes eum. Averterunt facies suas a tabernaculo Domini, et præbuerunt dorsum. Clauserunt ostia quæ erant in porticu, et exstinxerunt lucernas, incensumque non adoleverunt et holocausta non obtulerunt in sanctuario Domino Deo Israel. Concitatus est itaque furor Domini super Judam et Israelem, tradiditque eos in commotionem et in interitum et sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris. En corruerunt patres nostri gladio, filii nostri, et filiæ nostræ, et conjuges captivæ ductæ sunt propter hoc scelus. Nunc igitur placet mihi ut ineamus fœdus cum Domino Deo Israel, et avertat a nobis furorem iræ suæ. Filii mei, nolite negligere. Vos elegit Dominus ut stetis coram eo, et ministretis illi, colatis eum, et cremetis incensum (*II Par.* XXIX, 3-11). » Cujus devotioni non sufficiet solos subditos corrigere, verum et extraneos admonere, sicut inibi post pauca subditur : « Perrexerunt cursores cum epistolis ex regis imperio et principum ejus, et in universum Israël et Judam juxta id quod rex præceperat prædicantes : Filii Israel, revertimini ad Dominum Deum Abraham, Isaac et Jacob, et revertetur ad reliquias quæ effugerunt manum regis Assyriorum. Nolite fieri sicut patres vestri et fratres qui recesserunt a Domino Deo patrum suorum, et tradidit eos in interitum, ut ipsi cernitis. Nolite obdurare cervices vestras, sicut patres vestri. Tradite manus Domino, et venite ad sanctuarium ejus, quod sanctificavit in æternum. Servite Domino Deo patrum vestrorum, et avertetur vobis ira furoris ejus; si enim vos reversi fueritis ad Dominum, fratres vestri et filii habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxere captivos, et revertentur in terram hanc. Pius enim et clemens est Dominus Deus vester, et non avertet faciem suam a vobis, si reversi fueritis ad eum (*II Par.* XXX, 6-9). » Et quid plura? Bene et feliciter principari cupientibus efficiunt ad suam suorumque salutem acta et dicta salutaria regis istius, cujus industria sic Deo placuit ut una prece centum octoginta quinque millia hostium suorum interimeret, atque sibi quindecim annos vitæ moriturus impetraret, cum viri sanguinum et dolosi dies suos non dimidient (*Psal.* LXIV, 24). Denique David in sua pietate et justitia sibi in semine suo acquisivit sedem regni in sæcula. Porro nec Jeroboam nec successorum suorum quisquam, excepto Jehu, ad tertiam generationem pro sua impietate, injustitiaque pervenit, quin potius mingens ad parietem non est derelictus ex aliquorum posteris.

Attendant hoc principum consiliarii, et laterales, attendant hoc eorum plebes, nec se putent principum suorum præsumptionis expertes, sed noverint super omnia culpæ eorum participes, imo auctores. Denique accipiter, licet conetur, sine pennis et plumis non prædatur. Unde rectore, qui unus est, derelinquente, innumera populi multitudo prosternitur et flagellatur sæpe, quia nil tale sine favore seu suffragio eorum potuit efficere. Timentes enim vel amantes hominem magis quam Deum, non solum favent male facientibus dominis, sed insuper ex malitia eorum audaciam sumunt, et in quos possunt superbiunt et insurgunt. Qui si unanimes prava conantibus obsisterent et reclamarent, sicut nonnunquam pro suis incommodis, seu commodis, vel sicut pro accepta vel sibi promissa ab aliquibus pecunia solent, facillime suos principes et majores a malo revocarent. Denique, nisi principibus sacerdotum turba clamoris sui improbitate favisset, Pilatus Dominum Jesum relaxasset, nec suum velle ipsi principes ex captione Domini complessent. Sed esto necessitate imbelles et vile vulgus qualecunque principum voluntatem sectantur, vel caveant, ne ipsa necessitas fiat eis male agendi voluntas simul et libertas; quasi si debent ab omnium hominum læsione refrenare, multo magis ab ecclesiasticarum rerum præsumptione, recolentes quia si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo? Nec non recolant quia plebes numerosius, et aliquando earum principibus temporalem pœnam evadentibus, puniuntur, quia plures ipsæ sunt, principes vero pauciores, vel quia ab ipsis tanquam a suis radicibus præsumptio et nequitia principum maxime procedit. Hinc est quod Pharao cum omni suo populo interiit. Bethsamitarum quoque septuaginta viri et quinquaginta plebis, quod arcam Domini viderint, quodque David qui dinumerare populum jusserat evadente, septuaginta millia hominum ab angelo tribus diebus cæsa sunt. Et notandum quod in causa divina specialius offendendo principes cum populo suo interierint, in humana autem delinquendo principes populo cæso evaserint.

CAPUT XVII

De meritis Israelis et Judæ in typo hæreticorum et catholicorum.

Sed quia exemplis Israelitarum principum et plebium deterrendos simul et invitandos nostri temporis principes, et populos aliqua ex parte curavimus, superest, ut qui cupit duorum jam populorum, Israelis scilicet atque Judæ, dignoscere quanti apud Deum ejusque veros Israelitas habeatur oratio et operatio, revolvat prophetas, et specialius Osee et Amos; tum Abiam regem Judam vice et voce catholicorum adversus Jeroboam, et suos procul dubio hæreticos proclamantem talia : « Audi, Jeroboam et omnis Israel, num ignoratis quod Dominus Jesus Deus Israel dederit regnum David super Israel in sempiternum ipsi, et filiis ejus in pactum salis? » (*II Par.* XIII, 4, 5.) Et post pauca : « Nunc ergo vos dicitis quod resistere possitis regno Dei, quod possidet super filios David, habetisque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Jeroboam in deos, et ejecistis sacerdotes, Domini filios, Aaron atque Levitas, et fecistis vobis sacerdotes.

Digitized by Google

sicut omnis populus terrarum. Quicunque venerit et initiaverit manum suam in tauro, et in bobus, et in arietibus septem, fit sacerdos eorum qui non sunt dii. Noster autem Dominus Deus est, quem non relinquimus, sacerdotesque ministrant Domino de filiis Aaron, et Levitæ sunt in ordine suo. Holocausta quoque offerunt Domino per singulos dies mane et vespere, et thymiama juxta legis præcepta confectum, et proponuntur panes in mensa mundissima, estque apud nos candelabrum aureum, et lucerna ejus, ut accendatur ad vesperum. Nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis. Ergo in exercitu nostro dux Deus est, et sacerdotes ejus qui clangunt tubis, et resonant contra vos. Filii Israel, nolite pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum, quia non vobis expedit (*II Par.* VIII, 12). Hinc si quis typum sacerdotii hæreticorum in populo Israelitico, a Juda separato, prudenter consideret, quid dogmata et ordinationes eorum efficiant luce clarius intelliget.

Sic enim inde in quarto libro Regum legitur : « Translatus est Israel de terra sua in Assyrios usque in diem hanc. Adduxit autem rex Assyriorum de Babylone et de Chuta, et Ahiat, et de Emath, et de Serpharvaim, et collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, et habitaverunt in urbibus ejus. Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum, et immisit eis Dominus leones qui interficiebant eos. Nuntiatumque est regi Assyriorum, et dictum : Gentes quas transtulisti, et habitare fecisti in civitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ, et immisit in eis Dominus leones; et ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. Præcepit autem rex Assyriorum, dicens : Ducite illuc unum de sacerdotibus quos inde captivos adduxistis, et vadat et habitet cum eis, et doceat eos legitima Dei terræ. Igitur cum venisset unus de sacerdotibus his qui captivi ducti fuerunt de Samaria, habitavit in Bethel, et docebat eos quomodo colerent Dominum. Et unaquæque gens fabricata est deum suum, posueruntque eos in fanis excelsis quæ fecerant Samaritæ, gens et gens in urbibus suis in quibus habitabat. Et nihilominus colebant Dominum. Et cum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant, juxta consuetudinem gentium de quibus translata fuerant Samariam. Usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum. Non timent Dominum, neque custodiunt cæremonias ejus et judicia, et legem et mandatum quod præceperat Dominus filiis Israel : Fuerunt igitur gentes istæ, timentes quidem Dominum, sed nihilominus et idolis suis servientes; nam filii eorum et nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt usque in præsentem diem (*IV Reg.* XVII, 23-41). » Quæ utique res gesta hæreticos, quorum typus est, insinuat Deum timere, nec timere; colere, nec colere. Denique quamvis legem Moysi se habere et observare, seque Deum adorare et timere jactent, usque in hodiernum diem non cessantur Judæi Samaritanis, quorum duorum religio qualis sit Dominus in Evangelio Samaritanæ ostendit, dicens : « Vos adoratis quem nescitis; nos adoramus quem scimus, quia salus ex Judæis est (*Joan.* IV, 22). » Unde et magistris eorum Saducæis resurrectionem mortuorum evacuare quærentibus, ait : « Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei (*Matth.* XXII, 29). » Quos cum exemplo de Abraham, Isaac, et Jacob proposito confutasset, sub junxit : « Vos ergo multum erratis (*Marc.* XII, 27). » Qui quantum aberraverint, quantumque Pharisæi præcucurrerint, liber Actuum apostolorum sic aperit : « Saducæi dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum; Pharisæi autem utrumque confitentur (*Act.* XXIII, 8). » Unde ab ipsis Saducæi dæmonium habere perhibentur.

CAPUT XVII.

De differentia sacerdotii catholicorum et hæreticorum, et de primitiis Simoniacorum.

Præterea quantum catholicorum sacerdotes, licet male viventes, differant ab hæreticis, hinc colligitur quod, imminente Babylonica captivitate, a sacerdotibus Dei cultoribus ignis altaris in puteo absconditus post annos septuaginta a Nehemia etiam sub aqua, et in aqua vixisse cum lignis, sacrificioque supposito, deprehenditur. Qui juxta legem altari restitutus holocaustorum, jugiterque totus opera religiosorum sacerdotum, a diebus Cyri regis Persarum non defecit usque regnum Antiochi, qui procul dubio typus fuit Antichristi, cujus prophetæ habentur hæretici; quorum sicut primi, sic et maximi, in utroque testamento sunt Simoniaci. Quod non solum ex aliis Scripturis, sed etiam ex Machabæorum comprobatur gestis. Siquidem typus Antichristi, Antiochus sacerdotium Judæorum Jasoni, typum Simonis Magi præferenti, vendidit primus. Quod sic ibidem refertur : « Post Seleuci vitæ excessum, cum suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Jason frater Oniæ summum sacerdotium, adito rege, promittens ei auri talenta trecenta sexaginta, et ex redditibus aliis talenta octoginta. Super hæc promittebat et alia centum quinquaginta si potestati ejus concederetur gymnasium, et ephebiam sibi constitueret, et eos qui in Jerosolymis erant Antiochenos scriberet; quod cum rex annuisset, et obtinuisset principatum, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit (*II Mach.* IV, 7-10). » Et post pauca : « Erat autem hoc non initium, sed incrementum quod jam et profectus gentilis et alienigenæ conversationis, propter impii et non sacerdotis Jasonis nefarium et inauditum scelus, ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent (*Ibid.*, 13, 14). » Videsne Simoniaca hæresi etiam Judaicum sacerdotium sic destructum ut pro scelere venditionis et emptionis ad incrementum gentilitatis sit translatum? In quo evidenter ostenditur Simoniacam hæresim seminarium et propagationem esse non Christianitatis, sed gentilitatis. Neque enim Simoniacus aliud efficere

Digitized by Google

aut velle potest, nisi ut contribules suos utique Christianos ad gentilem ritum transferat : quod certe nefarium et inauditum scelus esse constat. Unde idem Jason non sacerdos, sed impius arguitur, quo nomine paganus proprie ostenditur. Simulque considera quod hac prima conspiratione Simoniacorum, Antiochi scilicet, Jasonis, atque Menelai, qui de tribu Benjamin natus, pecunia præfato Jasoni summum sacerdotium extorserat, octoginta millia Judæorum in Hierusalem cæsa, quadraginta duo millia vincta non minus fuerunt venundata (*II Mach.* v, 14). Tunc quoque Antiochus Menelao ductore tanquam Antichristus ducibus Simoniacis, templum quod cum sacramentis suis portendebat catholicam Ecclesiam, et sacramenta ejus ingressus, accepit altare, aureum candelabrum luminis, et universa vasa ejus, mensam propositionis, libatoria, fialas, mortariola aurea, velum, coronas, et ornamentum aureum quod in facie templi pendebat, et comminuit omnia, jubens deinde templum contaminari, et cognominari Jovis Olympii (*II Mach.* vi, 2). Et accepit argentum et aurum, et vasa concupiscibilia, et thesauros occultos quos invenit, et sublatis omnibus abiit in terram suam. Quæ utique singula illius templi ornamenta præfigurabant Ecclesiæ sacramenta, sicut orthodoxorum patrum multiplicia testantur scripta. Ex quibus ornamentum illud aureum quod in facie templi erat, titulum fidei, qua Deum esse cognoscimus, et qua ad Deum intratur, aperte significabat.

Quæ profecto, per hæreticos ab Antichristo comminuta et captivata, in comminutione et captivatione illius ornamenti aurei præmonstratur; qua captivata repellit Dominus tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus, traditque in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici, et concludit in gladio populum suum, et hæreditatem suam spernit. Juvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non lamentantur. Sacerdotes eorum in gladio cadunt, et viduæ eorum non plorantur (*Psal.* LXXVII, 60-64). Cur hoc? Quia, secundum lamentantem Jeremiam, repulit Dominus tabernaculum suum, maledixit sanctificationi suæ (*Thren.* II, 7). Unde nec ipsum templum jam cognominatur Domini, sed Jovis Olympii, ut indicetur principi aeris hujus cessisse quidquid visibilium sacramentorum in illo solebat esse Domini, sed tanti auctor sceleris Jason, a Menelao expulsus sacerdotio, fugiens de civitate in civitatem, omnibus odiosus, ut refuga legum exsecrabilis, ut patriæ et civium hostis, et qui multos de patria expulerat peregre periit; et qui insepultos abjecerat multos, et ipse illamentatus, et insepultus abjicitur, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulcro participans. Cujus supplantator Menelaus, post cædem sanctissimi sacerdotis Oniæ aliorumque multorum sanctorum, a fratre suo Lysimacho supplantatur, non multo post juxta ærarium templi seditione sæculari interemoto. Quem sacrilegum Scriptura astruit, non solum quia pecunia sacerdotium obtinuit, sed quia insuper sacra vasa, et supellectilem sanctuarii furto exportavit; quod scelus Simoniacorum specialius esse nemo ambigit. Non solum enim sacerdotium emptum ire aggrediuntur, sed quidquid ecclesiis Dei superesse potuit diripiunt, et furantur. Nec venditor quoque impunitus evasit, qui insanabili et invisibili plaga percussus, vermibus consumptus, atque fetore exercitui ejus sibique intolerabili repletus, peregre miserabili obitu est defunctus in montibus, ut puta typus ejus quem in monte sancto juxta Danielis prophetiam, spiritu oris sui interficiet Dominus Jesus.

CAPUT XIX.

Qualiter ipsi sacerdotes sub lege communionem impiorum vitaverint, et ab eis contaminata purificaverint.

Ecce si sic perierunt tunc pseudoprophetæ, et pseudochristi Simoniacorum etiam sub umbra legis Moysi, putamusne qualiter pereunt nunc sub veritate Evangelii Jesu Christi? Quorum communionem quanto suorum corporum periculo, facultatumque dispendio, Mathathias et filii ejus nonnulli alii devitant, in libris Machabæorum cognoscere possunt qui voluerint. Siquidem multa hominum millia utriusque sexus non tantum in civitatibus, verum et in montanis et solitudinibus glorioso tunc martyrio pro lege Dei quam zelabant coronata sunt. Quo zelo Mathathias quoque sacerdos et filii ejus quinque, relinquentes quæcunque habebant in civitate, fugerunt in montes et secesserunt in desertum locum; ibique inter feras vitam in montibus agebant, et feni cibo vescentes demorabantur, ne participes essent coinquinationis. Et in quo jam isti adhuc in Judaismo minus sanctis Patribus nostris in Christianismo communionem hæreticorum vitarunt? Simul quoque consideremus quia, donec sacerdotium Judæorum viguit, nulla utensilia vel pecunia templi angelicis excubiis defensi potuere diripi aut captivari, quamvis id obstinato animo Heliodorus sub Onia pontifice aggressus fuerit. Quod sine aliqua vindicta constat tunc effectum ob sacerdotium vendutum, vel a non sua tribu..... fuit præsumptum.

Nec minus considerandum est in facto legitimo sacerdotum illius temporis quanto studio et qualiter a catholicis expianda sunt, quæ contaminata invenerint ab hæreticis. Sic enim inibi docemur super his : « Elegit Judas sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei. Et mundaverunt sancta, et tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. Et cogitavit de altari holocaustorum, quod prophanatum erat, quid de eo faceret. Et incidit illis consilium bonum, ut destruerent illud, ne forte esset illis in opprobrium, quia contaminaverant illud gentes; et demoliti sunt illud, et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto quoadusque veniret propheta et responderet de eis. Et purgato templo, acceperunt lapides integros secundum legem, et ædificaverunt altare novum secundum illud quod

Digitized by Google

fuerat prius, et ædificaverunt sancta, et quæ intra A domus intrinsecus, et ædem, et atria sanctificaverunt. Et fecerunt vasa sacra nova, et intulerunt candelabrum et altare incensorum, et mensam in templo, et incensum posuerunt super altare, et accenderunt lucernas quæ super candelabrum erant, et lucebant in templo. Et posuerunt super mensam panes propositionis, et appenderunt vela, consummatisque omnibus ante matutinum surrexerunt, et de ignitis lapidibus igne concepto, obtulerunt sacrificium secundum legem super altare holocaustorum novum quod fecerunt (*I Mach.* IV, 42-56). Quibus actis, rogabant Dominum prostrati in terram, ne amplius malis talibus inciderent, sed, et si quando peccassent, ut ab ipso mitius corriperentur, et non blasphemis aut barbaris nationibus traderentur. Qua B die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purgationem fieri vicesima quinta novi mensis Casleu, et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum. Et decreverunt communi præcepto et decreto universæ genti Judæorum omnibus annis agendum per dies octo (*II Mac.* X, 4, 8). Et ornaverunt faciem templi coronis aureis et scutulis, et dedicaverunt portas et pastoforia et imposuerunt eis januas, et facta est lætitia in populo magna valde. Et aversum est opprobrium gentium (*I Mac.* IV, 57, 58), » quas legalis umbræ lineas evangelica recto pede resculpit veritas, dum pene eodem modo catholici patres pro re et temporis sui qualitate expiant contaminatas ab hæreticis ecclesias; quod studii nostri erit alio loco et evidentibus C demonstrare exemplis.

Attamen et illud interim consideretur quod ante primam captivitatem sub sacerdotibus, quamvis male viventibus, nec altare Domini, nec utensilia ejus, nec ignis sint penitus innovata, sed ab idololatriæ sordibus, reliquisque contaminationibus per manus legitimorum sacerdotum sola aqua expiationis purificata. Quod secus factum esse post captivitatem occasione sacerdotii venalis superius ostenditur, in tantum ut lapides quoque sancti quondam altaris inde remoti fuerint; igniisque novus conceptus ex ignitis lapidibus fuit (*II Mac.* X, 3), cum a sacerdotio Aaron usque ad perfidum Jasonem ignis ab altare holocaustorum non defecerit, nec abominandum idolum desolationis super illud regum quisquam ædificaverit. Quæ tertia jam reconciliatio altaris et templi per aliquot legitimos sacerdotes, qualis Christi præcursoris genitor Zacharias, etiam regnante Herode, exstitit, consecrata fuit, donec, jam prædicante Domino nostro Jesu Christo, Annas et Caiphas non solum venale, sed et annuale sacerdotium sua ambitione et pecunia prorsus effecerunt. Quorum suique similium negotio domus orationis spelunca latronum (*Math.* XXI, 13) fuerat facta, protestante Domino, quos paulo post in cruce tanquam in throno pontificali exaltatus damnavit, et irrecuperabiliter deposuit, dum, velo templi a summo usque deorsum per medium scisso (*Math.* XXVII, 51), omnia illorum sacramenta denudavit, eorum sacerdotium cum omnibus suis cæremoniis, et lege spiritualiter ad se, et ad suos cohæredes velut ad tribum Judam nomen ejus confitentem transtulit, reprobatis illis; qui eum negarunt exclamando : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15). »

Denique quidquid sacerdotalis officii postea, tam ab illis quam ab eorum similibus et sequacibus, præsumptum illic et actum fuit, diaboli et non Dei cultus exstitit, juxta quod B. papa et doctor Leo asserit, « reclamantibus quoque potestatibus angelicis, et dicentibus : Transeamus ab his sedibus. » Sic jugi sacrificio ablato, usque in finem perseverat inibi abominatio et desolatio; secundum quod B. Hieronymus de tribus quatuor sceleribus quarumdam disserens nationum, ait : « Amos propheta in eas gentes quæ lectione ejus comprehensæ sunt, ob eas causas quas memorat, affuturam iram Dei denuntiat. Et quia in sequentibus ait : In tribus impietatibus et super quatuor non convertam eum, tertio peccatorum indulgentiam Deum dare posse significat; quem quarto eadem peccata committentibus, nec pœnitentiam, nec indulgentiam daturum denuntiat. Nam per ignis similitudinem, quem in prædictas gentes mittendum prædixit, gravem et irrevocabilem Dei iram, animadversionemque voluit demonstrare. » Quo tanti viri testimonio expergiscantur Simoniaci, et discant quanto minus sint ipsi convertendi, qui non solum ter aut quater, sed etiam centies aut millies committunt eadem scelera, imprætermisse negotiando de Spiritus sancti gratia. Quæ quamvis graviter punienda sint in emptoribus, multo tamen gravius in venditoribus, quia evenit nonnunquam, ut emptor emendo nonnisi semel delinquat, dum denuo cuilibet vendere quod accepisse putatur recusat. Venditori autem quæ gratia remanet, aut quæ ira non imminet, qui nonnisi vendere solet? Sed ne de aliis tantum sceleribus, et non de Simoniaca hæresi dictum putetur, attendamus quid de Israel, cujus ambitio in typo hereticorum regnum bipartitum effecit, ab eodem propheta dicatur; et sole clarius cernetur illorum prius negotium, quo inique vendunt, et alterum quo sibi linguas correptorum, quasi prophetarum, iniquius redimunt. Ait enim : « Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam D eum, pro eo quod vendiderit argento justum et pauperem pro calceamentis, et super vestimentis pigneratis accubuerunt, juxta omne altare, et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui (*Amos*, II, 4, 8). Et suscitavi de filiis vestris in prophetas, et de juvenibus vestris in Nazaræos, et propinabatis Nazaræis vinum, et prophetis minabatis, dicentes : Ne prophetetis (*Ibid.*, 11, 12). »

CAPUT XX.

De periculo sacerdotum et indisciplinata ambitione nostri temporis.

Sed væ, væ nobis sacerdotibus et clericis, quia nos ipsi audaciam et gladium ad præsumendum et invadendum ecclesiastica subministramus laicis, quæ

Digitized by Google

nec præsumerent nec invaderent, nisi aut nostra negligentia aut favor eos ad id animaret? Nempe cum simus canes cœlestis patrisfamilias, non solum nullo libero et continuo latratu, nullo acri morsu, importuni a peculio et caulis ejus raptores arcemus; quin potius muti, perditis obsecrationum linguis, aut repressis redargutionum dentibus, vocibus et caudis, velut inertes canes, penitus demissi, improba et cæca adulatione ad rapiendum invitamus. Nec aliquo timore vel amore Domini nostri offensam incurrere cavemus, nec instar damnosi canis præcipitandos nos in rapacem Carybdim, ultimisque suppliciis obruendos recolimus. Sed quod adhuc plus dolendum est, familiæ Dominicæ efficimur terribiles et raptoribus mites. Insuper tantus stupor nos obsidet, ut credamus laicorum esse quod nostrum est. Inde est quod nonnuli nostrum, cæca ambitione ducti, quo maxime malo intra Italiam laboramus, postpositis ecclesiasticis rectoribus, quorum tantummodo interest, certatim palatia nec requisiti, nec vocati irrumpunt, sæculares potestates impudenter adeunt, censum patrimoniorum suorum et facultates principibus eorumque familiaribus adhærendo et obsequendo expendunt, ut vel sero aliquam ecclesiasticam dignitatem venentur post diuturnas, maximas et continuas angustias, quas insanissima patientia diebus et noctibus perferunt, patientes exsilii, inediæ, algoris et vigiliarum supra modum. In quo nimirum detestabiliores ambitioso Catilina sunt habendi, qui patriæ parricida ob consulatus ambitionem non renuit fieri. Quod si ille terrenæ dignitatis appetitu, terrenum et paganum regnum inquietando et confundendo parricida dictus et habitus est, quia etiam cum interitu urbis, qua editus fuerat, principari tentavit, ubi patres conscriptos suæ ambitioni refragari sensit: qui putamus dicendi et habendi sunt, qui sua ambitione cœleste Christianum regnum, Ecclesiam scilicet matrem suam, confundunt et interimunt, contradicente illis ipso regum Rege, Christo, omniumque venerabilium Patrum præteritorum et præsentium concilio? Quos quis dubitabit dicere supra modum Simoniacos, qui non solas pecunias, sed semetipsos insuper in talibus negotiis expendunt? Siquidem tolerabilius est illis qui simul et semel et in uno suoque loco emunt quod quærunt quam qui particulatim et multoties, diebusque vitæ suæ peregrinando atque discurrendo de loco ad locum.

Qui tandem nullo suo merito, sed solo obsequio aut humana gratia dignitatem a sæcularibus adepti quam debuerant, si bene in Ecclesiis suis militassent, per ecclesiasticos adipisci, in labores eorum tyrannico furore introeunt. De talibus Ecclesia, scilicet clerus et populus cujuscunque civitatis conquerendo et ejulando dicere cum Domino potest: « Ipsi regnaverunt et non ex me; principes exstiterunt et non cognovi (*Ose.* II, 4). » Neque tamen hæc dicendo illos incusamus qui suæ egregiæ indolis publicæque utilitatis causa invitatione, et petitione principum, atque suorum licentia vel præcepto rectorum in terreno palatio conversantur et deserviunt, atque nonnunquam ab Ecclesiis rectore privatis nec aliquem suorum qui proficue succedat habentibus expetiti, regimen suscipiunt, nec dicendi sunt labores aliorum invasisse; sed fratribus in labore deficientibus occurrisse. Et quod laudabilius est, profectum suum suæ debitum Ecclesiæ, cujus stipendiis et in qua militaverunt, periclitantibus aliis Ecclesiis, charitative impendunt; nec dignitatem, quæ eis, ut emeritis, in Ecclesia sua vel patria debebatur, attendunt. Tales profecto tanto magis sunt reverendi quanto non sua quærunt, sed Christi; quibus sane bonis æque omnibus injuriam faciunt, imo Omnipotentis voluntati, in cujus ditione cuncta sunt posita, resistunt, quicunque ob hoc importunos se impudentesque ingerunt; quorum indisciplinatorum et girovagorum tanta est multitudo, nec tantum nobilium et litteratorum quantum et ignobilium atque illitteratorum, ut, ecclesiis claustrisque vacuefactis et vacantibus, palatia domusque sæcularium vix jam capere sufficiant examina clericorum. In quibus nonnulli inveniuntur qui ecclesiasticos honores non tantum clericali officio quantum medicinali, aut scurrili seu gnatonico aucupantur. Mentior, si non plures ejusmodi promeruit Italia, quos nulla promovit morum aut litteratorum gratia, sed aut scurrilitas vel fallax adulatio, seu, quod excusabilius putatur, sola medicina. Quibus cum nullus Christianorum communicare debeat, ut vere acephalis et sine suorum rectorum litteris et permissu vagantibus, insuper regimen ecclesiasticum committitur; quod tandem adepti, non solum tanquam indisciplinati et stulti confundunt et dissipant, sed etiam tanquam libidinosi multimoda fornicatione et fœditate incestant.

CAPUT XXI.

De præcipuo malo Italiæ, et de quodam vano episcopo, et officio sacerdotum, principum et plebium.

Talibus utique ordinationibus cum nonnullæ provinciæ sordeant, tum præcipue Italia, in quam hujusmodi solet confluere sentina, quæ non solum suo fetore navigare ad regnum cœlorum cupientes ægrotare compellat, sed insuper pondere demergat; nimirum tales tardissimi ad bene audiendum, tardioresque ad bene vivendum, cum sint promptissimi ad loquendum et exercitatissimi ad adulandum, aures principum simplices et ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt, eorumque recta studia depravant. Si quidem prudentia carnis, quæ legi Dei, ut ejus inimica, subjici non potest, inflari atque nunc simulare, moxque dissimulare quodlibet periti, verisimilibus argumentationibus et intercisis sancti Christi sanctorumque Patrum sententiis abutuntur ad persuadendum; sicque nunc mimica levitate festivi, nunc philosophiæ gravitate severi, nunc sæculari urbanitate lepidi, nunc pecuniaria largitate importuni, velut alter sceleratus et multiformis Proteus, ipsi quoque versipelles ad suum arbitrium violenti, et, quod gravius est, blasphemi, reflectunt

Digitized by Google

quidquid apud Deum et homines constabat Ecclesiæ sanctæ utile et honestum. Mirantes enim personas, quæstus causa, inter alia sua deliramenta et præstigia, quibus tanquam novo aucupio incautos illaqueant, patulis et avidis auribus principum mundanam potestatem, maximeque imperatoriam regiamque potentiam supra modum magnificant, et ecclesiasticam dignitatem attenuant. Et quia vicissitudo est omnium rerum sub sole, ut aliquando proficiant, aliquando deficiant, secundum exteriorem profectum aut defectum ecclesiasticæ causæ, meritum et potentiam sacerdotalis dignitatis æstimant, ut modo ei, velut lunæ, solem sæculares potestates præponant; modo, velut soli, alterum solem opponant; modo (quod tamen rarissime fit) in solo filiationis nomine, velut filium patri, supponant. Quod impuræ et improbæ adulationis figmentum diebus nostris sic prævaluit, ut aliquid hujusmodi parasitorum, ad confusionem sanctæ Ecclesiæ suamque perditionem, dictus episcopus popularem favorem sic sibi conciliare solitus esset: Papa, inquam, Romanus est pater, Imperator filius, ego autem qui inter ipsos duos discurro, Spiritus sanctus. Quam blasphemiam quis catholicorum, ne dicam declamare, sed vel patienter audire potest? Sed cæcus adulator, sibique supra modum ex suæ adulationis effectu placens, dum conatur ab hominibus æstimari supra id quod erat aut videbatur, duarum hæreseon blasphemias incurrisse convincitur. Ubi sua præsumptione gradus in sancta Trinitate constituit, tanquam Arius; et tanquam Manes, se Spiritum sanctum esse professus est. Quo utique sacrilegio, multisque aliis, Deo et fidelibus ejus invisus, velut alter Jason peregre periit, vagus et profugus.

Itaque quicunque principum quærit hic sibi felicitatem et in futuro beatitudinem parare, caveat talibus acquiescere. Rex enim qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habebit impios. Nec habeant Christi sacerdotes et quæ ad eos pertinent alio loco quam quo habuit Maximus Constantinus, ejusque orthodoxi successores in imperio, sicut paulo superius ex parte monstratur in hoc opusculo. Unde qui sacerdotalem et regalem dignitatem vult irreprehensibiliter et utiliter conferre, dicat sacerdotium in præsenti Ecclesia assimilari animæ, regnum autem corpori, quia invicem sese diligunt, et invicem sese indigent, suamque sibi operam vicissim exigunt et impendunt. Ex quibus sicut præeminet anima et præcipit corpori, sic sacerdotalis dignitas regali, ut puta cœlestis terrestri. Sic nec præpostera, sed ordinata sunt omnia: sacerdotium, tanquam anima, præmoneat quæ sunt agenda; regnum deinde, tanquam caput, sui corporis omnibus membris præemineat, et ex quo expedit præcelat. Sic enim regum est ecclesiasticos sequi, sic laicorum quoque reges suos ad utilitatem Ecclesiæ et patriæ, sic ab una eorum potestate populus doceri; ab altera debet regi, quarum neutra populum inconsiderate sequi. Quod sanctorum Patrum auctoritas sacerdotibus sic inculcat: « Docendus est populus, non sequendus, nosque, si nesciunt quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his consensum præbere debemus. » Porro de regibus et sæculi principibus ait: « Principes sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Cæterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut, quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleste regnum proficit, ut qui, intra Ecclesiam positi contra fidem et disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ utilitas vel humanitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat. Cognoscant principes sæculi debere se reddere rationem propter Ecclesiam quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax et disciplina Ecclesiæ per fideles principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati sanctam Ecclesiam credidit. »

CAPUT XXII

De nociva taciturnitate sacerdotum, et loquacitate adulatorum.

Hæc ita esse cum nemo Christianorum contradicere audeat, væ nobis sacerdotibus quia tacemus, quia viri polluti labiis sumus! Si enim sanctissimus Isaias pollutionem labiorum incurrit, quia regem, sacerdotale officium semel tantum attentantem, libera voce, sicut Elias, non redarguit, nec perfecte ab ea pollutione purgari, juxta beati Hieronymi sententiam, potuit, donec crudeliter sectus occubuit, rogo quando labia nostra mundabuntur, qui sine intermissione principes ecclesiastica præsumentes non solum non redarguimus, sed insuper laudamus? Et talibus labiis Dominum interpellare aut nominare audemus? Et quid juvat quotidie dicere: « Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa (*Psal.* CXIX, 2); » et: « Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam? (*Psal.* L, 17.) » Nonne iniqua labia sunt, quæ iniquitatem non arguunt, vel quæ iniquitatem non defendunt? A quibus liberari, si omnibus Christianis orandum est, multo magis sacerdotibus, quibus non solum pro se, sed et pro omnibus orationi et prædicationi insistendum est, ne forte cum multiplicaverint orationem, non expediat Deus pollutis labiis eorum offensus. Lex enim veritatis, ut beatus Hieronymus super Malachiam disserit, in ore sacerdotis est doctrina populorum, quæ in sacerdote nullo debet mendacio deturpari, sed tota de veritatis fonte procedere, et ut ipse pacem habeat, et cæteros pacificet, nulliusque personam accipiat in judicio, et multos avertat ab iniquitate corripiens alios. « Labia sacerdotis custodient scientiam (*Mal.* II, 7). » Et non dixit, proferent, sed, « custodient, » ut in tempore loquatur opportuno, « et legem requirent ex ore ejus, quia

Digitized by Google

angelus Domini exercituum est (*Mal.* II, 7). » Et speculator datus a Domino domui Israel. A cujus ore requiretur doctrina et increpatio, nisi annuntiaverit justo ne peccet, atque injusto ut convertatur; sanguis amborum de manu linguæ illius requiratur.

Qua animadversione si feriuntur labia ex solo silentio iniqua, qua putas ferientur dolosa quæ, non solum reticent quam corripere jubentur iniquitatem, sed insuper mentiendo laborant ostendere æquitatem? Unde, « Væ vobis qui dicitis bonum malum, et malum bonum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum dulce et dulce amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes : qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo » (*Isa.* V, 20, 23). » Qui enim, ut ait Salomon, dicit impio : Justus es, maledicent ei populi, et detestabuntur eum tribus. Quos propheta cavendos denuntians, ait : « Populo meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. Stat ad judicandum Dominus, et stat ad judicandum populos. Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui et principibus ejus. Vos enim depasti estis vineam meam, et rapina pauperis in domo vestra (*Isa.* III, 12-14). » Quod nequissimum adulationis vitium necesse est tanto animosius insectemur, quanto perniciosius omnibus pene vitiis intelligimus. Ipsum enim sacerdotalem auctoritatem, ipsum regalem potestatem et modestiam destruit, ipsum, ne Deo et hominibus debita reddantur, fasque nefasque confundit. Adulator quippe blandus inimicus est, perjurus principibus, quibus, contra jusjurandum suum, infidelis est, cum eis aut mala agere suadet, aut acta improbo favore effert, ut impœnitentes viam sibi in futuro thesaurizent, perniciosissimus populis, quos nec sapere nec resipiscere permittit, invisus Deo, contra quem efficax adjutor diaboli a bonis revocare, et ad mala provocare homines insistit. Unde venerabilis Prosper, prosa metroque eximius, ait de talibus : « Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Delectantur enim ea facere in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur. » Cujus inde epigramma tale est :

Lingua assentatrix vitium peccantis acerval,
Et delectatum crimine, lauto ligat.
Nulla sit ut lapso reparandæ aura salutis,
Blanditur sonti dum malesuadus honor.
Libera sit potius vox correptoris amici,
Serpere nec libris cæca venena sinat.
Nec credens medici verbis fallacibus æger,
Noxia laudatæ vulnera pectoris amet.

CAPUT XXIII.

De periculo male tacentium sacerdotum et male loquentium, et de individua unitate divinitatis et suorum.

Itaque hæc et hujusmodi quamplurima patienter audiantur, atque tandem, si suam alienamque perditionem evitare curant ministri Christi, et maxime sacerdotes, seu timore seu amore humano cavent non solum malis, sed et bonis tacere, alioquin morientur, si vel intrantes tabernaculum Dei, vel exeuntes de se sonitum non reddiderint. Nihilominus ministri diaboli parasiti et ventriloqui, maximeque erronei clerici desinant majoribus vel minoribus suis placere, dum favent malis et detrahunt bonis. Illi loqui præsumant, isti tacere discant. Alioquin « desolabit Dominus linguam maris Ægypti (*Isai.* XI, 15), et erunt qui beatificant seducentes, et qui beatificantur præcipitati (*Isai.* IX, 16). » Quorum nequitiam et pœnam Psalmista in transgressore psalmo intimat, dicens : « Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde et ore locuti sunt. Disperdat Dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam. Qui dixerunt : Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est? (*Psal.* XI, 3 5.) » Sicut ergo maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine, sic et væ ei qui lactat amicum suum, et ducit via non bona! Quapropter, admonente propheta, lingua balborum velociter loquatur (*Isai.* XXXII, 4); et plane atque cor stultum intelligat scientiam, et mutilatores discant legem, ne forte illi, quod absit! divisioni, quæ in Deum non cadit, tacendo consentientes, et isti adulando insistentes et faventes, a Deo ut schismatici et hæretici dividantur pariter. Indubitanter enim schisma vel hæresis est Deum et suos ab invicem conari dividere, beato Paulo Corinthiis sic protestante : « Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem scientia. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiones inter vos sunt. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit : Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus? » (*I Cor.* I, 10-13.) Subauditur : minime.

Aliter enim illa ejus oratio, quod absit! infructuosa erit, quam Deo Patri ad passionem iens fudit, ubi inter alia suis, maxime ut unum essent in illo, deposcebat dicens : « Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos ex malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate; sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum; et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut mundus credat quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum (*Joan.* XVII, 14-23). » Videsne, divisor blaspheme, Christi non posse individua dividi. Individua quippe sunt Christi et ejus ministri. Et quod magis stupeas, individui sunt puri homines a Deo

Digitized by Google

Patre, qui tantum Deus est, mediante Christo, qui Deus et homo est, sicut ipse ait : « Ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum (*Joan.* XVII, 14-23). » Quæ tamen mirabilis et desiderabilis unitas illi, tanquam Unigenito, natura debetur, homini, tanquam adoptivo, sola gratia præbetur. Denique ut Christus Jesus Deo et homini uniendis, sicut singulariter fidelis mediator, ambobus apparet, suæ naturæ divinæ et sanctitati, quibus Deo congruebat, humanam naturam et sanctificationem, qua sanctus et sine peccato natus est, univit, ut ex una homini in peccatis concepto sic congrueret ut consuleret, atque ex altera sic subveniret ut sanctificationem quoque perditam restitueret. Quæ sanctificatio Virginis, terræ filio divinitus collata et diabolicæ potestati adempta, redditur virginis Mariæ Filio, qua idem verus homo prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, quem sanctificationis spiritum suis ipse Dei et hominis filius deposcens, ait : « Sanctifica eos in veritate, » scilicet in me qui sum veritas, « ut sint et ipsi sanctificati in me (*Ibid.*, 17). » Ex quo veraciter colligitur sanctificatione sola effici ut humanis divina jungantur. Itaque, si unum fiunt cum Christo in Deo ministri et famuli Christi, quia sanctificati sunt in ipso, manifestum est quidquid ministrorum Christi est unum esse cum illis in Christo, quia sanctificatum est in ipsis Christo. Quod si peculium carnalis servi unitur et servi domino per servum qui ejus est, quomodo non magis unitur et cedit Christo quidquid suorum est, præsertim quibus possessio nulla est, nisi quæ ipsi de donis suis redonata illis redonatur, quorum pars hæreditatis insuper est ipse Dominus, cui et ipsi sunt hæreditas?

CAPUT XXIV.

De exemplis individuæ Trinitatis in omnibus creaturis.

Sed, proh dolor! unionem hanc detestabiles, et individuum individui et ab ipso divisi dividere aggrediuntur, cum sanctificationem ita in se contineat ut ab ea contineantur. Equidem velut luteo glaucomate lippi, aut superfluo potu madidi, solem aut lunam, seu quamlibet lucernam credunt sibi non solum duplicari, sed et multiplicari, ut egregius Prudentius Marcionitas duos deos, bonum scilicet ac malum, sibi confingentes confutans, ait :

Nemo duos soles, nisi sub glaucomate, vidit.

Quapropter, si possunt, perpendant quam aversi a Deo incedant, qui dividere individua laborant. Denique ipse Deus suam individuam Trinitatem unitate commendat, atque hoc suæ incommutabilis et invisibilis naturæ exemplar non solum invisibilibus et mutabilibus, sed visibilibus quoque facturis suis commodat et conservat. Omnia enim quæ in una sapientia sua Deus fecit, Trinitatem qua subsistunt insignivit, ubi omnibus mensuram, numerum, et pondus habere dedit (*Sap.* XI, 21). Quæ tria contemporaliter, et inseparabiliter omnibus creaturis insunt, nec quodlibet eorum prius ac posterius duobus reliquis, aut sensibiliter ab illis separabile invenire poterit. Sive enim mensuram, sive numerum, sive pondus in quibuslibet corporis naturis consideres, pariter et inseparabiliter in ipsa tria nasci, esse, crescere, decrescere, et interire etiam sensibus corporis senties. Quæ nihilominus in corporeis creaturis, si animadvertas, intelliges. Habent siquidem mensuram qua etiam circumscribuntur, pondus meritorum, numerum affectuum diversorum. Nempe ut membrorum vel partium diversitas dat corporibus numerum, sic et creatis spiritibus diversitas effectuum. Itaque, ut venerabilis Prosper ait, sic operum species prædicat artificem, fingentem rebus formas, loca, tempora, motus mensuris, numeris ponderibusque suis. Quæ licet tria omnibus pariter inserit creaturis, tamen unum quoddam efficiunt, unitateque coercentur, quatenus, juxta suum modum, sic sua dilatentur trinitate ut sua quoque arctentur unitate, sicque numerum habeant nec habeant, instar sui auctoris, qui et tria summa dicitur et unum. Porro juxta quod beata et incorruptibilis hæc Trinitas unus Deus recte dicitur et habetur, sic et incorruptibilis illa Trinitas in singulis creaturis, aut unus spiritus, aut unum corpus dicitur et habetur.

Ex quibus omnibus multipliciter docemur Deum, tam in se quam et in omnibus operibus suis, commendare, atque super omnia diligere monadem, et apprime detestari et odisse a se quodlibet ascendentem. Monas enim individuæ suæ naturæ beneficio etiam dividua individuo unionis reducit, et individuæ connectit. Dias autem dividuas sui vitii maleficio etiam individuum dividere quærit. Illa, tanquam inviolabilis et pacifica, nil nisi a dividuis, diversis et privatis retrahere, atque suo omnibus communi, et præsenti individuo unire novit. E contrario ista tanquam violata violatrix, et schismatica, nihil nisi ab individuo consimili et communi bono obrumpere et abscindere tentat. Hæc procul dubio ab illo incommutabili; et individua monade ultro recedens prius privatæ et solitariæ sedis locum sibi in lateribus aquilonis exploravit, deinde hominem a Deo divisit. Hæc quoque more suo per meretricem dixit : « Nec mihi, nec tibi, sed dividatur (*III Reg.* III, 26). » Hæc etiam in Evangelio per alium, persuadere cupit æternæ Monadi visionem, dicens : « Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem (*Luc.* XII, 13). » Cui beata Monas reclamans, naturæ suæ impassibilitatem sic prædicavit : « Homo, quis me constituit judicem, aut diversorem super vos? » (*Luc.* XII, 14.) Et si omnia opera divinitatis consideres, monade prorsus ea subsistere, diade autem interire invenies. Quibus sicut monas est subsistendi principium, sic et dias desistendi initium. Nam quandiu diversitas et numerositas membrorum, seu partium, unione censetur, vel toto suo connectitur, subsistit. Ubi autem ad diadem accedit, desistere et interire incipit. Quod Moyses quoque innuit. Qui, cum singulorum dierum opera Deum quod bona essent vidisse

Digitized by Google

commemoraverit, de die tamen secunda loquens reticuit, significans Deo non videri bonum, ubi, quid ab incommutabili ejus unitate discedens, mutabilitatem pluralitatis incipit, et incidit.

CAPUT XXV.

Quod individua sit sanctificatio ab his quæ sanctificat, et qualiter sanctificentur.

Cum ergo his et pluribus aliis sanctæ Scripturæ testimoniis liqueat Domino Deo in suæ creaturæ universitate quam maxime placere universale et commune bonum, atque e contrario displicere particulare et privatum, cujus scientiæ, imo cujus frontis sunt qui quælibet sanctificata Deo prædicant impune et sine sacrilegio posse dividi ab ipsa sanctificatione sua quæ cohærent Deo? Quæ qualiter sanctificentur, vetus lex, quæ novæ typus est, multipliciter ostendit. B At enim ex debito quidem, sicut primogenita, primitiæ et decimæ quæ exiguntur, ut pura sanctificata Domino, priusquam nascantur; ex oblatione, sicut pectusculum, armus, pecus, vel quæcunque Domino sanctificantur, ubi recte offeruntur; ex voto autem, quæcunque sponte voventur. Nam ab ipso voto sanctificata Domino noscuntur. Quæ pariter in Levitico breviter comprehenduntur, ubi sic præcipitur : « Primogenitæ quæ ad Deum pertinent nemo sanctificare poterit et vovere, sive bos, sive ovis fuerit, Domini sunt. Quod si immundum est animal, redimet qui obtulerit, juxta æstimationem suam, et addet quintam partem pretii; si redimere noluerit, vendetur alteri, quantocunque fuerit æstimatum. Omne quod Domino consecratur, sive homo erit, C sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid fuerit semel consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. Omnes decimæ terræ sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt et illi sanctificantur. Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum omnium decimarum, bovis, et ovis et capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum transierit sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutaverit, et quod mutatum est sanctificabitur Domino, et non redimetur (*Levit.* xxvii, 26-33). » Quod si diligenter investiges, invenies tabernaculum, cunctaque ejus utensilia, oleo sanctificationis inuncta, vocabis sanctum sanctorum; cætera vero exterius, quæ eidem D vel ministris ejus pertnent, tantummodo sancta. Unde intelliguntur hæc sanctificationem, quæ sancta sunt, accepisse ab ea communione, qua per devotionem fidelium connexa sunt sanctis sanctorum. Ex quibus tantam sanctificationem sibi mutuabantur et potiebantur ut, pro modo admonitionis, quædam in loco sanctuarii sacerdotibus tantum, quædam etiam maribus stirpis eorum, quædam et cunctæ illorum familiæ emptitiæ, seu vernaculæ, debebantur, excepto omni alienigena, inquilino quoque sacerdotis, et mercenario, nec non leproso et immundo. In quibus sanctificatis, si anima prævaricans cæremonias per errorem peccasset, offerebat pro delicto suo arietem A immaculatum de gregibus, qui poterat emi duobus siclis, juxta pondus sanctuarii, ipsumque quod intulerat damnum restituebat, et quintam partem ponens supra tradebat sacerdoti, et sic ei dimittebatur.

Quod si quis comederet de sanctificatis per ignorantiam, addebat quintam partem cum eo quod comederat, et dabat sacerdoti in sanctuarium, ne contaminaret sanctificata filiorum Israel quæ offerunt Domino, ne forte sustineant iniquitatem delicti sui qui sanctificata comederint : « Ego, inquit Dominus, qui sanctifico eos. » (*Lev.* xxi, 25.) Ex quibus evidenter comprobatur quia Dominus tabernaculum suum et ministros sic sanctificat, ut quidquid ipsis pertinet sanctificatum permaneat. Ex quo si quilibet quantulumcunque sibi per errorem vel ignorantiam præsumeret, aut augmentum restitueret, ut de medio populi sui periret. Si autem per superbiam, nullo pacto diræ mortis evaderet sententiam hic, cum Dominus sanctificator omnium, nunc leniter admonendo, nunc aspere deterrendo, astruat suam sanctificationem ab eis quos vel quod sanctificat inseparabilem. Qui sunt isti qui iniquitatem contra Excelsum loquuntur, asserentes sanctificata sine sanctificatione emisse, aut dono accepisse? Qui utique vel rebus visibilibus debuerant doceri, quas constat, nec sine mensura, nec sine numero, nec sine pondere, quæ semel et simul Deus illis indidit posse vendi aut donari. Quod si concessum est his, quarum ipse usum et servitium ipsis quoque inimicis suis relinquit et permittit, videlicet ne sine suis qualitatibus habeantur, quanto magis conceditur illis, quas ad solos sumptus Ecclesiæ suæ sanctæ, ac ministris suis sanctis, non solum ab inimicis, sed ab amicis quoque suis laicis sua sanctificatione secrevit! Procul dubio in hujusmodi schismaticos non absurde dirigi potest illa querimonia Christi : « Diviserunt sibi vestimenta mea. » (*Psal.* xxi, 29.) Nunquid enim et isti tanquam profani milites, ob mercedem illusionum et injuriarum quas Christo pertinaciter ingerunt, ut inimicis ejus placeant, atque inimicos ab eo avertant, non dividunt jugiter vestimenta illius, quandocunque res illi soli devotione fidelium collatas, et sanctificatas ad victum et vestitum suorum membrorum adhuc istic talibus indigentum præsumunt et sibi dividunt, non ad aliquam sanctificationem sibi, sed ad solam maledictionem et sempiternam damnationem? Quem insuper felle cibant et aceto potant, quia pauperibus ejus debitam alimoniam subtrahentes præ fame et siti vitam eorum intolerabili amaritudine replent, quibus et si de sua videntur interdum aliquid impertiri, tanquam chlamys coccinea et adhibetur inhonestioribus, ut putatur, membris Christi. Neque enim pudori ejus in hoc consulunt, sed suo, dum miserorum calamitatibus ob id tantum subveniunt, ne inhumani videantur, aut certe importunos sibi non erubescere arguantur.

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

De pœna divisorum, quod Spiritum sanctum non accipiant, nisi sequaces fidei apostolorum.

Hæc cum ita sint, quod conjunxit homo non separet, quia perniciose hoc faciet, secundum quod in Evangelio ipse super divortio conjugum interrogatus prohibet (*Marc.* x, 9). Ut enim illi cum duo ante conjugium fuerint, jam post conjugium non duo sed una caro sunt, attestante Domino, vel sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita clericalis ordo atque ecclesiastica possessio una est Domini sanctificatio, quam quisquis sæculariter dividit, nil nisi spiritualem interitum efficit, velut si conjugium mœchando hominem solvat occidendo; quo denique facto, necesse est duos irrites, dum unum divides, Deum scilicet atque maritum, si uxorem; nihilominus B Deum atque interiorem hominem, si diviseris exteriorem. Sic in Deum et in famulos ejus peccas, dum sanctificatam eorum possessionem a sua sanctificatione sequestras. Quod periculosius facis hic quam in adulterio, quia illic unum, hic autem multa hominum millia scandalizas. Quod si quis scandalizaverit unum de pusillis Dei, cum mola asinaria, collo ejus suspendenda, demergendus est in profundum maris (*Matth.* xviii, 6), quid, putamus, meretur qui tot ejus pusillos cum majoribus sua ambitione et invasione scandalizat? Quo scandalo conjugium Christi et Ecclesiæ suo solvit adulterio, homicidio quoque et sacrilegio, ubi suo maligno zelo eliminat ab Ecclesia arrham divini matrimonii, Spiritum sanctum scilicet quo sanctificabatur, vivificabatur et ornabatur. Qui sicut replet orbem terrarum, et continet omnia tanquam Conditor, ut subsistere valeant, sic et Ecclesiam, et omnia illius replet ac continet, tanquam sanctificator, ut non solum subsistere, sed insuper sancta esse valeant. Quam sanctificationem, bona voluntas, vel devotio, atque oratio invitat ad sanctificandum quidquid sanctæ Ecclesiæ confertur a fidelibus, qui præcepta Dominica servantes, ad cœlestes thesauros terrena patrimonia de terra levant, et transferunt per manus pauperum spiritu, quorum est cœlorum regnum, et quorum advocator et consolator est Spiritus sanctus, a quo omnis sanctificatio, imo qui est ipsa sanctificatio. Ipso totum corpus Ecclesiæ sanctificatur et regitur. Ipse vicarius Christi discipulis ejus et fidelibus omnibus ubique patrocinatur, pro corporali præsentia illius. Hunc alium Paracletum dari suis, ut cum eis maneat in æternum Filius rogavit Patrem. Hunc Spiritum veritatis, quæ Christus est, non potest accipere mundus in maligno positus, hæretici scilicet, Judæi, et incredduli atque pagani, alioquin si mundus, qui talibus consistit, in perfidia permanendo Spiritum veritatis accipere potest, aut Ecclesia nulla est aut, si est, mendacio arguitur Veritas, quæ asserit extra eum non posse accipi Spiritum sanctum. Si enim hæretici et cæteri perfidi accipere possunt Spiritum veritatis, constat catholicos aut non accipere, aut nihil ab hæreticis A differre, imo hoc ipsum catholicos quod hæreticos esse. Sed absit hæc perfidia ab animis Christianis! Veritas quippe inviolabilis suæ promissionis sententiam inviolabili subscriptione corroboravit, eidem mox subjungens: « Quia non videt eum, nec scit eum (*Joan.* xiv, 17). »

Proinde, cum sit plus accipere quodlibet quam videre tantum, aut scire, constat mendacem mundum non accipere Spiritum veritatis, quem nec videre nec scire prædicatur; qui ergo nec quod minimum est meretur, dubitatur an quod maximum est mereatur. Et qui indignus judicatur etiam extrema scintilla, dignus est cui cedatur tota flamma? Sed eadem Veritas, suos de Spiritu suo certificans, subjunxit: « Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit (*Joan.* xiv, 17). » Hinc comprobatur Spiritum sanctum a discipulis Christi cognosci, et apud eos et in eis manere in æternum. Quod si quis calumniator astruere conatur illis tantum, qui sibi tunc tantum adhærebant, Spiritum sanctum a Christo repromissum, audiat quod dicitur, « ut maneat vobiscum in æternum (*Ibid.* xvi, 11). » Et ne forte adhuc tergiversetur, recolat quod paulo superius exempli causa assumpsimus, ubi Christus rogando Patrem ut sanctificaret discipulos ait: « Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint (*Joan.* xvii, 20). » Porro sanctificatio nec datur nec habetur sine Spiritu sancto. Constat ergo apostolos eorumque successores apostolica fide corde credentibus et ore confitentibus Spiritum sanctum cognoscere, accipere, et apud eos et in eis manere. Unde ut reliquas pestes interim prætermittamus, probent Simoniaci fidem se apostolicam et doctrinam sequendo vendere et emere Spiritum sanctum, et sine controversia concedatur eis accipere et habere Spiritum sanctum, et cui voluerint sive gratis sive non gratis impetrare aut dare. Quod si probare non poterunt, sicut vere non possunt, maxime cum ab ipsis primitivæ vel totius Ecclesiæ columnis, Petro apostolorum principe et Joanne dilecto Domini apostolo et evangelista, noverint, nec negare possunt auctorem suum pro sola tam nefandi negotii æstimatione irrecuperabiliter contritum; cognoscant se esse de mundo illo qui D non potest accipere veritatis Spiritum, et resipiscentes festinent fieri de mundo illo quem eligit Christus de mundo illorum.

C

CAPUT XXVII.

De Spiritus sancti gratia post resurrectionem in discipulos et vindicta in Anania.

Hunc sane Paracletum misit Pater in nomine Filii sui, ut fideles ipse doceret omnia, et suggereret eis omnia quæcunque dixerit eis idem Filius. Hunc suum Spiritum, quia a Patre procedit, Veritas suis misit, ut illi testimonium per eos perhibeat de ipsis, qui nec a Filio ad eos mitteretur, nec veniret si ipse Filius hinc non abiisset. Quod eis maxime expediebat, ne carnales remanerent, si Christum non nisi secundum

Digitized by Google

carnem nosse curarent. Hinc veniens arguit mundum immundum de peccato incredulitatis, de justitia suorum, et de judicio diaboli foras ejecti. Hic quoque Spiritus veritatis veniens docet Christi discipulos omnem veritatem, ut per ipsum spirituales effecti discant multa quæ Christus habebat eis dicere ; sed quia adhuc carnales erant, non poterant hunc portare. Nec loquitur ad semetipsos, sed quæcunque audit loquitur, et quæ ventura sunt annuntiat eis. Ille Filium clarificat, qui ante passionem ejus non erat datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus. Hic est aqua illa viva ad cujus haustum sitientes idem Filius invitat. Hic quoque est Spiritus veritatis, qui a te reges et præsides, tanquam fidus advocatus, loquitur in discipulis, ne sit necesse præmeditari qualiter respondeant, quibus datur in illa hora quid loquantur. Nec enim ipsi sunt qui loquuntur, sed Spiritus sanctus. Hic fecit ut apostoli testes essent Christi in Jerusalem, et ab ea quaquaversum usque ad ultimum terræ. Ipse visibiliter quoque eos inflammavit, omniumque linguarum suæ septemplicitatis gratia donavit. Ipse in apostolis idioti et sine litteris restitit principibus sacerdotum et magistratibus Judæorum, ut prohibiti loqui constanter responderent : « Obedire oportet magis Deo quam hominibus (*Act.* v, 29), et si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate. Neque enim possumus quæ audivimus et vidimus non loqui (*Act.* iv, 19, 20). » et cæsi gaudentes a conspectu concilii irent quoniam digni fuerint pro nomine Jesu contumeliam pati. Ipse illis orantibus locum in quo erant movit, eosque ut verbum Dei cum fiducia loquerentur replevit. Ipse signa et prodigia multa per manus apostolorum fecit. Ipse cor unum et animam unam multitudini credentium effecit. Ipse debitæ cœnobitis (20) pecuniæ fraudatores verbo Petri occidit dicentis : « Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto ? Non es mentitus hominibus, sed Deo (*Act.* v, 34). Et utique convenit vobis tentare Spiritum Domini (*Ibid.*, 9). »

In quibus aperte prædicatur, non hominum, sed Spiritus sancti fuisse pecuniam, qua cœnobitæ illi temporaliter sic sustentabantur, nec quisquam egens inter illos inveniretur. Cui illi mentiti arguuntur, moxque defunguntur, qui tentabant eumdem Spiritum sanctum abalienare ab illa pecunia, quam in ipso eorum voto sibi sanctificaverat ad suorum cœnobitarum stipendium, et quia aliquid peculiare sibi clam retinere, et pauperum Christi victum, et vestitum pro parte alia palam exhibita mercari fraudulenter quærebant. Ipse Simonem Magum ore Simonis Petri sine fine damnavit. Quia gratiam ejus vendi et emi posse æstimavit. In qua irrevocabili sententia considerandum est quanto venialior fuerit reatus Ananiæ in transitoriæ suæ pecuniæ defraudatione quam perfidi Magi in sola æstimatione fraudulenti negotii sempiternæ gratiæ. Unde ille tentans Spiritum sanctum in fraude rei exterioris et visibilis, quam sanctificaverat, sola morte exterioris hominis plectitur; hic autem fraudem interiori et invisibili gratiæ meditatus, interioris hominis morte percellitur. Unde licet uterque in Spiritum sanctum peccaverit, tamen, secundum modum culparum, Ananias temporali morte punitus, perpetuam evasisse putatur; Simon autem morte perpetua damnatus, temporalem distulit, quia nec in hoc sæculo nec in futuro remittenda ei erat blasphemia Spiritus sancti. Ananias ne puncto temporis in carne vivere fuit permissus, quatenus mors illa sibi ad occultum remedium, et viventibus ad manifestum foret exemplum; Simon vero in anima mortuus, aliquandiu temporaliter vivere permittitur, ad augmentum sibi futurorum tormentorum, et ad exercitationem bonorum, cum tamen contritus et conterendus de medio hominum sit ablatus. In quorum vindicta hoc animadvertatur necesse est quia, ut ait B. Prosper, « nihil est infelicius felicitate peccantium, quia pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas velut hostis interior roboratur. Reservatur enim æterno supplicio quod temporali nec punitur nec resecatur flagello. »

CAPUT XXVIII.

Quanta operatus sit vel operetur idem Spiritus in Ecclesia usque in finem sæculi.

Ad hæc sic omnipotens Spiritus Petro apostolo post ostensionem cœlestis linteï nuntios Cornelii adesse dixit, eumque gentibus baptizandis direxit, quarum primitias sui effusione et omnium linguarum inspiratione etiam ante baptisma mundavit. Hic a gentibus circumcisionis et Judaicarum cæremoniarum onus removit, dicente Petro sic : « Visum est Spiritui sancto et nobis (*Act.* xv, 28). » Hic Spiritus Jesu non permisit apostolos ire Bithyniam vel evangelizare in Asiam. Hic Paulum et Barnabam separari in opus Evangelii jussit. Hic eumdem Paulum in Macedoniam transire præmonuit, quem postea Judæorum vinculis alligandum et Romanis tradendum prædixit. Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei et hæredes, cohæredes autem Christi. Per ipsum qui omnia scrutatur etiam profunda Dei revelavit Deus suis quod oculus non vidit, nec in cor hominis ascendit. Ipse per Paulum dat virginibus consilium, nuptis quoque et viduis. Ipsum habemus pignus Christi, clamantem in cordibus nostris : Abba, Pater. In ipso signati sumus in die redemptionis. Quem si quis non habet, Christi non est. Ipse denique « spiritus, attestante eodem Apostolo, adjuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus ; qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat

(20) Id est viventibus in communi, quales erant primi Christiani, quibus, ut ait liber Actuum apostolorum, erant omnia communia.

Digitized by Google

pro sanctis (*Rom.* xxvi, 27). » Ipsum ab ore Christi post resurrectionem apostoli acceperunt, ut remitterent et retinerent peccata hominum. Et quid plura? Ipse catechismi et scrutiniorum, ipsius quoque baptismatis, missarum quoque et canonicarum horarum leges et solemnia celebrari docuit. Ipse sanctum chrisma instituit, ipse clericorum vel ministrorum diversos gradus et officia in Ecclesia disposuit. Ipse diversarum professionum homines non solum habitaculis et victu, sed et vestitu distinxit. Ipse singulis professionibus rectores gradatim in unum consummandos præposuit. Ipse quidquid famulatui divinitatis competit vel humanæ conversationi honeste et utiliter expedit dictavit. Ipse quæcunque Ecclesiæ sacramenta hactenus fuerunt, sunt et erunt, præordinavit. Ipse martyrum rosis et confessorum liliis paradisum Ecclesiæ compingit. Ipse denique evangelistarum et apostolorum, omniumque orthodoxorum calamos et animos imbuit, vexit et præduxit ut, quocunque iret ejus impetus, illuc et ipsi graderentur sequentes eum. Ipse Spiritus vitæ est in rotis, in Scripturis videlicet canonicis, ut cum sanctis animalibus currentibus eant, et cum stantibus stent, et cum elevatis a terra eleventur, quia verba eorum spiritus et vita sunt. Ipse eas sic vivificat, ut homines quoque per illas vivificet. Sine quo non solum non prodest quidquam earum littera, sed insuper occidit, ut caro Christi carnaliter intellecta. Ipse quoque decreta apostolicorum virorum, canonesque sanctorum Patrum in diversis conciliis ad correptionem et disciplinam ecclesiarum Dei generaliter et specialiter promulgavit, attestante beato papa Damaso, qui hinc Aurelio Carthaginensi archiepiscopo sic scribit (21) : « Violatores voluntarie canonum graviter a sanctis Patribus judicantur, et a sancto Spiritu, cujus instinctu ac dono dictati sunt, damnantur, quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem canones, non necessitate compulsi, sed libenter, ut præfixum est, aliquid aut proterve agunt aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifeste unum genus est blasphemantium Spiritum sanctum. Quoniam, ut jam prælibatum est, contra eum agit cujus nisu et gratia iidem sancti editi sunt canones. Diabolica vero nequitia plerosque subtiliter fallere solet, et ita quorumdam imprudentiam, per similitudinem pietatis sæpissime illudit, ut pro salubribus nocitura persuadeat. Idcirco norma sacrorum canonum qui sunt spiritu Dei conditi, et totius mundi reverentia consecrati, fideliter a nobis scienda et diligenter tractanda est auctoritas, ne quoquomodo sanctorum Patrum statuta absque inevitabili necessitate, quod absit, transgrediamur, sed fidelissime per ea gradientes, cum eis qui eos instinctu condiderunt divino, mercedis gloriam et laboris cumulum eorum meritis, auxiliante Domino, habere mereamur, etc.

CAPUT XXIX.

Sententia S. Augustini de animæ potentia, et retractatio ex ea, et quales sint promoti a laicis et metropolitani eorum.

Cujus Spiritus sanctificatio an totum corpus Ecclesiæ sanctificet atque regat si adhuc dubitatur, vel qualiter id agat si quæratur, ineffabile et supra humanum modum hoc esse sciatur. Unde necesse est pie credatur et intelligatur, ne, si impie discutitur, offendatur. Potest tamen anima, quantum creaturæ conceditur, prædicare homini tantum artificem Spiritum, ut ex illa quantulamcunque mente concipiat ineffabilis diffusionis illius conjecturam, qua fiat ei aliquis gradus ad vel tenuiter cogitandum incomprehensibilem Salvatoris potentiam. Anima quippe, ut beatus Augustinus sancto Hieronymo scribens ait, « per totum corpus quod animat non locali diffusione, sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes ejus particulas tota simul adest; nec minor in minoribus, nec in majoribus major, sed alicubi intensius, alicubi remissius, et in omnibus tota, et in singulis tota est. Neque enim aliter quod sit in corpore totum sentit, tamen tota sentit. Nam cum exiguo puncto in carne viva aliquid tangitur, quamvis locus ille non solum totius corporis non sit, sed vix in corpore videatur, animam tamen totam non latet. Neque id quod sentitur per corporis cuncta discurrit, sed ibi tantum sentitur ubi fit. Unde ergo ad totam mox pervenit quod non in toto fit, nisi quia et ibi est tota ubi fit, nec ut tota ubi fit cætera deserit? Vivunt enim et illa ea præsente, ubi nihil tale factum est. Quod si fieret, et utrumque simul fieret, simul utrumque totam pariter non lateret. Proinde et in omnibus simul et in singulis particulis corporis sui tota simul esse non posset, si per illas ita diffunderetur, ut videmus corpora diffusa per spatia locorum minoribus suis partibus minora occupare, et amplioribus ampliora. » Hæc ita fieri ab anima, cum tanti doctoris sententia, tum quotidiana experientia constat.

Unde quis fidelium dubitare jam poterit Spiritum sanctum longe ineffabilius sanctificatione sua totam replere Ecclesiam, ut pro qualitate ministrorum et rerum ejus, singula quæ illi connectuntur et debentur sanctificet? Est enim clericalis ordo in Ecclesia præcipuus, tanquam in capite oculi, de quo ait Dominus : « Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei (*Zach.* II, 8). » Est et laicalis potestas tanquam pectus et brachia ad obediendum et defendendum Ecclesiam valida et exerta. Est deinde vulgus tanquam inferiora vel extrema membra ecclesiasticis et sæcularibus potestatibus pariter subditum et pernecessarium. Porro in capillis capitis posses-

(21) Hanc Damasi ad Aurelium Carthaginensem episcopum epistolam esse spuriam et supposititiam consentiunt omnes eruditi.

Digitized by Google

siones Ecclesiæ, in unguibus autem vel reliqui corporis pilis facultates sæculi non incongrue possunt accipi. Quas qui indiscrete vel violenter exteriori homini demit, necesse est graviter offendat interiorem pro injuria dehonestationis vel præsumptionis. Quod non dubitandum est facere Spiritum sanctum, qui in universitate Ecclesiæ longe præstantius anima omnia operatur in omnibus, dividens singulis prout vult, et annuntians discipulis multa quæ ante passionem Christi non poterant portare. Unde sicut recedente anima, mox fetores et vermes corpus occupant, qui illud cum maxima hominum abominatione et abjectione in pulverem dissolvunt, sic et res ecclesiasticæ, recedente ab eis sua sanctificatione, mox dæmonum juri cum summa maledictione Dei et sanctorum Patrum relictæ dispereunt. Quapropter, secundum quod Dominus in Evangelio ait homini, divisionem hæreditatis exigenti : « Videte et cavete ab omni avaritia (*Luc.* XII, 15). » O vos divisi divisores, et tandem vel sero individua dividi non posse cognoscite, jamque divisoribus nolite acquiescere, si cupitis animabus vestris et illorum consulere. Nempe sequendo quæ videntur, et spernendo quæ non videntur, calamum vani honoris temporaliter capescitis, nec supremæ beatitudinis aulam, aut extremæ miseriæ . . . . post modicum respicitis.

Quæ si maxima pars vestrum Christiano talia retractaret animo, nequaquam hoc tanto Ecclesiæ jugiter angeretur malo. Sed, proh dolor! a laicis dignitatibus ecclesiasticam dignitatem adepti, cum juxta canonicam auctoritatem deberent cum suis auctoribus et fautoribus non solum communione altaris, sed et ingressu ecclesiæ privari, primum locum in ea, et dispensationem sacramentorum, Christi omniumque regimen atque dispositionem adipiscuntur, cujus etiam limina contingere prohibentur, ut puta perjuri principibus, quibus in tanta præsumptione infideles aut consentiunt aut insistunt; sacrilegi, fures et latrones Deo, cui sancta sua furantur et violenter diripiunt; homicidæ insuper pauperibus Christi, quorum patrimonia et pecunias fraudant et suis usibus vindicant; excommunicati Deo et omnibus sanctis ejus præteritis, præsentibus et futuris, quorum disciplinam destruunt et conciliant, quos scandalizare et offendere non curant. Qui vere jam non sunt habendi ut alii intra Ecclesiam indisciplinati Christiani, sed ut vere blasphemantes Spiritum sanctum hæretici, dum proterve et voluntarie transgrediuntur leges conscriptas et subscriptas digito Dei. Quorum peccatis communicant procul dubio primates et metropolitani, qui talibus et sine canonica discussione manus imponunt, reclamante Apostolo in Epistola ad Timotheum. Taliter nimirum talium principum, sacerdotumque et fautorum illorum causa quid Ecclesia etiam visibiliter nonnunquam patiatur, aperte indicat Micheas propheta : « Audite, inquit, hæc, principes domus Jacob, et judices domus Israel qui abominamini judicium, et omnia recta pervertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant, et super Dominum requiescebant, dicentes : Nunquid non Dominus in medio nostrum? Non venient super nos mala. Propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum (*Mich.* III, 9). »

CAPUT XXX.

Recapitulatio de depositione hæreticorum et sententia Ezechielis in eos.

Hinc jam licet maxima ex parte spicula adversariorum catholicis objecta Domino donante aut repulerim aut decusserim, aut certe retuderim, adhuc tamen in calce libri hujus retundendum arbitror spiculum illud nimio toxico imbutum, quo obstinato expetitur ecclesiastica regula, quatenus si juxta eam consequitur hæreticos deponendos, consequatur quoque juxta assertionem illorum eosdem gratiam ecclesiasticam adeptos, a cujus ascensione ut deponantur sit necesse. Quapropter hinc quoque rutinatores verborum interim patienter interrogo, a quo gradu divinæ gratiæ deponantur, quibus Psalmista sic imprecatur : « Disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector meus, Domine » (*Psal.* LVIII, 12). Quin etiam a quo gradu ecclesiastico deponantur pro quibus catholica in die Dominicæ Passionis sic precatur : « Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, et neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut, omni hæretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, et ad veritatis tuæ redeant unitatem. » Ecce hic catholica rogat ut hæretica pravitas ab animabus diabolica fraude deceptis deportetur. Psalmista quoque superius, ut inimici ejus deponantur. In qua utique depositione nullam depositionem ab alicujus gratiæ vel dignitatis excellentia quam prius habuerint intelligere possumus, nisi solam præsumptionem hæreticæ falsitatis, quam sub specie catholicæ veritatis sibi pertinaciter arrogant. Sic et Simoniani seu quilibet hæretici cum deponi jubentur, non ab aliqua ecclesiasticæ ordinationis gratia quam hactenus habeant deponi jubentur; sed etiam ab exteriori facie ecclesiasticorum graduum, qua ad perditionem suam populique Christiani deceptionem per imposturam abutuntur. Quibus maxime aptari potest fabula de asello pelle leonis induto, qui præsumpto, seu quod aptius dicitur, simulato leonino vigore, turbabat pavidas per rura oves, cum nil omnino leoninæ fortitudinis, excepto vano terrore, ex his exuviis vel spoliis sibi vel cuiquam acquirere potuerit. Cui dum rusticus pellem leonis detraxit, nil prorsus leoninæ potentiæ quam ex pelle illa accepisset aut haberet ei detraxit; sed solam quam ex illa hypocrisi contraxerat præ-

Digitized by Google

sumptionem, sicut eidem asello rusticus dum spoliatum cerneret, dixisse fertur :

Forsitan ignaros imitato murmure fallis :
At mihi, qui quondam, semper asellus eris.

Est quoque aliud quod in illa oratione poscitur, scilicet, ut hæretici et schismatici ad veritatis divinæ redeant unitatem. In cujus quoque præfatione monemur orare pro ipsis, ut Deus ac Dominus noster eos ab erroribus universis ad sanctam matrem Ecclesiam catholicam atque apostolicam revocare dignetur. Unde luce clarius constat in unitate Ecclesiæ catholicæ atque apostolicæ non adesse, ad quam ut revocentur et redeant, ab eadem universali Ecclesia oratur. Ergo Simoniani aut hæretici non sunt, et in Ecclesia sunt, aut certe hæretici sunt, et extra Ecclesiam sunt. Porro si in Ecclesia sunt, catholici sunt, atque accipere possunt Spiritum sanctum, sicque jam hæretici nec habendi nec dicendi sunt. Si autem extra Ecclesiam sunt, certe aut hæretici aut pagani sunt, et ideo accipere non possunt Spiritum sanctum, quia extra Ecclesiam non potest accipi, protestante Domino superius : cujus procul dubio sententiam, cum omnes orthodoxi, tum egregius Prosper secutus ait : « Sicut considerandum est quid et cui voveas, ita etiam considerandum est ubi voveas : quia veri sacrificii locus extra Ecclesiam catholicam non est. » Quod versu quoque declarans subdit :

Norit qui reddit Domino pia vota Tonanti,
Unum divinis cultibus esse locum,
In toto mundo quem vera Ecclesia præbet,
Et sine quo nullum justitiæ est meritum.

In quibus plane prædicatur, nec veram Ecclesiam, nec verum sacrificium, nec veri sacrificii locum, nec divinum cultum convincentur habere, sicut nec alii hæretici. Quid ergo pariter habent? Solam falsitatem cultumque dæmoniacum. Sed esto, dicitur apud eos sacrificium, sacerdotium et cætera catholicorum sacramenta et insignia. Et, o quam multa dicuntur, quæ omnino nil earum rerum quarum vocabulis indicantur in se habere comprobantur? Quod cum superius ubertim monstratum sit, etiam ex verbis Ezechielis prophetæ monstrari poterit, ubi dicit prophetantibus de corde suo : « Væ prophetis insipientibus, » etc. *usque* « et scietis quoniam ego Dominus (*Ezech.* XIII, 3). »

CAPUT XXXI.

De propriis dictionibus in supradicti prophetæ et beati Gregorii verbis subjunctis.

Quæ prophetæ verba idcirco istic seriatim inseruimus, quia etiamsi alia deessent, hæc sola confutationi hæreticorum et præcipue objectionibus Simonianorum sufficerent. Ut enim cætera prænissæ prophetiæ prætermittamus, quod solum inde præsenti operæ est pretium summotenus attingamus, videlicet parietem a populo ædificatum prophetæ liniant absque palcis. Siquidem lateres in nonnullis provinciis et maxime Orientis, sic conficiuntur, ut luto paleæ admisceantur, quibus lutea materies colligetur, nec calor postmodum resolvat quod humor conglutinarat. Unde et ipsæ paleæ istic temperatura dicuntur, quia contemperant dissolubile lutum ne resolvatur. Populus ergo sese in parietem ædificat, dum Ecclesia Christi fieri laborat. Sed a pseudoprophetis, hæreticis scilicet, quia luto visibilium sacramentorum sine temperatura invisibilis gratiæ linitur, casurus est. Qui profecto paries, non esse paries dicitur, et litura non litura, et prophetæ non prophetæ, et vivificatæ animæ non viventes, et mortificatæ non morientes. Ubi etiam illorum pœna prædicitur, qui cor justi, quem Deus non contristavit, contristant, et manus impii ne revertatur a via sua mala et vivat (*Ezech.* XIII, 22), confortant. Quod autem res visibilium sacramentorum, quæ apud hæreticos Christianismi inveniuntur, non solum detrimenta sed et stercora sint, ex verbis Apostoli ad Philippenses ostendatur, ubi sacrificia et cæremonias quæ apud hæreticos Judaismi post passionem Christi observabantur, quanti prius fecerit, quantive impræsentiarum faciat, prædicat, dicens : « Secundum justitiam quæ in lege est, conversatus sum sine querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen et existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam (*Phil.* III, 6). » Dominus quoque per Malachiam Judaicum sacerdotium reprobans, ait : « Ecce ego projiciam vobis brachium et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, et assumet vos secum (*Malach.* II, 3). » Quod beatus Hieronymus exponens subdit : « Quia ad sacerdotes loquitur : Projiciam, inquit, in facies vestras ea quæ sanctiora putatis in lege, et vobis a Deo pro virtutum munere ex hostiis condonata. Armum enim, id est brachium, et pectusculum, et linguam, et ventriculum, et ea quæ in Levitico describuntur, accipiebant ex hostiis sacerdotes. Quæ omnia pro peccatis eorum se abjicere, et in facies sacerdotum mittere contestatur : ut scilicet tales sint qui offerunt talia qualia et illa quæ offeruntur. Et assumet vos, inquit, secum, id est stercus solemnitatum vestrarum, ut tentes facies putrida stercoris combustione turbentur. » Ad hæc ex verbis quoque beati Gregorii, cujus improprias dictiones pro propriis defensores Simonianorum accipiunt, ostenditur quam multa impropric dicantur. Ait enim in tractatu Evangelii Theophaniæ : « Omnia elementa auctorem suum venisse testata sunt. Ut enim de eis quiddam usu humano loquar, Deum hunc cœli esse cognoverunt, quia stellam protinus miserunt. Mare cognovit, quia sub plantis ejus se calcabile præbuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis suæ radios abscondit. Saxa et parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus scissa sunt. Infernus cognovit, quia hos quos tenebat mortuos reddidit. Et tamen hunc quem Deum omnia insensibilia

Digitized by Google

elementa senserunt, adhuc infidelium Judæorum corda Deum esse minime cognoscunt, et duriora saxis scindi ad pœnitentiam nolunt, eumque confiteri abnegant, quem elementa, ut diximus, aut signis aut scissionibus Deum clamant. » Itaque Simoniani eorumque obstinati defensores necesse est fateantur beatum Gregorium istic improprie locutum. Alioquin, si attendunt proprie locutum, necesse est profiteantur eum fuisse Manichæum, qui insensibiles res, non solum animam vitalem, sed sensualem habere crediderit et prædicaverit. Quod si profiteri timent, necesse est nobiscum confiteantur tandem nec cœlos, nec mare, nec terram, nec solem, nec saxa, nec parietes, nec infernum cognovisse aut clamasse suum auctorem, nec fecisse in obsequium ejus omnia illa quæ prædicantur fecisse: sed repentina et insitata immutatione vel concussione sui cognitum ab hominibus et prædicatum *cata tropon* metonymian, per quem id quod fit solet indicari illo quo fit, velut homo dicitur pulvis, et cœlum aer. Hoc nihilominus *tropo* Deus cognovisse quid dicitur, cum efficit ut ab hominibus id cognoscatur. Hoc spiritualem gratiam vel columbam vendi beatus Gregorius fatetur, cum vendi putatur. Siquidem, ut ipse asserit, usu humano locutus, sicut insensibilia sentisse, sic et invendibilia vendi est concionatus.

CAPUT XXXII.

De criminosis catholicis promotis vel post lapsis, et de ministerio, et de depositione eorum.

Itaque his et aliis quampluribus argumentis constat Simonianos nil ecclesiasticæ dignitatis obtinuisse, quamvis eorum defensores impudenter persuadere laborent honorem in eis acceptum perdurare, nisi Romanæ et apostolicæ sedis antistes, aut metropolitani eorum comprovinciales episcopi eos synodaliter dejiciant. Quomodo enim in eis perdurare potest quod nullatenus acceptum est? Quod vero subjungunt hoc etiam de cunctis criminibus considerandum est, ut si presbyter adulterium fecerit deponatur, noverint hoc longe habendum et agendum. Denique in tantum hæretici differunt a catholicis, ut quantumlibet criminosus catholicus acceptior sit Deo et tolerabilior hominibus, quam quantumlibet justus, si dici potest, hæreticus. Unde catholicus etiam criminosus quidquid boni facit vel habet, procul dubio bonum est merito fidei, sine qua non est. Porro hæreticus etiamsi habeatur justus, quidquid boni facere vel habere videatur, procul dubio malum est merito perfidiæ suæ, cum qua quidquid facit peccatum est. Quod superius tot testimoniis constat monstratum, ut hic non sit inde diutius dicendum. Aut enim ignoratis, aut dissimulatis seu neglectis humanæ fragilitatis criminibus vel peccatis nonnunquam sacerdotii dignitas conceditur indignis, quorum promotione aut necessitati vel utilitati proximorum in catholica pro tempore consulitur vel voluntati obsecundatur. Quibus, quia fidei catholicæ sunt, credendum est, dum promoventur a catholicis, conferri Spiritum sanctum quem habent, etsi non ad suam, tamen ad aliorum salutem perficiendam. Et adest ergo eis Spiritus sanctus ministrantibus, et abest transgredientibus. Adest enim ministerio quod fidei eorum a fidelibus creditum recognoscit; abest iniquitati eorum quam non cognoscit. Dignatur adesse in sacramentis suis sibi obsequentibus, et dedignatur adesse in pravitate morum sibi resistentibus. Itaque quantulacunque fide cordis eorum Spiritus sanctus invitatus ministerio oris et manuum eorum sanctificandis ad suorum salutem rebus infunditur, sed perfidia scelerum offensus ad condemnationem sceleratorum provocatur. Qui quoniam ministri sunt et scelerati, ministerium eorum suscipit, scelera despicit et punit; sic ministris præsens ut sit scleratis absens. Quibus sane aptari potest sententia illa prophetæ qua Domino dicit: « Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum (*Jer.* XII, 2). » Siquidem Spiritus sanctus in cordibus talium ministrorum fidei, cujus est auctor, præsidens, secundum Deum postulat pro sanctis et impetrat quidquid secundum Deum expedit eis. Quod revera *metonymicos* dicitur agere; quia postulare facit et impetrare, cum ipse cum Patre et Filio postuletur, et donet etiam per ministerium criminosis; sed tamen catholicis a catholicis impositum, ut necessitati vel utilitati catholicorum pro tempore et loco consulatur. Quos nimirum ministros, etsi plurima mala accusant, nonnulla tamen bona excusant, fides scilicet, quæ pro modulo suo spei et charitatis capax est; tum necessitas et utilitas, devotio quoque seu petitio Ecclesiæ, deinde gratuita ordinatio ab illis qui gratuito eam acceperre. Quibus si deest vitæ innocentia secundum canonicam disciplinam, adest tamen obedientia, vel sola promotio ad ministerium ecclesiasticum sine aliqua venalitate secundum datam ab ipso Domino Jesu Christo regulam, qua utique firmatur ex parte una, etiam si infirmatur ex altera. Quæ Dominica regula si abesset, nil gratiæ quis, quamlibet alias innocens, dare et accipere posset. Liquet ergo hac sola regula etiam pravos ad aliquid dirigi, dum ei consentiunt, et sine illa etiam non parum rectos depravari, dum ab ea dissentiunt. Quapropter in ministris modo quo dictum est promotis, vel post promotionem in aliquod crimen lapsis acceptus honor perdurat, quandiu eorum culpas Ecclesia aut ignorat aut dissimulat, et propter utilitatem aliorum, sub spe pœnitudinis talium tolerat. Talium depositio quandiu ab illis quorum interest qualibet occasione differtur, officium quo jam indigni sunt adimplere pertinuitur, totumque quod ab eis interim fit pro ministerio prius sibi commisso, vel postea permisso, sanctum habetur. Quod quamvis ipsis ad pœnam, aliis tamen proficit ad vitam. Tales vere deponuntur cum deponuntur, quia etsi non merito, officio tamen veram promotionem habuisse noscuntur. Nec cum eis deponuntur aut damnantur quotquot ab eis ante suam depositionem canonice promoventur, aut quæque ab eis catholice administrantur.

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

De qualibuscunque promotis a Simonianis, et repulsione objectionis adversariorum.

Sed non sic impii Simoniani, non sic, quorum depositio non est habiti honoris privatio, sed simulatæ vel æstimatæ promotionis detectio vel confutatio. Quos cum multa sint quæ accusent, nulla sunt quæ excusent. Neque enim in eorum, ut putatur, ordinatione necessitati aut utilitati Ecclesiæ consulitur, nec devotioni aut petitioni acquiescitur, sed soli avaritiæ utrinque providetur. Nec attenditur fides catholica aut doctrina apostolica, sed perfidia hæretica et ambitio Simoniana, nec aliqua vitæ innocentia, sed sola pecunia. Unde etiam quod non nisi gratis dari et accipi potest, vendere et emere student. Cui ergo in talibus ordinationibus consuli B tur, nisi avaritiæ duorum? Neque enim prior eorum prius aut pro Deo aut pro proximo manum admovet aut os aperit, quam alter manum marsupio admoverit, aut os promissioni aperuerit. Et qua fronte astruitur quantumlibet justos homines vel gratis posse accipere aliquid gratiæ a talibus, quibus nil fidei Christianæ, sed totum perfidiæ dæmonicæ cooperatum fuisse aut cooperari dignoscitur? Qui etsi videantur interdum aliquos gratis promovere, constat eos non gratis id agere; sed aut obsequium eorum, aut aliorum favorem sæculariter tantum requirere. Quæ duo si palam absunt, datur tamen conjici eos in gratuita, ut putatur, promotione nobilium aut religiosarum personarum, sibi eam aucupari favorem seu auctoritatem eorum, ut jam ab C eis promoti sint suæ promotionis securiores, et promovendi ad emendum promptiores ipsique ad vendendum audaciores. Sic aut præsens negotium ab illis exercetur, aut ex præsenti præteritum confirmatur, aut certe futurum invitatur. A quibus omnibus munerum speciebus licet excutiendæ sint manus ecclesiasticorum; tamen ante omnia a pecunia, quæ nominatim ab apostolo Petro reprobata, et ipso Simone Mago fuit damnata. Præterea non putatur absurdum istic quoque obviatum ire alii argumentationi vaniloquiorum. Aiunt enim:

Objectio. Lex imperatorum sancit ut si quis hoc vel illud fecerit, capite plectatur. Evenit autem ut aliquis sæcularis crimen illud committat, pro quo lege data capite plecti debeat. Quod donec judex D cujus interest perficere differt, aut misericordia aut negligentia, nunquid interim non vivit? Nunquid non caput, quod juste debet amittere, portat? nunquid tandem, si postea genuerit filium, filius pro paterno crimine sanguinis reus erit? Non plane. Quoniam ille qui crimen commisit, solus supplicii sententiam sustinebit.

Repulsio. Quæ sane argumentatio pro nobis facere comprobatur, non contra nos pro cephalis videlicet, hoc est capitatis, non autem pro acephalis. Quia vero gratis a catholicis promoti, licet ante aut post promotionem suam inveniantur criminosi, non sine capite sint, paulo superius ostenditur satis, simul- A que quod ante illorum depositionem promoti ab eis non pereant pro eis. Quamobrem constat præmissa argumentatione nil defensionis provisum acephalis nec eorum filiis, quia caput, id est officium ecclesiasticum nec habent nec habuerunt quo privari possint. Superflua enim lex esse convincitur, qua quis privari eo quod non habet sancitur. Tale est enim ac si dicatur: Si quis decollatus hoc vel illud fecerit, capite privetur. Nimirum decollatus est omnis hæreticus, hæresi sua a capite Ecclesiæ Christo abscissus; et quotquot deinceps ab eis promoveri videntur. Unde et mortui a mortuis nascuntur, ac per hoc nil nisi morticinum ab eis quisquam consequitur, quibus quid auferatur in sua depositione, præmonstratum est abunde.

CAPUT XXXIV.

Argumenta ex mundanis legibus contra promotentes vel promotos Simoniacos.

Itaque suo ipsorum judicio constat actionem horum defensorum infirmatam. Neque enim agitur cum illo quem defendendum suscepit, sed contra illum. Nam dum laborant probare acephalos caput sibi habere atque gestare, seu jure decollatos generare posse, superfluam argumentationem ex acephalis, quod caput portent et generent antequam decollentur, concepere, et post longam parturitionem abortientes de suæ iniquitatis vulva projecere. Unde explosa hac, ut vere frivola, a conjunctis causæ et consimilibus sumantur argumenta. Ager est alicujus qui, judice corrupto a pecunia, favore illius et iniqua C sententia obtinet aliena prædia. Hunc si postea justus judex detectum inde ejiciat, et priori domino vel ejus hæredibus, sua, ut justum est, cedant, nunquid sortes, aliquibus donatas aut venditas, seu titulos vel ministeria et jura ab invasore ibidem præstita legitimus possessor conservat, et non potius sibi suisque consulens ea inde exterminat? Alioquin si hæc ob reverentiam vel gratiam invasoris prætermittit, quasi ille juste ibidem aliquid disposuerit, sua ignavia jus suum sibi infirmat et alienat, atque adversario suo confirmat et revocat. Hoc sane argumento injustæ acquisitionis justæque amissionis seu justæ recuperationis potest doceri quid a Simonianis vendatur, quid ematur, quid gratis sive non gratis ab illis promotis conferatur, quid in aliena D possessione vel sibi vel aliis proficue disponatur et agatur. Siquidem, quamvis invasor profiteatur, attestante sibi iniquo judice, se justitiam suam accepisse, habuisse, et aliis donasse aut vendidisse, vel postea sibi ablatam injuste; tamen constat nec eum, nec quoslibet per eum aliquando aliquid præter solam injustitiam et detrimentum suum in hujusmodi fundis acquisisse. A quibus dum pœna legum et multiplicata restitutione præsumptarum rerum multati, pariter tam factores quam fautores ejiciuntur, non justitia quam nullam in eis habuerunt, sed sola injustitia quam incurrerunt, privantur. Denique judex crimine perjurii et falsitatis per pœnitentiam exuendus dejicitur; invasores vero

Digitized by Google

lepra falsitatis quoque et rapinæ haud secus absterguntur; sin alias usque ad novissimum quadrantem æternaliter reddetur quod hic temporaliter contrahitur. Testis enim falsus non erit impunitus (*Prov.* XIX, 5). Et nemo diu gaudet qui iniquo judice vincit. Amplius. Nonne si quis rem quamlibet furatus deprehenditur, in quadruplum eam, testante Salomone, reddet, et omnem substantiam domus suæ tradet? Si autem quis furtivum scienter comparaverit, et pretium datum perdidit, et nihilominus tenetur noxa et pœna furis. Qui vero nescienter, pretium quoque datum perdit et mercem emptam sine nota furis restituet. Si tamen jurejurando arguentibus comprobaverit se nescisse furto sublatam ubi comparavit, alioquin si vel sibi violenter retinere contenderit, aut super furto se excusare distulerit, noxam furis cum nota et pœna subibit. Quod necesse est eum passurum, qui vel gratis acceperit a fure furtivum. Qua de re colligatur quia, si sine infamia, damno et pœna non evadit quisquis a fure quodlibet furtivum acquisierit, quandocunque apud eum repertum furit; multo magis illi qui a furibus Simonianis aut scientes aut nescientes pretio vel dono columbam Dei furatam, ut videtur, acquirunt: et tanto magis, quanto majora et cariora sunt divina humanis. Ergo aut probetur Simonianos, sicut et alios hæreticos non esse fures et latrones, aut concedatur nil ab eis acceptum vel accipi posse sine infamia, damno et pœna, quæ certe nequeant declinari sine satisfactione legali. Quod si adhuc minus compertum habetur an Simoniani sint fures et latrones, diligenter attendatur et fideliter credatur quia, si hæretici sunt, procul dubio fures et latrones sunt; si autem catholici, aut pastores erunt aut mercenarii. Sed ne huic ambiguo diutius hæreatur, pastor summe bonus speciatim illud resolvens audiatur. Siquidem suo sermone velut indice pastores mercenarios, fures et latrones, oves et lupos singillatim demonstrat. Et pastores quidem indicans, ait : « Qui intrat per ostium, pastor est ovium; huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas, et, cum proprias oves emiserit, ante eas vadit (*Joan.* x, 2); et bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis (*Ibid.*, 11). » Mercenarios deinde ostendens, inquit : « Mercenarius, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus (*Ibid.*, 12). » Porro fures et latrones demonstrans, ait : « Amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro (*Ibid.*, 1). Et omnes quotquot venerunt, » subauditur non per ostium, « fures fuerunt et latrones (*Ibid.*, 8). Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet et perdat (*Ibid.*, 10) » Oves quoque specialiter designans, ait : « Oves pastorem suum sequuntur, quia sciunt vocem ejus; alienum autem non sequentur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum (*Ibid.*, 4), nec audiunt fures et latrones (*Ibid.*, 8). » Jam lupos exprimens, ait : « Lupus rapit et dispergit oves (*Ibid.*, 12). »

CAPUT XXXV.

Replicatio sententiæ Domini de bonis pastoribus et mercenariis.

Quæ verba Domini quamvis ad plenam dignoscentiam bonorum et malorum sufficiant, tamen propter aliquos tardiusculos breviter replicanda putamus. Et primum de pastoribus bonis hoc tantum insinuamus quia membra sunt ipsius summi Pastoris, in quo uno velut capite omnes consummati per illum sunt, sub illo, cum illo unus pastor unius ovilis. Ii plane sive sint episcopi, sive reliqui rectores Ecclesiæ et ministri, tanquam filii et vernaculi magni Patrisfamilias, oves ejus non sibi ipsis pascunt, sed illi, non quærentes sua sed illius lucra, simplici victu et vestitu contenti, quem paterfamilias ex lacte et lanis ovium suarum eis constituit. Decimas enim et primitias, oblationesque fidelium atque debitæ subjectionis reverentiam ad hoc tantum exigunt, ut pascere oves sic sufficiant, ne in via media [fame] et nuditate deficiant. Ii ante oves vadunt, easque cognoscunt, et cognoscuntur ab eis. Ii ovibus pascua salubria et vitalia providet, et pro tempore nunc blandiuntur nunc minantur. Ii pecus pingue et forte diligenter custodiunt, infirmum et debile seu fractum sanare, recreare et consolidare solerter insistunt. Ii baculis et clamoribus validis lupos arcent ab ovibus, dum potestatibus aereis seu terrenis suam vigilantiam pro earum defensione opponunt, ne aut diabolus spiritualiter tentando, aut quilibet raptor sæcularis carnaliter persequendo diripiat eas et dispergat. Unde nonnunquam, resistendo talibus, gravia pericula constanter subeunt, et proprii corporis morte devotas animas pro ovibus alacriter ponunt. Quo maxime indicio cognoscuntur boni pastoris esse, quia non fugiunt videntes lupum venire. Tales nimirum intrant in ovile per ostium Christum, gratis electi et promoti ad hoc ministerium, gratis et sincere verbis et moribus evangelizantes Christum. Neque enim accipiunt temporalia stipendia ab ovibus, quia evangelizant, sed ut evangelizare sufficiant; nec ut temporaliter ditescant aut nitescant, sed ut suæ temporali necessitati ad ovium Christi perpetuam salutem consulant. Quibus nil obstat in patria quod sumptus sumpsere in via, quia non quæsivere ex illis sæculos temporales sibi implere, sed temporaliter fratribus in Christo vivere, sic sibi debitis hic usi sumptibus, ut illic plenis utantur mercedibus. Diximus de paucissimis electis; dicamus de plurimis ad pastoralitatis ministerium vocatis. Et primum de nomine mercenarii dicatur. Mercenarius a *mercede* et *anno compositum* nomen est, eo quod, mercede annua conductus, procurat causam vel pascit oves sui conductoris. Qui quamvis pascat, pastor tamen non esse prædicatur a domino, quia oves non sunt ejus propriæ. Neque enim salutem earum et augmentum quærit in eis tanquam in propriis, sed mercedem suam

Digitized by Google

ex eis tanquam ex alienis. Quod veniens lupus manifestat; quia mox visus mercenarium fugat, qui non fugeret si oves suæ essent, vel si ipse pastor esset. Sed quia mercenarius est, fugit; neque enim ad eum pertinet de ovibus, quarum nec vitam, nec bonam valetudinem, sed solam pastienis mercedem lucratum iri quærit. Quæ uti¡ue quia ad eum pertinet, et non oves, non liberat eas, aut cum aliquo periculo suo defendit a periculis ingruentibus, sed se tantum pactæ mercedi, cujus occasione oves pascebat, reservat. Quarum sicut incolumitatem ante pactam mercedem non quæsivit, sic nec post persolutam quærit. Quæ si pariter pereant, etiam quando pascuntur, non curat; tantum ipse sua mercede non careat. Est tamen necessarius patrifamilias, oves ejus ad pascua ducendo et reducendo, sed inutilis lupos fugiendo.

CAPUT XXXVI.

De mercede mercenariorum et promotione eorum.

Tales procul dubio sunt omnes qui, sub nomine pastoris super cathedram pastoralem sedentes, Ecclesiam Christi regunt, et sua tantum, non Christi quærunt. Et quæ sunt sua? Primi recubitus in cœnis, et primæ cathedræ in synagogis, et salutationes in choro, et vocari ab hominibus *Rabbi*. Deinde lana et lac ovium, omnes videlicet reditus fidelium populorum, quos in usum suum et lucrum convertunt, quos suæ luxuriæ et avaritiæ studio tam violenti exigunt, ut nonnunquam ab ovibus non solum lac et lanam, sed insuper sanguinem cum eis eliciant et extorqueant, dum tyrannico dominio tenues quod non habent reddere cogunt. Qui nullis spiculis se pro ovibus opponunt; sed nec mutiunt, si in aliquo se lædi posse a lupis sentiunt, vel si lana vel lacte aliquandiu fraudari ab ovibus male sanis metuunt, dum curari refugiunt. Qui tamen non culpantur, quod hæc ad non sibi delegata juste accipiunt; sed quod tantum horum datum et usum, non fructum amant et requirunt, nec nisi propter hæc oves pascunt, quæ in tantum pastoribus debentur, ut mala fiant non reddentibus, etiam si bona non sint accipientibus, ubi hæc sola exiguntur. Qui, quia Christum catholica prædicatione prædicant, per ostium quidem in ovile ovium ad oves, educturi et reducturi eas, intrant; sed quia servi et non filii sunt, non manent in domo in æternum. Neque enim dicendi sunt aliunde descendisse, aut extra Ecclesiam, oves scilicet Ecclesiam pascere, nec venisse ut furentur et mactent et perdant; sed ad hoc tantum ab aliis invitati, ut mercedem suam accepturi custodiant et pascant. Quod quia plus charitate temporalis mercedis quam sempiternæ agunt, non pastores sed mercenarii sunt; quia non contenti convictu et vestitu tanquam domestici patrisfamilias, annuas sibi mercedes expetunt, quibus privatos sacculos distendant, ne forte remoti aliquando ab ovium cura, quæ non sunt ipsorum, vacui remaneant. Talibus, quia totum quod quæritur ex ovibus reciplunt in via, dicetur in patria : « Amen dico vobis, recepistis A mercedem vestram (*Matth.* VI, 2). » Isti sane non sunt de paucis illis qui salvantur, quia non contendunt nunc intrare per angustam [viam], sed de multis qui postea quærunt intrare, et non poterunt. Cum enim, ut Lucas testatur, intraverit Paterfamilias et clauserit ostium, et incipient foris stare et pulsare ostium dicentes: « Domine, aperi nobis, » respondens dicet illis: « Nescio vos unde sitis. » Tunc incipient dicere: « Manducavimus coram te et bibimus, et in plateis nostris docuisti (*Luc.* XIII, 25), » vel sicut Matthæus ait : « In nomine tuo prophetavimus, et in tuo nomine dæmonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus. Et tunc confitebitur illis, quia nunquam novi vos. Discedite a me omnes, operarii iniquitatis (*Matth.* VII, 22). » Qui tamen mercenarii B quandiu præesse fidelibus permittuntur, necessarii sunt; quia sacramenta ecclesiastica et fidem catholicam occasione suæ mercedis dispensant et prædicant. Unde et toleratur eorum prava vita, et honoratur officium quo providentur plebibus necessaria. Quorum promotioni ut consentiretur, quia communis necessitas et non privata cupiditas mediastina fuit, non dubitandum quin multis fidelibus, saluti suæ pro temporis necessitate consulentibus, concessum sit quod Dominus duobus consentientibus concedendum repromittit, dicens : « Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint fiet illis a Patre meo (*Matth.* XVIII, 19). » Unde, necessitate imperante, præsens aut præterita eorum C actio non disquiritur, sed soli ministerio et prædicationi fidei Christianæ in talibus consulitur. Quorum etiam post promotionem qualiscunque conversatio nonnunquam ab Ecclesia toleratur, nisi forte a fide ab illis devietur. Ut enim sæcularium mercenarii non ex culpis, quibus sibi tantum nocent, examinantur, sed ex sollicitudine et utilitate qua ovibus possunt prodesse, sic et mercenarii Ecclesiæ. Et sicut illi, si deprehenduntur fures fuisse, non assumuntur, vel, si assumpti furari cœperint, abjiciuntur; sic et isti, si ante vel post suam promotionem hæresi languere noscuntur. Et sicut illi quæruntur et ad ministerium quodlibet invitantur spe sæcularis mercedis; sic et illi spe ecclesiasticæ stipis.

CAPUT XXXVII.

D *De eo quod catholici nullum pro crimine promoveant, et Simoniani pro solo crimine omnem.*

Nec super hoc isti dant aut permittunt suis ordinatoribus aliquod pretium, sed magis accipiunt instar mercenariorum sæculi, qui, nisi mercedis quæ convenerit fuerint securi, nulli se obligabunt servituti. Alioquin ex alienis rebus furtum meditati arguuntur, quod oblata pretia sub obtentu alienæ utilitatis sibi aucupantur. Sive ergo illi, sive isti, necessario et non superfluo precario et non pretio utilitati aliorum acciuntur et conciliantur. Unde, sive criminosi sive innoxii habeantur, gratis necesse est regendis præficiantur. Quod apud Simoniacos non fieri nemo est qui nesciat, quibus sive criminosis

Digitized by Google

sive innoxiis, nec necessitas nec devotio populorum, sed sola pecunia commendat. Neque enim solent aut vere possunt a se promovendis dicere : Accede ut promovearis, quia necessarius vel complacitus es Ecclesiæ; sed quia dedisti aut daturus es nobis solidos centum vel quotlibet. Nunquid adhuc auditum est dictum a quantumlibet sceleratis catholicis cuilibet promovendo : Accede ut promovearis, quia adulterium, perjurium et his similia fecisti? Absit! Sed quid? Necessarius es ministerio, et complacitus Ecclesiæ. Nec promovendus dicit : Da mihi gradum ecclesiasticum, quia fornicator aut sacrilegus sum, sed quia volo meum Ecclesiæ Dei præbere obsequium, ut ex illa merear stipendium debitum. Denique instar principis dæmoniorum suos satellites promoventis et coronantis, ut legitur, ob deceptionem suam qua in crimina præcipitant bonos, Simoniani quoque promovent complices suos. Quorum etiam impudentia tanta est, ut suum reatum palam sic omnibus prædicent, venditori dicentes : Dedimus tibi pretium, da nobis quæsitum gradum, aut redde acceptum pretium. Constat ergo, secundum beati Gregorii sententiam, apud Simonianos remunerari vitia, scilicet radicem omnium malorum avaritiam atque hæreticam perfidiam : quæ tanto graviora sunt fornicatione vel adulterio, quanto gravius est aliquem peccare in Deum, quam in corpus suum aut in virum alium. A quibus profecto Simonianis laudatur peccator in desideriis animæ suæ et iniquus benedicitur (*Psal.* x, 3). Quod absit ut a catholicis qualibuslibet agatur, etiam cum criminosi ab eis promoventur!

CAPUT XXXVIII.

In quo audiendi sint mercenarii, et in quo non.

Hinc jam ab ipso Pastore oves discant in quo etiam mercenarios audire debeant. De illis siquidem in Evangelio ait : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate et facite (*Matth.* XXIII, 2). » Ecce quantam obedientiam vult impendi mercenariis malis Pastor summe bonus, ut dicta eorum non solum servet populus in mente, sed etiam compleat opere. Mox in quo non sint attendendi subjungit : « Secundum opera eorum nolite facere (*Ibid.*, 3). » Quare hoc, Domine? Nonne præcepisti tuis omnia quæ dixerint servare et facere? Adjecit : « Dicunt enim et non faciunt (*Ibid.*). » Ac si diceret : Attendite quia dicunt, et nolite attendere quia non faciunt quod dicunt. Ubi breviter præmonuit doctrinam oris et ministerium eorum quod a Deo acceperunt ad aliorum salutem honorandum et suscipiendum, et carnalia eorum opera quæ a maligno habent ad suam tantum perditionem cavendam. Sive secundum opera mercenariorum non faciant oves, ne, sicut illi dicunt et non faciunt, sic et ipsæ ab eis audiant et non faciant, quia illos attendunt dicere et non facere. Quorum opera qua intentione fiant, Dominus manifestat dicens : Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus (*Matth.* XXIII, 5). » Ubi summatim ostendit nil eos A nisi ut hominibus innotescant et placeant, ex prædicatione vel ex ministerio suo quærere. Deinde quæ ipsorum opera dicat, aperit sic : « Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi (*Ibid.*, 4-7). » Quibus Redemptoris nostri verbis non reprehenduntur quod onera mandatorum Dei imponunt hominibus : hoc enim officium eorum esse dignoscitur, sed quod importabilia, et quod ea vel minima sua operatione non alleviant. Nec quia phylacteria habent et fimbrias; sed quia illa dilatant, istas vero magnificant : nec quia primi velut magistri recumbunt aut sedent, seu salutantur, vel Rabbi vocantur, sed quia hæc tantum ab eis amantur. Et tamen, licet ministri Christi tales sint ut nil Christi, sed tantum sæculi quærant in ministerio Christi quod administrant; vult tamen Christus ut sua illis fideliter reddantur, hoc est audiantur, honorentur, decimis et oblationibus fidelium remunerentur. Qui ergo tam pravi sunt in conspectu hominum, in conspectu Dei putas quales sunt? Et tamen eos Deus et clam et palam malos sive ficte bonos tolerat, et merce'e quam quærunt non fraudat. Quia enim ministri Christi sunt, sed non bene præsunt, simplici honore, præsenti scilicet, digni habendi sunt. Nam qui bene præsunt presbyteri, ut ait Apostolus, « duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in verbo et doctrina (*I Tim.* v, 17). » Dicit enim Scriptura : « Non infrenabis os bovi triturranti (*Ibid.*, 18); » et : « Dignus est operarius mercede sua (*Luc.* x, 7). » Cujus Apostoli sententia de mercenariis si requiritur quæ sit, Epistola ejus ad Philippenses sic ostendit : « Quidam quidem propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant, quidam ex charitate, scientes quoniam in defensione Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram suscitare vinculis meis. Quid enim? dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo. Scio enim quia hoc mihi proveniet in salutem (*Phil.* I, 15). » Ex qua nimirum tanti doctoris sententia quantum mercenarii sint necessarii edocemur : de quibus etiam non sincere prædicantibus Christum sic lætatur, ut sive invidia, sive occasione prædicetur, se gaudere et gavisurum tantus Apostolus testetur, dummodo Christus annuntietur. Et quis ignorat quantum crimen sit invidia? Ecce si vel per ipsam velut per contentionem et derogationem bonorum Christus prædicatur, gaudet Apostolus. Quanta deinde imperfectio occasionem prædicationis arripere pro solius corporis commodo? Et tamen gaudet nihilominus de hujusmodi prædicatione Apostolus. Ergo nec propter bonam prædicationem et ministerium

Digitized by Google

assumantur mala opera, nec propter mala opera contemnantur sanctæ prædicationis et ministerii bona. Unde necesse est, si carpatur pendens de sepe botrus vitis, ut caveatur spina sepis.

CAPUT XXXIX.

De malis scienter vel nescienter promotis, et de ministerio eorum sententia Paschasii.

Hos enim ut Dominus in Ecclesia sua usque in finem sæculi monstraret futuros, et a magistris Ecclesiæ aliquando, ut aut promoveantur aut ministrent, dissimulandos, Judam sacrilegum furem promovere voluit ad gradum apostolicum, quamvis ab initio sciret quid esset in homine. Sic sancti apostoli a tot millibus sanctorum cœnobitarum electum Nicolaum, *Epicuri de grege porcum*, promovere ad diaconatum nescienter ut sic dicatur. In quibus duobus evidenter præfigurabatur alios sciri, alios nesciri, dum in Ecclesia promoventur, quorum tamen officium aut pro seipsis approbatur, pro aliis interim toleratur. Qui quidquid in sacramentis divinis pro officio sibi credito interim agunt, sanctum est totum, sicut Judas ante proditionis conventionem, et Nicolaus ante suæ abominabilis sectæ adinventionem. Quod etiam ex libello Paschasii De corpore Domini approbatur, ubi sic legitur : Licet reus sit sacerdos, etc., munus suæ largitatis. De qua præfati viri sententia, ne forte restruatur nobis calumnia, quia dicitur hic in fine per ministerium criminosorum dari Spiritum sanctum, quamvis ipsi eum non habeant, quod interposuit in capite attendant, ubi sic hypothetice ait : Nihil minus habet hoc mysterium a quovis indigno, si tamen apostolicæ propaginis institutione consecratio exhibeatur; quia non ex eo, sed ex ejus officio a summo pontifice gratia quam ipsa Veritas repromisit, impletur. Unde liquet eos habere Spiritum sanctum ministerio quod apostolicæ propaginis institutione accepere, nec tamen sibi ipsis habere. Habent enim ad ministrandum aliis bona, nec habent ad declinandum sibi mala. Habent deinde ad bene credendum, nec habent ad bene vivendum, sicut superius constat abunde monstratum, et quod ministerium hæreticorum non sit Christi, neque enim acceptum est institutione apostolicæ propaginis.

CAPUT XL.

De furibus Simoniacis, et qualiter ovile intrent.

Hinc quia dictum est de mercenariis intra Ecclesiam, dicatur et de furibus extra Ecclesiam. Quorum hoc est maximum et primum indicium, quod non intrant per ostium, sed aliunde ascendunt. Pro qua utique transgressione et præsumptione fures et latrones a Domino sic pronuntiantur, ut præmissum etiam juramentum ob hoc legatur : « Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro (*Joan.*, x, 1). » Quod si et absque juramento dixisset, quis nisi mendax et Antichristus ipsi Veritati et Christo loquenti non crederet? Sed cum juramento idcirco curavit profiteri, quod volebat sollicitius audiri et firmius retineri. Et juxta litteram itaque verum est proverbium Veritatis, et nihilominus verum est juxta intentionem dicentis. Fures siquidem et latrones apud homines sunt qui non intrant in ovile per ostium sed aliunde ascendunt; et nihilominus fures et latrones sunt apud Deum qui non intrant in Ecclesiam per Christum, qui est, sicut prædicat, Ecclesiæ ostium, sed aliunde ascendunt. Illi procul dubio sunt omnes hæretici, Judæi et pagani. Ipsi enim pariter non intrant in Ecclesiam per Christum, quem negant in carne venisse. Si quæritur quomodo omnes hæretici negent Christum in carne venisse, quem nonnulli eorum confitentur in carne venisse, sententia sancti Augustini in tertio hujus opusculi libro relegatur inde. Nunc videatur quomodo ascendunt aliunde. Nimirum aliunde ascendunt, verbi gratia Ariani, qui sic personarum trinitatem discernunt, ut substantiæ quoque divinæ unitatem dividant. Aliunde Sabelliani, qui sic unitatem divinæ substantiæ prædicant, ut trinitatem quoque personarum confundant. Longum est, et supra ingenii nostri vires, singulatim reliquarum hæreseon pestes revolvere. Unde, prætermissis aliis, Simoniani, quos noster pugio specialius impetit, quomodo aliunde ascendant monstremus. Nimirum et ipsi, contempto ostio Christo et ostiario ipsius Spiritu sancto aliunde ascendunt, dum sua pecunia, velut scalis et machinis, Dominicum parietem, unanimem scilicet populi Dei consensum et soliditatem expugnatur; adoriuntur, et eum aut reptando transiliunt, aut subigendo vel certe impingendo irrumpunt. Neque enim legem ostii dicentis : « Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* x, 8), » reverentur, nec beneplacitum ostiarii præstolantur, sed præcipiti prioratus cupidine acti, pariete transcenso vel suffosso aut rupto, oves pessimi furum et latronum invadunt. Et quidem transcenditur ab illis paries ovilis Dei, cum, sæcularibus potestatibus abusi, prævalent temporaliter ovibus dominari; suffoditur autem, ubi ecclesiasticas personas fundamento Ecclesiæ cohærentes extrahunt et sibi attrahunt. Rumpitur deinde, ubi mediocres et laicas personas a charitate Christi dissociant et sibi consociant. A quibus et tectum scinditur, ubi præpositos Ecclesiæ integritate sui officii depopulantur. Sive ergo reptando, sive suffodiendo, sive irrumpendo in ovile irruant, patet profecto quia aliunde quam per ostium ascendunt. Denique aut sæculares potestates pretio expugnant, aut inferioris ordinis ecclesiasticas personas, aut earum præpositos, aut certe mediocris potentiæ laicos. Minoribus enim populis velut invalidioribus ovibus ad munimentum sui opponuntur ii quatuor ordines, ut sæculares sint eis murus contra incursus visibiles, et ecclesiastici tectum contra invisibiles. Constat ergo Simonianos latrones, ut prævaleant oves mactare et perdere, intrinsecus obtinuisse per eos qui defensores adhibiti sunt extrinsecus. Unde nec ipsi sine ultione evadunt, ubi, velut imbrices aut lapides ædificio subtracti, jam super faciem terræ

Digitized by Google

neglecti et inutiles jacent extra Christi ædificium. Sed et ipsi parietes et tectum perniciose videntur stare, aut superesse, fugato inde ostiario, et exstinctis ovibus, quæ relinquuntur solitudini et ruinæ, bestiis quoque et immundis avibus.

CAPUT XLI.

Qualiter Simoniani imitentur sæculi fures, et quæ sit eorum vox, quam non audiunt oves.

Hinc consideretur quam maxime congruat latrocinio Simonianorum quod solet fieri nonnunquam a sæculi latronibus. Nempe, violenter ovile ingressi, prius ostiarium aggrediuntur, eumque nec mora suffocant aut alligant, ut securius oves sibi abigant et perdant. Quod nefas quotidiano experimento constat fieri a Simonianis, et tanto nequius, quanto divina potiora sunt humanis. Equidem ipsi, ut plebes dici possint libere devorare et perdere, Spiritum sanctum in eis prius exstinguere, aut vinctum sibi contendunt mancipare. Nonne videntur eum alligatum trahere, cum ejus gratiam confidunt se posse cui voluerint tanquam captivam vendere? Nonne velut a se exstinctum negligunt, ubi sua perfidia in ovibus quas vivificabat illum exstinguunt. Exstingui enim dicitur Spiritus sanctus, cum fides, quæ utique donum est, cuique ipse præsidet, accessu perfidiæ exstinguitur. Unde et Apostolus monet sic: « Spiritum nolite exstinguere, prophetias nolite spernere (*I Tim.* v, 10). » Exstinguunt plane Spiritum sanctum fures isti in ovibus, ubi communione vel consensu impietatis offensum recedere ab eis et fugere compellunt: quo exstincto, omnes jam prophetias, hoc est sanctas Scripturas aspernantur. Qua enim reverentia jam suscipient aliorum sententias, qui etiam ipsius magni Prophetæ et Domini prophetarum decretalem sententiam, qua, institutioni sacramentorum suorum subscribens, ait: « Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* x, 8), » tam pertinaciter conculcant? Tales etsi videntur intra Ecclesiam esse, quia nimirum et fures cum furantur, videntur intra ovile. Qui utique minus condemnarentur, si extra furarentur. Nonne Judæi et pagani aliquando videntur intra materiales Ecclesiæ parietes? Et tamen quales intrant, tales exeunt; imo pejores sunt intus ex præsumptione sua et sacramentorum injuria aliorumque contaminatione. Quæ enim pars fideli cum infideli? (*II Cor.* vi, 15.) qui tamen, quandiu intus videntur, nunquid pro Christianis habentur? Sic procul dubio Simoniani dum videntur intra Ecclesiam, tunc magis reprobandi et fures habendi sunt. Qui denique tunc credendi sunt fures et latrones non esse, ubi probabitur eos per ostium intrasse in ovile, nec aliunde ascendisse. Sin alias, nec ipsis exceptis, nec quibuslibet hæreticis, omnes, testante Domino, quotquot præter ostium venerunt, fures sunt et latrones. Qui ne forte putarentur in aliquo utiles, sicut mercenarii, subjunctum est: « Fur non venit nisi ut furetur et mactet et perdat (*Joan.* x, 10). » Ubi sunt ergo qui prædicant bonis quod a malis Simonianis acceperunt bonum non solum nil obesse, sed etiam prodesse, Domino reclamante, non venire fures nisi ad furari, mactare et perdere? Unde qui hæc sola in se habent, et ad hæc sola veniunt, quod bonum dare saltem bono cuilibet possunt, nisi forte resipiscentes se prius mutaverint, et bonum quod aliis dare possunt acceperint? Quorum ne dicam factum, sed ipsa quoque vox eorum in tantum funesta est, ut, si eam audierint, non possint non mori oves. Denique, ubi eam audierint, desinunt esse oves Christi, ipso protestante quia non audierunt eos oves. Patet ergo tales jam non boni pastoris oves, quæ audierunt fures. Et quid sunt? Raptæ, mactatæ a furibus et perditæ, et idcirco nil aliud jam quam latronum victimæ. Quibus malis miseræ non succumberent, si eorum voces non audissent. Quamvis enim latrones irrumpere aliquando ad oves prævaleant, non tamen possunt furari, mactare aut perdere eas, nisi prius illos audiant; nec efficiunt fures quod tentant, quandiu oves eis auditum suum non accommodant. Quas enim neces Simoniani prævalerent catholicis inferre, si prænoniti a bono pastore suo Christo, refugerent eos tanquam pastores audire, suumque favorem et consensum talibus furibus præbere? Quamobrem multiplicatio et audacia furum et latronum maxime provenit ex misera patientia ovium, quæ justo Dei judicio pereunt, quia duobus indiciis velut totidem testibus præventæ et edoctæ, fures cavere aut neglexere aut contempsere. Equidem duo indicia, quibus fures cognoscerent, suis bonus pastor proposuit ovibus, ut si forte unum sine conscientia eorum et voluntate contingeret, alterum devitarent. Et prius indicium furum et latronum proponitur ex introitu in ovile, si non fit per ostium, sed aliunde. Alterum autem ex incognita ovibus voce, quam hinc necesse est quæ sit breviter inculcemus, quia de perverso introitu sufficienter inculcatum putatur. Sicut vox, verbi gratia, Arianorum est Filium minorem Patre asserere, ipso Filio reclamante: « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* x, 7); » sic nihilominus Simonianorum vox est: Spiritum sanctum venalem habere, reclamante eodem cujus spiritus est Christo: « Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* x, 8). » Quam vocem Christi si cognoscunt et sciunt ejus oves, necesse est pastorem suum sequantur et non furem, qui procul dubio alienus est: quem ideo non sequuntur oves, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum, quorum os loquitur vanitatem et dextera eorum dextera iniquitatis (*Psal.* CXLIII, 8). » Unde nemo se palpet, nemo sibi ad excusandas excusationes in peccatis tanquam folia ficulneæ suis pudendis aptet. Quicunque audit vocem Simonianorum dicentium: « Non do tibi baptismum, non do tibi corporis et sanguinis Christi sacramentum, non do tibi Spiritum sanctum, non do tibi quemlibet gradum ecclesiasticum, nec facio consecrationes ecclesiarum, vel quascunque alias administrationes divinorum sacramentorum, nisi dederis mihi pretium; procul dubio non est ovis Christi, contra cu-

Digitized by Google

ius vocem, vocem alienorum audit et cognoscit. » Quamobrem alienum procul dubio jam sequitur, nisi Christum, a quo jam non cognoscitur, etiam si ei cujus vocem cognoscere desiit, clamare audiatur *Domine, Domine.* Cujus vocem si retinuisset, ab alieno incognitam sibi vocem edenti, quantocius fugeret.

CAPUT XLII.

Quanta vigilantia oves furibus debeant obsistere ingressis ovile.

Itaque si oves nequeunt Simonianis furibus ovile irrumpentibus obsistere, obsistant saltem ingressis in hoc quod solum possunt, scilicet ne velint aut cogantur eos sic audire, ut velut pastorem sequantur, aut certe velut mercenarium audiant tales : sed, ut dictum est, quod solum valent, fugiant ab eis, devitantes eorum communionem, officia et officinas congregatas de sanguinibus ovium, quas mactant et perdunt. Quibuslibet ergo terroribus hominum vel damnis corporum suorum vel facultatum, oves Christi obsessæ vel oppressæ, satagant ante omnia animarum suarum læsionem, ne a latronibus vivæ absorbeantur, effugere ; nec timeant eos qui occidunt corpus, nec animam possunt occidere, sed eum qui utrumque potest in gehennam ignis inexstinguibilis perdere (*Marc.* IX, 44). Considerent vero quia, si inexcusabiles erunt quotquot in fine mundi, sub maximo defectu Christianæ fidei, Antichristum sequentur, seducti non solum signis et prodigiis magnis, sed et tormentis omnimodæ persecutionis coacti; multo magis inexcusabiles sunt qui nunc, in maxima gloria Christiani nominis, fures et latrones blandimentis et terroribus seducti sequuntur. Ut enim illis prædictum est pseudoprophetas et pseudochristos surrecturos, sic et istis fures et latrones venturos, et in ovile intraturos, Domino sic in apostolis præmonente suos : « Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes quia ego sum, et multos seducent. Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic Christus, et ecce illic, nolite credere, nolite ire, neque sectemini. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere. Ecce enim regnum Dei intra vos est. Vos ergo videte; ecce prædixi omnia (*Matth.* XIV, 4). » Quasi diceret : In vobis est jam seduci et non seduci, ac per hoc inexcusabiles eritis, si cavere neglexeritis aut contempseritis, quia prædixi omnia vobis. Siquidem præmonstravi regnum Dei ubi sit, catholica scilicet Ecclesia, id est intra vos, qui apostolicam fidem et doctrinam corde et ore conservatis et retinetis. Unde ubi hæc naufragabitur aut corrumpetur, Christus, nec regnum ejus ibi esse credatur, etiam si desertum aut penetrale dicatur et videatur. O quot et quam eremitæ tempore Arianorum dicebant in suo deserto Christum esse, cum Ariana infecti peste Antichristum haberent apud se! O quot et quanti qui putabantur tunc ecclesiastici, concrepabant et conclamabant Christum in suis penetralibus esse, cum nihilominus Antichristum celarent apud se! Qualis fuit Eusebius Cæsariensis, acerrimus propugnator Arii, beato Hieronymo profitente: « Qualis fuit Didymus, et Eutyches, et alii quamplurimi tam ex urbibus quam et ex solitudinibus. » Quod ergo de præfata hæresi, hoc et de aliis dictum putetur. Quod si præmissa Domini verba quis consideret, fures et latrones evidentioribus periochis secundum Joannem expressos quam pseudoprophetas et pseudochristos secundum alios evangelistas inveniet, quamvis eosdem isti pseudoprophetas vel pseudochristos vocitent, quos ille fures et latrones. Quorum cum nullam alii evangelistæ prædixerint dignoscentiam, nisi quod signa et prodigia magna darent, quod utique non solum incautos ab errore subducit, sed etiam cautos in errorem inducit. Joannes tamen ex introitu et voce illorum omnibus eos velut digito prænonstravit, ne quoquomodo quispiam se de ignorantia suæ perditionis deinceps excusare possit, si audire et sequi fures sibi designatos non timuerit. Denique, si liberum de introitu ejus qui eas recturus est aliquando aufertur ab ovibus judicium, possunt tamen non audire vocem alienorum, et non sequi sed fugere alienum. Quod si etiam veri pastoris habitu quempiam insignitum viderint, non prius eum audire et sequi audeant, quam ex ipsius introitu et voce pastor an latro sit resciscant, eique cum Jesu Nave curiositate laudabili dicant : « Noster es, an adversariorum? » (*Josue.* IX, 13)

CAPUT XLIII.

De differentia mercenariorum et furum, et quod hæretici non sint a catholicis tolerandi sicut male viventes catholici.

Hinc jam ex procedentibus satis liquet quantum fures et latrones a mercenariis distent. Siquidem mercenarii in omnibus quæ dixerint sunt audiendi, Domino sic præcipiente pro eis : « Omnia quæcunque dixerint vobis servate et facite (*Luc.* XVII, 10); » fures autem et latrones nec audiri permittuntur, quia, mox ut audiuntur, peritur. Et mercenarii quidem tales sunt ut Apostolus quoque de illorum prædicatione gaudeat; fures autem et latrones tales sunt ut eos idem Apostolus adulterantes verbum Dei, et inimicos crucis Christi flens dicat. Mercenarii quoque quamvis quærunt sua, non Christi, non tamen quærunt sibi alia quam quæ debentur et jubentur reddi pascentibus oves Christi, videlicet decimas debitasque reverentias, quas requirendo non delinquunt, quia quæ Dei sunt Deo reddi quærunt. Delinquunt autem hæc sola sibi quærendo, quia hæc sola sua esse dicunt; qui tamen, dum propter hæc oves parcunt Dei ad tempus pascunt, Deo etiam quæ Dei sunt in hac parte reddunt. Nam quod decimæ et cæteræ fidelium oblationes Domino tantum debeantur et reddantur, et quod qualibuscunque ministris ejus ad temporale stipendium sint deputatæ divinitus, sic super Malachiam beatus edisserit Hieronymus : « Quis est, inquam, in vobis, o sacerdotes, qui claudat ostium et incendat altare

Digitized by Google

neum gratuito? Nullus enim in vobis est usque ad extremum ministrorum, non dico sacerdos et cæteri, sed ne janitor quidem, et qui ignem supponit altari ad cremanda holocausta, qui non a me mercedem accipiat laboris sui. » Hoc autem dicit, decimas significans omnium frugum quæ offeruntur a populis, quas profecto dum latrones exigunt, non sua requirunt. Quippe quibus nullum pro ministerio divino quo penitus carent debetur stipendium, sed solum pro suo latrocinio, patibulum vel extremum supplicium. Qui tamen, proh dolor! multoties accipiunt non solum quod Christi ministris reperiunt deputatum, sed insuper quod interdictum, cum ad nil aliud veniant et valeant, nisi ut furentur et mactent et perdant. Et quis sanum sapiens censet hujusmodi fures et latrones a catholicis tolerandos, quos Dominus censet sic fugiendos, ut testetur non esse oves quæ vel audierint illos? Et qua fronte prædicat quis ministerium horum tolerandum et recipiendum, donec synodaliter deponantur, totumque quod eorum ministerio interim fit in ovili, bonum esse et sanctum, qui solum furandi, mactandi et perdendi habent ministerium? Si ergo bonum et sanctum est oves Christi furari, mactare et perdere, sufferantur fures et latrones, qui nil aliud norunt nec possunt facere, Domino protestante; cui si quis audet contradicere, asserens fures et latrones aliquid aliud boni nosse aut posse facere, disceptare etiam et in judicio contendere cum Domino audeat, et, si potest, eum mentitum arguat. Si autem nemo Christianorum hoc audet, concedat necesse est hujusmodi fures et latrones non nisi malum sibi et aliis facere. Quapropter cur putantur Simoniani multoties et pene quotidie synodaliter deponendi, qui ab initio semel simul et irretractabiliter ab apostolorum principibus fuere depositi, sicut et postea ab orthodoxis et catholicis Patribus alii in ipso ortu suo hæretici? siquidem quoties quoque mala arbor radicitus evellitur, incassum creduntur rami ejus vivere aut victuri nisi et ipsi evellantur, cum in suæ matris evulsione et ipsi evulsi computentur. Sic et cujuslibet hæretici depositio tanquam abscissio non est in singulis personis ceu in singulis ramis requirenda, si auctorem hæreseos velut malæ arboris radicem penitus evulsum constat: quod catholicis quamvis male viventibus certum est non contingere, quorum radix, Ecclesia scilicet catholica, non eradicatur aliquando, etiam cum nonnulli ramorum ejus pro suæ sterilitatis aut incompositionis amputantur vitio. Qui quandiu a sua matre arbore portantur, aut meliorantur, aut ad umbram hominum vel ad repausationem avium habentur. Sic et mali bonæ catholicæ ministri, quamvis male vivant sibi, tamen, donec differuntur depositum iri, aut contingit eos meliorari, aut certe aliquibus interim conferri nonnihil commodi. Ex quibus datur animadverti Catholicorum male viventium depositionem pro tempore et re plerumque differri, et interdum fieri; hæreticorum autem nec pro tempore nec re aliquandiu differri, sed mox ut innotuerint fieri. Unde super male viventibus Christi ministris catholica plebs debet Catholicorum exspectare synodum, nec abjicere, donec eos abjiciat communistrorum vel magistrorum suorum arbitrium, juxta quod docet Salomon: « Oculi, inquiens, tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos (*Prov.* IV, 25). » Solet nempe evenire ut quod imperfectis videtur intolerabile, perfectis videatur tolerabile, et e contrario perfectis habeatur intolerabile quod imperfectis tolerabile. Quo ambiguo ne forte fallatur aut scandalizetur Ecclesia, patienter exspectandum est et sapienter, donec synodalis illud discernat et determinet sententia. Quam qui censet exspectandam et in hæreticis post concilia semel habita de illis, nescio an Catholicus vere dici posset; nam cuicunque quælibet hæresis in Ecclesia videtur tolerabilis, haud dubie a catholica fide naufragavit aut excidit.

CAPUT XLIV.

Exemplis propositis ostenditur hæreticos nec ad horam a catholicis antiquis toleratos, et mercenarios toleratos.

Nunquid tempore Arianorum seu aliorum hæreticorum sicubi Catholicis hæreticus quilibet datus est episcopus, ministerium ejus toleravere aut sanctum habuere catholici, quousque synodaliter deponeretur? Quod non fuisse aliquando toleratum a Catholicis cum ex multis clareat historiis, tum ex Tripertita, quæ narrat pueros pilam lusoriam flammis expiasse, quia vel in pedes aselli quo hæreticus illius tunc civitatis episcopus vectabatur, casu excurrisset. Cujus quoque balneas sic exhorruisse feruntur Catholici, quod non solum cum illo, sed et sine illo ibi lavari recusassent, priusquam etiam loca ipsa recentibus lymphis expiassent. Quem Catholicorum zelum, bonum, Catholicis omnibus ad imitationem propositum, ne quis putet in pace et in aliqua temporali Christianitatis potentia demonstratum, noverit tempore Arianorum imperatorum et principum hoc factum, a quibus propter hoc ipsa civitas data fuit gladio, et trucidata maxima pars civium. Qui quanta alacritate ad mortem pro fidei catholicæ confessione properaverunt, quodque carnifices prius defecerunt jugulando, quam devoti cives sese jugulantibus offerendo et ingerendo, quisquis enucleatius nosse desiderat, præfatam historiam revolvat. Ibi enim non tantum hæc, sed et alia quamplurima ludibria, verbera, pericula et damna Catholicos ab hæreticis perpessos inveniet. Post quæ mala, quis enumerare sufficiet quanta constantia crudelioribus omni bestia Guandalis in Africa catholica restiterit Ecclesia, etiam sub innumeris et exquisitis suppliciis diutius vivere compulsa, vixque sero mori permissa. Unde væ prosperitatibus Catholicorum nostri temporis, quibus Christiana fides sine aliqua, aut vix cum aliqua sui suarumque rerum jactura subducitur et extorquetur sub principibus Christianis-

Digitized by Google

simis, quam antecessoribus nostris nec sublucere nec extorquere indicibiles adversitates valuere, etiam sub tyrannis sacrilegis! Quandiu ergo hæretici sufferantur, vel qualiter deponantur, et Dominus prius constituit, ubi nec audiendos ab ovibus, sed fugiendos innotuit, et Deiloquus Paulus deinde factis et dictis approbavit. Qui quamvis mercenarios etiam contentiosos, contumaces, avaros, cupidos et invidos sic sufferat, ut de prædicatione quoque eorum se gaudere et gavisurum asserat; fures tamen et latrones, hæreticos videlicet homines post unam et secundam correptionem devitandos insinuat. Quod et se fecisse evidenter ostendit, ubi Alexandrum, Hymenæum et Philetam dicentes resurrectionem jam factam Satanæ tradidit, ut discerent non blasphemare. Beatus quoque Augustinus in tractatu Evangelii Joannis astruens mercenarios in aliquo esse necessarios et utiles, licet in multis culpabiles, concessivo modo inquit: « Habeat ovile Domini præpositos et filios et mercenarios. Præpositi autem qui filii sunt, pastores sunt. Præpositi autem sua quærentes, non Jesu Christi, mercenarii sunt. » Idem in subsequentibus: « Nostis jam in nomine Domini qui sit pastor bonus, et quemadmodum pastores boni membra sint ejus, et ideo sit unus pastor bonus. Nostis quis sit mercenarius ferendus, qui lupus et fures et latrones cavendi, quæ sint oves, quod sit ostium quo et oves ingrediuntur et pastor, quomodo sit intelligendus ostiarius. Nostis etiam quando quisque non per ostium intraverit, fur est et latro, nec venit nisi ut furetur et occidat et perdat (*Joan.* x, 10). » Ecce tantus doctor licet dixerit mercenarium ferendum, et habeat Ecclesia mercenarios præpositos, nunquid alicubi invenitur dixisse fures et latrones ferendos, et habeat Ecclesia eos præpositos? In cujus tractatu diligentius inveniet designatos mercenarios fures et latrones et cætera, quisquis hic sibi inde non satisfactum autumat.

A

B

CAPUT LLV.

De eo quod sanctus Gregorius adhuc diaconus Eutychium devitavit, et quod sanctus Hieronymus non exspectandum in eis publicum judicium asserit.

(Hic desinit codex mutilus, scriptus auctoris ætate et optimæ notæ, in quo desunt octo capitula, in indice initio libri hujus præfixo notata.)

APPENDIX AD OPERA HUMBERTI.

FRAGMENTUM

DISPUTATIONIS ADVERSUS GRÆCOS.

(Apud Marten., *Thesaurus Anecd.*, tom. V, pag. 815, ex ms. codice Floriacensi.)

ADMONITIO PRÆVIA.

Sequens disputationis adversus Græcos fragmentum suppeditavit nobis codex Floriacensis ab annis circiter sexcentis manu exaratus. Quis autem fuerit illius auctor necdum rescire potuimus, cum disputationis initium et finis in manuscripto desiderentur. De tempore tamen quo vixerit aut scripserit ille, certo aliquid definire possumus. Neque enim ante tempora Michaelis Cærularii patriarchæ Constantinopoli, qui sopitum adversus Latinos schisma non sine furore suscitavit, scriptum composuit suum, sed neque ante Leonem Acridanum episcopum aut Nicetam abbatem Studensem acerrimos Latinorum hostes, quos in diptychis sacris a Græcis conscriptos esse improbat; verum ante finem sæculi XI opus suum in lucem emisisse duo mihi persuadent. Unum repeto ex antiquitate codicis Floriacensis, cujus character ad annos sexcentos accedere videtur, alterum ex eo quod auctor Græcos non obscure arguat quod intinctam eucharistiam porrigant communicantibus, contra morem Ecclesiæ Latinæ. « Sed, inquit, seorsum corpus et seorsum sanguinem sumimus, nec intinctum panem datum cuiquam nisi Judæ traditori cognovimus. » Nam, licet ex decreto concilii Turonensis, quod refert Burchardus lib. v, cap. 9, « sacra oblatio intincta debet esse in sanguine Christi, ut veraciter presbyter possit dicere infirmo: Corpus et sanguis Domini tibi proficiat; » huic tamen decreto derogabat canon 1 concilii in Bracarensis, vetantis « eucharistiam vino madidam pro complemento communionis porrigere. » Quæ prohibitio vim habuit legis apud Latinos ad usque sæculum XII, cujus initio eucharistia passim intincta tribui incœpit, ut discimus ex epistola Ernulfi Roffensis episcopi ad Lambertum, ubi hunc ritum « nova consuetudine, » ut ait, introductum multis rationibus tueri conatur. Cui favet etiam Ivo Carnotensis in tractatu De divinis officiis. Hinc patet disputationem contra Græcos cujus hic fragmentum exhibemus scriptam fuisse ab eo tempore quo Michael Cærularius schisma conflavit in Ecclesia, quod totis viribus tueri conatus est Nicetas Pectoratus, hoc est ab anno circiter 1050 ad 1100. Tunc Humbertus cardinalis et Anselmus Cantuariensis archiepiscopus, duo ordinis nostri luminaria Græcorum commenta suis scriptis valide confutarunt; nec mihi dubium est quin etiam alii eamdem in se provinciam susceperint, quorum utinam lucubrationes haberemus! sed ne omnino pereant, saltem vel fragmentum exhibeamus.

Digitized by Google

FRAGMENTUM DISPUTATIONIS CONTRA GRÆCOS.

Vos fidem illorum ignorare dicetis. Nunquid orthodoxis Patribus ignorantia vestra præjudicat? Nunquid non magis vos culpa negligentiæ damnat? quod si sanctos Patres fidem illam non habuisse contenditis, et libros eorum falsatos asseritis, et in hoc quoque recipiendi nullatenus estis quoniam causationes hujusmodi nullis assertionibus probare potestis. In nulla namque synodo tale sacrilegium nostris opponitur, quod tamen vestros fecisse synodus VII testatur. Sed ad rem veniamus, et videamus quid etiam in sanctam Scripturam, et in ipsam catholicam fidem peccetis. Cum enim Spiritus sanctus plenus et perfectus sit Deus, et æqualis per omnia Patri et Filio quod dicitur Spiritus Patris, et quod Pater eum dat et mittit et effundit, vel si quid hujusmodi legitur, nullam servitutem vel minorationem significat. Neque enim Pater vel Deus ejus est, vel Dominus ejus est, quia major non est. Majus enim vel minus in Deo non est. Qui enim minor est, perfectus Deus non est, qui vero perfectus non est, nec omnino Deus est, quia Deus perfectus est. Spiritus autem sanctus ideo Deus est, quia de Deo est. Nihil enim de Deo est, nisi quod Deus est, qui ob hoc solum Spiritus Patris est, quia de Patre est : quia si de eo non esset, nullatenus Spiritus ejus esset; et, sicut Filius essentiam habet a Patre nascendo, ita Spiritus procedendo. Processio namque significat essentiam Spiritus sancti. Nihil enim in simplici ejus natura aliud aliquid est, quam quod est. Igitur sive Spiritus sanctus procedens a Patre dicatur, sive missus a Patre, sive datus, sive effusus, sive Spiritus Patris, unum est, et unum significat, id est essentiam Spiritus, quia nihil in simplici natura diversum est. Quod ergo Spiritus Patris est, essentia ejus est. Quod a Patre procedit, quod datur, quod mittitur, quod effunditur, essentia ejus est; et nihil habet a Patre, nisi quod est. Quidquid enim est, Deus est, nec aliam naturam habet, ut Filius, in qua aliud habeat quam quod Deus est. Spiritus est Patris ut Deus, procedit ut Deus, datur ut Deus, mittitur ut Deus, effunditur ut Deus, quia totus est Deus. Unum est cum Patre, quia de Patre est. Consubstantialis est illi, procedit ab eo, mittitur ab eo, datur ab eo, effunditur ab eo, quia de eo est, et nihil in eo est, nisi quod est. Similiter quod Spiritus Filii dicitur, quod ab eo datur, mittitur, effunditur, insufflatur, spiratur, profertur, exit, accipit ab eo quod annuntiat, eamdem processionem, id est, eamdem essentiam ejus puram insinuat. Non enim est aliter Spiritus Filii, et aliter Patris, nec aliter dat eum Filius, aut mittit, aut effundit, aut spirat, quam Pater; nec aliter procedit a Patre, quam profertur et exit a Filio; nec aliter accipit a Filio quod annuntiat quam a Patre. Non diversas essentias habet simplex Divinitatis natura, nec aliqui[illegible] habet a Patre vel Filio, nisi quod est. Accidens enim in Deo non est. Semper enim est quod est. Et, sicut Pater semper generat, et Filius semper gignitur, et nihil est Pater vel Filius quod semper non sit; sic Spiritus sanctus semper procedit, semper mittitur, semper datur, semper effunditur, semper spiratur, semper profertur, semper insufflatur, semper exit, semper accipit quod annuntiat, semper est Spiritus Patris et Filii. Et sicut quod Filius generatur, quod nascitur, quod mittitur in forma Dei, quod prodit ex ore Altissimi, quod exit a Patre, unam essentiam ejus significat, quam habet a Patre; sic omnia quæ de Spiritu sancto dicuntur unam et eamdem ejus demonstrant essentiam, quam habet a Patre et Filio : non enim aliud et aliud significant in eo diversæ prolationes, in quo nihil est nisi quod est. Sed sive processio, sive missio, sive quodlibet aliud, quod habet a Patre et Filio, puram, simplicem, unam et eamdem solamque significat essentiam, quam habet a Patre et Filio. Si enim diversa significat, aut diversas essentias habebit simplex natura; aut aliquid erit in Deo præter illud quod est, quod catholica non recipit fides. Item cum Spiritus sanctus unum cum Patre sit, et consubstantialis illi, pro eo quod ab eo est, id est procedit; idem Spiritus consubstantialis Filio non est, sicut Patri, nec unum cum Filio sicut cum Patre, quia non est nec procedit ab eo, quod catholica fides non recipit, quia non aliter et aliter, sed uno et individuo modo unum est Pater et Filius et Spiritus sanctus. Item si Spiritus sanctus non procedit a Filio, quomodo, sicut VII synodus habet, procedit per ipsum? Quid est enim per domum procedere, nisi de domo procedere? Aut qualiter exit a Filio Spiritus, si non procedit ab eo? Quid est enim exire, nisi procedere? vel quomodo spiratur, insufflatur, et effunditur, profertur ab eo, si non procedit ab eo? Nunquid aliter Spiritus Patris est et aliter Filii, ut hujus sit Spiritus procedendo, hujus vero nequaquam? Quomodo non procedit qui spiratur, qui mittitur, qui datur, qui effunditur, qui profertur, qui insufflatur, qui Spiritus est ejus, qui exit ab eo, et accipit quod annuntiat? Quid enim Deus de Deo potest accipere nisi quod est? Nunquid indigens Deus est et minoratus est in aliquo, ut potentior Deus ejus indigentiam suppleat aut formam servi suscepit, in qua quod non habet accipiat? si sic sapias, male sapias; contra Deum sapitis, contra fidem sapitis. Postremo si quæ de Spiritu sancto dicuntur non essentiam ejus quam habet a Patre et Filio, sed aliquid propter quod accipitis minorem cum Patre et Filio, cum Pneumatomatico Macedonio facitis.

Arguimus quod sacrificio Dei detrahitis, et adversus Dominum linguas ut serpentes acuitis (*Psal.* LXIII, 4); ita ut quidam ex vobis in archierarchica dignitate corpori Christi anathema dixerint, et ad

Digitized by Google

terram cum exprobationibus multis projecerint, et super sanguinem redemptionis nostræ pedibus immundis calcaverint. Quod horrendum facinus ipsum diabolum debuit deterrere. Minus enim peccaverunt Judæi manus impias in Jesum mittentes, et dæmones impellentes, et milites crucifigentes. Per ignorantiam enim fecerunt : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II, 8) : vos autem et vidistis et odistis, et, secundum prophetam, odio Dominum gratis habuistis. Sed esto, luat corpus Domini, quod, cum panis esset, azymus fuit; sanguis ejus quid meruit ut effunderetur et calcaretur, cui nondum auctoritas vestra condemnationis sententiam dedit?

Sed forsitan non consensistis. Cur igitur Michaelem patriarcham inter sacra missarum solemnia commemoratis? Cur Leonem Acridanum episcopum et Nicetam abbatem de Studio de diptychis sacris non deletis? Cur adhuc in sacrificio nostro Dominico sanguini non communicatis? Sed ex contactu corporis sanguis fortasse polluitur; legitur enim : Quod immundum tetigerit, immundum efficitur (*Levit.* XI, 26). Sed nos seorsum corpus et seorsum sanguinem sumimus, nec intinctum panem datum cuiquam nisi Judæ traditori cognoscimus. De corpore quoque Christi quanta sententiam vestram absurditas sequatur, videte. Si enim corpus Domini creditis quod ex azymo pane conficitur, cur non recipitur? cur non ut Dominicum adoratur? cur ne fiat interdicitur? cur injuriis lacessitur? cur imperfectum et inanimatum vocatur? cur cum sacrificatoribus suis ab ecclesiis pellitur? cur et fermentum præponitur? cur cultores ejus a communione suspenditis? cur azymitas vocatis? Nunquid habuit duo corpora Christus? unum perfectum, aliud imperfectum; unum animatum, aliud inanimatum; unum azymum, aliud fermentatum; unum significans, et aliud significatum? Quis hæc de corpore Christi cogitare præsumit, nisi qui Christum nec reveretur nec credit? nisi qui manifeste blasphemat? nisi qui Christum sciens et prudens impugnat? Quod si panem azymum fieri corpus Christi negatis, cur imperfectum negatis? Non enim imperfectum Christi corpus est, quod nullo modo corpus ejus est? Cur denique nos Christianos habetis? cur non ut idololatras condemnatis? idolum enim est, si panis azymus adoretur ut Deus. Cur hanc impiissimam hæresim publice non confutatis? cur cum cæteris hæreticis Romanos in Ecclesia non anathematizatis? Nihil enim est medium : aut corpus est Christi, et omnibus adorandum; aut corpus ejus non est, et ut idolum contemnendum. Sed unde probatis quod corpus ejus non fiat, cum nullus doctorum hoc sapiat, nulla synodus contradicat? Cur contra canones ecclesiasticos traditiones contemnitis? Cur synodis quod de corpore Christi non habent apponitis? Quid azymo vel fermento cum corpore Christi? Nunquid panis est, ut azymus sit fermentatus? Cur non magis indiscussum relinquitis quod ignoratis? Cur rem quam nescitis temere confirmatis?

Advertite saltem quod accusatores vos et judices esse in eadem causa non liceat, et quod ante probationem judicium lege non fiat, et in causa vestra alios judicare permittite, et Domini corpus ante judicium condemnare nolite.

Quod Christum in fermentato pascha celebrasse asserant. Arguimus quod Dominum ante quartamdecimam lunam pascha contra legem fecisse, vel in quartadecima fermentum comedendo violasse contenditis, et sic transgressorem legis, et solvisse legem antequam impleretur, astruitis; quod Evangelium prima die azymorum, quod dicitur pascha, fuisse commemorat, et Christus non ad solvendam, sed ad implendam legem se venisse confirmat. Quod utique non fecisset, si, antequam impleretur, fermentum comedendo solvisset. Unde consequitur quod peccatum Dominus fecerit, et in ore ejus dolus fuerit, juxta sententiam suam, ut transgressor legis perierit.

Quod fermentatum animatum dicant. Arguimus quod fermentatum panem animatum asseritis; in qua sententia nec Vetus vobis, nec Novum Testamentum consentit; nec aliquis physicorum novum hoc animal, imo novum portentum, præter solos Manichæos, confinxit Quam inopinabilem opinionem inter hæreses Manichæorum sancta jam dudum condemnavit Ecclesia.

Quod animam panis Christum vivificare contendant. Arguimus quod animam panis Christi corpus vivificare contenditis. Nunquid duas animas habet Christus, alteram hominis et alteram panis? aut sicut panis in carnem Christi mutatur, sic anima panis in animam Christi convertitur? an animam suam Christus dimittit, et animam panis admittit? nunquid, si panis anima decrit, Christi corpus animatum non erit? cur non advertitis quod, antequam offeratis eum, occiditur, lancea perforatur, a toto suo particula quæ consecrari debet abscinditur, et detruncatus jam et exanimatus ad altare portatur? non enim anima dividi potest, ut divisæ partes divisiones quoque retineant animæ. Sed esto, partes etiam propter fermentum habeant animam. Quid, cum panis evacuatus fuerit, et omnino fermentum animæ desierit, nunquid etiam tunc anima sua manebit, et corpus Domini vivificabitur? panis enim altaris totus in carnem Christi convertitur, nec aliquid naturæ panis præter speciem solam relinquitur. Cur non attenditis quoniam Dominus quod dedit, fregit, corpus suum vocavit, discipuli quod acceperunt manducaverunt? Nunquid anima corpus dicitur? nunquid frangitur? nunquid comeditur? quod Evangelium dedit hanc fidem? Quis apostolorum docuit hanc Dominici corporis vivificationem? Origenianus est, non catholicus sensus, ut aliorum animæ in aliorum transeant corpora, et pro meriti qualitate vel meliora sortiantur vel deteriora.

Digitized by Google

Quod lancea corpus Christi percutiant. Arguimus quod lancea corpus Christi percutitis, hoc enim Christus non fecit, hoc in commemorationem suam discipulos facere nequaquam instituit : « Accipite, dixit, et comedite », non occidite, vel lancea percutite. Christus nec seipsum occidit, nec discipulos occidere jussit. Milites, non apostoli, Dominum occiderunt; milites, non apostoli, lancea latus ejus perforaverunt. Nec vivebat Dominus sicut fermentum vestrum, cum latus ejus perforatur; sed mortuus erat, ne, cruribus fractis latronum, os ex eo non comminueretur. Quamvis lancea vestra non, sicut jactatis, usque ad occisionem Christi perveniat; nec corpus Christi, sed solum panem percutiat; nondum enim est caro, sed purus panis, quod lanceatis; et fermentatum viventem, antequam Christum vivificare possit, occiditis.

Quod in terra corpus Christi sepeliunt. Arguimus quod in terra corpus Domini sepelitis, et contra Scripturam corruptionem videre compellitis : Dominus enim corpus suum comedere jussit, non sepelire; et discipuli comederunt, non sepelierunt. Vos autem, non sequentes apostolos, in lacum corruptionis projicitis; et Spiritum sanctum qui per prophetam dixit : « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* xv, 10), » mentiri compellitis, qui corruptionem eum videre, quantum in vobis est, facitis.

Quod illud cum aqua calida sumant. Arguimus quod corpus Domini cum cibo communi, id est cum aqua calida, sumitis : Non enim Christus hoc instituit, nec in sacramento sanguinis aqua calida fuit; Christus vinum, non aquam, mutavit in sanguinem, nec aliud aliquid, sed genimen vitis propinavit in calicem. Vos autem quod ad mensam communem ex usu percipitis, nec ad mensam divinam abstinere potestis, et ascribitis religioni quod ad peccatorum excusationem habetis.

Quod sanguinem de Christi latere calidum fluxisse dicant. Arguimus quod sanguinem de latere Christi calidum fluxisse contra naturam et Evangelium dicitis : dicit enim Scriptura quod jam obierat, jam exspiraverat, jam mortuus erat, cum corpus ejus vulneratum est, cum lancea latus ejus perforatum est. Nunquid habet natura ut corpus ejus mortuum caleat, cum in eo vita non fuerit, cum jam vitalis calor recesserit? Sed forsitan hoc privilegium habuit Dominicum corpus. Unde probatis? Ubi legitis? Quæ Scriptura docet? Quod Evangelium habet? Aut de Scriptura quod profertis probate, aut præsumptioni solitæ quod Scriptura non habet ascribite.

Quod pueris ante diem septimum baptismum negent. Arguimus quod puero recens nato baptismum ante septimum diem negatis; non enim Dominus certum diem in baptismo constituit, nec septimum diem primo die præposuit; sed simpliciter et absque fallacia mittens ad baptizandum discipulos, dixit : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* xvi, 16). Nunquid enim Dominus die septimo baptizatum salvum facere potest, et primo non potest? Omnipotens enim est Deus, et omnia quæcunque voluit fecit, et non est qui possit resistere voluntati suæ. Aut potest quidem, sed non vult quod potest, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire? Ubi omnis dicitur, nullus excipitur, nec infans cujus est vita unius diei super terram. Christus omnem hominem salvat, vos hominem cur excipitis? Christus neminem ejicit foras, vos longius hunc a Christo repellitis? Christus solus baptizat, vos aquam cur prohibetis? Christus solus peccata dimittit, vos peccata cur retinetis? si sordes exteriores offendunt oculos vestros, nunquid et Christum putatis offendi? si carnis immunditiam tactus vester horrescit, nunquid et Christum putatis horrescere? Qui carnis infirmitates pro nobis sustinuit, infirmum hominem magis sustentat quam dejicit. Qui sordes animæ quas ex culpa contraximus, lavat, sordes corporis quas nobis imponit necessitas misericorditer portat. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. Vos autem homicidas omnes incomparabiliter vincitis, qui percuntes de manu Salvatoris excutitis, et morientes ad vitam intrare non sinitis, et in gehennam, morte Christi reclamante, demergitis.

Digitized by Google

DOMNI

JOANNIS MABILLONII

PRESBYTERI AC MONACHI ORDINIS S. BENEDICTI, E CONGREGATIONE S. MAURI,

DISSERTATIO

DE PANE EUCHARISTICO, AZYMO AC FERMENTATO.

AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM BONA.

(*Vet. Analect.* nov. edit., pag. 522.)

EMINENTISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI JOANNI BONA,

S. R. E. Presbytero Cardinali,

FR. JOANNES MABILLONIUS M. B.

Eo me adduxit, eminentissime Ecclesiæ princeps, modestia tua ut, si libellum hunc meum tibi non obtulero, ingrati animi vitium incursurus sim: si obtulero, imprudentis. Cum enim hic libellus te monente ac præcipiente conceptus sit, te materiam suppeditante ac delineante formatus, te etiam procurante editus in lucem, indignum est ut sub alieno pro'eat nomine, qui te primarium auctorem agnoscit. At vero cum modum tractandi argumentum de azymo ita præscripserit eminentia tua ut non quod tute sentias, sed quod e rei veritate magis esse intellexero sincere exponam, fit ut a tua sententia tantisper discedere cogar, reluctante observantia in te mea, eoque minus acceptum fore libellum merito subverear quo ad judicium tuum minus accesserit. Et id quidem jure timerem, si esses ex eo genere hominum quibus id unum sapit quod sentiunt. Verum tanta est animi tui magnitudo et æquitas, eminentissime cardinalis, ut, cum in scriptis tuis uni studeas veritati, in alienis unam maxime quærendæ veritatis sinceram voluntatem probes plusque de te meriturus sit qui a sententia tua veri studio recesserit quam qui tibi subscripserit fallaci assentationis obsequio. Quapropter in hoc elaborando opusculo id in primis curæ mihi fuit ut illud componerem, non tam ad tuæ sententiæ quam ad animi tui limitationem, ratus in hoc magis splendere dignitatem moresque tuos, si etiam contra sentientes benigne accipias, quam si omnes tibi ambitiose applauderent. Quanquam in tota hac disputatione nihil contradicendi studio a me dictum, nihil definiendi pertinacia assertum, sed id totum quantulumcunque est, perfici animo tibi obsequendi consecrandique opellam meam, ut, si aliquando permittente otio idem argumentum secundis curis pertractare tibi placuerit, habeas præ manibus hoc officii mei monumentum. Nihil enim mihi felicius gloriosiusve contingere potest quam si quidpiam momenti contulero in subsidium studiorum tuorum, quibus catholicam Ecclesiam atque rempublicam litterariam mirifice illustras. Hæ sunt consilii atque operis mei rationes, vir eminentissime, quas si probaveris, spero etiam munusculum hoc non ingratum fore eminentiæ tuæ: quod etiam atque etiam opto. Vale, et æternum vive. Lutetiæ Parisiorum, in suburbano sancti Germani monasterio, VI Id. Octobris, 1675.

LECTORI.

Huc te paucis volo, studiose lector. Ante annos duos et viginti Jacobus Sirmondus clarissimæ memoriæ, presbyter societatis Jesu, Disquisitionem de azymo composuit, quo in libro azymorum usum apud Latinos ab annis admodum octingentis viguisse contendit. Eamdem fere sententiam ante hoc biennium amplexus est eminentissimus cardinalis Joannes Bona in lib. I Rerum Liturgicarum, cap. 25; quo quidem tempore ego quoque, cum Acta sanctorum ordinis sancti Patris Benedicti, quæ ad sæculum ejus tertium pertinent, typis mandarem, quasdam observationes contra Sirmondi sententiam congessi in præfatione mea. His lectis eminentissimus cardinalis epistola ad me scripta non gravatus est promere quid sentiret de argumentis a me propositis; quibus etiam responsiones suas cum eximia dignatione reposuit. Ad hæc, submisso Eldefonsi Hispaniensis episcopi opusculo, quod eatenus inquisieram, auctoritatem in me suam interposuit, quo totum azymi argumentum novis commentariis explanarem. Habes insignem ipsius hac de re epistolam, non minus ornamenti quam documenti gratia, in fronte hujus

Digitized by Google

operis collocatam. Tum subsequitur dissertatio mea; ad cujus calcem subjunxi opusculum Eldefonsi jam dicti episcopi, ante annos octingentos scriptum de pane eucharistico; quod, nusquam hactenus editum, probationis loco erit. Hæc tota series hujus operis. Perge, lector, et vale.

EPISTOLA.

Eminentissimi cardinalis Bona *ad Dissertationis auctorem.*

Admodum reverende Pater,

Cum animadverterem displicuisse nonnullis quæ de azymo et fermentato scripseram lib. I Rerum Liturgicarum, cap. 23, decreveram hoc argumentum accuratius pertractare, meamque sententiam clarius et distinctius explicare, sed novis quotidie supervenientibus negotiis, quæ nec differre nec prætermittere possum, a proposito recedere compellor, ac tibi, qui de hac re in præfatione tertii sæculi Benedictini copiose et erudite scripsisti, et, sicut ex litteris tuis didici, de eadem re in prolegomenis quarti iterum acturus es, hanc spartam exornandam relinquere. Tua enim multiplici eruditione efficies ut e ruderibus antiquitatis veritas emergat et elucescat, neque tibi arctius astringes, si errores meos benigne correxeris. Hoc nimirum semper optavi scire et cognoscere, veritatem; nec unquam erubescam, si quid forte ab ea alienum incaute scribenti exciderit, expungere et emendare. Ut tuæ autem petitioni morem geram, breviter indicabo qua methodo putabam in hac Disquisitione procedendum esse.

Et primo quidem mens erat certa ab incertis, et dogmata fidei a ritibus Ecclesiæ secernere. Certum enim est Christum Redemptorem in ultima cœna panem azymum comedisse, et in eo Eucharistiam instituisse, idque stabiliendum adversus Græcos schismaticos et aliquot etiam Latinos. Verum ex hoc facto Christi non licet inferre quod in solis azymis conficere oporteat, nam si hoc necessarium foret, nunquam Ecclesia usum fermentati permisisset. Certum est item tam azymum quam fermentatum vere panem esse, et in utroque validam esse consecrationem. Certum denique est convenientius esse Christi exemplum sequi, et in azymis conficere. An vero Latina Ecclesia aliquando fermentato usa sit, res facti est ad historiam et ad ritum pertinens, qui mutationi et novitati subjectus est, non ad fidem, quæ inconcussa et immutabilis semper manet. Id vero tanquam indubitatum probari debet adversus quosdam, qui rem natura sua indifferentem in fidei dogma convertunt; optime Algerus, lib. II de Sacramento corporis et sanguinis Domini, cap. 10 : « Utrum ex azymo an ex fermentato pane corpus Christi confici debeat, inter Latinos et Græcos magna concertatio est, cum tamen non sit contra fidem christianam seu azymum seu fermentatum sacrificetur, tum quia utrumque panis est, tum etiam quia, quamvis Christus de azymo pane corpus suum fecerit, forsitan non quia res quæ fiebat hoc exigebat, sed quia cœna in qua hoc factum est panem alium non exigebat, panem tamen fermentatum non prohibuit. »

Hoc posito velut fundamento, indagandum est quo pane in sacrificio usi sint apostoli et eorum successores per aliquot sæcula : azymone, an fermentato, an utroque indiscriminatim? Et ego sane utroque indifferenter usos, sive fermentato quia communior magisque obvius erat, sive azymo qui nitidiore farina facile parari et sub cinere vel in parvis clibanis statim coqui poterat, non improbabiliter opinatus sum. Etenim, sæviente persecutione, quando in carceribus, in privatis domibus et in cryptis aut in speluncis terræ clam celebrabant, eo pane uti oportebat qui tunc fortuito occurrebat. Pro usu fermentati multa ego congessi; nunquam tamen, ut monui post præfationem, usum azymi negavi. Dixi enim apostolos panem consecrasse, qualem in domibus fidelium reperiebant, sive azymum, sive fermentatum. Tu vero pro azymis multa profers in tua præfatione, de quibus quid sentiam, non contradicendi, sed inveniendæ veritatis studio breviter indicabo.

Num. 65, a facto Christi argumentaris, sed hæc ratio nimis probat, ut supra dixi.

Num. 66, testem producis Isidorum, qui, agens de compositione panis eucharistici, non meminit fermenti. Porro Isidorus illam sententiam transcripsit ex epistola 63 Cypriani ad Cæcilium; sed nihil certi ex ea concluditur. Nam non excludit fermentum, et fortasse intelligitur illa voce « copulatum » cum ait corpus Domini esse non posse similam solam aut aquam solam : « nisi utrumque adunatum fuerit et copulatum, et panis unus compage solidatum. » Quod autem copulat, adunat et solidat, fermentum est. Epistola vero Isidori ad Redemptum procul dubio supposititia est, ut ipse agnoscis. Auctoritatem concilii Toletani tu pro azymo affers, qua ego pro fermentato usus sum. Quis vero mentem illorum Patrum melius perceperit non est meum judicare.

Num. 67, testimonium profers Ildefonsi Toletani ex relatione V. C. Emerici Bigotii; sed quid de eo sentiendum sit, ipse cum legeris, pronuntiabis. Integrum enim tractatum ad te mitto ex codice Vaticano, quem laudabat Holstenius, accurate transcriptum.

Num. 68, Bedæ et Paschasii testimonia usum universalem azymorum non probant, neque etiam Rabanus Maurus id evincit. Ex eo tamen constat, si non ubique, saltem in aliquibus Ecclesiis occidentalibus, azymorum usum viguisse tempore Photii. Clare enim loquitur, et suspicio interpolationis tollitur, quandoquidem asseris antiquissimos codices mss. cum editis consentire. Nimis tamen probat, cum ait oportere panem infermentatum esse.

Num. 69, ex oblatis ferro characteratis impressis infers quod sine fermento fuerint. Et hoc etiam magni momenti est ad probandum quod sæculo nono azymi panes in usu essent in Occidente. An vero hic mos ubique viguerit non liquet.

Num. 70, Leonem nonum testem adhibes perpetuum in Ecclesia Romana azymorum usum astruentem. At ego sanctissimum pontificem sic interpretabar ut non de ritu, sed de dogmate intelligendus sit. Declamat enim adversus hæreticos et agit de fide Petri quæ nunquam defecit; tum Græcos perstringit, qui dicebant azymum non esse verum panem, et Christum consecrasse in fermentato, facta ultima cœna ante diem azymorum. Non igitur ad ritum qui mutationem admittit, sed ad fidei dogmata spectare mihi videntur verba S. Leonis, si serio perpendantur. Humbertus autem, Ruperius alii, et alii testes sunt suorum temporum : nec est improbabile quod perpetuam fuisse credideriint eam consuetudinem quæ, ipsis viventibus, in usu erat. Tu vero nosti quæ fides illis præstanda sit qui a Christo ad sua tempora morem aliquem viguisse testantur, nullo teste adhibito qui sæculis præcedentibus vixe-

Digitized by Google

rit. Certe Jurisperiti hujusmodi testimonia prorsus rejiciunt.

Num. 71, primum Sirmondi argumentum pro fermento diluis ex vetusto fidelium more, qui panem offerebant, panem utique consecrandum pro communione sacerdotis et fidelium. Quamvis enim si quid supererat, pauperibus distribui soleret, prima tamen intentio offerentium sacrificium respiciebat. Hunc vero panem fuisse communem et usitatum, ac de more fermentatum, qualis in domibus reperiebatur, ego post Sirmondum asserui, testem advocans Ambrosium, qui de pane consecrando loquens vocat eum « usitatum. » Addo nunc Justinum martyrem, qui prope finem secundæ Apologiæ de sacrificio missæ sermonem habens, « Non enim, *ait*, ita sumimus ut communem panem, et communem potum; » sive ut alius interpres vertit; « ut vulgarem panem et vulgare poculum. » Similiter Irenæus, lib. IV, cap 34 « Jam, *inquit*, non communis panis est, sed Eucharistia. » Panis autem usitati, communis et vulgaris nomine intelligi fermentatum certum mihi videtur. Scio quidem utrumque panem Romanis et aliis gentibus in usu fuisse. Nam Cornelius Celsus, lib. II, cap. 24, inter ea quæ stomacho idonea sunt, recenset panem sine fermento, et capite 23, panem fermentatum stomacho nocere ait; utriusque etiam meminit, cap. 28. Nihilominus communem atque, ut ita dicam, quotidianum fermentatum fuisse manifestum est. Hunc siquidem præ cæteris laudat Plinius, lib. XXII, cap. ultimo. Et Galenus de pane agens, lib. I, De alimentorum facult., cap. 2, eum qui fermento caret nemini esse accommodum docet. Idem pro certo ponit Ambrosius, serm. 21, explicans parabolam fermenti. Si ergo panem communem offerebant fideles, et hic fermentatus erat; hinc non leve argumentum desumitur ad probandum fermenti usum in sacrificio.

Num. 72, non constare dicis utrum Latini aut Græci variaverint panis materiam. Hoc utique verissimum est, et inde caligo oritur qua obvolvimur, nescientes utrum initio omnes Ecclesiæ unius moris fuerint an utroque pane indifferenter, an solo azymo vel fermentato determinate uterentur, et quis primum veterem usum mutaverit; quo tempore, qua occasione, quando mordicus cœperint Græci fermentato, Latini azymo adhærere; an diversarum Ecclesiarum diversi mores fuerint, sicut olim erant in celebratione Paschatis: cur per annos mille inter Græcos et Latinos nulla de hac panis diversitate mota sit controversia; cur Photius, Græcanici schismatis parens, qui multo minora et etiam falsa Latinis objecit, de hac re siluerit, quæ postea tanta contentione inter partes agitata est; cur inter Orientales soli Armenii et Maronitæ azymo utantur, quando et qua occasione eo uti cœperint. Hæc omnia dubia discutienda diligentissime forsan et dissolvenda. Veteres scholastici ab hujus quæstionis difficultate se facile expediunt, asserentes utramque Ecclesiam Græcam et Latinam ab initio et deinceps in azymis consecrasse, donec hæresis Ebionæorum exorta est, docentium legem Moysis simul cum Evangelio servandum esse, et azymum panem necessario consecrandum, in quorum detestationem orthodoxa Ecclesia ubique gentium fermentatum adhibuit; illa autem hæresi exstincta, Orientales fermentatum retinuerunt; Occidentales ad pristinum morem azymorum reversi sunt. Sed huic historiæ nullam fidem adhibendam esse ego in Liturgicis ostendi. Armenos azymum recepisse, cum recessissent a Græcis; quo etiam tempore vinum aqua miscendum non esse decreverunt ibidem narravi; idemque constanter illarum gentium historici affirmant, et hanc esse veterem illius Ecclesiæ traditionem aliquot Armenii Episcopi et sacerdotes a me interrogati, et aliqui etiam ex nostris rituum et linguæ eorum periti confirmarunt. Ideo, inter errores quos abjurabant Armenii, cum redibant ad fidem orthodoxam, hic legitur in veteri formula, quam D. Cotelerius edidit in notis eruditissimis ad librum quintum Constitut. apostolicarum, p. 257 : « Si quis in panem oblationis non immittit fermentum et sal, nec aquam cum vino in sanctum calicem, anathema sit. » Mariolitas credibile est usum azymorum recepisse, cum abjurata hæresi ad fidem catholicam conversi sunt, quod Gulielmus Tyri archiepiscopus suo tempore et se præsente contigisse scribit, lib. XXII suæ Historiæ, cap. 8. Ipsi tamen hoc negant, et scriptores proferunt antiquissimos, asserentes gentem illam semper Romanæ Ecclesiæ adhæsisse. Vidi nuper librum de Expositione liturgiæ e Syro sermone in Latinum translatum a D. Fausto e Monte Libano, Abrahami Ecchellensis nepote, et S. Maronio ascriptum, quem vixisse aiunt sæculo quinto vel sexto, in cujus capite 16 hæc leguntur : « Ad illud quod petistis an conveniens sit offerre de pane azymo vel fermentato, respondemus quod de hoc non habemus præceptum Dominicum vel apostolicum, quod hoc jubeat, et illud vetet. Quapropter hi in hoc, et illi in illo conficiunt, juxta morem detentum. Nam qui in fermento offerunt, arguunt nos simul cum Occidentalibus atque Armeniis, dicentes quod azymus non est panis. » Tum ex Scriptura probat vere azymum esse panem, et quod Christus in azymo confecit. Verum hic liber post exortum Græcorum schisma, et post excitatas azymorum turbas scriptus videtur; quod eruditioni tuæ examinandum reliquo.

Num. 73, aliud argumentum solvis, notatos scilicet Ebionæos, quod pane azymo præter morem aliorum uterentur; et auctoritatem Epiphanii affers ad probandum usum azymorum tempore Ebionæorum, ac si illi ad imitationem Ecclesiæ in azymis sacrificium offerrent. Sed ego sub tua et horum eruditorum censura, verba Epiphanii aliter intellexi, et ni fallor, ipsemet Epiphanius seipsum explicat, hær. 46, dicens Tatianum mysteria quædam instituisse ad Ecclesiæ sanctæ imitationem, sed ad ea nihil præter aquam adhibuisse. Ubi vides Ecclesiæ imitationem non rem oblatam respicere, sed ipsam oblationem.

Num. 74, ex silentio Photii nihil certi concludi ostendis, quod et ipse agnosco, tum propter rationes et conjecturas a te allatas, tum propter ea quæ Leo Allatius notavit initio exercit. 28 adversus Creygtonum pro concilio Florentino. Scire tamen optarem, qua de causa post duo fere sæcula a morte Photii, acerrima de azymis controversia orta sit. Vellem quoque ut ea dilucideres quæ pro usu fermentati a me allata sunt ex decretis Melchiadis, Siricii, et Innocentii Romanorum pontificum. Nihil enim gratius contingere mihi potest quam ab amicis corrigi et emendari.

Ne quid autem prætermittam quod ad præsentem causam facere possit, moneo exstare Mediolani Chronicon ms. et ineditum, S Datio Mediolanensi episcopo ascriptum, in quo leguntur hæc verba : « Sanctus Ambrosius Græcorum Ecclesiam in plurimis officiis venerabiliter imitatus est, qui et sacrificium eorum, scilicet fermentatum, cum nostro azymo in celeberrimis festivitatibus, maxime in resurrectione Domini benedicebat. » At Chronicon illud suppositicium esse et recentioris ævi jam multi notarunt. Nullius quoque momenti est Simeonis Thessalonicensis testimonium, utpote recentioris et schismatici, qui libro De templo et missa, apud Goar. in Euchol., p. 214, ait : « S. Gregorius, auctor ille Dialogorum, cum fermentato pane sacrificium offerri testatur. » Similiter Fehlavus scriptor heterodoxus, pag. 563, Comment. ad librum Christophori Angeli De statu Ecclesiæ Græcæ, asserit Apollinarem primum azymorum inventorem fuisse. Sed hæc Græcorum schismaticorum adversus Latinos scribentium fabula est, quemdam scilicet discipulum Apollinarii, nomine Leucium sive Fehcem, Romam migrasse, et simulata vitæ sanctimonia ad

Digitized by Google

summum pontificatum evectum, azymum apud Latinos introduxisse. Scriptor etiam anonymus, quem vidi in Bibliotheca Barberina inter codices Græcos mss., num. 75, ait Carolum Magnum, cum Romam profectus est, tempore Leonis tertii, viæ comites habuisse aliquot monachos, Arii et Apollinaris erroribus infectos, qui Urbem ingressi perverterunt populum, docentes Spiritum sanctum non a solo Patre, sed etiam a Filio procedere et oportere in azymis sacrificare, ita ut azyma e Francia prodierint. Hæc ille, cui consonant alia apud Leonem Allatium, libro citato, pag. 571 et sequentibus, ubi etiam prædictam Felicis fabellam ex quodam Simeone Hierosolymitano recenset. Omitto alia Græcorum recentiorum figmenta, ne tempus in nugis inutiliter prodigam.

Hæc autem scripsi, ut studium tuum et diligentiam excitarem, sicut scriptum est : « Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia (*Prov.* IX, 9). » Cæterum Deum oro, ut incerta et occulta sapientiæ suæ manifestet nobis, detque idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut, sicut hortatur Apostolus : « Expurgato veteri fermento epulemur in azymis sinceritatis et veritatis (*I Cor.* v, 8). »

Romæ, die 14 Martii 1675.

DISSERTATIO

DE PANE EUCHARISTICO, AZYMO, AC FERMENTATO

DISSERTATIONIS OCCASIO ET ARGUMENTUM.

Cum edendo Acta sanctorum nostrorum incidissem in quædam loca pro azymorum usu in Ecclesia Latina, ea, more meo, quibusdam observationibus illustrare visum est, et conjectis iis quæ mihi pene obvia fuere argumentis ostendere usum hunc esse antiquiorem quam Jacobus Sirmundus, vir eximiæ eruditionis, existimaverat. Nota est studiosis omnibus viri clarissimi sententia in singulari Disquisitione de azymo, nimirum panem fermentatum in Ecclesia Latina multis sæculis adhibitum in missa fuisse, et azyma, Photiani schismatis tempore, nondum recepta, sed tantum medio illo intervallo, quod inter schisma Photii pseudopatriarchæ Constantinopolitani, pontificatu Nicolai papæ primi, et alterum schisma Michaelis Cerularii itidem patriarchæ, sedente Leone papa nono, effluxit, id est medio illo tempore quod ab anno æræ Christianæ 867 ad 1054 intercessit. Mihi vero cum multis, tum præcipue Rhabani auctoritate, persuasum erat azyma in rebus sacris obtinuisse ante illud schisma Photianum; nec momenta Sirmundi adeo efficacia visa sunt ut fermenti usum aliquando apud Latinos viguisse fateri nos cogerent.

Quapropter quod Sirmundus optaverat, ut qui sententiæ suæ de azymorum recentiori usu non consentirent, eos saltem ad præclaram ejus rei investigationem excitaret, ad hoc ipsum me contuli, quantum et tenuitatis meæ facultas, et brevitas observationum, et rei difficultas obscuritasque permisere. Nam etsi hominem tantillum contra Sirmundum niti temerarium videbatur, mihi occurrebat illud quod Sirmundus ipse in sui excusationem attulit in Disquisitionis cap. 5, ubi de fermento Melchiadis ac Siricii aliter atque Baronius sententiam dicturus, veritus non est ne contra Baronii mentem votumque fecisse videretur, propterea quod Baronius omnes ad hoc ipsum ut sua libere promerent, invitasset; nec se ab ejus sententia discedere indignaturum quemquam putavit qui meminisset illum pro singulari sua modestia solitum aliena haud gravate audire, et, si meliora suis cognosceret, libenter amplecti. Et hæc quidem mea de Sirmundi mente, modestia ac sinceri studio persuasio erat, eademque facti mei excusatio.

Ubi primum Observationes meas prelo committere parabam, simul certior factus sum eminentissimum cardinalem Bona, cujus virtus, doctrina et eruditio omnibus perspecta sunt, idem argumentum pertractare in opere suo De rebus liturgicis, et ab Sirmundi proposito tantillum recedere. Ut opus illud eximium pervenit in manus meas, illud legi magna cum voluptate, tum maxime locum de azymis, in quo tota res non minus sincere quam erudite explicatur. Ejus loci summa est, jam inde ab apostolorum temporibus ad schisma Photianum, in Ecclesia Latina promiscuum fuisse usum fermentati et azymi panis, nec ante sæculi decimi initium azymum lege communi ac generali ubivis receptum apud Latinos. Qua in re Sirmundi sententiam temperavit illustrissimus scriptor, quod Sirmundus non videatur admisisse azymi usum ante Photii discidium, sed solum fermentatum; at vero eminentissimus cardinalis utrumque promiscue usurpatum pro tempore et locorum opportunitate fateatur.

Commovit hæc sententia quorumdam in Urbe animos, rei novitate (ut sibi videatur) ne dicam, indignitate attonitos, quasi nefas esset tantisper recedere a communi recentiorum opinione, qui azymorum in Latina Ecclesia perpetuum usum, non secus ac dogma catholicum, defendunt. Gliscenti querelarum rumori frenum imponere curavit modestissimus cardinalis, edita hanc in rem admoni-

Digitized by Google

tione, qua rationem assertionis suæ contra sentientibus approbare tentavit. Quod ubi plene ad votum non succederet, idem argumentum retractare et clarius sententiam suam explicare animo destinavit; idque brevi perfecisset, nisi hoc agitantem negotiorum turba distraxisset. At cum intellexisset me idem consilium meditari, submissis quas ad hoc habebat litteratoriis copiis, impulit me ad id audendum, id est ad explicandum id quod e rei veritate esse crederem, quod unum semper optavit. Non licuit operam meam negare tantæ dignitatis hortatori, maxime cum necessarium mihi esset exponere ea quæ, vel obscurius, vel brevius in Observationibus meis dicta aliter quam par erat nonnulli interpretabantur.

Duo sunt quæ in Observationibus meis intendebam. Unum, azymorum usum apud Latinos in re sacra viguisse ante schisma Photianum, quod diserte probandum suscepi adversus Sirmundum; alterum, argumenta a Sirmundo proposita non penitus evincere fermentum a Latinis aliquando adhibitum fuisse. Neque tamen hanc posteriorem partem ita demonstrandam suscepi, quasi certum ac manifestum esse putarem fermentum a Latinorum sacris semper abfuisse; sed tantum eo tendebat omnis oratio mea ut probarem id non certum esse quod Sirmundus pro certo proponebat: uno verbo, alteram hanc partem, non tam affirmando quam negando et partis adversæ fundamenta evertendo, tueri mihi visum est.

De media illustrissimi cardinalis sententia, deque novis argumentis ab eo pro Sirmundi opinione adductis nihil dixi, tum quia Observationes meæ jam typis subjiciendæ erant, cum ejus opus De rebus liturgicis in hanc urbem advectum est, tum quia sententia mea magis accedebat ad mentem eminentissimi cardinalis. Is enim non negat azymos panes aliquando adhibitos ante Photii tempus, imo ab ipsa ætate apostolorum; sed tamen id factum ait citra delectum, non communi lege, sed pro locorum ac temporum ratione.

Verum quia totum hoc argumentum pro modulo meo denuo tractare mihi jam incumbit, dabo operam ut id historico potius modo quam contentioso a me fiat, non quo difficilem controversiam secundum tantos a me dirimi ac finiri posse putem, sed ut in commune conferam id quantulumcunque quod ad eam illustrandam apud antiquos observare mihi licuit. Atque ut tota res magis dilucide et accurate pertractetur, sequentibus capitulis eam explanare conabor.

INDEX CAPITUM.

I. *Eucharistiam in azymis a Christo Domino institutam fuisse.*

II. *Exemplo Christi non impari necessitatem consecrandi in azymis.*

III. *An Græci initio Ecclesiæ fermento usi sint.*

IV. *Quali pane utantur aliæ societates Christianæ.*

V. *Variæ sententiæ de azymo Latinorum.*

VI. *Quædam testimonia dubiæ fidei pro azymo Latinorum expenduntur.*

VII. *Proponuntur conjecturæ et argumenta quædam pro antiquo usu azymorum apud Latinos.*

VIII. *Aliæ probationes ex forma et conditionibus hostiarum. Ubi explicantur canones duo, unus concilii Turonensis secundi, alter Toletani XVI.*

IX. *Morem hunc generali usu apud Latinos viguisse ante Photii discidium.*

X. *Expenduntur argumenta pro usu fermenti apud Latinos.*

XI. *Epilogus et conclusio præmissorum.*

CAPUT PRIMUM

Eucharistiam in azymis a Christo Domino institutam fuisse.

Servatorem nostrum, in extremo Paschate quod morte instante celebravit, venerabile corporis et sanguinis sui sacramentum sub vesperam feriæ quintæ instituisse constat. Utrum azymum panem huc adhibuerit, disputant Latini et Græci recentiores: Latinis azymum, Græcis fermentatum præferentibus. Hujus controversiæ solutio ex alia pendet, videlicet an Christus eo anno celebraverit Pascha legale, id est: an agnum cum azymis aliisque paschalibus cibis comederit, tempore et loco lege præscriptis.

De loco nulla est dubitatio, Christum Hierosolymis, uti lege cautum erat, ultimum Pascha peregisse; de tempore, deque esu agni gravis est controversia, non solum inter Græcos et Latinos, sed etiam inter homines ejusdem societatis, inter antiquos ac recentiores. De utrisque agendum singillatim, ac primum adversarum partium fundamenta præmittenda.

Qui pascha legali morte a Christo celebratum contendunt, auctoritatem sumunt ex Evangeliis Matthæi, Marci et Lucæ. Matthæus quippe, *prima die azymorum*; Marcus, *primo die azymorum, quando immolabant Pascha*; Lucas, *adveniente die azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*, paratum a discipulis paschalis festi epulum testantur.

Alii vero, sive qui Pascha legale a Christo anticipatum volunt, sive qui agnum ab ipso comessum negant, sive qui et agnum et azyma, cæteraque id genus paschalis festi edulia removent ab ultima Christi cœna, nituntur quam maxime Joannis evangelistæ duplici testimonio. Unum est in cap. XIII versu 1, ubi cœnam *ante diem festum Paschæ* peractam scribit, imo, ut in versione Persica legitur, *ante duos dies Paschæ*; alterum testimonium est in cap. XVIII versu 28, ubi ait Judæos, Christo capto et adducto ad Caipham, non introisse in prætorium, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Quod argumento est eos vespera subsequente agnum comedisse, nam agni immolatio atque comestio proprie Pascha dicebatur. Accedit locus ex ejusdem Evan-

Digitized by Google

gelii cap. XIX versu 14, quo in loco Christus crucifixus dicitur ea die, quæ *erat Parasceve Paschæ*, in qua nimirum Judæi necessaria præparabant ad comedendum agnum sub vesperam subsequentem. Hæc fere argumenta sunt, quibus adducti cum Latini, tum Græci, tam veteres quam recentiores, in diversas abeunt sententias. Jam Græcorum antiquiorum traditionem consulamus, postea Latinorum.

In primis consideratione digna est epistola Polycratis metropolitæ Ecclesiarum Asiæ, qui sub finem sæculi secundi, exorto discidio inter Asiaticos et alias totius orbis Ecclesias de die celebrandi Paschatis, suo et aliorum Asiæ episcoporum nomine ad Victorem papam primum epistolam scripsit, cujus fragmentum refert Eusebius Pamphili in Historiæ ecclesiasticæ lib. v cap. 24. Cum enim omnes per Asiam Ecclesiæ quarta decima luna, quocunque hebdomadæ die accidisset, Paschæ festum celebrandum esse censerent, quo die præscriptum erat Judæis ut agnum immolarent; aliæ vero totius orbis Ecclesiæ non alio quam Dominicæ resurrectionis die, Polycrates morem suum, tanquam a majoribus sibi traditum defendit, auctores adducens Philippum apostolum, Joannem evangelistam, Polycarpum et cognatos sibi episcopos septem; quos omnes ait Pascha celebrasse, ὅταν ὁ λαὸς ὕρνυε τὴν ζύμην, id est, *cum Judæorum populus fermentum abjiceret*, significans morem continuo fluxu a Christi exemplo descendisse. Hunc locum ita restituit vir eximiæ eruditionis, Henricus Valesius, cum alias in textu Græco legeretur ὄρνυε, *pararet*, omnino contra Polycratis mentem atque Rufini interpretationem, qui vocem Græcam *auferendi* verbo reddidit. Hoc unum testimonium sufficere posset ad probandum Christum primo die azymorum ad vesperam Pascha legale explevisse et ad explicandam mentem Joannis evangelistæ, cujus auctoritate Asiaticorum traditio, ab ipso fonte accepta, potissimum fulciebatur.

Asiaticorum morem eadem ratione probat Anatolius Alexandrinus, Laodicensis episcopus, in Canone Paschali, ostendens eos recte Joannis exemplo Pascha celebrare quotannis, *quando quarta decima lunatio adfuisset, et agnus apud Judæos immolaretur, non acquiescentes auctoritati quorumdam, id est Petri et Pauli successorum, id est pontificum Romanorum, qui omnes Ecclesias in quibus spiritualia Evangelii semina severunt, solemnitatem resurrectionis Domini in die tantum Dominica celebrari docuerunt.* Nulla vero causa videtur cur Asiatici tantopere morem suum retinere studuerint, nisi quod Christum ipsa die lunæ quarta decima ad legis præscriptum Pascha peregisse ex majoribus accepissent.

In eadem versatur sententia Origenes Tractatu 35 in Matthæum, ubi Christum luna quarta decima comprehensum a Judæis fuisse tradit, initio Tractatus, ac proinde ratum habuit eadem luna celebratum ab ipso Pascha, cum cœnam paschalem Christi comprehensio proxime sit secuta. Hinc in progressu Tractatus ait Christum Judaico more Pascha ultimum peregisse; et, in Commentariis super Joannis Evangelium, Judæos in ipso Paschate opus scelestum fecisse interfecto Jesu.

His accedit Theophilus Alexandrinus episcopus in epistola ad Theodosium imperatorem de sancto Pascha his verbis: *Aliter autem quod et Salvator noster decima quarta quidem est traditus luna, hoc est quinta post Sabbatum; decima quinta autem crucifixus, die tertia resurrexit, hoc est decima septima luna, quæ tunc in Dominica die inventa est, sicut et ex Evangeliorum notatione comperimus.* Idem docet Theodoritus, quæstione 24 in Exodum, asserens Christum, sub finem lunæ quartæ decimæ, quando immolabatur Pascha, traditum fuisse.

Joannes Chrysostomus pluribus in locis, maxime in homiliis 81, 82 et 83 in Matthæum, probat Christum legali ritu Pascha perfecisse; Judæos vero, aut saltem principes Judæorum, contra legis præscriptum, ut scilicet animo suo Christum occidendi obtemperarent, distulisse. Ejus rei argumenta ex Chrysostomo collegit Gregorius protosyncellus, in Apologia adversus Marci Ephesini epistolam; item Arcudius in lib. III de Eucharistia, cap. 4, qui in capite sequenti dubia ex eodem Chrysostomo sumpta dissolvit. Certe Photius in Bibliothecæ cap. 116 confitetur Chrysostomum in ea fuisse sententia, Christum in postrema cœna Pascha legale servasse.

His omnibus adjungendi sunt duo patriarchæ Alexandrini, quorum primus est Cyrillus. Is enim Eucharistiam a Christo institutam post esum agni probat his verbis: *Dominus autem noster Jesus Christus conjunxit in una die agnum Judæorum et verum manna, quando benedixit panem et vinum dicens: Hoc est corpus meum et sanguis meus.*

Alter est Proterius Cyrilli successor qui, a Marciano Augusto interrogatus de ratione celebrandi Paschatis, respondit Christum Dominum *quinta feria, decima quarta luna mensis primi* in cœnaculo cum discipulis Pascha typicum manducasse, paulo post a Juda proditore traditum. Hæc sententia Theophili, Cyrilli et Proteri, Alexandrinorum patriarcharum, hac in re eo majoris est ponderis, quod antiqui Patres statuendi quotannis paschalis festi *omnem curam Alexandrino episcopo delegarunt*, referente Leonis papæ primi epistola ad Marcianum: *Quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita videbatur esse peritia, per quam qui annis singulis dies prædictæ solemnitatis eveniret, sedi apostolicæ indicaretur, ut hujus scripti ad longinquiores Ecclesias judicium generaliter perurreret.* Hac enim peritia facile edocti erant quo die incidisset paschale festum eo anno quo Christus extremum Pascha celebravit.

Ex his non immerito colligimus cum Photio, in Bibliothecæ cap. 116, sententiam esse non solum Joannis Chrysostomi, sed etiam Ecclesiæ, saltem Græcanicæ, Christum ante perfecisse νόμιμον seu legitimum Pascha quam mysticam instituerit Eucharistiæ cœnam; quod etiam tradit Victor Antiochenus in Marci cap. XIV.

Digitized by Google

Ab hac priscorum Græcorum traditione tres aut quatuor invenio veteres qui dissentiant, Epiphanium scilicet, Joannem Philoponum et anonymos duos; ex quibus Epiphanius censet Christum quidem in ultima cœna legales cibos adhibuisse, at prævertisse tempus lege constitutum: Philoponus vero et uterque anonymus Pascha legale a Christo perfectum negant.

Epiphanius quippe in hæresi 30, num. 22, contra Ebionæos agens qui ab esu carnium abstinendum esse ducebant, eos hac ratione revincit quod Dominus Judæorum Pascha comederit in ultima cœna, id est agnum et panes infermentatos. At vero in hæresi 51 Alogos arguens, ait, num. 26, Christum passum esse XIII Kal. Aprilis, cum illi vesperam unam antevertissent, hoc est luna XIV nocturna media. Siquidem illi ante tempus Pascha comederunt, ut Evangelium testatur. Tum subdit: Ἔφαγον οὖν τὸ Πάσχα πρὸ δύο ἡμερῶν τοῦ φάγειν, τουτέστι τῇ τριτῃ ἑσπέρας, ὅπερ ἔδει τῇ πέμπτῃ ἑσπέρας. *Quare biduo ante legitimum diem epulum Paschale celebrarunt, hoc est feria tertia ad vesperam, quod quinta fieri oportuit.* Nempe quod quinta dies incidebat in lunam XIV. Neque putes Epiphanii mentem esse quod Judæi biduo Pascha legale anteverterint. Id enim de Christo ejusque discipulis dictum constat ex sequentibus ejus verbis, ubi Christum eadem illa feria tertia sub vesperam luna XI nocturna, XVI Kal. Aprilis comprehensum fuisse affirmat. Epiphanii sententia hæc niti videtur Joannis evangelistæ auctoritate, dicentis Christum instituisse cœnam *ante diem festum Paschæ*. Quibus verbis intellexisse videtur ante duos Paschæ dies, quemadmodum versio Persica reddit.

Aliam iniit sententiam Joannes Philoponus homo sæculi sexti, in disputatione de Paschate, quam Balthasar Corderius una cum ejusdem septem libris in Hexaemeron Viennæ Austriæ primus in lucem emisit. Nam auctor iste Græcus, sectæ Eutychianæ, cætera vir doctus, contendit, tertia decima luna, pridie legalis Paschæ, mysticam Domini cœnam contigisse, neque Christum tunc cum discipulis agnum aut azyma comedisse, idque multis argumentis probare conatur.

In eamdem sententiam conveniunt anonymi duo, de quibus agit Photius in Bibliothecæ cap. 115 et sequenti. Primus enim, disputans adversus Quartadecimanos, asserit Christum quinta die non edisse Pascha legale (neque enim illum ejus edendi statutum fuisse diem, sed sequentem) neque agnum, neque azyma, neque aliud quidpiam eorum fecisse, quæ legale servantes Pascha, more rituque majorum, observant. Itaque privatam tantum, mysticam illam tamen, vult cœnam edisse, atque ex ea discipulis panem et calicem porrexisse.

Eodem tendit auctor incertus in cap. 116 a Photio laudatus, scribens Christum aliis adventus sui annis legale Pascha celebrasse, non item eo quo proditus est. Tum subdit Photius id consideratione dignum esse propterea quod Chrysostomus, imo et Ecclesia, docerent Servatorem nostrum Pascha lege præscriptum explevisse, antequam Eucharistiam institueret. Hinc dubitatio mihi suborta est utrum anonymus iste alius sit ab auctore disputationis de Paschate, quæ Joannis Philoponi, nomine Græce et Latine, a Corderio vulgata est, in qua eadem omnino sententia deprehenditur, tum an Philoponus vere istius disputationis conditor censendus sit, quoniam Photius qui in Bibliothecæ suæ capitibus 21, 43, 55, 75, 215, et 240 eum laudat ejusque lucubrationem in Hexaemeron aliasque prædictæ disputationis nusquam meminit. Mirum porro est Corderium, qui hæc legit animadvertitque nullam attulisse rationem cur istam dispositionem Philopono ascriberet. Verum postea deprehendi, hanc disputationem revera esse Philoponi, qui sub ejus finem meminit lucubrationis suæ in Hexaemeron, quem genuinum ipsius fetum esse ex Photio constat. At vero mihi per quam verisimile relinquitur anonymi posterioris librum de Paschate a Photio laudatum esse ipsammet Philoponi disputationem cujus auctorem Photius ignorabat.

Quidquid id est, neque Epiphanii, neque Joannis Philoponi amborumque anonymorum auctoritas præjudicare debet communi traditioni antiquiorum Græcorum, quorum testimonia superius adduxi. Neque Epiphanius negat, imo diserte affirmat Christum in ultima cœna legalibus cibis usum fuisse, agni scilicet carne et azymis, tametsi eum Pascha biduo prævertisse opinatus est.

Multo minus admittenda est sententia recentiorum Græcorum qui, a tempore conflati schismatis per Michaelem Cerularium in Latinos infensissimi, per fas nefasque azymi panis usum criminantur, alii aliis modis. Nonnulli enim, quorum dux Nicetas Pectoratus, Christum non quarta decima luna, qua fermentum abjici oportebat, sed tertia decima cœnam in fermentato pane celebrasse contendunt; alii vero, testante Humberto in responsione ad epistolam Michaelis Cerularii, *scisciantibus nobis, unde Dominus Jesus fermentatum in cœna habuerit, cum in omnibus finibus Israel non inveniretur, respondent: Si creditur omnipotens, potuit subito undecunque fermentatum exhibere, aut certe ipsum azymum benedicendo fermentare.* Ast hoc mirabile effugium est delirantium schismaticorum qui, cum rationem conviciorum suorum reddere non possint, tanquam ad aram confugiunt ad Deum, uti Cotta loquitur apud Ciceronem. Hæc de Græcis.

Ad Latinos quod attinet, uno fere ore omnes, scilicet veteres illi, consentiunt Christum luna quarta decima in azymis Eucharistiam instituisse. In primis occurrit Ambrosius Mediolanensis episcopus, qui in epistola de festo Paschali ad episcopos in Æmilia constitutos ita scribit: *Ipse ergo qui legem locutus est, postea veniens per Virginem novissimis temporibus plenitudinem legis consummavit, quia venit non legem solvere, sed implere; et celebravit Pascha hebdomadæ in qua fuit quarta decima luna, quinta feria. Denique*

Digitized by Google

ipso die, sicut superiora docent, Pascha cum discipulis manducavit; sequenti autem die, hoc est sexta feria, crucifixus est, hoc est, luna quinta decima.

Ambrosio adhæret Augustinus in epistola 86 ad Casulanum, ubi, rationem reddens jejunii feriæ quartæ et sextæ, diserte probat Judæos de comprehendendo Christo consilium iniisse feria quarta. Deinde intermisso uno die, « cujus vespera Dominus Pascha cum discipulis manducavit, qui fuit finis ejus diei, quem vocamus quintam Sabbati, » traditum fuisse Christum ea nocte, « quæ jam ad sextam Sabbati pertinebat, » tum subdit : « Hic dies, » nempe sexta Sabbati « primus azymorum fuit, a vespera incipiens. Sed Matthæus evangelista quintam Sabbati dicit fuisse primam diem azymorum, quia ejus vespera sequente futura erat cœna Paschalis, qua cœna incipiebat azymum et ovis immolatio manducari. Ex quo colligitur, inquit, quartam Sabbati fuisse, quando ait Dominus : « Scitis quia post biduum Pascha fiet (*Matth.* xxvi, 2). » Ex his manifestum est Augustinum in ea sententia fuisse Christum Pascha celebrasse ea vespera, qua « incipiebat azymum » et ovis immolatio manducari, ipsumque cum discipulis legali more Pascha manducasse ante Eucharistiæ institutionem.

Æque perspicua est auctoritas Hieronymi in lib. IV Commentarii in Matthæum ad capitis XXVI versum 17 : « Prima azymorum, inquit, quarta decima diei mensis primi est, quando agnus immolatur, et luna plenissima est, et fermentum abjicitur. » Et in versum 26 : « Postquam typicum Pascha fuerat impletum, et agni carnes cum apostolis comederat, assumit panem qui confortat cor hominis, et ad verum Paschæ transgreditur sacramentum, ut quo modo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei sacerdos panem et vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis et sanguinis sui repræsentaret. »

His unum addo Junilium Africanum episcopum sæculo sexto, qui Commentario in Genesim contestatur Christum Dominum, « post esum agni typici mysteria nobis sui corporis et sanguinis celebranda denuntiasse. » Prætereo Rhabani et aliorum mediæ ætatis auctorum testimonia idem sentientium.

Hæc tametsi constant apud antiquiores Patres, non tamen insuper habendi sunt Latini recentiores, qui in hac quæstione explicanda magnam diligentiam impenderunt, in varias opiniones distracti. Alii enim, quos inter Paulus Brugensis, Jansenius Gandavensis episcopus, Maldonatus, Zegerus, et aliqui nonnulli, Christum alio die, alio die Judæos Pascha celebrasse, utrosque tamen cum legalibus cibis, contendunt. Et hi quidem etiam in duas partes dividuntur, quibusdam asserentibus Christum anticipasse legitimum tempus, aliis dicentibus ipsum statuta die Pascha peregisse, at Judæos in sequentem diem transtulisse. Hanc vero istius translationis afferunt causam : quoniam apud Judæos constitutum vigebat ut, ob incommoda quædam succedentium solemnitatum vitanda, ne unquam Pascha secundo, quarto aut sexto hebdomadæ die celebrarent ; eo vero anno quo passus est Christus, legitimum Pascha incidisse in feriam sextam, ac proinde translatum a Judæis propter concurrentem Sabbati diem sequentem.

Alii negant Christum ultimum Pascha legali more peregisse, nec azyma nec alia id genus Paschalis festi edulia percepisse. Quam sententiam tuetur Marcus Antonius de Dominis in lib. V de Republica Christiana, cap. 6 a num. 258, ubi ait Christum pridie vigiliæ paschalis, id est luna XIII, communem cœnam cum discipulis percepisse, et ex communi seu fermentato pane Eucharistiam ab ipso institutam.

Inter hos mediam invenit viam Hugo Grotius in Matthæi caput XXVI. Qui etiamsi prædictam Judæorum consuetudinem de transferendo Paschate probat, negat tamen ullo certo constare argumento, diem festum azymorum seu Pascha in feriam sextam incidisse eo anno quo Christus mortuus est. Imo etiam si id contigisset, eam legem tam justam esse ut neque Christus ab ea recessurus fuisset, neque discipuli ipsum de parando Paschate ante diem hac constitutione præfixum interrogassent. Quapropter Grotius ipse censet, anticipatum a Christo Pascha, non quidem θυσιμο plenum et solemne, quod mactatione agni et aliis ritibus lege præscriptis peragebatur, id quod nefas erat extra locum ac tempus constitutum, sed μνημονεύτικον seu commemoratorium, quod solo esu panum azymorum et lactucarum agrestium constabat ; quale etiam nunc Judæi agunt.

De variis hisce Latinorum recentiorum sententiis judicium ferre non est hujus loci. Ut rem brevi expediam, duo mihi hac in controversia certa esse videntur. Unum, Christum, non dimidiatum, sed integrum ac solemne Pascha explevisse, sive illud anticipaverit, sive transtulerint Judæi. Nam cum discipuli Dominum de parando Pascha interrogaverunt, isque eos misit ad illud parandum, nihil eorum excepit, quæ lex præscribebat. Deinde mittens eos ad hospitem in cujus diversorio cœnam paraturi erant, eis suggerit hæc verba hospiti ex se dicenda : « Apud te facio Pascha cum discipulis meis (*Matth.* xxvi, 18). » Quod sane eo modo intellexit, quo vulgus et hospes ipse intellecturus erat. Ad hæc, cum ipse in cœnaculum subiisset, omnibus de more paratis, dixit desiderio desiderasse se « hoc Pascha » manducare cum discipulis suis antequam mortem pateretur. « Hoc Pascha, » inquit quale scilicet a discipulis paratum conspiciebatur, non ut in eo sisteret, sed ut umbræ substitueret veritatem. Id, inquam, mihi certum et exploratum videtur, sive Pascha præverterit Christus, sive Judæi illud transtulerint. Nam Christum eodem die quo Judæos omnes illud celebrasse, Joannis testimonio contrarium videtur.

Digitized by Google

Alterum est, sive Christus Pascha legale servaverit, sive illud prætermiserit, sive azymis in ultima cœna usus sit, sive abstinuerit, antiquos tamen, id est primos Ecclesiæ Patres, in ea fuisse persuasione Christum in azymis Pascha illud celebrasse et Eucharistiam post esum agni instituisse. Quæ persuasio id obtinere potuit a primis Ecclesiæ rectoribus, ut constituenda ecclesiasticæ disciplinæ forma morem induxerint Eucharistiam conficiendi in pane fermenti experte, quod abfuisse a Dominica cœna persuasum habebant.

CAPUT II.

Exempto Christi non imponi necessitatem consecrandi in azymis.

Etsi Christi Eucharistiam instituentis cum voluntas, tum exemplum pro lege sint, nonnulla tamen hinc excipi necesse est quæ vel pro temporis, vel pro personarum inter quas degebat respectu observavit. Quod pane triticeo, quod vino aqua temperato, quod certis verbis usus est, ea prætermitti vetat religio, ipsiusque sacramenti natura. Quod semel et quidem in Paschate, quod post legalem cœnam, quod in azymo pane id fecerit, ea vel in medio relicta, vel nullo modo in exemplum trahenda esse voluit. Hinc est quod citra Dominici exempli injuriam statuit Ecclesia, idque « placuit Spiritui sancto, » quemadmodum docet Augustinus in epistola 118 ad Januarium, « ut in honorem tanti mysterii in os Christiani prius Dominicum corpus intraret quam cæteri cibi. » Etsi enim « Salvator, » ut idem sanctus doctor paulo post subdit, « quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriæ discipulorum a quibus ad passionem digressurus erat, non præcepit tamen quo deinceps ordine sumeretur, ut apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset ut post cibos alios semper sumeretur, credo quod eum morem nemo variasset. » Sed tamen, ut eodem loco monuit Augustinus, « probabilis quædam ratio delectavit ut uno die certo per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri et accipi liceat corpus et sanguis Domini. »

Idem fere de azymis contigit. Quia enim Christus azymo pane in Eucharistia instituenda usus est, eum morem observavit Latina Ecclesia, non ob exempli necessitatem, sed ad « insigniorem » Dominici exempli « commemorationem. » At quia Christus, ex occasione tantum, paschalis festi azymum panem fermentato prætulerat, Græcis visum est non teneri se hac in parte exemplo Christi, nec novæ legis libertatem Judaico ritui subjiciendam. Utraque consuetudo legitima, utraque probabili ratione fulta; tametsi prior tum ob exemplum Christi, tum ob mysterii convenientiam altera potior esse videtur.

Et vero utriusque Ecclesiæ consuetudo ab alterius societatis hominibus prudentibus semper probata est, etiam post conflatum schisma Michaelis Cerularii, qui ea de re primus Latinos in causam traxit. Humbertus cardinalis, etsi pro ingenii sui fervore durius Græcis respondere solitus sit, salvam tamen reverentiam corporis Dominici « in fermentato et in azymo » fatetur in responsione ad Michaelem Cerularium. Hinc Gregorius papa VII, in lib. VIII epistola 1. « Nos vero, inquit, azymum nostrum inexpugnabili secundum Dominum ratione defendentes, ipsorum fermentatum nec reprobamus. » Anselmus Cantuariensis episcopus a Waleramo Nuembergensi antistite interrogatus quid de Græcorum fermento sentiret, ita respondit : « De sacrificio, in quo Græci nobiscum non sentiunt, multis catholicis rationalibus videtur quia quod agunt non est contra fidem catholicam. Nam et azymum et fermentatum sacrificans, panem sacrificat... Non enim differunt azymus et fermentum substantialiter, ut quidam putant. » Et infra. « Postquam de veteri figura ad novam veritatem venimus, et azymam Christi carnem comedimus, non est nobis necessaria illa vetus figura in pane, de quo carnem ipsam conficimus. Apertissimum tamen est quia melius sacrificatur de azymo quam de fermentato, tum quia valde aptius, et purius et diligentius fit, tum quia Dominus hoc fecit. »

Non minus sincere Guibertus abbas de Novigento, in lib. I de Gestis Francorum cap. 2, oblique defendit Græcos quod ex panibus fermentatis Eucharistiam conficiant : Nimirum « quod veteribus cæremoniis Dominus finem ponens, postquam cum azymis agnum comedit, de eodem pane, quia alius non aderat nec secundum legem quam implebat, induci tunc poterat, corporis sui sacramenta contradidit, azymorum illatio, quæ tunc adfuit necessitati, non eis videtur ad institutionem pertinere mysterii. Sicut buccellæ intinctio, non sacramenti peragendi, sed Judæ proditionis fuit ostensio. » Eadem est sententia omnium theologorum, cum recentium tum antiquorum, quibus accedit concilium Florentinum, cujus auctoritate probata est Græcorum consuetudo.

Eodem animo affecti sunt Græci prudentiores ac moderatiores quique in azymum Latinorum. Theophylactus in oratione ad Nicolaum diaconum, cujus orationis fragmentum exstat in lib. V Juris Orientalis, intempestivum zelum suorum, qui Latinis varios ritus a Græcanicis discrepantes, in his azymorum usum improperant, graviter reprehendit; eumque secutus Demetrius Chomatenus episcopus Bulgarorum. Græcus Theotianus, in epistola ad sacerdotes qui in montanis degebant, ait supervacaneum esse contendere num sacra mysteria ex azymo, an ex fermentato fiant. Mihi vero præ cæteris laudanda videtur modestia Barlaami Hieracensis episcopi, in epistola ad Græcos pro unione utriusque Ecclesiæ, qui, cum usum utriusque panis

Digitized by Google

probasset, hæc addit : « Latinos vero in tantum prudentiores æstimo, quod illi quidem minime hostiam de fermentato vituperant, sed similiter venerantur. » Denique ut alios complures omittam, Gregorius Protosyncellus in Apologia adversus epistolam Marci Ephesini, ἀδιάφορον seu indifferens æstimat sacrificium, sive in azymo, sive in fermentato pane conficiatur.

Ex his intelligere licet controversiam de azymo et fermentato pane sacrificii esse quæstionem historici facti, utrumque pro varia temporum ac locorum consideratione usurpari ab Ecclesia potuisse, equidem suum cuique societati morem servandum, nec inter eos qui diverso pane utuntur lites hac de re serendas.

Quapropter immoderatum eorum zelum ferre non possum qui nefas putant dubitare an Ecclesia Latina alium panem adhibuerit quam azymum, quasi aut necessaria lege azymis addicta fuerit ab initio, aut fidei dogmata pertineat azymorum usus. Quæ sanctior constitutio esse poterat quam quæ ab apostolis dictante Spiritu sancto facta est, abstinendum esse a sanguine et suffocato? Et tamen lex illa quæ per multa sæcula in Ecclesia viguit, servari tandem desiit. Quidni etiam in azymorum usu idipsum contingere potuit? Quod si potuit, cur ea de re quæstionem movere non licet?

CAPUT III.

An Græci ab initio Ecclesiæ fermento usi sint.

Etsi Beda, in Historiæ suæ lib. IV cap. 1. auctor est Græcos « fidei contraria admiscere solitos, » tamen Glaber Rodulfus, in lib. V cap. 1, eos laudat hoc nomine quod apud eos « semper tenor ecclesiasticus cautissime viguerit. » Atque ut proclives fuerint ad nova dicenda, certe rituum suorum eos semper retinentissimos fuisse constat. Hinc nobis primo loco inquirendum est an fermenti usum, quem Latinæ Ecclesiæ tanto molimine ab undecimo sæculo imponere conati sunt, ab ortu Ecclesiæ tenuerint, an vero, receptis aliquando azymis, postea fermentatos panes admiserint. Varias hac de re auctorum sententias, tum rem ipsam consideremus.

Innocentius papa III, in lib. IV de Missa cap. 4, existimat Græcos « postquam tunicam Domini inconsutilem diviserunt, ut perpetuæ divisionis scandalum interponerent, sacrificii ritum temere mutasse, » scilicet loco azymorum adhibendo panes fermentatos. Jacobus de Vitriaco, in Historiæ Occidentalis cap. 38, iisdem fere verbis eamdem exponit sententiam, nimirum Græcos post secessionem a Latinis defecisse ab usu azymorum, « ne Romanorum Ecclesiam imitari viderentur. » Quo de schismate loquantur, de Photiano, an de illo quod per Michaelem Cerularium conflatum est, neuter explicat. Hanc sententiam amplexi sunt plerique recentiores Latinorum.

Ex Græci, Barlaamus, ineunte sæculo XIV, episcopus Hieracensis, in epistola ad Græcos pro unione utriusque Ecclesiæ, existimat fermenti usum apud Græcos ab initio invaluisse, uti azymorum apud Latinos. « Quoniam, inquit, apostoli eadem enim tradentes mysteria non distinxerunt sive fermentatum sive azymum; Orientalis Ecclesia continuo cepit fermentatum, Occidentalis vero azymum, eo quod gerit imaginem puritatis, sinceritatis et veritatis. » Eadem est sententia Gregorii Protosyncelli in responsione ad epistolam Marci Ephesini, ubi ait Græcos fermento ab exordio usos, eam semper consuetudinem retinuisse.

Contra vero Cortesius Brana Mazaracenus, Græcarum litterarum professor in publico gymnasio Neapolitano, in libello de Græcæ et Latinæ missæ consensu, docet cum Soto, in 4 sententiarum, utramque Ecclesiam initio sacratissimam Eucharistiam in azymis confecisse; sed postea ob hæresim Ebionitarum, qui legalia servanda esse volebant, abjecisse azymos panes; tum hæresi exstincta Latinam rediisse ad azymos, Græcam vero in fermenti usu perseverasse.

Expositis auctorum variis sententiis, observandum est Orientalem Ecclesiam ab ipso nascentis Christianæ religionis principio habuisse ritus ab Occidentali diversos. Cui rei argumento est tum controversia de Paschate, quæ inter Asiaticos et Victorem papam efferbuit, tum Irenæi episcopi Lugdunensis epistola, cujus fragmentum refert Eusebius Pamphili in Historiæ suæ lib. V, cap. 24. Scribit quippe in ea epistola Irenæus « beatum Polycarpum Aniceti papæ temporibus Romam venisse, atque inter illos cum de Paschate, tum de quibusdam aliis rebus modicam fuisse controversiam; ac statim mutuo pacis osculo sese complexos, communicasse sibi invicem, et Anicetum in Ecclesia consecrandi munus Polycarpo honoris causa concessisse. » Etsi vero non exprimit Irenæus quænam fuerint alia illa capita, in quibus Anicetus a Polycarpo dissidebat, conjecturæ tamen locus esse potest in his fuisse discrimen panis eucharistici, quem utraque Ecclesia diversum adhibebat.

Hanc conjecturam juvat Origenis auctoritas in Matthæi caput XVI ad versum 16, ubi de fermento Pharisæorum agens, ait fermentum non solum sumi pro doctrina, sed etiam pro aliis rebus tam in Veteri quam in Novo Testamento. Tum subdit : Οὕτω δέ μήποτε ζύμη εὐ προσφέρεται ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον; « An non et aliquando fermentum offertur sub altare? » Etsi enim non plane certum sit, num potius de Novo loquatur quam de Veteri Testamento, in quo fermentati panes nonnunquam offerebantur ex Levitici capitibus VII et XXVII, tamen potius de Novo intelligendus videtur ex eo quod usus sit verbo temporis præsentis. Accedit quod in Tractatu XXXV in Matthæum imperitis nonnullis occurrit, quibus in mentem venire posset, exemplo Christi Pascha Judaico more et azymorum diem celebrandum

Digitized by Google

Quibus respondet ea omnia non jam re ipsa, sed spiritali sensu exercenda esse. Quod etsi de tota ritus paschalis observatione dictum videri possit, tamen ad removendum etiam azymorum usum extendendum videtur. Idem dicendum est de Joanne Chrysostomo, cujus consimilia verba sunt in homilia de proditione Judæ.

Aliud testimonium pro antiquo fermenti usu apud Græcos desumi potest ex Chronico Ms. Datii Mediolanensis episcopi, qui medio sexto sæculo vixit. Quo in Chronico sanctus Ambrosius « Græcorum Ecclesiam in plurimis officiis venerabiliter imitatus » fuisse dicitur, « et sacrificium eorum, scilicet fermentatum, cum nostro azymo in celeberrimis festivitatibus, maxime in resurrectione Domini benedixisse. » Si vero fermentati panis usus apud Græcos receptus erat Ambrosii ætate, credere par est morem hunc ex primaria Græcorum Ecclesia descendisse. At quoniam de hujus Chronici auctoritate dubitant nonnulli, quibus suppositititium et recentioris ævi esse videtur, de eo amplius in consequentibus agendum. Interim noto Chronicon istud, etsi recentioris sit auctoris, non tamen continuo rejicienda esse quæcunque in eo leguntur, maxime singularia facta, quæ non nisi ex antiquioribus monumentis accipere potuit ille quicunque est auctor.

Verum luculentum est de Græcorum fermento Joannis Philoponi testimonium in disputatione de Paschate, in qua, ut jam dixi, auctor probare nititur Christum in ultima Cœna non celebrasse Pascha legale, neque agnum aut azyma comedisse, tum Eucharistiam non ex azymo pane, sed ex fermentato confectam fuisse. Nam proposita sibi objectione eorum qui dicebant Christum Eucharistiam discipulis præbuisse primo die azymorum, quando Pascha immolabant, simulque agnus comedebatur et azymum cum herbis amaris, respondet eos ex hoc ipso maxime refutari : Οὐδὲν γάρ, inquit, ἐν τῷ δείπνῳ, γέγονε τοιοῦτον, ὡς ἤδη εἶπον, οὐδὲ ἄζυμον ἄρτον ἀντίτυπον τοῦ ἰδίου σώματος τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς ἔδωκεν ὁ Χριστὸς. Ἐγένετο γὰρ ἂν καὶ μέχρι νῦν. Εἰ δὲ ἦν πρώτη τῶν ἀζύμων ἐκείνη, ἀδύνατον ἦν ζυμοτὴν ἄρτον αὐτοῖς εὑρεθῆναι, id est, « Nam nihil horum in cœna contigit, ut jam dixi, neque azymum proprii corporis antitypum discipulis suis Christus dedit. Nam et hoc etiam nunc fieret. Si autem illa fuisset prima dies azymorum, non potuisset reperire fermentatum. » Ex his Philoponi verbis clarum est suo tempore Græcos, non azymum, sed fermentatum panem in rem sacram adhibuisse, quandoquidem ait, si Christus in azymo Eucharistiam discipulis suis porrexisset, fore ut id etiam tum in Ecclesia fieret. Ex eo vero quod secus res se haberet, infert Philoponus Christum non legali more cœnam in azymis peregisse. Præterea satis apparet Philoponi mentem esse nunquam in Ecclesia Græco panem alium quam qui tunc usui erat, hoc est fermentatum adhibitum fuisse. Nam si mutationem aliquando factam azymi panis in fermentatum agnovisset, nihil conficeret ejus argumentum. Jam ergo Philoponi ætate, id est sub finem sæculi (nam Justino secundo imperante scribebat) fermenti usus ante memoriam omnem apud Græcos invaluerat.

Hinc est quod Latini exorto schismate Michaelis Cerularii, cum azymum panem fermentato jure præferri posse contenderent, nusquam tamen (si bene memini) Græcos admissæ novitatis insimularunt, quasi recepto quondam azymo fermentatum postea induxerint. Quod argumento est Latinos in ea fuisse persuasione, Græcorum fermentum a primis temporibus obtinuisse. Denique Humbertus cardinalis, in responsione ad Nicetam, aperte innuit, tempore sextæ synodi, id est sub finem sæculi septimi, quæ anno 680 habita est, Græcos alio pane usos fuisse quam Latinos, ac Romanæ sedis legatos morem suum utendi azymis Constantino imperatori approbasse.

His addi possunt et aliæ conjecturæ. Nimirum quod Photius, in epistola 64, agnoscit differentiam et dissimilitudinem per varias Ecclesias ἐν ταῖς μυστικαῖς θυσίαις, « in mysticis sacrificiis ; » quod de pane Eucharistico etiam intelligi potest, siquidem sanctus Nicon, non integro post Photium sæculo elapso, reprehendit Armenos quod azymis uterentur contra morem Græcorum. Ad hæc quod Græci ante schisma Photianum pane eodem modo formato, scilicet denso et integro, iisdem omnino instrumentis atque ritibus utebantur in liturgia sacra quibus etiam nunc utuntur. Instrumenta præcipua sunt λόγχη, δίσκος, ἀστὴρ, quæ Joannes Chrysostomus in Liturgia sua et Germanus patriarcha Constantinopolitanus in Contemplatione sua commemorant. Porro ex eo quod de pane integro et denso coronulam lanceola demebant in sacrificium, colligo panes ab ipsis tum adhibitos fuisse crassos et inflatos, quales in usum communem cedunt, id est fermentatos. Verum his conjecturis potiora sunt argumenta quæ ex superiorum auctorum testimoniis adduxi, ex quibus sola Philoponi auctoritas sufficere videtur ad probandum fermentum apud Græcos ab initio Ecclesiæ, aut certe prope ab initio, receptum perseverasse ad sæculum septimum ; quo ex tempore constat nunquam intermissum fuisse.

His tamen repugnare videtur locus apud sanctum Justinum in Dialogo cum Tryphone, ubi oblatio similæ pro eis qui a lepra purgabantur, quæ infermentata erat, « figura panis eucharistici » fuisse dicitur, τύπος ἦν τοῦ ἅ του τῆς εὐχαριστίας. Verum necesse non est ut figura in omnibus rei figuratæ respondeat.

CAPUT IV.

Quali pane utantur aliæ societates Christianæ.

Moscovitæ et Rutheni, ut in Græcorum aliis ritibus, ita fermentato pane utuntur. Alexander Gwagninus in Descriptione Moscoviæ observat mulieres provectæ ætatis, et maxime viduas sacerdotum relictas, apud Ruthenos conficere panem sacrificii, quem « proskura » vocant.

Digitized by Google

Nestoriani, sic dicti a Nestorio cujus errores sectantur, « ex fermentato » itidem « divino more Græcorum conficiunt, » testante Jacobo a Vitriaco in Historiæ Orientalis cap. 78, adeoque illi qui in terra presbyteri Joannis commorantur, itidem Nestoriani, quos notat Cassander facere libum magnum aut parvum pro multitudine gentis, quia omnes communicant; et pro magnitudine crassum dimidio digito aut integro, aut etiam crassiorem magno digito.

Suriani etiam, qui in Syria degunt, Græcorum erroribus involuti, ex fermentato pane conficiunt sacramenta, auctore Jacobo a Vitriaco in ejusdem Historiæ cap. 75.

Contra Maronitæ et Armenii, seu Jacobitæ, azymo pane utuntur; in calicem vero nihil aquæ admiscent Armenii. Juverit hoc loco notare Armenios in Eutychianorum hæresim, Theodosio imperante, prolapsos fuisse, ut docent nos epistolæ Procli Constantinopolitani episcopi, et Dionysii Exigui qui Procli epistolam Latinam fecit. Ab eo tempore azymo pane et solo vino usi videntur in re sacra, uti ipsi tradunt Armenii. Certe quod solum vinum adhiberent aqua rejecta, damnati sunt ab episcopis auctoribus canonum in Trullo editorum post synodum sextam, ut patet ex canone 32, in quo graviter reprehenduntur quod οἶνον μόνον in mensa sacra offerrent. Quo in loco etsi nulla panis azymi fiat mentio, tamen ipsos jam eo usos fuisse res certa videtur. Primus eos ob usum azymi arguit sanctus Nicon, natione et ipse Armenius, qui medio sæculo decimo floruit. Nam inter varios errores quos in ipsis carpit, unus est, quod in « pane mystico utantur azymis, et in sanctum calicem aquam non immittant. » Ex quo intelligitur Patres Trullanos azymi usum inter ἀδιάφορα reposuisse, cum eum Armeniis non objecerint. Ideoque formulam illam confessionis fidei, quam Græci ab Armeniis ad Græcorum Ecclesiam redeuntibus exigebant, prout ab eruditissimo Joanne Baptista Cotelerio edita est conditam esse post schisma Michaelis Cerularii. Nam inter varios anathematismos quos proferunt resipiscentes, hic legitur: Εἴ τις οὐ βάλλει εἰς τὴν προσφορὰν ζυμὴν καὶ ἅλας, οὐδὲ ἅγιον ποτήριον (legendum οὐδὲ ὕδωρ εἰς ἅγιον ποτήριον) μετὰ τοῦ οἴνου, ἀνάθεμα, id est: « Si quis in panem oblationis non immittit fermentum et sal, nec aquam cum vino in sanctum calicem, anathema sit. » Hæc, inquam, formula, in qua fit mentio septimæ synodi, condita videtur post schisma Michaelis Cerularii: quo ex tempore Græci Latinos ob azymorum usum diris devovere cœperunt. In hac vero formula cum legitur Armenios ad fidem « orthodoxorum Romanorum » revertentes, eam « Renuntiationis » formulam edere solitos, « Romanorum » nomine intelligendi sunt homines Græcæ communionis, sic dicti ab incolis novæ Romæ, quæ caput est imperii Orientalis. Sic Græcos « Romanos » vocat Theorianus in Dialogo adversus Armenios, tametsi post schisma edito, et alii permulti. Denique Armeniis ob sectam Eutychianam proprius non est usus azymorum, siquidem Joannes Philoponus, et ipse Eutychianus fermenti usum in re sacra probat, ut superius vidimus.

Præter hos Mozarabes, sive Gothi in Hispania degentes, Mozarabes dicti, quod postea permisti sint Arabibus Sarracenis, etiam azymo pane usi sunt ab antiquo, ut fusius in consequentibus demonstrabo. Usi sunt etiam Hierosolymitani, ut probat Humbertus cardinalis in responsione ad Michaelem Cerularium.

CAPUT V.

Variæ sententiæ de Azymo Latinorum.

Mirum est quam variæ sint opiniones de azymorum usu in Ecclesia Latina. Quinque auctorum classes invenio hac in re ab sese dissidentium. Prima est Græcorum quorumdam; secunda Latinorum eorum qui tempore aut proxime post tempus schismatis a Michaele Cerulario conflati vixerunt; tertia est scholasticorum veterum ac recentiorum, qui non omnes inter se conveniunt; quarta est Martini Polini, Platinæ et Joannis Calvini; quinta Jacobi Sirmundi, quam eminentissimus cardinalis Bona aliquomodo temperavit, uti jam satis exposita est.

Græci nonnulli, quos Allatius in Exercitatione 28 in concilium Florentinum commemorat, eam iniere sententiam, azymum in Latinam Ecclesiam introductum fuisse regnante Carolo Magno. In his Demetrius Chomatenus, Bulgarorum archiepiscopus, cum nullum canonem pro admittendo azymo conditum a Latinis animadvertisset, azymi usum in Ecclesia Latina non nisi post schisma Photii invaluisse putavit, quæ est ipsamet Sirmundi sententia. At observare juvat neminem Græcorum qui initio schismatis Michaelis Cerularii scripsere adversus Latinos, recentiorem azymorum usum in Ecclesia Latina unquam causatum fuisse; quod solis recentioribus Græcis venit in mentem.

Latini econtrario qui, fervente prædicto schismate, Græcis azymum obtrectantibus responderunt azymorum usum ab initio Ecclesiæ apud se viguisse aut supponunt, aut probant, nemine Græcorum (quod sciam) reclamante. In primis Leo papa nonus in epistola ad Michaelem Cerularium de azymis duo docet, nempe Christum in instituenda Eucharistia usum fuisse azymis, et ipsius exemplo hunc morem, Latinis receptum, ab initio tenuisse. Hoc quod posterius dixi sic urget pontifex, Michaelem alloquens: « Illud autem quis non stupeat quod post tot sanctos et orthodoxos Patres per mille et viginti a passione Salvatoris annos novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes et publicam persecutionem excitans [in eos] quicunque participarentur ex azymis? » Hinc colligo Leonis mentem fuisse azymorum usum in Ecclesia Latina exstitisse a passione Salvatoris ad mille annos, id est a condita Ecclesia ad suum usque tempus. Cum enim conqueratur Leo quod « post

Digitized by Google

mille et viginti a passione Salvatoris annos » præter Michaelem inventus sit nemo, qui Latinos ob azymorum usum reprehendere ausus sit, consequens est eos per totum illud tempus azymis usos, aut saltem Leoni ita persuasum fuisse. Alias nihil valeret ipsius argumentum adversus Michaelem. Neque enim calumniæ occasionem præbere potuisset usus ille, si nondum exstitisset. Eam porro esse Leonis mentem, neque de jure, sed de facto explicari posse patet ex epistola 1 ad eumdem Michaelem, in qua scribit omnes quotquot ab instituta Ecclesia exstitere martyres apud Latinos, azymis, id est Eucharistia in azymis consecrata, saginatos fuisse, et paulo ante innuit Latinorum hunc morem ex sancti Petri institutione descendisse : « Quapropter, inquit, a tanta amentia jam resipiscite, et Latinos vere catholicos, atque maximi Petri familiares discipulos, institutionisque ejus devotiores sectatores cessate subsannando azymitas vocare. »

Eadem fuit sententia Humberti cardinalis in responsione ad Michaelem dicentis Ecclesiam Romanam ad suum usque tempus non cessasse ab usu azymorum, et in responsione ad Nicetam, traditionem esse apostolicæ sedis. Consentiunt Algerus in lib. II, cap. 3, qui omnem Ecclesiam præter Græcam ex traditione principum Ecclesiæ Petri et Pauli in azymis celebrasse ; Hugo Tuscus seu Eterianus, qui in lib. II de Hæresibus, cap. 17, Ecclesiam Latinam azyma perpetuo immolasse ; et Rupertus in lib. II, de Divinis Officiis, cap. 22, qui Ecclesiam Romanam censet fermentum in sacrificio nunquam adhibuisse.

Ejusdem traditionis ineunte seculo XIII propugnator fuit Innocentius Papa III, qui de Latinorum azymis agens, eorum perpetuum usum defendit in lib IV, de Missa, cap. 4 : « Ab ipsis ergo, inquit, Beatis apostolis Petro et Paulo, quos et vivos habuit (Romana Ecclesia) et defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu servavit. »

Innocentio e vestigio successit scholasticorum ætas, quorum opinio de azymo Latinorum est ejus usum ab initio nascentis Ecclesiæ incœpisse; postea vero, ingruente Ebionæorum hæresi qui legalia observari oportere docebant, præceptum fuisse ut rejectis azymis fermentatum admitteretur ; tum desinente hæresi, Latinos ad azyma denuo rediisse. Hujus præcepti Leonem papam alii dicunt auctorem, alii non auctorem, sed testem asserunt, alii nec testem, nec auctorem. In primis est Joannes Duns Scotus in 4 dist. XI, quæst. 5 : « Sub papa Leone, inquit, fuit hæresis servans legem cum Evangelio. Et tunc, ne viderentur Latini servare legem Judæorum, præceptum fuit conficere in pane fermentato. Sed post quando rediit fides et invaluit, usi sunt Latini pane azymo, sicut prius. » Idem sentit Richardus in eumdem locum.

In secundo ordine est Alexander Alensis in 4 quæst. 32, membro 3, ad ultimum ; eumque secutus Bonaventura totidem verbis; et sanctus Thomas in prolixiori commentario in 4 dist. XI, quæst. 2, art. 2; qui auctores testem afferunt Leonem papam dicentem, imminente hæresi Ebionitarum, sanctos Patres præcepisse ut sacrificium ex fermentato conficeretur ad tempus.

Denique Durandus in 4 dist. XI, quæst. 4, in corpore ait apostolos in primitiva Ecclesia usum azymorum tenuisse, et ab iis hunc morem accepisse Ecclesiam Romanam. Postea increscente hæresi Ebionitarum, qui dicebant simul cum Evangelio legalia observanda, sanctos Patres, ne eis consentire viderentur, voluisse ad tempus hoc sacramentum ex fermentato confici ; at cessante hæresi Ecclesiam Romanam ad pristinum rediisse morem, Græcos vero noluisse redire. Hæc de placitis scholasticorum veterum, quibus recentiores plerique, alii aliis pro sua quisque secta, adhærent. Joannes Gerson in Tractatu de communione censet Latinos quondam sacerdotes confecisse Eucharistiam in fermentato ; at quo tempore, quave occasione, non exprimit.

Aliam iniere viam historici quidam recentiores : nimirum Martinus Polonus et Platina, quibus Joannes Calvinus astipulatur. Ex his primus ad annum 132, ubi de Alexandro papa agit, hæc habet : « Hic etiam statuit ut vino aqua misceretur.... et ut oblatio fieret ex azymo et in modica quantitate, dicens : Hæc oblatio quanto potior, tanto rarior. » Nescio an ex eodem fonte Barlaamus Hieracensis episcopus, Martini fere æqualis, idem tradit in epistola de unione utriusque Ecclesiæ. Platina id ab Alexandro statutum dicit, « ut Ebionitis hæreticis calumniandi occasio auferretur. » Et Calvinus in Institutionum lib. IV : « Fermentatum, inquit, et vulgatum panem fuisse ante tempus Alexandri Romani episcopi narrant historiæ, qui primus azymo pane delectatus est. Qua id ratione, non video, nisi ut plebis oculos novo spectaculo in admirationem traheret magis quam ut animos proba religione instrueret. » Eidem sententiæ accedit Radulfus Tungrensis de canonum observantia, cap. 23.

Tam pugnantes hominum sententias retulisse huc saltem juverit, ut intelligant omnes quam intricata sit controversia de azymo, quantis ambagibus involuta ; tum quantum intersit, non ex trivio falsarum traditionum, aut ex suppositiis auctoribus, sed ex optimis antiquitatis monumentis eruere veritatem. Quam viam quicunque non tenuerunt in supinos et insignes errores delapsi sunt. Ætate veterum scholasticorum circumferebantur nescio quæ scripta seu decreta Leonis et Alexandri, spuria certe, sed nondum notæ falsitatis ; quibus adducti auctores superiores, varias de azymo sententias tenuerunt. Forsan etiam qui dixere occasione hæresis Ebionicæ cautum fuisse ut cessaretur ab

Digitized by Google

azymo, huc inducti sunt auctoritate sancti Epiphanii. Cum enim apud Epiphanium legerent Ebionæos erroris notatos, quod mysteria offerrent ex azymo et aqua sola, putaverunt azymorum usum ea occasione rejectum ab Ecclesia fuisse. Et quia persuasum habebant morem utendi azymis apud Latinos a Christi exemplo descendisse, hanc demum invenerunt conciliandæ difficultatis viam, ut azymum propter Ebionæos ab Ecclesia rejectum seu intermissum dicerent; postea vero cessante hæresi prædicta restitutum. Verum de Epiphanio postea.

CAPUT VI.

Quædam testimonia dubiæ fidei pro azymo Latinorum expenduntur.

In omni controversia, ut vera a falsis, sic certa ab incertis et dubiis secernere juvat. Hinc est quod minus peritis morem gerens qui ad hæc tractanda rudes et imparati accedunt, hoc loco seorsim institui agere de nonnullis testimoniis aut falsis aut dubiis quæ pro azymo afferri possunt, ne, si ea tacitus prætermisero, fiat ut incauti vel dubiis plus æquo fidem adhibeant, vel falsis seducti in errorem labantur.

In dubiis primum occurrit Chronicon quod sub nomine Datii Mediolanensis episcopi in bibliotheca ejusdem Ecclesiæ asservatur; quo in Chronico hæc de sancto Ambrosio leguntur: « Sanctus Ambrosius Græcorum Ecclesiam in plurimis officiis venerabiliter imitatus est, qui et sacrificium eorum, scilicet fermentatum, cum nostro azymo in celeberrimis festivitatibus, maxime in resurrectione Domini benedicebat. » Si de hujus Chronici auctoritate constaret, luculentum haberemus testimonium ad probandum Latinam Ecclesiam tempore Ambrosii in azymo consecrasse. At viri docti nonnulli Chronicon istud recentius esse putant Datio episcopo qui, Vigilio papa sedente, hoc est ante medium sæculum sextum, Mediolanensem Ecclesiam regebat. Causam cur istud Chronicon Datio adjudicaretur sedulo inquisivi, tum scriptis ad amicos litteris, tum petito ejus exemplo ex Mediolanensi Bibliotheca, ut lectione Chronici rei veritatem expiscari possem. Verum nihil aliud ea de re mihi rescire licuit præter ea quæ mox adducam, neque hactenus exemplum expetitum accipere. Quo fit ut de hujus Chronici auctoritate mihi certo pronuntiare non liceat.

Illud in primis suspectum reddit opus istud quod refert Antonius Possevinus de hoc Chronico, « in quo scilicet ait scriptum exstare canticum *Te Deum laudamus* a sanctis Ambrosio et Augustino statim a baptismo ejusdem Augusti alternatim et ex tempore cantatum fuisse, atque inde ab universa Ecclesia frequentari cœpisse. » Quæ res nonnullis suspecta, ne dicam falsa, videri possit et ab recentiori quodam auctore inventa. Quanquam in ms. libro Psalmorum, quem Carolus Magnus ad Adrianum papam misit, cujus autographum exstat in Cæsarea Bibliotheca, habetur canticum istud cum hoc titulo: « Hymnus quem sanctus Ambrosius et sanctus Augustinus invicem condiderunt. » Quod ut parum certum sit, hinc tamen apparet persuasionem de auctoribus istius cantici non esse admodum novam et recentem, sed aut ipsius Datii tempore, aut paulo post receptam.

Menardus noster in notis ad librum Sacramentorum, ubi de hoc cantico agit, duobus movetur argumentis ad Chronicon istud Datio subtrahendum, nempe et quod Augustini conversio in eo Chronico aliter quam a Possidio et ab ipso Augustino referatur, et quod Chronicon a nullo auctore citatum legatur. Verum ut prius ita sit, non raro auctores etiam æquales in unius ejusdemque facti narratione discrepant. Posterius inde refellitur, quod Chronicon istud sub nomine Datii citatum videatur, tum apud Paulum diaconum in Historiæ Miscellæ libro XVI, tum apud vulgatum Anastasium de Gestis pontificum in Silverio papa, ubi tempore hujus pontificis fames ingens sæviisse memoratur « ex relatione Datii episcopi Mediolanensis. » Quæ res si in prædicto Chronico legatur, fatendum est aut Datium ejus esse auctorem, aut certe aliquem alium Paulo Diacono, id est, octavo sæculo superiorem, ejusque persuasionem fuisse azymorum usum ævo Ambrosii viguisse apud Latinos.

Demum etiamsi Chronicon istud ævi sit recentioris, non tamen continuo respuendum est quidquid in illo continetur, tum quia auctor, quisquis tandem ille sit, id ex veteribus monumentis accipere potuit, tum quia hoc ipsum quod de azymo in eo legitur ex missa Ambrosiana pondus habere videtur. In hac enim ubi de oblatione panis agitur, orationi præmittitur hic titulus apud Pamelium: « Oblatio panis azymi cum patena. » Porro Missæ hujus, quæ Ambrosiana dicitur, auctorem agnoscit sanctum Ambrosium. Walafridus Strabus in lib. De rebus ecclesiasticis, cap 22: « Ambrosius, inquit, Mediolanensis episcopus, tam missæ quam cæterorum dispositionem officiorum suæ Ecclesiæ et aliis Liguribus ordinavit, quæ et usque hodie in Mediolanensi tenentur Ecclesia. » Neque vero facile dicendum est titulum prædictum a recentioribus insertum fuisse, nisi id probetur idoneis argumentis.

Inter supposititia pro azymo testimonia censendum est fragmentum epistolæ sub nomine Gregorii papæ, partim a sancto Thoma Aquinate relatum in Summæ III parte, fusius vero in ejusdem catena super Matthæum his verbis: « Gregorius in Registro. Solet autem nonnullos movere quod in Ecclesia nonnulli offerunt panes azymos, alii fermentatos. Ecclesia namque Romana offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commistione suscepit carnem. Aliæ vero Ecclesiæ offerunt fermentum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carnem, et est verus Deus et verus homo. Nam et fermentum commiscetur farinæ. Sed tamen tam

Digitized by Google

azymum quam fermentatum dum sumimus, unum corpus Domini Salvatoris nostri efficimur. » Neque enim hæc verba reperiuntur in Registro sive Gregorii papæ primi, sive Gregorii septimi. Exstat quidem apud Gregorium primum, cognomento Magnum, epistola quædam, nimirum 64, lib. VII, indictionis secundæ, qua in epistola sanctissimus pontifex agit de variis ritibus Ecclesiæ cum Græcæ tum Romanæ, at ne verbum quidem de azymo. Quapropter ex prædicto fragmento nihil certi conficere possumus.

Aliud ejusdem generis argumentum nobis suppeditat epistola quædam Isidori Hispalensis episcopi ad Redemtum archidiaconum, in qua hæc verba leguntur : « Innotuisti nobis in animo tibi versari scrupulum, quod Orientalis Christi Ecclesia ex fermentato pane, Occidentalis ex azymo sacratissimi corporis sacramentum conficere consuevit, et quia ipsi Orientales Latinos super hoc reprehendere non verentur. » Tum auctor Romanæ Ecclesiæ morem approbare et Græcorum objectis satisfacere conatur. Atqui hæc epistola merito susperta videtur, ne dicam spuria. Etsi enim Isidorus Hispalensis episcopus Redemtum archidiaconum habuerit, tamen in ea epistola, sicut etiam in præcedenti, multa sunt quæ persuadent commentum esse recentiorum temporum. Nulla enim (ut cætera dissimulem) Orientales inter et Occidentales controversia fuit de azymo ante sæculum XI, ut constat testimonio in primis Leonis papæ noni, qui Michaelem Cerularium novum Latinorum ob azyma calumniatorem post mille et viginti a Christi passione annos exstitisse affirmat.

Inter dubia item argumenta pro azymo recenseri debet id quod Humbertus cardinalis in responsione ad Nicetam Pectoratum refert ex quibusdam actis sextæ synodi, in quibus legebatur legatos apostolicos peracta synodo a Constantino imperatore interrogatos, qualiter Romana Ecclesia de sacrificio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi ordinem teneret, inter alia respondisse : « Oblationem quæ in sacrificium altaris offertur, nullam commistionem aut corruptionem fermenti habere debere, sed debere esse mundam, justa quod in Gestis pontificalibus legimus esse statutum. » Tum suddit Humbertus : « Tunc placuit piissimo principi Constantino hæc traditio apostolicæ sedis. » Hoc quidem testimonium validum esset ad probandum antiquum usum azymorum apud Latinos ante synodum sextam, si de horum Actorum veritate constaret. Verum suspecta videntur hæc Acta tum quia in vulgatis sextæ synodi Actis nulla ejus rei mentio reperitur, tum quia in Gestis pontificalibus nihil de azymo a Silvestro papa statutum legitur, sed tantum de linteo quod lineum esse præcepit.

Verumtamen Hilarion monachus, in oratione de pane Græcorum mystico et Latinorum azymo, his Actis nonnihil auctoritatis conciliare videtur, cum ait legatos, peracta synodo, Deo gratias acturos, in templo Sanctæ Sophiæ sacra ex præscripto Latinorum celebrasse, Græcis omnibus modum sacrificii Latini collaudantibus. Ἐν τῷ νάῳ, inquit, τῆς Ἁγίας Σοφίας τῷ Θεῷ χαριζμένους ἑορτάσαι Λατινικῶς, ἐπαινούντων ὅλων τῶν Ἑλλήνων τρόπον τὸν θυσίας Λατινικῆς. Id forsan hausit Hilarion ex vulgato Anastasio qui ita in Agathone papa loquitur : « Tanta autem gratia divina Omnipotentis concessa est missis sedis apostolicæ ut ad lætitiam populi vel sancti concilii, qui in regia urbe erant, Joannes episcopus Portuensis Dominico die octavarum Paschæ in ecclesia Beatæ Sophiæ missas publicas Latine celebraret coram principe et patriarcha, ut omnes unanimiter in laudes et victorias piissimorum imperatorum eo die Latinis vocibus acclamarent. » Ex quibus verbis intelligimus missam ab legatis Latino more celebratam fuisse; an vero in azymis inde non constat. Hæc de dubiis et falsis argumentis.

CAPUT VII.

Proponuntur conjecturæ et argumenta quædam pro antiquo usu azymorum apud Latinos.

Ante omnia considerandum est silentium Patrum Latinorum Photii ætate superiorum, qui Eucharistiam ineunte vespera azymorum ac proinde in azymis, institutam docent. Qui cum facto Christi Domini inhærendum esse in istius sacramenti confectione dicant, atque in nonnullis ritibus, sicubi obvenit mutatio, rationes factæ mutationis inquirant, nullam tamen de mutato azymo quæstionem movent. Sic ex Patribus antiquioribus complures sollicite causam indagant cur a jejunis Eucharistia percipiatur, cum ab cœnatis apostolis percepta sit; nullus vero inquirit cur Ecclesia neglecto azymo prætulerit fermentatum. Quod sane si contigisset, non omissuri fuisse videntur omnes : cum magis ad rem sacramenti accedat fermentum quam jejunium aut cœnatio percipientis.

Dices Patribus antiquis id fuisse exploratum, scilicet Christum, tantum ex occasione et propter morem gentis, azymum ad Eucharistiam adhibuisse, ideoque, et si fermentato pane usi sint, non visum fuisse necessarium inquirere factæ mutationis causam quæ omnibus aperta erat.

Ad hoc repono etiam Christum, ex occasione tantum et ob morem Judaicum, aquam in calicem immiscuisse. Nam, ut Jacobus a Vitriaco observat in Historiæ Occidentalis cap. 38, « vino puro nemo utitur in partibus illis. » et tamen veteres Patres, Cyprianus in primis in epistola ad Cæcilium, tanta cum religione admistionem aquæ in calicem tuentur exemplo Servatoris, ut secus factitantes pro hæreticis habuerint. Si ergo antiquis illis Patribus persuasum fuit (ut certe constat apud illos) Christum in instituenda Eucharistia usum azymis fuisse, non video cur, si aliter id tum fecisset Ecclesia, nemo ejus rei causam aut inquisisset aut exposuisset.

Affine huic argumentum est quod iidem illi Patres, qui in primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, cum agunt

Digitized by Google

de pane sacrificii, ejusque compositionem describunt, nusquam fermenti faciant mentionem. Ex his Cyprianus in epistola ad Cæcilium, et post eum Isidorus Hispalensis episcopus in lib. I de Officiis ecclesiasticis, cap. 18, loquitur in hunc modum : « Sic vero calix Domini nostri Jesu Christi non potest esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse similia sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit et copulatum panis unius compage solidatum. » Eadem verba præter Isidorum repetit Amalarius in lib. III de Officiis ecclesiasticis, cap. 19. Sane cum Cyprianus hoc loco agat de compositione panis Eucharistici, ejusque partes distincte explicet, non omisisset fermentum, si panis azymus suo tempore in usu non fuisset.

At, inquis, satis fermentum exprimit cum ait, corpus Domini esse non posse similam solam aut aquam solam, « nisi utrumque adunatum fuerit et copulatum, et panis unius compage solidatum. » Quod enim copulat, adunat et solidat, fermentum est.

Verum huic responsioni obviat Augustinus in sermone 83 de diversis, ubi recens baptizatis exponens mensæ Dominicæ sacramentum, et singula quæque traducens ad mores, non solum fermenti non meminit, sed etiam granorum seu pollinis conjunctionem et copulationem non nisi per aquam fieri docet his verbis : « Commendat vobis in isto pane quodammodo unitatem amare. Nunquid enim panis ille de uno grano factus est? Nonne multa erant tritici grana? Sed antequam ad panem venirent, separata erant; per aquam conjuncta sunt, et post quamdam contritionem. Nisi enim molatur triticum, et per aquam conspergatur, ad istam formam minime venit quæ panis vocatur. Sic et vos ante jejunii humiliationem exorcismi sacramento quasi molebamini. Accessit baptismus et aqua; quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quod ergo significat ignis, hoc est chrisma. » Augustinus his aliisque verbis accurate singula distinguit; granorum contritionem, conspersionem et conjunctionem per aquam solam, et coctionem. Altum de fermento silentium satis innuit illud eo tempore inusitatum fuisse. Adde sanctum doctorem uti vocabulo *conspersi*, quo massam sine fermenti admistione aqua conglutinatam significari constat, ut inferius demonstrabo.

Eodem modo alii Patres loquuntur de compositione panis eucharistici, quos inter Gaudentius Brixiensis episcopus in Tractatu 2 de Paschate, venerabilis Beda in Lucæ cap. XXII, et alii, nulla facta mentione fermenti.

Præterea nulla lex, nullum decretum, nullum legis aut decreti vestigium exstat apud veteres de recipiendo in Ecclesia azymo, neque de mutando fermento, nec de transferendo azymi et fermenti promiscuo usu in azymi communem ritum : quod sane mirum esset, si aliquando in Ecclesia Latina obvenisset mutatio in pane eucharistico. Cum enim sancti Patres tam solliciti fuerint de iis quæ ad augustissimum Eucharistiæ sacramentum pertinent; cum tot decreta condiderint de altaribus, tam fixis quam mobilibus, de vasis sacratis deque linteis in sacrificio usitatis, de Eucharistia pie ac religiose tum conficienda; tum porrigenda, tum percipienda, tum asservanda cum tot statutis decreverint retinendam aquæ admistionem in calicem, mirandum certe fuerit si Latini aliquando abjecto fermento admiserint azymum, id communi consensu factum sine lege fuisse, nemine reclamante aut referente.

Ad hunc locum revocare juvat id quod superius observavi ex missa Ambrosiana, in qua « oblatio panis azymi cum patena facienda præscribitur. » Pamelius quippe hæc verba legit in codice ms. quo usus est in editione istius Missæ, quæ ab antiquis Ambrosio tribuitur; nec facile crediderim mentionem azymi a recentioribus adjectam, quibus dubitatio de offerendo azymo nulla suboriri poterat.

Insuper argumenta quæ inferius pro stabiliendo azymorum communi usu ante schisma Photianum adducentur, huc recurrunt. Qui enim azymum probant auctores illi, id ante omnem memoriam usitatum ostendunt.

CAPUT VIII.

Aliæ probationes ex forma et conditionibus hostiarum, ubi explicantur canones duo, unus concilii secundi Turonensis, alter Toletani XVI.

Oblatas seu hostias minutas ac tenues sæculo nono fuisse, quales fere modo adhibemus, hinc patet, et quod rotulæ appellantur apud Isonem monachum Sancti-Gallensem, et quod intra ferrum characteratum conficiebantur. Modicas vero atque exiles longe ante istud tempus fuisse colligo tum ex concilio Toletano XVI, tum ex figuris nonnullis, quæ in antiquis numismatibus hactenus supersunt. Tres nobis exhibet Claudius Boterovius, de republica litteraria bene meritus, in collectaneo veterum numismatum Francorum, omnes Chariberti Francorum regis, qui regnare cœpit anno 561 in annos sex. Prima figura exstat in pag. 247, ubi pingitur calix ansatus in lunulæ cornua duo eminens, in quorum medio apparet exiguus circulus ad hostiam (ut Boterovio visum est) designandam, adjecta per circulum hac inscriptione, *Gavaletano*, qui locus est cusæ monetæ; ex alia vero parte effigies regis sine inscriptione.

Habentur aliæ duæ in pag. 252, quarum prima superiori omnino similis est; altera tres circulos quos Boterovius itidem hostias esse putat, nobis exhibet cum eadem inscriptione, eademque regis effigie, at sine nominis designatione omnes.

Ut autem Boterovius eas Chariberto regi tribuat, duobus movetur argumentis. Primum est quod plura alia numismata ab ipso exhibita ex una parte præferunt calicem ansatum cum cruce superposita et

Digitized by Google

designatione loci ubi cusa est moneta, *Banniaciaco* scilicet, qui locus itidem in tribus aliis jam memoratis, tribus duntaxat prioribus litteris exprimitur, una cum verbo *Gavaletano*; ex alia vero parte regis effigiem repræsentat cum hac inscriptione: *Charibertus rex*. Alterum argumentum est, quod Chariberto regnante atque curante celebratum est concilium secundum Turonense anno 566, quo in concilio Patres, canone 3, statuere « ut corpus Domini in altari non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur. » Quo ex loco vir antiquariæ rei studiosissimus colligit Chariberto placuisse ut in memoriam hujus statuti se procurante conditi, monetæ regiæ calice ansato cum hostiis insignirentur, eo scilicet modo quo Eucharistiam in calicibus ansatis ab eo tempore asservatam fuisse Boterovius probare intendit. Quæ omnia si certa sint, inde probabile habemus argumentum oblatas sæculo VI tenues ac modicas, quales fere modo habemus, ac proinde infermentatas fuisse.

Verum, ut hac de re dicam quod sentio, certum mihi videtur primo quidem calices antiquitus fuisse ansatos, ut multis probat Boterovius, tum ex Anastasio vulgato in Gestis pontificum Romanorum, tum ex aliis. Qui mos inde forsan promanaverit quod calix, quo Christus Dominus in ultima cœna usus est, *ansatus* fuisse perhibetur apud Adamnanum Hiiensem monachum in lib. 1 De locis sanctis, cap. 8. Locum huc ascribam in gratiam studiosorum: « Inter illam quoque Golgothanam basilicam et martyrium, quædam inest exedra, in qua est calix Domini, quem a se benedictum propria manu in cœna pridie quam pateretur, ipse conviva apostolis tradidit convivantibus, qui argenteus calix sextarii Gallici mensuram habens, duasque ansulas in se ex utraque parte altrinsecus continens compositas. » Hæc Adamnanus ante annos fere mille retulit ex narratione Arculfi Gallicani episcopi, qui calicem istum conspexerat.

Secundo certum mihi videtur numismata a Boterovio exhibita vere esse Chariberti regis, quandoquidem alia plura ejusdem generis ipsius nomine signata videntur.

Tertio æque exploratum puto, in illis numismatibus revera calices ansatos repræsentari, maxime quia plerique signum crucis superpositum habent, et unus quidem cum monogrammate Christi adjuncto.

Quarto persuasum etiam mihi est, canonem tertium concilii Turonensis de asservanda Eucharistia interpretandum esse.

At vero non ita perspectum habeo an minimi illi circuli, qui calicibus ansatis superponuntur, sint veræ oblatæ. Non quod id mihi omnino veri simile non videatur, sed quod artificis imperitia non plane rem oculis exhibeat. Neque enim animus est plus ponderis dare argumentis quam ea præ se ferant.

Deinde nonnullis etiam dubium videri possit an Eucharistia in calicibus aliquando sit asservata. Nam aut in turricula, aut in columba argentea reponi solebat. Legimus quidem apud Gregorium Turonensem episcopum in lib. 1 de Gloria martyrum, cap. 47, calicem crystallinum qui fractus fuerat, diaconi oratione restauratum, jussu episcopi *suspensum super altare* fuisse, ejusque rei memoriam annua festivitate quotannis celebratam. An vero Eucharistia in eo asservaretur, non liquet. Clarior est locus in Gestis Gregorii papæ tertii qui « calicem unum argenteum qui pendet, » inquit auctor, « in apside oratorii, » dedisse perhibetur, non alium, ut videtur, ad usum, quam ad sacratissimam Eucharistiam consecrandam.

Explicatur canon 3 *concilii* II *Turonensis.*

Et quandoquidem huc devenit oratio, quædam observare juvat ad interpretationem canonis tertii concilii Turonensis, quo præcipitur, « ut corpus Domini in altari, non imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur. » Canon iste eruditos viros jamdudum torquet versatque in varias partes; de quo ut nonnihil dicam, notandum est in nonnullis codicibus abesse præpositiones « in » et « sub. » Deinde imaginarium ordinem eum esse qui imaginibus sacris vulgo tribuebatur. Quo in sensu « imaginaria pictura » dicitur apud Anastasium in versione secundi concilii Nicæni.

Jam in hoc canone explicando diversæ sunt sententiæ tres. Prima Severini Binii dicentis hoc decreto prohiberi « ne corpus Domini inter sacras imagines super altari poni solitas, sed potius collocetur sub ipsa cruce, quæ in meditullio ipsius altaris poni consuevit. » Altera est Jacobi Sirmundi in cap. 4 Disquisitionis de azymo, censentis nihil aliud hoc canone quam « ut panis in corpus Domini consecrandus, non aliter pro cujusque arbitrio quam impressa cruce formetur. » Tertia est viri doctissimi, qui existimat hunc canonem intelligendum esse de componenda oblatione cum calice tempore sacrificii e regione crucis in medio altari positæ, non vero ad dexteram aut ad sinistram e regione imaginum.

Sed ut ingenue mentem meam aperiam, videtur canon ille neque de compositione panis eucharistici, neque de ordine quem tempore sacrificii oblatio tenere debet, explicari posse. Nusquam enim, si non fallor, Eucharistiæ nomen apud veteres, nisi pro hostia consecrata usurpatur. Et antiquitus oblata sacrificii tempore, non ordine recto e regione crucis componi solebat, sed ad sinistram partem calicis, seu potius calix « ad dexterum latus oblatæ, quasi sanguinem Domini suscepturus, quam de latere Dominico profluxisse credimus, » ut ex Ordine Romano scribit Micrologus, et cum eo Joannes episcopus Abrincatensis. Quapropter præferendam existimo sententiam primam; in qua tamen scrupuli quidam mihi restant quos hic discutere conabor.

Digitized by Google

Duæ sunt difficultates quæ hunc canonem primo illo modo explicatum implicant. Prima, quo in loco prostarent tunc temporis imagines in Ecclesiis; altera quo ritu Eucharistia « sub crucis titulo in altari » componeretur.

Ad primam, crediderim totis decem Ecclesiæ sæculis imagines sacras aris non fuisse impositas. Testatur Leo papa quartus in homilia quadam his verbis : « Super altare nihil ponatur, nisi capsæ et reliquiæ, aut forte quatuor Evangelia, et buxida cum corpore Domini ad viaticum infirmis; cætera in nitido loco recondantur. » Eadem verba repetit Ratherius Veronensis episcopus in synodica oratione ad presbyteros suos. Flores tamen etiam « super altare » positos probat Venantius Fortunatus in lib. VIII, carmine 8. Et crux super altare pendere solebat, teste Gregorio Turonensi, præter alios. Etsi vero scrinia, quibus sanctorum reliquiæ includuntur, imaginum loco haberi possint, constat tamen reliquias sacras, ac proinde reliquiaria ipsa, super altare posita vix fuisse ante sæculum nonum, uti alias demonstravi in præfatione sæculi secundi Benedictini. Ex quibus intelligitur tempore habiti concilii Turonensis imagines in altaribus non habuisse locum. Ubi ergo? inquis. Certe in baptisteriis, in secretariis seu sacristiis (quas vocamus), in porticibus, in parietibus et laquearibus templi. Imagines in baptisterio collocatas a Severo fuisse docet sanctus Paulinus episcopus in epistola 12 ad ipsum scripta. Statuam Christi Domini, quæ a muliere sanguinis profluvio liberata erecta fuerat, a gentilibus mutilatam, fideles in diaconicum seu secretarium basilicæ intulerunt, competentem ei curam atque observantiam deferentes. Philostorgius auctor in Historiæ lib. VII, de Iconibus sacris in porticibus et in laquearibus depictis aut affixis; testis est idem Paulinus in prælaudata epistola; testis item venerabilis Beda in lib. I de Vita Biscopi abbatis sui, ubi ait Biscopum Roma detulisse « picturas imaginum sanctarum, quas ad ornandam ecclesiam Beati Petri apostoli construxerat, imaginem videlicet beatæ Dei genitricis Mariæ, simul duodecim apostolorum; quibus mediam ejusdem ecclesiæ testudinem, ducto a pariete ad parietem tabulato, præcingeret. » Si autem reliquiaria (quæ vocamus) imaginum loco censeantur, hæc recondebantur eo tempore subtus aut intra ipsum altare; cujus rei argumenta retuli in præfatione sæculi secundi. Ergo ut ad sensum canonis revertar, eum prohibent Patres ne Eucharistia « in imaginario ordine » ponatur, eorum sententia esse videtur, ut ne in baptisteriis, aut in secretariis, aut denique sub altari, prout nonnullis in locis fieri consueverat, cum imaginibus sacris asservaretur. Quæ pars negans est canonis prædicti.

Eucharistiam siquidem aliquando in secretariis servatam fuisse colligi potest ex Gregorio Turonensi episcopo in lib. I de Gloria martyrum, cap. 86, ubi diaconus quidam impurus, adventante sacrificii tempore, « acceptam turrem, in qua ministerium Dominici corporis habebatur, » tulisse dicitur « ad ostium, » quo scilicet ex secretario in interiorem basilicam, seu ad locum altaris aditus erat, « ingressusque templum ut eam altari superponeret, elapsa de manu ejus, ferebatur in aera. » Quo enim ex loco « ministerium corporis Dominici » detulisse dici potest, nisi ex secretario? qui locus in exedra (destinam vocabant nonnulli) basilicæ exteriori innixa continebatur, ad dextram scilicet partem altaris, testante Paulino in præcitata epistola ad Severum, ubi loquitur « de secretariis duobus juxta apsidem » (locus altaris erat) utrinque positis; refertque versus indicantes « officia singulorum. » Et quidem « ad dextram » hi erant :

Hic locus est veneranda penus qua conditur, et qua
Promitur alma sacri pompa ministerii.

Ad sinistram erant libri sacri cum alio disticho, quanquam non immerito dubitari potest an his locis « ministerium corporis Dominici » pro Eucharistia sumi debeat, cum potius de sacra supellectile ad sacrificium deputata intelligendum videatur. Quod etiam dici potest de « turri » Felicis Bituricensis episcopi, quam laudat Fortunatus in lib. III, carmine 23. Dubitandi ratio petitur ex eodem Gregorio in lib. II de Gloria martyrum, cap. 8, cujus hic titulus : « De interitu eorum qui ministerium basilicæ exportaverunt. » Ubi « ministerii » nomine intelligit « patenam et urceum, qui anax dicitur, » inquit, quæ a nefariis quibusdam prædonibus sublata scribit. Et versus Fortunati de calice auro constante recte explicari possunt, cum ita canit in carmine de turre Felicis episcopi.

Qua bene juncta decent, sacrati ut corporis Agni
Margaritum ingens aurea dona ferant.
Cedant chrysolithis Salomonia vasa metallis,
Ipsa placere magis ars facit atque fides.

Denique in ms. Sacramentorum libro, qui in Bibliotheca Sancti Theodorici prope Remos asservatur, chrismal (quod corporale vocamus) « ministerium corporis Christi gerulum » appellatur in oratione, qua in usum sacrum benedicitur. Ex quibus dubitare licet, ut jam dixi, an Paulinus, Gregorius et Fortunatus in prædictis locis de Eucharistia loquantur. Non desunt tamen apud veteres qui Gregorii locum de Eucharistia explicent. In his est sanctus Odo abbas Cluniacensis in Collationum lib. II, cap. 32, ubi agit de infami illo diacono apud Gregorium memorato, « qui dum capsam cum corpore Domini deferret, de manibus elapsa est, et per aerem super altare reversa. » Ad hæc, in chrismali, quod « ministerium corporis Christi gerulum » superius dicitur, Eucharistia servabatur, ut colligo ex Glabri Rodulfi lib. V, cap. 1. Ibi enim agens de chrismali, « quod a quibusdam Corporalis appellatur, » ait multa per istud remedia præstari, « si fideles petentium exigat. Nam contra incendia, inquit, sæpius elevatum, aut exstinguendo compescuit, aut retrorsum pepulit, aut in partem alteram retorsit. » Tum

Digitized by Google

rem gestam refert in monasterio Reomaensi « tempore venerabilis Willelmi abbatis » sub initium videlicet sæculi XI, nempe cum « incendium circumjacentia monasterii » depopularetur, fratres ejusdem loci « accipientes chrismale conto impositum, » elevasse illud « contra incendii flammas dire flagrantes. Statim vero, inquit, idem ignis in sese retorqueus, minime amplius quam invaserat arripere valuit. » Tum subdit id quod ad propositum nostrum facit. « Panis tamen ille Dominicus aura flante a contulo elapsus, plus minus duobus milliariis avolavit usque ad villam cui Tivalgas vocabulum est, ibique super domum cujusdam veniens sedit. Quo prosecutus, ad monasterium dignanter est delatus. » Hinc patet Eucharistiam in chrismali seu corporali illo (quod ad « sinistrum cornu altaris semper jacere, ut ad manum possit esse contra periculum ignis, » tradit Udalricus in Consuetudinum Cluniacensium lib. II, cap. 30) aliquibus saltem in locis Eucharistiam repositam fuisse. Quare nihil vetat quin, « ministerii Dominici corporis » nomine, intelligamus supellectilem et vasa sacra, in quibus etiam Eucharistia servabatur, vel in secretario, vel in baptisterio, vel super altare « sub titulo crucis. »

Non tamen prætermittenda est alia hujus canonis lectio, ubi pro « in imaginario ordine » scribitur, « in armario, vel in imaginario ordine. Armarium » glossematis vice additum existimo, non ad designanda tabernacula nostra recentiora, sed ad explicandum « imaginarium ordinem. » Nam imagines ad parietes altaribus adjacentes appendi et depingi solebant, ibique ad latus Evangelii seu ad aquilonarem partem habebantur quibusdam in locis armaria, in quibus sanctissimum sacramentum recondebatur. Et quidem mos iste hactenus perseverat in quibusdam ecclesiis, puta Romæ in ecclesia Sanctæ Crucis in Hierusalem, in Gallicanis nonnullis, ut Paronæ in parochiali ecclesia Sancti Joannis Baptistæ, et ante annos decem in basilica Furseana, atque in Belgicis plerisque. Hunc usum abrogare videtur canon Turonensis, definientibus Patribus, ut Eucharistia super altare componeretur « sub titulo crucis. »

Hæc est alia difficultas quæ modo examinanda est, quo pacto scilicet sæpe dictus canon præcipiat ut « Eucharistia in altari sub titulo crucis componatur. » Titulus crucis significat crucem ipsam quæ super altare pendere solebat, testante Gregorio jam laudato in lib. II de miraculis sancti Juliani, cap. 43 : « Pendebat, inquit, super ipsum altare crux holochrysa eleganti opere facta. » At quo in loco, quove modo crux super altare penderet, adhuc obscurum est. Quocirca operæ pretium est scire apud antiquos morem fuisse ut super altaria sancta erigerentur ciboria, seu turriculæ, quatuor minimum columnis innixæ, quæ transversis in medium lineis adunatæ sustinebant crucem altaris medio respondentem ; ex qua pendebat Eucharistia sacra, vasculis seu columbis argenteis aureisve inclusa, nonnunquam etiam lapillis, quem certe modum præscribere videtur concilium Turonense. Non tamen recedit a mente concilii mos hactenus usitatus in nonnullis ecclesiis, in quibus e stipite crucis super altare in altum defixæ producitur instrumentum ad medium altaris porrectum et incurvatum, ex quo divina Eucharistia in vasculo pendet.

Hæc sunt quæ pro intelligentia prædicti canonis mihi venerunt in mentem, nescio an studiosis nonnihil profutura quæ dicta sunt occasione hostiarum, quas exhibent veteres monetæ.

Explicatur canon 6 *concilii* XVI *Toletani.*

Aliud argumentum pro veteri usu azymorum apud Latinos inde sumitur quod antiqui Patres Ecclesiæ Latinæ utebantur pane studiose confecto, candico supra communem, rotundo ac tenui, non spisso neque denso. Quæ omnes simul conditiones azymo pani magis quadrant quam fermentato, qui inflatus ac densus esse solet. Porro has omnes eucharistici panis circumstantias exigit concilii XVI Toletani canon sextus, in quo Patres, reprehensis sacerdotibus nonnullis qui panem « usibus suis præparatum » in sacrificium adhibebant, decernunt « panem non nisi integrum et nitidum, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modicam tantum oblatam » pro veteri consuetudine offerendam esse. Si ergo probare potuero canonem istum non de fermentato, ut Jacobo Sirmundo visum est, sed de azymo pane intelligi oportere, nemo non concedet sæculo septimo, quo desinente habitum est concilium, eam fuisse Hispaniensium episcoporum persuasionem, Latinam Ecclesiam nunquam alium panem quam azymum in rem sacram admisisse.

Age vero jam videamus an de alio pane quam de azymo possit explicari canon iste, quem integrum hic præmittere juvat. « Ad conventus nostri agnitionem delatum est quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam sacerdotum non panes mundos et studio præparatos supra mensam Domini in sacrificio offerant, sed de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare cum vino et aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacræ auctoritatis historia gestum perpenditur. Unde id unanimitatis nostræ delegit conventus ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer et nitidus, qui ex studio fuerit præparatus : neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod ecclesiastica consuetudo retentat. »

Omnia præjudicia exigere videntur, ut canon iste explicetur de pane infermentato. Primo quod veteres Mozarabes seu Gothi in Hispaniis cum Arabibus degentes (quod etiam de superioribus Gothis ejusdem regni incolis dicendum), ab antiquo azymis in sacrificio utebantur. Deinde quod centum annis post concilium Toletanum cum aliis Latinis in

Digitized by Google

azymo conveniebant, ut postea demonstrabo. Præterea quod ex opusculo Eldefonsi episcopi perfectum sit, eumdem usum anno 845 viguisse apud Hispanos.

At non minus favent verba ipsa concilii. In primis siquidem panis eucharisticus, ut patet, alius tum ab eo esse debebat qui usibus mensæ communis paratus erat, alius, inquam, ab usitato. Qua igitur ratione Sirmundus infert ex Ambrosio, qui panem eucharisticum *usitatum* vocat, eum fuisse fermentatum eadem quoque ego infero Patres Toletanos censuisse panem sacrum alium esse oportere ab usitato, id est a fermentato. Expendenda sunt Sirmundi verba, qui relato Ambrosii testimonio ex lib. IV, de Sacramentis cap. 4, ubi dicitur : « Tu forte dicis : Meus panis est usitatus, etc., » hæc subinfert : «Nempe qui usitatum mensisque quotidianis usurpatum panem dicit, azimum haud dubium non significat. » Ergo, ex Sirmundi mente, qui usitatum mensisque quotidianis usurpatum panem a sacrificio excludunt ac removent Patres Toletani azymum haud dubie significant.

Neque hæc argumentatio in me regeri potest, qui in eo Ambrosii loco usitatum panem non pro fermentato usurpatum contendo. Nam si constaret eo in loco agi de duplici pane materiali, uno usitato, altero minus communi, usitatum panem azimo opponi ultro concederem. At vero hic usitatus panis non pani minus usitato, sed pani consecrato, id est corpori Christi opponitur, ac proinde non valet comparatio in sententia mea; valet autem in sententia Sirmundi hunc in locum, et in mea pro canone concilii Toletani, cum utrubique panis usitatus azymo opponi concedatur.

Secundo Patres Toletani arguunt sacerdotes illos Hispanicos quod « non panes mundos » offerrent, tum præcipiunt ut « panis nitidus » offeratur. Panis mundus, prout opponitur usitato, alius intelligi non potest quam panis expers fermenti, quod corruptionis effectum ac symbolum est. Recte hunc in locum Humbertus cardinalis in responsione ad Michaelem Cerularium : « Sicut sententia vulgi exstat, fermenti origo sit, cum aut spuma multi seu fæx cujusdam rusticæ potionis, quæ apud Gallos cervisia dicitur; vel certe jus elixati hordei aut ciceris, sive lac ficulneæ vel pecorum corruptum, injicitur conspersæ farinæ. Cum ergo spuma, fæx, elixatum leguminum et lac ficus vel pecorum corruptum apud homines computentur inter sordida, constat fermentum sordibus non carere per omnia. Massa autem cuicunque fermentum injicitur necesse est corrumpatur, sicut ait sapientissimus Paulus : « Modicum fermentum totam massam corrumpit (*Gal.* v, 9). » Eodem tendit Algerus in lib II de Sacramento cap. 10. Cum ergo Patres Toletani ad sacrificium exigunt panem « mundum ac nitidum, » (quod idem hoc loco forsan esse videbitur) secretum volunt ab omni sorde et fermento corruptionis.

Si tamen « nitidi » panis intelligi putes hoc loco A panem candidum præ communi, non repugno, nam et hoc potius azymo convenit quam fermentato. Udalricus in lib. III Consuetudinum Cluniacensium, cap. 13, agens de confectione hostiarum secundum morem monasterii sui : « Conspergunt, inquit, cum aqua frigida, quia inde fiunt hostiæ candidiores, qui ritus servari non potest in pane fermentato, ad cujus confectionem aqua calida necessaria est. Panis ejusmodi nitidi meminit Beda Historiæ lib. II, cap. 5. Nam Seberti Christiani regis orientalium Saxonum filii tres idololatræ, cum viderent pontificem Mellitum celebratis in Ecclesia Missarum solemniis Eucharistiam populo dare, dicebant ad eum barbara inflati superbia : « Quare non et nobis porrigis panem nitidum, quem et patri nostro Saba dabas?» Ubi pa- B nem nitidum eum vocant qui præter morem candidus erat. Non tamen eo spectat oratio mea, quasi probare velim hoc nomine ubique intelligi panem infermentatum. Certe fermentatum eo vocabulo designatum lego in Annalibus Fuldensibus ad annum 870. Verum cum Toletani Patres « nitidum » panem opponant usitato, intelligendi sunt de pane azymo, qui fermentato seu usitato longe candidior est.

Tertio præcipiunt Patres ut panis sacrificii sit « studio præparatus. » Theodulfus Aurelianensis episcopus in Capitularis art. 5 : « Panes, inquit, quos Deo in sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut a vestris pueris coram vobis nitide ac studiose fiant. » Qua religione formarentur panes ad usum C sacrificii apud monachos Cluniacenses, docet Udalricus in lib. III, cap. 13. Siquidem « frumentum granatim electum » magna cum reverentia a monacho albis induto ad farinarium delatum molebatur. Tum cribrata simili ritu farina, « cum aqua frigida » conspergebatur. Deinde ferramentum in quo coquendæ erant hostiæ tenebat conversus, manus chirotecis indutas habens. Longe ante Cluniacenses, hostiæ « cum laude psalmodiæ » formabantur apud Andaginenses seu cœnobii sancti Hucberti in Arduenna monachos, uti legitur in libro de Miraculis sancti Hucberti Tungrensis episcopi cap. 8, ubi monachi « panes suis manibus cum laude psalmodiæ formatos accumbenti » Odoni comiti anno 841 obtulisse perhibentur. Erant hæ eulogiæ seu hostiæ be- D nedictæ, quæ singulis diebus ante communes cibos monachis non communicatis in refectorio præbebantur, ut patet tum ex libello supplici, quem monachi Fuldenses Carolo Magno porrexerunt, in quo eulogiarum perceptionem vocant « communicationem fracti panis; » tum ex synodo Aquisgranensi anni 817, tum ex Udalrico in lib. II, cap. 30. Quippe eulogiæ, seu panis benedictus, ex eodem tunc pane fiebant quo materia sacrificii, nempe ex reliquis hostiis non consecratis, quas monachi ad missam offerebant omnes.

Id genus oblatæ, seu *obliæ*, non raro etiam fiebant ad usum communem testante Udalrico in lib. I, cap. 40, ubi ait : « In Quinquagesima solere apponi

Digitized by Google

ea quæ in ferramento characterato de conspersione farinæ tenuissimæ fiunt, et ab hominibus Romanæ linguæ, Nebulæ a nostratibus, inquit, appellantur Oblatæ. » Idem attestatur Burchardus monachus in libro de Casibus monasterii Sancti Galli, agens de Nortperto abbate, qui « in hebdomada paschali, in meridie vinum et oblatas dari constituit. » De hujusmodi oblatis intelligenda videtur Eginhardi epistola 52, qua Vicédomino aliisque fidelibus suis præcipit, « ut eulogias præparari faciant secundum consuetudinem, sicut solet homo ad opus Dominici facere, tam ad opus domni Ludovici quam N. conjugis ejus. » Ex quo apparet oblias ejusmodi eodem modo formatas fuisse quam panem ad usum sacrificii Dominici confectum. Ac proinde tempore Eginhardi, qui regnantibus Carolo Magno ejusque filio Ludovico vixit, hostias intra ferrum characteratum confectas atque infermentatas fuisse.

Itaque ut ad id unde digressus sum me referam longe ante Cluniacenses studiose id est piis quibusdam ritibus hostiæ conficiebantur, non solum apud monachos, sed etiam apud clericos, ut præcipit Theodulfus episcopus jam laudatus, qui hanc curam presbyteris aut ipsorum pueris seu ministris imponit. Idem suo tempore factum probat Humbertus in epistola ad Michaelem Cerularium his verbis : « Romana et Occidentalis Ecclesia a ministris sacri altaris » (id est ut alibi dicit, « a diaconis cum subdiaconis ipsisque sacerdotibus, sacris amictis vestibus) in secretario offert azymum, quod ex grano frumenti et limpida lympha fuerit præparatum. » Neque tamen ita hæc cura presbyteris et ministris sacris competebat quin aliquando matronæ piæ seu devotæ quas sanctimoniales vocabant, id officii in se susciperent, etiam eo tempore quo hostias infermentatas fuisse constat. Nam in lib. II de Miraculis sancti Wandregesili abbatis, cap. ultimo, legitur quamdam sanctimonialem seu devotam feminam, quæ meritis sancti viri anno 891 sanata fuerat, « oblatas quas oblatura Domino in crastinum erat formasse; » tum accessisse ad ignem, « et ferrum quo imprimendæ ac decoquendæ erant oblatæ » (oblatorium vocat ferrum istud auctor ejus temporis) arripuisse. Eadem religione sancta Radegundis regina sæculo sexto (quod etiam patet de matrona quadam Romana in Vita Gregorii Magni) jam facta « sanctimonialis, more sancti Germani in Quadragesima » frumentum sua manu commolebat, et exinde « oblationes suis manibus faciens, locis venerabilibus incessanter dispensabat, teste Venantio Fortunato in ipsius Vita. Germanus iste Parisiensis erat episcopus qui proinde etiam ejusmodi operam, molendi scilicet frumentum ad panem sacrificii componendum non refugiebat. Ex quibus apparet quanta fuerit apud veteres Latinos religio in parando eucharistico pane. Non sic apud Græcos, quibus Humbertus in prædicta epistola suam ipsorum hac in re incuriam exprobrat in hunc modum. « Vos aliquando pretio fermentatum a quocunque viro seu femina habetis, in tantum ut nonnunquam ab ipsis publicis negotiatorum tabernis emptum panem ad Dominicam mensam transferatis, quem tractatum illotis et sordidis manibus negare non potestis. » Hinc conficitur azymo pani maxime proprium esse ut sit « studio præparatus. »

Ne quis vero eamdem pene religionem in præparando fermentato pane facile servari posse dicat, idque postulare Patres Toletanos, occurrit id quod quarto loco in eorum decreto animadvertendum est, nempe quod « panem integrum, non tamen grande aliquid, sed modicam tantum oblatam » offerri volunt. His enim verbis omnino designant oblatas exiles ac tenues, quales in ferris characteratis componi solent. Nec vacat quod « integrum panem, » non tamen grande aliquid, sed modicam tantum oblatam exigunt. Ita enim declarant mentem suam non esse ut modica illa ac tenuis oblata ex crasso pane decerperetur, sed ut sit integer panis; quod sane fermentato pani convenire non potest. Etenim qui fermento constat, non adeo tenuis ac gracilis confici solet, sed crassus ac densus; alias frustra fermentum adhiberetur, quod non nisi ad inflandam et subigendam massam commiscetur. Certe Humbertus ex eo quod Hierosolymitani non nisi « tenues oblatas integras et sanas » offerebant, non eo ex solito pane lanceola pro Græcorum more detractas, eas fuisse azymas probat in responsione ad Michaelem Denique concilium Coiacense, quod anno 1088 celebratum est, panem azymum non aliis verbis definit c. p. 3 quam istis : « Hostia sit ex frumento sana et integra. » Nemo non videt definitionem Patrum Toletanorum signantius omnino designare panem azymum omnibus illis conditionibus, quas superius explicavi, nempe ut panis alius sit quam qui « usibus » mensæ communis « præparatus est, ut sit mundus ac nitidus, studio præparatus; panis, inquam, integer, non tamen grande aliquid, sed modica tantum oblata. » Quæ sane descriptio longe accuratior est ad designandum panem infermentatum quam illa concilii Coiacensis, cujus tamen decreto azymum panem significari constat cum celebratum sit concilium istud post schisma Michaelis Cerularii.

Et tamen hunc canonem concilii Toletani, quem azymo tam signanter convenire ostendi, ad fermentatum panem trahit Sirmundus his verbis : « Quid hoc tandem est quod concilii hujus antistites in his sacerdotibus reprehendunt? An quod azymum panem non consecrarent? Minime gentium. Atqui hoc ante omnia redargui oportuit, si azyma requirebantur, quia panes ipsorum usibus præparati quos immolabant, azymi non erant, sed fermentati. Quo ergo nomine reprehenduntur? quia panes hi quibus utebantur, nitidi non erant nec studio in eam rem parati, quod consuetudo poscebat. Porro cum æra 731, hoc est anno Christi 693 celebratum hoc concilium titulus doceat; quis hinc confici non videt

Digitized by Google

Latinam Ecclesiam ad id saltem usque tempus azymis abstinuisse? »

Hoc Achilleum est Sirmundi argumentum, ex quo si conficitur id quod intendit, eadem ego quoque ratione conficiam initio sæculi XII etiam Latinos, saltem in Gallia, azymis abstinuisse. Hoc argumentum deduco ex epistola 44 Hildeberti Cenomanensis episcopi ad Andegavensem, in qua scribit se ad prædictum episcopum remittere sacerdotem latorem epistolæ, qui « dum sacris altaribus ministraturus in hoc præparatum panem non invenerat, de communi pane obtulerat sacrificium. Qua in re, » inquit Hildebertus, « licet potius consuetudo quam fides impugnetur, nos tamen nonnullam in eo culpam attendimus, arbitrantes gravius puniendum esse ecclesiæ scandalum quam delictum. » Quid hoc tandem est, ut Sirmundi verbis utar, quod Hildebertus in hoc sacerdote reprehendit? An quod azymum panem non consecrasset? minime gentium. Quo ergo nomine eum reprehendit? nempe quod non « de pane ad hoc præparato, » sed « de communi » sacrificium obtulerat, eum ad modum quo Patres Toletani reprehendunt sacerdotes Hispanicos, quod de « panibus » non « studio præparatis, nitidis ac mundis, » sed de « panibus suis usibus præparatis » oblationem facerent. Concedat ergo Sirmundus necesse est aut canonem concilii Toletani de pane azymo interpretandum esse, sicut epistolam Hildeberti, aut si prædictum canonem de fermentato pane explicare pergat, consequens est ratio ut etiam Hildeberti epistolam de fermento intelligendam esse fateatur. Quod cum neque Sirmundus ipse, nec quivis alius fateri possit, neque etiam ex concilii Toletani verbis conficitur, fermentatum panem in usu tum fuisse, sed potius azymum. Hactenus de canone Toletano.

Postremo panis sacrificio deputatus, quem integrum esse oportebat, in modum coronæ compositus erat; non decerpto frusto per modum corollæ, ut apud Græcos; sed facta integra oblata, quæ rotunda erat. Quæ circumstantia si cum prædictis omnibus simul comparetur, oblatarum nostrarum recentiorum formam pene ob oculos repræsentat. Atqui Gregorius Magnus loquendo de pane sacrificii, « oblationum coronas » vocat in libro IV Dialogorum cap. 55. Et Iso Sancti Gallensis monachus in lib. I, De miraculis sancti Othmari cap. 3, agens de elevatione corporis ejusdem sancti, quæ anno 844 facta est post annos centum et quinque ab ejus obitu : « Sub capite, inquit, et circa pectus viri Dei quædam panis rotulæ quæ vulgo oblatæ dicuntur, ita illæsæ atque ab omni corruptione extraneæ ab eodem episcopo inveniebantur ut in nulla omnino parte colorem vel speciem sui amittentes, aspicientium oculis infra spatium ipsius hebdomadæ viderentur esse confectæ. Quo vero ordine, quove tempore eo loci pervenerint, nobis quidem incognitum, Deo autem manifestum. Hoc tamen omnes pro certo scimus quod per triginta quinque annos nullus mortalium ejus sepulcrum aperuit, antequam præsens episcopus ministerii sui fretus auctoritate, ejusdem congregationis fratribus hoc faciendum injunxit. Idem tamen episcopus, venerabiliter eas assumens, sacro corpori apposuit, ipsumque corpus cum summa cautela obvolutum in lectica honorifice commendavit. » Hunc locum fusius retuli, tum quia insignis est in præsentem materiam, tum ut haberem occasionem observandi id quod Iso ignorasse videtur, nempe morem fuisse aliquando ut cum defuncti sacerdotis corpore oblatæ una cum aliis nonnunquam instrumentis vestibusque sacerdotalibus tumulo componerentur. Id colligo ex anonymo quodam æquali in lib. IV De Vita S. Cuthberti Lindisfarnensis episcopi; cujus anonymi hæc verba sunt in libro IV : « A navigantibus in insulam nostram delatus, toto corpore lavato, capite sudario circumdato, *oblatis super sanctum pectus positis*, vestimenta sacerdotalia indutus, in obviam Christi calceamentis suis præparatis, in sindone cerata curatus; animam habens cum Christo gaudentem, corpus incorruptibile, requiescens et quasi dormiens in sepulcro lapideo honorabiliter in basilica deposuerunt. » Hæc apposite anonymus, cujus verba hic relata, Venerabili Bedæ perperam tribuit Amalarius; quæ maxime illustrant superiorem Isonis locum. Ad hæc Iso agens de alia sancti Othmari translatione post triennium facta, hæc de iisdem oblatis scribit in lib. II, cap. 1 : « Illas quoque oblatas, quas narratione superiori in ejus tumulo retulimus fuisse repertas, eatenus incorruptas atque omnimodis illæsas perdurasse miratur, et quasdam ex eis involutas sacro itidem corpori superposuit; alias vero pyxide recondens, superventuris temporibus pro sanctitatis ejus testimonio conservari præcepit. » Ex his duobus Isonis locis, ut ex Gregorio Magno et ex canone 6 sæpe dicti concilii Toletani intelligimus, tenues ac rotundas «rotularum» in morem fuisse oblatas ante annos mille, adeo ut forsan non satis considerate ordinis Romani expositor vetus apud Cassandrum plus æquo invehatur in formam oblatarum tenuissimarum quæ suo tempore ad imaginem nummorum redactæ erant, quas per contemptum « minutias nummulariorum oblatarum » appellat, «indignas panis vocabulo » pro sua tenuitate, et a prisca Ecclesiæ consuetudine maxime diversas. Crediderim certe priscas oblationes non tam fuisse tenues quam nostras recentiores, sed paulo crassiores instar nebularum, quas Udalricus ait ad usum communem fieri solitas; tametsi æque ac nostræ intra ferrum characteratum coquebantur, ut in præmonitu ad opusculum Eldefonsi fusius explicabo. Quidquid sit; ex iis quæ toto hoc capite disputavi, non obscure (si non fallor) conficitur, ante annos mille azymum in Ecclesia Latina usitatum, eamque persuasionem fuisse Patrum Toletanorum, nunquam et nusquam apud Latinos contrarium usum exstitisse.

At, inquis, hæc conjecturæ sunt. Nego meras esse conjecturas. Nam meo quidem judicio synodi

Digitized by Google

Toletanæ Patres non potuerunt apertius ob oculos ponere azymum panem quam describendo eo modo quem supra exposui. Et sint sane meræ quas attuli conjecturæ; quid amplius quam conjecturæ pro fermentato afferuntur? Atqui conjecturæ, et si utrubique sint æquales, longe tamen præstant in azymorum causa; quorum certe usus antiquus est, et initium post conditam Ecclesiam demonstrari non potest. Et sufficit ad probandam usitatæ rei antiquitatem refutare argumenta quæ proponuntur in contrarium. At vero ad probandum fermenti usum apud Latinos, non sufficiunt conjecturæ, sed vera, manifesta ac necessaria argumenta proferenda sunt. Denique si ea quæ hactenus dixi, ad probandum id quod intendo non sufficiunt, evincent, ut spero, quæ sequenti capite adducam.

CAPUT IX.

Morem hunc generali usu apud Latinos viguisse ante Photii dissidium.

Ad demonstrandum azymorum generalem usum apud Latinos, nemo est qui exigere velit ut singulas recenseamus Latinorum Ecclesias; sed satis esse puto, si vel id probetur de qualibet regione, vel talia proferantur argumenta, quæ id universim demonstrent. Utroque modo hoc in capite rem conficere conabor.

Principio Alcuini auctoritas non solum pro Britannia insula in qua natus est, atque pro Gallia in qua moratus, sed pro Romana, imo universali Ecclesia valet plurimum ad probandum azymorum usum universim suo tempore fuisse receptum ante omnem hominum memoriam. Locus est in epistola 69, editionis Chesnianæ, ubi Alcuinus, quem initio sæculi IX obiisse constat, Hispanos quosdam arguit censentes miscendum esse salem « in sacrificium, » id est in materiam panis eucharistici. « Quam consuetudinem, inquit, nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas. » Tum singillatim enumerat ea quæ in sacrificium adhibere licet. « Tria sunt, inquit, quæ in sacrificio offerenda sunt, panis, et aqua, et vinum. » Qualis panis? « Panis, ait, qui in corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus. » Atqui fermentatus panis non est absque fermento « ullius alterius infectionis, non est mundissimus; » nam fermentum corruptionis effectum ac symbolum est, ut jam dixi. At quibus tandem rebus constare debet panis iste? « Ex aqua et farina, inquit, panis sit qui consecratur in corpus Christi. » Jam aliquot Patrum loca retuli quæ idem ferunt. At illud inter eos et Alcuinum discriminis interest quod Patres illi de pane eucharistico loquuntur ad componendos fidelium mores; Alcuinus vero agit hoc loco adversus corruptores panis sacri qui res alienas in materiam sacrificii admiscebant. Erat proinde ejus muneris accurate tradere modum et partes panis conficiendi. Cum ergo panem duabus tantum partibus constare dicat, « aqua » scilicet et « farina, » abeoque removeat « omne fermentum ullius alterius infectionis, » cum fermenti expertem fuisse tunc temporis fateri necesse est

Dices fermentum panis genus esse satisque expressum aquæ et farinæ nomine, quibus utique constat Concedo fermentum constare farina; at constat. etiam aliena specie, quæ fermenti propria est, nempe ut ait Humbertus, aut spuma musti, aut cervisiæ fœce, aut lacte corrupto; quæ species ab Alcuino commemoranda erat, si tum in usu fuisset. Ad hæc, si aliqua ex his speciebus panis ille tum constitisset, non potuisset dici « absque omni fermento ullius alterius infectionis mundissimus, » qualem exigit Alcuinus. Denique illud proprium est panis azymi, ut expers salis sit, at panis fermentati sacrificio deputari, ut cum sale. « Azymæ (oblationes), » inquit Michael Cerularius in epistola contra Latinos, « neque sal neque fermentum habent. » Quod etiam Humbertus et Latini omnes in epistola Nicetæ Pectorati fatentur. At vero fermentatus panis Græcorum, teste Humberto in responsione ad Michaelem, uti fatentur ipsi Græci, « quinque substantiarum particeps est, id est fermenti, farinæ, salis, aquæ et ignis. » Certe Græci tam severe ac ridige salis commistionem in pane eucharistico exigunt ut secus facientes diris supponant. Id patet tum ex formula renuntiationis, quam profitentur Armenii ad Græcorum societatem reversuri, tum ex Isaaco catholico in invectiva contra Armenios. Neque dubitem quin Hispani illi quos arguit Alcuinus salis miscendi commentum ex Græcis acceperint. Quod etiam dicendum de Sacerdotibus illis qui panes suis usibus præparatos offerebant; quos Patres Toletani reprehendunt.

Atque ut amplius constet Alcuinum eo loci exigere azymum panem, demonstrandum est etiam tum Hispanos azymum adhibuisse. Qua ergo de causa eos arguit Alcuinus? Nempe quod aliqui eorum salem in ipsum panem azymum immittebant. At quo, inquis, argumento constat azymorum usus apud Hispanos ante schisma Photianum? Certe Eldefonsi Hispanici episcopi testimonio qui anno 845 de ponderе et inscriptione panis eucharistici ex divina (ut præfert) revelatione agens, admittit eum infermentatum et intra ferrum coctum fuisse. Libellus iste quem, suggerente V. cl. Emerico Bigotio, inlicaveram in Observationibus meis, e ms. codice bibliothecæ Vaticanæ exscribi curavit, mihique transmisit eminentissimus cardinalis Bona, qui nihil prætermisit quo panis azymi in Ecclesia Latina antiquitas illustraretur. Libellus iste in apographo quod quingentorum annorum esse videtur, hunc habet titulum: « Revelatio quæ ostensa est venerabili viro Hispaniensi Eldefonso episcopo in Spiritu sancto, in mense septimo. » Tum incipit. « Anno octingentesimo quadragesimo quinto incarnationis Domini nostri Jesu Christi, calculus iste, id est mensura trium digitorum anguli, in rotundum panis azymi sic composita est. » Et sub finem: « In uno nempe ferro, tamen magno, possunt quinque simul

Digitized by Google

hostiæ formari tali modo ut major sit media. » Auctor iste etsi in re non necessaria revelationes adhibeat, tamen ejus temporis est quod præfert inscriptio, ut postea dicam in præmonitione ad editionem ejus opusculi, quod huic libello subjicere visum est. Tota vero ejus revelatio eo spectat, non ut azymum panem esse oportere, aut coquendum esse intra ferrum definiat, sed ut pondus, inscriptiones et numerum hostiarum, quæ in qualibet festivitate offerendæ erant, majori cum auctoritate præcipiat. Erat igitur, ut ex hoc auctore manifestum est, apud Hispanos usitatus panis infermentatus sæculo nono, isque intra ferrum coquebatur. Hinc etiam patet Alcuinum in præcitata epistola loqui de pane azymo, a quo salem removere jubet, eumque tum fuisse morem Romanæ et universalis Ecclesiæ.

Et certe Mozarabes, id est Hispani et Africani Arabibus permisti (quod etiam dicendum de Gothis antiquioribus in Hispania degentibus), tametsi ritus peculiares habebant, nihilominus « constituebant sacramentum altaris de pane azymo, quemadmodum alii Latini, » ut Jacobus a Vitriaco tradit in Historiæ Occidentalis cap. 81, ubi hunc ritum apud ipsos catenus perseverasse dicit. Qui auctor tametsi sæculo duntaxat XIII vixerit, ejus tamen auctoritas hac in re spernenda non est, maxime cum Eldefonsi testimonio aliisque fulciatur. Cum enim Mozarabes Hispani ritibus suis ita semper additi fuerint ut cum sæculo XI, agente per legatos Gregorio papa VII, favente Aldefonso rege, officium suum ecclesiasticum Gallicano Romanove mutare compellerentur, non consenserint, nisi res duello dirimeretur, testante Ruderico Toletano, credere par est azymorum hunc usum ab auctoribus rituum Mozarabicorum descendisse, eumdemque apud Gothos viguisse ante adventum Arabum seu Maurorum in Hispaniam; unde et Gothicum officium dictum est.

Horum auctorem rituum Isidorum Hispalensem episcopum præferunt editi libri, asseruntque fere Hispanici scriptores recentiores, quibus suffragatur Guitmundus in lib. III adversus Berengarium. « In quodam Missali Hispano, inquit, quod dicunt sanctum dictasse Isidorum, etc., » et longe ante Guitmundum Elipandus Toletanus episcopus in epistola ad Albinum seu Alcuinum, quamdam orationem, in vigilia Paschæ cani solitam, beato Isidoro tribuit. Verum idem Elipandus in superioribus Toletanos sanctos Patres agnoscit missarum Mozarabicarum auctores. Qui sint illi Patres Toletani, explicant Hispaniarum episcopi, aut forte Elipandus ipse in libello quem confutant Patres concilii Francofurtensis, in hæc verba: « Item prædecessores nostri Eugenius, Hildefonsus, Julianus, Toletanæ sedis antistites, in suis dogmatibus ita dixerunt in missa de Cœna Domini, » etc. Ex quibus intelligitur non unum, sed plures, horum rituum et officiorum conditores: et quidem Isidorum amplificatorem fuisse. Porro si Bracarensis metropolis eosdem ritus servabat atque Toletana, ritus isti non quidem omnes, sed plerique a Romana Ecclesia profecti erant, quos scilicet Profuturus Bracarensis antistes Ecclesiæ suæ præscripserat, testante concilio primo Bracarensi, quod anno 563 celebratum est, in canone 4: « Item placuit ut eodem ordine missæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus, quondam hujus metropolitanæ Ecclesiæ episcopus, ab ipsa apostolicæ sedis auctoritate suscepit scriptum. » Hæc obiter de ritu Mozarabum, quos azymo pane ante sæculum nonum usos fuisse hactenus ostendi.

Idem etiam de Britannia insula patet, tum ex Alcuini epistola jam relata, qui hunc morem universalis Ecclesiæ suo tempore fuisse dicit, tum ex libello de Miraculis sancti Wandregesili, cap. ultimo, superius jam delibato, ubi agitur de quadam femina transmarina, id est Anglicana, quæ a sancto Wandregesilo sanata, cum in vigilia Nativitatis Domini sodales suas sanctimoniales feminas rogitaret, « ut oblatas quas oblatura Domino in crastinum erat formarent, ignique, cui appropinquare non audebat, decoquerent, et minime impetraret; accessit ad ignem, ferroque quo imprimendæ ac decoquendæ erant oblatæ arrepto, mox nervi ejus manus dextræ contracti sunt; ac oblatorium quod sponte susceperat, invita vi agente divina, retinuit. » Id contigit anno 891. Ex his patet oblatas tum coctas fuisse intra oblatorium seu ferramentum characteratum (sic illud vocat Udalricus in lib. III, cap. 13), ac proinde fermenti expertes fuisse. Neque enim unquam fermentum adhibetur in panibus illis qui hoc modo formantur. Et quidem hic mos usitatus tum erat non solum in Gallia, ubi id factum est, sed etiam in partibus transmarinis seu Anglicanis, unde mulier hæc recens advenerat. De pane azymo intelligendus videtur Egbertus sæculo VIII Eboracensis episcopus, Alcuini præceptor, qui in Exceptionem suarum cap. 98 laudat probatque canonem quem vocat sanctorum in hæc verba: « Sacerdotes Dei diligenter procurent ut panis et vinum et aqua, sine quibus nequaquam missæ celebrantur, pura et munda fiant. » Ubi panis puri nomine azymum intelligi puto. Certe auctores canonum qui sub Eadgaro rege anno 967 (quo tempore azymorum usus vigebat) conditi sunt, non alio vocabulo panem azymum explicant canone 39: « Docemus etiam, ut ne vel unquam sacerdos adeo temerarius sit ut missam celebret, nisi omnia habeat ad Eucharistiam pertinentia, scilicet oblationem puram, vinum purum et aquam puram. » Hæc de Anglia.

Eamdem traditionem saltem pro Germania comprobat Rabanus Moguntinus archiepiscopus, Alcuini discipulus, qui biennio ante Photium intrusum, hoc est anno 846 e vivis excessit. Is enim in lib. I De ecclesiasticis officiis, cap. 31, declarat panem sacrificii azymum esse oportere. Namque relato Levitici loco qui panem veteris sacrificii sine fermento esse præcipit, et Christi exemplo, qui ejusmodi panem in cœna adhibuit, sic infert: « Ergo panem infermentatum et vinum aqua mistum in

Digitized by Google

sacramentum corporis et sanguinis Christi sanctificari oportet. » Ita Rhabanus in libris cum editis, tum manuscriptis, ut fidem faciunt exemplaria duo Bibliothecæ regis Christianissimi, quorum unum est annorum fere sexcentorum, alterum octingentorum. Porro hoc testimonio luculentius nullum in præsentem controversiam afferri potest. Duo sunt in præmisso testimonio, ratio scilicet et auctoritas. Ratione azymorum necessitate probare videtur Rhabanus; ejus vero auctoritas de ritu sui temporis testimonium reddit. Rhabani rationem nihil moror; una mihi sufficit auctoritas ex qua evidenter conficitur qualis eo tempore fuerit panis sacrificii, id est infermentatus.

Neque dici potest Rhabani testimonium valere solum pro Germania, in qua receptus erat eo tempore azymorum usus. Rhabanus siquidem in præfatione istius operis pollicetur acturum se « De officio missæ secundum morem Romanæ Ecclesiæ. » Et in lib. 1, cap. 33, relatis omnibus rei sacræ ritibus, postquam de azymorum usu egerat hæc subdit : « Istum ergo ordinem ab apostolis et apostolicis viris traditum Romana tenet Ecclesia, et per totum pene Occidentem omnes Ecclesiæ eamdem traditionem servant. » Ex quibus manifestum esse puto azymos non tantum in Germania, sed etiam « in Ecclesia Romana et per totum pene Occidentem » in usu fuisse anno 819, quod istud opus conditum est, neque recens fuisse inventum, sed id « ab apostolis et ab apostolicis viris » creditum permanasse.

Jam de azymorum usu ante sæculum nonum recepto, res constat de Hispania, Anglia, Germania et Romana Ecclesia spociatim et universim de toto pene Occidente; superest ut id etiam singularibus argumentis probem de Gallia, tametsi quæ superius tum ex Alcuino, tum ex facto mulieris Anglicanæ in Gallia constitutæ retuli ad id evincendum sufficiunt. Unum argumentum mihi suppeditat Paschasius Ratbertus abbas Corbeiensis, Rhabani æqualis. Is in libro De corpore et sanguine Domini, cap. 20, sacrificii partes explicat refertque ad componendos mores in hunc modum. « Hæc igitur conspersio de multis granis fecit unum corpus, corpus, inquam, sinceritatis et veritatis, si tamen sumus azymi, id est absque fermento malitiæ et nequitiæ, ut digne panem de hac aqua conspersum accipere possimus..... Idcirco, o homo, serva conspersionem gratiæ, quia licet triticum sis, nisi doctrina et virtute Spiritus sancti ad hanc unitatem et conspersionem fueris bene in farinam attenuatus; deinde conspersus gratia, et igne charitatis excoctus, non poteris ad soliditatem fidei firmari. » In his notandum primo est panem eucharisticum vocari « conspersionem, » et « panem aqua conspersum. » Deinde enumerando partes quibus panis iste constat, mentionem fieri tantum farinæ, aquæ et coctionis, excluso etiam fermento. Et certe vocabula, « conspersio et conspersum, » massam farinæ expertem fermenti significant. Testis est Haimo Halsbertadensis episcopus in caput v Epistolæ primæ ad Corinthios, cum scribit filios Israel egressos de Ægypto non detulisse Inde « fermentatam farinam, sed tantummodo conspersam. » Et Joannes Genuensis in catholico : « Conspersio est farina per aquam conglutinata sine fermento. » Denique ante hos duos Gregorius Turonensis episcopus in lib. 1 De gloria martyrum, cap. 16 : « Mulier conspersa Dominica die farina panem formavit, quem segregatis prunis cinere ferventi contexit decoquendum. » Id placentæ infermentatæ genus, quale a Latinis in sacrificium adhiberi falso calumniatus est Michael Cerularius.

Agmen claudet Amalarius, qui in lib. III De ecclesiasticis officiis, cap. 24, relato Cypriani loco, « ut in sacrificio missæ eadem quæ Dominus fecit, et ipsi faciamus, » hæc suddit : « Quamvis hoc ille de commistione vini et aquæ conclusisset, tamen de tota institutione Dominica intelligere possumus adimplendum : in quo suum mandatum est et apostolorum observatio. » Hæc sine dubio intellexit Amalarius non de tempore factæ cœnæ, non de cœna præmissa ante Eucharistiæ institutionem, non denique de esu agni, sed de pane sacrificii, quem ejusdem generis atque cum quo Christus usus in cœna est adhibendum esse censet, id est infermentatum.

Hæc argumenta quæ toto præsenti capite adduxi ad probandum generalem azymorum usum apud Latinos, omnes veritatis numeros habere mihi videntur; tum quia desumpta sunt ab auctoribus fide dignis, ut pote doctis et ejusdem ætatis; tum quia clara, perspicua atque necessaria videntur ad evincendum id quod intendo. Si vero ex his generalem apud Latinos azymorum usum ante schisma Photianum probari concedatur, concedi etiam necesse est eumdem usum tum creditum fuisse necessarium ab apostolis apostolicisve viris profectum; ac proinde receptum ante omnem hominum illius temporis memoriam. Præter ea si eadem fuit Patrum Toletanorum persuasio sæculo septimo desinente, fatendum est morem hunc aut ab ipsis, aut prope ab ipsis apostolorum temporibus ad ea tempora promanasse, nisi talia proferantur in contrarium argumenta quæ fermenti usum aliquando in Ecclesia Latina viguisse manifeste ac necessarie conficiant.

CAPUT X.

Expenduntur argumenta pro usu fermenti apud Latinos.

Primum ex eo sumitur quod Eucharistia primis atque etiam subsequentibus Ecclesiæ sæculis ex populi oblationibus consecrabatur apud Latinos. Nam certum videri populum non azymos panes, sed communes et usitatos, id est fermento de more temperatos, obtulisse.

At quid vetat fideles, ex præscripto Ecclesiæ et consuetudine docente, confecisse atque obtulisse panes infermentatos? Sane id factum posterioribus sæculis, quibus azymorum usus certo vigebat, pro-

Digitized by Google

bat exemplum illius feminæ Anglicanæ superius memoratæ, quæ in oblatorio seu ferramento characterato coquere voluit oblatas infermentatas, « quas oblatura Domino in crastinum erat. » Et Armoricanæ mulieres communicaturæ hactenus suam quæque oblatam azymam offerunt teste Sirmundo. Quod singulis diebus actitabant Cluniacenses ex Udalrico, lib. II, cap. 30. Priscum illum offerendi morem in solemnibus sacris hodie quoque repræsentat major Ecclesia Mediolanensis, quæ ritus peculiares hactenus retinet non minus antiquitate quam religiosa pompa insignes. In ea siquidem viri totidemque matronæ provectæ ætatis (Velones et Veglouissas appellant) ab archiepiscopo instituti, sacrificii materiam offerre solent hoc modo. Oblationis tempore instante procedunt Veglones duo aliis succedentibus, antiquo more induti, deferentes hostias tres et vasculum vini; quæ chorum ingressi sacerdoti, mysteria celebranti, offerunt. Idem præstant Veglonissæ item duæ cum veteri matronarum apparatu, aliis comitantibus, extra chori cancellos consistentes; ubi eamdem oblationem ab eis accipit sacerdos missam celebrans, aut certe archipresbyter, si pontifex sacris operetur. Hi decem viri totidemque matronæ totam civitatem repræsentant, et funguntur officio quod olim toti populo incumbebat, ut legitur in Cæremoniali Ambrosiano, quod Fredericus cardinalis Borromæus et Mediolanensis archiepiscopus ex antiquis ejus Ecclesiæ ritibus adornari curavit. Atqui ejusmodi hostiæ, quas ex vetusto ritu offerunt Mediolanenses, fermenti expertes sunt. Quidni ergo tam facile promptumque fuit antiquis Christianis offerre panes azymos, quos vel ipsi parassent, vel ab aliis paratos accepissent? Certe longe ante concilium XVI Toletanum panis sacrificii « studio præparatus » esse debebat, id est piis quibusdam ritibus et cæremoniis. Quidni ergo azymus confici poterat, si id modo poscebat mos et consuetudo Ecclesiæ, cum videamus id nostra ætate recte fieri ab operis pretio conductis?

Nec obstat quod Cyprianus in libro De opere et eleemosynis divitem feminam, quæ sacrificium, id est hostiam non obtulerat, graviter increpat his verbis : « Locuples et dives es, et Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis; quæ partem de sacrificio quod pauper obtulit sumis? » Hoc, inquam, nihil obstat; aut enim de oblatione quæ fiebat ad convivium institutum post Eucharistiæ perceptionem intelligendum est (agapas appellant), aut si de pane eucharistico, id magis pro pane studiose confecto seu azymo juvat quam pro communi ac fermentato. Nam si panis communis et usitatus in rem sacram adhibitus fuisset, vix concipi potest commissurum fuisse quemquam ut ad mensam Domini sine oblatione sua accederet. Facile quippe et obvium erat, aut panem communem integrum, qui nunquam in ædibus divitum deest, aut certe frustum ex eo accipere in oblationem. At quia panis eucharisticus religiosis quibusdam ritibus ac studio præparatus esse debebat, hinc facile contingere potuit ut divites incuria parandi ejusmodi panis non haberent aliquando quem offerrent, communicarentque ex pane quem pauperes obtulissent. Eadem hæc responsio valet ad locum auctoris incerti, ex sermone qui 215 numeratur inter Augustinianos, ubi ait : « Oblationes quæ in altario consecrarentur offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit. »

Quapropter observandum est integras hostiarum formulas, quales scilicet in ferro characterato pro quinque sexve hostiis imprimebantur, non raro a singulis fidelium oblatas fuisse; quæ non singulæ pro singulis communicandorum, sed pro numero eorum integræ etiam nonnunquam consecrabantur. Id colligere mihi videor tum ex Ordine Romano, tum ex Humberto cardinali, tum ex more usitato in consecratione episcoporum, sacerdotum ac virginum. In Ordine quippe Romano præcipitur ut archidiaconus accipiens oblatas, quas scilicet fideles obtulerant, « tantas super altare ponat quantæ possunt populo sufficere. » Tum facta consecratione, ubi tempus communionis instat, « acolythi parant sinus sacculorum archidiacono ad ponendas oblationes » quas deinde « frangunt, » ut sua cuique portio ex integris hostiarum formulis habeatur. Ideo autem in sacculis franguntur, ne micæ seu particulæ inter frangendum in terram aut in locum minus decentem deciderent. Idipsum aperte declarat Humbertus in Responsione ad Michaelem : « Tenues, inquit, oblatas ex simila, integras et sanas, sacris altaribus nos quoque superponimus, et ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamur. » Denique in consecratione episcoporum, sacerdotum, ac virginum, una oblatæ formula consecrato in plures dies præbebatur, nempe episcopo et sacerdoti in diequadraginta, ut de episcopis constat ex Ordine Romano, et de presbyteris ex epistola secunda Fulberti Carnutensis episcopi ad Einardum, aut certe sacerdoti in dies octo, ex Ordine Romano, itidemque virgini recens consecratæ, ut in ms. Pontificali Bibliothecæ nostræ Remigianæ apud Remos legitur in hæc verba : « Virginem episcopo parentes cum oblatione offerant, et ille involutam manum ejus in palla altaris recipiat..... Postquam communicaverint, reservent de ipsa communione in diem octavum, et tunc communicent. » Legendum forsan « in dies octo. » Nam presbyteri quotidie decidebant ex reservata oblatione particulam ex qua communicabant, teste Fulberto in epistola jam memorata, quæ in ms. codicibus Einardo, mendose in editis Finardo inscribitur.

Quid ergo, inquis, fiebat ex aliis oblatis quæ non consecrabantur, siquidem singulas formulas offerebant, quarum una pluribus sufficiebat? Respondet auctor libri de Ordine Romano « apportante archidiacono oblatas in patena a nullo immolatas, accipiat ex illis quantum sibi sufficere videtur, et alias archidiacono restituat, quas ille custodi ecclesiæ ad

Digitized by Google

observandum committit. » Postea vero usui erant, si quando nemine offerente missa celebranda erat, quod maxime fiebat diebus privatis, aut in eulogias benedicebantur; quod quotidie apud monachos actitabatur. Certe non singulis diebus, sed Dominicis tantum oblationes a viris et mulieribus faciendas exigit concilium Matisconense cap. 4, quod anno 585 celebratum est. Denique non offerebant omnes, saltem Hincmari tempore, sed tantum familiæ cujusque capita, ex Hincmaro infra.

Oppones ministros Ecclesiæ, viduas, pauperes et egenos, quos matricularios vocabant, ex reliquis oblationum alitos, ac proinde usitatum ac fermento temperatum panem oblatum fuisse.

Ad hoc repono duplicem antiquitus in Ecclesia B fuisse oblationem, unam ante missam, aut ante Evangelium, alteram post lectum Evangelium, ad offertorium, ut vocamus. In prima offerebant fideles panem, vinum, ceram, et aliud quodcunque in supplementum sacerdotum, viduarum, pauperum et egenorum, in altera panem et vinum ad consecrationem. Hunc locum egregie illustrat Hincmarus Remensis in capitularis primi articulo XVI : « Qui candelam offerre voluerit, sive specialiter, sive generaliter, aut ante missam, aut inter missam, antequam Evangelium legatur, ad altare deferat. Ad oblationem autem unam tantummodo oblatam et offertorium pro se suisque omnibus conjunctis et familiaribus offerat. Si plus de vino voluerit, in buticula vel canna, aut plures oblatas; aut ante C missam, aut post missam presbytero vel ministro illius tribuat, unde populus in eleemosyna et benedictione illius eulogias accipiat, vel presbyter supplementum aliquod habeat. » Præterea panem communem a fidelibus offerri solitum diserte etiam ab oblatis consecrandis distinguit concilium Namnetense, cum statuit cap. 9, « ut de oblationibus quæ offerentur a populo, et consecrationi supersunt; vel de panibus quos offerunt fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, ut post missarum solemnia, qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni die Dominico et in diebus festis exinde accipiant. » Erat ergo alius panis oblatus ad consecrationem, alius « ad Ecclesiam, » id est ad alendos D Ecclesiæ ministros. Ex alterutro fiebant eulogiæ, qui panis benedictus modo appellatur. Lege sic Capitulare primum Hincmari articulo 7, et Consuetudines Cluniacenses in lib. II, cap. 30, ubi præscribitur, « ut in privatis diebus hostiæ non consecratæ portentur in refectorio, ut his qui eo die non communicaverunt distribuantur, » nempe illæ ipsæ, quæ etiam a non communicaturis oblatæ fuerant in missa solemni, in qua tametsi omnes singulis diebus offerebant, tres tantum hostias, diebus ferialibus, pro communicaturis ex alterutro vicissim choro consecrari mos erat, Dominicis quinque.

Aliud objectum petitur ex Epiphanio in hæresi A 30, ubi notat Ebionæos, quod δι' ἀζύμων, id est panibus azymis mysteria celebrarent.

Hæc objectio prima fronte mihi aliquando validissima visa est; ast integrum locum legenti non ita. Epiphanii hæc verba sunt. Μυστήρια δὲ ὅσθ' τέλουσι κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν δι' ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος τοῦ μυστηρίου δι' ὕδατος μόνου, id est, « mysteria vero scilicet perficiunt ex imitatione sanctorum qui sunt in Ecclesia quot annis in azymis; alteram autem mysterii partem in aqua sola. » Ex illis verbis non injuria quis hoc modo argumentari poterit : Epiphanius probare videtur Ebionæos in eo quod sacrificium offerebant quotannis in azymis ex imitatione Ecclesiæ saltem Latinæ; eos vero hoc tantum nomine B arguit isto loco quod pro altera sacrificii parte aquam solam adhiberent. Ergo eo tempore Ecclesia ex pane azymo sacrificium conficiebat. Certe interpretatio hæc Epiphanii verbis nullam affert vim, quinimo ipsius menti consentanea esse videtur, cum eorum morem laudet ob Ecclesiæ imitationem, quam in offerendis azymis sitam esse non immerito quis contendat. Accedit quod Epiphanius qui errores fere omnes quos recenset impugnare solet; Encratitas quidem qui aqua sola in re sacra utebantur, refutat; nusquam vero azymorum usum reprehendit. Et sane quis putet Epiphanium erroris damnasse Ebionæos ob usum azymorum in mysterio sacrosancto, quod in azymis a Christo Domino institutum fuisse confitetur, ut superius præmissum C est.

Unum hic remoram injicit, quod scilicet Epiphanius ipse, in hæresi 46, Tatiani errores enumerans ait eum instituisse mysteria quædam κατὰ μίμησιν τῆς ἁγίας Ἐκκλησίας, « ad Ecclesiæ sanctæ imitationem » sed ad ea tamen nihil præter aquam adhibuisse. Ubi patet Ecclesiæ imitationem non rem oblatam, sed oblationem respicere. Quod etiam dicendum de priori testimonio.

Et quidem hoc argumento recte colligitur, ex priori illo Epiphanii loco nihil certi confici posse pro usu azymorum; et ego de industria istuc illum non retuli in superioribus, ubi actum est de fermento Græcorum. Sed tamen hinc non evincitur Epiphanium statuere utrobique Ecclesiæ imitationem in D ipsa oblatione, non in re oblata. Nam imitationem magis expressam agnovisse potuit in Ebionæis quam in Tatiano. Præter ea, etiamsi azymorum usum non referat ad imitationem Ecclesiæ, non tamen inde certo eruitur eum usum ab ipso inter errores deputari maxime cum, ut jam dixi, agnoscat Epiphanius Eucharistiam primitus in azymis a Christo institutam. Fac enim Græcos fermentatum panem in rem sacram tum adhibuisse, Latinos vero infermentatum. Certe Epiphanius non retulisset azymorum usum ad imitationem Ecclesiæ universæ; siquidem Græca fermentatum panem adhibuisset. Nec tamen erroris damnaturus esset usum azymorum, quem in Latinis non improbasset. Ad hæc, si erroris

Digitized by Google

arguit Ebionæos quod azymis uterentur, ideo istud fecit quod azymum adhiberent eo animo ut legalia cum Evangelio servari oportere traderent. Uno verbo, si nihil facit pro azymorum usu prior iste locus, certe non magis favet fermentato; sed rem in medio relinquit, quæ proinde aliis argumentis dirimenda est.

Ad extremum, ut rem paucis tandem conficiam, probato Græcos eisque adhærentes Ecclesias fermento, Latinos vero azymis ab initio usos fuisse, admisso etiam Ebionæos ab Epiphanio notatos quod in sacris azymum adhiberent, respondeo Ebionæos ab Epiphanio reprehensos, non quod censeret Epiphanius cuivis Ecclesiæ azymo uti non licere, sed quod Ebionæi cum essent Græcanicæ communionis, eo uterentur præter morem suæ societatis. Pari enim jure si qui, modo Latinorum, fermentum azymo in re sacra præferrent, a Latinis arguerentur, non quasi Græcorum fermentum reprobet Latina Ecclesia, sed quod Latinis hominibus nefas sit morem Latinum in re sacra violare. Responsio hæc aptari etiam potest Armeniis, quibus eamdem ob causam sanctus Nicon azymorum usum sæculo decimo exprobravit.

Tertium momentum pro fermentato desumitur ex lib. IV Ambrosii De sacramentis, cap. 4 : « Tu forte dicis : Meus panis est usitatus. Sed panis iste, panis est ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. » Ex quo Sirmundus arguit : « Nempe qui usitatum mensisque quotidianis usurpatum panem dicit, azymum haud dubie non significat. »

At neque fermentatum. Etenim *usitatum* panem vocat Ambrosius, non quatenus azymo, sed quatenus consecrato, id est corpori Christi opponitur, ut lectio verborum ipsa persuadet.

Porro azymus panis etiam communis seu usitatus dici potest, cum ejusdem materiæ sit cum pane fermentato. Certe Rupertus abbas Tuitiensis in lib. III, de Spiritus sancti Operibus, cap. 21, eodem fere modo quo supra Ambrosius loquitur de pane azymo, quem Christus in ultima cœna consecravit. « Panem, inquit, communem accepit; sed benedicendo longe in aliud quam fuerat transmutavit. » En panis *communis* dicitur a Ruperto is quo Christus in ultima cœna usus est; qui sine dubio in Ruperti sententia fuit infermentatus.

Quartum argumentum ex canone sexto concilii XVI Toletani petitum, non modo nihil pro usu fermenti, sed maxime pro azymo valere superius ostendi.

Quintum suppeditant Melchiadis, Siricii et Innocentii Romanorum pontificum decreta. De Melchiade hæc in ejus Vita leguntur : « Hic fecit ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum. » Et de Siricio : « Hic constituit ut nullus presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. » Innocentius denique in epistola ad Decentium ita scribit, cap. 5 : « De fermento quod die Dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ; quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confertum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione maxime illa die non judicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt sacramenta, nec nos per cœmeteria diversa constitutis presbyteris destinamus, et presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam. »

De hoc fermento variæ sunt sententiæ, aliis Eucharistiam esse negantibus, probantibus aliis. Baronio assentior qui Eucharistiam esse negat, sed tantum eulogias in signum mutuæ communionis a pontifice missas. Nam fermentum istud et « panis consecratus, et sacramentum » dicitur et solis presbyteris ejus conficiendi jus atque licentia tribuitur. Denique « panis consecratus » dicitur; quo nomine Eucharistia vocatur a Justino in Apologia prima, ab Irenæo citato apud Eusebium in lib. V, cap. 24, tum in libro V contra hæreses, cap. II, et apud Clementem Alexandrinum in Stromate primo, pag. 117, uti Henricus Valesius vir clarissimus in Eusebium adnotavit. Et quidem Eucharistiam in signum ecclesiasticæ communionis antiquitus mitti solitam, testes sunt Justinus in Apologia prima; Eusebius in lib. V, cap. 24, tametsi id fieri per paschalia festa vetuit Laodiceni concilii canon 14. Nec quemquam movere debet quod per acolythum Eucharistia transmitti dicatur, cum per puerum ad Serapionem senem directa perhibeatur apud Eusebium, lib. VI, cap. 44. Duplicem vero ob causam pontifex per titulos Urbis Eucharistiam mittebat, nempe in signum tum auctoritatis, tum ecclesiasticæ communionis. Ignatius Antiochenus episcopus in epistola ad Smyrnæos ratam jubet Eucharistiam haberi quæ sub episcopo fuerit vel cui ipse concesserit. Et Leo Magnus, in epistola ad Galliæ et Germaniæ episcopos, ait non licere episcopo præsente, nisi ipsius jussu, sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere. Itaque pontifex ut testaretur se presbyteris titulorum urbis Romæ potestatem facere Eucharistiæ conficiendæ, Eucharistiam ipse mittebat, quæ etiam symbolum mutuæ unionis erat. Id a Melchiade et Siricio sancitum dicitur, explicatum ab Innocentio. Postea loco Eucharistiæ missæ sunt eulogiæ seu oblatæ inconsecratæ. Hinc in Vita Joannis papæ tertii constitutum legitur « ut oblationes et amulæ vel luminaria in cœmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur, » et in Vita Gregorii tertii, « ut oblationes de patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas missas, » oblationes, inquam, panis et vini, quales Gregorius secundus ecclesiæ Sancti Pauli quotidie mitti constituit. Verum etiamsi pontifex Eucharistiam mittebat

Digitized by Google

ad titulos Urbis, aliam tamen presbyteri sine dubio consecrabant. Nam et missas celebrabant et, ut sibi id liceret per pontificem, eucharistia mittebatur; tum vero ex utraque oblatione, et ex ea scilicet quæ a pontifice, et ex ea quæ ab ipsis consecrata erat, presbyter et populus communicabant. Simile quid faciebant presbyteri recens ordinati qui Eucharistia de manu episcopi die ordinationis suæ accepta in dies quadraginta reficiebantur; et tamen missam quotidie celebrare poterant, et Eucharistiam a se consecratam simul percipere, teste Fulberto Carnutensi episcopo in epistola 2 ad Einardum.

Sed ut ad fermentum Melchiadis aliorumque pontificum revertar, cur hoc nomine Eucharistia dicta sit inquirimus. Sirmundus, tametsi locus pro fermenti usu, quem asserere volebat, facere videbatur, ita dictam probat, non quod ex fermentato pane constaret, sed quod ipsa quocunque ex pane fieret, Ecclesiis ad quas mittebatur fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicuti fermentum massæ cui commiscetur. Et quidem si bene perpendantur verba relata ex Vita Melchiadis et Siricii, tantum abest ut Eucharistia dicta videatur fermentum ex eo quod fermento constaret, ut contra hoc nomen ipsi adscititium et aliunde quam ab ipsa re petitum esse appareat. De Melchiade legitur: « Hic fecit ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum. » In Siricio, « quod nominatur fermentum. » Mihi vero legenti hæc verba, « quod declaratur, quod nominatur fermentum, » statim subiit cogitatio extraneum hoc esse vocabulum, non ab ipsa rei substantia petitum. Certe mihi persuasum est nihil certi inde confici posse pro fermento.

At, inquis, si panis azymus fuisset, cur contraria appellatione dictus esset fermentum? Non facilis responsio, ubi vocabulorum; cur una quæque res ita appellata sit, causas explicare incumbit. Unam rationem sane perquam probabilem attulit Sirmundus. Ego vero Eucharistiam etiam hoc vocabulo appellatam puto, ut nomine obscuro profanis celaretur tantum mysterium. Nam per ea tempora mos erat Patribus ut non nisi obscuris verbis Eucharistiam exprimerent. Notum id ex Augustino passim Theodorito in Dialogo Eranistæ, et aliis. Hinc ergo factum puto ut Melchiades, Siricius et Innocentius adscititio fermenti nomine Eucharistiam designaverint, ne rem sacram gentilibus propalare viderentur. Accedit quod Cæsarius Græcus paraboam fermenti de Eucharistia interpretatur, non sensu litterali sed morali, in Dialogo his verbis: « Quod si aliter dicta audire placet, fermentum intelligatur venerandum et divinum corpus Dei, quod in utero sanctæ virginis Mariæ sibi circumdandum formavit, absque semine contextus et unitus tam animæ quam corpori. » Quid si ob hanc similemve rationem prædicti pontifices Eucharistiam fermenti nomine donaverint, non habita ratione materiæ, sed corporis Christi in sensu morali? Adderem etiam panem azymum Latinorum a Niceta Pectorato vocari ἄζύμην ζύμην « azymum fermentum, » nisi id exprobrando et subsannando dixisse videretur.

Sextum pro fermento momentum desumitur ex silentio Photii, qui cum criminandi Latinos in omnibus in quibus a Græcorum moribus ac ritibus discrepabant, occasiones corrogaret omnes, nunquam tamen azymorum usum objecit; quam objectionem si usus ille tum viguisset, non videtur omissurus fuisse. Et certe eam non omisisse Græcos recentiores qui pontificatu Leonis papæ noni dissidium conflarunt cum Ecclesia Romana. Id argumento esse azymorum usum medio illo, quod inter utrumque schisma effluxit, intervallo apud Latinos incœpisse.

Ad hæc respondeo Photium Latinis non objecisse azymorum usum, propterea quod eum morem ex Christi exemplo profectum esse docuerat Joannes Chrysostomus, persuasumque habebat suo tempore Ecclesia etiam Græca, uti ipse fatetur in Bibliothecæ cap. 116, ut superius retuli. Deinde ipsum non exprobrasse Latinis quod alleluia non canerent in Quadragesima, nec monachis Occidentalibus vitio vertisse quod infirmi carnibus vescerentur ex concessu regulæ sancti Benedicti, quod femoralia in itinere constituti gestarent. Quæ omnia Latinis tempore Leonis noni objecta sunt a Græcis. Denique Photium multa id genus alia omisisse, in quibus tum Latini a Græcis discrepabant; qualis erat tonsura capitis (tametsi de menti detonsione vitiligavit), qualis erat manuum impositio in confirmatione, interdictum baptizandi in Epiphania, et alia ejusmodi, quæ Photius prudens dissimulavit. Cæterum nihil penitus efficit Photii silentium adversus certa ac necessaria argumenta, quibus azymorum usum generalem apud Latinos ante Photium viguisse demonstravi.

Ultimum argumentum inde petitur quod ante Photii ætatem nulla de azymorum usu lex condita legitur. Hoc argumentum cum Demetrio Chomateno Bulgariæ archiepiscopo in responsis ad episcopum Dyrrachii, urget Sirmundus in Disquisitionis cap. 3.

At si hoc argumentum quid efficeret, probaret utique azymos panes in re sacra non fuisse adhibitos etiam post schisma Photianum. Nullum enim, si bene memini, sive de abjiciendo fermento, seu de azymis recipiendis decretum, constitutio nulla, nullusve canon post illud tempus invenitur ante discidium Michaelis Cerularii, cujus tempore universim azymorum usus vigebat in Ecclesia Latina. Atqui cum ejus rei nulla exstet lex neque ante, neque post Photium ante Michaelis ætatem, dicendum est morem istum ab ipso Latinæ Ecclesiæ exordio receptum fuisse. Et certe Græcis promptum fuisset Latinis exprobrare hujus rei novitatem, si usus iste tantum a schismate Photiano invaluisset. Nec porro Leo Pontifex aliique Latini eo perfrictæ frontis, vel turpis ignorantiæ processissent, ut morem illum ab aposto-

Digitized by Google

lorum temporibus repetere ausi essent, si tam recens fuisset.

CAPUT XI.

Epilogus et conclusio præmissorum.

Hactenus quidquid de antiquo usu azymorum apud Latinos observare licuit subsecivis horis, pro modulo meo exposui, nulli sententiæ pervicaciter addictus, sed solo veri agnoscendi et demonstrandi studio adductus. Si quid profeci, id totum supremæ Veritati tributum volo. Si quid incaute scribenti excidit, aut falsum, aut dubium pro vero obtrusum, cupio refelli. Poteram quidem longius progredi, si conjecturis plusculum indulgere voluissem : at ejusmodi inventis modum ponere satius mihi visum est, qui historico modo rem persequi principio institui. Reliquum est, ut brevi oratione colligam quod sparsim in superioribus fusiori modo explicavi.

Eucharistiam a Christo Domino in azymis institutam fuisse probavi : nec tamen ex ejus facto atque exemplo incumbere necessitatem consecrandi in azymis. Hinc et Græcos fermentato, et Latinos azymo ab initio Ecclesiæ uti potuisse, et quidem usos esse citra periculum necessitudinis Christianæ. *Nec* enim *nos offendit observantiæ diversitas, ubi fidei non scinditur unitas*, inquit Fulbertus in epistola secunda.

De Apostolis nihil dixi, propterea quod, quid hanc in rem egerint, silet omnis antiquitas, si tamen excipias testimonia Leonis Papæ noni et aliorum sequacium, qui Latinum morem ab exemplo Petri et Pauli Apostolorum derivant. De aliis vero Apostolis nihil pronuntiant, quos certo pani in re sacra fuisse addictos non facile conficere poteris. Habes in superiori epistola eminentissimi cardinalis Bona conjecturas ea de re admodum probabiles, quibus nihil addendum videtur.

Ab Apostolorum tempore constitui cœpit ecclesiastica disciplina, cujus primarii auctores apud Latinos azymorum usum præcepisse non immerito videntur. Ad hanc disciplinam sanciendam conditi sunt canones, quos vocamus apostolorum, in quorum tertio decernitur : *Nihil aliud in sacrificio præter id quod Dominus statuit, offerendum.* Quæ verba non sine fundamento etiam de azymorum usu explicari possunt : quandoquidem apud antiquiores illos Patres persuasum erat, Christum in Cœna azymum obtulisse.

Oppones probabile videri, fideles tempore persecutionum (ut loquuntur) quæ primis illis sæculis grassabantur, fermentato pane usos in re sacra, qualis scilicet magis obvius erat. Sane id vero non absimile prorsus est. Quanquam non ita difficilis apparatu est azymus panis, ut vel confici non possit citra periculum vulgandi auctores; vel temporis illius Christianorum diligentiam ac pietatem superaverit. Certe Leo Papa IX testatur, martyres nostros, id est Latinæ Ecclesiæ, azymis fuisse saginatos. Et multa alia longe difficiliora fiebant parabanturve illa tempestate, ut ritus pœnitentiæ publicæ, amplissimus Ecclesiæ thesaurus, aurea et argentea rei sacræ supellex, et cætera id genus non pauca. Denique etiam his nostris temporibus Latini Catholici, qui apud infideles vel hæreticos delitescere coguntur, tamen a parando in rem sacram azymo nullatenus deterrentur. Hæc de primis illis temporibus magis probabilia et verisimilia videntur, nullo quidem certo ac necessario argumento, sed conjecturis tantum fulta, in quibus sistendum putavi, dum certiora suppetant. Exstat quidem locus pro azymo Latinorum in Sermone de Cœna Domini apud auctorem libri de cardinalibus Christi operibus, qui liber sub nomine Cypriani vulgatus est. At auctor iste recentior est, scilicet Ernaldus (ut certis constat argumentis) abbas Bonævallis in agro Carnutensi, sancti Bernardi abbatis Clarævallensis æqualis et amicus, totis nongentis annis Cypriano posterior.

Magis explorata sunt quæ de quarto et subsequentibus sæculis occurrunt. At vero certa et perspecta videntur ea, quæ de universali azymorum usu ante sæculum nonum apud Latinos recepto superius exposui : qui mos cum ante omnem illius temporis hominum memoriam invaluisse creditus sit; fatendum est eum aut ab ipsis, aut prope ab ipsis Latinæ Ecclesiæ primordiis receptum fuisse.

Argumenta vero quæ pro fermento Latinorum adducuntur, etsi pro summorum virorum, qui ejus sententiæ auctores sunt, dignitate et gravitate magni apud me sint ponderis, non tamen adeo necessaria mihi videntur, ut id fateri nos cogant; nec certe validiora, quam quæ a contrariæ sententiæ assertoribus reponi possint. Quapropter de primis illis sæculis remanet quidem plurimum obscuritatis, quæ dubitandi materiam præbere potest : at fermenti usum apud Latinos asserendi (quod cum bona contra sentientium venia dictum velim) mihi sufficiens causa non videtur.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MLXI-II.

ADELMANNUS

BRIXIENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN ADELMANNUM.

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VII, pag. 542.)

Adelmanne, mal nommé *Adelin* par d'autres, nous est inconnu et pour sa famille et pour le lieu précis de sa naissance. Un écrivain de ce siècle, qui en 1710 a publié à Leipsick un ouvrage intitulé *Des illustres Allemands*, veut faire honneur à sa patrie d'avoir donné le jour à notre prélat (*Journal des savants*, 1739, p. 657), mais son opinion se trouve destituée de preuves solides, n'étant appuyée que sur ce que Sigebert le nomme *Almanne*, au lieu d'*Adelmanne* (Sig. *Scrip.* c. 153), en quoi il est tout naturel de reconnaître une erreur de copiste. D'ailleurs, Adelmanne parlant lui-même des pays teutoniques, c'est-à-dire l'Allemagne, les regardait comme une terre étrangère à son égard (Adel. *ad Ber.* p. 438).

La première figure qu'on lui voit faire dans le monde, est à l'école de Chartres, où il étudia sous le célèbre Fulbert, et où il eut pour condisciples Hildier, Sigon, Bérenger, Lambert, Engelbert, et plusieurs autres savants (*ibid.*, Mab. *Analect.*, p. 482). Adelmanne était un de ces élèves chéris, que le vénérable Socrate, c'est le nom qu'il donne à Fulbert son maître, prenait le soir avec lui, dans un petit jardin près d'une chapelle de la ville, pour leur faire des instructions particulières, outre les leçons publiques qu'il leur donnait à d'autres heures. Là il les conjurait avec larmes et les transports d'une sainte ardeur de suivre toujours le grand chemin, en marchant soigneusement sur les traces des Pères, sans jamais s'en écarter.

Adelmanne était si pénétré du bonheur d'avoir reçu de telles instructions, que longtemps après il n'en parlait qu'avec les plus vifs sentiments de reconnaissance (Mab. *ib.*). Ecoutons-le un moment s'en expliquer lui-même.

Carnotenæ decus urbis memorande pontifex,
Te primum, Pater Fulberte, dum te cenor dicere;
Fugit sermo, cor liquescit, recrudescunt lacrymæ.
Deplorando singillatim multa quidem mihi,
Ut pote convictor senis hærens sæpe lateri,
Aure bibens oris fontem aureum milliflui.

On a vu ailleurs avec quels éloges il relève la doctrine de cet excellent maître et son admirable manière d'enseigner. Tout cela le portait à rendre à Dieu de continuelles actions de grâces, pour lui avoir procuré l'avantage de passer quelque temps auprès d'un tel docteur : avec bien plus de raison, dit-il (Adel. *ib.*), que n'en avait Platon de remercier la nature de l'avoir fait naître homme, et non une bête au temps de Socrate.

Mais s'il avait un si tendre attachement pour Fulbert, Fulbert n'en avait pas un moindre pour lui. Adelmanne était déjà sous-diacre, lorsqu'il passa à son école. Il paraît que c'était vers les dernières années de l'épiscopat de Durand, évêque de Liége (Fulb. *ep.* 57; Mab. *Act.* t. IX, pr., n. 8). Réginard lui ayant succédé en 1024 écrivit à Fulbert pour lui redemander son sous-diacre, qu'il qualifiait une brebis errante; d'où nous apprenons qu'Adelmanne était diocésain (1) de Réginard. Fulbert (*ibid.*) lui répondit avec sa politesse ordinaire qu'il louait à la vérité sa sollicitude pastorale, mais qu'il le priait en même temps de ne point regarder son frère Adelmanne, qui se nourrissait à Chartres dans de bons pâturages, comme une brebis hors du troupeau; qu'il devait se tenir tranquille sur son compte, vu que par la grâce de Dieu cette brebis se nourrissait à profit, et qu'elle était industrieuse à éviter les embûches frauduleuses des loups; qu'il cessât de qualifier fugitif un soldat qui se préparait avec soin à combattre tant au dedans qu'au dehors l'armée entière des erreurs et des vices; qu'au reste Adelmanne se rendrait incessamment à Liége; mais que lui Fulbert priait Réginard de le lui renvoyer à Chartres avec un démissoire en forme, afin qu'il lui fût un gage de leur union mutuelle.

On voit ici avec quel zèle, quelle sagacité et quel fruit Adelmanne s'appliquait à l'étude. On y voit quelles grandes espérances il donnait dès lors, et qu'il s'y prenait au mieux pour les soutenir. On y voit enfin le désir que Fulbert, qui se connaissait bien en mérite, avait conçu de l'attacher à son Eglise.

(1) Quoique alors diocésain de Liége, Adelmanne pouvait être né ailleurs. Valère André (*Bib. Belg.*, p. 5) assure qu'il était Français de langue et de naissance.

Digitized by Google

Mais la providence en disposa autrement. L'évêque Réginard usa de son droit et retint près de lui Adelmanne qui, continuant ses études sur le plan qu'il les avait commencées, acquit toutes sortes de belles connaissances : *Vir in omni varietate scripturarum doctissimus* (Sig. *Scrip.* c. 153; Trit. *Scrip.* c. 320; *Chr. hir.* t. I, p. 167). Il devint non-seulement grammairien, c'est-à-dire habile dans les belles-lettres, mais aussi philosophe, surtout un des fameux dialecticiens de son temps et bon théologien. Le peu qui nous reste de ses écrits suffit pour appuyer cet éloge.

L'école de Liége avait alors à sa tête le docte Vazon. Celui-ci s'étant retiré avant son épiscopat à la cour de l'empereur Conrad, Adelmanne fut choisi pour remplir la dignité de scolastique (Mab. *Analect.* *ib.* p. 422). Cette école, célèbre dès le temps de l'évêque Notger, acquit une nouvelle réputation sous ces deux savants modérateurs. Le concours des étudiants y était grand, mais on ne connaît point en détail ceux qu'Adelmanne y forma à la science et aux mœurs, qui faisaient l'objet de ses leçons. Il y a beaucoup d'apparence que Francon, un de ses successeurs, et plusieurs autres de ces savants qui illustrèrent la ville de Liége sur la fin de ce siècle, furent de ce nombre. On y compte nommément Lambert, depuis abbé de Saint Laurent, qui a laissé divers écrits de sa façon (Trit. *Chr. hir.* t. I, p. 180), Guillaume, qui fut aussi dans la suite abbé de Saint-Arnoul à Metz et de Saint-Remi à Reims, et dont il y a quelques écrits, eut aussi le même avantage (Mab. *ib.* p. 273; *Analect.*, l. lxiii, n. 89). Adelmanne, ayant appris sa retraite dans le cloître, lui écrivit pour la blamer, non par un défaut d'estime pour son dessein, comme il paraît, mais par l'espérance qu'il aurait été plus utile à l'Eglise s'il fût demeuré dans le clergé. Sa lettre lui attira une réponse qui n'eut pas l'effet de lui inspirer le même dessein, quoique son disciple lui en suggérât bien des motifs (*Analect.* ib).

Après avoir enseigné publiquement a Liége pendant plusieurs années, Adelmanne quitta son école et se retira en Allemagne comme en une espèce d'exil. Il ne nous apprend point pourquoi; mais il est à présumer que ce fut par la même raison qui porta depuis le scolastique Gozechin, son successeur, à prendre le même parti (Mab. *Annal.*, t. IV, p. 382-390). Il y avait déjà du temps qu'il n'était plus à Liége lorsqu'il apprit que les erreurs de Bérenger de Tours, l'un de ses condisciples à l'école de Chartres, sur le mystère de l'Eucharistie faisaient du bruit en Allemagne comme ailleurs. Adelmanne en fut également frappé de surprise et de douleur, mais la charité lui fit suspendre son jugement. Il forma aussitôt le dessein d'en écrire à Bérenger lui-même, pour savoir certainement à quoi s'en tenir. Il jugea cependant plus à propos d'entremettre Paulin, primicier de l'Eglise de Metz, leur commun ami, qui était moins éloigné de Tours. Il le pria donc d'écrire à Bérenger, et de l'instruire ensuite de ce qui en était. Adelmanne attendit inutilement deux ans entiers la réponse de Paulin. Au bout de ce terme, ayant trouvé une occasion favorable, il lui écrivit lui-même l'excellente lettre dont on rendra compte : lettre tendre et lumineuse, aussi polie que forte en raisons, capable par conséquent de faire une impression salutaire sur un cœur moins endurci et un esprit moins prévenu. Mais elle n'eut point d'autre effet que de faire voir d'une part la tendresse chrétienne, le zèle ardent, le profond savoir d'Adelmanne, et de découvrir de l'autre l'ingratitude, l'insensibilité, le mauvais génie, l'obstination de Bérenger dans ses erreurs.

D'Allemagne notre scolastique passa en Lombardie, soit qu'il y allât chercher une autre retraite, soit que quelque puissance l'y appelât. L'Eglise de Bresse se trouvant alors vacante, il en fut élu évêque (Ugh. t. IV, p. 738, 739). C'est ce qui arriva, suivant l'opinion commune, en 1048. Mais si l'on veut bien faire attention aux particularités qu'on vient de détailler d'après Adelmanne même, on conviendra que son épiscopat n'a commencé tout au plus tôt qu'en 1050. Rappelons-les en deux mots, ces particularités. Il y avait deux ans au moins qu'Adelmanne avait ouï les bruits qui couraient partout des erreurs de Bérenger lorsqu'il lui écrivit. Les termes dont il se sert dans sa lettre, en le qualifiant son *saint frère*, montrent à la vérité qu'elle précéda les conciles de Rome et de Verceil, dans lesquels les erreurs de Bérenger furent condamnées, ce qui est confirmé par le silence d'Adelmanne sur ces événements publics. Mais d'un autre côté les deux ans écoulés depuis que ces mêmes erreurs faisaient du bruit dans le monde ne permettent pas de placer cette lettre plus tôt qu'à la fin de 1049, ou au commencement de l'année suivante, et il ne faut pas oublier qu'elle fut écrite d'Allemagne. Il est donc constant que ce ne fut au plus tôt qu'en 1050 que son auteur remplit le siége de Bresse en qualité d'évêque.

Ceux qui étaient plus à portée de nous instruire des événements de son épiscopat ne nous en apprennent rien (Ugh. *ib.*). Mais on est fondé à présumer qu'un évêque qui avait reçu l'éducation qu'on a décrite, qui avait brillé dans la dignité de scolastique, et donné des marques si éclatantes de son zèle et de sa charité pour le salut d'un ami, gouverna avec fruit le diocèse qui lui fut confié. L'on sait en particulier que le pape Nicolas II lui enjoignit, conformément aux décrets des conciles, de déposer les prêtres et les diacres concubinaires. Il est aisé de juger par là et par ce qui a été dit plus haut, du cas qu'on doit faire de l'autorité de Rubeus, qui met la mort d'Adelmanne dès 1046. Elle est marquée dans les catalogues de son Eglise à l'année 1057. Mais c'est une autre faute; et l'on ne peut la placer plus tôt qu'en 1062 ou l'année suivante. Ughelli en avait la preuve en main dans les

Digitized by Google

actes manuscrits du pontificat de Nicolas II, qui font foi que notre savant évêque vécut au delà de 1061. Il fut enterré dans l'église des saints Faustin et Jovitte, d'où son corps fut transféré en 1612, avec ceux de trois de ses prédécesseurs, dans un lieu plus honorable, comme l'atteste l'inscription suivante :

Donec immortalitatem induant
Apsidii, Petri Ramperti et Adelmanni,
Brixiæ episcoporum, reliquias
Hic gratia Cassinensis congregatio
Reposuit

MDCXII

Sigebert et presque tous les bibliographes qui l'ont suivi n'ont point oublié Adelmanne dans les catalogues de leurs écrivains. Il mérite à juste titre d'y trouver sa place, quoique ce qui nous reste aujourd'hui de ses écrits se réduise à peu de chose, si l'on considère la grosseur du volume, mais il n'en est pas de même si l'on a attention à ce qu'ils contiennent.

1° La lettre à Bérenger est un des plus beaux morceaux de littérature de ce temps là, à tous égards. On a déjà dit à quelle occasion et en quel temps elle fut écrite. Il ne s'agit plus que d'en donner une juste notice. Mais tout ce qu'on en saurait dire sera toujours au-dessous de ce qu'elle est effectivement. Il faudrait la lire soi même pour en connaître tout le prix. On peut dire sans exagérer que la charité l'ayant conçue, la théologie, de concert avec la philosophie, l'a digérée, et l'éloquence l'a écrite.

On y aperçoit un ingénieux auteur, qui pour mieux convaincre l'esprit tâche d'abord de gagner le cœur. Afin d'y réussir, Adelmanne rappelle à Bérenger les sentiments de tendresse qu'il avait toujours eus pour lui, et y joint le souvenir de cette affection paternelle dont le vénérable Fulbert les honorait l'un et l'autre : affection, dit-il, qui, bien loin d'avoir souffert quelque affaiblissement depuis qu'il nous a quittés pour aller au ciel, n'en est devenue que plus parfaite, et qui nous doit rendre présentes les instructions salutaires qu'il nous donnait, lorsque, nous exhortant à suivre toujours le grand chemin, il nous conjurait de demeurer inviolablement attachés à la doctrine des Pères.

Apres ce début, Adelmanne lui parle des bruits fâcheux qui couraient de toutes parts contre lui et lui témoigne qu'il refusait de les croire avant que d'en avoir appris la vérité de lui-même. Que s'ils étaient fondés, il le conjure par la miséricorde de Dieu, et par la mémoire de leur commun maître, laquelle devait leur être si chère, de s'attacher à l'unité catholique, et de ne point troubler la paix de l'Eglise, pour laquelle tant de milliers de martyrs ont combattu d'une manière si triomphante contre l'idolâtrie et les forces de Satan, et que les saints docteurs ont défendue contre les attaques des hérétiques par des écrits où coulent des fleuves d'une salutaire éloquence, de sorte que s'il s'en élève de nouveau quelqu'un, il est aussitôt percé de mille traits. Où sont maintenant, continue Adelmanne, les manichéens, les ariens? Leur mémoire est en exécration. Au contraire celle des Ambroise, des Augustin, des Jérome et autres, qui les ont terrassés, devient de jour en jour plus glorieuse, et l'on ne parle d'eux qu'avec éloge.

Ici notre auteur prévient une objection qu'on lui aurait pu faire, savoir comment il sera arrivé que les Pères de l'Eglise, qui étaient hommes, ne se seront pas trompés et n'auront pas trompé les autres, comme il est certain que les plus grands philosophes de la gentilité ont donné dans l'erreur? C'est, répond Adelmanne, qu'étant humbles de cœur et pauvres d'esprit, le Père céleste leur a révélé ce qu'il avait caché aux sages et aux prudents (*Matth.* xi, 25), et que s'étant attachés à lui qui est la voie, la vérité et la vie (*Joan.* xiv, 6), ils ont été rendus participants de ces divins caractères.

Il vient ensuite à établir la croyance commune de l'Eglise sur le mystère de l'Eucharistie, et il le fait en habile théologien. Dabord il emploie ce raisonnement si simple, et en même temps si péremptoire : Jésus-Christ avait promis de nous donner un pain qui serait sa propre chair : c'est ce qu'il a exécuté en instituant l'Eucharistie. A ce raisonnement pris de la promesse de Jésus-Christ il ajoute celui qui se tire de sa toute-puissance. Celui qui a dit : Que la lumière soit faite, et la lumière fut faite, et faite de rien, dit également du pain : Ceci est mon corps. Car, continue Adelmanne en le prouvant par plusieurs autorités, c'est Jésus-Christ qui consacre, comme c'est Jésus Christ qui baptise, quel que soit le ministre qui le fait. Raisonnements qu'il fortifie par une pensée admirable. L'intercession, dit-il, de Jésus-Christ à la droite du Père en faveur des fidèles, de laquelle parle saint Paul, ne se fait pas par des paroles, mais par la vertu de l'Eucharistie, où Jésus-Christ s'offrant lui-même, renouvelle le mystère de sa passion.

De là notre auteur passe à l'objection favorite des sacramentaires de tous les temps, objection qui consiste à dire que l'on ne voit rien du changement qu'on suppose se faire dans l'Eucharistie, puisque les choses paraissent les mêmes qu'elles étaient avant la consécration. A quoi il répond que si le changement qui se fait dans les sacrements était visible, et qu'ils parussent au dehors ce qu'ils sont en eux-mêmes, la foi qui est, selon l'Apôtre, une pleine conviction des choses qu'on ne voit pas, et qui fait la vie du juste, serait ici sans objet et dans l'inaction, ou même réduite à rien. Ce sacrement de vie, continue-t-il en parlant de l'Eucharistie en particulier, est caché avec toute sa force et sa vertu sous des espèces sensibles, comme l'âme l'est dans le corps qu'elle anime. O homme charnel, s'écrie éloquemment Adelmanne, qui ne comprend pas les choses qui sont de Dieu! Dans le baptême, où il se fait un vrai changement, puisque celui qui

Digitized by Google

le reçoit devient ce qu'il n'était pas, les choses ne paraissent-elles pas les mêmes qu'elles étaient auparavant ? Celui qui est baptisé ne devient point blanc de noir qu'il était, ni lettré d'ignorant qu'il était avant sa régénération.

L'auteur entreprend ensuite de montrer que l'esprit humain, quelque pénétrant qu'il soit, ne peut atteindre à la sublimité de nos mystères. Mais ce qui nous reste de son écrit finit par malheur au raisonnement qu'il fait sur ce qui se passe dans le baptême et dont il fait une application au mystère de l'Eucharistie. Il est visible, par le plan qu'Adelmanne se forme, qu'il poussait fort loin son écrit; et peut-être ce qui nous en reste n'en est-il que la moindre partie. C'est ce que paraissent avoir compris presque tous les éditeurs, qui ont eu soin de marquer à la fin qu'il semble y manquer plusieurs choses. Il est après tout fort surprenant qu'on n'ait pu le recouvrer en entier; vu qu'il subsistait encore tel au temps de Trithème, qui nous le donne pour un ouvrage extrêmement prolixe, *valde prolixe* (Trit. Car. Hir. t. I, p. 167), ce qu'on ne saurait dire de la partie qui en est venue jusqu'à nous. La disette entière des manuscrits de ce même ouvrage ferait soupçonner la malignité humaine de les avoir supprimés. Les deux derniers siècles et le nôtre ont produit une infinité d'hommes qui ne s'accommodaient pas de la doctrine d'Adelmanne. Il est aisé d'en juger par la manière dont Calvin l'a traité, manière indigne d'un chrétien et de tout homme d'honneur. Ce réformateur prétendu, voyant ses faux principes renversés par ceux de notre écrivain, et n'ayant rien de raisonnable à y répondre, emploie contre lui les plus grossières injures, le traitant d'ignorant, d'homme grossier et de sophiste qui ne parle que pour tromper (2); ressource ordinaire de presque tous ceux qui entreprennent de défendre une cause desespérée.

Bérenger, qui se trouvait précisément dans le même cas, ne tenant aucun compte de l'affection d'Adelmanne son ami, qui ne cherchait qu'à le rappeler de ses écarts, ne répondit à son écrit que par un autre plein de présomption et d'arrogance, dans lequel il s'opiniâtrait à soutenir ses erreurs (Sig. *Script.*, c. 154). Nous avons, dans quelques fragments de cette mauvaise réponse, de quoi justifier le jugement qu'en porte ici l'historien Sigebert (Mart. *Anec.*, t. IV, p. 109-113).

Ce qui nous reste de l'écrit d'Adelmanne contre lui a été imprimé avec les traités de Pascase Radbert, de Lanfranc et autres sur la même matière, le tout en un même volume in-8°, qui parut à Louvain chez Martin Rotaire et Pierre Phalesius, en 1551. Cette édition, que l'on compte pour la première, est due aux soins de Jean Coster. Au bout de dix ans, c'est-à-dire en 1561, Jean Ulimmier, prieur des Chanoines réguliers de Saint-Martin de Louvain, fit réimprimer l'écrit de notre auteur, réuni aux précédents et à quelques autres. L'édition est en même volume, mais mieux conditionnée, et se débita encore à Louvain chez Jérome Vellaus. Vers le même temps Jean Garet, autre chanoine régulier, fit entrer dans son traité sur la présence réelle (Gar. *de Euch.*, p. 67, 68) presque tout ce que nous avons de celui d'Adelmanne. Du Boullay en a usé de même dans le premier volume de son *Histoire de l'Université de Paris* (Egas. Bul., t. I, p. 411-413).

En 1575, Margarin de la Bigne publia de nouveau tout ce qui nous en reste au premier tome de sa *Bibliothèque des Pères*, p. 487-492. De ce recueil l'écrit d'Adelmanne est passé dans tous les autres qui portent le même titre (*Bib. PP.*, t. XVIII, p. 438-440). En dernier lieu, M. Galeardi, chanoine de la cathédrale de Bresse, qui a donné, sous les auspices et la direction du savant cardinal Quirini, une nouvelle édition des ouvrages de S. Philastre et de S. Gaudence, y a joint l'opuscule d'Adelmanne (*Journ. des Savants*, 1739, p. 650). Cette collection, qui est en un volume *in-folio*, est sortie en 1739 des presses de Jean-Marie Aizzardi, imprimeur à Bresse.

2° Sigebert (*Ib.*, c. 153), après avoir donné une notice de cet opuscule de notre prélat, ajoute qu'il écrivit à Paul, ou plutôt Paulin, primicier de l'Eglise de Metz, une autre lettre sur le même sujet, afin qu'il travaillât à faire revenir de son erreur Bérenger, leur ami commun. Adelmanne fait lui-même mention de cette lettre, qui n'est point venue jusqu'à nous, et que personne depuis Sigebert ne témoigne avoir vue. M. Cave (p. 523), prenant mal le sens de ce bibliographe qu'il cite, a avancé que cette lettre était aussi pour tâcher de faire changer Paulin de sentiment sur l'Eucharistie. On se plaît naturellement à grossir le nombre des gens qui pensent comme nous, souvent sans beaucoup s'embarrasser si c'est aussi réellement que l'amour-propre le fait souhaiter. C'est apparemment par ce motif que cet écrivain anglais a compté Paulin au nombre des sacramentaires. Mais, outre que le texte de Sigebert suppose le contraire, Adelmanne n'en dit rien, se plaignant seulement de la négligence de ce primicier à l'instruire, comme il l'en avait prié, de la vérité des bruits qui couraient contre Bérenger. L'idée avantageuse qu'on a donnée de l'écrit précédent doit faire regretter la perte de celui-ci.

Trithème (*Script.* c. 320) parle en général d'autres lettres d'Adelmanne, comme faisant un recueil entier. Mais ne les caractérisant pas autrement et n'en copiant pas les premiers mots, ainsi qu'il en use à l'égard des écrits qu'il connaissait par lui-même, on peut douter que ce recueil ait existé. Il

(2) Hæresiarcha Calvinus, cum illius argumentorum nexibus se mordicus teneri sensisset, honestioremque exitum desperaret, conversus ad injurias, Adelmannum imperitum, barbarum sophistamque appellat. Ughelli *in episc. Brixiens.*, t. IV, p. 540.

Digitized by Google

n'en est pas moins vrai cependant qu'Adelmanne pouvait avoir écrit grand nombre de lettres, même intéressantes, mais il n'est pas certain qu'on ait jamais été soigneux de les recueillir pour en faire un volume. On a dit ailleurs un mot de celle qu'il écrivit à Guillaume, l'un de ses disciples, et depuis abbé de Saint-Arnoul de Metz et de Saint-Remi de Reims.

3° Il y a d'Adelmanne des rhythmes alphabétiques (Mab. *Analect.*, p. 382), c'est à-dire une prose cadencée et rimée, dont chaque strophe composée de trois vers commence par une lettre de l'alphabet, depuis l'A jusqu'au Z inclusivement; l'auteur les composa lorsqu'il faisait les fonctions de scolastique à Liége, comme il paraît par la fin. Il s'y est proposé deux objets principaux : d'abord il y fait un portrait très-avantageux du vénérable Fulbert, son maître, dont il relève avec de vives couleurs la doctrine et la manière d'enseigner; ensuite il y donne à la postérité une notice des plus grands hommes de lettres qui s'étaient formés de son temps à l'école de Chartres et à celle de Liége. Quoique la pièce se ressente des défauts de son siècle, elle est néanmoins ingénieuse et a encore d'autres beautés. On a peine à comprendre comment l'auteur a pu dire tant de choses en si peu de mots.

Dom Mabillon l'ayant déterrée dans un manuscrit de Gemblou, est le premier qui l'a rendue publique. Il l'a accompagnée de quelques remarques de sa façon, qui en éclaircissent divers endroits. Mais Sigon, dont il y est parlé, n'est point le célèbre abbé de Saint-Florent de Saumur de même nom, comme le prétend le savant éditeur. C'est un autre Sigon, qui prit soin des funérailles de l'évêque S. Fulbert, et qui fut successivement scolastique et chantre de l'Eglise de Chartres, fort différent de l'abbé Sigon.

Au bout de quarante ans, ou environ, dom Martène et dom Durand, étant tombés sur le même manuscrit de Gemblou, dans lequel ces rhythmes sont mêlés avec divers fragments sans ordre, qui concernent le concile tenu à Rome en 1078, sous Grégoire VII, fragments tirés pour la plupart des écrits de Bérenger, ils les ont publiés de nouveau avec ces mêmes fragments (Mart. *ib.*, p. 113, 114). Dans cette édition se lit à la tête des rhythmes, conformément au manuscrit, un petit avertissement de l'auteur à Bérenger. Adelmanne lui dit que cette pièce, qu'il avait faite depuis quelques années, lorsqu'il était encore à Liége, sur la mort de plusieurs de ses amis, connus pour la plupart de Bérenger, lui étant tombée sous la main, il avait cru devoir la lui envoyer. Il est visible par là qu'Adelmanne l'avait jointe à sa belle lettre au même Bérenger; et la place qu'occupent ces rhythmes dans la seconde édition dont il s'agit, montre que celui-ci les avait mêlés avec ses papiers. C'est ce qui paraît encore par l'impertinente réponse qu'il y fit, et qui découvre tout à la fois son mauvais goût et son humeur bizarre. Cette réponse se lit au bas des rhythmes en ces termes : *Respondit Berengerius : Nascitur ridiculus mus.*

Enfin M. l'abbé Galeardi a publié de nouveau ces mêmes rhythmes (*Jour. des Sav.*, ib., p. 657) à la suite de l'opuscule du même auteur, dont on a rendu compte. Cette dernière édition est faite sur celle de dom Mabillon, et l'on n'en a point séparé ses notes.

4° Trithème, qui ne parle point de ces rhythmes, ajoute en général à ce qu'il dit de leur auteur qu'Adelmanne avait composé, tant en prose qu'en vers, plusieurs autres écrits, outre sa lettre à Bérenger. Mais ou ils sont encore cachés dans les bibliothèques ou perdus sans ressource. Il semble qu'ils ne l'étaient pas encore tous au temps du même Trithème, qui donne à entendre (*Chr. Hir.*, t. 1, p. 180) qu'il avait lu un de ces écrits, dans lequel Adelmanne donnait de grands éloges à Lambert, l'un de ses disciples, moine de Saint-Laurent de Liége, dont il fut ensuite abbé. Il est à la vérité parlé d'un Lambert dans les rhythmes alphabétiques, mais celui-ci était un professeur qui avait enseigné à Paris, et qui n'était plus au monde lorsqu'Adelmanne le louait; au lieu que Lambert de Saint-Laurent lui survécut. Ainsi l'écrit désigné par Trithème est différent des rhythmes.

Digitized by Google

ADELMANNI

EX SCHOLASTICO LEODIENSI EPISCOPI BRIXIENSIS

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO AD BERENGARIUM EPISTOLA.

(*Bibliotheca Patrum*, XVIII, 458.)

Dilecto in Christo fratri scholastico BERENGARIO ADELMANNUS salutem in Domino.

Collactaneum te meum vocavi propter dulcissimum illud contubernium quod cum te adolescentulo, ipse ego majusculus, in academia Carnotensi sub nostro illo venerabili Socrate (3) jucundissime duxi; cujus de convictu gloriari nobis dignius licet quam gloriabatur Plato, gratias agens naturæ eo quod in diebus Socratis sui hominem se non pecudem peperisset. Nos enim sanctiorem vitam salubrioremque doctrinam catholici et christianissimi hominis experti sumus, et nunc ejus apud Deum precibus adjuvari sperare debemus. Neque enim putandus est memoriam, in qua nos tanquam in sinu materno semper ferebat, amisisse, aut vero charitas Christi, qua sicut filios amplectebatur, in eo exstincta est. Sed absque dubio memor nostri, diligens plenius quam cum in corpore mortis hujus peregrinaretur, invitat ad se votis et tacitis precibus, obtestans per secreta illa et vespertina colloquia quæ nobiscum in hortulo juxta capellam de civitate illa quam Deo volente senator nunc possidet, sæpius habebat, et obsecrans per lacrymas, quas interdum in medio sermone prorumpens, exundante sancti ardoris impetu, emanabat, ut illuc omni studio properemus, viam regiam directim gradientes, sanctorum Patrum vestigiis observantissime inhærentes, ut nullum prorsus in diverticulum, nullam in novam et fallacem semitam desiliamus, ne forte in laqueos et scandala incidamus; quia sicut ait Psalmista: « Juxta iter scandalum posuerunt mihi (*Psal.* CXXXIX). » Nam quod est juxta iter, hoc est extra iter. De via autem quid dicit? « Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum (*Psal.* CXVIII). » Et quid est lex Domini, nisi via Domini? Sicut in alio psalmo cantatur: « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum (*Ibid.*). » Ergo in via, pax; extra viam, scandalum. Hoc scandalum incurrunt qui, per hæreses et schismata deviantes, pacem catholicam impiis contentionibus rescindunt. Quos nihilominus in psal. XIII ita admotatos advertimus: « Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt. » Ecce scandalum vel potius scandala; nempe contritio et infelicitas æterna; quæ occurrunt in semitis hæreticorum viam pacis catholicæ nosse recusantium. Avertat Dominus a te, sancte frater, semitas tales, et convertat pedes tuos in testimonia sua; et mendaces ostendat qui famam tuam tam fœda labe maculare nituntur, spargentes usquequaque, ut non solum Latinas, verum etiam Teutonicas aures, inter quas diu peregrinor, repleverint, quasi te ab unitate sanctæ matris Ecclesiæ divulseris, et de corpore et sanguine Domini, quod quotidie in universa terra super sanctum altare immolatur, aliter quam fides catholica teneat, sentire videaris: hoc est, ut illorum de te dictis utar, non esse verum corpus Christi neque verum sanguinem, sed figuram quamdam et similitudinem!

Hæc ante hoc biennium cum audissem, fraternitatem tuam per epistolam convenire, idque ex teipso certius sciscitandum esse decrevi. Sciens porro familiarem tuum dominum Paulinum, Metensem primicerium, tibi propiorem tibique aliquanto viciniorem esse, et mea petitione et sua pollicitatione delegavi sibi hujus negotii exsecutionem. At ille (non enim in hac re laudare eum possum) negligens sive alterutrum sive utrumque nostrum, usque adhuc reliquit me suspensum. Sed divina gratia nos nunquam negligens inopinato mihi obtulit melius quam optabam. Optabam autem invenire hominem peregrinandi usu exercitatum, regionis et linguæ Francorum non ignarum; et ecce stetit mihi e latere frater iste G., ex tuo nomine me salutans. Obstupui præ gaudio, et tamen non potui tam repentino eventui fidem integram habere, quia frater item nullum abs te signum litteratorium (uti mos est inter amicos tam longe remotos tamque diu non visos) afferebat: quod tamen ipsum multis de causis facile persuasibilibus excusabat. Sive ergo vere, sive aliter hoc agebat, ego eum a Domino memoriam Fulberti, inquit, pacem catholicam diligas, » etc.

(3) De Fulberto Carnotensi episcopo eum loqui apparet, ex eo quod paulo infra: « Per suavissimam

Digitized by Google

præparatum mihi esse non diffidens, nolui diutius dissimulare quin ipse mente ac spiritu meo (præsentibus litteris tanquam pennis induto) per tanta terrarum spatia transvolarem, obsecrans per misericordiam Dei, per suavissimam memoriam Fulberti, ut pacem catholicam diligas, neque conturbes rempublicam Christianæ civitatis bene compositam a majoribus nostris : pro qua tot millia martyrum contra idololatriam et regnum diaboli fortiter certantes triumphaverunt, subindeque sancti doctores bella civilia ab hæreticis commota salutaris eloquentiæ fluminibus restinxerunt, itaque eam circumquaque munierunt, ut jam novus hostis nullus oboriri queat qui, adversus eam aliquid nitens, non continuo mille jaculis desuper ruentibus obruatur. Ideo confusi sunt omnes et defecerunt. Ubi enim sunt Manichæi, ubi Ariani? Quonam tota illa factio perditissimorum civium evasit? Computruit etiam memoria eorum. At vero Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, et alii plures bestiarum talium oppressores, cum laudibus vivunt, quotidieque splendidius efflorescunt. Bonum est, frater, nobis parvulis sub istorum ducum titulis delitescere, quorum tam valida tamque probabilis est apud ecclesiasticas aures auctoritas sanctarum virtutum fulgore cœlestis sapientiæ luce præpollens, ut extremæ jam sit dementiæ, vel de ratione fidei vel de ordine recte vivendi, eis in aliquo refragari. Quare? Nonne homines erant, et falli ab aliis atque ipsi fallere alios poterant? Ita enim dicit Scriptura verax, quia « omnis homo mendax (*Psal.* XI). » Unde ergo eo culminis pervenerunt, ut jam ratum habendum sit quidquid de divinis mysteriis senserunt memoriæque mandaverunt? Nam et gentiles magni quidam et nobiles philosophi multa falsa, quæ jure contemnimus, non solum de creatore Deo, sed de hoc mundo et his quæ in eo sunt, sensisse inveniuntur. Quid enim absurdius affirmari potest quam cœlum astraque omnia stare, terram vero rapida vertigine in medio circumferri; falli vero eos qui putent cœlestia moveri, quemadmodum falluntur navigantes quibus turres atque arbores cum ipsis littoribus videntur recedere? solem præterea non calere, nivem nigram esse, audire quis ferat?

Sunt apud illos plura æque monstruosa, quæ prosequi longum est et nugatorium? De quibus Doctor noster : « Dicentes, inquit, se esse sapientes, stulti facti sunt (*Rom.* I). » Non hos elegit Dominus, qui superbiæ inflati spiritu « evanuerunt in cogitationibus suis. » At nostri illi Patres humiles corde ac pauperes spiritu, pro quibus Salvator Patrem glorificat hoc modo : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* XI), » ideo veraces sunt, quia participaverunt et cohæserunt illi qui ait : « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV). » De quo etiam intus didicerunt, quod de sacramento hoc, de quo agimus, foris docuerunt. Audierunt enim eum de seipso in Evangelio prædicantem : « Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit de hoc pane, vivet in æternum : et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita (*Joan.* VI). » *Dabo*, inquit, non ait *dedi*. Quando ergo cœpit dare? Quando, pridie quam pateretur accepit panem, et elevatis oculis in cœlum, gratias agens benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens : Accipite et comedite, hoc est corpus meum. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Accipite et bibite ex eo omnes. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum (*Matth.* XXVI). » Quis hoc ita esse non credit, nisi qui aut Christo non credit, aut ipsum hoc dixisse non credit? Sed de incredulis nihil ad nos. Dixisse autem Christum, testes non duo tantum aut tres, in quibus « stat omne verbum, » sed quatuor probatissimi certissimique existunt : duo scilicet ex circumcisione, et duo ex præputio, ut uterque populus suis ac legitimis auctoritatibus, sive ad salutem sive ad judicium uteretur. Dixit utique, dixit ille qui dixit et facta sunt. Qui enim dixit in principio : « Fiat lux, et facta est lux de nihilo (*Genes.* I), » non potuit dicendo de pane, « Hoc est corpus meum, » ita fieri efficere? Et qui tacita virtute aquam vertit in vinum, non efficacius poterat (si quid tamen efficacius de Deo dici debet) sonante vocaliter eadem virtute, vinum ipsum in sanguinem suum transferre? Quod si quis apud se dicat potuisse hoc facere unum illum hominem, qui etiam Deus erat; cæteris vero qui hoc non sint, impossibile esse : nos quoque cum eo sentimus, sic tamen ut per ministerium humanum Christum ipsum operari fateamur. Dixerat enim cum adhuc esset cum hominibus mortalis : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV). » Et immortalis effectus, cum cœlos ascensurus corporaliter esset : « Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Quia enim ex duabus naturis diversis (altera circumscripta, altera incircumscripta) compersonatus, per circumscriptam de loco ad locum transmigrabat; per incircumscriptam vero, qua illocaliter ubique est totus, cum eis remanebat : nec tamen Filium Dei a Filio hominis separabat. Denique et priusquam Filius hominis actu ascenderet in cœlum, cum Filio Dei ibi erat, ipso attestante, ubi ait : « Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* III). » Si ergo ibi erat per unitatem personæ, quo nondum ascenderat per proprietatem naturæ, propter eamdem unitatem, cœlum ascendens, cum hominibus in terra remanebat. Quis enim alius dicebat : « Saule, Saule, quid me persequeris? » (*Act.* IX.) Neque putandus est ei angelus pro Christo apparuisse, cum ipse Saulus effectus Paulus postea dicat : « Novissime omnium tanquam abortivo, visus est et mihi (*I Cor.* XV). » Et alio loco : « Nonne Dominum Jesum Christum vidi? (*I Cor.* IX.) Aut vero Saulus adhuc infidelis raptus est in cœlum, ut illic ei Christus loqueretur; aut ipse

Digitized by Google

Christus descendit e cœlo, quod semel tantum fieri oportet in voce archangeli et in tuba Dei, « quando omnes qui in monumentis sunt audientes vocem Filii Dei (*Joan.* v), » procedent? Ipse igitur cum hominibus manens semper, et homines baptizat per homines, et consecrat quidquid per homines consecratur. Utrumque enim in Evangelio habemus, et quod Jesus baptizaret, et quod ipse non baptizaret, sed discipuli ejus. Baptizat nimirum, quia quando corpus sub quibusdam verbis solemnibus in aqua mersatur, ipse animam mortuam, peccata remittendo, vivificat, sicut in Evangelio loquitur : « Venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent (*Ibid.*); » quod non nisi de resurrectione animarum accipi potest Baptizat et homo, per cujus manus et linguam opus illud administratur; sed maxime et principaliter ille baptizat, qui vim et efficientiam totam præstat. Propter quod dictum est Joanni Baptistæ : « Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat (*Joan.* I). » Alioquin baptismus unus non esset; sed prout meritum se haberet baptizantis, alius dignior, alius indignior fieret; et quem homo sanctior baptizaret, ille melius baptizatus esset. Sed absit! quia quicunque baptizat in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, dignus an indignus, sanctus aut peccator, catholicus aut hæreticus, nihil interest; quoniam ministerium illorum tantummodo est, nec ab eis, sed per eos (si recte loqui volumus) baptizatur. Christus igitur per manum et os sacerdotis baptizat, Christus per manum et os sacerdotis corpus et sanguinem suum creat (4). « An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? (*I Cor.* XIII.) » Dicebat quidem hoc Apostolus non arroganter se efferendo, sed veraciter docendo, Christum in ministris suis et loqui quod ipsi loqui audiuntur, et operari quæ ipsi facere videntur; propter quod sacerdos est in æternum, quia ipse est qui baptizat et qui immolat. Nam quod semel fecit passibiliter per semetipsum, id quotidie agit impassibiliter per eos quibus dedit potestatem filios Dei fieri. Nec aliter melius posse intelligi puto quod Apostolus de illo ait : « Qui est ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis (*Rom.* VIII), » quam ut interpellatio ista fiat non verba proferendo, sed obedientiam atque humanitatem suam per commemorationem passionis Deo Patri commendando. Hoc quoque in ejusdem sacramenti institutione, cum jam sub articulo ipsius passionis agonizaret, et ad dolores carnis mox futuros præscio spiritu pavitaret, hoc, inquam, certissimum pignus sui, dilectis discipulis relinquens : « Hoc facite, inquit, in meam commemorationem (*Luc.* XXII); » commemorationem, inquam, charitatis erga vos, pro quibus animam meam pono, et obedientiæ apud Patrem, quia « sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio (*Joan.* XIV). » Quod si quos movet cur hoc sacramentum non visibiliter transmutetur in speciem carnis et sanguinis, attendant quod Apostolus ait : « Per fidem ambulamus, et non per speciem. Est autem fides (ipse definivit) sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (*Heb.* XI). » Si enim id quod intus sunt, foris sacramenta ostenderent; fides, ex qua « justus vivit, » non solum otiosa, verum nulla omnino esset. « Quod enim videt quis, qui sperat? (*Heb.* X.) » Ut ergo fides exerceatur credendo quod non apparet, vitale sacramentum sub specie corporea viriliter latet, uti anima in corpore. Denique et baptismi aqua quælibet oculis intuentium videtur, et homo baptizatus, quid aliud quam quod antea erat, apparet? Non enim ex nigro albus, aut ex illitterato grammaticus, per lavacrum regenerationis efficitur. « O animalis homo », qui non percipit ea quæ Dei sunt! O caro carnalibus phantasiis magis quam vino ebria! quousque ab his tam infeliciter ludificaberis? Non enim similis est hic error denegationi salutis animarum, aut illusionibus somniorum, aut de aquis et speculis resultantium imaginationum, quia ibi sine periculo fallitur, hic cum detrimento irrecuperabili, nisi resipiscatur, erratur. Expergiscere ergo et clama : « Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? (*Rom.* VII.) » Et respondebit tibi apostolica consolatio : « Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (*Ibid.*). » Quod et si credimus verum esse non liberari hominem non solum a molestia spiritualis pugnæ (quam hoc in loco mortem appellat), sed nec a miseria errorum, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, melius tamen id intelligimus si humanæ naturæ concretionem et vim, quæ nimirum in sensu corporis et animi intellectu tota constat, diligenter inspiciamus, et quid per utrumque, quidve per alterutrum valeat, breviter perstringamus. Sunt namque multa quæ solo sensu corporis agimus, sicut audire et videre; pleraque, sicut legere et scribere, quæ communiter sensus cum intellectu administrat; plurima vero, ad quæ sensui nullus prorsus accessus esse potest, sicut ad rationem numerorum, ad proportiones sonorum, et omnino ad notiones rerum incorporearum, quæ omnia quilibet intellectus, sed purus atque etiam usu limatus percipere meretur. Nec me fugit illa prima, quæ duas istas potentias præcedit, sed ad nostrum institutum nihil visa est attinere, et curandum est ne longiore quam oportet utamur digressione. Conamur enim, adjuvante divina gratia, ostendere quod nulla humana facultas, quæ plane et ipsa est divina largitas, nequaquam tamen sufficiens sit (quamlibet se extendat) ad comprehendendam altitudinem sacramentorum quibus initiamur et perficimur ad æternam salutem quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Proponamus itaque baptismum ipsum, et

(4) *Creat* rite intellige, id est *conficit*, nam habet aliquid simile creationi transsubstantiatio. Vide S. Thom. III p., q. 85, art. 8.

Digitized by Google

quid ibi sensus, quid ratio deprehendat, videamus. Liquorem esse aliquem, interrogatus tactus pronuntiat; visus, si forte in vase est, quisnam liquor sit addubitat; sed gustus, tanquam tertius testis adhibitus, aquam esse incunctanter explorat. Ulterius, nisi fallor, hac in re officium suum sensus non pollicetur. At ratio longe lateque penetrat interius, naturamque insensibilem perspicaciter intuetur, hoc est, mobilem atque obtusam esse, humidam substantialiter, frigidam naturaliter, in aerem sive in terram converti eam possibile esse : et si quid adhuc aliud, quod novimus aut ignoramus, de natura aquarum indagari potest. Quomodo autem per aquam et spiritum anima regeneretur, peccatorumque remissio tribuatur : sicut sensus carnis paulo ante docebatur non posse ad rationis excellentiam ascendere, ita profecto et minus forsitan valet ratio ad hoc inscrutabile arcanum aspirare ; et tamen firmiter tenemus, verissime confitemur, animam incorpoream per aquam corpoream renasci, atque in eam statum quo fuerat Adam nondum prævaricans, reparari (5). Deum quoque ipsum, cujus ænigma omnem superat intellectum, non solum novimus esse quod infideles fateantur, verum etiam unum eumdemque trium personarum incircumscriptum, ubique illocaliter totum ; neque tamen sensu aut ratione habemus hoc comprehensum.

Videntur multa deesse.

ADELMANNI

EX SCHOLASTICO LEODIENSI EPISCOPI BRIXIENSIS

Rythmi alphabetici.

DE VIRIS ILLUSTRIBUS SUI TEMPORIS.

(Apud MABILL. *Analect.* nov. edit., pag. 382.)

MONITUM.

Armonicæ facultatis aspirante gratia,
Refero viros illustres, litterarum lumina,
Quos recenti recordatur mens dolore saucia.
Bestiali feritate mors acerba sæviens
In scholares efferata tanquam leo rugiens,
Passim dedit strages dire plusquam aer pestilens.
Carnotenæ decus urbis memorande pontifex,
Te primum, Pater Fulberte, dum te conor dicere,
Fugit sermo, cor liquescit, recrudescunt lacrymæ.
Deploranda singillatim multa quidem memini,
Utpote convictor senis hærens sæpe lateri,
Aure bibens oris fontem aureum melliflui.
Ebeu! quanta dignitate moralis industriæ,
Quanta rerum gravitate, verborum dulcedine,
Explicabat altioris arcana scientiæ !
Floruere te fovente Galliarum studia,
Tu divina, tu humana excolebas dogmata,
Nunquam passus obscurari virtutem desidia.
Gurges altus ut minores solvitur in alveos,
Utque magnus ex se multos fundit ignis radios
Sic insignes propagasti per diversa plurimos.
Hildierum, quem Pupillam nuncupare soliti,
Quod pusillus esset, imo perspicacis animi.
Cæterorum princeps atque communiceps præsuli.
Is mag strum referebat vultu, voce, moribus :
Hippocratis artem jungens Socratis sermonibus,
Nec minus Pythagoreis indulgebat fidibus.
Charitate Sigo noster plenus atque gratia,
Multa præbens ore, manu advenis solatia,
Singularis organali regnabat in musica.
Lambertus Parisiacum, Engelbertus Genabum,
Occupabant lectionum otio venalium,
Quæstum de pube Francorum captantes non modicum.
Martini quoque concivem, sed non æque sobrium,
Dignum duco memoratu Rainaldum Turonicum,
Promptum lingua, stylo largum, valentem grammaticum.
Nec tua, Girarde-Gilberte, fraudabo nænia.
Ligerim flavum revisens ab Jordane et Solyma,
Occidisti propter Mosam sub Virduni mœnia.
O et te dira peremit æmulorum factio,
Postquam missus es Europeam perflagranti studio,
Scholas multas expilasti, Waltere Burgundio.
Proh! si nunquam revertisses ad fines Allobrogum,
Quanta nunc auctoritate decorares Latium!
Docens quidquid revexisti ab hortis Hesperigum.
Quis te tandem, sacer heros (6), satis sæpe fleverit?
Cujus hos et multos plures officina protulit,
Quorum quisque præ se tulit, quod te usus fuerit.
Raginbaldus Aggrippinas, vir potens ingenio,

(5) Quod ad essentiam gratiæ justificantis duntaxat attinet, non quo ad alias excellentis ejus felicis status qualitates.

(6) Fulberte.

Digitized by Google

Barbaras aures Latino temperans eloquio,
Notus arces ad Romanas ab usque oceano.
Situs est in urbe nostra longus hospes Legia,
Legia magnarum quondam artium nutricula
Sub Wathone, subque ipso, cujus sunt hæc rhythmica.
Tres mihi, Camena, cives memora de pluribus,
Illum, procul quem exstinctum Transalpinis febribus,
Lugent artes, lugent urbes cum suis primatibus.
Vix amissum quereremur, Odulfo superstite,
Alestanum, quantus erat veteris [*f.* uter is] scientiæ,
A Sicut hi quos erudivit, satis pollent hodie.
Xerapelinos ornatus cum paucis jugeribus
Præsul durus denegarat; at tu Mettim profugus,
Multas illic opes nactus, Warine, es et conditus
Ypogæis, et antiquæ parentis in gremio
Dormientes, excitandi mane mundi ultimo,
Pace æterna perfruantur te, Christe, propitio.
Zelo grandi cor accensus pro charorum funere
Adelmannus hæc deflebat in Nemeti littore,
Suos ipsè idem illic observans quotidie.

ADNOTATIO.

Hos rhythmos ex ms. codice Gemblacensi rogatu meo descripsit religiosus vir Michael Delmerius, ejusdem monasterii bibliothecarius, qui operam mihi suam in multis aliis liberaliter impendit. Quis fuerit Adelmannus istorum versuum auctor, nemo eruditus ignorat. Nempe ille ipse est Berengarii condiscipulus sub Fulberto Carnotensi episcopo, *grammaticus, et ex clerico Leodiensi Brixiensis episcopus*, teste Sigeberto in lib. De scriptoribus ecclesiasticis, cap. 153, ubi vocatur ALMANNUS, qui duas epistolas De veritate corporis Christi Domini in Eucharistia, unam ad Berengarium, alteram ad Paulum primicerium Metensem, scripsit. In exemplari Gemblacensi, istis rhythmis præmittuntur hæc verba : « Mitto etiam tibi rhythmicos versiculos juxta ordinem alphabeti digestos, quos ante annos aliquot, cum adhuc Leodii essem, me ad amicos quosdam meos, quorum plures ipse noveras, lamentaliter recensente compositos reperi nuper et edidi. » Quæ verba sunt Adelmanni hos versus mittentis ad Berengarium, de quo in fine rhythmorum hæc leguntur : RESPONDIT BERINGARIUS : *Nascitur ridiculus mus.* Qui Berengarius Aldelmanum ironice AULUM-MANNUM vocare solitus erat, ut ibidem subditur. Multa in hos versus notanda forent, sed tantum ea observo quæ mihi obvia sunt.

Ad litteram K laudatur Sigo, abbas scilicet monasterii Sancti Florentii Salmuriensis ad Ligerim, vir suo tempore clarissimus; cujus æqualis fuit Rainaldus, Turonicæ Sancti Martini ecclesiæ archiclavus seu custos, de quo hic mentio fit ad litteram M.

Stropha incipiens a littera N, mendosa apparet in primo versu : *Nec tua, Girarde-Gilberte, fraudabo nænia*, videturque legendum, *Nec tua, Girarde glaber, te fraudabo nænia.*

Ad litteram S agitur de Wathone, sub quo *Legia magnarum artium nutricula* floruisse dicitur, *subque ipso, cujus sunt hæc rhythmica.* Ex quibus discimus Adelmannum fuisse scholasticum seu præfectum scholis in urbe Leodiensi, scilicet post Watonem, qui Wazo dicitur ab Anselmo canonico Leodiensi, cujus hæc verba in lib. De episcopis Leodiensibus, cap. 84 : « Hic (nimirum Waso) primum sub Notgero præsule capellanus existens, postea ab eodem scholarum donatur magistro. » Chronicon Leodiense apud Labbeum in Bibliothecæ novæ tomo I hæc habet : *Anno* 1041 *obiit Hithardus, succedit Walto;* cujus obitus reponitur anno 1048. Ubi vides Watonem non alium esse a Wasone, uti legitur apud Anselmum, qui pro Hithardo *Nithardum* scribit. Ergo, ut superius præfatus sum, Adelmannus scholis Leodicensibus præfectus est, quod nemo hactenus, ni fallor, observavit.

Sub littera X agitur de Warino, qui videtur fuisse clericus Leodiensis, tum monachus in cœnobio Gorziensi, demumque abbas in Metensi asceterio Sancti Arnulfi, ut patet ex ipsius Warini epistola. *Præsul* ille *durus*, qui Warino *xerapelinos ornatus cum paucis jugeribus* reposcenti denegasse hic memoratur, Durandus est Leodiensis episcopus, cujus nomen inter lineam ascriptum est in codice ms. Ergo hic Warinus a Durando Leodicensi episcopo pauca jugera sibi dari petierat cum aliqua in Leodicensi Ecclesia dignitate, aut qua alia, cujus insigne erat vestis xerampelina. Quæ cum durus antistes Warino negavisset, ille iratus clam Metensem in urbem fugit, ubi cum abbatia S. Arnulfi multas opes nanctus est. Xerampelinos ornatus Gemblacensis codex ita interpretatur ; « Xerapelinæ vestes dicuntur veteres et præsiccæ, pampineum habentes colorem; et ponuntur hoc loco pro quibuscunque antiquis vestibus. » Quæ interpretatio docet nos hoc loco legendum *xerampelinos ornatus.* Quæ vox Græca ex duabus composita est, scilicet ξηρός, quæ *aridum siccumve*, et ἄμπελος, quæ *vineam* significat. Itaque *xerampelini ornatus* dicuntur vestes pampini sicci, colorem qui color siccæ rosæ dicitur imitantes, ut viri docti in Juvenalem observarunt.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MLXI.

NICOLAUS II PAPA.

NOTITIA HISTORICA.

(Ciaconius, *De Vitis Romanorum pontificum*, pag. 312.)

Benedicto antipapa sedem Romanam occupante, A Hildebrandus ex Germania rediens, Senas Tuscorum accedens, quod Romæ tuto pontificalia comitia haberi nequirent, libertate ecclesiastica a Benedicti satellitibus oppressa, omnes ad se per litteras cardinales et nobiles Romanos secum sentientes convocavit, quorum suffragiis Gerardus Allobrox cognomento, Burgundio episcopus Florentinus, ob virtutem et animi præstantiam, Benedicto adulterino rejecto, anno Domini 1058 pontifex maximus renuntiatus, Nicolai II nomen accepit. Post electionem vero, cum Hildebrando, cardinalibus, clero ac nobilibus Romanis, et armata manu Romam versus iter capiens, Sutrii substitit; ibi Tusciæ, Longobardiæ et Campaniæ episcopis congregatis, astantibus principibus aulæ imperialis aliisque primatibus Italiæ proceribus, synodum celebravit, in qua, abdicato apostata Benedicto, et perpetuo exsilio Velitras relegato, ipse denuo in apostolica sede confirmatus, Romam postea cum Gothefridi ducis copiis sub finem B Decembris profectus, Benedictum cum omni ejus factione pontificatu et Urbe expulit; a Romanis, clero et populo honorificentissime susceptus apud basilicam S. Petri ac episcopis cardinalibus die Dominico ad III Nonas Jan., ineunte anno Domini 1059, apostolicam sedem, imperatore Henrico IV Augusto, annos II, menses VI et diem I tenuit. Benedictum autem et ejus studiosos anathemate notavit. Qui haud longe post IX Kal. Febr., quorumdam cardinalium interventu, eumdem ad se pontificalibus vestibus exutum accedentem, et præteritorum veniam suppliciter petentem absolvit, atque apud ecclesiam S. Mariæ Majoris, sacerdotio privatum manere jussit; ubi paulo post, V Idus Aprilis, animi dolore confectus, ibidem moritur et sepelitur. Cæterum Gothefrido duce, cujus armis Urbem, pulso Benedicto, Nicolaus in potestatem suam redegerat, in Tusciam abeunte, cum ob Benedicti defectionem, a Romanis proceribus, in quorum potestate Urbs erat, vexaretur, in Picenum profectus est, et Auxini cum abbate C Casinate Desiderio tandiu mansit, quoad Romæ res ab Hildebrando componerentur. Quam ad urbem paschalibus festis pontifex reversus, pro bene curati negotii præmio, Romanæ sedis archidiaconum in locum Mantii creavit. Cujus suasu post Pascha Laterani generale concilium convocavit, in quo inter cætera legem tulit quæ distinctione XXII apud Gratianum legitur, Ecclesiæ Romanæ saluberrimam, cujus ejusmodi summa est: « Si quis pecunia, vel gratia humana, aut populi militarive tumultu, sine concordi et canonica cardinalium et cleri electione fuerit in Petri sede collocatus, is non apostolicus, sed apostaticus vocetur, liceatque cardinalibus, clericis et religiosis, illum ut prædonem anathematizare, et quovis humano auxilio a sede apostolica expellere, et quovis in loco, si in urbe fieri non potuerit, catholicos hujusce rei causa congregare. » Hæc Gratianus. Hoc ideo decrevit ut schismatibus quæ in posterum oriri possent obviam iret, occasione a Benedicti seditione accepta. In eadem synodo Berengarius Turonensis, decanus Sancti Mauricii, Andegavensis, hæresiarcha, secundo damnatus est, et ab errore revocatus, cujus palinodiam, quæ in Decretis dist. II *De consecratione* exstat, incipitque: *Ego Berengarius*, Humbertus cardinalis Silvæ Candidæ edidit. Qua Berengarius publice confessus est in Eucharistiæ sacramento verum esse corpus et sanguinem Christi, non tanquam in signo seu figura, ut antea docuerat. Contra quem errorem instante et urgente Nicolao papa, Albericus monachus Casinas, et ex abbate Condoniense Cantuariensis archiepiscopus, diaconus cardinalis, vir doctissimus voce et scripto; et Lanfrancus, homo hac ætate eruditissimus, eleganti libro edito disputarunt. Magnum postea doctissimorum hominum agmen hanc pestiferam hæresim confutavit. Quorum præcipui Adelmarius grammaticus, ex clerico Leodiensi episcopus Brixianus, Fulberti Carnotensis præsulis aliquando auditor, et ejusdem hæresiarchæ condiscipulus, Guitmundus, ex monacho cœnobii de Cruce S. Leufredi Aversanus episcopus; Hildebertus, episcopus Cenomanensis primum, deinde Turonensis archiepiscopus, et Algerus Germanus, ex scholastico monachus Corbeiensis in Saxonia, fuere. Hanc sententiam nostro sæculo denuo excitavit infelix Zuinglius, qui meritas nunc sceleris pœnas luit.

Nicolaus II, pertæsus bellum quod Normandi perpetuo cum Ecclesia gerebant, et a Romanis proceribus vexatus, tum primum pacem certis conditionibus et mutuis auxiliis cum Normandis facere constituit, et eam ultro per legatos tentavit, ut ipsorum opibus et præsidio adjutus, nobiles Romanos sibi adversantes compesceret, et Ecclesiæ oppida ab iis occupata recuperaret. Robertus Guiscardus, qui tunc utramque Siciliam obtinebat, pontificis voluntate cognita, quo imperium suum principum fœderibus et legitimis titulis stabiliret, et perpetuum ad id tempus Romanorum pontificum contra gentem suam odium exstingueret, eo in Apuliam accito, pacis conditiones cupide amplexatus est, quæ ejusmodi fuere: ut Normandi anathemate solverentur, ipsorum princeps Robertus Guiscardus beneficiario jure cuncta quæ in Italia possidebat, a Romana Ecclesia tenere agnosceret susciperetque cum pensione annua duodecim denariorum pro singulis jugeribus boum persolvenda; utque Romanus pontifex, universam eam gentem ejusque jura tueretur, et vicissim Normandorum principes jurejurando se fidem Romanis pontificibus servaturos, et ipsorum ditionem defensuros promitteret, ab iis vexilli susceptione principatus, eorum insignia, titulos et jura susciperent, et quæ Romanæ sedi eripuerant, restituerent, præsertim Trojam, et Beneventum. His confectis, pontifex Robertum Guiscardum et Normandos ad apostolicæ sedis gratiam et communionem suscipiens, Robertum jam vectigalem Ecclesiæ factum Campaniæ, Calabriæ

Digitized by Google

et Apuliæ ducem, et Siciliæ comitem creavit. Hæc acta sunt anno Christi 1060, eo loco ubi nunc Aquila condita est, inter Amiternum et Furconem, et in concilio Melphi congregato confirmata. His pactionibus initis, pontifex, ut ditionem ecclesiasticam reciperet, magna ex fœderis formula, a Roberto exercitu accepto, ad Urbem rediit; Prænestinos, Tusculanos, Tiburtinos et Nomentanos, Romanæ Ecclesiæ rebelles, in deditionem accepit, Tiberique trajecto, Galeriam et alia Gerardi comitis oppida diripuit. Castella omnia Sutrium usque expugnavit, et ecclesiasticam ditionem tutissimam reddidit. Petrum Damiani, episcopum Ostiensem, Mediolanum bellis civilibus laborans legatum misit, qui, seditione sedata, in Urbem ad synodum, quam quartam pontifex indixerat, rediit. Cui ex omni Italia frequentes episcopi interfuere; in qua contra Simoniacos et incontinentes sacerdotes aliquot decreta edita. Paulo post synodum Nicolaus, vir in omni vita probatissimus, Florentiam profectus, ibidem v Nonas Julii, anno Domini 1061, optime de Romana Ecclesia meritus, pie quievit, in cathedrali ecclesia sepultus.

Vacavit tunc sedes, propter subsecutum schisma, menses II, dies XXVI.

NOTITIA DIPLOMATICA

(JAFFÉ, *Regesta pontificum Romanorum*, 384.)

† In bullis anni 1060 Nicolaus, Florentinum calculum secutus, initium anni a die 25 m. Martii cœpit, ut quæ ante eum diem scriptæ sunt, eæ annum Inc. Dom. 1059 præbeant (14, 15, 16, 17, 18).

Sententiam in bullis ejus reperimus hanc : CONFIRMA HOC, DEUS, QUOD OPERATUS ES IN NOBIS (17, 20, 21, 24).

Testes subscripserunt :

Bonifacius, Albanensis episcopus (14, 15, 17).
Bonifacius, Gabinensis episcopus (15).
Petrus, Gabinensis episcopus (20).
Petrus, Lavicanensis episcopus (14, 17).
Petrus, dictus Ostiensis episcopus (al., *peccator monachus*) (14, 14, 15, 17, 20).
Joannes, Portuensis episcopus (14, 15, 17, 20).
Bruno, Prænestinus episcopus (14, 15, 17, 29).
Humbertus, dictus S. Ecclesiæ Silvæ-Candidæ episcopus (14).
Desiderius, presbyter cardinalis R. E. ex tit. S. Cæciliæ (15, 17).
Stephanus, » » tit. S. Chrysogoni (15, 20).
Hildebrandus S. R. E. archidiaconus (14, 15, 16, 17).

Scriptæ bullæ sunt per manum

Octaviani scriniarii et notarii S. R. E. [al., *sacri palatii*] (1, 2, 3, 4, 19, 21, 22, 31, 33).
Crescentii notarii et scriniarii S. R. E. (6).
Joannis scriniarii S. R. E. (20).

Datæ per manum

Humberti dicti episcopi Ecclesiæ Silvæ-Candidæ et bibliothecarii S. R. et apost. sed. (1, 2, 3, 4, 5, 6, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 31, 32, 33, 34).
Bernardi episcopi S. Ecclesiæ (35).

NICOLAI II PAPÆ
EPISTOLÆ ET DIPLOMATA.

I.

Nicolaus II papa confirmat bona et possessiones monasterii Sancti Petri Perusini.

(Anno 1059.)

[MARGARINI, *Bullar. Casin.* II, 92, ex archivio monasterii S. Petri de Perusio in capsula privilegiorum, n. 10.]

NICOLAUS episcopus servus servorum Dei, venerabili monasterio Beati Petri apostoli, sito extra, imo et juxta civitatem Perusinam, in loco qui dicitur Caprarius, et per illud BONIZONI abbati, ejusque successoribus ibidem juste et regulariter promovendis in perpetuum.

Cum universalis sancta mater Ecclesia per gloriosos apostolorum principes, Petrum scilicet piscatorem hominum, et Paulum doctorem gentium, præ cæteris cooperatoribus maxime sit coadunata, instituta et dilatata, convenit eis confirmari et detineri omnia quæ suæ ditionis ac potestatis reperiuntur specialia. Quapropter ad hujus supradicti monasterii honorem semper augendum, et nunquam minuendum, concedimus per hoc apostolicæ defensionis privilegium, ut teneat et habeat pacifice et quiete quod hactenus tenuit et habuit, et nunc tenet et habet, scilicet cellas suas et ecclesias, cortes suas ac plebes, fundos etiam, et casales, plebem scilicet Sancti Constantii, et Sancti Rufini, et Sancti Martini, ecclesiam Sanctæ Mariæ in Agellione, cum suis pertinentiis; curtem de Casale, et curtem Sancti Justini; curtem de Petroniano; ecclesiam Sancti Andreæ de Aliano, cum sua pertinentia; ecclesiamque Sanctæ Mariæ in Petithiano, et ecclesiam Sancti Clementis, atque medietatem ecclesiæ Sancti Donati

Digitized by Google

in civitella; nec non et terram Hugonis nepotis Bernonis de Montenigro. Insuperque confirmamus eidem monasterio in perpetuum massas tres in comitatu Perusino positas : unam quæ vocatur Pusulo, alteram Filomio, et aliam quæ nuncupatur Casalini, cum ecclesiis, casis, vineis, campis, hortis, montibus, cultis et incultis, omnibusque suis pertinentiis; monasterium quoque Sancti Angeli in comitatu Arisati, in loco qui dicitur Tolliano et Lunisano, cum cellis et capellis suis, et cum omnibus suis pertinentibus. Nec non quidquid deinceps præfatum Sancti Petri monasterium, quovismodo, divinis vel humanis legibus cognito, acquirere potuerit, hujus nostri apostolici privilegii tenore confirmamus. Licentiam quoque damus tibi de omnibus clericis, tam in monasterio degentibus quamque etiam foris in possessionibus ejus manentibus, a quocunque volueris idoneo et canonice locato episcopo eo ordinandi, et chrisma in tuis plebibus accipere. Si autem ab episcopo in cujus diœcesi præfatum monasterium situm est, nec ordinationes, nec chrisma potueris canonice et gratis obtinere aut impetrare, et de ecclesiis consecrandis eodem modo; et nullus episcopus ad idem monasterium pertinentem excommunicare, aut damnare audeat, si in causa sua nostrum, ac sanctæ apostolicæ sedis patrociniam et examen flagitat. Romani autem pontificis donum abbatiæ et abbas ipse, et consecratio abbatis sit in perpetuum. Et omni remota excusatione, nisi canonica, ad synodum, quandocunque a summo pontifice vocatus fuerit, veniat. Porro oblationes, eidem monasterio collatæ tam pro vivis quam pro defunctis, a nullo episcoporum pervadantur, sed ex integro proficiant monasterii utilitatibus ac fratrum necessitatibus. Decimæ autem ejusdem monasterii in susceptione hospitum et peregrinorum ad portam ipsius monasterii conferantur. Servitium quoque, et quod vulgariter dicunt foderum, nec imperatori, nec regi, nec marchioni, nec alicui hominum liceat ex eodem monasterio, aut ex pertinentia ejus requirere, nisi soli nostræ apostolicæ sedi. Insuper, et ibi sepeliri nequaquam prohibeat mortuum. Episcopus vero publicas missas, et stationem ibidem facere non audeat, nisi ab abbate ipsius monasterii fuerit invitatus, ne, sicut beatus Gregorius ait, in servorum Dei secessibus ulla occasio præbeatur popularibus conventibus; et simpliciores ex hoc animas plerumque (*quod absit!*) in scandalum trahat frequentior quoque mulierum introitus. Quod si invitante, vel annuente abbate, episcopus ibidem missas publicas facere voluerit, his tantum diebus id agat, scilicet secunda feria Paschæ, et beatorum Petri et Pauli Natalitiis; sed nullas inde oblationes tollat ipse, aut aliquis clericorum ejus, invito abbate, ac fratribus. Statuimus quoque ut, obeunte abbate monasterii ipsius, nec episcopus, nec aliquis clericorum ejus in describendis, prævidendisque acquisitis, acquirendisque ejusdem monasterii rebus, nulla se occasione permisceat. Abbatem vero eidem monasterio, non alium, sed quem dignum moribus, atque aptum disciplinæ monasticæ, communi consensu, congregatio tota poposcerit, si ex se habuerit, vel si ab alia congregatione sibi elegerit, absque aliqua venalitate, a Romano pontifice consecrandum. Decernimus etiam ut omnes eidem monasterii carthæ contrariæ et nocivæ omnino vacuæ et inanes existant. Præterea apostolica nostra auctoritate constituimus et confirmamus ut nullus imperator, rex, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, guastaldio, aut alia quælibet magna parvaque persona, te prædictum abbatem, tuosque successores canonice intrantes, de jam dicto monasterio, vel de omnibus suis rebus, et proprietatibus mobilibus et immobilibus, ac sese moventibus molestare ac divertere, aut inquietare audeat. Si quis ergo contra hujus nostri apostolici privilegii decretalem temere agere tentaverit, vel præsumpserit, auctoritate sanctæ et individuæ Trinitatis, et beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostra, perpetuæ maledictionis anathemati se subjacere noverit, donec resipiscens satisfecerit. Insuper compositurus existat duodecim libras auri, medietatem nostro sacro palatio, medietatem ipsi monasterio. Qui vero pio studio hanc observare voluerit, et præfatum monasterium in nulla sua justitia vel rebus suis fraudaverit, sive qui, ei reverentiam habens, pro Deo de suis aliquid contulerit, benedictionis gratiam a Domino Deo consequatur, et per clavigerum principem cœli januas regni cœlestis introduci mereatur.

Scriptum per manum Octaviani scriniarii, notariique sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Februario, et indictione XII. Bene valete.

Datum Romæ octavo Kalen. Martii, anno Dominicæ Christi 1059, per manus Humberti dicti episcopi sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ, et bibliothecarii sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis, anno primo pontificatus domni papæ Nicolai II, indictione XII.

II.

Nicolai II summi pontificis bulla qua monasterio Sancti Vincentii ad Vulturnum, et Joanni IV, ejus abbati, omnia illius bona et jura confirmat.

(Anno 1059.)

[Muratori, *Rer. Ital. Script.* I, II, 5, 4.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Joanni, abbati venerabilis monasterii Christi martyris Vincentii super ipsum fontem Vulturni fluminis constructi, et per eum cunctis successoribus ejus regulariter ad regimen promovendis in perpetuum.

Etsi omnibus sollicitudinem nostram et apostolicæ sedis munimentum protendere debemus, piis tamen locis, et præcipue religione monastica pollentibus, abundantius quidquid pietatis et utilitatis possumus, quatenus ex pia provisione cœnobitarum in futuro plenam mercedem cum eis, et pro eis Deo miserante, mereamur. Proinde benevola conden-

Digitized by Google

scensione annuentes petitionibus tuis, charissime fili, et abba Joannes per hanc apostolicæ auctoritatis decretalem paginam, secundum quod tuis antecessoribus nostri fecisse noscuntur, concedimus et confirmamus tibi, tuisque successoribus post te regulariter promovendis in perpetuum præfatum monasterium Beati Vincentii martyris situm super ipsum fontem Vulturnum in territorio Beneventano in partibus Samniæ cum omnibus suis pertinentiis et cellis, videlicet monasterium Beati Petri apostoli positu n juxta fluvium Sabbati, monasterium quoque Sancti Adeodati intra Beneventum, et ecclesiam Sancti Stephani; cellam Sanctæ Mariæ in loco Sano, etc. Concedimus licentiam vobis vestrisque posteris ad altaria consecranda et clericos in quolibet gradu ordinandos invitare quem volueritis episcopum. Interdicimus etiam ne quis episcoporum ex eodem monasterio abbatem vel monachum audeat ad suam synodum provocare, vel excommunicare. Jubemus quoque concedendo vobis cujuscunque Ecclesiæ clericum, si venerit ad conversionem, ut recipiatis secundum monasticam disciplinam..... chrisma, et oleum sanctum acquiratis a beneplacito vobis episcopo, etc. Si quis autem, quod non optamus, etc.

Scriptum per manus Octaviani scriniarii S. R. E. notarii, mense Martio, et indictione XII. Bene valete.

Datum Spoleti VI Nonas Martii, anno Jesu Christi 1059, per manus Humberti sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi, anno I Pontificatus domni papæ Nicolai secundi, indictione XII.

III.

Nicolaus II papa confirmat bona ac privilegia omnia a Leone PP. IX Casinensi monasterio concessa.

(Anno 1059.)

[Cocquelines, *Bullar.*, I, 401, ex regesto Petri Diaconi, num. 18, fol. 17 a tergo.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, Desiderio dilecto filio abbati venerabilis cœnobii almi Patris Benedicti, quod nuncupatur Mons Casinus, cunctisque successoribus ejus illic regulariter ad regimen promovendis, in perpetuum.

Pastoralis sollicitudinis nostræ bonum si debet perspicere et proficere omnibus etiam extraneis et longinquis, multo magis domesticis et propinquis. Ipsis quippe post Dominum secundo gradu admovenda est invisibilis charitas, ut per eos velut quædam visibilis flamma gradatim ad remotiores quosque discurrat. Piis ergo locis et divina religione venerabilibus debitæ consolationis et defensionis porrecturi manus, illum cæteris præferendum non ambigimus quem monasticæ normæ constat esse principale gymnasium, et sanctæ Romanæ et apostolicæ sedi contiguum; quem cives Romani, patres videlicet eximii Benedictus, Maurus et Placidus cum nonnullis aliis fundarunt, quemque, a gentibus destructum, Romani pontifices nihilominus sua auctoritate restruxere, et privilegiis apostolicæ sedis merito cæteris cœnobiis prætulerunt, atque contra quorumlibet suspectas injurias efficaciter munierunt. Quorum nos sacræ auctoritati sicut tempore et loco succedimus, sic eorum exemplo, ut oportet, inhitimur, et per hujus nostræ decretalis paginæ tenorem tibi, dilectissime fili Desideri, quem abbatem consecravimus, concedimus, secundum privilegia antecessorum nostrorum atque consuetudinem, monasterium almi Patris Benedicti, situm monte castri Casini, cunctamque ipsius monasterii abbatiam, in integro cum cellis suis, castellis, prædiis et omni sua pertinentia, et hac nostra auctoritate confirmamus tam in finibus Beneventanorum, Apulorum et Calabrorum, quam etiam in finibus Marsorum et in marchiis, sive ubicunque longe et prope hactenus jure sibi pertinet aliquid, sive quidquid deinceps ubi vis juste acquisierit. Ad hæc justitiam, vel quodlibet debitum quod officiales nostri sacri palatii exigunt a navibus ad Romanum portum applicantibus, vestri cœnobii navi peculiari gratanter relaxamus; et quotiescunque Romam ad servitium sanctæ Romanæ Ecclesiæ veneritis, in sancta Jerusalem palatii Susurriani hospitium habeatis; et defuncto abbate ibidem, vestra vel vestrorum successorum electione abbas constituatur, a Romano pontifice consecrandus, conservato vobis vestrisque successoribus privilegium, tam quod ex navi vestra, quam quod ex ipsa destructa ecclesia, ut vel sic restruereretur, proximus decessor noster sanctus Leo firmavit abbati Richerio. Usum quoque sandaliorum et dalmaticæ quamvis jure cardinalatus tui ab apostolica sede perceperis, a nobis tamen tibi et loco deinceps in principalibus festis tantum concedimus ad honorificentiam tam venerabilis cœnobii, et ob dilectionem tui, secundum quod præfatus decessor noster tuo præfato concessit.

Præterea corroboramus tibi tuisque successoribus in omni conventu episcoporum et principum superiorem in omnibus abbatibus sedem, et in conciliis et judiciis priorem tui ordinis hominibus sententiam pro reverentia tanti loci, qui primum et summum monasticæ legislatorem vivum et mortuum retinere promeruit; quique ipsius legislatorem scripto, verbo et exemplo cœnobiale propositum appetendo, in toto mundo sole clarius evibravit. Defuncto autem abbate, ex sese ipsa congregatio, secundum sanius consilium sapientum et seniorum fratrum, sibi abbatem eligat, et apostolicæ sedis pontifici firmandum et consecrandum exhibeat. Nec aliter ibi abbas constituatur, aut aliunde illuc intromittatur, nisi forte ex se aliquem tanto regimini idoneum non habuerint, et ob id saniori consilio extraneum sibi elegerint. Porro, præter summum apostolicæ sedis præsulem, cujuslibet Ecclesiæ episcopum vel sacerdotem in præfato monasterio vel in cellis ipsius ditionem quamlibet sibi præsumere hac nostra interdicimus auctoritate: ita ut, nisi ab abbate fuerit invitatus, nec missarum solemnia inibi au-

Digitized by Google

deat celebrare, sed, remota et propulsata qualibet oppressione ecclesiasticarum vel sæcularium personarum, sicut hactenus mansit, a præsenti duodecima indictione hoc nostro privilegio in perpetuum quietum et liberum, ad servitium et gloriam Dei maneat, sub defensione et jure sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis, cum suis omnibus.

Ex quibus summatim et generaliter omnibus hæc nominatim et specialiter tantum istic digessimus : In primis monasterium Domini Salvatoris positum ad ipsius pedem montis ; atque monasterium Sanctæ Dei genitricis et virginis Mariæ, qui vocatur Plumbarola ; sed et castellum S. Petri ad pedem ipsius montis, quod ab antiquis dictum est castrum Casini, nec non et castellum S. Angeli ; castellum qui vocatur Piniatario, et Junctura ; castellum S. Georgii, et S. Apollinaris, et S. Ambrosii, et S. Andreæ : et castellum qui vocatur Vallisfrigida : castellum qui dicitur Bantra, et S. Petri in Hia ; S. Victoris, Toroculum, Cervaru, S. Eliæ, Vallemrotundam, Rocca de Bontra, cum omnibus suis pertinentiis ; castellum qui dicitur Sarasiniscum, et castellum S. Stephani ; cellam Sanctæ Mariæ in Albaneta ; et S. Nicolai in Ciconia, S. Benedicti in Clia, S. Angeli in Vallelucis, et cella Sancti Michaelis ; in comitatu Aquinensi cellam S. Gregorii, S. Mauritii, et S. Nicolai in Pica, S. Angeli in Cannuccio, S. Mariæ in Barole, et S. Petri in Ascleto ; item in Luca cellam S. Georgii prope Posterulam ; Wiriwalam, quam S. Benedicto contulere Enricus et Rolandus fratres, sanctæ conversationis habitum quærentes ; cellam S. Benedicti, et S. Scholasticæ in Gaeta ; S. Stephani in Terracina ; S. Luciæ, S. Petri in Curuli ; S. Sylvestri, et S. Luciæ in Arpino ; S. Benedicti in colle de Insula ; S. Germani in Sura ; curtem S. Urbani in Comino ; cellam S. Pauli ibidem et S. Nazarii, et S. Valentini, ac S. Salvatoris ; cellam S. Benedicti in Venafro ; et S. Nazarii, et S. Mariæ in Sala ; curtem S. Benedicti minoris ibidem ; castellum quod dicitur Capriata, et Francilonis, et S. Joannis ; curtem S. Felicis ; castellum qui vocatur Conca ; cellam S. Benedicti in Cesama ; S. Benedicti in Teano ; et S. Benedicti in Suessa ; nec non et cellam S. Benedicti in Capua cum ipso Gualdo de Ligure et cum omnibus suis pertinentiis ; cellam S. Joannis ancillarum Dei in eadem civitate ; S. Mariæ in Calvo ; S. Mariæ in Cingola ; S. Adjutoris in Alifas ; S. Cæciliæ in Napoli ; Ecclesiam Sanctæ Crucis in Ancalfi ; cellam S. Benedicti in Salerno ; et cellam S. Sophiæ infra civitatem Beneventanam ; cellam S. Benedicti in Asculo ; cellam S. Benedicti in Trans ; et S. Benedicti in Bari : cellam S. Mariæ ancillarum Dei in civitate Cosentia ; cellam S. Benedicti in Pectinaro, S. Mariæ in Banse, S. Benedicti in Alarimo ; cellam S. Eustasii quam S. Benedicto obtulit Adelpherius Pantasia, cellam S. Mariæ in Murone, S. Eustatii in Petra abundanti, S. Mariæ in Batratano, S. Mariæ in Casmeta juxta fluvium Trinium, S. Benedicti in Ripa Ursa cum suis omnibus pertinentiis ; nec non et castellum qui vocatur Lastinianum, et alia tria castella, montem Alberici, Mucelam, S. Quirici cum portu decem navium, quæ duo Trasimundus comes filius Altonis beato Benedicto in monte Casino legali donatione et chartarum monumentis contulit ; tertium autem castellum Frisam, quod præfati Trasmundi uxor pro anima sua, consentiente viro suo, S. Benedicto obtulit ; S. Justa ibidem ; cellam S. Focati in Alarino, S. Georgii in Termole ; cellam S. Liberatoris in Marchia, cum quadraginta cellis ; S. Salvatoris in Tabe, S. Scholasticæ in Pinne, S. Martini in Salina, S. Nicolai in Apruxo, S. Angeli in Maranno, cum omnibus cellis suis sanctorum septem fratrum ; S. Laurentii, et S. Benedicti in Trunto, S. Apollinaris in Firmo, S. Benedicti in Tisino, et S. Mariæ in Arboscola ; cellam S. Benedicti in Marli, et S. Cosmati ; cellam S. Angeli in Valleregia cum castellis et omnibus suis pertinentiis ; nec non et castella in comitatu Asculano id est Octavus, et post montem Cinianum et Trivilianum, et Cavino, quod Rolandus in præfato monasterio cum suis nepotibus obtulere ; cellam S. Jacobi in Tremiti cum ipsis insulis ; in Comino castellum qui dicitur Vicalbo, cum omnibus suis pertinentiis.

His igitur et omnibus quæ præfato cœnobio juste pertinent nunc, quæ in futuro juste pertinebunt, sub tutela et Romana libertate hoc privilegio perpetualiter, ad temporalem servorum Dei præsentium scilicet atque futurorum quietem, statutis, atque confirmatis ; apostolica censura, sub interpositione districti anathematis et divini contestatione judicii, interminamus omnibus tam præsentibus quam futuris, ne ullus hominum cujuscunque ordinis, dignitatis, conditionis, vel cujuscunque officii, seu quælibet vel quantumlibet parva aut magna persona, quibuscunque rebus vel personis præfato monasterio juste pertinentibus aliquam violentiam inferat, aut calumniosus existat, vel incumbat. Insuper quia monasticus cursus secundum præceptum regulæ almi Patris Benedicti æstivis et hiemalibus temporibus præfixus est, auctoritate apostolica concedimus ut liceat fratribus signum pulsare in eodem monasterio et in cellis ejus, tam ad diurnas quam ad nocturnas horas, quandocunque voluerint. Liceat quoque ipsius monasterii et cellarum ejus fratribus clericum cujuscunque ordinis, de quocunque episcopatu fuerit, secundum traditionem sanctorum Patrum suscipere cum rebus suis ad conversandum et monachicum habitum suscipiendum, absque interdictione quorumlibet episcoporum ; ut liceat eisdem subjectis monasterii eorum judicare tam monachos quam et sanctimoniales feminas, absque prohibitione et contradictione cujuslibet sæcularis potestatis seu ecclesiasticæ. Et quia cupimus tam præsentium quam futurorum malignæ avaritiæ et nequitiæ obviare, hac nostra apostolica auctoritate pariter interdicimus seditiones, quas dicunt levas, seu depredationes, ne fiant aliquo modo in cujuscunque abbatis

Digitized by Google

aut rectoris morte aut electione. Ad hæc liceat vobis sacrum chrisma, et ecclesiasticos ordines, et altarium consecrationes ab episcopo quolibet canonice promoto accipere, et Christianismum in ecclesiis vestris agere per clericos vestros, et hymnum angelicum per dies Dominicos et festivitates ad missarum solemnia rite decantare. Et nullus episcopus præsumat in jam dicto monasterio venire, vel in ecclesiis sibi subjectis sacerdotem excommunicare, vel ad synodum provocare, aut abbatem et monachos qui illo in tempore fuerint.

Porro cupientes consulere monasticæ religioni, quæ peccatis exigentibus passim depravatur, te tantummodo diebus vitæ tuæ vicarium nobis ad correctionem omnium monasteriorum et monachorum ab ipso fluvio Piscaria, sicut influit in mare, scilicet per totam Campaniam, Principatum quoque, et Apuliam, atque Calabriam, assumere decrevimus, ita ut capitulum in eis habeas, et vice nostra indisciplinatos, cum adjutorio episcoporum ad quos monasteria ipsa pertinent, corrigas, et quæ sunt emendanda, si potueris, secundum Dominum emendes, aut apostolicæ sedis pontifici renunties ad perpetuam animæ vestræ mercedem, et monasticæ religionis emendationem et conservationem, pariter quoque ad tui cardinalatus dignitatem et sanctissimi Benedicti honorificentiam, ea gratia ut monasticus ordo corrigatur illis in partibus per te religiosum et prudentissimum successorem illius. Si quis vero, quod non optamus, hujus nostri privilegii decretalem paginam temerario ausu in aliquo infringere tentaverit, æternæ maledictionis innodatum vinculis se noverit, et perpetua supplicia luiturum cum diabolo et angelis ejus, nisi forte prius resipiscens satisfecerit At qui pietatis intuitu devotus observator exstiterit, ipsius interventu almi Patris Benedicti perfectorumque sequacium sociorumque ejus, sempiternæ benedictionis particeps, et paradisi beatus possessor efficiatur. Amen.

Scriptum per manum Octaviani notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ apostolicæ sedis, anno primo pontificatus domni papæ Nicolai secundi, indictione duodecima.

Datum Auximi octavo Idus Martii, anno Jesu Christi millesimo quinquagesimo nono, per manum Humberti sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi, et bibliothecarii apostolicæ sedis.

IV.

Nicolaus II pontifex confirmat erectionem capituli B. Mariæ Virg. ad Gradus, Coloniæ Agrippinæ, quod est XX *canonicorum collegium, a S. Annone Coloniensi archiepiscopo fundatum, multisque prædiis a B. Richeza* (1) *Poloniæ regina dotatum.*

(Anno 1059.)

[Miræus, *Opp. diplom.*, IV, 3.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri Annoni, archiepiscopo Coloniensi, perpetuam in Domino salutem.

Pontificii apostolatus nostri est, universali vigilantia omnibus ecclesiasticis negotiis utiliter prospicere; religiosorum tamen locorum utilitatibus summam sollicitudinem pia devotione impendere. Quam cum omnibus generaliter debeamus, specialiter tamen assensum prærogativæ dilectionis erga reverentiam fraternitatis tuæ semper habere optamus.

Quocirca, dum omnibus justis petitionibus debeatur facilis assensus, suggestione benignitatis tuæ promptus charitatis nostræ exhibetur affectus. Itaque secundum amorem petitionis tuæ ecclesiam B. Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi, sitam inter muros urbis Coloniæ in loco qui vocatur ad Gradus, quam pia devotio tua construxit et ad omnipotentis Dei honorem, atque animæ perpetuam mercedem, possessionibus ac rebus interius et exterius ditavit, sub apostolicæ defensionis tutela recipimus.

Apostolica nihilominus auctoritate confirmamus eidem ecclesiæ quidquid et tuæ devotæ religionis intentio divini zeli fervore hactenus contulit, scilicet Blisenna, Wissa, Unckelo, Heigenbach, Elinke, Flamnersheimb, et antecessor tuus Hermannus archiepiscopus eidem ecclesiæ exædificandæ, de cæterorum possessionibus acquisivit, et quod tua industria, Richesæ et cohæredum acquisivit Meckenichem, Cloteno, Demunderedo, Assela, et decimationem in Saxonia, quæ feudum Henrici fuit, et quidquid in futurum quocunque modo divinis vel humanis legibus congruo tua charitas et quorumcunque fidelium acquirere poterit.

Statuimus itaque, per hujus nostri privilegii decretalem paginam, ut nulla unquam cujuscunque dignitatis, gradus vel ordinis magna parvaque persona audeat et præsumat ipsam ecclesiam aut religiose famulantes ei ullo modo inquietando molestare, aut de suis mobilibus vel immobilibus, temerario ausu discutere, quoniam dignum est ut qui continuo obsequio in Christi solius militia exercitantur, indeficientis nostræ inspectionis salubri munimine protegantur.

Unde auctoritate Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et beatorum apostolorum principum Petri et Pauli, affectui sanctæ devotionis tuæ, charissime confrater, gratanti animo annuentes, statuimus, et sub interpositione perpetui anathematis ac divini judicii observatione præcipimus ut tua et hæc nostra eadem, ad augmentum præfatæ ecclesiæ perpetualiter confirmanda, statuta, inviolata permaneant.

Si quis igitur, quod non optamus, hujus nostræ decretalis privilegii paginæ temerario ausu violator existere, et sanctæ sedis apostolicæ contumaci rebellione decreta corrumpere præsumpserit, sciat se per-

(1) B. Richeza, alias Ritza S. Annonis archiep. Colon. neptis, Micceslai Poloniæ regis conjux, mater fuit B Casimiri, ex Cluniacensi monacho et diacono, dispensante papa, Poloniæ regis. Mortua est anno 1057, sepulta in ecclesia B. Mariæ virginis ad Gradus Coloniæ. Colitur die XX Martii.

Digitized by Google

petuæ maledictionis anathemate damnandum, et cum diabolo et satellitibus ejus æterni ignis incendio cremandum, nisi forte resipuerit, et Deo et prædictæ ecclesiæ condigne satisfecerit. Qui vero pia devotionis intentione conservator exstiterit, peccatorum suorum omnium, precibus beatorum apostolorum principum, consequatur veniam, et cum omnibus divinæ legis observatoribus, æternæ beatudinis promereatur gloriam.

Scriptum per manum Octaviani, sacri scrinii et sanctæ Romanæ Ecclesiæ notarii, Kalendis Maii, indictione XII, anno Domini nostri Jesu Christi 1058, per manus Humberti sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi et apostolicæ sedis bibliothecarii, anno primo pontificatus Domini papæ Nicolai secundi, indictione duodecima.

V.

Nicolaus II Ecclesiæ Pennensis bona, petente Joanne episcopo, confirmat.

(Anno 1059.)

[Ughelli, *Italia sacra*, I, 1116.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri Joanni Pennensi episcopo et per te ecclesiæ S. Mariæ et gloriosi Christi martyris ac levitæ Maximi, tuisque successoribus in perpetuum.

Officii nostri est omnibus ecclesiasticis utilitatibus providere, et justis desideriis ac petitionibus prompto animo indulgere. Unde, quia petisti a nobis, charissime confrater, ut per nostri privilegii paginam tuæ ecclesiæ, et tibi, tuisque successoribus perpetualiter confirmaremus omnia quæ prædictæ ecclesiæ juste et legaliter competunt, petitioni tuæ gratanter annuentes, per hujus nostræ constitutionis decretum et apostolicæ sedis edictum concedimus et confirmamus tibi, sicut superius legitur, in perpetuum quidquid in prænominatæ ecclesiæ episcopio B. Mariæ et gloriosi Christi martyris et Levitæ Maximi in præsentiarum possides, quæque in futurum quocunque modo divinis, et humanis legibus cognitis acquirere poteris, scilicet ipsum episcopatum cum omnibus rebus et possessionibus suis, et pertinentiis, mobilibus et immobilibus seseque moventibus, castris, villis et territoriis, ecclesiis cum primitiis et decimalibus, et cum omnibus quæ ibi pia devotio fidelium sacris contulit oblationibus, tam pro salute vivorum quam etiam pro mortuorum. Statuentes per hanc hujus sanctæ sedis apostolicæ, cui annuente Deo præesse dignoscimur, inviolabilem constitutionem, ut nullus imperator, marchio, comes, vicecomes, aut alia quælibet magna, parva, cujuscunque dignitatis vel ordinis persona, contra hoc nostrum privilegium præsumat jam dictum episcopium, aut te, charissime fili, tuosque in perpetuum successores de bonis suis divestire, inquietare, aut aliquid ibi contra sacros canones constituere vel ordinare. Si quis igitur ei, sicut a nostra apostolica auctoritate concessum, et concessa . . . . pertinere non permiserit, sciat se anathematis vinculo innodatum a Patre, et Filio, et Spiritu sancto, et auctoritate B. Petri principis apostolorum, nec non cum diabolo et Juda traditore D. N. J. Christi eos in incendii concremari supplicio, et insuper sciat se daturum x auri libras: scilicet medietatem nostro sacro palatio, et medietatem prædicto episcopio. Qui vero intuitu pio observator in omnibus exstiterit, custodiendo hujus nostri privilegii constitutionem, vel cultum Dei respiciendo, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo habeat, et vitæ æternæ particeps sit, et misereatur in sæcula sæculorum.

Datum Romæ VI Non. Maii, anno Dom. nostri Jesu Christi 1059, per manus Humberti S. ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi, et apostolicæ sedis bibliothecarii, anno I pontificatus D. papæ Nicolai II, ind. XII.

VI.

Nicolaus II Ecclesiæ Teatinæ possessiones finesque, rogatu Actonis episcopi, confirmat,

(Anno 1059.)

[Ughelli, *Italia sacra*, VI, 676.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri Actoni sanctæ Teatensis Ecclesiæ episcopo, universisque successoribus tuis in Ecclesia eadem canonice promovendis in perpetuum.

Etsi jubemur, dum tempus habemus, ad opus bonum operari, maxime tamen ad domesticos fidei: unde omnibus Ecclesiis Christi, pro ea, quæ nobis credita est dispensatione, sollicitudinem nostram debentes, sic debemus invigilare longinquis, ne in aliquo absimus propinquis. Itaque ad suggestionem tuam, charissime confrater et coepiscope Acto, quem a rev. mem. domino nostro Victore ex episcopatu Marsicano ad Teatensem promotum gaudemus, et antecessoribus nostris atque nobis fideliter et jugiter deservire in S. Romanæ Ecclesiæ cura cognoscimus, episcopatum Teatensem cum omni sua integritate et pertinentia, sicut antiquis et justis limitibus determinatur, confirmamus: scilicet a Staffilo inter montes, et ipso monte de Ursa, et quomodo pergit in Coya, et ponit terminum in aqua, subtus terra usque ad aquam-sonulam, et quomodo pergit usque in montem de Teste, et vadit per Vinæ montem, et qualiter pergit usque mons Clavi, et quomodo pergit ipso fluvio de Trinio usque in littoribus maris, et juxta mare usque in Piscariam, et redit in priorem finem, quod est ipso Staffilo. Igitur statuentes apostolica auctoritate confirmamus tibi, successoribus tuis, nec non Ecclesiæ tuæ civitatem Teatensem, et castellum Tribullianum, et curtem Cisternæ, curtemque de Patroncello, nec non castellum de Genestrale cum plebe S. Michaelis montem quoque Fllardi cum capella Sanctæ Trinitatis, plebem S. Martini de Turri, et partem de Aterno cum plebe sanctorum Langutiani et Domitiani, et partem de Portu, ac castellum de Sancto Joanne cum sua capella, castellum quoque de plebe S. Hilarii cum eadem plebe, et castellum de Villamagna cum plebe S. Michaelis,

Digitized by Google

plebem etiam S. Mariæ de Caramancio, et castellum A de Luco, castellum quoque de Petra, plebemque S. Joannis de Albateco, castellum Pulveri cum sua capella, plebem etiam S. Stephani in Baxamo, et plebem de Buvlanico et plebem S. Martini de terra Doni Tresidii, et montem Perge cum Sancto Angelo, et sedibus molendinorum, plebemque de Juliano, et plebem S. Cæciliæ, ac plebem de Piro Coartio, et plebem de Oucule, plebem quoque S. Mariæ in Pari, et plebem S. Mariæ in Domo, et plebem de Attissa, et monasterium S. Mauri, et plebem S. Nicolai de monte Oderisii, et montem Acuto, et in furca et ultra Piscariam terras eidem episcopatui pertinentes. Hæc omnia, et multa alia prædicto episcopatui pertinentia, quæ hic non sunt descripta confirmamus, plebes scilicet, et capellas, et castella, B curtes cum omnibus suis pertinentiis et decimationibus, atque oblationibus fidelium mortuorum atque vivorum, nec non primitiis, ac omnibus dationibus episcopatui canonica auctoritate pertinentibus. Si quis autem, quod absit, de his omnibus quæ prædiximus, temerario ausu, sive imperator, vel marchio, aut comes, aut aliqua persona laica, aut aliquis episcopus, sive abbas, monachus, vel presbyter infringere, minuere aut retinere præsumpserit contra tuam Ecclesiam, vel contra tuam voluntatem, et successorum tuorum statuentes apostolica auctoritate, sub divini judicii interminatione, ut nulla unquam magna, vel parva cujuscunque dignitatis, aut ordinis persona, sicut supra præfati sumus, te, vel successores tuos de prænominatis C bonis ecclesiæ tuæ, vel de omnibus ad eam juste pertinentibus inquietare vel molestare audeat; nec aliquis archiepiscopus, vel episc. in tua diœcesi quidquam pro constitutione ordinare vel agere sine tua successorumque tuorum licentia audeant; sed, contrarietate remota ecclesiastica, cum suis justitiis perpetualiter quieta remaneat. Qui vero hæc, quæ a nobis pio intuitu promulgata sunt, infringere vel in aliquo transgredi, sicut diximus, præsumpserit, omnipotentis Dei iram incurrat, et nostro anathemate confossus pereat, sed et cum diabolo damnatus gemat, et insuper sciat se daturum centum auri libras, medietatem sacro nostro palatio, et medietatem ipsi prædicto episcopo. Qui vero pio intuitu ob- D servator in omnibus exstiterit, custodiens hujusmodi nostri privilegii constituta ad cultum Dei respicientis, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo habeat, et vitæ æternæ particeps esse mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manus Crescentii notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ mense Maio die secunda, indictione duodecima. Locus † signi domini papæ.

Dat. Romæ VI Non. Maii, ann. Domini nostri Jesu Christi 1059, per manus Humberti sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi et apostolicæ sedis bibliothecarii, anno primo pontificatus domini papæ Nicolai II, indictione duodecima.

VII.

(Anno 1059.)

[Mansi, *Concil.* XIX, 873.]

Nicolai II Epistola ad episcopos Galliæ, Aquitaniæ, Vasconiæ. — Decreta promulgata in Romana synodo ann. 1059 *nonnulla continet.*

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, clericis et laicis fidelibus, tam majoribus quam minoribus, per omnes Gallias in Christo commorantibus, imo Aquitanicis et Vasconibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Anno Dominicæ Incarnationis 1059, anno pontificatus nostri primo, indict. XII, Romana urbe in basilica Sancti Salvatoris quæ appellatur Constantiniana, sanctam celebrantes synodum, a sanctis Patribus, videlicet 113 episcopis, exceptis abbatibus, et clericis religiosis ac laicis celebratam, de statu Ecclesiæ sanctæ ad communem utilitatem, Deo propitio, canonice disposuimus. Inter cætera de Nicolaitarum hæresi, id est de conjugatis presbyteris, diaconibus et omnibus in clero constitutis, ab omni concilio statutum est et corroboratum ita: «Quicunque sacerdotum, diaconorum et subdiaconorum, post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi Leonis papæ de castitate clericorum, concubinam palam duxit, vel ductam non reliquit, ex parte omnipotentis Dei, auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli, præcipimus et omnino contradicimus ut missam non cantent, neque Evangelium pronuntient, neque Epistolam ad missam legant, neque in presbyterio ad divina officia cum his qui præfatæ institutioni obedientes fuerunt maneant, neque partem ab Ecclesia recipiant quousque a nobis sententia super hujusmodi, Deo concedente, procedat. Et præcipientes statuimus ut hi prædictorum ordinum, qui ejusdem prædecessoris nostri decreto obedientes hæc servaverint, juxta Ecclesias quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent et dormiant. Et rogantes monemus ut ad apostolicam, communem scilicet, vitam summopere pervenire studeant; quatenus, perfectionem consecuti, cum his qui centesimo fructu ditantur in cœlesti patria mereantur ascribi.»

De his autem clericis qui tonsuram projiciunt, et a clericatu recedunt, quos apostatas Julianistas jure vocitamus, statuimus ut, nisi ad professionem clericatus redierint, omni christiana communione priventur.

De monachis vero propositum non servantibus decrevimus ut, quousque ad propositum redeant, et in monasterio regulariter consistant, communione privati permaneant.

Illi etiam qui peregrinos, vel oratores cujuscunque sancti, sive clericos, sive monachos, vel feminas, seu inermes pauperes deprædati fuerint, vel bona eorum rapuerint, vel in malum eis obviaverint, anathematis vinculo feriantur, nisi digne emendaverint.

De confiniis cœmeteriorum, sicut antiquitus a

Digitized by Google

sanctis Patribus statutum est, statuimus ita : Ut major ecclesia per circuitum sexaginta passus habeat, capellæ vero, sive minores ecclesiæ, triginta. Qui autem confinium eorum infringere tentaverit, vel personam hominis aut bona ejus inde abstraxerit, nisi publicus latro fuerit, quousque emendet, et quod rapuerit reddat, excommunicetur. »

Hæc igitur et cætera hujusmodi, quæcunque in sacris canonibus habentur, authenticum sancta synodus præfata fore censuit observandum.

VIII.

Nicolaus II omnibus episcopis cunctoque clero et populo decreta synodi Romanæ (1) *perscribit*

(Anno 1059.)

[Mansi, *Concil.* XIX, 897.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis catholicis, cunctoque clero et populo, salutem charissimam et apostolicam benedictionem.

Vigilantia universalis regiminis assiduam sollicitudinem omnibus debentes, saluti quoque vestræ providentes, quæ in Romana synodo nuper celebrata, coram centum tredecim episcopis, nobis licet immeritis præsidentibus, sunt canonice constituta, vobis notificare curamus, quia ad salutem vestram exsecutores eorum vos esse optamus, et apostolica auctoritate jubendo mandamus.

I. Primo namque, inspectore Deo, est statutum ut electio Romani pontificis in potestate cardinalium episcoporum sit; ita ut si quis apostolicæ sedi sine præmissa concordi et canonica electione eorum, ac deinde sequentium ordinum religiosorum, clericorum et laicorum consensu, inthronizatur, is non papa vel apostolicus, sed apostaticus habeatur.

II. Ut moriente Romano pontifice, vel cujuscunque civitatis, nullus præsumat facultates eorum invadere, sed successoribus eorum reserventur integræ.

III. Ut nullus missam audiat presbyteri quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Unde etiam ipsa sancta synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit, dicens : « Quicunque sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi papæ Leonis de castitate clericorum, concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli, præcipimus, et omnino contradicimus, ut missam non cantet, neque Evangelium vel Epistolam ad missam legat, neque in presbyterio ad divina officia cum iis qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat, quousque a nobis sententia super hujusmodi, Deo concedente, procedat.

IV. Et præcipientes statuimus ut ii prædictorum ordinum, qui, eidem prædecessori nostro obedientes, castitatem servaverunt, juxta ecclesias quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent et dormiant : et quidquid eis ab ecclesiis venit, communiter habeant. Et rogantes monemus ut ad apostolicam, communem scilicet, vitam summopere pervenire studeant.

V. Deinde, ut decimæ et primitiæ, seu oblationes vivorum et mortuorum, ecclesiis Dei fideliter reddantur a laicis, et ut in dispositione episcoporum sint. Quas qui retinuerint, a sanctæ Ecclesiæ communione separentur.

VI. Ut per laicos nullo modo quilibet clericus aut presbyter obtineat ecclesiam, nec gratis, nec pretio.

VII. Ut nullus habitum monachi suscipiat, spem aut promissionem habens ut abbas fiat.

VIII. Nec aliquis presbyter duas ecclesias simul obtineat.

IX. Ut per Simoniacam hæresim nemo ordinetur vel promoveatur ad quodlibet ecclesiasticum officium.

X. Ut cujuslibet ordinis clericos laici non judicent.

XI. Ut de consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque ad generationem septimam, vel quousque parentela cognosci poterit.

XII. Ut laicus uxorem simul et concubinam habens non communicet Ecclesiæ.

XIII. Ut nullus laicus ad quemlibet gradum ecclesiasticum repente promoveatur, nisi, post mutatum habitum sæcularem, diuturna conversatione inter clericos fuerit comprobatus.

Vos ergo hæc et alia sanctorum Patrum statuta fideliter et Christiana reverentia observate, si vultis de sanctæ Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ sedis pace et communione atque benedictione gaudere.

(2) Concilium hoc mense Aprili et in tertia septimana post Pascha habitum ex Nicolai II papæ epistola ad archiepiscopum Remensem colligitur; ex epistola autem ejusdem ad episcopos Galliæ dicitur *a SS. Patribus videlicet* CXIII *episcopis, exceptis abbatibus, et clericis religiosis ac laicis celebrata*; quod repetit Nicolaus initio Actorum hujus concilii : *in Romana synodo nuper celebrata coram* CXIII *episcopis*. Verum ex Vaticano codice infra exhibiti in subscriptionibus hujus concilii non reperiuntur subscripti nisi LXIII episcopi; hinc forte legendum LXIII loco CXIII episcopis in citatis locis Nicolai : frequenter enim hæc nota ι exscribitur loco c, et e converso. In hoc concilio Widonem archiep. Mediolanensem ab Arialdo et Landulpho Cotta Simoniacæ labis insimulatum, Oddo vel Atto Novariensis episcopus cum Astensi et Taurinensi episcopis defendere conatus est, ex Ughello, tom. IV de ep. Novarien., n. 48. Asserit insuper de archiepiscopis Mediolanen. hunc Widonem interfuisse huic concilio, atque primo loco subscripsisse, uti ex actis apud Vaticanum; verum ex actis infra exhibitis primo loco subscripsit V. archiepiscopus Bomegradensis patriarcha, non Mediolanensis archiep., qui nullibi, sicut nec Astensis episcopus, subscriptus legitur.

Digitized by Google

IX.

Nicolaus II omnibus episcopis Amalphitanæ Ecclesiæ suffraganeis cunctoque clero et populo decreta synodi significat.

(Anno 1059.)

[Mansi *Concil.* XIX, 907.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis Amalphitanæ Ecclesiæ suffraganeis, cunctoque clero et populo salutem charissimam, et benedictionem apostolicam.

Vigilantia universalis regiminis assiduam sollicitudinem omnibus debentes, salutis quoque vestræ, causa prærogativæ dilectionis charissimi confratris nostri archiepiscopi vestri, specialiter providentes, quæ in Romana synodo nuper celebrata coram 113 episcopis, nobis, licet immeritis, præsidentibus, sunt canonice instituta, vobis notificare curamus, quia ad salutem vestram exsecutores eorum vos esse optamus, et apostolica auctoritate jubendo mandamus.

Primo namque inspectore Deo est statutum ut, si quis apostolicæ sedi sine concordi et canonica electione ac benedictione cardinalium episcoporum, ac deinde sequentium ordinum religiosorum clericorum inthronizatur, non papa vel apostolicus habeatur.

Et ut moriente Romano pontifice, vel cujuscunque civitatis, nullus præsumat facultates eorum invadere, sed successoribus eorum serventur integræ.

Ut nullus missam audiat presbyteri quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Unde ipsa prima synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit, dicens : « Quicunque sacerdotum, diaconus vel subdiaconus post constitutum B. mem. prædecessoris nostri Leonis papæ, de castitate clericorum, concubinam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, auctoritate beatorum apostolorum principum Petri et Pauli præcipimus et omnino contradicimus ut missam non cantet, nec Epistolam nec Evangelium ad missam legat, neque in presbyterio ad divina officia cum his qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat, A quousque a nobis sententia super hujusmodi, Domino concedente, procedat. »

Et præcipientes statuimus ut hi prædictorum ordinum, qui, eidem prædecessori nostro obedientes, castitatem servaverunt, juxta ecclesias quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent et dormiant, et quidquid eis ab ecclesiis competit communiter habeant.

Et rogantes monemus ut ad apostolicam, scilicet communem, vitam summopere pervenire studeant; quatenus, perfectionem consecuti, cum his qui centesimo ditantur, in cœlesti patria mereantur ascribi.

Denique ut decimæ et primitiæ, seu quæcunque oblationes vivorum et mortuorum ecclesiis Dei fideliter reddantur a laicis, et ut in dispositione episcoporum sint, secundum canones distribuendæ; quas qui retinuerint, a sanctæ Ecclesiæ gremio separentur.

Ut per laicos nullo modo quilibet clericus aut presbyter obtineat ecclesiam, nec gratis, nec pretio.

Ut nullus habitum monachi suscipiat, spem aut promissionem habens quod abbas fiat.

Et ut per Simoniacam hæresim nemo ordinetur, vel promoveatur ad quodlibet officium ecclesiasticum.

Ut cujuslibet ordinis clericos laici non judicent, nec de ecclesiis ejiciant.

Ut de consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque post generationem septimam, vel eousque parentela cognosci poterit.

Ut laicus uxorem simul et concubinam habens non communicet ecclesiæ.

Ut nullus laicus ad quemlibet gradum ecclesiasticum repente promoveatur, nisi prius mutatum habitum sæcularem diutina conversatione inter clericos fuerit comprobatus. Vos ergo hæc et alia SS. Patrum statuta fideliter et Christiana reverentia observate, et nominatim illa quæ vobis archiepiscopus vester præcepit in synodo quam apud vos habuit primo anno ordinationis suæ, si vultis de sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et apostolicæ sedis pace et communione atque benedictione gaudere.

SUBSCRIPTIONES.

Ex codice Vaticano apud Labbeum

1 Nicolaus, episcopus sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, huic decreto a nobis sic superius legitime promulgato subscripsi.

2 Bonifacius Dei gratia Albanensis episcopus.

3 Ubertus, episcopus Silvæ Candidæ Ecclesiæ.

4 Petrus, Ostiensis episcopus

5 Petrus, Laricanus [*f.* Lavicanus] episcopus.

Hujusmodi Romani episcopi subscripserunt cum

6 Joanne Portuensi episcopo.

7 Joannes, cardinalis tituli sancti Marci.

Ex codice Florefiensi apud Martene.

1 Ego Nicolaus, episcopus sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, huic decreto a nobis, sicut superius legitur, promulgato, subscripsi.

2 Bonifacius, Dei gratia Albanensis episcopus, subscripsi.

3 Hubertus, Silvæ Candidæ episcopus, subscripsi.

4 Petrus, Hostiensis episcopus, subscripsi.

6 Joannes, Portuensis episcopus, subscripsi.

7 Joannes, cardinalis tituli S. Marci.

Digitized by Google

Ex codice Vaticano apud Labbæum.

8 Leo, cardinalis tituli S. Damasi.
9 Cardinalis tituli S. Mariæ trans Tiberim.
10 Desiderius, cardinalis titulæ S. Ceciliæ.
Hujusmodi subscripserunt.
11 Mancinus diaconus.
12 Crescentius diaconus.
13 Amarigus diaconus.
Hujusmodi diaconi S. R. E. subscripserunt.
14 Hildebrandus monachus et subdiaconus, et cæteri Romanæ Ecclesiæ subscripserunt.
15 16 V. archiepiscopus Bomegradensis patriarcha.

17 Ugo, Grysopolitanus archiepiscopus.
18 Hildeprandus, Capuanus archiepiscopus.
19 Uldericus, Beneventanus archiepiscopus.
20 Ulphanus, Salernitanus archiepiscopus.
Hujusmosi subscripserunt.
21 Joannes, episcopus Salvinensis.
22 Joannes, episcopus Tiburtinus.
23 Rolandus, episcopus Sutrinensis.
24 Eilardus, episcopus et abbas S. Pauli.
25 Leo, episcopus Caietanus.
26 J., episcopus Firmanensis.
27 Pandulfus, episcopus Marsiensis.
28 Atto, episcopus Reatensis.
29 Dominicus, episcopus Vabensis.
30 Palumbus, episcopus Suranensis.
31 P., episcopus Castellanensis.
32 Joannes, episcopus Pavensis.
33 Lodoicus, episcopus Amiterninus.
34 Hermannus, episcopus Castellanus.
35 Henricus, episcopus Spoletinus.
36 Maginandus, episcopus Arbinensis.
37 Gottifredus, episcopus Avellanensis.

38 Uldericus, episcopus Firmensis.
39 Berardus, episcopus Esculanus.
40 Hugo, episcopus Camerinensis.
41 Hugo, episcopus Numantinus.
42 Fransmundus, episcopus Fesulanus.
43 I., episcopus Suanæ.
44 Nofredus, episcopus Senensis.

45 Vido ep.....
46 P., episcopus Wlturnensis.
47 Benedictus, episcopus Suesanus.
48 Azo, episcopus Fulinensis.
49 P., episcopus Apicrensis.
50 Girardus, episcopus Roselanus.
51 Anselmus, episcopus Lunensis.
52 P., episcopus Pensariensis.
53 Adulfinus N. episcopus.....

Ex codice Florefiensi apud Martene.

A
8 Leo, cardinalis tituli S. Damasi.
9 Uvius [*f.*, cardinalis], tituli Mariæ trans Tiberim.
10 Desiderius, cardinalis tituli S. Ceciliæ.
Hi omnes subscripserunt.
11 Mancinus, archidiaconus.
12 Crescentius, diaconus.
13 Amantius, diaconus. Omnes S. Romanæ Ecclesiæ subscripserunt.
14 Hildebrandus, monachus diaconus, et cæteri Romanæ Ecclesiæ subscripserunt.
15 Guido, archiepiscopus.
16 Dominicus, Gradensis patriarcha.
17 Hugo, Crysopolitanus archiepiscopus.
18 Hildebrandus, Capuanus archiepiscopus.
B 19 Voldericus, Beneventanus archiepiscopus.
20 Alfanus, Salernitanus archiepiscopus
Hi omnes subscripserunt.
21 Joannes, Sabinensis episcopus.
22 Joannes, Tiburtinensis episcopus.
23 Rolandus, Sutrinensis episcopus.
24 Alardus, episcopus et abbas S. Pauli Romæ
25 Leo, Caietanæ episcopus.
26 Joannes, episcopus Terracinensis.
27 Pandolfus, Marsiensis episcopus.
28 Atto, episcopus Teatensis.
29 Dominus (*sic*), episcopus Balbensis.
30 Palumbo, episcopus Suranensis.
31 Petrus, episcopus Castellanus.
32 Joannes, episcopus Permensis.
C 33 Lodiucus, episcopus Nucerinus.
34 Herimannus, episcopus Castalenensis.
35 Henricus, episcopus Spolitinus.
36 Meinardus, episcopus Urbinensis.
37 Godefridus, episcopus Perosinus.
Hageno, episcopus Eduensis.
Godefridus, episcopus Attelanensis.
38 Udulricus, episcopus Firmanensis.
39 Berardus, episcopus Esculanus.
40 Hugo, episcopus Camerinensis.
41 Willelmus, episcopus Numanus.
42 Erasmus, episcopus Fesulanus.
43 Joannes Suanæ.
44 Rofredus, episcopus Atestensis.
D Marius, episcopus Fundensis.
Albertus, episcopus Narianensis.
Bernardus, episcopus Agathensis.
Teuzo, episcopus Urbibetanus.
Joannes, episcopus Clusinus.
Joannes, episcopus Senensis.
45 Guido, episcopus Wulturnensis.
46 Petrus, episcopus Wulturnensis.
47 Benedictus, episcopus Suessanus.
48 Azo, episcopus Fullienensis.
49 Petrus, episcopus Aprutianus.
50 Gerardus, episcopus Rosellanus.
51 Anselmus, episcopus Luciensis.
52 Petrus, episcopus Pensauriensis.
53 Andulfus, episcopus Fertranus.

Digitized by Google

54 Rodulphus, episcopus Eugubinus.
55 Visolonus, episcopus Senogaliensis.
56 Martinus, episcopus Fundensis.
57 Martinus, episcopus Tudertinus
58 Arduinus, episc pus Tianensis.

59 B., episcopus Sipontinus.
60 Hugo, episcopus Galliensis.
61 Gerardus, episcopus Reatinus.

62 Isidorus, episcopus Balneoregensis.
63 Regino, episcopus Populoniensis.
64 Erasmus, episcopus Signensis, archiepiscopus Aliphanæ.
65
66 Cumbertus, episcopus Maurinensis.

67 Alto, episcopus Novariensis.
68 Henricus, episcopus Iporegensis.
69 W., episcopus Populoniæ.
70 Ubertus, episcopus Januensis.
71 Duatus, episcopus Corbinensis.
72 I., episcopus Trebensis.
73 I., episcopus Alathenensis.
74 Placidus, episcopus Iterolanensis.
Hujusmodi omnes subscripserunt.

A 54 Rodulfus, episcopus Egubinus.
55 Theotius, episcopus Senogalensis.
56
57 Arduinus, episcopus Tudertinus.
58 Arduinus, episcopus Fanensis.
Arnulfus, episcopus Cusentinus.
Stephanus, episcopus Trojanensis.
59 Benedictus, episcopus Sinuphroniensis.
60 Hugo, episcopus Gallensis.
61 Gerardus, episcopus Teatinus.
Gislebertus, episcopus Tuscanensis.
Achinus, Asisinus episcopus.
62 Hugo, episcopus Balneoregis.
63 Tegrino, episcopus Populoniensis.
64 Erasmus, episcopus Signiensis.
B
65 Arechis, episcopus Aliphonæ.
66 Gunibertus, episcopus Paullinonensis.
Opizo, episcopus Boliensis.
Benzo, episcopus Albensis.
67 Otto, episcopus Novariensis.
68 Henricus, episcopus Vpoligiensis.
69 Guillelmus, Pampuliæ episcopus.
70 Obertus, episcopus Jannensis.
71 Deodatus, episcopus Corbinensis.
72 Joannes, episcopus Trebensis.
73 Joannes, episcopus Alatrinensis.
74 Placitus, episcopus Berolanensis.
Gregorius Vercellensis. Omnes confirmaverunt.
C Summa episcoporum, qui interfuerunt huic sanctissimæ synodo, fuit CXXIII.

In superiores subscriptiones Joan. dominici Mansi adnotatio et conjecturæ.

Quanti sit pretii catalogus iste a Martenio productus, nemo satis intelliget, nisi qui diligentem ejus collationem cum Vaticano catalogo, Ughellino, variisque ætatis illius documentis instituerit. Id ut facilius assequantur lectores, fructumque ex eo referant uberem ad episcoporum seriem tot insignium in Italia episcopatuum emendandam, producendam, illustrandam hunc meum laborem et conjecturas habeant.

Petrus Laricanus L. Labicanus. Deest episcopus iste in catalogo Martenii supplendus ex Vaticano, congruitque cum documentis ejus ætatis apud Ughellium tom. X, pag. 119, nov. edit.

Guido archiepiscopus, utique Mediolanensis, de quo in Præfatione egi. In Vaticano non qui lem deest; sed luxata lectio illum ita fœde deformavit, ut vix agnoscatur. Illud enim *V. archiepiscopus Bomegradensis patriarcha* ita restituendum est. *Wido archiepiscopus, Dom. Gradensis patriarcha.*

Alfanus Salernitanus; ita sananda lectio vitiata Vaticani; nam Alfanum appellant monumenta ejus ætatis apud Ughellium.

Alardus episcopus et abbas. Apparet hic subscriptus chartæ consecrationis ecclesiæ Farfensis anno 1060, apud Murat., Ant. Ital. tom V, pag. 1039 ubi vocatur *Aylardus.*

Joannes episcopus Taracinensis. Deest in Vaticano, nisi forte idem sit episcopus, qui ibidem sub cognomento *Joannis Firmanensis* nomine comparet. Firmanæ enim tabulæ nullum ejus nominis episcopum tunc admittebant.

Atto episcopus Teatensis. Male in Vaticano *episcopus Reatensis.* Nam Ughellius, qui non aliam lectionem, nisi hanc Vaticanam viderat, ex illa dare Reatensibus Attonem episcopum cogitur, cum maluisset Jocundum a monumentis Reatinis oblatum. Teatinæ vicissim Tabulæ Attonem annuntiant.

Joannes Permensis forte est Joannes Penuensis, qui hoc anno privilegium a Nicolao papa impetravit, legendum apud Ughellium in Pennensibus.

Gotofredus episcopus Perusinus. Bene congruunt hæc Ughellio, et in Vaticano catalogo deest.

Gotofredus episcopus Atellanensis. Optime et episcopum hunc in seriem Atellanorum episcoporum Ughellius non accensuit ex vitiata Vaticani lectione prohibitus; habet enim Vaticanus *Avellanensis.* Quæ hæc sedes?

Guillelmus Numanus, nunc Humanus; ita enim Humana urbs medio ævo dicta, quam cathedram tunc habuisse Guillelmum quemdam docet instrumentum apud Ughellium in Apruntinis pag. 555.

D *Erasmus Fesulanus.* Vaticanus legit *Transmundus.* Sed memorat Ughellius instrumentum quoddam anni 1067, in quo de inauguratione Transmundi eodem anno 1067 fit mentio. Quomodo ergo concilio huic anno 1059 Transmundus subscripserit? Bene ergo Erasmus signatur, qui ante Transmundum in Fesulanas tabulas (deest enim) referendus est.

Rofredus Atestensis [f., *Astensis*], nam Astensem adfuisse ex Arnulfo, de quo in Præfatione diximus. Tabulæ Astenses apud Ughellium hiatum hic habent vastum, ut hunc commode admittant. Male in Vaticano *Nofredus Senensis*; cum Joannem tunc Senensibus præfuisse et Tabulæ Ughellianæ demonstrant, et in hoc catalogo legitur.

Marius Fundensis. Vatic. *Martinus.* Utra melior lectio?

Digitized by Google

Guido episcopus Wulturnensis [f., *Volaterranensis*]; nam ejus nominis episcopus tunc agebat Volaterris ex Ughellio. Vicissim *Petrus Wulturnensis*, qui statim additur in catalogo Wulturnensibus infulis ornabatur.

Adulfus Fertranus [f., *Felteanus*]. In Vatic. deest nomen sedis. Feltrenses Tabulæ habent hiatum hoc episcopo explendum.

Petrus Aprutianus. Congruunt Ughelliana documenta. Quid est illud Vatic. *P. Apicrensis?*

Anselmus Luciensis. Optime, male in Vatic. *Lunensis*. Ita fert documentum anni 1058, apud Murat. Ant. Ital. tom. V, pag. 974. Quare expungendus in Ughellio Anselmus Lunensis ex vitiata lectione natus.

Theotius Senogalliensis. Meminit hujus S. Petrus Damiani teste Ughellio. Ergo male in Vaticano appellatur *Visodonius*.

Arduinus Tudertinus. Vatic. *Martinus*. Quæ melior?

Arduinus Fanensis. Hunc et Fanenses tabulæ offerunt apud Ughell.

Gerardus Teatinus. Maluerim *Reatinus*, ut in Vaticano; cum episcopi finitimi hic recenseantur.

Benedictus Simphronensis. Ita et Ughellius. Quid in Vaticano *B. Sipontinus?*

Gislebertus Tuscanensis. Nescio ubi nomen hujus episcopi inter Patres synodi hujus legerit Ughellius; cujus ætate subscriptiones istæ ex codice Florefiensi nondum prodierant; nihilo tamen secius synodo adfuisse hunc ipsum Gislebertum affirmat, et quidem recte, ut hinc discimus.

Achinus Asisinus ex hoc uno documento notus est, ignotus Ughellio.

Ingo Balneoregensis. Vaticanus, *Isidorus*. Ughellius ex hoc uno documento dedit *Gibertus*. Cui deferamus?

Tegruno Populoniensis. Vatic. *Regino*. Sed in tabulis Ughellianis notus est *Tegrino*, quanquam biennio citius anno 1061, ut est in Ughellio, ejus exordium statuamus oportet, hac subscriptione jubente.

Deodatus episcopus Borbinensis; nempe montis Corbini in Apulia, qui dein episcopatus Wulturnensi conjunctus nomen suum amisit. Conjunctionem hanc nondum factam anno 1059 ex hoc unico documento discimus.

Arechis episcopus Aliphanæ. In catalogo Vaticano nomen hoc cum voce episcopus coalescens monstrum exhibet, nempe *archiepiscopus Aliphanæ*. Verum nomen ne in Ughellio quidem habes.

Gunibertus Paulinonensis. In Vaticano *Cumebertus Maurinensis*. Ubique vitiata lectio; est enim Cunibertus Taurinensis, de quo in præfatione.

Opizo Boliensis. An *Luiso Bobiensis* Ughellio in Bobiensibus notus?

Benzo Albensis. Notus episcopus ex Panegirico Henrici III imperatoris ab eo scripto, et a me sæpe in hoc opere producto. Ughellium latuit.

Guillelmus Pampuliæ. An Guillelmus Pompiliensis seu Foro-Pompiliensis? Honestum quidem Ecclesiæ illius tunc episcopum statuit Ughellius; eumdemque inter Patres concilii hujus Romani subscriptum legisse se in Codice Vaticano affirmat; at Codicis Romani eæ sunt, quæ apud Labbeum repræsentantur, nihilque de Honesto Pompiliensi ferunt. Profert ille documentum de Honesto anni 1037, et alterum anni 1062 : ex postremo vero isto an. 1062 Vecchiazanus in nova Ughellii editione expressit non quidem Honestus, sed *Gualfonius*, quod aliquanto propius ad Guillelmum accedit.

Gregorius Vercellensis. Notus Ughellio præsul. Cæteras subscriptiones omitto, quod nullas explicationes vel correctiones poscant.

X.

Nicolaus II Gervasio archiepiscopo Remensi mandat ut [*Guilbertum*] *episcopum Bellovacensem, invito eo consecratum, ab administrando munere removeat donec ad synodum venerit.*

(Anno 1059.)

[Duchesne, Hist. *Franc. Script.* IV, 199.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, Gervasio venerabili archiepiscopo Remensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus relatione multorum, quod Belvacensis episcopus contra statuta canonum, sine vobis et sine vestro assensu fuerit consecratus, et, quod pejus est, ad episcopatum sublimatus. Accingimini igitur, et fultus hac nostra auctoritate, ex parte omnipotentis Dei, auctoritate beati apostoli Petri, omne episcopale officium sibi, usque dum ad Romanam synodum in tertia septimana post Pascha ante nos discutiendus veniat, interdicite. Si autem in aperto res est quod pecuniam dederit, omnibus Belvacensibus clericis ac laicis, ut sibi ante prædictum nostrum judicium non obediant, sub excommunicatione, prædicti apostoli Petri auctoritate interdicite. Non enim ob hoc promotus est ut sit episcopus, ut beatus Gregorius dicit, sed ut fiat lupus et sanctæ Ecclesiæ invasor et detestandus hæreticus. Silvanectensi enim vestro suffraganeo episcopo, si eum pecuniam dedisse præscivit, et vestrum assensum in maledictionis hærede benedicenda non habuit, similiter omne episcopale officium, usque dum ad prædictam synodum veniat, et nobis et tibi digne satisfaciat, beati apostoli Petri auctoritate interdicite.

XI.

Nicolaus II decimas castrorum Arni, Civitellæ et Pilonici confirmat monasterio Sancti Petri Perusini.

(Anno 1059.)

[Margarini, *Bullar. Casin.* II, 94, ex archivio monasterii Sancti Petri Perusini, capsula privilegiorum n° 9.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Nicolaus, divina annuente clementia, sanctæ Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ pontifex, anno primo pontificatus sui in sacratissima sede Beati Petri apostoli, indictione tertia decima.

Devotioni seu benevolentiæ fideliter et assidue obsequentium sanctæ Romanæ et apostolicæ sedi, diebus nostri sacerdotii, non debemus inveniri ingrati, quin satagamus eis impertiri quidquid omnipotentis pietas nobis inspiraverit, ad laudem et gloriam nominis sui, atque augmentum nostri solatii. Provocamur siquidem ad hoc verbis Domini dicentis : *Qui in modico fidelis est, et in majori fidelis erit*, et quia omni habenti dabitur et abundabit. Unde tuam industriam et benevolentiam, charissime fili et abba Bonizo, considerantes erga servitium et fidelitatem sancti Petri nostrorumque fidelium hactenus promptam et liberalem, et quod supra facultates monasterii tibi commissi, assidue graveris servitio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, placuit nobis consilio et

Digitized by Google

interventu fidelium nostrorum, cœnobio tuo aliquid A a ljungere quo valeas nobis nostrisque successoribus largius et liberius inservire. Itaque quia monasterium tuum specialiter juris Sancti Petri est, cujus etiam vocabulo insignitur, quod in præsentiarum possumus gratanter ei concedimus, et velut de manu nostra in manum nostram nihilominus transferimus, dum aliquid possessionum apostolicæ sedis nostræ adjicimus ipsi tuo monasterio, quod ipsi sedi apostolicæ noscitur pertinere, scilicet ex tribus castellis et villis eorum, et pertinentiis in massa Sancti Petri constitutis, id est, Arni, Civitella, Pilonico omnem decimationem ex agris, vineis, silvis, oleribus, pecoribus, vel animalibus omnibus, quæ sub virga pastoris transeunt, sive, ut beatus Augustinus monet, de militia, de negotio, de artificio decimas, et B omnium frugum primitias. Hæc pariter et in integrum monasterio tibi commisso, et per illud tibi, charissime fili Bonizo, tuisque successoribus ibidem regulariter promovendis in perpetuum concedimus, et hac nostræ apostolicæ auctoritatis confirmamus pagina ad honorem Dei, et beati Petri apostoli, et ad profectum ordinis monastici, vel ad devotionem et susceptionem fidelium præfati apostoli, cæterorumque pauperum Christi. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu hanc nostræ apostolicæ auctoritatis concessionem in aliquo violare præsumpserit, districtæ excommunicationis reatum pro suo sacrilegio se incursurum cum perdito Juda noverit, insuper humanis legibus reus, decem librarum auri C multæ nomine componat, medietatem sacro nostro Lateranensi palatio, et medietatem præfato beati Petri monasterio. Qui vero devote observarit, remissionem peccatorum suorum, et benedictionem a Domino, interventu sanctorum apostolorum consequatur. Amen.

Ego Nicolaus, Dei gratia sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis episcopus, concessi, et subscripsi.

Ego Petrus, episcopus Ostiensis, SS.

Ego Humbertus, dictus sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopus, consensi, et SS.

Ego Heldibrandus qualiscunque archidiaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, consensi, et SS.

Ego Aimo, hujus concessionis notarius, cognovi et SS. D

Anno Domini 1059, II Idus Octobris.

XII.

Bulla Nicolai II pro ecclesia S. Andreæ Empulensis.

(Anno 1059.)

[Lami, *Monum. Eccles. Florent.* IV, p. 104.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, Martino plebis Sancti Andreæ sitæ Empulæ rectori, suisque successoribus communiter victuris in perpetuum.

Licet ex universalitate apostolicæ sedis, cui Domino propitio præsidemus, Ecclesiis omnibus solertem provisionem incessanter debeamus, Florentinæ tamen nostræ curæ specialiter episcopali regimine commissæ prout competit, ita flagranti amore ut in perpetua religione consistat et stabili securitate perfruatur, sollicitudinem impendere curamus. Quamvis perplurimæ plebes, Christo prosequente, ad hoc sunt nostro studio, nostraque opere provectæ, quatenus, circa easdem clericorum communis aggregata societas sempiterna perseverantia socialiter in sancto proposito vivat. Quapropter communi voto unanimes nostram postulaverunt misericordiam, quæ sibi, vel nos ipsi ex nostris concessimus; vel quæ fideles sincera devotione peccatorum pretia contulerunt, nostra firmari auctoritate. Nos autem condescendentes eorum necessitati annuimus religiosis petitionibus. Nimirum quanto manifestius novimus pravos indesinenter insidias in bonos excogitare, tanto magis, etsi nobis viventibus non est verendum, defensionis clypeos undique ne prævaleant opponere debemus, ut ipsi religiosum videlicet tramitem sectantes collato munere gaudeant, et secundum Psalmistæ vaticinium de virtute in virtutem ambulando semper in melius proficiant, et hi scilicet contrariæ partes inferiora petentes, superiorum viso provectu, deficiant sua obstinatione ac vehementer tabescant. Canonicam ergo sequentes auctoritatem, quod olim, dum simplicem episcopatus prælationem exerceremus, præfatis concessimus plebibus, nunc firmiori et valentiori privilegio utique apostolico concedimus, firmamus, stabilimus, et inconcusso fundamento perenniter vobis sancimus, et vestræ plebi primitias; quartam vero decimarum partem tam vobis quam etiam cæteris clericis vobiscum canonice viventibus, mortuorum autem testamentorum dimidiam, vestimenta quidem tota, sepulturas omnes, oblationes denique integras prorsus: prædia omnia sive a nobis donata, seu a nostris prædecessoribus concessa, vel a cunctis fidelibus quocunque modo juste acquisita vel acquirenda. Absolutos quoque per nostri privilegii sanctionem vos reddimus ab omni sæculari et mundana conditione quoad durare studueritis in sancta conversatione, ita ut nulla sacramenti potestate ad publica placita subjici compellamini, præter per ipsum Florentinum episcopum. Ipse tamen congruum vobis secundum vires opponens tutamen, superflua postposita exactione, non plus cogat sibi ex debito solvere quam quod nostro nobis solvitis tempore. Quicunque itaque hujus nostræ jussionis atque promulgationis pius conservator et integer defensor exstiterit, omnipotentis Dei gratiam, principumque apostolorum Petri et Pauli, nostramque benedictionem, habebit; qui vero temerario ausu infringere fuit conatus, sive episcopus seu quælibet magna parvaque persona, nisi digna emendatione quod deliquerit correctum fuerit, auctoritate Patris, et Filii, et Spiritus sancti, excommunicatum et anathematizatum se noverit: ut vobis hoc totum firmissime possit vigere, præsentem paginam nostro sigillo jussimus insigniri, nostraque subscriptione muniri, etc.

Datum Florentiæ III Idus Decembris, anno Domini nostri Jesu Christi 1058, per manum Hum-

Digitized by Google

berti sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi, et apostolicæ sedis bibliothecarii, anno pontificatus primo domini PP. Nicolai secundi, indictione XIII.

XIII.

Nicolai II privilegium pro monasterio S. Martini Augustodunensis.

(Anno 1059.)

[BULLIOT, *Essai historique sur Saint-Martin d'Autun*, tom II, p. 39.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis in Christo, GREGORIO venerabili abbati cœnobii S. Martini Eduensis, omnique monasterio ejusdem congregationis in perpetuum.

Quoties a nobis illa tribui optantur quæ dationi incunctanter conveniunt animæ, nos decet libenter concedere, et petentium desideriis congruens impertire suffragium, atque ideo qui postulastis a nobis privilegium sedis apostolicæ monasterio S. Martini in suburbio Eduæ civitatis sito, cui præesse dignosceris, quod constat a piissimo imperatore Carolo Augusto ob amorem Cunctipotentis et reverentiam ipsius confessoris beatissimi Martini propter suorum indulgentiam peccaminum vitæque æternæ remunerationem reformatum atque reædificatum, facere deberemus : inclinati igitur vestris postulationibus, clementer annuimus et præfatum monasterium in quo divino nuncupati estis obsequio apostolicæ sedis patrocinio et privilegio communimus. Volumus, concedimus, statuimus, ut idem monasterium in nullo alicui nisi tantum apostolicæ Ecclesiæ respondere teneatur, et ab omni alia jurisdictione et subjectione liberum sit et exemptum, et quod nulli imperatori, nulli regum, nulli antistitum, nulli quacunque prædito dignitate, nulli unquam liceat de rebus mobilibus vel immobilibus quæ eidem monasterio per præcepta a jam dicto piissimo imperatore Carolo sive ab aliis imperatoribus seu regibus, vel ab aliis qualibuscunque personis hactenus concessa sunt, vel in futurum a quibuscunque de propriis fuerint jure condonatæ, sub cujuslibet causa occasionis vel specie munere (minuere), auferre, neque suis usibus applicare, et cuncta quæ ibi sunt oblata vel offerri contigerit a præsenti tertia decima indictionis tempore..... et sine inquietudine in substentatione jam dicti monasterii et usibus abbatum, et monachorum sub regula Patris Benedicti ibi Deo militantium, volumus et præcipimus possideri ; ea videlicet conditione quod nullus episcopus dictæ civitatis, neque comes, in præfato monasterio cum omnibus ad se pertinentibus suis rebus audeat applicare atque in aliquo usurpando adjungere. Sed liceat servis Dei ibidem degentibus, sine alicujus inquietudinis molestia, libere et quiete Christo militare. Item constituimus et volumus obeunte abbate ejusdem monasterii, illum dari vobis in abbatem et præponi quem fratres communi consensu elegerint, aut Romanus pontifex providerit ordinandum, aut subjectione monachorum ejusdem loci consenserit ordinatum. Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus ut locum avaritiæ secludamus nullum de regibus, de episcopis, de sacerdotibus velle de quibuscunque fidelibus per se suppositamve personam de ordinatione ejusdem abbatis vel clericorum aut presbyterorum, vel de largitione chrismatis aut consecratione basilicæ, vel de quibuscunque causis ad idem monasterium pertinentibus, audere in qualibet specie, præmii loco, quidquam accipere, neque eidem abbati pro ordinatione sua aliquid dare. Neque episcopus civitatis ipsius nisi ab abbate ipsius monasterii invitatus, ibidem missas agat publicas, neque stationes vel visitationes in eodem cœnobio indicet vel faciat, ne servorum Dei quies quocunque modo populari conventu valeat perturbari ; neque *paratas* aut *mansionaticos*, vel *procurationes* præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium et religiosorum atque beneficentiam quam jubet Apostolus cunctis exhibendam pro possibilitate loci et facultatum non modo fieri ibidem non denegamus, verum etiam suademus. Si quis vero episcoporum, sacerdotum, abbatum, judicum, comitum aut sæcularium personarum contra hanc nostræ institutionis paginam venire tentaverit, percussus apostolico anathemate, potestatis honorisve sui dignitate careat, reumque se coram divino judicio cognoscat. Et nisi ea quæ male sunt acta deflevérit, a sacratissimo corpore Dei et Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque æterno examini districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jura servantibus, sit pax Domini nostri J. C., quæ tus et hic fructum bonæ actionis accipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Florentiæ quarto Kalendarum Januarii, anno ab Incarnatione Domini 1059, per manum Humberti, sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi et apostolicæ sedis bibliothecarii, anno I pontificatus domini papæ Nicolai II, indictione VIII.

XIV.

Privilegium monasterio Sanctæ Felicitatis concessum a Nicolao II.

(Anno 1060.)

[MANSI, *Concil.* XIX, 870.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, TAIBERGÆ abbatissæ monasterii Sanctæ Felicitatis, juxta Florentiam siti, sibique successuris, et in sancto proposito permansuris, in perpetuum.

Quoniam Omnipotentis dignatio suo gratuito munere, nullo digno præcedente opere, ad hoc nostram humilitatem dignata est provehere, quatenus per nos ubique terrarum proprio sanguine redemptæ Ecclesiæ lumen administraret indeficiens ; profecto rationabile ducimus, cooperante ipso, de quo loqui præsuminus, secundum proprias vires unicuique acceptum talentum distribuere, ne, apparente ipsius majestate, quod absit ! sine acquisito lucro velut inutilis servus videamur remeare. Quod utique per divinam misericordiam consequi posse speramus, si membris ejus adhuc per fidem in terra cœlestia anhelantibus, præsidia quæ possumus serena afferta

Digitized by Google

suppeditare curamus. Sic enim, sic profecto superum nostræ fragilitati conciliamus auxilium, et pura intra cordis hospitium manente intentione, hominum consequimur favorem honestum : cum licet universis debitores simus gentibus, fidei lumine clarentibus ; domesticis quoque nostris benevolentiæ studio singularem curam impendimus, magistrum gentium sequentes, qui bonum opus adimpleri præcipit in omnes, ad domesticos fidei maxime. Monasterium itaque Sanctæ Felicitatis cum omnibus sibi pertinentibus rebus, quod nostra episcopalis simplex adhuc dispensatio quorumdam prædecessorum nostrorum negligentia destructum, coaptato nobilium sanctimonialium plurimarum collegio, reædificare curavit ex integro : nunc etiam secundum apostolicæ sedis, cui deservimus, valentiam, per nostras manus dedicatum, stabilitate perseveranti roboramus, et confirmamus, atque ut perpetua vigeat religione, sequestrata pravorum infestatione, omnipotentis Dei committimus tutelæ. Cui etiam, sicut dignum nobis videtur, quia incuria Florentinorum episcoporum sua prædia nequiter sunt distracta, et sacrilegorum quorumdam temeritate invasa, concedimus, et apostolica auctoritate stabilimus mansos et fundos venerabili loco pia devotione oblatos, et offerendos, ubicunque veraci relatione ejus nomini fuerint titulati, suoque juri religiosa sollicitudine investiti atque investiendi.

Liberum præterea idem reddimus monasterium, atque absolutum ab omni sæculari et mundana conditione, sive districtione, ne liceat alicui magnæ parvæque personæ, a nobis restituta prædia, firmiterque stabilita, decimales (proventus scilicet) quoque quosdam a nobis concessos aliquo ingenio evadere, aut aliqua fraude subripere, sive diminuere, fiscum denique seu debitam subjectionem exigere; sed maneat venerabilis locus nostra tutela firmatus in sancto proposito; nullique alii sit obnoxius, nisi Florentino episcopo, qui memor nostræ devotionis suæque fragilitatis, justitiæ norma servata, secundum Doctoris gentium præceptum, eisdem sanctimonialibus honorem congruum exhibendo, nil præter blandum dominium requirat ex debito. Si autem, quod non credimus, aliquis temerarius hanc apostolicam sanctionem crudeli mente tentaverit refringere, nostramque institutionem secundum locum laedendo cassare, nisi admonitus resipuerit, ac digne emendaverit, anathematis gladio percutiatur ab omnipotenti divinitate, jaculata sibi de cœlo ultione in hac præsenti carne, interficiatque eum Deus spiritu oris sui, dum venerit judicare sæculum. Qui vero nostræ roborationis pius conservator exstiterit, in secundo adventu mereatur illam mellifluam vocem audire : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* xxv). Præterea ut hæc pagina fidem legentibus astruat, et propriæ manus subscriptione, et apostolici sigilli munire studuimus impressione.

† *Sigillum Nicolai papæ.*

Ego Bonifacius, Albanensis episcopus, subscripsi.

Ego Joannes, Portuensis episcopus, subscripsi.

Ego Petrus, Lavicanensis episcopus, subscripsi.

Ego Brunus, Prænestinus episcopus, subscripsi.

Ego Petrus, peccator monachus, subscripsi.

Datum Florentiæ sexto Idus Januarii, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1059, per manus Humberti sanctæ Ecclesiæ Silvæ-Candidæ episcopi, et apostolicæ sedis bibliothecarii, anno primo pontificatus domini papæ Nicolai II, indictione decima tertia.

XV.

Privilegium Nicolai II papæ pro ecclesia S. Michaelis et S. Eusebii Poiensis.

(Anno 1060.)

[Lami., *Eccles. Florent. Monum.* II, 946.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Domino filio Petro, Ecclesiæ Sancti Michaelis et Sancti Eusebii, sitæ in loco qui nominatur Poio, rectori, suisque successoribus canonice ibidem ordinandis, omnibus quibuscunque communiter victuris in perpetuum.

Quoniam Omnipotentis dignatio suo gratuito munere ad hoc nostram humilitatem dignata est provehere, quatenus per nos ubique terrarum diffusæ Ecclesiæ lumen administret indeficiens, rationabile omnino ducimus speciale regimen nostræ curæ commissæ Florentinæ Ecclesiæ congruente provisione impendere jugiter, sic namque Doctoris gentium imitari valebimus salubre documentum pro viribus nostris, qui bonum impertiri omnibus jubet opus ad domesticos fidei, maxime cum pro nostris viribus divino cultu locis dicatis digna providerimus obsequia, ut indefessa laudatio in eis celebretur per omnia sæcula. Sed quia lapidei parietes non ad hoc sunt constructi ut Deo possint dignas promere laudes, congruum profecto videtur ad divini operis perfectionem clericorum circa venerabilia loca ordinare sedulam frequentationem : qui quidem nisi terrenis corporaliter sustententur stipendiis, idonei vix possunt existere cultibus divinis ; cum ipse mundi Conditor secundum humanam unitam sibi materiam dignatus sit perferre sitim et esuriem. Ad gloriam itaque illius, per quem vivimus et sumus, pretiosissimi Michaelis archangeli atque Eusebii basilicam nostro quidem hortamine, Florentinorum vero civium sumptibus, pulchra specie instauratam, episcoporum aggregato cœtu, propriis manibus episcoporum Perusini et Rosellani reddidimus dedicatam. Quam nudam sine dote dimittere indignum valde judicavimus apostolica sedulitate, cui præcipue competit honestati studendo omnibus, nedum injuriam patientibus, pia sollicitudine subvenire. Assistentium ergo fratrum hortatu, proprio quoque consilio, roborati, præsente Florentino populo, pro peccatis ejusdem civitatis præsulum, ob nostram quoque devotionem, denique propter totius populi salutem, consecratis altaribus

Digitized by Google

prædiorum et omnium suarum rerum, quas saltem ad præsens potuimus, investituras apostolicas obtulimus. Suscipe igitur, sanctissime Michael atque Eusebi, tibi jamdudum devotissimi papæ Nicolai voluntarium munus, tuarumque rerum per me amodo et usque in sempiternum singulare et integrum sine aliqua controversia aggredere dominium, quatenus tuo nomini in aula dedicata religiosus clerus Deo omnipotenti laudum reboet cantica. Designentur autem tua prædia per subjecta vocabula scilicet, totus circuitus adjacentis Ecclesiæ in integrum, nec non portus et vitrecetum, nec non et dominicata et vinea, quæ detinent filii Joannis filii Bonize ; et vinea quam detinet Aczo presbyteri Cresci cum salecto quod detinent filii Morandi, hæc omnia hujus Ecclesiæ habentur propria, et petia de terra posita in capite pontis rivi sancti Andreæ, et mantum in Rusciano.

Hæc vero omnia summotenus memoravimus, ne quis dubitet multo ampliora prædia hanc ecclesiam non detinere. Absolvimus præterea liberumque eumdem venerabilem locum apostolica sanctione persistere jubemus, nec liceat alicui parvæ magnæque personæ ibidem canonice aggregatos clericos dehonestare, et plancitando infestare vel debitum tributum ab eis exigere, seu aliqua occasione sibi a nobis aut ab aliquibus fidelibus res concessas, sive concedendas, invadere, subtrahere, diminuere ; sitque immunis prædictus locus ab omni pensione, sub sancti Michaelis et sancti Eusebii tuitione, nulliusque subjiciatur dominio, nisi Florentino episcopo. Si quis ergo, quod non credimus, sacrilega mente, quod in conspectu Humberti cardinalis Silvæ Candidæ, atque Hildebrandi sanctæ Romanæ Ecclesiæ archidiaconi, nec non episcoporum Perusini et Rosellani, et Furcunensis, juste stabilivimus, conatus fuerit infringere, centum auri libras præfatæ basilicæ cogatur persolvere, medietatem episcopo Florentino, et medietatem clericis ejusdem Ecclesiæ consistentibus, descendantque super eum omnes illæ maledictiones, nisi admonitus satisfecerit, quas in Deuteronomio sanctus ascripsit Moyses ; utque interficiat eum Deus spiritu oris sui, sicut Dathan et Abiron, quos vivos terra deglutivit. Præterea ut hæc pagina plenam fidem præsentibus seu etiam posteris astruat, et propriæ manus suscriptione, et apostolici sigelli munivimus impressione.

Ego Bonifacius, Albanensis episcopus, SS.

Ego Petrus, sanctæ Gabinensis Ecclesiæ episcopus, SS.

Ego Bruno, Prænestinus episcopus, SS.

Ego Stephanus, apostolicæ sedis servus, de titulo S. Chrysogoni presbyter, SS.

Ego Joannes, Portuensis episcopus, SS.

Ego Petrus, Peccator monachus, SS.

Ego Desiderius, presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex titulo S. Cæciliæ, SS.

Datum Florentiæ XVII Kal. Febr., anno ab Incarnatione Domini 1060, per manus Humberti sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi, et apostolicæ sedis bibliothecarii, anno primo pontificatus domini papæ Nicolai secundi, indictione XIII.

XVI

Nicolaus II ecclesiæ S. Andreæ Mussianensis bona ac privilegia confirmat.

(Anno 1060.)

[Ughelli, *Italia sacra*, III, 63.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Domino filio Joanni priori Ecclesiæ S. Andreæ Musciani sitæ digno præposito, suisque confratribus canonice viventibus, eorumque successoribus illidem canonice manentibus in perpetuum.

Quoniam Omnipotentis dignatio suo gratuito munere ad hanc nostram humilitatem dignata est provehere, quatenus per nos ubique terrarum diffusæ Ecclesiæ lumen administret indefleiens, rationabile omnino ducimus speciali regimine nostræ curæ commissæ Florentinæ Ecclesiæ congruentem provisionem impendere jugiter : sic namque Doctorem gentium valebimus salubre documentum pro viribus nostris, qui Bonum impertiri omnibus jubet oportere ad domesticos fidei maxime, cum pro nostris viribus divino cultui locis dicatis digna provideremus obsequia, ut indefessa laudatio in eis celebretur per omnia sæcula. Scilicet quia lapidei parietes non ad hoc sunt constructi, ut Domino possint promere laudes, egregium profecto videtur ad divini operis perfectionem clericorum circa venerabilia loca ordinare sedulam frequentationem. Qui quidem nisi terrenis temporaliter substententur stipendiis idoneis, vix possunt assistere cultibus divinis, cum ipse Conditor mundi secundum humanam unitam sibi materiem dignatus sit perferre sitim et esuriem ad gloriam illius, per quem sumus, et vivimus, et cujus misericordia gubernamur, assistentium fratrum magno quoque hortatu, nec non et presbyteri Joannis ecclesiæ S. Andreæ Musciani sitæ venerandi præpositi dignissimo rogatu, proprio quoque consilio roborati præsentibus scilicet nostræ curiæ fidelibus, ejusdemque ecclesiæ patronis, Joanne videlicet, qui dicitur Corbacchione, filio Rustici, et Ugone filio Uberti, et Sichelmo, qui dicitur Morellus, filio Anselmi, et Rolandino, et Anselmo egregiis filiis Ildebrandi filii Leonis, et Segnorello, et Bonomo egregiis filiis Rodulfi filii ejusdem Ildebrandi obnixe nostram devotionem pro peccatis suis exorantibus; denique pro ejusdem ecclesiæ maxime in futuro regimine, et etiam totius populi salute, quatenus prædiorum suorum, et omnium suarum proprietatum decimatione ipsi ecclesiæ privilegiis præceptionem concederemus, quod saltem ad præsens potuimus, et in futurum inviolabiliter, et æternaliter observetur, investituram apostolicam obtulimus. Suscipe, Domine, sancte Pater omnipotens et æterne Deus una cum Filio tuo, et Spiritu sancto, nec non et cum B. Andrea apostolo tuo jamdudum devotissimi papæ Nicolai voluntarium munus, ipsiusque ecclesiæ rerum pro me amodo, et usque in sempiternum singulare,

Digitized by Google

et integrum sine aliqua controversia aggredere dominium, quatenus in aula tuo nomini dedicata religiosus clerus tibi Domino omnipotenti laudum reddat cantica.

Nunc itaque apostolico privilegio concedimus, firmamus, stabilimus, et inconcusso fundamento perenniter sancimus in jam dicta ecclesia, et canonica beatissimi Andreæ apostoli integre omnes decimationes proprietatum supradictorum hominum, Joannis videlicet, qui dicitur Corbacchione, Ugonis filii Uberti, et Morelli filii Anselmi, et Rolandini, et Anselmi egregiorum filiorum Ildebrandi filii Leonis, et Signorelli, et Bonomi egregiorum filiorum Rodulfi filii tem Ildebrandi, scilicet omnium illarum proprietatum, quas prædicti homines possident, vel alii per eos, vel in antea acquisierint infra totum territorium plebis S. Juliani sitæ Septimi, et plebis Sancti Martini sitæ Brozzi, et plebis S. Vincentii sitæ Pesæ, et in tota valle de Greve, et in Villa Nova, et in tota capella S. Pauli, et in Casignano exceptis masiis de Cuilatico, quorum decimas in Florentina canonica persolvere debent. Præterea hac eadem privilegii præceptione omnes decimas illarum proprietatum, quæ olim fuerunt Benzi filii Petronis de Radda, quæ sunt positæ in loco Godos læ, et in Villa Nova, et in S. Paulo, et in Carignano, et per alia loca, et vocabula in tota jam dictæ ecclesiæ parochia, eidem ecclesiæ firmiter concedimus; et insuper omnes decimas novalium de silvis supradictorum hominum ubicunque laborantur, vel laborabuntur, et omnium aliarum silvarum quæcunque laborantur, vel laborabuntur infra totum ipsius ecclesiæ territorium, similiter in eadem canonica concedimus. Simili modo omnes primitias populi prædictæ ecclesiæ, et integras spontaneas oblationes vivorum, et defunctorum, et integra testamenta, et liberam sepulturam totius sui populi, et maxime patronorum, et omnium qui infra diœcesim jam dictæ ecclesiæ habitant, vel habitabunt, eidem ecclesiæ perpetualiter, et sine fine largimur. Prorsus prædia omnia a quibuscunque fidelibus quocunque modo juste acquisita, vel acquirenda. Electionem quoque proprii pastoris, et totam ordinationem ipsius domus, et clericorum repræsentationem ante proprium episcopum ad ordinandum canonicis ejusdem ecclesiæ libera facultate perpetualiter concedimus et stabilimus. Hæc omnia concedimus clericis in ipsa aula canonice manentibus, quia olim dum simplicem episcopatus prælationem exerceremus sacerdoti Joanni jam dicto præposito, et suis confratribus, eorumque successoribus stabilivimus, et concessimus. Absolvimus præterea, liberumque eumdem venerabilem locum apostolica sanctione persistere jubemus, ne liceat alicui parvæ, magnæque personæ, clerico vel laico ibidem, canonice commorantes clericos dehonestare, et placitando infestare, vel debitum tributi, vel alicujus subjectionis ab eis exigere, seu aliqua occasi ne sibi a nobis, aut ab aliquibus fidelibus res concessas, sive concedendas invadere, subtrahere, diminuere. Sitque prædictus venerabilis locus sub omnipotentis Dei, nostraque et nostrorum successorum tuitione, nulliusque subjiciatur dominio, nisi Florentino episcopo. Ipseque episcopus benigne et honeste tractando, omni superflua exactione postposita, eos semper hortetur. Si quis ergo, quod non credimus, sacrilega mente, quod in conspectu episcopi Umberti cardinalis Silvæ Candidæ, atque Ildebrandi S. R. E. archidiaconi, nec non episcoporum Perusini et Rosellani, Rozonis quoque S. Florentinæ Ecclesiæ archipresbyteri juste stabilivimus, conatus fuerit infringere, decem auri libras præfatæ basilicæ cogatur persolvere, medietatem Florentino episcopo, et medietatem clericis in eadem ecclesia consistentibus, descendant super eum omnes illæ maledictiones, nisi admonitus satisfecerit, quas in Deuteronomio descripsit sanctus Moyses, atque interficiat eum Deus spiritu oris sui, sicut Dathan et Abiron, quos vivos deglutivit terra, et insuper si clericus fuerit, sui ordinis officio privetur. Præterea, ut hæc pagina plenam fidem præsentibus seu etiam posteris astruat, propriæ apostolicæ manus subscriptione munivimus.

Ego Nicolaus, servus servorum Dei, huic privilegii paginæ subscripsi.

Ego Ildebrandus, S. R. E. archidiaconus, subscr.

Ego Gerardus, sanctæ Rosellanæ Ecclesiæ episcopus, interfui et subscripsi.

Ego Rozo, sanctæ Florentinæ Ecclesiæ archipresbyter.

Data ibidem XV Kal. Februarii per manus Humberti episcopi sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ cardinalis, apostolicæ sedis bibliothecarii, anno Dom. 1059, pontificatus autem D. papæ Nicolai secundi primo, indict. XII, quo videlicet die in præfata ecclesia ab eodem episcopo Humberto jussu ejusdem D. papæ duo altaria, unum in honorem B. Mariæ semper Virginis, et sanctarum virginum Priscæ et Margaritæ, et alterum in honorem S. Blasii, et sanctorum Fabiani et Sebastiani sunt consecrata.

XVII.

Bulla Nicolai II papæ de consecratione basilicæ S. Laurentii de Florentia, cui subscripsit S. Petrus Damianus.

(Anno 1060.)

[MITTARELLI, *Annal. Camaldul.* II, Append. 164.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio GISONI, ecclesiæ sancti Laurentii juxta Florentinæ civitatis muros sitæ, rectori, tuisque successoribus canonice ibidem ordinandis, omnibus quoque communiter victuris in perpetuum.

Quoniam Omnipotentis dignatio suo gratuito munere ad hoc nostram humilitatem dignata est provehere, quatenus per nos ubique terrarum diffusæ Ecclesiæ lumen administret indeficiens, rationabile omnino ducimus speciali regimine nostræ curæ commissæ Florentinæ Ecclesiæ congruentem provisionem impendere jugiter, sic namque Doctoris gentium imitari valebimus salubre documentum, cum pro-

Digitized by Google

viribus nostris, qui bonum impertiri omnibus jubet opus ad domesticos fidei maxime, cum pro nostris viribus divino cultui locis dicatis digna providemus obsequia, ut indefessa laudatio in eis celebretur per omnia sæcula. Sed quia lapidei parietes non ob hoc sunt constituti, ut Deo possint dignas promere laudes, congruum profecto videtur ad divini operis perfectionem, clericorum circa venerabilia loca ordinare sedulam frequentationem. Qui quidem, nisi terrenis temporaliter sustententur stipendiis, idonei vix possunt existere cultibus divinis, cum ipse mundi Conditor secundum humanam unitam sibi materiam dignatus sit perferre sitim et esuriem. Ad gloriam itaque illius, per quem vivimus et sumus, pretiosissimi martyris Christi Laurentii basilicam, nostro quidem hortamine, Florentinorum vero civium sumptibus pulchra specie instauratam, episcoporum aggregato coetu propriis manibus reddidimus dedicatam quam nudam sine dote dimittere indignum valde judicavimus, apostolica soliditate, cui præcipue competit honestati studendo omnibus nedum injuriam patientibus pia sollicitudine subvenire. Assistentium ergo fratrum hortatu, proprio quoque consilio roborati, præsente populo Florentino, pro peccatis ejusdem civitatis præsulum, ob vestram quoque devotionem, denique propter totius populi salutem a nobis consecrato altari prædictorum et omnium suarum rerum, quod saltem ad præsens potuimus, investituram apostolicam obtulimus. Suscipe igitur, sanctissime Laurenti, tibi jamdudum devotissimi papæ Nicolai voluntarium munus, tuarumque rerum per me amodo et usque in sempiternum singulare et integrum, sine aliqua controversia aggredere dominium, quatenus in aula tuo nomini dedicata religiosus clerus Deo omnipotenti laudum reboet cantica. Designentur autem tua prædia per subjecta vocabula, scilicet, totus circuitus adjacentis ecclesiæ in integrum, nec non dominicatum, quod adhæret regio campo ab occidente, ad meridiem, a septentrione et oriente circumdatur via publica. Præterea juxta flavium Munionis, fundus magnus habetur hujus ecclesiæ proprius. Alios denique duos fundos quorum unus positus est Carditulo, alter Junkero, qui retinentur nepotibus Teuzonis clerici, monstramus proprie ad regimen præfatæ Ecclesiæ retineri; mons sancti Laurentii qui ex uno latere proximatur terræ Sancti Joannis, ex alio Sancti Romuli, tertio Sanctæ Mariæ juri vestræ Ecclesiæ conceditur. Fundus siquidem in monte Ugonis, positus similiter ditioni memoratæ ecclesiæ consignatur, hæc vero omnia summotenus memoravimus. Ne quis tamen dubitet multo ampliora prædia hæc ecclesia non detineri, absolvimus præterea liberumque eumdem venerabilem locum apostolica sanctione persistere jubemus, nec liceat alicui magnæ parvæque personæ ibidem canonice aggregatos clericos dehonestare et placitando infestare vel debitum tributum ab eis exigere seu aliqua occasione tibi a nobis aut aliquibus fidelibus res concessas sive concedendas invadere, subtrahere, diminuere, sitque immunis prædictus locus ab omni pensione, sub S. Laurentii tuitione, nulliusque subjiciatur dominio, nisi Florentino episcopo. Si quis ergo, quod non credimus, sacrilega mente, quod in conspectu episcopi Humberti cardinalis Silvæ Candidæ, atque Hildebrandi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ archidiaconi, nec non episcoporum Perusini, Rosellani, et Furconensis, juste stabilitum, conatus fuerit infringere, centum auri libras præfatæ basilicæ cogatur persolvere, medietatem Florentino episcopo, et medietatem clericis ejusdem Ecclesiæ consistentibus, descendantque super eum Omnipotentis maledictiones, nisi admonitus satisfecerit, quas in Deuteronomio sanctus descripsit Moyses, atque interficiat eum Deus spiritu oris sui, sicut Dathan et Abiron, quos vivos terra deglutivit. Præterea ut hæc pagina plenam fidem præsentibus sed etiam posteris astruat, et propriæ manus subscriptione, et apostolici sigilli munivimus impressione.

CONFIRMA HOC, DEUS, QUOD OPERATUS ES IN NOBIS.

Ego Brunus, Prænestinus episcopus, SS.
Ego Petrus, Peccator monachus, SS.
Ego Petrus, Lavicanensis episcopus, SS.
Ego Bonifacius, Albanensis episcopus, SS.
Ego Desiderius, presbyter cardinalis Romanæ Ecclesiæ, SS.

Datum Florentiæ XIII Kal. Februarii, anno ab Incarnatione Domini 1059, per manus Humberti Sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi et apostolicæ sedis bibliothecarii, anno primo domni papæ Nicolai II, indictione XIII.

XVIII.

Bulla Nicolai II papæ pro canonicis Pisaurensibus.

(Anno 1060.)

[OLIVIERI, *Memorie per la storia della Chiesa Pesarese nel secolo* XIII. Pesaro, 1779, 4°.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis URSONI venerabili præposito, cæterisque canonicis sanctæ Pisauriensis ecclesiæ, eorumque successoribus ibidem victuris in perpetuum.

Debitum commissæ nobis speculationis exsequimur si piis et venerabilibus locis opportuna munimina contra sæcularium impetus providemus. Quapropter in canonicæ conversationis proposito proficere et perseverare vos cupientes... petitionis vestræ tenorem præfatam canonicam et vos vestraque omnia sub nostræ defensionis tutela suscipimus, et quidquid ad præsens in scriptis vel sine scriptis juste et legaliter videtur habere, aut in futuro quocunque modo humanis et divinis legibus cogitо potuerit acquirere per hujus nostri privilegii paginam in perpetuum confirmamus. Id est Dominicatam domum juxta Ecclesiam intra civitatem, et quæ vestra circa eam sunt, et Ecclesiam sancti Clementis cum omnibus suis pertinentiis, et mansum quem Constantinus filius quondam Constantini præfatæ canonicæ delegavit, necnon et omnia

Digitized by Google

quæ jam dicta canonica noscitur habere, aut deinceps quibuscunque modis juste et legaliter acquiret tam in ecclesiis, casis, terris, vineis, quam in decimis, primitiis, oblationibus vivorum et mortuorum, quas ab ipsa matrice vestra Ecclesia, aut undecunque habere debetis, vobis vestrisque successoribus deinde, ut supra dictum est, conversaturis, in perpetuum confirmamus, et per hujus nostræ constitutionis paginam corroboramus. Quocirca apostolica auctoritate statuimus ut nullo cujuscunque ordinis aut dignitatis ecclesiastica videlicet, vel sæcularis magna parvaque persona, prædictam canonicam, seu vos vestrosque successores quamlibet audeat disvestire de bonis suis vel spoliare, sine canonicalis aut localis judiciis sanctione. Si quis igitur nostri hujus statuti edictum....temerario ausu infringere præsumpserit, et ecclesiasticæ institutionis more commonitus emendare contempserit, sciat se anathematis vinculo innodandum et decem auri libras... compositurum, medietatem præfatæ canonicæ, et medietatem sacro nostro Lateranensi palatio. Qui vero hæc propter reverentiam apostolicæ sedis fideliter observaverit, sanctorum precibus possessor sit regni cœlestis.

Bene valete.

CONFIRMA HOC, DEUS, QUOD OPERATUS ES IN NOBIS.

Datum Fani XI Kal. Maii anno ab..... Verbi 1060, per manus Humberti sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi et apostolicæ sedis bibliothecarii, anno secundo pontificatus domni papæ Nicolai secundi, indictione XIII.

XIX.

Nicolaus II confirmat fundationem abbatiæ S. Petri in urbe Agerensi, et privilegia nonnulla ad ejusdem libertatem concedit.

(Anno 1060.)

[Coquelines, I, 401.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, omnibus clericis canonice viventibus et victuris in ecclesia, quæ est constructa ad honorem sancti Petri, apostolorum principis in Agerensi castro, salutem et benedictionem in perpetuum.

Quia in commissa nobis Ecclesiarum Dei cura sollicite nobis est vigilandum, dignum et honestissimum nobis videtur ut omnibus Dei Ecclesiis subvenire, defendere, auxiliari et augere non desistamus. Quapropter ecclesiam Sancti Petri quæ sita est in prænominato castro, in tutelam sancti Petri et proprietatem suscipientes, omnibus modis studere volumus, nostri muniminis præsidio fultam, nostrorumque successorum, semper manere, quam eo quod nuperrime de potestate paganorum et gentilitatis errore divinitus liberatam per charissimum nostrum Arnaldum nobilissimum et religiosissimum virum, inimicorum Dei Agarenorum adversarium et debellatorem, novimus ac oblatam Deo et sancto Petro ab eodem et ab uxore sua Arsendi pro redemptione animarum suarum et a Guillelmo filiorum eorum, et pro æternæ retributionis præmio suscipimus in S. Petri proprietatem et nostram volumus auctoritate apostolica, confirmamus et præcipimus ut inviolabili vigore habeat quidquid canonice et juste tibi dare possumus in ecclesiasticis et mundanis rebus; ita ut nullus episcopus vel aliquis suus nuntius aut quælibet alia persona a clericis ibidem deservientibus aliquod servitium, aut redditum exigat, vel subjectionem aliquam de omnibus, quæ nunc habet, vel habitura est, ut nulli episcopo liceat præfatæ ecclesiæ divinum officium prohibere, aut de clericis ibidem commorantibus quemquam excommunicare, aut sui officii persolutionem perturbare, aut aliquos causa conversionis pœnitentiæ ad eum venientes vel divinum officium audituros vel ibidem remansuros, ab ea separare, aut interdicere, vel quoquomodo lædere, quatenus perturbatione omni remota in nullo impediantur canonice viventes, nisi forte, quod absit! contra canonica instituta in suum episcopum aliquid faciant, unde hoc perpeti debeant. Et volumus nos, et auctoritate apostolorum principum Petri Pauli et firmiter jubemus ut omnes ecclesias, cellas, et prædia præfatæ ecclesiæ omnium, quæ modo habet, et habitura est in perpetuum quiete habeat et possideat, et nulli ecclesiæ suæ sine culpa clericorum contra jussa canonum divinum officium prohibeatur, aut excommunicetur.

Statuentes apostolica censura decernimus ut nulla persona parva vel magna nullum censum ab eadem ecclesia cum omnibus sibi pertinentibus exigere præsumat, vel habeat, nisi Romana Ecclesia, quæ habeat per quinquennium censum decem solidos aureos. Iste et Arnaldus, vir prudentissimus, cum sua uxore et filio, et posteris de sua progenie habeat dignam subjectionem et honorem, eo quod Dei auxilio liberaverit terram illam de potestate et errore Agarenorum, et liceat eis ordinare abbatem in supra dicta ecclesia secundum suam voluntatem, quem congruum et idoneum et servitio Dei aptum ipse cum clericis ecclesiæ Sancti Petri canonice elegerint. Et abbati prædictæ ecclesiæ nullo modo liceat de prædiis et de castellis vendere quoquomodo, aut alienare ad damnum ecclesiæ. Si quis igitur hujus nostri privilegii temere violator exstiterit et monitus canonice emendare contempserit, sciat se perpetuis anathematis vinculis innodatum, et insuper centum librarum auri pœna multandum, medietatem sacro nostro palatio, et medietatem præfatæ ecclesiæ. Qui vero pia devotione conservator esse studuerit, et de suo aliquid præfatæ ecclesiæ dederit, vel auxilium fecerit, precibus apostolorum principum Petri et Pauli peccatorum suorum omnium ab omnipotenti Deo veniam, et æternæ beatudinis consequatur gloriam.

Scriptum par manus Octaviani, scriniarii et notarii sacri palatii, in mense Aprili et indictione XIII.

Datum Romæ XVIII Kal. Maii, anno ab Incarnatione Jesu Christi 1060, pontificatus domni Nicolai papæ secundi anno secundo.

Ego Bruno, Prænestinus episcopus.

Digitized by Google

Ego Arnoldus, Aretinus episcopus.

Ego Cumbertus, Taurinensium præsul.

Ego Anselmus, Dei misericordia Lucensis episcopus, cognovi.

Ego Dodo, Dei nutu Rosellanus episcopus, cognovi.

Ego Anselmus, Dei gratia Castrensis episcopus.

Ego Godefridus, Perusinus episcopus.

Ego Joannes archipresbyter subscripsi. Lucenicanus archipresbyter S. Petri, Joannes S. Petri. Albertus archipresbyter subscripsi.

Datum Romæ XVII Kal. Maii anno ab Incarnatione Jesu Christi 1060, per manus Humberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ sedis bibliothecarii, et sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi, anno secundo pontificatus domni papæ Nicolai secundi, indictione XIII.

XX.

Bulla Nicolai II pro confirmatione jurium et bonorum monasterii S. Thomæ de Aposella, in quo obiit Clemens II papa.

(Anno 1060.)

[MITTARELLI, *Annal. Camald.* II, Append., 173, ex autographo archivi S. Mariæ Portus Ravennæ.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, PETRO venerabili abbati monasterii Sancti Thomæ apostoli, positi in comitatu Pensaurensi juxta fluvium Apusella, suisque successoribus ibidem regulariter promovendis in perpetuum.

Tanta est sedis apostolicæ auctoritas, ut omnis requiratur ab ea firmitas, nec putetur esse stabile, nisi quod ejus fuerit confirmatum robore. Et quia nos ei præsidemus, et vices beati Petri fungimur licet indigni, omni studio debemus servientes Deo divinoque timore repletos dirigere et adjuvare, quatenus nostro munimine fulti absque omni impedimento Deo servire, et in suo servitio liberius permanere possint. Quapropter per intercessionem domni Petri Damiani Hostiensis episcopi confratris nostri, et Petri abbatis ejusdem monasterii et spiritualium monachorum ejus regulariter viventium, decrevimus ecclesiæ Sancti Thomæ apostoli et ejus rectoribus præsentibus et futuris tam bona ammobilia, quam immobilia quæ nunc habet, vel in perpetuum habitura est, confirmare et corroborare, quatenus cum omni securitate et quietudine monasterium prædictæ Ecclesiæ maneat et ibidem Deo deserviatur. Flexi igitur precibus, ut diximus, religiosorum monachorum corroboramus atque confirmamus nec non stabilimus tibi tuisque successoribus eidem monasterio, cui nunc præsides et præsidere debent in perpetuum. Quin insuper quietum facimus et securum ab omni impugnatione et læsione hominum, ut nemo sit, qui audeat quidpiam molestationis ac læsionis eidem monasterio inferre, statuentes apostolica censura ut nullus imperator, rex, dux, marchio, comes, vicecomes, et præterea nullus archiepiscopus, episcopus, et specialiter ejusdem Pensaurensis episcopatus episcopus, qui nunc est ibi, vel futurus est, nec non cives loci illius, vel alia aliqua persona magna vel parva aliquod inferre præsumat detrimentum vel nocumentum prædicto monasterio Sancti Thomæ ejusque omnibus bonis, quibus nunc habet, vel in perpetuum habiturus est. Insuper concedimus et confirmamus prædicto monasterio omnem ipsam terram cum capellis et suis pertinentiis, quam domnus papa Clemens qui ibi obiit, obtulit prædicto monasterio in perpetuum pro remedio animæ suæ et restauratione Ecclesiæ, positam comitatu Pensaurensi, inter hos fines, a primo latere rivum Reanum, a secundo latere ripam de Pizele, sicut vadit in petram de Acero, et venit ad viam publicam, quæ ducit in Lavacelli; a tertio latere rivum, qui temporaliter currit super castrum Liciole; et a quarto latere Aposellam fluvium, qui currit usque in ipsum vestrum monasterium, cum monte Calvello et valle Gelata, et castrum Liciole cum omnibus quæ intra hos concluduntur fines, cum terris, campis, casis, vineis, arboribus, pomiferis et infructiferis, et cum omnibus ad prædictam terram generaliter et universaliter pertinentibus. Et insuper confirmamus eidem monasterio illam turrim infra ipsam civitatem Pensaurensem, quæ nominatur Castellione cum suis pertinentiis intus et foris usque ad portam quæ nominatur Fanestra in perpetuum. Unde evacuamus et evacuatum semper esse volumus et jubemus illa præcepta, quæ de illa terra habuerunt ipsi tibi Ungari, ut nullum valorem nullamque habeant firmitatem, per hoc nostrum præceptum, tibi tuisque successoribus a nobis pro remedio animæ illius papæ Clementis nostræque in perpetuum. Factum ea tamen ratione ut annualiter persolvatis exinde pensionem auri bisantini unam actionariis certis sanctæ Romanæ Ecclesiæ apto tempore. Si quis igitur hujus nostri privilegii violator temere exstiterit, et monitus canonice emendare contempserit, perpetui anathematis vinculis se innodatum noverit, et insuper quinquaginta librarum auri pœna multandum, medietatem sacro nostro Lateranensi palatio, et medietatem præfato monasterio. Qui vero pia devotione conservator esse studuerit, precibus apostolorum principum Petri et Pauli peccatorum suorum omnium ab omnipotenti Deo veniam et æternæ beatitudinis consequatur gloriam.

Scriptum per manus Joannis Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprilis et indictione tertia decima.

Ego Petrus, Gabinensis episcopus, SS.

Ego Bruno, Prænestinus episcopus, SS.

Ego Joannes, Portuensis episcopus, suscripsi.

Ego Petrus, Peccator monachus et episcopus, SS.

Ego Stephanus, vocatus monachus et presbyter tituli S. Grisoni, SS.

Datum Romæ XIII Kal. Maii, anno ab Incarnatione Domini Jesu 1060, per manus Humberti sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi et apostolicæ sedis bibliothecarii, anno secundo pontificatus domni papæ Nicolai secundi, indictione XIII.

Digitized by Google

XXI.

Nicolai papæ II privilegium pro monasterio monialium Sanctæ Juliæ Brixiensis.

(Anno 1060.)

[MARGARINI, *Bullar. Casin.* II, 95, ex archiv. monast. SS. Salvatoris et Juliæ Brixien.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, charissimæ in Domino filiæ OTTÆ abbatissæ monasterii Domini Salvatoris, et sanctæ Juliæ virginis et martyris, quod novum dicitur, et in civitate Brixia situm est, tuisque successoribus tam præsentibus quam futuris.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabiliter atque congrue a fidelibus petuntur, ob devotionem pii Conditoris nostri, oportet nos in privilegiis præstandis nostram nullo modo denegare munificentiam. Igitur, quia vestra dilectio nostræ sublimitatis apostolatum humiliter rogavit, quatenus prædictum monasterium Domini Salvatoris, nec non et Sanctæ Juliæ virginis et martyris, a piissima Ansa regina infra civitatem Brixiam constructum, privilegiis apostolicæ sedis decoraretur, ut jam dictum monasterium Domini Salvatoris a prædicta Ansa piissima regina, sub regali semper jure et ditione submissum, nullius unquam alterius ditionis, vel potestatis, vel ordinationis submitteretur dominio: vestris piis desideriis per hanc nostram privilegii auctoritatem vel quod postulastis libenter concedimus; et ideo quorumlibet sacerdotum, et omnium hominum in præfato monasterio vel in illius pertinentiis habitantium quamlibet jurisdictionem, vel potestatem sive aliquam auctoritatem aut ordinationem præter regiæ potestatis, et dispositionis culmen habere prohibemus, ita ut nisi ab abbatissa ipsius monasterii fuerit invitatus, sacerdotum quisquam, nec etiam missarum solemnia ibidem omnimodo celebrare præsumat. Hoc denique, hac nostra apostolica auctoritate, constituimus ut nulla magna parvaque persona, eidem venerabili monasterio, sive in ancillis Dei, vel in familiis utriusque sexus, aut etiam in liberis, super terram ejusdem monasterii residentibus, vel in cunctis rebus, et possessionibus ad id pertinentibus videlicet in casis, omnibusque rebus mobilibus et immobilibus, quoquo modo aliquam molestiam inferre præsumat. Pariterque concedimus, et confirmamus eidem venerabili monasterio districtum servorum et liberorum, et decimas, et primitias omnium laborum vestrorum ad basilicas et cellas in terris ejusdem monasterii constructas pertinentia, sicut per prædictam Ansam reginam a piissimo Desiderio rege, et suis successoribus regibus, et imperatoribus ibidem concessum et corroboratum habetur, et a nostris prædecessoribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontificibus.

Confirmamus insuper quasdam cortes eidem venerabili loco, videlicet Sermionem, Cervanigam, Nuvolariam, Berciagum, Machonem, Vicum, Guarsenagum, Barbadam, Alsianum, Monticellum; Novum, Calatonem, Ciconiariam, Miliariam, Sormidam, cum omnibus earum pertinentiis, seu etiam omnes alias cortes, villas, castella, cellas, seu ecclesias in terris ejusdem monasterii constitutis, et omnia eidem monasterio pertinentia. Quæcunque præterea in futurum, largiente Deo, juridice, atque canonice poteritis adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, et eidem monasterio illibataque permaneant. Seu concedimus ut abbatissa, quæ pro tempore in monasterio ipso ordinata fuerit, habeat potestatem faciendi castella, et ecclesias ubicunque voluerit in terris ad præfatum monasterium pertinentibus. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, sive basilicarum, ordinationes abbatissæ, vel monacharum, sive clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, seu quidquid ad sacrum ministerium pertinet, a quibuscunque catholicis præsulibus fuerint postulata, gratis concedantur, et absque ulla reprehensione tribuenda, sicut Anselperga prima abbatissa ejusdem monasterii a Paulo beatæ memoriæ apostolicæ sedis pontifice, pro fragilitate feminei sexus obtinuit. Statuentes denique, apostolica censura præcipimus ut nullus episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, Gastaldo, aut aliqua magna parvaque persona, ullum districtum in aliquibus locis ipsius monasterii habere, vel judicare, seu aliquod placitum absque licentia abbatissæ tenere præsumat, vel res monasterii ecclesiasticas, vel sæculares quovismodo alienare, aut invadere, vel ibi molestias inferre, aut fodrum, vel mansionaticum, seu ripaticum, aut paratas, seu aliquas publicas functiones exigere audeat. Et ubicunque abbatissa voluerit mercatum constituere, vel ædificare in locis ipsius monasterii, nullus ei contradicere præsumat. Piscarias quoque ad prædictum monasterium pertinentes eidem monasterio concedimus, atque apostolica auctoritate præcipimus ut nullus eas invadere aut se intromittere audeat.

Hæc autem omnia, quæ superius memorata sunt, tibi Ottæ abbatissæ in Domino filiæ, tuisque successoribus, a præsenti tertia decima indictione, per hanc nostri privilegii paginam, apostolica auctoritate confirmamus, concedimus et corroboramus secundum prædictum modum. Si quis autem temerarius, quod non optamus, contra hoc nostrum privilegium venire tentaverit, et sicuti a nostra apostolica auctoritate concessum et corroboratum est, permanere non dimiserit, sciat se anathematis vinculo innodatum, a Patre, et Filio, et Spiritu sancto, et ab auctoritate beati Petri principis apostolorum, nec non et cum diabolo et Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterni incendii supplicio concremandum, et insuper sciat se daturum triginta auri libras, medietatem nostro sacro palatio, et medietatem præfato monasterio. Qui vero pio intuitu observator in omnibus exstiterit, custodiens hujus nostri privilegii constituta ad cultum Dei respicientia, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo habeat, et vitæ æternæ particeps esse mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

Scriptum per manus Octaviani scriniarii, et notarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sexto die mensis Maii, indictione XIII.

Datum Romæ, III Nonas Maii, anno Domini nostri Jesu Christi 1070, per manus Humberti sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi, et apostolicæ sedis bibliothecarii, anno secundo pontificatus domni papæ Nicolai secundi, indictione XIII.

XXII.

Privilegium Nicolai II papæ pro regali monasterio SS. Salvatoris, et Juliæ Brixiensis.

(Anno 1060.)

[MARGARINI, *Bullar. Casinens.*, t. II, p. 96, ex archivio monasterii S. Juliæ Brixiensis.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, charissimæ in Domino filiæ HERMENGARDÆ, abbatissæ monasterii Domini Salvatoris nostri, et sanctæ Juliæ virginis et martyris, quod novum dicitur, fundatum a pissima Ansa regina infra civitatem Brixiam, tibi videlicet, tuisque successatricibus, in perpetuum.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabiliter atque congrue a fidelibus petuntur ob devotionem pii Conditoris nostri, oportet nos in privilegiis præstandis nostram nullo modo denegare munificentiam. Igitur pia vestra dilectio nostræ sublimitatis apostolatum humiliter rogavit quatenus prædictum monasterium Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, nec non et beatissimæ virginis et martyris Juliæ a prænominata Ansa regina intra civitatem Brixianam constructum, privilegiis apostolicæ sedis decoraretur, quatenus jam dictum monasterium ab ædificatrice sua, sub regali semper jure et ditione submissum, nullius unquam alterius ditionis, vel potestatis, atque ordinationis submitteretur dominio; vestris piis desideriis, per hanc privilegii nostri auctoritatem, vel quod postulastis libenter concedimus. Et ideo quorumlibet sacerdotum, et omnium hominum in præfato monasterio quamlibet jurisdictionem, vel potestatem, sive aliquam auctoritatem, aut ordinationem, præter regiæ potestatis, et dispositionis culmen habere prohibemus, ita ut nisi ab abbatissa sæpe nominati monasterii fuerit invitatus, sacerdotum quisquam, nec etiam missarum solemnia ibidem omnimodo celebrare præsumat. Hoc denique hac nostra apostolica auctoritate constituimus, ut nulla magna, vel parva persona eidem venerabili monasterio, sive in ancillis Dei, vel in famulis utriusque sexus, aut etiam in liberis super terras ejusdem monasterii residentibus, vel in cunctis rebus mobilibus, et immobilibus, quoquomodo aliquam molestiam inferre præsumat. Pariterque concedimus, et confirmamus eidem venerabili monasterio districtum servorum et liberorum et decimas et primitias quorumcunque laborantium, ad basilicas, vel cellas eidem monasterio juste et legaliter pertinentia, sicut per præceptum jam dictæ Ansæ reginæ, et suorum successorum regum et imperatorum illidem concessum et corroboratum habetur, et a nostris prædecessoribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontificibus. Confirmamus insuper quasdam curtes eidem venerabili monasterio longo tempore a sæpe jam dicto monasterio possessas, atque detentas : videlicet Sermione, Cervaniga, Nuvelaria, Berclagum, Barbadam, Alfianum, Calvatonem, Ciconiariam, Milarinam, Sermidam; necnon Gosenagum novum, Monticellum, cum omnibus basilicis eidem monasterio pertinentibus, scilicet in Sermione unam, in Nuvelaria unam, in Berciago duas, in Barbada unam, in Alfiano unam, in Ciconaria unam, in Miliarina unam, seu etiam alias curtes, villas, castella, basilicas, et omnia eidem monasterio pertinentia, quæ dici, vel nominari possunt. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium sive basilicarum, ordinationes abbatissæ, vel monachorum, sive cæterorum clericorum, qui ad sacros fuerint ordines promovendi, seu quidquid ad sacrum mysterium pertinet, a quibuscunque catholicis præsulibus fuerint postulata, gratis concedantur, et absque reprehensione tribuenda, sicut Anselperga prima abbatissa ejusdem monasterii, a Paulo beatæ memoriæ apostolicæ sedis pontifice pro feminei sexus fragilitate, obtinuit. Obeunte quoque prædicta hac abbatissa, nulla ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quam sorores communi consensu, vel pars concilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam elegerint. Sed concedimus, ut abbatissa, quæ pro tempore in ipso monasterio ordinata fuerit, habeat potestatem faciendi Ecclesias, mercatum, et castella ubicunque voluerit in terris ad præfatum monasterium pertinentibus. Statuentes denique apostolica censura præcipimus, ut nullus episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, Gastaldius, aut aliqua magna sive parva persona ullum districtum in aliquibus locis ipsius monasterii habere, vel judicare, seu aliquod placitum, absque licentia abbatissæ habere præsumat, aut res monasterii ecclesiasticas, sæcularesve, quovis modo, alienare, vel ibi molestiam inferre, aut fodrum, vel mansionaticum, seu ripaticum, aut paratas, sive aliquas functiones exigere, vel requirere audeat. Hæc autem omnia, quæ superius memorata sunt, tibi Ermengardæ in Domine filiæ tuisque successatricibus a præsenti tertia indictione, per hanc nostri privilegii paginam, apostolica auctoritate confirmamus, concedimus et roboramus, secundum prædictum modum; quatenus ut hac semper gratia digniores censeamini, Dei semper timorem, et omnem in vestris cordibus habere satagite, ut quanto a sæcularibus tumultibus liberiores sitis, tanto amplius placere Deo totius mentis et animæ virtutibus anheletis. Si quis autem archiepiscopus, aut episcopus, imperator, rex, princeps, aut dux, comes, vicecomes, judex, aut ecclesiastica quælibet, sæcularisve persona temerario ausu, quod non optamus, contra hoc nostrum privilegium temere venire tentaverit, et sicuti a nostra apostolica auctoritate concessum et corroboratum est, permanere non dimiserit, sciat se anathematis

Digitized by Google

vinculo innodatum a Patre, Filio et Spiritu sancto, et ab auctoritate beati Petri principis apostolorum, cujus nos immeriti vices fungimur; nec non et cum diabolo, et Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterno incendio concremandum. At vero qui pio intuitu observator in omnibus exstiterit, custodiens hujus nostri privilegii constituta ad cultum Dei respicientia, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo consequatur, et vitæ æternæ particeps esse mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manus Octaviani scriniarii et notarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ II Idus Maii, indictione supradicta XIII.

Datum Romæ XVII Kal. Junii, anno Domini nostri Jesu Christi 1060, per manus Humberti, sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi et apostolicæ sedis bibliothecarii, anno secundo pontificatus domni papæ Nicolai secundi, indictione supra scripta.

XXIII.

Consecratio altarium basilicæ Farfensis a Nicolao II Romano pontifice facta, et monasterii illius libertas ab eodem pontifice confirmata.

(Anno 1060.)

[Muratori, *Antiq. tal.* V, 1039.]

In nomine Domini, Nicolaus episcopus, servus servorum Dei. Ob reverentiam sanctæ Dei genitricis et semper Virginis, et dominæ nostræ Mariæ, postquam renovationem consecrationis hujus Ecclesiæ Farfensis, Deo propitio, jam honorifice explevimus, volentes amodo comprimere ac destruere omnium pravorum hominum, cujuscunque dignitatis vel gradus sint, de bonis hujus monasterii invasiones vel deprædationes vel furta, auctoritate divina, videlicet Patris et Filii et Spiritus sancti, et beatæ Mariæ semper Virginis, beatique Michaelis archangeli, et sancti Petri apostolorum principis, omniumque sanctorum, qui in cœlis et in terra venerantur, excommunicamus et anathematizamus, et a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ expellimus illos, qui porcos, boves aut oves, vel alia quælibet animalia, seu calceamenta vel vestimenta, sive libros, vel fruges, aut triticum vel vinum vel panem, seu diversa utensilia, de hoc monasterio Sanctæ Mariæ violenter rapuerunt, aut deinceps rapuerint, sive furati sunt, vel amodo præsumpserint, aut diutius aut foris accipiunt. Igitur maledictionem abyssi jacentis deorsum, et maledictionem cœlestem et maledictionem terrestrem suscipiant, præsentem maledictionem in corporum debilitatione recipiant, perditione et animarum cruciatione maledicantur cum maledictis, flagellentur cum ingratis, pereant cum superbis, crucientur cum blasphemis, torqueantur in inferis; sint maledicti cum blasphemantibus nomen Domini; sint maledicti cum desperatis, sint maledicti in oriente et occidente; sint maledicti in meridie et septemtrione; sint maledicti in die et in nocte; maledicti intus et foris, maledicti a dextris et a sinistris; sint maledicti in domo et in agro; sint maledicti stantes et sedentes, ambulantes et moram facientes; sint maledicti bibentes et manducantes; sint maledicti vigilantes et dormientes. Obtenebrescat eis sol, cum adhuc media fuerit dies, et incursentur a diabolo et angelis suis. Excrucientur animæ eorum doloribus, et exstinguatur lucerna eorum in sæcula sæculorum, amen, nisi venerint ad satisfactionem et congruam emendationem.

XXIV.

Nicolai II epistola ad R.... comitem Rutenensem. — Hortatur ut ecclesiarum et pauperum sit defensor, et monasterio Virdunensi possessiones aliquas, quas injuste detinet, restituat.

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, R. Rutenensi comiti dilecto filio, salutem et apostolicam benedictionem.

Cognoscentes tui animi propositum, et quod propter regnum Dei et justitiam ejus volueris renuntiare temporali fastigio sæcularium occupationum, confidenter tibi denuntiamus ut, secundum quod tibi injunximus cum ore ad os loqueremur, Ecclesiis Dei et pauperibus defensorem te opponas, justitiamque eis acquirendo, in conspectu Dei excusatus existas, quod non sine causa gladium portas. Et quia nostrum est te admonere, si qua non negligenda cognoverimus te negligere, orando simul et præcipiendo auctoritate apostolica monemus ut monasterio S. Petri sito Virduni quod venerabilis vir consanguineus tuus Waleranus abbas regit, curtes, quas in terra possessionis tuæ habere dignoscitur, restituas: ne, quod absit! ad perditionem animæ tuæ diutius eas retinendo, excommunicationem ab antecessoribus nostris comprecatam invasoribus eorum incurras. Nec volumus dicas, a parentibus tuis vel uxoris tuæ, eas servis Dei subtractas; quia justus dominus reddit iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem. Sicut enim conscia veritatis testatur antiquitas, S. Amantius peculiaris vester patronus eas contradidit servitorum S. Petri usibus.

XXV.

Epistola Nicolai II ad clerum Sistaricensem, qua commendat Gerardum episcopum, et quædam ei præscribit.

(Anno circiter 1060.)

[D. Bouquet, *Recueil* tom. XI, p. 494.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, clero, ordini, plebi, consistentibus in civitate Sistaricensi, salutem et apostolicam (3) benedictionem si obedierint.

Cum nostri sit officii universalis Ecclesiæ curam gerere, oportet nos studere omnibus ubique prodesse. Unde pro vestra salute fratrem etiam et coepiscopum nostrum Gerardum (4) vobis ordinavimus sacerdotem, a religiosis viris in partibus Galliæ habitantibus electum, scilicet a venerabili fratre Clu-

(3) Summi quidam pontifices litterarum suarum inscriptioni verba hæc addiderant; verum Nicolaus II post *salutem datam*, primus constanti modo et uniformi adhibuit *apostolicam benedictionem*. (*Hist. litt.*, t. VII, p. 521).

(4) Gerardus, sive Geraldus II electus est episco-

Digitized by Google

niacensi Hugone qui nostra vice in partibus illis fungebatur, Arelatensi archiepiscopo, episcopo Avenionensi, episcopo Cabilonensi, episcopo Aptensi, episcopo Vasensi, episcopo Dignensi, episcopo Diensi. Quibus testibus de ejus vita nil dubitamus. Cui dedimus in mandatis, ne unquam ordinationes præsumat in eum, qui virginem non est sortitus uxorem, neque inlitteratum, vel in quolibet corporis parte vitiatum, aut ex pœnitente, vel curæ, aut cuilibet conditioni obnoxium, notatumque, ad sacros ordines permittat accedere; sed si quos hujusmodi forte comperit, non audeat promovere. Afros passim ad ecclesiasticos ordines prætendentes, nulla ratione suscipiat, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptisati sunt probati. Ministeria atque ornatum Ecclesiæ, vel quidquid illud est in patrimonio ejus minuere non studeat sed augere. De reditu vero Ecclesiæ, vel oblatione fidelium quatuor (5) faciat portiones, quarum unam sibi retineat, alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, tertiam vero pauperibus et peregrinis, quartam vero ecclesiasticis fabricis noverit observandam; de quibus divino erit redditurus judicio rationem. Ordinationes vero presbyterorum seu diaconorum, nonnisi quarti, septimi, vel decimi mensium, jejuniis, sed et ingressu quadragesimali atque mediante vespere Sabbati noverit celebrandas. Sacrosancti autem baptismi sacramenta nonnisi in Paschatis festivivitate, et Pentecostes meminerit esse prædenda; exceptis his qui mortis urgentur periculo, ne in æternum pereant, talibus debet remediis subveniri. Nunc ergo sedis nostræ præcepta servanti, devotis animis obsequi oportet, ut irreprehensibile placidumque fiat corpus Ecclesiæ per Jesum Christum, etc.

XXVI

Nicolai II epistola ad Gervasium Remensem archiepiscopum.

(Anno 1059-61.)

[Duchesne, *Rer. Franc. Script.* IV, 198.]

Nicolaus, servus servorum Dei, Gervasio venerabili archiepiscopo, salutem cum benedictione apostolica.

Licet de vestra fraternitate quædam sinistra, nec sine discussione dimittenda, pervenerint ad apostolicam sedem : scilicet quod ejus invasoribus faverit, quod pontificales actus postposuerit; tamen quia testimonio non levis personæ defenderis, sed potius de fidelitate sancti Petri laudaris, præmissa transimus, et ut verum sit de vobis testimonium optamus. Vos autem omni conamine studete ita vivere, ut vestri non habeant inimici unde nos possint in vos contristare. Scitis enim quam benigna vobis fuerit communis mater sancta Romana Ecclesia, quamque de te magna ei fiducia, ut tua solertia Francorum posset succurrere pene lapsæ Ecclesiæ. Proinde agere stude quod de te speravit apostolica sedes, et vestrum regem gloriosum castiga, precare, admone, ne pervertatur pessimorum consilio, qui nostra discordia putant se apostolicam censuram evadere : caveatque sacris canonibus, imo beato Petro resistere, nosque, qui eum sicut pupillam volumus amare oculi, contra se movere. Satis enim mirari potest, si pro aliquo stulto, sicut est, quem voluit ordinari, Matisconensis episcopus, vult Deum et et sanctum Petrum offendere; nostram charitatem atque sinceram dilectionem circa se parvipendere. An putat aliquis membrorum Antichristi, quod plus non possit ei prodesse gratia beati Petri, quam omnium impiorum perfida fidelitas? Agat itaque gloriosus rex, ut libet, contra nos, quia nos pro illo ejusque exercitu Deum semper precari parati sumus. De duce vero Gotifrido nemo vos terreat, cum fuerit opus vos venire Romam, quia non tantum vobis impedimentum non faciet, sed etiam fideliter servitium impendet. Salutant vos charissimi fratres nostri cardinales episcopi, necnon humilitas filii nostri Hildebrandi.

XXVII.

Nicolaus II Annam reginam Galliæ hortatur ut regem ad pietatis æquitatisque gubernacula moderanda, statumque Ecclesiæ retinendum incitet.

(Anno 1059-61.)

[*Hujus epistolæ Petrus Damianus est auctor. Vide inter ejus epistolas, Opp.* t. I, p. 124.]

XXVIII.

Nicolaus II Gervasio archiepiscopo Remensi, præcipit ut damna Ecclesiæ Virdunensi illata reconcinnet.

(Anno 1059-61.)

[Duchesne, *Hist. Franc. Script.* IV, 199.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, Gervasio Remensis Ecclesiæ archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam nobis commissum est, et auctoritate beati Petri traditum, supra quem fundamentum universalis Ecclesiæ solidatum est, quatenus et errata corrigamus, et membra nostro capiti cohærentia, ne dissonent, studeamus : tibi, utpote velut de nostris et sanctæ Romanæ Ecclesiæ membris, paterne intimando præcipimus, quatenus per te, quem in gremio matris tuæ, universalis videlicet Ecclesiæ, conclusum esse speramus; ne Virdunensi Ecclesiæ, quæ nobis commissa est cum fratribus, quidquam

pus Sistaricensis in magno concilio Avenionensi a S. Hugone abbate Cluniacensi, legato Nicolai papæ II. Missus à concilio ad Nicolaum, ab ipso consecratur in episc. Sittaric. Hac bulla seu epistola munitum, papa eum direxit ad sedem suam. Indigne habitus a Sittaricensibus, venit Forcalquierum, ubi honorifice est exceptus. Concilium hoc Avenionense prætermissum est in conciliorum collectionibus. Honoratus Bouche observat ipsius acta olim asservata fuisse in archivo Forcalqueriensi, nunc vero desiderari. Tempus habiti hujus concilii non potest differri ultra annum 1061, quo vivere desiit Nicolaus II, sub cujus pontificatu fuit celebratum. (*Gall. Christ. nov.*, tom I, col. 483.)

(5) Hæc reddituum ecclesiæ divisio quatuor in partes est S. Gregorii scribentis ad S. Augustinum Cantuariensem archiepiscopum (lib. XI, epist. 64.— *Gall. Christ.*).

Digitized by Google

injuriæ tam per te quam per tuos inferre amodo patiaris. Quod autem contra ejusdem Ecclesiæ fratres nunc noviter, et tu, et tui, damni et injuriæ intulistis, communiter et sanctæ Ecclesiæ Romanæ causa, et nostri amore emendare te, omni occasione remota, admonendo jubemus, hoc est prædam de Postviler, quæ potestati tuæ contigit, et de Mecla, quam Engobrandus deprædatus est, prædæ, cujus numerus infra scriptus est, ducenta sexaginta quatuor animalia. Clericos autem de eadem Ecclesia canonicos, nulla interveniente mora, recludi a captura præcipias, ut pro hac et prædictis rebus studiose peractis, et gratiam apostolorum principis et nostram habere promerearis.

XXIX.

Nicolai II epistola ad Gervasium Remensem archiepiscopum.

(Anno 1059-61.)

[Duchesne, *Hist. Franc. Script.* IV, 199.]

Nicolaus, servus servorum Dei, Gervasio venerabili archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia referente filio nostro G. te in fidelitate beati Petri persistere, ejusque auctoritati per omnia reverenter assurgere comperimus, paterna charitate sicut charissimum filium amplectimur, et amplectendo toto mentis affectu diligimus. Denique quandiu te fidelem filium exhibebis, nostra paternitas tibi nusquam deerit; imo debita charitate suffragabitur, nostraque auctoritate incessanter tuebitur. Quod de episcopo Silvanectensi nobis per filium nostrum mandasti, quia canonicum est, cum eodem filio nostro tibi concedimus. Neque enim justitiæ contraire volumus, pro qua mori, si necesse sit, lucrum putamus. Cæterum de nostro adventu in Franciam, nullam ad præsens tibi scribimus certitudinem. Cum autem ad te noster filius venerit, ipse tam de hoc quam de omnibus aliis te certificabit. Mandamus autem et præcipimus, quatenus cum duce charissimo filio nostro pacem ineas, ut tui ad nos secure valeant venire, nosque eos possimus audire. Nolumus etenim duos tam charissimos filios in discordia manere.

XXX.

Nicolai II epistola ad Lanfrancum.

(Anno 1059-61.)

[Theinerus, *Disquisitiones criticæ*, pag. 206.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, fratri Lanfranco, salutem et apostolicam benedictionem.

Satis desideratam vestram, charissime frater, ilbenter viderem præsentiam et in ecclesiasticis nostris curis libenter vestris recrearer consiliis, quem in Romanis et apostolicis servitiis satis opportunum audivimus. Sed quia tam facile nunc forsan fieri non potest, volumus ipsam vestram stationem nobis et Romanæ matris Ecclesiæ esse fructuosam, ut ex fructu vestræ stationis cognoscatur et fructus desiderabilis adventus. Hos igitur nostræ dilectionis filios imperatoris capellanos et nostros dialectica et rhetorica arte charitati vestræ mittimus edocendos. Ut sicut te Deo gratias singularem in hoc bivio audivimus, sic istos singulares tecum quam cito poteris Romæ vel forte cum apud vos cito venero videamus. Si vero divina, ut audivimus, pagina ab hujusmodi studio vos retinet, ex parte sancti Petri et nostra vobis præcipimus, et ex vera obedientia illos edocendos vobis mandamus, quos adhuc vestræ dilectioni mittimus, et vestræ charitati in omnibus subveniendos relinquimus. Comitem autem vestrum, amicum nostrum, quem vestris audivimus satis Deo gratias acquiescere consiliis, ita custodiatis, ut hic et in Christo valere possit. Confido enim bene de illo, cujus consilium et conversationem vobiscum audio. In clero autem et fero illo populo si potestis fructificare, ut de talento vobis commisso mercaamini tandem audire : Euge, serve bone, amen.

XXXI.

Bulla Nicolai II papæ ad Grimaldum Joannem presbyterum, etc.

(Anno 1061.)

[Sperandio, *Sabina sagra*, 272.]

Jōannes episcopus, servus servorum Dei, Grimaldo Joanni presbytero, Benedicto judici, Martino filio Sabini, Riccho de Raynerio, Joanni de Abizza, Martino de Joanne, Petro de Urso, Leoni de Lupo, Petro de Hendo, Homo de Martino, seu filiis et hæredibus eorum, atque consortibus quibuscunque ab eis advocatis in re inferius legenda in perpetuum.

Cum officii nostri sit omnium Ecclesiarum Dei utilitatibus invigilare, Romanæ tamen et apostolicæ sedis, cui auctore Deo præsidemus, oportet nos commodis sollicitus studere. Quapropter castellum, quod nuncupatur Roccha de Antiquo, quoniam a Grimaldo filio Benedicti Teobaldo cum omnibus appendiciis, et pertinenciis suis sancto Petro perpetuo jure acquisivimus; tibi et ipsis consortibus et his atque aliis in eadem re advocatis a vobis, seu filiis et hæredibus vestris per hujusmodi nostri privilegii paginam concedimus, et confirmamus, atque in perpetuum eo modo et tenore corroboramus, ut eam cum appendiciis ejus domibus reædificatis, et habitatores ibi quantos potestis advocetis a vobis, et singulis vestrum per domos, et familias, quique secundum quantitatem possibilitatis suæ annualiter persolvatis pensionis nomine in Pascha resurrectionis Domini beato Petro, et nobis ac successoribus nostris vos, et hæredes, ac successores vestri, majores scilicet denarios duodecim, inferiores autem retrogradu octo denarios, tertio denarios sex, quarto denarios duos; nec non et foderum facietis, et placita fideliter observetis nobis et successoribus, ac nuntiis nostris pro his rebus sitis in territorio Sabinensi. Statuimus quoque, et apostolica auctoritate sancimus, ut sitis sub apostolica defensionis protectione quieti, et ab omni molestatione et infestatione securi : nec alicui imperatori, duci, marchioni, vel comiti, sed ut amodo Romanæ et apostolicæ sedi, ac nunciis ejus subjecti. Si quæ igitur persona

Digitized by Google

magna aut parva contra hujusmodi privilegii paginam venire præsumpserit, sciat se anathematis vinculo innodatam, et insuper si quis nostrum aut successorum nostrorum aut aliquis vestrum seu hæredum, successorumque aut consortium vestrorum hæc omnia acta et statuta non observaverit, noverit se compositurum per unamquamque domum, aut familiam, auri optimi libram unam. Qui vero pia devotione observator esse studuerit, precibus apostolorum principum Petri et Pauli peccatorum suorum omnium ab omnipotenti Deo veniam æternæ retributionis consequatur, et gloriam.

Scriptum per manum Octaviani scriniarii et notarii sacri palatii in mense Aprilis, indictione XIV.

Datum Romæ XIV Kalendas Maii, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo sexagesimo primo, per manus Humberti sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopi et apostolicæ sedis bibliothecarii, anno tertio domni Nicolai, indictione XIV.

XXXII.

Bulla Nicolai II papæ pro monasterio S. Dionysii.

(Anno 1061.)

[DOUBLET, *Hist. de l'abbaye de Saint-Denis*, 464.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus regibus, episcopis et principibus præsentibus et futuris nunc et venturis temporibus.

Petitionibus congruis apostolicam dignitatem decet aurem accommodare, ut venerabilia loca nostris auctoritatibus si fuerint sublimata nunc et ejus temporibus rata atque inconvulsa omnimodis permaneant. Igitur noverint omnium præsentium et futurorum regum, episcoporum, universorumque apostolicæ sedis fidelium unanimitas, fratres venerabilis monasterii Christi martyris Dionysii, ubi ipse Dominus in corpore requiescit, nostram implorasse benevolentiam ut privilegium apostolicæ dignitatis de quadam prædicti loci abbatiola eis edere deberemus. Est autem abbatiola in pago Alsatiensi in saltu quidem Vosagi sita, appellaturque Lebroha, quam Fulradus abbas in suo proprio munificentia domni Caroli imperatoris invictissimi, condidit, atque gloriosissimo patrono suo domno scilicet Dionysio contradidit. Quorum considerantes atque agnoscentes justam esse petitionem, hoc, beati Petri apostolorum principis auctoritate, promulgantes sancimus, ut prædicta abbatiola apostolica corroboratione subnixa perenni tempore illibata loco sancti Dionysii profusa permaneat. Constituimus quoque auctoritate beati Petri, ut nullus regum, nemo antistitum, vel abbatum, seu quilibet quacunque præditus dignitate, ipsum locum ullo modo inquietare audeat, non in villis, non in mancipiis, non in auro, non in argento, non in vestibus, sive in quibuscunque rebus, sicut in privilegiis prædecessorum nostrorum domni scilicet Stephani, Leonis, alteriusque Nicolai, vel etiam in præceptis prædicti Caroli magni, Heinrici quoque, cæterorumque imperatorum, seu regum, plenissime continetur. Hæc itaque quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam vobis quam cunctis qui in eo quo estis ordine locoque successerint, in perpetuum conservanda decernimus auctoritate et honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ et sedis apostolicæ privilegio. Si quis autem temerario ausu magna parvaque persona contra hoc nostrum apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei prorsus alienum, cum omnibus impiis æterni incendii supplicio condemnatum. At vero qui observator hujus decreti exstiterit, gratiam atque misericordiam, vitamque æternam a benignissimo Domino Jesu Christo consequi mereatur. Bene valete.

Data XIV Kal. Maii per manus Humberti cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, in Lateranensi basilica, anno III domini Nicolai secundi papæ, indictione XII.

XXXIII.

Nicolai II papæ privilegium pro monasterio S. Trinitatis Vindocinensis.

(Anno 1061.)

[Launoii Opp., III, 354.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, ODERICO religioso abbati venerabilis monasterii Vindocinensis, cunctisque successoribus ejus ibidem regulariter promovendis in perpetuum.

Justis petitionibus et quieti servorum Dei prospicientibus competens et facilis debetur assensus. Quapropter monasterii sanctæ et individuæ Trinitatis apud castrum Vindocinum siti, quod a suis fundatoribus, Gaufredo scilicet Andegavorum comite et Agnete nobilissima comitissa conjuge ejus, oblatum B. Petro, et Romanæ Ecclesiæ in alodium et patrimonium novimus, tam juxta votum fundatorum ipsius loci, quam etiam juxta desiderium sanctitatis tuæ, charissime fili abba Oderice, ita beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate sancimus, quatenus inter apostolicæ sedis pontificem et abbatem illius venerabilis loci, nulla prorsus persona media habeatur. Statuimus etiam ut, defuncto abbate, ipsius monasterii successor ei eligatur de eadem congregatione, si tamen dignus tanto regimine inveniatur. Quod si dignus apud eos non fuerit inventus, quod absit! a Cluniaco, seu a majori monasterio, vel undecunque melius poterunt, procurent monachi sibi patrem secundum Deum eligere, non tamen sine trium abbatum consilio, quos religiosiores de vicinis locis potuerint invenire. Electus autem ne statim Romam venire cogatur, a quocunque voluerit catholico episcopo consecrationem suscipiat. Electio vel ordinatio qualiter facta fuerit, studeant monachi papæ litteris intimare, ut aut emendet, si opus fuerit, emendandum, aut si fuerit secundum Deum et nostrum decretum facta electio sive consecratio, bono studio congratuletur, et ab ipso confirmetur. Præcipimus etiam ut abbas ipse, qui alodiarius Romanæ Ecclesiæ noscitur ab

Digitized by Google

ipso episcopo, vel a quolibet apostolicæ sedis vicario, ad concilium non vocetur, nec coactus veniat; sed Romanam Ecclesiam ipse aut per legatum suum studeat visitare. Censum vero ad memoriam cognitionemque sempiternam duodecim solidorum de moneta ejusdem patriæ suæ statutum a fundatoribus loci beato Petro reddi per unum quemque annum volumus. Quod si forte legatus Romanæ Ecclesiæ supradictum beati Petri locum visitare voluerit, ibi cum omni charitate suscipiatur, et quæ corpori erunt necessaria, ei a fratribus diligenter juxta possibilitatem loci ministrentur. Ipse vero nihil in eodem loco per se corrigere neque occasione legationis rectorem loci vel fratres molestare præsumat, sed si quid viderit corrigendum, papæ litteris ei intimare licebit. Illud etiam confirmamus, ut locus Sancti Salvatoris prope muros civitatis Andegaviæ constructus sub monasterio Vindocinensi semper maneat, nec aliquando ibi ordinetur aliquis rector vel præpositus, nisi voluntate abbatis Vindocinensis. Hoc etiam, freti fiducia apostolicæ auctoritatis, prohibemus, ne in Vindocinensi cœnobio, seu in prædicta S. Salvatoris ecclesia, ulli unquam personæ, nisi soli papæ liceat potestatem aut dominationem exercere, aut excommunicare, seu interdicere, etiamsi Carnotensis vel Andegavensis patria excommunicata fuerit aut interdicta; excommunicatos tamen non suscipiant. Nos autem omnia quæ ab ipsis fundatoribus, vel ab aliis hominum personis usque ad hanc diem eidem loco oblata sunt, nostra auctoritate firmamus et corroboramus, ut in perpetuum juri ejusdem loci sine diminutione vel qualibet retractatione persistant. Si quis vero contra memoratum beati Petri locum pro aliquibus rebus causari voluerit, non ei abbas vel fratres respondeant, antequam Romanum pontificem consulant, quia quidquid sine nostro vel successorum nostrorum judicio definitum, sive diminutum fuerit, irritum erit. Res vero quæ ad præfatum monasterium pertinent, in præsentis privilegii pagina idcirco nominari et exprimi volumus, ut nulla deinceps persona aliquid de eisdem rebus eidem monasterio subtrahere, minuere, aut qualibet occasione auferre præsumat. Hæc sunt quæ ad prædictum monasterium pertinere noscuntur: in pago Vindocinensi Ecclesia de Ferraria et villa de Pruneto; ecclesiæ quoque quas Theodericus Carnotensis episcopus Vindocinensi monasterio dedit; ecclesia Sancti Beati; ecclesia Sancti Joannis de Castrodunensi; ecclesia de Balneolis; ecclesia de Valle Rebla; ecclesia Autheni: In episcopatu Cenomanensi, ecclesia Sancti Joannis de Villa-Dei, et villa ipsa cum consuetudinibus universis; ecclesia Sancti Michaelis de Hulleto, cum molendinis et boscis, et cum omnibus consuetudinibus suis. In foreste Wastinæ totum pannagium de propriis porcis omnium monachorum sanctæ Trinitatis, et medietas de pannagio aliorum hominum, et mel et cera ejusdem silvæ, assumptio etiam omnium arborum ab omnibus monachis

A Vindocinensibus et ab universis hominibus ipsorum ad omnes utilitates suas in terris monasterii sine licentia forestariorum. In episcopatu Andegavensi ecclesia S. Salvatoris juxta Andegavum; ecclesia Sancti Joannis super Ligerim, super decem et novem arpennos vinearum, et duo molendini; ecclesia Sancti Saturnini et parochia tota, et silva quæ dicitur Later, et terra silvæ, si silva fuerit exstirpata; apud castrum Credonense parochialis ecclesia S. Clementis; de hac inter Vindocinenses et beati Albini monachos in præsentia nostra querimonia orta fuit, et apostolicæ sedis judicio Vindocinensi monasterio adjudicata; ecclesia burgi Meduanilis, et burgus totus cum integritate sua; ecclesia beati Petri de Maziaco tota; in pago Pictaviensi ecclesia
B de Olona, et ecclesia beati Martini de Avalia; in pago Sconico in Olerone ecclesia Sancti Georgii, et tertia pars ecclesiæ insulæ cum consuetudinibus universis; in castro Oleronis ecclesia parochialis Sanctæ Mariæ, ecclesia Rodii rebellis, ecclesia de Blasneriaco, ecclesia Sancti Saturnini, terra Sancti Saturnini, et terra Sancti Aniani cum salinis et piscationibus et universis pertinentiis suis. Si autem abbas prædicti loci adversus comitem Vindocinensem, vel quemlibet hominem suum cujuscunque honoris vir ille fuerit, querelam habuerit, incuria monasterii Vindocinensis, pro dignitate et veneratione loci querimonia ipsa finiatur, nec in ipsa curia monasterii dimidia pars cujuslibet forfacti
C quæratur ab aliquo vel donetur. Præterea notum esse volumus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, et huic nostræ confirmationi adnectendum, quod Theodericus Carnotensis episcopus, in cujus diœcesi supradictum monasterium Vindocinense situm noscitur, Clementis papæ præsentiæ suam transmiserit epistolam, rogans eum, quatenus monasterium ipsum sic sua roboretur auctoritate, ut nulli successorum suorum post eum res hujus loci auferre vel minuere, vel excommunicare, sive interdicere, vel potestatem aut dominationem in ipso loco exercere liceret, seu quolibet modo rectorem loci vel fratres inquietare auderet, quod benigne Clemens papa annuit, et nos nostra auctoritate dignum annuere censuimus. Si quis autem violator hujus
D nostri præcepti exstiterit, nisi resipuerit, nec non Ecclesiæ satisfecerit, sciat se apostolica auctoritate perpetuo anathemate percussum, atque a corpore prædictæ Ecclesiæ divisum, diaboloque cum impiis traditum. Qui vero conservator et obediens huic nostræ confirmationi et apostolicæ auctoritati fuerit, benedictione et gratia omnipotentis Dei perfruatur, et inter prospera humilis, et inter adversa maneat securus, ut divina misericordia munitus valeat per beatum Petrum cœlestia regna intrare et cum Christo in æternum gaudere.

Scriptum per manus Octaviani scriniarii et notarii sacri palatii in mense Aprili, indictione IV.

Datum V Kalend. Maii Romæ per manus Humberti card. episcopi sanctæ ecclesiæ Silvæ Candidæ, et

Digitized by Google

bibliothecarii sacri palatii, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo primo, anno III pontificatus Nicolai papæ II.

XXXIV.

Nicolai II bulla confirmantis privilegia cavitulo canonicorum Suanensium.

(Anno 1061.)

[MURATORI, *Antiq. Ital.* V, 253.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, VITALI sanctæ Suanensis Ecclesiæ præposito, ad honorem B. Petri apostolorum principis dedicatæ, tibique successuris, regulariter promovendis, et in sancto proposito permansuris in perpetuum.

Quoniam Omnipotentis dignatio suo gratuito munere, nullo digno prævidente opere, ad hoc nostram humilitatem dignata est provehere, quatenus per nos ubique terrarum proprio sanguine redemptæ Ecclesiæ lumen administraremus indeficiens, profecto rationabile ducimus, cooperante ipso, de quo loqui præsumimus, secundum proprias vires unicuique acceptum talentum distribuere, ne apparente ipsius majestate, quod absit ! sine acquisito lucro, velut inutilis servus, videamur remeare. Quod utique per divinam misericordiam consequi posse speramus, si membris ejus adhuc per fidem in terra cœlestia anhelantibus, præsidia, quæ possumus, sereno affectu suppeditare curamus. Sic enim, sic profecto, et supernum nostræ fragilitati conciliamus auxilium, et pura intra cordis hospitium manente intentione, hominum consequemur favorem honestum, cum, licet universis debitores simus gentibus fidei lumine clarentibus, matricibus tamen Ecclesiis sedulo servientibus, et divina officia eis religiose quotidie persolventibus, et apud eas canonice viventibus, benevolentiæ studio majorem curam quam cæteris subjectioribus clericis impendimus. Canonicam itaque sancti Petri in Suanensi urbe, quondam a Rainerio ejusdem Suanensis Ecclesiæ sanctæ memoriæ episcopo pia religione ædificatam, et postea a Joanne successore ejus, interveniente Anselmo eorum successore, venerabili episcopo, qui nunc prælibatam, disponente Deo, gubernat Ecclesiam, in tuitione sancti Petri sub nostra nostrorumque successorum defensione, cum omnibus quæ juste habet, et in futurum est habitura, salva prædicti Anselmi episcopi auctoritate et reverentia, suscipimus : non tamen ut sibi, quæ apostolica auctoritate roboramus, liceat cassare, nec alicui suorum successorum res præfatas canonice venundare, vel aliquo pacto alienare, contrahere, vel alicui in prædicta canonica ordinato clerico aliquam violentiam juste liceat irrogare. Sed, ut evidentius quæ a prænominatis ejusdem sanctæ Ecclesiæ episcopis præfatis canonice concessa sunt, et nos hac nostri privilegii pagina confirmamus, intelligantur, nominatim exprimimus plebem in Pitifiano sitam, cum terris, decimis, reditibus et oblationibus suis; curtem sitam Palmule vestram, cum omnibus pertinentiis et reditibus suis, et omnes decimas vestrarum terrarum in omnibus locis, ubicunque sunt; terras, quas dedit sibi Osso pro anima sua; terras, quas obtulit sibi Guidolfus in Banello et Oliano; terras, quas donavit sibi Gotifredus cis Salisinam fluvium; terras, quas tradidit sibi Anselmus Rainerii filius in Calonico; terras, quas adhibuit sibi Bonizo in Supano; terras, quas exhibuit sibi Evrardus notarius; terram, quam concesserunt sibi episcopi juxta eamdem urbem; ecclesiam Sancti Martini in Coronzano sitam, cum omnibus pertinentiis suis atque reditibus; ecclesiam Sancti Georgii in Pertitio sitam, cum omnibus quæ sibi pertinent; mansos tres, scilicet Corbuto clerico, presbytero Dominico, et Sigizo ibidem presbytero, olim custos de plebe in urbe posita; omnes prorsus decimationes, his exceptis quæ quibusdam militibus dudum ab episcopis in beneficio datæ sunt; et dimidium omnium oblationum, et eleemosynarum prælibatæ plebi oblatarum et offerendarum, cum etiam dimidia parte omnium terrarum quas habuit Giso pater Joannis episcopi, qui videlicet prænominatæ Ecclesiæ et canonicis cum una domo in urbe dedit; scilicet ecclesiam Sanctæ Mariæ in Lapegi sitam, et duos mansos in Ilci, et vineam et terram in plano Suanensi. Hæc omnia et quæ sæpe dictæ canonicæ a fidelibus oblata, vel amodo offerenda sunt, tibi, Vitalis dilecte fili, tuisque successoribus, clericisque in ea ordinatis et ordinandis, et in sancto proposito permansuris concedimus, et concessa confirmamus. Ut nullus unquam episcopus, nullus imperator, nullus rex, nullus dux, nullus marchio, nullus vicecomes, nullus castaldus, nulla magna parvaque persona ea inde audeat auferre vel retollere, aut vos inquietare, aut molestias inferre; sed quiete permittamini vivere, et Deo servire. Si quis autem temerario ausu hanc apostolicam sanctionem infringere tentaverit, nisi admonitus resipuerit et emendaverit, gladio anathematis percutiatur, et in præsenti carne pereat, et Deus, dum judicare venerit, spiritu oris sui eum interficiat. Qui vero pius conservator exstiterit, sancti Petri, nostramque benedictionem, a Domino Jesu Christo promereatur æternam remunerationem.

Datum per manus Humberti cardinalis episcopi Ecclesiæ Sanctæ Silvæ Candidæ, v Kalendas Maias, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo primo, anno III pontificatus Nicolai papæ II, indictione XIV.

XXXV.

Nicolaus II Ecclesiæ Dorcastrensis possessiones et privilegia confirmat.

(Anno 1061.)

[MANSI, *Concil.* XIX, 875.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, WULWINO, venerabili episcopo Dorcastrensi, suisque successoribus ibidem canonice promovendis in perpetuum.

Cum magna nobis sollicitudine insistit cura pro universis Dei Ecclesiis ac piis locis vigilandum, ne aliquam necessitatis jacturam sustineant, sed pro

Digitized by Google

priæ utilitatis stipendia consequantur; ideo convenit nos tota mentis integritate eisdem venerabilibus locis ut ea quæ sua sunt stabilita permaneant providere. Igitur quia petisti a nobis, charissime fili, cum Edwardi regis legatis, atque litteris nostri videlicet amici, ut per nostri privilegii paginam tuæ Ecclesiæ, tibique, nec non successoribus tuis, omnia perpetualiter confirmaremus quæ præfatæ Ecclesiæ juste et legaliter competunt; suggestioni tuæ gratanter annuentes, per hujus nostræ constitutionis decretum et apostolicæ sedis liberale edictum concedimus, et confirmamus tibi, sicut supra legitur, tuisque successoribus ibidem canonice promovendis in perpetuum, quæque præfatæ Ecclesiæ pertinent, tam quæ impræsentiarum possidet, vel possedit, et maxime parochiam Lindisi, ecclesiamque Stov. cum Newerca et appendiciis, quas injuste Alvricus archiepiscopus Eboracensis invasit, uti per legatorum nostrorum dicta, et per antecessorum testimonia et scripta agnovimus, quam quæ in futuro quocunque modo divinis et humanis legibus acquirere poterit, scilicet prænominata Ecclesia, cum omnibus rebus et possessionibus suis ac pertinentiis mobilibus et immobilibus, seseque moventibus, castris scilicet, casis, villis, territoriis, ecclesiis, cum primitiis, et decimationibus, cum omnibus quoque quæ pia devotio fidelium sacris contulit sibi, vel contulerit oblationibus, pro salute vivorum atque etiam mortuorum. Statuentes per hujus nostræ apostolicæ sedis, cui, Deo auctore, præsidemus, auctoritatem, et nostri edicti inviolabilem constitutionem, ut neque rex, neque archiepiscopus, sive dux, sive marchio, seu comes, aut vicecomes, nec alia sive magna sive persona cujuscunque dignitatis vel ordinis, contra hoc nostrum privilegium præsumat præfatam Ecclesiam, aut te, charissime confrater, tuosque in perpetuum successores de bonis suis deinvestire, aut inquietare, aut aliquid ibi contra sanctos canones constituere, vel ordinare; sed ita sicut prædicta Ecclesia, quæ omnia prælibavimus, melius firmiusve a suæ constitutionis initio tenuit, teneas, possideasque, tam tu quam successores tui sub constitutionis hujus pagina et apostolica sanctione. Si quis igitur, quod non optamus! contra hoc nostrum privilegium venire tentaverit, et sicuti ab apostolica auctoritate præceptum ac corroboratum est permanere non dimiserit, sciat se anathematis vinculo innodatum, et cum Juda traditore, et Dathan et Abiron partem habere, nisi forte resipuerit, et digne satisfecerit. Qui vero pio intuitu in omnibus observator exstiterit, custodiens hujus privilegii nostri constituta, ad cultum Dei respicientis, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro consequatur, et vitæ æternæ particeps fieri mereatur.

Dat. v Non. Maii per manus Bernardi, episcopi S. Ecclesiæ Penestrinæ, anno ab Incarnatione Dominica 1051, anno tertio pontificatus Nicolai Papæ II, indict. XIV.

XXXVI.

Epistola Nicolai II ad Edwardum Anglorum regem. Ejus pietatem in B. Petrum laudat, monasteriique B. Petri Westmonasteriensis privilegia et possessiones confirmat.

(Anno 1061.)

[Mansi, *Concil.* XIX, 1054.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, gloriosissimo ac piissimo, omnique honore dignissimo, spirituali quoque filio nostro, Edwardo, Anglorum regi, visitationem omnimodam, salutem mellifluam, et benedictionem apostolicam.

Omnipotenti Deo referimus grates, qui vestram prudentissimam excellentiam in omnibus ornavit et decoravit erga beatum Petrum apostolorum principem, et nobiscum habere dilectionem, et in omnibus apostolicis consentire censuris. Litteras igitur vestræ nobilitati transmittimus, et per eas societatem sanctorum apostolorum et nostram vobis damus, orantes misericordiam illius qui est Dominus omnium, et rex super omnia solus, ut ipse vos participem faciat ex omnibus, si qua sunt coram Deo, bonis operibus nostris: et fratres nos, ac socios in sua dilectione constituat in omni tempore amplius, ac non minorem partem nostri obsequii vobis reconsignet in suo regno, quam nobismetipsis provenire optamus. Erimus etiam deinceps pro vobis sine dubio orantes assidue, ut ipse Deus vobis subjiciat hostes et inimicos qui contra vos voluerint insurgere, et confirmet vos in paterno solio et propria hæreditate. At beatus Petrus sit vobis custos et adjutor semper in omni tribulatione. Claret enim Anglorum reges pro reverentia et devotione quam exhibuerunt beato Petro, gloria et honore floruisse, ac ipsius patrocinio famosos triumphos obtinuisse: cujus beati apostoli meritis, vestro desiderio et voluntati omnipotens Deus præstet effectum, et confirmet vobis paterni regni imperium, et tribuat pacis incrementum: et post præsentis vitæ decursum, perducat ad æternum permanentis gloriæ imperium. Renovamus ergo, et confirmamus, ac augemus vobis privilegia vestra, scilicet ut absoluti sitis ab illo voto quod timebatis, et ab omnibus aliis peccatis et iniquitatibus vestris, auctoritate illius qui me, licet indignum, suæ sanctæ præesse voluit Ecclesiæ. Præterea illi loco, quem sub nomine sanctæ pœnitentiæ constituendum et meliorandum suscepistis, quoniam, ut fertur, primo antiquitus consecrationem a beato Petro accepit, cujus, licet indigni, vicarii sumus, et quia regia antiquitus sedes est, ex auctoritate Dei et sanctorum apostolorum, atque hujus Romanæ sedis, et nostra, concedimus, permittimus, et solidissime confirmamus, ut amplius in perpetuum regiæ constitutionis et consecrationis locus sit, atque repositorium regalium insignium, et habitatio perpetua monachorum, qui nulli omnino personæ nisi regi subdantur, habeantque potesta-

Digitized by Google

tem, secundum regulam sancti Benedicti, per successiones eligere ex se idoneos abbates : neque introducatur per violentiam extranea persona, nisi quam conecors congregatio esse præelegerit. Absolvimus etiam eum locum ab omni servitio et dominatione episcopali, ut nullus episcopus illue introeat ordinaturus, aut præcepturus aliquid, nisi ex petitione et consensu abbatis et monachorum. Et habeat idem locus liberum procinctum, id est ambitum et cœmeterium mortuorum circa se, absque episcopali vel cujuslibet respectu vel exactione, et omnia quæ ad libertatem et exaltationem illius loci ad honorem Dei pertinentia per nostram auctoritatem accedere possunt, hilari atque promptissima voluntate concedimus. Possessiones autem quas antiqui reges seu quicunque alii homines, vos quoque, et vestri barones, ad eumdem locum contulistis, et chartas quæ ex eis factæ sunt, divina et nostra auctoritate roboramus, et ratas ac stabiles esse decernimus; et infractores earum, vel invasores, vel diminutores, aut dispersores, venditores etiam, æterna maledictione cum Juda proditore damnamus, ut in beata partem non habeant resurrectione, sed a beato Petro apostolo se judicandos sciant, quando sedebit cum suis coapostolis judicans duodecim tribus Israel. Vobis vero et posteris vestris regibus committimus advocationem et tuitionem ejusdem loci, et omnium totius Angliæ ecclesiarum, ut vice nostra cum consilio episcoporum et abbatum constituatis ubique quæ justa sunt, sciente pro [*al* per] hoc vos recepturos mercedem ab eo cujus regnum et imperium non desinet nec minuetur in sæculum. Valete

XXXVII.

Nicolai II papæ privilegium pro Aldredo Eboracensi archiepiscopo.

(Fragm. Anno 1061.)

[Stubbs, *Acta pontif. Ebor.* ap. Twysden, *Hist. Anglic. Script.* Londini, 1652, fol. I, 1701.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri et coepiscopo Aldredo, Eboracensi archiepiscopo, apostolicæ benedictionis privilegium et salutem, et per eum suæ Ecclesiæ suisque successoribus canonice promovendis in perpetuum.

Quia divinitatis occulta dispensatio, etc.

XXXVIII.

Decreta Nicolai II papæ.

[Mansi, *Concil.* XIX, 875].

Anno primo Philippi regis. Hæc sunt præcepta Nicolai papæ in canonibus sacris vicissim reperta, quæ Romana Ecclesia præcipue asserit tenere.

I. Primum quidem ut pax et regna Domini a fidelibus Christianis reperta et laudata, sicut Scriptura habentur, ita firmiter teneantur, infractores vero anathemate feriantur.

II. Ut nullus episcopus vel presbyter excommunicato alterius vel suo scienter communicet. Quod si fecerit, sciat sibi gradus sui periculum imminere.

III. Ut presbyteri conjugati aut uxores dimittant, neque cum eis sine testimonio legitimo habitent, aut Ecclesiam cum ordinibus suis amittant.

IV. Ut presbyteri, et diaconi, et subdiaconi, et omnes qui canonici sunt, uxores non habeant. Et si duxerint, deponantur et a canonicorum consortio separentur.

V. Ut ecclesiæ et altaria nec vendantur nec emantur. Qui autem amodo vendiderint aut emerint, anathemati subjacebunt.

VI. Ut episcopi et clerici arma non ferant, neque venatui neque aucupio studeant, neque tabulis aut tesseris ludant.

VII. Ut episcopi canonicas vel officia ecclesiastica non vendant, et de consecrationibus ecclesiarum, aut ordinationibus clericorum, ipsi et clerici eorum nihil exigant.

VIII. Ut ecclesiæ per pretium a Simoniacis consecratæ denuo consecrentur.

IX. Ut presbyteri et omnes a tempore Nicolai papæ usque nunc et deinceps scienter ordinati a Simoniacis sciant se non esse ordinatos, et deinceps non fiant.

X. Ut Dominicis diebus mercata non fiant, exceptis annuis feriis, et quæ ad victum pertinent.

XI. Scimus quidem laicis ecclesias omnino non competere. Sed ubi illi ex toto auferri non possunt, saltem oblationes missarum et altarium laicis omnino prohibemus.

XII. De cœmeteriis autem et sepultura et baptisteriis exactionem fieri omnino prohibemus.

XIII. Si quis infra septimum consanguinitatis gradum uxorem habet, aut deinceps duxerit, ab episcopo suo eam dimittere canonice compellatur. Si vero obedire noluerit, excommunicetur.

XIV. Ut nullus abbas obedientias suas vendat, neque nullus monachus emat obedientias. Quod si præsumpserint, utrique ordine officioque carcant, quia Simoniace agunt. Et monachi proprium omnino non habeant.

XV. Abbatibus, presbyteris, ministrisque quid de rebus ecclesiasticis vel sacro ministerio alienare vel obligare absque permissu et subscriptione conventus sui nihil liceat. Quod qui præsumpserit, degradetur, communione concessa; et quod temere præsumptum est et alienatum ordinatione sui episcopi revocetur.

XXXIX.

Gervasii Remorum archiepiscopi epistola ad Nicolaum II papam. — Gratias agit de benignitate legatis suis exhibita. De obitu Henrici regis dolere se ostendit, ac pontificem, si in Galliam venerit, debito cum honore susceperturum.

[Mansi, *Concil.* XIX, 874.]

Excellentissimo Patri Patrum et episcoporum episcopo Nicolao, Gervasius dictus episcopus fidele servitium cum exiguitatis meæ orationibus.

Gratias ago divinæ primum pietati, vestræ etiam, optime Pater, mediocritati quod non tantum apud vos accusatorum meorum valuit delatio, ut non veridica legatorum nostrorum admitteretur excusatio, nec apostolica censura mihi negaret misericordiam, in

Digitized by Google

quem non sine multorum admiratione tantum inhorruerat. Gratias nihilominus ago vestræ humilitati [*Forte, humanitati.* HURD.] : quæ quanta principem et pastorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ decuit benignitate, nostros legatos sanos accepit, infirmos visitavit, mortuos sepelivit. Etsi enim uni tantum apud vos infirmato et mortuo hæc visitationis et sepulturæ solatia impendistis, in uno tamen cæteros visitastis, cæteros sepelistis. Cui non ego qui nihil sum, sed tota Remensis ecclesia, bonæ conversationis testimonium perhibet. Cujus obitum, cæterorumque, qui pene omnes obierunt, audiens, incredibili tristitia sum affectus, nec unquam non odisse valeo illum cujus superbia id effecit ut isti mitterentur. Si enim qualem existimavi legatum misissem, isti nec mitterentur, nec fortasse morerentur : quod vestra prudentia optime recognoscit. Præterea multo gravior angit me tristitia de obitu domini regis, quod etiam vestram non latet prudentiam. Scitis enim quantum infrenes et indomiti sunt nostrates, quorum divisionem timeo regni nostri fore desolationem. Ad quam evitandam, vestrum mihi consilium et auxilium flagito, quæ nulli regno utpote pater omnium, negare poteritis, præsertim cum nostro semper debeatis quod optimi viri patriæ deberi censuerunt. De vestro adventu in nostram Galliam quid animi habuerim, vivente domino rege, licet diffamatus sim id noluisse, satis, ut puto, significavi paternitati vestræ; et nunc in eo is mihi animus est, Deo testante, ut non tantum eum desiderem, sed et sitiam, ita ut venientem auctoritatem vestram cum tanto gaudio et honore suscipiam, quanto decet Petri vicarium suscipi, et apostolicæ censuræ per omnia cooperator existam. Dicant adversarii quantumlibet me infidelem et rebellem magistratui vestro ; ego subjectionem meam vobis profiteor; et quicunque eam vobis negaverint, cujuslibet ordinis sint, mihi communicare non poterunt. Obloquitur etiam adversariis illa obedientia, quam sine omni respectu suspensionis et interdicti vestri conservant, non sine magno damno Ecclesiarum nostrarum et nostro. Impedivit quoque meum erga vos famulatum illa suspensio. Ad quod restaurandum, sicut recuperare possibile est, si ita ad cætera redintegranda saltem aliqua spes restaret, de tanto dolore, quasi de gravi somno resurgerem. Est enim mihi animus, nec despero id futurum, cum gaudio atque reverentia quandoque apostolatum vestrum suscipere, tantumque honoris vobis impendere, quantum personæ et officio vestro convenire manifestum est. Nec nostris temporibus fuisse, vel futurum esse in vestra sede aliquem credo, quem copiosius honorare desiderem. Nam qui nos sic honorastis prudentia et sanctitate vestra, ut de regno nostro Roma eligeret, quem sibi et mundo caput ordinaret : nos quoque tanto honore vos dignamur, quanto Dominus noster Jesus Christus Petrum decoravit, ubi Ecclesiæ principatu illum sublimavit. Dominus omnipotens sanctitatem vestram ad utilitatem sanctæ Ecclesiæ diutissime conservet, et avertat a prudentia vestra, ne alicujus levis sermo gratiam vestram mihi, neve servitium et fidelitatem meam vobis auferat.

XL.

Epistolæ S. Petri Damiani ad Nicolaum II.

(Vide Patrologiæ tom. CXLIV, col. 210.)

APPENDIX.

EPISTOLA SUB FICTO ULRICI NOMINE AD NICOLAUM II PAPAM.

(D. MARTENE, *Amplissima Collect.*, I, 449.)

MONITUM.

Hæc epistola ex eodem fonte prodiisse potuit ac illa quam in eumdum finem scriptam edidimus Thesauri nostri Anecdotorum. tom. I, pag. 230, cujus auctorem credidimus Guenricum Trevirensem scholasticum, virum impudentissimum. Eam autem hic damus, ut quam corrupti fuerint illo ævo presbyterorum mores demonstremus, et quam bene de Ecclesia meruerit Gregorius papa VII, qui presbyterorum matrimonia seu potius concubinatum incredibili pene labore abstulit.

Hæc est rescriptio sancti Ulrici episcopi, in qua papæ Nicolao de continentia clericorum non juste sed impie, non canonice sed indiscrete tractanti ita respondet.

NICOLAO domino et Patri, pervigili S. Romanæ Ecclesiæ provisori, U., solo nomine episcopus, amorem ut filius, timorem ut servus.

Cum tua, o Pater et domine, decreta (6) super clericorum continentia nuper transmissa a discretione invenirem aliena, timor me perturbavit cum tristitia. Timor quidem propter hoc quod dicitur : « Pastoris sententia sive justa sive injusta timenda est. » Timebam enim infirmis Scripturæ auditoribus, qui vel justæ vix obediunt sententiæ, ne injustam conculcantes libere, onerosa, imo importabili, pastoris prævaricatione præcepti se obligarent. Tristitia vero vel compassio, ne qua ratione membra possent carere capite suo tam gravi morbo laborante. Quid enim gravius, quid totius Ecclesiæ compassione dignius, quam te summæ sedis pontificem ad quem totius Ecclesiæ spectat examen, a sancta discretione vel minimum exorbitare? Non parum quippe ab hac deviasti, cum clericis quos ad abstinentiam conjugii monere debueras, ad hanc imperiosa violentia cogere volebas. Nunquidnam merito communi omnium sapientium judicio hæc non est violentia, cum contra institutionem evangelicam ac sancti Spiritus dictationem ad privata ali-

(6) Decretum istud exstat in concilio Romano centum tredecim episcoporum sub Nicolao II pontifice celebrato anno 1039, cap. 3, renovatque simile statutum a Leone papa IX editum.

Digitized by Google

quis decreta cogitur exsequenda? Cum ergo plurima Veteris Testamenti suppetant exempla sanctam, ut nosti, discretionem decentia, tuæ rogo ne grave sit paternitati vel pauca ex multis huic paginæ interseri. Dominus quidem in veteri lege sacerdoti conjugium constituit, quod ei postmodum interdicere non legitur. Sed idem in Evangelio loquitur : *Sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum cælorum, sed non omnes hoc capiunt verbum. Qui potest capere capiat.* Quapropter Apostolus quoque ait : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Qui juxta prædictum non omnes hoc concilium posse capere considerans, sed multos ejusdem consilii assentatores, hominibus non Deo pro falsa specie continentiæ placere volentes, graviora videns committere, patrum scilicet uxores subigitare, masculorum et pecudum amplexus non abhorrere, ne morbi hujus conspersione ad usque pestilentiam convalescentes, status labefactaretur Ecclesiæ, nimirum propter fornicationem, dixit : *Unusquisque suam habeat uxorem.* Quod specialiter ad laicos pertinere idem mentiuntur hypocritæ, qui quamvis in quovis sanctissimo ordine sint constituti, alienis tamen uxoribus non dubitant abuti, et, quod fieri lo dicimus, in sepradictis sæviunt sceleribus. Hi nimirum Scripturam non recte intellexerunt, cujus mamillam quia durius presserunt, sanguinem pro lacte biberunt. Nam illud apostolicum : *Unusquisque suam habeat uxorem*, nullum excipit, nisi professorem continentiæ, vel qui de continuanda virginitate Domino præfixit. Quod nihilominus tuam, Pater venerande, condecet strenuitatem, ut omnem qui tibi vel ore vel manu votum facicus continentiæ, postea voluerit apostatare, aut ad volum exsequendum ex debito constringas, aut ab omni ordine canonica auctoritate deponas. Et ut hoc viriliter implere sufficias, me omnesque mei ordinis viros adjutores habebis non pigros. Verum ut voti hujus nescies omnino scias non esse cogendos, audi Apostolum dicentem ad Timotheum : *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.* Quam ne quis sententiam ad solam verterit Ecclesiam, subjunxit : *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Similiter*, inquit, *diaconi sint unius uxoris viri; qui filiis suis bene præsint, et suis domibus.* Hanc autem uxorem a sacerdote benedicendam esse sancti Silvestri papæ decreto scio te sufficienter docuisse. His et hujusmodi sanctæ Scripturæ sententiis regulæ canonicæ scriptor concordans ait : « Clericus sit pudicus, aut certe unius matrimonii vinculo fœderetur. »

Ex quibus omnibus veraciter colligitur quod episcopus et diaconus reprehensibiles notantur, si in mulieribus multis dividuntur. Et si unam sub obtentu religionis abjiciunt, utrumque scilicet lepiscopum et diaconum, sine graduum differentia, hæc canonica damnat sententia. Episcopus autem et presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat. Si vero rejecerit, excommunicetur; si perseveraverit, dejiciatur. Sanctus quoque Augustinus sanctæ discretionis non nescius, Nullum, inquit, facinus est quin admittendum sit, ut devitetur pejus. Legimus præterea in secundo Tripartitæ Ecclesiæ Historiæ libro quia cum synodus Nicæna hæc eadem vellet sancire decreta, ut videlicet episcopi, presbyteri, diaconi post consecrationem a propriis quoque uxoribus vel omnino abstinerent, vel gradum deponerent, surgens Paphnatius in medio, unus ex illis martyribus quos Maximinus imperator, oculis eorum dexteris evulsis, et sinistris suris incisis, damnavit, contradixit, honorabilesque confessus nuptias et castitatem, dicens [licitum] esse concubitum cum propria uxore, persuasit concilio ne talem ponerent legem, gravem asserens causam quæ vel ipsis vel conjugibus eorum occasio fornicationis existeret. Et hæc, quidem Paphnutius, licet nuptiarum expers, exposuit, synodusque laudavit sententiam ejus, et nihil ex hac parte sancivit, sed hæc in uniuscujusque voluntate non necessitate dimisit. Sunt vero aliqui qui S. Gregorium in suæ sectæ sumunt adjutorium, quorum quidem temeritatem rideo, ignorantiam doleo. Ignorant enim quod periculosum hujus hæresis decretum a sancto Gregorio factum, postmodum condigno, pœnitentiæ fructu ab eodem sit purgatum (7). Quippe cum vice quadam in vivarium suum pisces misisset, et ablata inde plusquam millia infantum capita videret, intima mox ductus pœnitentia ingemuit, et factum a se de abstinentia decretum tantæ cædis causam esse confessus, condigno illud, ut dixi, pœnitentiæ fructu purgavit, suoque prorsus decreto damnato, apostolicum illud laudavit : *Melius est nubere quam uri;* addens ex sui parte, Melius est nubere quam occasionem mortis præbere. Hunc forsan rei eventum, si illi mecum legissent, non tam temere judicassent, Dominicum saltem præceptum timentes : *Nolite judicare*, etc. Cesset ergo sanctitas tua cogere quos tantum debet admonere, ne privato, quod absit, præcepto tam Veteri quam Novo contrarius inveniaris Testamento. Nam, ut ait sanctus Augustinus ad Donatum, « solum est quod in tua justitia pertimescimus, ne non lenitatis Christianæ consideratione, sed pro immanitate censeas coercendum, quod te per ipsum Christum ne facias obsecramus. Sic enim peccata compescenda sunt, ut supersint quos peccare pœniteat. » Illud quoque Augustini volumus te recordari, quod ait, « nihil nocendi fiat cupiditate, sed omnia consulendi charitate; et nihil fiat inhumaniter, nihil inhumaniter. » Item de eodem : « In timore Christi, in nomine Christi exhortor, quicunque non habetis temporalia, habere ne cupiatis; quicunque habetis, in eis ne præsumatis. Dico autem non si ista habetis, damnamini; sed damnamini, si in eis præsumatis. Si propter ista vobis magni videamini, si generis humani communem conditionem propter excellentem vanitatem obliviscamini. » Quod nimirum poculum discretionis in illo fonte sumit apostolicæ prædicationis quo dicitur : *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem.* Ubi et subditur : *Qui habent uxores, tanquam non habentes sint, et qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur.* Item dicit de vidua : *Cui vult nubat, tantum in Domino.* Nubere autem in Deo est nihil in contrahendo connubio quod Dominus prohibeat, attentare. Jeremias quoque propheta : *Nolite*, ait, *confidere in verbis mendacii dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Quod Hieronymus : « Proprie, inquit, illud et illis virginibus convenire dico quæ jactant pudicitiam, et impudenti vultu proferunt castitatem, cum aliud habeat conscientia, et nesciant illam Apostoli diffinitionem virginalem, ut sit sancta corpore et spiritu; quid enim prodest pudicitia animo constuprato, si cæteras virtutes quas propheticus sermo describit, non habuerit? » Quas quidem quia aliquatenus te habere videmus, et quia discretionem licet hac in re neglectam, in aliis tamen vitæ tuæ institutionibus eam honeste conservatam non ignoramus, hujus pravitatis intentionem te cito correcturum non dubitamus, et ideo non quanta possumus gravitate, istam licet gravissimam negligentiam damnamus vel judicamus. Quamvis enim secundum vocabula quæ usus obtinuit, sit episcopus presbytero major, Augustinus tamen Hieronymo minor est, licet a minore quolibet non sit refugienda vel dedignanda correptio, præsertim cum ille qui corripitur, et contra veritatem et pro hominibus niti invenitur. Neque enim, ut ait S. Augustinus ad Bonifacium, quorumlibet disputationes quamvis catholico-

(7) Fabula.

Digitized by Google

rum et laudatorum virorum, vel Scripturas canonicas habere debemus, ut non liceat nobis, salva honorificentia quæ illis debetur, aliquid in eorum scripturis improbare atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint quam veritas habeat, divino auxilio vel ab aliis intellecta vel a nobis. Quid autem magis veritati contrarium potest inveniri, quam hoc, cum ipsa Veritas, de continentia loquens, non unius hominis, sed omnium plane, excepto numero professorum continentiæ, dicat : *Qui potest capere capiat?* Isti nescio unde instigati dicant : Qui non potest capere, feriatur anathemate. Quid vero pro hominibus potest fieri stolidius? quid divinæ maledictioni obligatius, quam cum aliqui eorum, vel episcopi scilicet, vel archidiaconi ita præcipites sint ad libidinem, ut neque adulteria, neque incestus, neque masculorum, proh pudor! turpissimos amplexus sciant abhorrere, casta revera clericorum conjugia dicant fetere, et ab eis non veræ justitiæ compassione, sed falsæ justitiæ dedignatione, non ut servos rogent continere, sed ut servos jubeant abstinere? Ad cujus imperii, ne dicam consilii, persuasionem tam latuam addunt suggestionem, ut dicant honestius esse occulte implicari, quam aperte in hominum videlicet conscientia cum una ligari. Quod profecto non dicerent, si ex illo vel in illo essent, qui dicit per prophetam : *Væ vobis, Pharisæi, qui omnia propter homines facitis.* Et per Psalmistam : *Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Præposteri homines qui nobis prius deberent persuadere, ut in conspectu ejus, cujus nuda omnia et aperta sunt conspectui, erubescamus peccatores esse, quam in conspectu hominum homines esse. Licet ergo merito pravitatis nullum mereantur consilium pietatis, nos tamen memores humanitatis divinæ, eis consilium auctoritatis nunquam a pietate vacantis per viscera charitatis ministramus. Dicimus namque : « Ejice primum, hypocrita, trabem de oculo tuo, et tunc prospicies ut educas festucam de oculo fratris tui. » Illud quoque rogamus eos attendere quod Dominus dicit de meretrice : *Qui sine peccato est vestrum, primus mittat in eam lapidem*, quasi diceret : Si lex jubet, si Moyses jubet, jubeo et ego. Sed competentes ministros eligo legis, et attendatis quia adducitis. Attendite, quæso, et quod estis, quia si te ipsum, ait Scriptura, despexeris, nulli unquam detraxeris.

Significatum etiam nobis est de quibusdam eorum quod tanta intumescant apud se elatione, ut gregem Domini pro quo boni pastores animas non dubitarent ponere, isti etiam verberibus absque ratione presumant laniare, quorum sævitiam S. Gregorius nimium deplorans, « Quid fiet, inquit, de ovibus, quando pastores lupi fiunt? » Sed quis vincitur? nonne qui sævit? quis persecutores judicabit, nisi qui dorsum suum ad flagella pariter ministrarit? Quid..... est autem. Audiant..... fructu tantum Ecclesiæ scandalum inducatur, tantum clerus despectum vel ab ipsis episcopis, vel ab eorum infidelibus patiatur. Nec enim infideles dicere dubitaverim, de quibus apostolus Paulus dixit ad Timotheum : *Quia in novissimis diebus discedent quidam a fide; attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere.* Hic autem est, si diligenter inspicitis, totius eorum manipulus zizaniæ, totiusque virentus zizaniæ, ut dum clerici licita unius uxoris consortia, Pharisaico devicti, quod absit! furore, relinquere cogantur, fornicatores et adulteri, et aliarum pravitatum turpissimi ministri cum ipsis efficiantur, qui hanc in Ecclesiam Dei hæresim, sicut cæci duces cæce machinantur, ut videlicet illud impleatur quod Psalmista eis, utpote eorum præscius erroris, taliter imprecatur : *Obscurentur oculi eorum, ne videant;* et : *Dorsum eorum semper incurva.* Quia ergo nemo ignorat quod si per tui decreti sententiam tanquam futuram pestilentiam sollicitæ discretionis claritate perspexisses, nunquam quorumlibet pravis suggestionibus consensisses. Debitæ tibi subjectionis fidelitate consulimus, ut vel nunc ad tanti scandali ab Ecclesia propulsionem evigiles, et postquam nostri discretionis disciplinam, Pharisaicam ab Ecclesia exstirpes doctrinam, ne scilicet unica Domini..... adulterinis diutius abusa maritis, gentem sanctam, regale sacerdotium per irrecuperabile a sponso suo Christo videlicet avellatur divortium, dum nemo sine castimonia, non tantum in virginali flore, sed etiam in conjugali habitu conjunctione visurus sit Dominum nostrum regnantem per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNO DOMINI MLXV.

HUGO II

ECCLESIÆ NIVERNENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex *Gallia Christiana*, nov. edit., t. XII, p. 655.)

Hugonis vicecomitis Niverpensis et Elisabethæ filius Hugo, germanus autem Hugonis vicecomitis, Leonis et Reginaldi, et patruus Hugonis decani et post episcopi Niverpensis, ex canonico Antissiodorensi episcopus Nivernensis factus anno 1013, Cluniacensibus Auræ Vallis monachis terram S. Cyrici sitam in pago Antissiodorensi dictam Vivenz concessit mense Julio Roberti regis anno 20. Subscripsit litteris Helmoini episcopi Alduensis Flaviniaco donantis cellam S. Georgii Colchensis anno 30. Albuino, terram in villa S. Benigni, ut olim Gausbertus decessor, Adelardo largitus est anno XXXII. Herimanni et Natranni antecessorum quoque ad exemplar ecclesiæ suæ abbatiam in honorem S. Troesii confessoris consecratam, et ecclesiam S. Francovei in pago Nervensi cum duobus ibi altaribus, de quorum uno Charta a Rocleno antecessore suo facta fuerat, ut canonici communiter viverent dedit anno ordinationis suæ XI. Duo altaria canonicis concessit mense Decembri Ro

Digitized by Google

berti regis anno 33. Subscripsit fundationi ecclesiæ Sancti Dionysii de Vergiaco anno 1032, indict. xv, Henrici regis anno II. Subscripsit et chartæ Helmuini episcopi Alduensis Corbiniacense Cœnobium Flaviniacensi restituentis anno 1034. Concilio Bituricensi adfuit anno 1040 et subscripsit donationi ab Aymone archiepiscopo factæ monasterio S. Sulpicii. Subscripsit anno 1041 donationi factæ Capitulo ab Itherio. Subscripsit chartæ Hugonis archiepiscopi Moguntini pro canonicis S. Pauli VII Kal. Aprilis 1044. In sequenti Henrici regis 15 præposituram, quam Hugo præpositus perverse gesserat et episcopi in manibus dimiserat, canonicis tribuit qui eidem in compensationem ecclesiam S. Troesii dederunt, quod in synodo Vercellensi anni 1050 confirmavit Leo IX. Odiloni Cluniacensi abbati reformandam commisit abbatiam S. Salvatoris anno 1045, VIII Idus Novem. Interfuit anno 1047 dedicationi S. Mariæ Santonensis. Adstitit synodis Senonensi et Trecensi an. 1048, subscripsitque diplomati Henrici regis pro cella sancti Aigulfi Pruvinensis unita hoc anno cœnobio S. Petri Trecensis. Concilio Remensi adfuit an. 1049, ubi confessus est a suis parentibus plurimum pecuniæ pro episcopio datum se tamen inscio, eoque adepto nonnulla ecclesiasticæ religioni contraria commisisse.... ideoque officium episcopale velle dimittere potius quam in ejus retentione animam suam pessumdare. Quæ ubi dixit, pastorale pedum ante pedes ipsius apostolici posuit. Ille vero tanti viri flexus devotione... illi per aliud pedum ministerium episcopale reddidit post datum sacramentum quod absque sue consensu pecunia hæc data fuisset. Leonem post concilium secutus Hugo, synodo Romanæ adfuit an. 1050 et paulo post Vercellensi. Ejus obtentu Henricus rex concessit B. Roberto fundatori Casæ Dei ut istud monasterium abbatia fieret anno 1052. Memoratur in litteris regis ejusdem pro restituenda S. Victoris abbatia anno 22 regni Kalendis Maii. Sacro Philippi regis interfuit x Kal. Junii 1050 eodemque anno concilio Romano, ubi ipsi et aliis episcopis injunctum, ut monachorum Vindocinensium et sancti Albini causam cognoscerent, de qua ejus litteræ in synodo Burdegalensi anni 1068 lectæ fuerant. Litteris quibus Isembardus episcopus Aurelianensis præbendam in ecclesia sua Cluniacensibus circa id tempus largitus est, subscripsit Hugo episcopus Nivernensis, et ecclesiæ Aurelianensis abbas et canonicus. Ecclesiam sancti Stephani a S. Columbano pro monialibus in suburbio Nivernensi fundatam, tunc vero partim vetustate, partim incendio aliisve necessitatibus eo redactam, ut vix parietes superessent, cujus mediam partem Hugo nepos suus clericus et decanus a Willelmo comite tenebat, canonicis B. Sylvestri papæ Romani regulam tenentibus concessit anno 1063. Hæcque donatio in Concilio Cabilonensi anno 1064 confirmata fuit XVI Kal. Sept. in octavis B. Laurentii, cui adfuit Hugo, et lecta in festo sequenti Nativitatis B. Mariæ in ecclesia S. Stephani. Denique subscripsit Hugo an. 1065, Philippi regis V, VII Kal. Febr., chartæ Gauzberti militis pagi Wartinensis ecclesiam nomine Kadelatam Floriacensibus monachis donantis. Eodem anno Roma rediens, ubi duobus conciliis adfuerat, obiit in via anno episcopatus LIV, et in Parodiana abbatia honorifice sepultus est VIII Id. Maii. Memoratur Nonis Maii in Martyrologio Antissiodorensi.

EPISTOLA HUGONIS

NIVERNENSIS EPISCOPI

AD BARTHOLOMÆUM TURONENSEM ARCHIEPISCOPUM

De cella Credonensi in concilio Romano sub Nicolao papa Vindocinensibus monachis asserta.

(MANSI *Concil.*, t. XIX, col. 901.)

B. Turonensi archiepiscopo, E. Andegavensi episcopo, et comiti GAUFRIDO HUGO Nivernensis episcopus unicuique perpetuæ felicitatis munus.

Preterito anno dum Romæ in sancta synodo essemus, dubitabilis querela ad aures papæ N. venit de quadam ecclesia S. Clementis Credonensis, quam sanctæ Trinitatis Vindocinensis ecclesiæ fratres et S. Albini monachi invicem proponentibus nobis ostenderunt. Papa vero, pluribus intentus, hoc Metensi episcopo atque Trecassino, necnon et mihi Nivernensi, et Cenomanensi, atque Aretensi et Liminensi seorsum euntibus indagari jussit, cui supradicta secundum jus concederetur ecclesia. Nos vero ut ab utrisque monachis audivimus, idipsum papæ retulimus. Ipse vero in plenaria synodo supradictam ecclesiam S. Trinitatis cœnobio vindicavit, quoniam hoc judicavimus quod nemo fevum quod tenet ab aliquo potest dimittere ecclesiæ, nec alicui nisi per comeatum illius a quo descendit. Valete.

ANNO DOMINI MLXV.

BOVO ABBAS S. BERTINI.

NOTITIA HISTORICA,

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Lat.*, tom. I, pag. 267.)

Bovo, Gallo-Belga, abbas ordinis S. Benedicti monasterii Sithivensis in Morinis circa annum 1060, cujus narratio de inventione et elevatione corporis S. Bertini abbatis, ob Northmannorum metum reconditi, facta an. 1052, edita a Mabillonio Sæc. III Bened., pag. 153.

Digitized by Google

DE INVENTIONE ET ELEVATIONE CORPORIS S. BERTINI ABBATIS.

(Vidé Patrologiæ tom. CXLVII, ad an. 1081, in FOLCARDO, *ad calcem Vitæ S. Bertini.)*

ANNO DOMINI MLXV.

FROLLANDUS

SYLVANECTENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN FROLLANDUM.

(Histoire litt. de la France, VIII, 17.)

Frolland ne nous est point connu avant son épiscopat. Il y fut élevé en 1043 (*Gall. chr. vet.* t. XXXI, pag. 1017) pour gouverner l'Eglise de Senlis, à la mort de Gui, surnommé le Bon. C'est donc par erreur qu'on suppose que lui est adressée la lettre 49e de Fulbert de Chartres, mort dès le mois d'avril 1029. Aussi le nom de l'évêque de Senlis, à qui elle est écrite, est-il désigné par une R, qui signifie *Rodulfe*, prédecesseur de Gui. Frolland fut un des évêques qui composèrent le célèbre concile de Reims en 1049 (*Conc.* t. IX, pag. 1036), sous la présidence du pape Léon IX. Au bout de quatre ans, vers 1053, il se trouva à l'assemblée de Saint-Denis près de Paris, où furent faites la découverte et la vérification des reliques du saint de ce nom, que les moines de Saint Emmeram se vantaient de posséder. Il assista aussi en 1059 au couronnement du prince Philippe, fils du roi Henri Ier. On convient que notre Prélat était mort avant l'année 1074, à laquelle Yves II remplissait le siége épiscopal de Senlis (*Gall. chr.*, ibid.; MAB. *Act.* t. IX, pr. n. 22). Mais il paraît douteux qu'il ait vécu au delà de 1071. Qu'on n'oublie pas que son épiscopat avait commencé au moins en 1043.

On ignore si Frolland laissa d'autres productions de sa plume qu'une lettre au fameux Bérenger de Tours, laquelle nous a été conservée (*Spicil.* II, 509) et mérite d'être connue. Elle est bien écrite pour ce temps-là, et toute remplie de témoignages d'estime et d'affection pour Bérenger. Frolland, tout évêque qu'il était, l'y qualifie non-seulement son frère, mais aussi son très-cher seigneur, et le nomme avant lui dans l'inscription de sa lettre, contre l'usage des autres évêques écrivant à leurs inférieurs. La grande confiance qu'il lui marque avoir en ses prières montre qu'il le regardait comme un homme d'une rare piété. C'est ce qui lui faisait souhaiter ardemment de jouir de sa présence dans la double infirmité dont il était alors affligé. Il est visible par ce qu'il lui dit sur la fin de la lettre qu'elle fut écrite au temps où Bérenger cherchait partout des protecteurs auprès du roi Henri, afin de regagner les bonnes grâces de ce prince irrité contre lui. Il y a au reste bien de l'apparence ou que notre prélat ne connaissait pas encore les vrais sentiments de Bérenger, ou que, s'il en avait connaissance, il ne lui témoignait tant d'estime et d'amitié que pour le ramener à la commune croyance des fidèles.

Dom d'Acheri, ayant tiré cette lettre de l'obscurité, l'a publiée au IIe volume de son Spicilége. Peu d'années après, M. du Boulay jugea à propos de la réimprimer entre les monuments de son histoire de l'Université de Paris (EGAS BUL. t. I, p. 422-423). Oudin l'a encore donnée depuis dans son histoire de Bérenger (OUD. *Scrip.* t. II, p. 629, 630).

FROLLANDI EPISTOLA AD BERENGARIUM.

(Apud. ACHER. *Spicil.* II.)

Domino et fratri BERENGARIO FROLLANDUS Sylvanectensium episcopus suus, quantum sapit fidelis gaudia futuræ felicitatis.

Detentus utraque infirmitate, non possum, prout disposueram et tibi mandaveram, huc ad te venire; A sed, quæso, ora pro me et attentius, ut ea liberer, quæ animam meam necat, ægritudine : et nescio si in hoc præsenti sæculo amplius te, charissime domine, videre potero. Sed satage ut in alio cum tranquillitate merear te videre. Et tamen si tandiu

Digitized by Google

Deus mihi vitam cum sospitate servarit, ut opportunitas ad te mihi veniendi esset, nunquam dimitterem, quin diu conceptum desiderium tui ad te accedendo adimplerem, quia illud non auderem dicere, ut tu ad nostras partes vel in hac Quadragesima orandi gratia dignareris advenire. Quod si tanta circumseptus fuero infelicitate, quod neque huc ego, neque tu ad me valeas venire; et si præoccupatus morte fuero, animam meam tibi committo. Mitte pro ea ad cœlestem curiam obsecrationes nuntias, roga archangelorum et apostolorum principes, et cæteros illius aulæ centuriones, qui tanto Regi assistunt familiariores, ut illi dignentur suggerere quatenus peccatricem meam animam liberari præcipiat de mortis carcere: imo tu ipse fultus orationis munere, interdum et sæpius piissimum et benignissimum Regem, ut pro aliis soles, pro me aggredere: et per te fiducialiter obsecra ut dignetur mihi parcere. Dominum R. abbatem et cæteros dominos et fratres, quos mihi tua dilectio acquisivit, sub meo nomine saluta, et in orationibus suis ut mei meminerint obsecra. Quidquid tibi placuerit, mihi remanda. Illud volo fraternitas tua noverit quod multum firmiter acquisivi tibi gratiam domini mei regis. Vale, et quamvis monitore non egeas, ut mei memineris attende.

CIRCA ANNUM DOMINI MLXV.

WIDRICUS

ABBAS MONASTERII S. GHISLENI IN HANNONIA.

NOTITIA HISTORICA.

Widricus seu *Guidricus*, abbas S. Ghisleni in Hannonia circa annum 1065. Exstat ejus epistola ad Henricum (1) imperatorem contra Balduinum, Hannoniæ comitem, qui monasterium S. Ghisleni direpaverat.

(1) Tertium scilicet, cognomento Nigrum, anno 1056 defunctum, non autem quartum qui nonnisi anno 1084 Augustus renuntiatus est cum pluribus jam ab inde annis Widricus e vivis excessisset.

WIDRICI ABBATIS

EPISTOLA

AD HENRICUM III IMPERATOREM, COGNOMENTO *NIGRUM*.

(Edidit Dom Mabill. *Annal. Bened.* t. V, p. 26.)

Domino glorioso Romanorum imperatori Cæsari Augusto H. W., Cellensis cœnobii abbas, cum grege sibi commisso, triumphare feliciter et regnare cum Christo.

Summe priorum princeps, cui Deus regni commisit habenas, ut judicium pauperum quæras et oppressorum causam discutias, tibi miseriarum nostrarum et oppressionis tyrannicæ quam patimur clamorem dirigimus; a te gemituum nostrorum solamen imploramus. Balduinus comes, in cujus exitiabili comitatu nostra pridem ecclesia in honore principis apostolorum et sancti Patris nostri Gisleni munificentia regali fundata et regalis eleemosyna nuncupata, modo vero vix subsistit, nos per tres et eo amplius annos ita vastavit, attrivit et diripuit, ut penitus spem subsistendi non habeamus, nisi tu, gloriose imperator, cujus patres, avi, atavi nos fundarunt, et liberos regali jure fore constituerunt, tuæ defensionis manum exseras, et scutum protectionis obtendas. Neque nos frustra conqueri judicet pietas tua. Non enim tyrannum miracula quæ per patronum nostrum, sanctum videlicet Gislenum, Dominus multoties operatur, quando pro perpetratis in nos rapinis et violentiis, ut ejus tepescat furor, sanctum sibi corpus præsentatur, ab incœpto scelere revocant; non dominorum imperatorum decreta cohibent; non majestates sigillis impressæ deterrent; non bonorum virorum dehortatio, non illata Christianitatis animadversio, non nostrorum solidorum, librarum, marcarum multiformis impensio. Ad cumulum quam frequenter in villis, in mansis, in possessionibus, ob amorem Dei sanctorumque Petri atque Gisleni, largitate regum, ducum, pontificum cæterorumque fidelium Dei, nobis collatis, imperiali libertate firmatis, demoratur, jacet, ponit colloquia; postremo recedens diripit, vastat, prædatur omnia. Dum per quinque dies in Hornuto, Durno, Bussuto, regia liberalitate concessis, regio jure fir-

Digitized by Google

matis, moraretur, quinta die, quæ S. Matthæi apostoli et evangelistæ tunc temporis passione vernabat, quidquid prædæ invenit abduxit; cumque sancti Patris nostri corpus opponentes sibi, timorem Dei regiamque libertatem reclamaremus, quidam suorum nostros, sanctum corpus sustentantes, tantis verberibus affecerunt, ut loculus sancti sanguine vulneratorum pollueretur. Heu! quot servos et fideles ecclesiæ nostræ plagearii suis captivos tradidit, et omnia bona illorum diripuit! Heu! quot prædas non solum familiarum nostrarum, sed ex nostro peculio ducentis libris et eo amplius meliores nobis arripuit! Quæ omnia qualiter distraxerit, ne regias aures offendamus, dicere timemus. In hoc adhuc præsenti anno ipsius rapacem furorem quoquo modo sedare gestientes, decem marcas argenti ex nostra paupertate pro nobis nostrisque dedimus, quasi pacis ac tranquillitatis obsides. Quibus receptis, mox cuidam villæ nostræ, quæ Villare, insiluit, necnon inter atrium ecclesiæ totius villæ prædam diripiens abscessit. Post hanc sancti Joannis Baptistæ celebritatem, quæ nuper celebrata est, in altera villa, quæ Erchana, centum solidorum prædam et eo amplius meliorem servis et ancillis ecclesiæ nostræ arripuit, et insuper uni monachorum nostrorum equum, quo in nostris necessariis utebatur, abstulit. Nunc jam, summe Cæsar, gloriose rex ac domine, quoniam honor regis judicium diligit, et, teste Apostolo, non sine causa gladium portas, pro anima domini nostri divæ memoriæ Patris tui, cujus regia majestas nos libertati condonavit, aures pietatis ad clamorem nostrum aperi, dexteram justitiæ viriliter exsere, ad instar evangelici regis mortem filii viduæ vindicantis, vindica nos de adversario nostro : ne sancta mater Ecclesia reclamans invindicata venienti in judicio suggillet te. Regis regum misericordia et Domini dominantium, in cujus manu sunt corda regum vel tempora, vestra imperia sic ordinet et disponat ut et hostes pacatos et subjectos faciat, fideles et amicos multiplicet et custodiat. Vale, decus imperii.

ANNO DOMINI MLXV.

FRANCO

SCHOLASTICUS LEODIENSIS.

FRANCONIS

EX OPERE DE QUADRATURA CIRCULI SPECIMEN.

(Mai, *Classici auctores*, III, 346.)

Diximus falso videri Bertium referre ad Boethium opus de circuli quadratura, quod est Franconis. Nunc placet ex hoc inedito opere, quod in sex libellos distribuitur, specimen proferre, ita tamen ut antea hominis operisque notitiam ex Sigeberto ponamus. Sic igitur Sigebertus, cap. 164. « Franco Scholasticus Leodiensis, religione et utraque litterarum scientia nominatus, quantum valuerit scribendo notificavit posteris. Amatores scientiæ sæcularis taxent ejus scientiam ex libro quem scripsit ad Hermannum Coloniæ archiepiscopum De quadratura circuli; de qua Aristoteles ait : Quadratura circuli est scibile, scientia quidem nondum est. Ob illud vero scibile conferant vel etiam præferant eum sæculares philosophi; nos laudamus eum quia divinæ Scripturæ invigilavit et plura scripsit, ut de ratione computi librum unum, et alia quæ ab aliis habentur. » Eadem narrat de Francone Trithemius cap. 346, additque claruisse eum sub Henrico imperatore tertio, anno Domini 1060. Idem Trithemius adnotat Mæcenatem illum Franconis fuisse Hermannum II, quem Coloniensem sedem ab anno 1036 ad 1055 tenuisse scimus; unde satis liquet Franconis opus intra hoc temporis spatium fuisse conscriptum. Ea autem partem prologi ad primum librum, item initium operis, et tertii libri prologum prope integrum : hos enim locos ad specimen præbendum delegi, quia historicas aliquot notitias continent.

INCIPIT PROLOGUS IN PRIMUM LIBRUM DOMNI FRANCONIS DE QUADRATURA CIRCULI.

Ex quo, mi papa, præsulum decus, corona totius per orbem cleri, nullius unquam immemor honestatis, ex quo liberalitatem tuam gratuito in me confirmasti; ex eodem jam tempore nulla hora sollicitus esse non potui, cujusnam officii ratione tantam gratiam promereri deberem. Quippe pecuniarum nihil erat, non cava superbi cornipedis ungula, non Minervale pretium operosæ arteque elaboratæ vestis, non fusilis metalli admirandis figuris opus incusum, non peregrini lapidis multiplex ac varii coloris aspe-

Digitized by Google

ctus. Quanquam ego, si ejusmodi rerum abundantia pollerem, haud unquam in animum subrepere auderet tantæ nobilitati tantæque dignitati ex eisdem munuscula offerre. Hæc enim cum principum largitione distribuuntur in vulgus, indigentiæ et necessitati subvenitur; cum vero eorum oblatione ipsorum principum benivolentia comparatur, procul dubio avaritia illorum occulto quodam elogio exprobratur; neque enim redimi muneribus possent, si non eos, quod nimirum accidit, ex illo avaritiæ monstro ipsa munera delectarent, etc. Itaque hac via adductus sum ut ederem libellum de circuli quadratura, imperitia plurimum renitente, sed ad temerarios ausus perurgente devotione. Hoc igitur opus quo- A niam edictum est, te ad studia nos beneficiis invitante, alterius opus nisi tuum esse non poterit. Quamobrem certus esto omnem ejus diligentiam, sive penitus reprobandum sit, sive in parte corrigendum, sive ex toto provehendum, id tua maxime interesse. Habes enim quamplures et Tuccas et Varos, quibus minime sit moris alienis studiis invidere. Horum fidei, horum charitati laborem nostrum committes, ut non tantum superflua resecent, sed erratis quoque adhibeant, te probante, correctionem. Itaque hoc opus suæ emendationis opera castigent, ut non sit indignum quod tuo nomini, veluti cuidam numini, debeat consecrari.

DOMNI FRANCONIS LIBER PRIMUS INCIPIT DE QUADRATURA CIRCULI.

Quadratura circuli inter occultas rerum adeo est abstrusa naturas ut de ejus ratione nemo hodie vel dubitaret, nisi Aristoteles, quem etiam inventorem ferunt, ipsius mentionem prædicamentis suis indidisset. Ejus itaque scientiam haud dubiam ferunt usque ad Boethium perdurasse; illo autem sublato, ipsa quoque omnis simul interiit, præter solam dubitationem quæ talis ac tanta est ut in ea omnes Italiæ, Galliæ, atque Germaniæ defecerint sapientes. Siquidem hanc noster Adelboldus, hanc maximus doctorum Wazo, hanc ipse studiorum reparator B Gerbertus, multique alii studiose investigarunt; qui si effectu potiti fuissent, num id ab illis profectos, quorum aliqui adhuc supersunt, universos lateret? Et Gerberti quidem geometricus libellus habetur (1), aliaque ejusdem scripta, a quibus, ni fallor, nunquam exclusisset, siquidem ejus diligentiæ super hac scientia compertum fuisset. Nihil ergo volumus promittere, præter studium et laborem, qui primo sudabit in illa quæstione, quæ plurimum etiam fatigavit majores nostros, de comparatione videlicet angulorum, etc.

PROLOGUS TERTII LIBRI.

Si tu is esses, præsul eximie, cujus suæ laudes animum delectarent et pascerent, nulla facundia satis esset his quæ tum de te ipso, tum de avis, de proavis deque universis majoribus tuis, non modo Romanorum sed Graiorum quoque principum illustrissimis, de horum nobilitate, de dignitate, de gloria, de potentia, de copiis, de amplitudine rerum, de præclarissimis factis, de virtute, de sapientia, de meritis ipsorum jactari valerent. Virgilius cupiens a parentibus magnificare Augustum, Æneida XII libris conscripsit; quanto pluribus opus esset, si quis vellet colligere quæ primus, quæ secundus, quæ tertius gessit Octonum? quorum primus ab Henrico patre suo suscepit regnum, sed filio reliquit imperium; pater apud Theutones pri- C mus regnavit; filius apud ipsos primus imperavit. Et quibus, nisi illis, Germania debet, quod sibi cum cuncto orbe ipsa exsolvit tributum Italia? Per quos alios nostri imperatores Romani sceptri facti sunt successores? Vellem mihi diceres o Maro, quid tale contulit vestro Latio ille tuus, ille pius, ille magnus, ille dea natus Æneas. Agnosce, Auguste, quanto sit infra tuum genus, piis et præclaris Octonibus comparatum. Sed esto fuerit talis Æneas ille, quid tua refert? Tu enim Æneam vix millesimus attingas nepos. Putasne igitur Octonum nepos, si qualem tu Virgilium haberet, qui eum extolleret a laude parentum, putas ne tuam famam quanta gloria offuscaret? etc.

(1) Gerberti quidem et Adelboldi legimus scripta geometrica apud Pezium anecdot. t. III, part. II, p. 6, et p. 82 sq. Adelboldi autem de quadratura circuli opusculum est apud me ms. Denique Wazonis (seu Wasonis) qui fuit Franconis coætaneus, exstat notitia apud Fabricium Bibl. Lat., med. et inf., t. VI, edit. Patav. cum Mansii additamentis.

ANNO DOMINI MLXVII.

BEATUS MAURILIUS

ARCHIEPISCOPUS ROTHOMAGENSIS.

VITA BEATI MAURILII.

(Mabill. *Acta. SS. Bened.*, Sæc. VI, part. II, pag. 222.)

1. Hoc præsenti sæculo Rothomagensem Ecclesiam Lugdunensis secundæ metropolim illustravit Mau- D rilius antistes piissimus, cujus laudes nobilissimi quique ejus ævi scriptores celebrarunt; nullus ta-

Digitized by Google

men, quod quidem sciam, Vitam ejus litteris mandavit. Nec obstat Trithemii auctoritas, qui in nova Chronici Hirsaugiensis Sangallensi editione ad annum 1064 beati Maurilii *Gesta conscripta* esse refert. Quibus verbis nihil aliud fortasse designare voluit ille auctor, præter varia elogia Maurilii nostri, quæ in istius temporis scriptoribus passim occurrunt. Huic conjecturæ favet ipse Trithemius in altera ejusdem Chronici editione, ubi facta Maurilii egregia mentione, hæc verba subjungit : *De cujus sancta conversatione præcelsa laudum præconia feruntur.* Et libro quarto De viris illustribus ordinis nostri cap. 120. *Maurilius... de quo multa bona narrantur.* Sed et frustra de hac re fusius disseremus, cum Maurilii Vita, si unquam exstiterit, jam plane sit ignota. Quare breve ejus elogium, ex variis qui de eo egerunt pro data occasione auctoribus, pro more nostro conficiemus.

2. Maurilium Remis natum diffiteretur nemo, si Ordericus Vitalis sibi ipsi constitisset. At cum libro IV Historiæ suæ ecclesiasticæ beatum antistitem Remis ortum ex ipsius epitaphio dixerit, aliundeque libro V scripserit eumdem *genere Maguntinum* fuisse; qui postmodum secuti sunt auctores varias in sententias abierunt. Viam mediam iniit Menardus noster in notis ad Martyrologium Benedictinum, ubi Maurilium Remis quidem natum fatetur, sed ex parentibus Maguntinis : quam quidem dirimendæ litis rationem multi post ea amplexati sunt. Ego vero de Maurilii parentibus nihil habeo quod dicam, cum ad id nulla suppetant instrumenta, nisi quod eum *generis nobilitate* præcelluisse asserant Guillelmus Pictaviensis, et monachus anonymus sancti Audoeni Rothomagensis, auctor Gestorum archiepiscoporum Rothomagensium ipsi Maurilio æqualis, ex autographo editus tomo II Analectorum, qui paucis verbis præclara de sancto Maurilio scripsit in ejus Vitæ compendio. Hic autem, cujus locum inferius integrum exhibebimus, diserte asserit Maurilium nobili prosapia ex Remensi pago exortum fuisse. Certe hunc ipsum Remis natum negari non posse existimo, cum id in epitaphio sepulcro ejus apposito disertis expressum verbis habeatur. Quod quidem epitaphium non ab homine ignoto, aut longo post beati antistitis obitum tempore compositum fuit, sed a viro illustri, Rothomagensis Ecclesiæ canonico, ut super ipsius corpus poneretur, ipsomet attestante Orderico Vitali. Porro Ordericus libro V Maurilium genere Moguntinum fortasse dixit, quod Gerbertus ejus socius Moguntiæ ortus fuerit, ut ex ejus epitaphio patet, vel etiam quod aliquandiu in Moguntina provincia commoratus ipse Maurilius fuerit. Hoc enim pacto idem auctor Joannem abbatem Fiscamnensem, quem Italum fuisse ex Vita beati Guillelmi certum est, *compatriotam* Maurilii nostri appellat, quod et ipse Maurilius in Italia aliquandiu versatus, ibique abbatis munere functus fuisset.

3. Inter Remensis Ecclesiæ clericos Maurilium A educatum fuisse non solum recentiores historici scripserunt, verum etiam idem attestatur anonymus noster supra laudatus, ex quo etiam discimus eum post navatam philosophiæ ediscendæ apud Leodium operam, Halberstatensis Ecclesiæ scholastici dignitatem obtinuisse. Sed hæc omnia Maurilii animum, qui perfectiora charismata æmulabatur, detinere non potuerunt. Quare in Fiscamnense cœnobium, cui, ut quidem mihi videtur, præerat tunc beatus Willelmus, secessit; cumque multos ibi annos exegisset, obtenta exeundi licentia, in Italiam abiit, ubi cum Gerberto suo socio, qui postmodum abbas sancti Wandregesili effectus est, anachoreticam vitam duxit. Utriusque sanctam in illis partibus conversationem magnificis verbis extollit Guillelmus B Pictaviensis, auctor æqualis, in libro De gestis Guillelmi ducis, postea Angliæ regis, ubi sic loquitur : *Ambo hi in ætate florentissima divinitatem, et quam divinitas largitur beatitudinem speculati, alio multoque perspicaciori mentis acumine quam Plato, nuda professione impedimenta rerum temporalium evasere, despicantes mundanæ philosophiæ vehementi applicatione a se amata gymnasia, patrii soli dulcem arrisum, opibus ac generositate claram parentelam, spem sublimium provectuum. Sic animo victore expediti, nunc sub jugo cœnobiorum, nunc in eremi lucta, æmulis Machabæorum decertabant sudoribus, pro interminabili et liberalitate et quiete, omnem extremitatem, nullam prælationem in exsilio mundi præ-* C *tereuntis ambientes.*

4. Tanta Maurilii virtus diutius sub modio delitescere non potuit. Hinc ut aliis etiam utilis esset, monasterio cuidam in eadem regione præfectus est. Qua in dignitate, ut asserit idem Guillelmus, *supra cæteros abbates eximius emicuit.* Monasterium, cui Maurilius præfuit, in ipsa urbe Florentia situm fuisse scribit Ordericus Vitalis libro V, sed nomen ejus exprimit noster anonymus, qui etiam laudat Bonifacium marchionem, quo agente Maurilius abbatis dignitatem suscepit. *Defuncto*, inquit, *abbate Florentinensis Ecclesiæ, quæ in honore beatæ Mariæ.... constructa est, elegit eum Marchio Bonifacius*, etc. Monasterium Sanctæ Mariæ, vulgo *Labadia*, hodieque perseverat celebre apud Florentiam, ordini D uostro addictum, sub Casinensi congregatione, haud procul a metropolitana ecclesia situm, de quo Ughellus Italiæ sacræ tomo II, et Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ disserunt. At tunc erant, quando ei præfectus est Maurilius, ejus loci monachorum corrupti mores, qui eo devenisse dicuntur, ut sancti viri disciplinæ fervorem ferre non valentes eumdem veneno enecare conati fuerint. Hæc fuit occasio Maurilio in Gallias redeundi, ut narrat Ordericus. *In urbe*, inquit, *Florentia monachili cœnobio abbatis jure præfuit, et exosus transgressoribus pro rigore disciplinæ, venenum in potu sibi propinato deprehendit. Unde sanctissimum Patrem, doctoremque Benedictum secutus incorrigibiles deseruit, et in Neustriam cum Gerberto sapienti et religioso monacho, tempore*

Digitized by Google

Joannis abbatis compatriotæ sui Fiscannum venit, ibique stabilem ad cultum summæ et individuæ Trinitatis habitationem sibi elegit. Eadem fere habet anonymus.

5. Regebat his temporibus Ecclesiam Rothomagensem Malgerius archiepiscopus, Guillelmi ducis patruus, qui ob varia crimina in concilio Lexoviensi anno 1055 exauctoratus est. Nec diu deliberatum fuit de successore ei substituendo. Maurilius nempe omnium tam episcoporum comprovincialium, quam vicarii sedis apostolicæ qui concilio præerat, et ipsiusmet ducis consensu ad hanc dignitatem evectus est; sic ea de re loquitur Guillelmus Pictavensis loco jam laudato. *Princeps*, nempe Guillelmus dux, *animadvertens jam non montis agi oportere in causa præcipuæ gravitatis, ne ultra patiendo superni judicis iram irritaret in se, deposuit patruum in publico sanctæ synodi, apostolici vicario, cunctisque Nortmanniæ episcopis juxta canonum auctoritatem sententiam dantibus unanimi consensu. Maurilium vero cathedræ liberatæ providit.... dignissimum summo omnium archipræsulatu, merito generis, personæ, virtutum, doctrinæ.* Consentit Guillelmus Gemmeticensis libro septimo Historiæ Nortmannorum cap. 24, ubi *synodi decreto metropolitanam sedem Maurilio Fiscannensi monacho, multis virtutibus excellenti* traditam fuisse scribit. *Ecclesiastica electione assumptum* fuisse ad hanc dignitatem observat Ordericus libro v. Denique ipse Guillelmus morti proximus, apud Ordericum libro vii, ea omnia quæ in suorum populorum gratiam recte fecerat recensens, memorat Maurilii electionem : *Protervum*, inquit, *præsulem, qui nec Deo devotus, nec mihi fidus erat, de pontificali sede per decretum papæ deposui, et Maurilium venerabilem cœnobitam, quem mihi Deus de Florentiu civitate Italiæ transmiserat, in ejus loco substitui.* Rothomagensem thronum conscendit Maurilius anno 1055, ut ex concilio Lexoviensi supra laudato colligitur. Idem habetur in Chronico Rothomagensi apud Labbeum tomo I Novæ bibliothecæ, et in Chronico Cadomensi apud Quercetanum in Historia Nortmannorum. Nec ea de re videtur esse inter auctores aliqua dissensio; qui etiam omnes eum ex monacho Fiscannensi ad hanc dignitatem evectum fuisse consentiunt.

6. Sed priusquam ulterius in exponendis Maurilii Gestis progrediamur, exhibendum est ejus vitæ compendium ex anonymo sæpe laudato monasterii sancti Audoeni in gestis archiepiscoporum Rothomagensium qui sic habet Analectorum tomo II, p. 439: *Malgerio destituto, elegit dux Willelmus quendam monachum, nomine Maurilium, qui nobili prosapia ex Remensi pago exortus, et in ejusdem civitatis ecclesia educatus, inde in Leodicensi Ecclesia omni liberalium artium peritia imbutus, Halverstatensis Ecclesiæ scholasticus effectus est: qui locus in Saxonia ditissimus habetur, in quo pluribus annis honorifice vixit. Postea vero succensus amore cœlestis patriæ, cuncta quæ mundi sunt fastidiens, monasticam vitam appetiit; sicque Fiscamnense cœnobium adiens monachus ibi effectus est, in quo sancte multo tempore vixit, cæterisque exemplum sanctitatis exhibuit. Denique igne divini amoris exæstuans, acriorem vitam eligens, licentia ab abbate, qui ecclesiæ præerat, accepta, Italiam petiit; eremique cultor, solitariam vitam ducens, opere manuum vixit. Defuncto itaque abbate Florentinensis Ecclesiæ, quæ in honore beatæ Mariæ semper virginis constructa est, elegit eum marchio Bonefacius, vir nobilis et potentissimus : et ita, licet invitus, bonorum tamen virorum admonitionibus superatus, abbas ejusdem loci ordinatus est; ubi multo tempore subditos pro posse suo sancte et regulariter rexit. Sed quia vita justorum est detrimentum pessimorum, monachi qui tempore prædecessoris sui indisciplinate vixerant, constantiam regulæ Patris Benedicti, qua eos regulariter constrinxerat, ferre nolentes, sed in omnibus bonis operibus sibi resistentes, detrimentum vitæ ei machinati sunt. Et quia pluribus annis in hoc laborans, nullomodo se in eis vidit proficere, saluti propriæ prospiciens abbatiam deseruit, et ad proprium locum, scilicet Fiscamnum, rediit, in quo sancte, usquequo in episcopatu inthronizatus est, vixit. Hic ecclesiam a Rotberto archiepiscopo incœptam complevit; et astante Willelmo Nortmannorum duce, postea Anglorum rege, cum omnibus suffraganeis suis, concilium in Rothomagensi Ecclesia de castitate conservanda, et cæteris sanctorum Patrum institutionibus, pastorum incuria negligenter postpositis, viriliter restituendis, religiose celebrarit. Postea perfecta ecclesia, dedicavit eam, astante Willelmo Nortmannorum duce, anno 1063. Dominicæ Incarnationis, regnante Henrico nobilissimo rege Francorum, astantibus etiam comprovincialibus episcopis, scilicet Odone Bajocensi, Joanne Abrincensi, Hugone Lexoviensi, Guillelmo Ebroacensi, Yrone Sagiensi, Gaufrido Constantiniensi, cæterisque venerabilibus abbatibus, præsidente etiam sedi apostolicæ papa Victore II. Multo etiam bona de Christianæ legis et ecclesiasticæ religionis restitutione fecit. Jejuniis et orationibus et eleemosynis usque ad ultimum diem insistens, v Idus Augusti animam Deo reddidit. Defuncto venerabili antistite Maurilio præfatus Willelmus*, etc. Narrat anonymus Gesta Joannis, qui beato viro substitutus est. Nos vero ipsius Maurilii elogium ex aliis auctoribus, uti incœperamus, prosequamur.

7. Factus itaque totius Nortmanniæ primus antistes, nihil magis in animo habuit, quam ut decessoris sui probra dilueret, et resarciret damna quæ ipsius negligentia Ecclesiæ illata fuerant. Ea de causa primo sui pontificatus anno concilium indixit, quod Rothomagi habitum est. Huic adfuere omnes provinciæ episcopi, atque in eo, ut scribit Bochellus, et quidem id ipsum habet noster anonymus, actum est *de castitate, et cæteris Patrum institutis servandis, pastorum incuria neglectis.* Alterum concilium ibidem habitum memorat Dadræus primo Stephani papæ IX anno, id est anno 1057 aut sequenti. Ce-

Digitized by Google

lebrior fuit synodus seu potius conventus Cadomensis, cui non solum episcopi et abbates, sed etiam totius provinciæ optimates jussu Guillelmi ducis interfuerunt anno 1061 ut publicæ securitati utilitatique tum ecclesiasticæ tum sæculari communi consilio provideretur. Huc etiam ex diversis ecclesiis sacræ reliquiæ apportatæ sunt juxta ducis imperium, idque ut major ex religione celebritas conventui accederet, religiosiusque decreta a singulis observarentur, quæ in sanctorum provinciæ tutelarium præsentia sancita fuissent. Rothomagenses sanctorum Romani et Audoeni corpora, alii alias sanctorum detulere reliquias. Porro ibi indultum est a principe, ut induciæ cuilibet darentur singulis hebdomadibus a vespera feriæ quartæ ad feriam secundam hebdomadæ sequentis, quæ induciæ *Trevia-Dei* appellatæ fuerunt: quod decretum ut firmius staret, episcopi in violatæ pacis reos anathema pronuntiarunt. Inter alia multa, quorum maximam partem abolevit temporum injuria, sancitum est ut abbates et alii prælati *huc illucque non vagarentur cum publica offensione.* Item, *ut quotidie sero per signi pulsum ad preces Deo fundendas quisque invitaretur, atque occlusis foribus domorum ultra vagari amplius vetitum admoneretur.*

8. Haud minus celebre fuit concilium Rothomagi habitum ad dedicandam majorem ecclesiam, quam ipse Maurilius absolverat. Ea de re sic loquitur Ordericus Vitalis libro v: *Anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis* 1063, *indictione* II, *metropolitanam basilicam in urbe Rothomagensi, quam Rodbertus inchoavit, Mauriltus archiepiscopus in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ cum ingenti tripudio mense Octobri dedicavit.* Ecclesiæ Rothomagensis dedicationem pariter anno 1063 consignat laudatus anonymus. Certe hoc ipso anno locat noster Pomerayus concilium Rothomagense, ad quod referri debere censet quod Willelmus Gemeticensis et Ordericus libro III narrant de Osberno, qui post Roberti abbatis desertionem monasterio Uticensi præfectus fuit, tradita sibi a Maurilio archiepiscopo *cambuta* pastorali. At Robertus Uticensis abbas fugam inierat occasione dissensionum quæ inter Guillelmum et Nortmanniæ proceres fuerant exortæ quas quidem dissensiones fusius exponit Ordericus ad annum 1053, quæ omnia satis superque probare videntur dedicationem Ecclesiæ Rothomagensis anno 1063 consignandam esse, quamvis indictio II ab Orderico assignata loco supra laudato annum sequentem videatur indicare. Verum cum hæc dedicatio die 1 Octobris, ut ex Martyrologio ejusdem Ecclesiæ discimus, peracta sit, forte hic Ordericus indictionem a mense Septembri, ut nonnulli facere solebant, inchoavit. Nam idem ipse auctor alio in loco, libro scilicet IV, dedicationem Rothomagensis Ecclesiæ anno 1063, indictione I, peractam fuisse scribit.

9. Porro idem Ordericus libro V testatur hujus dedicationis occasione corpora ducum Rollonis et Guillelmi, cognomento *Longa-Spata*, a Maurilio in A ædem sacram translata fuisse, qui priorem, nempe *prope austrum australe*, Guillelmum vero *secus ostium aquilonare tumularit, et epitaphia eorum super illos litteris aureis adnotavit.* Hæc epitaphia refert Ordericus, quæ Maurilii opus esse nonnulli putant. Sufficiat aliquot ex eis versus huc proferre qui ad nostri ordinis historiam pertinent. Inde enim discimus Guillelmum ita erga monasticam vitam propensum fuisse, ut eam fuisset amplexus in monasterio Gemeticensi, si ei per abbatem Martinum licuisset.

Cœnobium pulchre reparavit Gemmeticense
Et decrevit ibi ferre jugum monachi.
Fervidus invicti coluit normam Benedicti.
Cui petiit subdi, plenus amore Dei.
Distulit hoc abbas Martinus, diva potestas
Sæva per arma mori prætulit omen ei.

De hoc Guillelmo et ejus monastici propositi amplectendi desiderio, plura habet Guillelmus Gemeticensis monachus, quæ huc referre non vacat.

10. Cæterum habita est item celebris Nortmanniæ episcoporum synodus anno 1067 occasione alterius dedicationis, scilicet ecclesiæ beatæ Mariæ Gemeticensis, quam Maurilius cum suis suffraganeis, præsente Guillelmo, jam tunc Angliæ rege, *humiliter et devote perpetravit* Kalendis Julii, ut testantur Guillelmus Gemeticensis monachus libro VII, cap. 37, Ordericus Vitalis libro IV et alii. Dedicationis hujus memoria in Martyrologio Benedictino celebratur ipsis Kalendis Julii. At anno præcedenti iidem antistites cum provinciæ primatibus a duce acciti apud Juliobonam convenerant, de expeditione Anglicana collocuturi; sed cum ejusmodi conventus potius comitia provinciæ debeant appellari, quam concilia, de his dicere supersedemus. In his enim procerum colloquiis, de sæcularibus potissimum negotiis agebatur, quæ tunc temporis absque episcoporum consilio, si quidem magni fuissent momenti, minime tractabantur.

11. Verum ex tam frequenti conciliorum celebratione colligere licet Maurilium vigilantissimi pastoris partes strenue adimplevisse, meritoque ejus ævi scriptores negligentiæ accusari, qui decreta in iis synodis sancita posteritati non transfuderunt. Certe quanta sit hæc jactura conjicere possumus ex professione fidei de Eucharistiæ sacramento, quæ ad nos pervenit, in qua tam evidenter et nitide catholica veritas exponitur, ut nullus effugii locus hæreticis relictus sit. Hanc ideo integram proferimus, ex veteri Pontificali Ecclesiæ Rothomagensis a nostro Pommerayo descriptam, in quo inter alias fidei professiones habetur in ordine synodi celebrandæ. Mos enim exinde fuit, ut ab unoquoque episcopo in Nortmanniæ provincia consecrando hæc fidei professio exigeretur. Quæ sic habet: *Oportet etiam, fratres charissimi, ut fides vestra de corpore et sanguine Domini, quam præsidente huic sanctæ sedi venerabilis memoriæ Maurilio, communi assensu contra spurcissimas Berengarii ejusque successorum voces diffinivi-*

Digitized by Google

stis, iterum recitetur. Corde credimus et ore profitemur, panem in mensa Dominica propositum, panem tantummodo esse ante consecrationem : sed in ipsa consecratione ineffabili potentia divinitatis converti naturam et substantiam panis in naturam et substantiam carnis ; carnis vero non ullius, alterius, sed illius quæ concepta est de Spiritu sancto, nata ex Maria virgine, quæ etiam propter nos et propter nostram salutem flagellis cæsa, et in ligno suspensa, jacuit in sepulcro, tertia die resurrexit a mortuis, et sedet ad dexteram Dei Patris. Similiter vinum, quod aquæ mistum in calice sanctificandum proponitur, vere et essentialiter converti in eum sanguinem qui per lanceam militis de vulnere Dominici lateris in redemptionem mundi feliciter emanavit. Anathematizamus autem contra hanc sanctam et apostolicam fidem superbe atque hæretice sentientes, et impia temeritate garrientes. Hanc fidei professionem, quæ in concilio anno 1063 habito decreta fuisse videtur, contra Berengarii errores ediderat Maurilius, ne quis e sibi commisso grege hæresiarchæ laqueis sese irretiret. Berengarius quippe Nortmannos sua hæresi inficere conatus fuerat, ut ex his patet quæ de conventu Brionensi apud Durandum Troarnensem habentur in ejus libro De corpore et sanguine Domini.

12. Quantum vero fuerit Maurilii studium erga res divinas, intelligere possumus ex Joannis Abrincensis episcopi epistola libro De divinis officiis, quem Maurilio nuncupavit, præfixa. Eam huc integram damus, prout simul cum ipso libro ex ms. codice monasterii Salicosani edita est a nonnullis Rothomagensis Ecclesiæ canonicis : *Domino vere sancto et meritis honorando Maurilio, venerabili sanctæ Rothomagensis Ecclesiæ archiepiscopo Joannes Abrincacensis, omnium episcoporum meritis infimus, corpore et spiritu totius obedientiæ munus. Quoniam tuæ paternitatis sanctitatem de ecclesiasticæ dignitatis profectu semper sollicitam, ejus lapsu nimio errore affici, sæpissimis inde mecum habitis quæstionibus comperi : hocque dolorem tibi augmentare ejus reparationem flagranti, quod vires ad hoc tuæ subtraxerat imbecillitas ægritudinis. Parvitas mea tuæ sanctissimæ optioni suffraguri, non aliquo fastu succensu, sed pia compassione commota apetiit ; ut quod negligentium pastorum depravatur incuria, tuæ sanctæ religionis reparetur vigilantia. Hinc tua auctoritate fretus, sententias sanctorum Patrum aggressus, diversarumque Ecclesiarum mores et consuetudines prospectans, et ea quæ ad divini cultus officia pertinent, quodque in se mystice continent, nihilominus considerans, quamdam quasi confectionem ex ea diversitate composui : quam omnibus adhuc occultam tuæ sagacitatis repræsento examini, ut susceptum opusculum inspicias, et inspiciendo eam, precor, diligentiam adhibeas, qua te nobis eum esse significes, quem in paternitate ac magisterio sat decenter exhibes. Tua quippe refert, ut si aliqua sint quæ valeant paterno affectu velis annuere ; si vero econtra, vigilantis magisterii censura corrigere. Quod si utile et ratum tua auctoritate censetur, postquam de metropolitana sede stillare videbimus, canonum statuta sequentes, nostræ propinare studebimus.*

13. Loca etiam sacra colebat Maurilius : nam præter ecclesiam metropolitanam, quam ab eo consummatam et solemniter consecratam diximus, Robertus comes Aucensis in charta fundationis sancti Michaelis de Ulteriori-portu, hoc monasterium a se conditum fuisse testatur consiliis potissimum Maurilii archiepiscopi Rothomagensis. Idem antistes chartæ Roberti Ebroicensis comitis subscripsit pro monasterio Sancti Salvatoris Ebroicensis sanctimonialium ordinis nostri, quod ab eodem comite sedente Maurilio conditum est. Contendunt etiam nostri Divenses monasterii sui ecclesiam, sanctæ scilicet Mariæ supra Divam, ab eodem beato antistite fuisse consecratam : quod innuere videtur Ordericus Vitalis libro IV. Idem telonei apud Andeleium, juris sui dominium, immunitatem concessit monachis Sancti Petri Carnotensibus, ut ex ejus charta patet apud Sammarthanos edita.

14. Nec minus curabat ut viri pii et ad ministerium sacrum idonei ecclesiis præficerentur. Walkelinum a Guillelmo Anglorum rege Wintoniensi sedi ejus opera præfectum fuisse asserunt, quem antistitem tanti viri commendatione haud indignum fuisse testatur Willelmus Malmesburiensis libro III ubi de eo ait : *Walkelinus . . ., cujus bona opera famam vincentia, vetustatem oblivionis a se repellent, quandiu sedes episcopalis Wintoniæ durabit,* etc. Theodericum vero Uticensem abbatem, cujus elogium supra dedimus ad annum 1058 monasterii regimen dimittere cogitantem, aliquandiu impedivit. Cum enim pius ille abbas ob turbas in monasterio suo exortas baculum pastoralem Willelmo duci reddidisset, dux causam scandali Maurilio indagandam commisit. Quare anno 1056, ut narrat Ordericus lib. III, Maurilius, Hugo Lexoviensis episcopus, Ansfridus Pratellensis abbas et Lanfrancus Becci prior, aliique viri illustres Uticum convenere, ibique apostolorum Petri et Pauli solemnitate peracta, *auditis et solerter discussis dissensionum fomentis, Theodoricum abbatem præesse jusserunt, atque Robertum* loci priorem, qui tumultus in monasterio excitabat, *ut Patri suo obtemperaret copiosa sermocinatione admonuerunt.* Sed diu non stetit illa pax : vix enim unus annus abierat, cum iterum emerserunt nova dissidia. Quare Theodericus, vere paris filius, onus regiminis coram *mœstis præsulibus,* inquit laudatus auctor, libro VI, *Maurilio Rothomagensi, et Hugone Lexoviensi deposuit.*

15. Maurilio suum etiam debet Anselmum ordo monasticus : quippe cum ille animo fluctuaret de vivendi forma quam sequeretur, Lanfrancum tunc temporis Becci priorem consuluit quid esset facto opus. *Lanfrancus,* inquit Eadmerus initio libri I De Anselmi Vita, *differt sententiam ferre, suadetque negotium ad venerabilis Maurilii Rothomagensis epi-*

Digitized by Google

scopi audientiam magis referre. Acquiescit Anselmus, simul Rothomagum pergunt, archiepiscopumque adeunt ; cui cum Anselmus animi sui anxietates exposuisset : *Nec mora*, inquit Eadmerus, *monachicus ordo præ cæteris laudatur, ejusque propositum omnibus aliis antefertur. Anselmus hæc audiens et approbans, omissis aliis, sæculo relicto, Becci monachus factus est anno ætatis suæ vigesimo septimo.* Eumdem postea, priorem monasterii electum, a dimittenda fratrum suorum cura avertit, ut idem Eadmerus narrat. *Sed cum*, inquit, Anselmum *inter hæc diversa diversorum negotia fatigarent, et nonnunquam illius mentem a sua quiete turbarent, consilium super his a supradicto venerandæ memoriæ archiepiscopo Rothomagensis Ecclesiæ Maurilio postulaturus Rothomagum venit. Cumque sui adventus causam pontifici exponeret, ac inter verba pro amissa sui status tranquillitate vehementissime fleret, ab onere prælationis, quod sibi fatebatur importabile, ut relevari mereretur magnopere cœpit rogare. At ille, sicuti vir magnæ sanctitatis : Noli, inquit, fili mi charissime, quod quæris quærere, nec te a subvectione aliorum tui solius curam gerens velis retrahere. Vere etenim dico tibi me de multis audisse, multosque vidisse qui, quoniam, causa suæ quietis, proximorum utilitati per pastoralem curam invigilare noluerunt, per desidiam ambulantes semper de malo in pejus profecerunt. Quapropter, ne tibi, quod absit ! hoc idem contingat, per sanctam obedientiam præcipio quatenus prælationem quam nunc habes retineas, nec eam, nisi tuo jubente abbate, quomodolibet deseras ; et si quando fueris ad majorem vocatus, eam suscipere nullatenus abnuas. Scio enim quod in hac quam tenes non diu manebis, verum ad altiorem prælationis gradum non post multum proveheris. Quibus auditis : Væ, inquit, misero mihi ! In eo quod porto deficio ; et si gravius imponitur onus, rejicere non audeo. Repetit præsul edictum, et, ut primo, jubet ne transgrediatur.*

16. Meritis itaque plenus et annis antistes Maurilius e vivis excessit anno 1067. Qua in re consentiunt omnes veteres simul et recentiores historici, præter unicum Fiscamnensem chronographum, tomo I Bibliothecæ novæ Labbei, in quo beati viri obitus anno sequenti mendose consignatur. Eum *anno* 1067, v *Idus Augusti cum suo rege Christo jam victurum liberum et gaudentem decessisse* scribit Guillelmus Gemeticensis, libro VII, cap. 38, quem *annis duodecim tempore Victoris, Stephani, Nicolai et Alexandri paparum* floruisse ait Ordericus Vitalis libro V, breveque ipsius elogium his duobus versibus comprehendit.

Præsul Maurilius, doctrinæ luce refertus,
Moribus eximiis præfulsit, et actibus almis.

At libro IV ad annum 1067 de ejusdem sancti viri obitu paulo fusius agit, ibique refert epitaphium ipsius tumulo appositum. *Duodecimo*, inquit, *episcopatus sui anno in lectum decubuit. Peracto autem quidquid religioso Dei vernulæ competit*, V *Idus Augusti ad Deum, cui diu servierat, migravit. Corpus vero ejus in episcopali ecclesia, quam ipse ante annos quinque indictione* I *sanctæ Dei genitrici Mariæ dedicaverat, delatum est, et ante crucifixum honorifice tumulatum est. Epitaphium autem ejus a Richardo Herluini filio ejusdem ecclesiæ canonico editum est, et super ipsum in cupri laminis ex auro sic scriptum est :*

Humani cives, lacrymam nolite negare
Vestro pontifici, Maurilio monacho.
Hunc Remis genuit, studiorum Legia nutrix
Potavit trifido fonte philosophico.
Vobis hanc ædem cœptam perduxit ad unguem,
Lætitia magna fecit et encænia.
Cum tibi, Laurenti, vigilat plebs sobria Christi,
Transit, et in cœlis laurea festa colit.

17. Monasticæ vitæ exercitia Maurilium etiam archiepiscopum haud dimisisse præter alia argumenta ex eo probari potest quod vix nunquam ejus nomen apud coævos auctores absque monachatus mentione legatur. Hoc patet ex ejus epitaphio hic a nobis relato, sicut et ex aliis Guillelmi Gemeticensis et Orderici Vitalis quamplurimis testimoniis, quæ passim in hoc elogio protulimus. In Chronico Cadomensi legitur : anno 1067 *obit Maurilius Rothomagensis archipræsul, monachus Fiscamnensis.* Eadem verba habet Chronicum Rothomagense apud Labbeum, tomo I Novæ bibliothecæ. Et Guillelmus Conquæstor morti proximus, ut jam supra ex Orderico observavimus, *Maurilium venerabilem cœnobitam* Ecclesiæ Rothomagensi archiepiscopum procurasse sibi gratulatur.

18. Hic porro rem miram omittere non licet, quam, referente Willelmo Malmesburiensi, libro III De gestis regum Angliæ, paulo ante Maurilii obitum contigisse discimus. Quam etiam ex codice ms. sancti Victoris Parisiensis noster Hugo Menardus in Appendice ad observationes in Martyrologium Benedictinum descripsit, et Pomeraius in Historia archiepiscoporum Rothomagensium ex altero ms. codice, scilicet ex bibliotheca cathedralis Ecclesiæ Rothomagensis, gallico idiomate edidit ; sed eam Willelmi, utpote auctoris antiquissimi, verbis referimus. Sic itaque habet : *Malgerio successit Maurilius Fiscamnensis monachus, multis virtutibus, sed maxime abstinentia laudatus. Is post bene et sancte actam vitam, cum ad extremum, Deo vocante, venisset, vitali privatus halitu, ferme dimidia die jacuit defunctus. Verumtamen cum jam pararetur in ecclesiam ferri, anima resumpta circumstantes lacrymabili gaudio perfudit, stupentes hoc sermone corroborat : Attenti animo estote, ultima pastoris vestri verba excipientes. Naturali morte resolutus fui, sed ut vobis intimarem quæ vidi reductus sum ; nec aliquanto diutius subsistam, quia in Domino soporari delectat. Ductores spiritus mei vultibus et vestibus ad omnem elegantiam erant compositi, concordabat verborum lenitas cum nitore vestium, ut nihil desiderarem præter talium virorum obsequium. Itaque blandis*

Digitized by Google

assentationibus gavisus, ibam, ut vere mihi videbatur, versus Orientem. Promittebatur mihi sedes paradisiaca non multo post intranda; in momento præterita Europa, ingressi Asiam, venimus Jerosolymam, ibi sanctis adoratis Jordanem pertendimus: citerioris ripæ accolæ, ductorum meorum contubernio misti, lætum cœtum fecere. Ego visendi ulteriora studio transitum maturabam. Tunc comites Deum præcepisse ferunt ut ante dæmonum visione terrificarer, quatenus veniales culpæ, quas confessione non dilueram, pavore horrendarum formarum purgarentur. Cum dicto astitit alteri parti tanta dæmonum vis hastilia acuta vibrantium, ignes efflantium, ut ager ferreus, aer flammeus videretur. Eorum horrore ita sum affectus, ut si terra dehisceret, si cœlum patesceret, tuto mihi utrobique refugiendum non æstimarem. Ita meticulosus, dum quo vadam dubito, repente, ut [*al.*, ad] *hæc dicens vestræ saluti nisi negligitis consulerem, halitum recepi confestim effusurus. Dixit, et cum verbo pene spiritum emisit. Corpus in ecclesia Sanctæ Mariæ tunc humi defossum, miraculo, ut aiunt, divino, altius tribus pedibus super terram elevatum est.*

19. Cum vero Maurilii mors adeo pretiosa in conspectu Dei fuerit, mirum non est si ejus sanctitatem posteri agnoverint, quem etiam *sancti*, aut *beati* titulo donare veriti non sunt. *Sacer Maurilius* ab Orderico dicitur, libro III. Rothomagensem Ecclesiam *sancto ac venerabili archipræsule Maurilio* viduatam fuisse scribit Milo, cap. 5, auctor Vitæ sancti Lanfranci, ipsi synchronus. Eum Trithemius in Chronico Hirsaugiensi editionis sancti Galli, ad annum 1064, *virum sanctissimæ conversationis* appellat, qui *propter doctrinam et vitæ meritum* Malgerio archiepiscopo substitutus fuit. Tum de eo sic scribit: *Virtutibus et miraculis clarus habetur, cujus Gesta conscripta sunt.* In veteri editione: *Sanctus Maurilius ex monacho cœnobii Fiscamnensi ordinis nostri archiepiscopus... vir multarum virtutum decore ornatus, charitatis abstinentiæque cultor insignis, de cujus sancta conversatione præcelsa laudum præconia feruntur.* Eadem fere repetit libro quarto De viris illustribus ordinis nostri cap. 120. Hinc nomen ejus in variis Martyrologiis Gallicanis et monasticis inscriptum reperitur, die 9 Augusti, quo defunctus est: quamvis alii, occasione alterius Maurilii, memoriam ejus die 13 Septembris recolant, atque hac ipsa die apud Ferrarium memoratur. Bucelinus eum utraque die celebrat, imo et die 26 Februarii Maurilium monachum Fiscamnensem memorat, quasi is alius esset ab archiepiscopo: cui visionem, quam supra ex Willelmo Malmesburiensi descripsimus, attribuit. Eum etiam hac occasione memorat Bollandus inter prætermissos die 26 Februarii. Eumdem sanctum antistitem fratres Sammarthani et noster Pommeraius in archiepiscopis Rothomagensibus, Marlotus in metropoli Remensi, aliique passim auctores, quos singillatim recensere inutile foret, multis laudibus celebrarunt.

20. Nondum tamen ullum in Rothomagensi diœcesi officium publicum beatus Maurilius obtinuit, quamvis ejus sepulcrum, quod vulgo *tumba sancti Maurilii* appellatur, apud Rothomagenses, præsertim a metropolitanæ ecclesiæ clero veneratione semper habitum fuerit, quod etiam statis diebus solemniter thurificari ex antiqua traditione mos erat. Sed cum, anno 1480, Rothomagenses canonici Guillelmo cardinali de Stotavilla tunc archiepiscopo concessissent ut ibidem sepulcrum sibi construeret, effossa humo loculus lapideus inventus est, in quo, præter beati viri ossa, particulæ ligneæ crucis, ac sacrarum vestium aliquot reliquiæ supererant. Positus est tamen ibi cardinalis tumulus, in quo anno 1483 cor ejus conditum est; sed hæc omnia Calviniani sectæ hæretici anno 1562 violaverunt; nec deinceps ulla beati viri reliquiarum aut sepulcri memoria superfuit.

MAURILII ARCHIEPISCOPI ROTHOMAGENSIS

ET

JOANNIS ABBATIS FISCAMNENSIS

EPISTOLA

AD EPISCOPUM EBROICENSEM.

Conqueruntur quod inconsulto abbate monachum ob infractam treviam mulctaverit.

(Marten. *Anecd.*, t. I, p. 206.)

Sanctæ matris Ebrocacensis Ecclesiæ reverendissimo episcopo M. Rothomagensis Ecclesiæ humilis archiepiscopus, abbas quoque Joannes Fiscamnensium servulus, recte offerre et dividere rectius.

Digitized by Google

Audivimus vestram fraternitatem quemdam monachum exterminio damnavisse, eo quod treviam Dei comperiebatur infregisse; quod bene vos fecisse laudamus, sed incaute illud inspexisse judicamus. Nec enim S. Benedicti institutio ullius legis præscribitur judicio. Propterea, frater charissime, recte offerre, et rectius præcipimur dividere. Auream ergo virtutem sequamur, discretionem scilicet, quæ omnium virtutum dicitur mater. Quando enim abbati cura animarum imponitur ab episcopo, pastoralitas ovium Christi sibi traditarum ei commendatur omnimodo. Nisi enim ab abbate episcopus invitetur pro qualicunque negotio, nullum jus episcopus habere decernitur in ejus monasterio; si autem contra hæc quæ dicimus aliquis repugnare tentaverit, regulam Sancti Benedicti sibi proponimus.

MAURILII

PROFESSIO FIDEI DE SACRAMENTO CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI

(*Exstat supra, Vitæ B. Maurilii num.* 11.)

EPITAPHIA ROLLONIS ET GUILLELMI LONGÆ SPATHÆ

NORTMANNIÆ DUCUM,

AUCTORE MAURILIO ARCHIEPISCOPO.

(Orderic. Vital. *eccles. Hist.*, lib. V, apud Duchesne, *Script. Norman.*, pag. 567.)

I.

Epitaphium Rollonis

Dux Northmannorum, timor hostis, et arma suorum,
Rollo sub hoc titulo clauditur in tumulo.
Majores cujus probitas provexit, ut ejus
Servierit nec avus, nec pater, nec proavus.
Ducentem fortes regem multasque cohortes
Devicit Daciæ congrediens acie.
Frixonas, Waleros, Halbacenses, Hainaucos,
Hos simul adjunctos Rollo dedit profugos.
Egit ad hoc Fresios per plurima vulnera victos,
Ut sibi jurarent, atque tributa darent.
Bajocas cepit; bis Parisios superavit;
Nemo fuit Francis asperior cuneis.
Annis triginta Gallorum cædibus arva
Implevit, pigro bella gerens Carolo.
Post multas strages, prædas, incendia, cædes,
Utile cum Gallis fœdus init cupidis.
Supplex Franconi meruit baptismate tingi,
A Sic periit veteris omne nefas hominis.
Ut fuit ante lupus, sic post fit mitibus agnus;
Pax ita mutatum mulceat ante Deum.

II.

Epitaphium Guillelmi Longæ-Spathæ.

Quos defendebat Guillelmus, nemo premebat;
Auxilio caruit, lædere quem voluit.
Regibus ac ducibus metuenda manus fuit ejus
Belliger Henricus Cæsar eum timuit.
Rexit Northmannos viginti quinque per annos,
Militis atque ducis promptus in officiis.
Cœnobium pulchre reparavit Gemmeticense,
Et decrevit ibi ferre jugum monachi.
Fervidus invicti coluit normam Benedicti,
Cui petiit subdi plenus amore Dei.
B Distulit hoc abbas Martinus; diva potestas,
Sæva per arma mori prætulit omen ei.
Namque dolis comitis Arnulfi nectus inermis
Corruit. Æthereum possit habere Deum. Amen.

ANNO DOMINI MLXVII.

RAIMBALDUS

ARELATENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

Ex *Gallia Christiana*, vet. edit., tom. I, pag. 553.)

Pontio monasterium S. Victoris apud Massiliam ingresso successorem suppeditavit sacra illa congregatio, Raimbaldum videlicet Sancti Isarni abbatis alumnum. Is ex nobili ortus genere in Provincia, patrem habuit Bonifacium dominum de Relliana, matrem Vandelnusiam, ut docent nos tabulæ S. Victoris. Fratres ejus fuerunt Bonifacius, Fulco, Boso, Atanulfus. Propinquitate conjunctus erat cum Guillelmo et Fulcone, Massiliæ vicecomitibus. Cum sub S. Isarni abbatis disciplina plurimum profecisset, Arelatensi cathedra dignus judicatus est, ad quam eligitur anno 1031, indictione XIV, mense Au-

Digitized by Google

gusto, et Paulo post sedit in concilio Narbonensi. In pontificatu vero prioris instituti sui memor, dum nomen subscribebat, non solum archiepiscopi sed etiam monachi titulum addere solebat. Ea procul dubio ratione gratificatus est S. Victoris monasterio; dedit enim partem quam habebat in castro de Auriæ, anno 1035, indict. III; dedit quoque in manus Isarni abbatis, quo magistro vitam edoctus fuerat monasticam ecclesiam S. Genesii seu S. Honorati, retento pro altari S. Stephani vel S. Trophimi censu unius libræ incensi in ejusdem S. Trophimi festo. Observatione dignum est nomen et titulum S. Trophimi ecclesiæ Arelatensi post S Stephani nomen non fuisse adjectum ante pontificatum Pontii anno 1029, ut videre est in ejusdem charta, quem imitatus est Raimbaldus. Anno 1037 subscribit litteris Gauffredi et Bertrandi comitum Provinciæ pro Cluniacensi monasterio, ex ejusdem tabulis. Anno 1040, Idibus Octobris, adfuit dedicationi basilicæ S. Victoris Massiliensis opera Benedicti papæ IX. Eodem anno, indictione VIII, controversiam diremit inter Massilienses et Montis Majoris monachos, præsentibus Gaufredo et Bertranno comitibus, Willelmo et Fulcone vicecomitibus Massiliæ. Hoc ipso anno subscripsit chartæ Amelii Seneciensis episcopi pro S. Victore. Frequens est deinceps ejusdem mentio in Victorinis tabulis, ut supervacaneum videatur singulas percurrere; maxime cum alia notatione digniora supersint.

Anno circiter 1050 Raimbaldo subjectionem et reverentiam promisit, secundum præcepta canonum et patrum instituta, Pontius Aquarum Sextiarum archiepiscopus; testaturque Honoratus Bouche idem præstitisse Bertrandum Forojuliensem, Angelricum Regensem, Benedictumque Avenionensem, laudatque librum *sacramentalem* Arelatensem, sic dictum quod hujusmodi sacramenta contineat. Recensetur inter Patres conventus Barcinonensis anni 1054. An. 1056 (si bene conjectant Baluzius et Labbeus) pridie Nonas Septembris, cum Leodegario Viennensi, et legatis Narbonensibus, concilium celebravit episcoporum XXII apud S. Ægidium. Sed citius habitum fuisse pene certum videtur vel ex solo Lutevensium episcoporum indice. Constat hanc synodum actam esse pridie Nonas Septemb., et Tolosanam Idibus ejusdem mensis, anno 1056. Narbonensi apud S. Ægidium adfuit Bernardus episcopus Lutevensis, et Tolosanæ Rostagnus. Si eodem anno celebratæ sunt hæ synodi, inter utramque fluxerunt tantum novem dies. Qui vero fieri potuit ut tam brevi tempore duo fuerint Lutevenses episcopi, qui iis adfuerunt? Certe mortuo Bernardo non potuit fieri electio, nisi post facultatem metropolitani datam. Debuerunt convocari episcopi comprovinciales ad consecrationem novi episcopi. An satis fuit IX dierum spatium ad hæc omnia præstanda? Præfatæ synodo Tolosanæ præses delegatus est a papa noster Raimbaldus tanquam sanctæ sedis vicarius. An. 1060 præfuit concilio Avenionensi.

Non contentus benefacere in sua diœcesi, fundavit in Forojuliensi ecclesiam pro clericis, quos sub regulari norma constitutos, Ecclesiæ Romanæ semper esse subditos jussit, uti scribit ad Alexandrum papam II. Proindeque id minime factum ante annum 1061, quo inchoatur Alexandri pontificatus. Gratum fuit Alexandro Raimbaldi consilium, ideoque Ecclesiam Barjolensem sub Ecclesiæ Romanæ tutela suscepit; et in argumentum subjectionis annuum censum denarii aurei imperavit. Idem archiepiscopus ad canonicorum regularium institutum amplectendum majoris Ecclesiæ canonicos adduxit, quibus Willelmus, Massiliensis vicecomes, ampla latifundia et possessiones in Craudi campo donavit; quam ordinationem instauravit postea Aycardus archiepiscopus, ut apparet ex charta in archivo Arelatensi relata. Tandem benedixit 1065 ecclesiam S. Petri de Correns [*al.*, B. Mariæ de Correno] ubi monasterium erat constructum, ac in die consecrationis absolutionem a pœnitentia omnibus beneficia daturis huic ecclesiæ concessit; quo die anniversario, magna olim festivitate celebratum fuisse jubilæum Correnense patet ex tabula cœnobii Montis Majoris. Subscripsit litteris Almodis comitissæ Ruthenensis, Nemausensis, etc., quibus subdit monasterium S. Ægidii, abbati Cluniacensi; dat. an 1066, VIII Kal. Januarii. In subscriptione se simul dicit archiepiscopum Arelatensem, et Romanæ Ecclesiæ vicarium. Eumdem vitam produxisse usque ad annum 1067 probant litteræ Hieronymi cujusdam, quas ex magno chartulario S. Victoris erudit vir Cl. Antoninus de Ruffi, et ad nos pro solita mis.t humanitate.

Attamen idem Ruffius contendit Raimbaldum an. 1060 jam cessisse sedem Aicardo, quo anno, inquit, subscripsit hic cuidam chartæ, quam legit ipse Ruffius. Aliunde pro certo habetur Raimbaldum mature ante mortem deposito pastorali onere monasticam in cœnobio Victorino vitam iterum esse amplexum. Ut vero quæ sit nostra sententia depromamus, manifestum nobis videtur Raimbaldum vitam produxisse usque ad annum 1067. Ante mortem quidem statui monastico rursus sese addixit; sed quo tempore, non audemus definire. In electione Bernardi abbatis II S. Victoris an. 1065, nomen subscribens, archiepiscopum se simul et monachum dicit. Toto illo tempore aut nulla, aut certe rara Aicardi successoris ejus memoria. Dies depositionis Raimbaldi notatur XIII Martii in Necrologio Canonicæ (*La Canourgue*).

Digitized by Google

RAIMBALDI DIPLOMATA.

I.

Privilegium pro monasterio S. Victoris.

(Anno 1035.)

[*Gall. Christ.*, t. I, Instrum., p. 95.]

Omnipotentem Deum cum ineffabili providentia suo velle liqueat creasse cuncta, exstat homini datam ad possidendam terram, simulque subsistentia in ea vel ex ea. Quocirca ego Raimbaldus, gratia Dei sedis Arelatensis præsulatus honore sublimatus, enorme scelus meum considerans plurimum, necnon discussionem futuri peccatorum judicii; territusque immanes flammarum gehennalium, etc. Igitur horum memor, terrorem judicis formidans, clementiam Redemptoris amplectens, terram meæ potestatis meæque ditionis omnipotenti Deo, Sanctique Victoris martyris monasterio haud longe a mœnibus Massiliæ fundato, abbatibus ac monachis futuris et præsentibus ibidem Deo servientibus statui donandam, et perpetim habendam, videlicet de castro quod vocatur Auriol omnem meam partem quam ego ibi habeo, vel alius pro me, vel excepto alode jam dato in villa et castello, et omni territorio in cultis, et in eremis, in vineis et pratis, pascuis, et silvis, garricis et oglatis, cum cunctis molendinis ad meam partem de alode et feu (*f.*, feudo), exceptis duobus mansis, quos dedi Aldoardo et Pontio. In omnibus igitur et per omnia de supradicto castro et de omnibus appendiciis ejus quæ pertinent ad meam, ut ita dixerim, friscam, dono Sancto Victori perpetualiter hæc omnia meorum timore peccatorum, simul et æternorum amore præmiorum, venerabili loco, cœtui fratrum sancto, trado possidenda, habenda, vel tenenda, pro animæ meæ, genitorumque meorum remissione omnium peccatorum. Ullus vero nostrorum parentum, sive fratrum, quicunque personarum, si habuerit velle donum hoc annulare, non valeat implere, sed componat in vinculo decem libras de auro, itaque Dei summi faciat assumi pœnas perennes pati, et in infernum trudi, et deinceps hoc donum perpetuum ac firmum permaneat in ævum.

Acta est hæc donatio anno ab incarnato Domino 1035, indictione III.

Ego Raimbaldus cum hæredibus meis hanc chartam fieri jussi et firmare rogavi. Bonifacius frater meus me precante firmavit, et cæteri qui sequuntur: Willelmus vicecomes Massiliæ, una cum filiis suis domno Pontio episcopo, Aicardo et Fulcone, Stephano et Bertranno firmaverunt. Autrannus firmavit. Pontius de Lambisco firm. Guiquiramus firm. Fulco firm. Majolus firmavit; Noe firm. Rainaldus firm. Arenul. firm. Bonifacius firm. Faraldus firm. Guisla firm. filius suus Pontius Milo firm. Pontius Autrico firm. Rostagnus Willamuro firm. Bonporus firm.

II.

Absolutio a pœnitentiis impertitur in consecratione Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Correno quæ dotatur.

(Anno 1065.)

[Apud Acherium, *Spicil.* t. VI, p. 441.]

Raimbaldus servus servorum Dei, apostolica auctoritate omnibus tam clericis quam laicis salutem, adjutorium quoque pœnitentibus concedo. In benedictione ecclesiæ Sanctæ Trinitatis, et Sanctæ Mariæ, Sanctique Joannis ac Sancti Petri in Correns, et in ejus consecratione talem absolutionem concedimus, ut quicunque beneficia daturus hanc ecclesiam ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur; et pœnitens qui ad eam in consecratione ejus advenerit, tale remedium sibi percipiat; tertiam partem pœnitentiæ illi dimittimus, et ecclesiam usque ad caput anni ei reddimus et pacem, et capillos incidere habeat; et si mors in capite anni evenerit, vel insuper annum, ex nostra parte absolutus permaneat; et si in alio anno annualiter vel insuper annum, in ea absolutione permaneat. Quam absolutionem a sancto Petro accepimus, cui, ut fere omnis catholicus orbis agnoscit, potestas cœlitus est collata, quemvis solvat..... vinculis, et liget quos vult in cœlo et in terra, et cui vult dimittat, et quem vult perdat. Quapropter, nobis concedentibus, quicunque bonum huic loco fecerit, talem benedictionem accipiat, sicut superius diximus. Et qui ad hanc ecclesiam ierit, securus ab omnibus inimicis suis vadat, et qui ei aliquid impedimenti præstiterit, sciat se excommunicatum et anathematizatum. Si quis itaque, quod non optamus, temerario ausu contra hanc nostram præceptionem ire conatus fuerit, et in villa quæ vulgo Coreno dicitur, offenderit, si infra quadraginta dies ad emendationem non venerit, sciat se maledictum omnibus maledictionibus quæ in Novo et Veteri continentur Testamento, etc.

III.

Charta pro Sancto Victore a Raimbaldo Arelatensi archiepiscopo confirmata.

(Anno 1069.)

[*Gall. Christ. ibid.* p. 555.]

Ego Jeronimus Rainois quondam filius et Mirmanda uxor mea, in præsentia D. Raimbaldi Arelatensis urbis archiepiscopi donamus S. Victori mansiones quas in urbe supradicta habere videmur, juxta Ecclesiam S. Genesii, superque Rodani fluminis ripam, anno 1067. Ego Jeronimus et uxor mea et frater meus Boso hanc donationem firmavimus Domnus archiepiscopus Raimbaldus firmavit. Ugo

Digitized by Google

de Bale firmavit. Volveradus et Amelius frater ejus firmavit. Fulco frater archiepiscopi firmavit.

IV.

Sermo et confirmatio sanctorum Patrum sanctæ treuvæ Dei.

(Anno 1041.)

[Edidit Dom MARTENE *Thes. Anecd.* I, 161, ex ms. Talveræ.]

In nomine Dei Patris omnipotentis, et Filii, et Spiritus sancti, RAIMBALDUS, Arelatensis archiepiscopus, cum BENEDICTO Avenionensi, et NITARDO Nicensi episcopis, nec non et venerabili abbate domno (1) ODILONE una cum omnibus episcopis et abbatibus, et cuncto clero per universam Galliam habitantibus, omnibus archiepiscopis, episcopis, presbyteris, et cuncto clero per totam Italiam commorantibus, gratia vobis et pax a Deo Patre omnipotente qui est et qui erat et qui venturus est.

Rogamus vos et obsecramus, omnes qui timetis Deum et creditis in eum et ipsius sanguine redempti estis, ut caveatis et provideatis vos ad salutem animarum et corporum, et sequamini vestigia Dei, pacem habentes ad invicem, ut cum ipso mereamini pacem et tranquillitatem perpetuam possidere. Recipite ergo et tenete pacem, et illam trevam Dei, quam et nos, divina inspirante misericordia, de cœlo nobis transmissam jam accepimus et firmiter tenemus, ita constitutam et dispositam, videlicet ut ab hora vespertina diei Mercurii inter omnes Christianos amicos et inimicos, vicinos et extraneos, sit firma pax et stabilis treuva usque in II feriam, id est die lunæ ad ortum solis, ut istis quatuor diebus ac noctibus omni hora securi sint, et faciant quidquid erit opportunum ab omni timore inimicorum absoluti, et in tranquillitate pacis et istius treuvæ confirmati. Quicunque hanc pacem et treuvam Dei observaverint ac firmiter tenuerint, sint absoluti a Deo Patre omnipotente et Filio ejus Jesu Christo, et Spiritu sancto, et de sancta Maria cum choris virginum, et de S. Michaele cum choris angelorum, et de S. Petro principe apostolorum cum omnibus sanctis et fidelibus cunctis, nunc et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Qui vero treuvam promissam habuerint, et se sciente infringere voluerint, sint excommunicati a Deo Patre omnipotente, et Filio ejus Jesu Christo et Spiritu sancto, et de omnibus sanctis Dei sint excommunicati, maledicti et detestati, hic et in perpetuum, et sint damnati sicut Dathan et Abiron, et sicut Judas qui tradidit Dominum, et sint dimersi in profundum inferni, sicut Pharao in medio maris, si ad emendationem non venerint, sicut constitutum est. Videlicet si quis in ipsis diebus treuvæ Dei homicidium fecerit, exsul factus, atque a propria patria ejectus, Jerusalem tendens, longinquum illic patiatur exsilium. Si vero in aliis quibuslibet rebus supradictam treuvam Dei et pacem fregerit, examinatus per decreta legum sæcularium, juxta modum culparum cogatur persolvere, et per sanctorum canonum regulas duplicata pœnitentia judicabitur. Quod ideo dignum ducimus, ut, si promissionem illic factam in aliquo corrumpere præsumpserimus, mundano et spiritali judicio dupliciter condemnemur. Credimus namque istam causam a Deo nobis cœlitus inspiratam divina opitulatione, quia apud nos, ut credimus, nihil boni agebatur, quando a Deo populo suo transmissa est. Dominica certa dies non celebrabatur, sed cuncta servilia opera in ea fiebant. Promisimus itaque Deo ac devovimus quatriduum, ut supra diximus, ut V feria propter ascensionem, VI feria propter Christi passionem, Sabbatum pro veneratione sepulturæ, et ut Dominica resurrectio inviolabiliter celebraretur, ab omnibus rurale opus in ea omnino non fieret, inimicus inimicum non formidaret, secundum auctoritatem a Deo collatam et ab apostolis traditam. Omnes qui hanc pacem et Dei treuvam amaverint benedicimus et absolvimus, sicut superius dictum est. Illos autem qui contradicunt, excommunicamus, maledicimus et anathematizamus, et a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ eliminamus. Cum autem evenerit cuiquam vindicare in eos qui hanc chartam et Dei treuvam irrumpere præsumpserint, vindicantes nulli culpæ habeantur obnoxii, sed sicut cultores causæ Dei ab omnibus Christianis exeant et redeant benedicti. Si vero residuis diebus aliquid sublatum fuerit, et in diebus treuvæ obviaverit, omnino non teneatur, ne occasio inimico data videatur. Præterea rogamus vos, fratres, ut in quacunque die apud vos prædicta pax et treuva constituta fuerit, ipsum diem devote recolatis in nomine sanctæ Trinitatis. Latrones quoscunque de vestra regione ejiciatis et abominemini, maledicatis et excommunicetis ex parte omnium sanctorum qui supra scripti sunt. Decimas vero vestras et primitias de laboribus vestris Deo offeratis. De bonis vestris ad ecclesias deportetis pro salute vivorum et defunctorum, ut Deus vos liberet ab omnibus malis in hac vita, et post hanc vitam perducat vos ad regna cœlorum, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

V.

Charta Raimbaldi, qua ecclesiam Sancti Genesii et Sancti Honorati, dat Victorinis monachis.

(*Gall. Christ.* nov. edit. I, 95, ex chartario S. Cæsarii.)

Omnipotentis Dei incomprehensibili dispositione adeptus hujus sanctæ sedis Arelatensis pontificale culmen, multa subinde mecum de eodem regimine cœpi in animo evolvere, etc. Unde quadam die de religioso loco in honorem Sancti Genesii vel Sancti Honorati constructo, foras muros nostræ civitatis

(1) Hugo Flaviniacensis abbas trevam auctore S. Odilone in primis firmatam fuisse anno 1041 disertis verbis asserit in Chronico, eamque non solum humana auctoritate, sed etiam divinis terroribus confirmatam.

Digitized by Google

posito, multa volvens mecum in animo, quomodo de tam spiritali prisci temporis monachorum officio versus esset in possessionis sæcularis servitio, mecum tractavi ut illum locum darem monasterio sancti Victoris de Massilia, in quo constitueret Isarnus abbas monachos in Christi servitia. Igitur ego Raimbaldus, gratia Dei in præsulatus honorem sublimatus, ipsam ecclesiam Sancti Genesii cum omnibus sibi subjectis ecclesiis, et cætera omnia quæ in præsenti videntur tenere, et quidquid in futuro potuerit acquirere, de ipsis rebus quas jam tenuit, vel unde quoque aliunde acquisierit, exceptis illis laicalibus feudis, et quidquid laici illi ex ipsis suis feudis abbati congregationis cesserunt, cum eo consilio, vel cæterorum episcoporum meorum successorum, totum in manus Isarni abbatis S. Victoris Massiliensis tradimus, donamus, cedimus jure perpetuo, nobis in hoc consentientibus totius provinciæ principibus seu comitibus Josefredo atque Bertranno, et nostræ sedis canonicis Arelatensibus, Poncio Massiliensi episcopo, cum fratribus; tali ratione ut a monachis vel ab abbate census per singulos annos reddatur altari Sancti Stephani vel Sancti Trophimi, libra una incensi in festo sancti Trophimi. Id ipsumque enim, quod inspirante Deo egimus, sacrorum canonum et legalis jubet auctoritas, ut de rebus episcopii construatur monasterium.

ANNO DOMINI MLXVII.

GERVASIUS
REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex *Gallia Christiana*, nov. edit. t. X.)

Præsulem hunc, quem plerique omnes laudant, Willelmus abbas Metensis vehementer et inimice insectatus est maledictis, *tyrannum* etiam illum vocans; et tamen abbas ille prædicatur fuisse vir Deo deditus, et sanctissimæ vitæ; non diffitendum, tamen est illum, si fides adhibenda sit historiæ beati Theoderici abbatis Andaginensis, quamvis *ad omnia sagacem et strenuum, episcopatuque dignum, natura tamen et moribus plusquam oportuerit ferum, immitem et truculentum* fuisse. Natus est ille anno 1007, id est forte 1008, non Februar. apud Castrum Ledi, parentibus Hamelino seu Aimone domino Castri Ledi et Hildegarde seu Hildeburge de Bellismo, sorore Avesgandi episcopi Cenomanensis. Avesgando avunculo successit in episcopatu, anno 1036; sed vix episcopale solium conscenderat, inquit Marlotus, cum Herbertus, cognomine Baccho, qui jamdudum Avesgando molestus fuerat, ei insidias struit, et inaudita tyrannide ab ingressu urbis Cenomanensis per duos annos excludit. Subinde Godefridus Andegavensis, cui episcopium Gervasius quandiu superstes esset, Herberti pravitate denuo fatigatus promiserat, ei ex amico hostis factus est; nam se delusum arbitratus castellum Ledi obsidione cinxit, tum prætextu ineundæ pacis Gervasium ad familiare colloquium alliciens eum subdole cepit, atque in vinculis captivum per septem annos detinuit, ut ex actis concilii Remensis sub Leone IX colligitur; ubi Godefrido sub anathemate injunctum ut Gervasium libertate donaret: quam tamen ille non est assecutus quin prius castellum Ledi quod sibi patrimonii jure obvenerat, etiam nolens cederet. Ex longo et tædioso carcere Gervasius ereptus in Northmanniam secessit, ubi, a Guillelmo duce comiter exceptus, auro, argento, honore, multisque prædiis cumulatur. Fama ejus per universam Galliam crebrescente, rex tantum præsulem allicere ac beneficiis sibi devincere cupiens, eum primo a consiliis esse voluit; tum Gindone archiepiscopo fatis cedente, Remenses infulas ei cupidissime conciliavit, quas annuente clero et populo adeptus est idib. Octobr. anno 1055.

Quadriennio post, x Kal. Jun. ipso die Pentecostes, Philippum I, rege Henrico patre præsente, inunxit, astantibus viginti quatuor episcopis, ac Nicolai V papæ legatis. Rem gestam exponit vetus charta, quam a tomo II Libertatum ecclesiæ Gallicanæ transcribi curavimus inter instrumenta. Hanc autem nactus occasionem Gervasius, vindicavit sibi totius Galliæ primatum, potestatem consecrandi reges Francorum et summum cancellariatum quem antecessores sui obtinuerant. Cæterum ex charta illa cui concinunt aliæ numero quamplurimæ, præter Albericum Trium Fontium, Chronicon Remense, et appendicem ad chronicon Mosomagense, constat Gervasium sedere cœpisse anno 1055; quod si quibusdam aliis instrumentis repugnare videtur, in horum notis chronologicis mendum irrepsisse necesse est scribarum aut librariorum vitio. Videtis infra quæ ea de re dicturi sumus in abbatia S. Dionysii Remensis. Exstant plurimæ ad Gervasium litteræ Stephani X papæ, qui illum pro religione fortiter

Digitized by Google

agere invitat, auxiliumque sedis apostolicæ non deluturum pollicetur, postquam sibi cum illo amicitiam optavit perpetuam, hortaturque eum ut ad Romanam synodum conveniat : item Nicolai II, jubentis Bellovacensem episcopum, Simoniace, ut credebatur, promotum, cum Silvanectensi ejusdem criminis reo ab officio suspendi : item Alexandri II, quibus eum hortatur ut in causa abbatissæ e Laudunensi monasterio injuste ejectæ cognoscenda, Elinando episcopo juxta tenorem commissionis apostolicæ assistat; prohibet etiam ne consacret Josselinum Suessionensem episcopum de Simonia convictum; Bellovacensem corrigi, et Ambianensem ob injuriam Corbeiensi abbatiæ illatam ad satisfactionem adigi præcipit; corpus denique S. Memmii, ab ecclesia sua indebite per Catalaunensem antistitem translatum ad propriam basilicam, comminatione censurarum ecclesiasticarum referri demandat. Duæ quoque a Gervasio scriptæ leguntur epistolæ; altera anno 1060 ad Nicolaum II, post fundationem seu potius restaurationem monasterii S. Martini a Campis Parisiensis, cui subscripsit, et mortem Henrici I regis; altera anno 1061 ad Alexandrum II; quibus obsequium suum erga sedem Romanam aperte significat. Scripsit etiam de miraculis S. Melanii episcopi Redonensis. Vitam denique S. Donatiani archiepiscopi Remensis dicitur composuisse.

Sed in hoc sibi maximam laudem peperit, quod et numeretur inter fundatores ecclesiæ Castri-Ledi, diœcesis Cenomanensis, et tres in urbe sua metropolitana ecclesias in integrum restituerit. Ac primum quidem basilicam Sancti Nicasii, cujus patentes undique ruinas, deturpatamque intus et foris elegantiam et venustatem non potuit sine lacrymis intueri, reparavit suis impendiis anno 1060. Deinde in ecclesia SS. Timothei et Apollinaris canonicos duodecim fundavit anno 1064, opem ferentibus Remigianis monachis, ad quos illa pertinebat. Denique apud S. Dionysium et basilicam renovavit, et canonicos regulares introduxit anno 1067. Guidonem ordinaverat 1063 aut 1064 episcopum Bellovacensem, et chirographo suo firmaverat anno 1065 instrumenta Balduini comitis Flandriæ et Philippi I regis Franciæ de instauratione cœnobii Hasnoniensis.

Obiit IV Non. Kal. anno 1067, post datum in extremis, cum sacrum viaticum perciperet, eximium fidei suæ argumentum. Id ex codice Remensis Ecclesiæ conscripto ab Odelrico præposito, qui rei gestæ interfuit, totidem verbis referre juvat : « Anno episcopatus domni Gervasii XII nondum finito, sed in ipsis Idibus Octobris si viveret finiendo, in Kal. Jul. festivitate SS. Petri et Pauli ad vesperum aggravatus infirmitate qua post sexto die mortuus est, prædictus domnus Gervasius archiepiscopus fecit ad se fratres et canonicos convocari qui tunc inveniri poterant. Quibus accersitis et præsentibus credulitatem suam aperuit, et ut vere catholicus confessionem suam fecit; sicque postea communicavit de sacrificio altaris Domini. Nobis quoque ut ei ante Deum testes fuissemus quod idem vere corpus et sanguinem credidisset injunxit et postulavit. Post hæc, ut in eadem membrana legitur, admonitus ut Ecclesiæ Remensi ob damna ab ipso illata faceret satis, *vadium dedit Odolrico præposito* promisitque si superviveret omne emendaturum. Idem etiam promissum fecit Herimaro S. Remigii abbati. In eodem codice Gervasius multa Remensi ecclesiæ ornamenta contulisse dicitur, quæ omnia recensentur; insuper fratribus ecclesiæ Remensis ad anniversarium suum faciendum dedisse quatuor molendinos bene instructos ad Duos pontes super Vidulam, etc. In veteri Necrologio quod in eodem codice habetur, IV Non. Jul. decessisse perhibetur domnus Gervasius archiepiscopus, qui dedit S. Mariæ molendinos citra pontem ad dividendum canonicis quidquid inde exierit in anniversario suo. Qui dies convenit iis quæ modo de ejus obitu retulimus; indeque patet falli Marlotum qui eum mense Aprili obiisse dicit. Locus sepulturæ ejus adhuc visitur, inquit idem Marlotus, sub lapide nigro in odeo majoris ecclesiæ prope aquilam, cui breve hoc insculptum legitur epitaphium :

GERVASIUS ARCHIEPISCOPUS.

Exoriæ virtutis vir, ac inter eos qui in Gallia illo sæculo claruerunt longe celebris, solers, munificus, sapiens, laudumque omni genere cumulandus. Hic siquidem turbato regni statu, majoris momenti negotia, ut summus cancellarius, digne administravit, cavitque ne schisma ac simoniæ labes Ecclesiam Gallicanam inficeret. Liberalitas ejus eluxit quam maxime in monasteriorum SS. Dionysii et Nicasii restauratione, quorum opem statim post obitum expertus est, doctrina in elucubratione Vitæ sancti Donatiani ex Colvenerio, pietas in obsequio sanctæ sedi apostolicæ jugiter et opportune præstito; hunc Chronicon Floriacense strenuissimum virum appellat, post auctorem Vitæ sancti Melanii Redonensis, Guibertus de Novigento famosissimum archiepiscopum, chartularium Sancti Dionysii Parisiensis pro Nogento nulli in regno sapientia et honestate secundum, Chronicon Sancti Nicasii virum catholicum, lingua facundum, justitia insignem, humilem ad merita, ad vitia rigidum; quæ omnia Breviarium Remense pauciоribus verbis contrahit.

GERVASII

EPISTOLÆ AD NICOLAUM II ET ALEXANDRUM II PONTIFICES ROMANOS

Vide supra in Nicolao II et infra in Alexandro II

Digitized by Google

GERVASII DIPLOMATA.

I.

Charta fundationis seu restitutionis duodecim canonicorum in ecclesia SS. Timothei et Apollinaris.

(Anno 1064.)

[*Actes de la province ecclésiastique de Reims*, II, 75.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Gervasius Dei gratia Remorum archiepiscopus, sanctæ Ecclesiæ tam præsentibus quam futuris fidelibus. Si utilitati et honestati ecclesiæ nobis a Deo commissæ diligenter intendimus, et quæcunque in ea [ad., E.P.] divinæ religionis cultum provida prædecessorum nostrorum vigilantia ordinata sunt, inconvulsa servamus, et quæ ex his negligentia, vel aliquibus infortuniis deperierunt reparare contendimus; patrisfamilias nostro decrevimus nobis talento multiplex lucrum reportaturos, et euge certissimæ remunerationis nos credimus audituros. Unde considerantes ecclesiam sancti Timothei martyris in municipio hujus sanctæ sedis, cui Deo auctore præsidemus, sitam, quondam clericorum numero et honestate religionis viguisse, sed partim adversis casibus, partim incuria ad titulum unius presbyteri esse redactam; ideoque ab archiepiscopo Adalberone, ut ex ejus reditibus hospitalitatis suppleretur utilitas, beati Remigii monasterio ad possidendum concessam; piæ sedulitatis opera adhibere curavimus ut eam in antiquum honestatis statum repararemus. Quapropter id notificantes Herimaro abbati, injunximus ut hoc nostræ voluntatis propositum commendaret effectui, et ipsam ecclesiam sancti Timothei cum suis reditibus stipendiariam Deo faciens, famulaturis inibi clericis, ex aliis possessionibus sancti Remigii in suo cœnobio supplementum repararet hospitalitatis. Qui libenter nostræ ordinationi paruit, et sub nostro auctoritatis privilegio duodecim canonicos in eodem loco aggregavit, utque regulariter ibidem divino insisterent servitio canonicam præbendam eis instituit. Hæc ergo constitutio ut fieret efficacior, nos quoque ipsius ecclesiæ altare ad augmentum stipendii eorum perpetualiter ipsis esse proprium constituimus; et quandiu illic fuerint canonici, ne quisquam successor noster eis illud auferat sub divina auctoritate interdicimus. Præterea ratum esse volumus ut sint immunes ab omni archidiaconorum et archipresbyterorum exactione, positi tantum sub sancti Remigii dominatione, sub nostra tamen potestate, et abbatis subjectione, quemadmodum et monachi ipsius sancti Remigii; et sicut curam ex eorum animabus abbas de nostra suscepit, eodem modo de eorumdem clericorum animabus curam a nobis suscipiat, ipseque eamdem decano quem sibi ad eorum custodiam fidelem substituerit manu sua committat; ipse vero abbas et necessaria eis victus provideat, et si quid in eorum conversatione reprehensibile invenerit, emendare satagat, ut securus in die judicii Deo de eis rationem reddere valeat. Quod nostræ ordinationis decretum ne quis convellere, vel aliquatenus temerare præsumat, sub anathemate prohibemus, ad posterorum memoriam id commendantes chirographo sub episcoporum, abbatum, majorumque nostri cleri, et cæterorum fidelium nostrorum qui interfuerunt testimonio. Prandium autem quod canonici Sanctæ Mariæ hujus Remorum ecclesiæ illi accipiebant in festivitate sanctorum martyrum Timothei et Apollinaris, pro Dei amore, et nostro condonaverunt communi consensu perpetualiter abbati Herimaro, et supradictis clericis, ut sint eorum fratres, ipsorumque memoriam faciant in orationibus suis, cujus donationis largitatem ne quis convellere audeat futuris temporibus, cum coessentibus nobis episcopis et omni clero, sub divini numinis obtestatione comminamur.

† Signum domni Gervasii archiep.
† Signum Elinandi Laudun. episcopi.
† Signum Adelardi Suession. epis.
† Signum Frotlandi Silvan. epis.
† Signum Widonis Beluac. epis.
† Signum Odonis archidiaconi.
† Signum Herimari abbatis sancti Remigii.

Actum Remis publice anno Incarn. Domin. 1064, indictione II, regnante Philippo rege an. V Idus Junii.

II.

Pro fundatione abbatiæ S. Dionysii Remensis.

(Anno 1067.)

[*Actes de la province de Reims*, II, 79.]

Notum vol præsentibus, nec ignotum sit posteris, quod ego Gervasius hujus sanctæ sedis Remorum antistes, post aliarum restaurationem ecclesiarum quæ tam vetustate quam negligentia destitutæ ac desertæ ab antiquis apparebant temporibus, beati Dionysii quæ jam pene annulata fuerat ecclesiam renovare apposui; quam olim celeberrime ditatam, ingruente malitia, ad summam devenisse pauperta tem frequenter transeundo miseratus condolui; adhibitaque tandem diligentia, restaurationis opus operatione, structura, Dei præsente gratia, non distuli, destructa reædificans, quæ fundata non erant a fundamentis construens. Et quia ad mensam canonicorum dominæ meæ sanctæ Dei genitricis pertinebat, ab ipsis filiis meis eam sub censu sex solidorum omnium voluntate accepi, perpetua libertate donandam; hac consuetudine retenta ut servientes eorum, tam familiares quam communes, sicut antea solebant, absque omni exactione alicujus pretii, ibi

Digitized by Google

sepulturæ traderentur; et si ipsa ecclesia processu temporis, aliquo casu rediviva calamitate, ad eam quæ prius erat decideret, eorum sicut prius erat potestati subjiciatur, nisi culpa vel studio ipsorum acciderit.

Ecclesia itaque meo sumptu et labore ad integrum restituta, cum diversis ædificiis ad necessitatem fratrum accommodatis, canonicos ibidem ad honorem et anniversarii mei commemoratione sanctæ Mariæ ad usum concedere canonicorum, quorum decimam huic ecclesiæ habendam, sicut olim decrevimus, modo quoque decernimus, quod de omni bonorum meorum substantia indifferenter statuimus. Cujus constitutionis nostræ decretum ut ratum inviolatumque perpetuis valeat temporibus, nostræ auctoritatis scripto præsenti roboramus, sigillique nostri impressione consignamus.

Actum Remis, anno Incarnationis Dominicæ 1067, Indictione v, regnante Philippo rege anno VII, episcopatus mei anno XII.

Odalricus cancellarius scripsit atque subscripsit.

ANNO DOMINI MLXVII.

LEODEGARIUS

VIENNENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex *Gallia Christiana*, vet. edit., tom. I, pag. 799.)

Leodegarius recensetur in diplomate Ermengardis, Rodulphi Burgundiæ regis conjugis, an. 1037, cum Pontio Valentino, Artaldo Gratianopolitano, et aliis episcopis. Vitam, mores, ortus et actus antecessorum archiepiscoporum opere exaravit, ut legitur in Chronico ms.; subscribit testamento Hugonis archiepiscopi Bizonticensis 1044, VIII Kal. Aprilis; ad quem etiam Leo IX papa epistolam misit; defunctusque pridie Idus Junii. Ex quo apparet mendum eorum qui alterum cognominem Leodegarium superinducunt.

LEODEGARII CHARTÆ.

I.

Ecclesiam S. Ferreoli in plena synodo S. Victori concedit.

(Anno 1036.)

[MARTEN., *Ampliss. Collect.* I, 404.]

Cunctis liquido patet primum hominem a Deo conditum atque in paradiso positum, ut, si peccare nollet, necessitatem peccandi non haberet; quia vero invidia diaboli seductus est, atque in hæc ærumnosa a Deo projectus exsilia, omnes homines ex eo genitos natura postmodum æquales fecit; sed Deus, qui est summum bonum, ipse præscius futurorum, postmodum per multa annorum curricula hominem suum charum animal regere non destitit, imponens unum aliis, patriarchas primitus, et prophetas, ac deinde reges, ad extremum vero tempus sacerdotes. Hæc autem ideo facere voluit, ut, si quis ejus amore peccata nollet vitare, coerceret eum videlicet alterius timore. Sunt itaque multa quæ per Moysen præcepit, et quæ Aaron primo sacerdoti injunxit; ad ultimum vero B. Petro apostolo principi ligandi atque solvendi potestatem contulit, et ab eo usque ad nos, licet indignos, hanc potestatem permanere concessit. Quapropter ego Leodegarius, sanctæ matris Ecclesiæ Viennensis archiepiscopus, omnium Dei fidelium servus, exemplo et amore prædecessorum meorum tactus, cupiens ornare ecclesiam nostram, quæ quondam gloriosissime floruit, propono et desidero deservire beatissimo ac domno Ferreolo martyri, et civitatis nostræ tribuno, siquidem ecclesia ipsius vel cœnobium, quod vocant Grinensium, quadragintorum simul in se habuit multitudinem monachorum. Nos vero quos ad hæc Deus infelicia perduxit tempora, si non ita, saltem quod possumus adimplemus. Reddimus ergo sibi, videlicet S. Ferreolo, ipsiusque quondam monasterio, ex hæreditate ipsius quidquid in nostro dominio tenebamus, ceu etiam ubicunque fuerit inventum aliquid ex ejus hæreditate, totum omnino reddimus, et eos qui tenent, si reddere voluerint, in hac eleemosyna adjungimus. Sed et fidelis noster Bladinus quidquid de ejus hæreditate in beneficio

Digitized by Google

de nobis tenebat, totum reddit. Insuper et de suo alode largitur. Hoc ergo per consilium fidelium nostrorum facimus, collaudante omni clero et populo ecclesiæ nostræ, insuper et annuente Hermengarda inclyta regina regis Radulfi uxore, nunc vidua. Ponimus ergo in ipso loco Dei servos ex monasterio S. Victoris gloriosissimi martyris Massiliensis, ipsumque locum cum omnibus ad se pertinentibus eidem S. Victori perpetualiter damus, et viro venerabili domno Isarno abbati, per consilium et voluntatem domni abbatis Odilonis Cluniacensis, et omnium fratrum suæ congregationis. Facta donatio hæc eleemosynaria anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 1036, indictione IV, epacta I, anno VIII imperatoris Romanorum Conradi. Obsecramus itaque ex auctoritate omnipotentis Dei, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ac nostra contradicimus, et excommunicamus, ut nullus successorum nostrorum ecclesiæ hujus nostræ pontificum, sive aliqua persona disrumpere vel inquietare ullo modo hanc elemosynariam donationem valeat vel audeat. Quod si fecerit, omnibus Dei maledictionibus subjaceat, et ab ecclesia Dei in die judicii separatus, in inferno sepeliatur damnatus. Insuper et hæc nostra donatio firma ac stabilis permaneat cum stipulatione subnixa.

Ego Nuspa monachus ad vicem domni cancellarii, domno archiepiscopo Leodegario dictante atque mandante scripsi, anno ordinationis ejus VI, III Nonas Novembris, luna X, feria IV.

Acta publice in synodo Viennensi in præsentia domni Leodegarii archiepiscopi et canonicorum ipsius ecclesiæ multorumque fidelium abbatum, monachorum, aliorumque clericorum diversorum graduum fere quingentorum, omni affectu ea quæ hic habentur inserta acclamantium atque laudantium, simul etiam, si, quod absit! ulla unquam persona sæcularis aut ecclesiastica ullo modo inquietare voluerit hoc donum, invocatione divina et auctoritate omnium sanctorum ac virtutum cœlestium eos excommunicantium atque anathematizantium, qui quolibet modo inquietare voluerint hoc donum ullo umquam tempore. Amen.

Ego Leodegarius archiepiscopus propria manu firmo. Signum Hartaldi præpositi. S. Burnonis laici patris ejusdem. S. Heriberti archidiaconi. S. Siufredi archidiaconi. S. Arnaldi archidiaconi. S. Pontii presbyteri. S. Giraldi diaconi. S. Bernardi diaconi. S. Sarili diaconi. S. Ascarici levitæ. S. Senioreti canonici. S. Guigonis canonici. S. Richardi subdiaconi. S. Adelardi custodis. S. Guarnerii magistri scholæ. S. Nortaldi abbatis S. Petri (1). S. Pontii (2) abbatis. S. Dothmari abbatis (3) S. Willelmi (4) patris archiepiscopi. S. Willelmi filii ejus. S. Humberti comitis. S. Hectoris. S. Herberti et Artaldi fratris ejus. S. Herberti præpositi Diensis. S. Arnulfi. S. Adalardi abbatis (5) Lugdunensis. S. Hodrici (6) abbatis. S. Eugenii (7) abbatis. S. Ugonis canonici. S. Girardi levitæ. S. Girardi canonici. S. Milonis canonici. S. Adalardi canonici grammatici. S. Berlionis Banchi canonici. S. Blandini laici. S. Renconis l. S. Vidgerii canonici. S. Hugonis subdiaconi. S. Lamberti subdiaconi. S. Hotmaris subdiaconi. S. Rothbaldi subdiaconi.

II.

Charta Leodegarii archiepiscopi Viennensis ecclesiam Sancti Symphoriani cœnobio Sancti Ferreoli donat.

(Anno 1037.)

[MARTEN, *ubi supra*, col. 404.]

... Dum Dei omnipotentis ordinatissima..... sanctorum canonum,..... quatenus res ecclesiasticæ a cujus.... ordinis personæ a quocunque acquisitæ, an nos quamvis possessæ..... utilitate quantumvis ædificiis, possessionibus ac substantiis, mox ab hæredibus ecclesiæ ad quam jure pertinent, justa ratione fuerunt requisita, cum omnibus absque ulla reddantur contrarietate, nolentes vero reddere a sanctæ Dei ecclesiæ segregari debere societate. Ego Leodegarius sanctæ matris Ecclesiæ Viennensis Christianorum archiepiscopus, omnium Dei fidelium servus, notum esse volo nostræ ecclesiæ..... filiis præsentibus ac futuris, quia amore tactus divino, reædificandorum venerabilium locorum monasterium sancti Ferreoli.... ex utraque parte Rodanis fluminis positorum desiderio, consentiente universo clero et populo, annuente venerabili abbate Isarno Dei servo, asciverim ex Massiliensi cœnobio jam dictis locis ad serviendum Deo, et quæcunque prædictorum locorum juris essent, omni voto ac desiderio decreverim ad posse me redditurum ab integro. Quapropter Sancti Symphoriani ecclesiam ad aquilonarem Viennæ urbis partem sitam, quam fidelium testimonio, auctoritate et Dei judicio constat fuisse ex Sancti Ferreoli cœnobii dominio, cum omni integritate eidem nunc restituo, cedo atque trado, et monachis Deo servientibus ibidem permanentibus, videlicet cum parochia, primitiis, cimiterio, insuper decimo omneque teloneum, corvadas, omne quoque servitium..... ipsam ecclesiam alteram super ripam Rho-

(1) Insignis abbatia in urbe Viennensi, quæ tandem ad canonicos sæculares transiit.

(2) Pontius aut Romanensis aut S. Theuderii abbas exstitisse videtur.

(3) Dothmarus præfuit monasterio S. Andreæ inferiori.

(4) Notandus hic locus de patre Leodegarii archiepiscopi, cujus nomen hactenus ignorabamus, ut et fratris ejus Willelmi, quos, cum ante Humbertum comitem subscripserint, magnæ nobilitatis fuisse conjicimus.

(5) Vulgo Athanacensis monasterii, qui abbas desideratur in vulgatis indicibus valde imperfectis.

(6) Hodricus seu Udricus fuit abbas insulæ Barbaræ, vel Odericus abbas Jurensis S. Claudii.

(7) Hunc Eugenium suspicor fuisse abbatem Savigniensis S. Martini monasterii.

Digitized by Google

dani, sive ar..... optimusque constat, ad caput ipsius ecclesiæ situm, et cætera omnia quæcunque videntur ad eumdem locum pertinere, cum campis, vineis, pratis, hortis, molendinis, arboribus pomiferis et impomiferis, aquis, aquisve decursibus, sicut sciuntur termini, et hic habentur scripti. Ab oriente terra S. (8) Mauritii terminos qui vocantur Suspulis, ab occidente terra regalis, a meridie terra S. Severi, ab aquilone terra de castello qui vocatur *Saxol*, et de villis *Masin* et *Macen*, parochiam et omnia quæ pertinent ad parochiam, cum omni decimo, primitiis ac cemœterio. Insuper etiam reddo unum mansum qui vocatur Adamaredas super ecclesiam Sancti Desiderii situm cum campis, vineis, omnibus omnino rebus ad eumdem mansum pertinentibus. Si quis ergo hanc donationem vel reddi- B tionem inquietare tentaverit, omnibus Dei maledictionibus subjaceat, cujuscunque fuerit personæ aut dignitatis, sitque extraneus a fidelium societate, hac donatione inconvulsa perpetuo permanente. Facta donatio hæc anno Incarnationis Dominicæ 1037, indictione v, anno ix, imperatoris Romanorum Conradi.

Ego Nuspa monachus ad vicem domni cancellarii scripsi, domno Leodegario archiepiscopo mandante, anno ordinationis ejus vii, feria i stationis ad S. Ferreolum ante natale Domini.

Domnus Leodegarius archiepiscopus firmavit. S. Sarili decani. S. Artaldi præpositi. S. Nortaldi abbatis. S. Petri. S. Synfredi archidiaconi. S. Arnadi C archidiaconi. S. Herberti archidiaconi. S. Pontii canonici. S. Senioreti canonici. S. Geraldi diaconi. S. Bernardi diaconi. S. Ascarii levitæ. S. Ugonis canonici. S. Garnerii canonici magistri scholæ. S. Gerardi canonici. S. Girardi canonici. S. Adalardi canonici, grammatici. S. Giudgerii canonici. S. Renconis. S. Richardi canonici subdiaconi. S. Milonis canonici. S. Rothbaldi subdiaconi, et cæteri uno animo firmaverunt.

III.

De moneta Viennensi corrupta.

(Anno 1043.)

[Apud Acherium, *Spicil.* vet. edit. t. XII, p. 284, ex chartulario Viennensi a D. d'Herouval concesso].

Notitia Viennensis monetæ, quæ facta est inter A Leodegarium Viennensum archiepiscopum, et Adeleidam marchionissam cum filiis suis. Longa per tempora stetit ipsa moneta bona in pondere et mensura decena. Nuper autem tempore Odonis marchionis viri sui latrones et falsarii in burgo qui dicitur Aquabella, corruperunt eam et confunderunt et falsaverunt, ignorante supradicto marchione. Qui statim ut audivit clamorem supradicti archiepiscopi Viennensis, præcepit ne amplius fieret. Neque factum est eo vivente. Post mortem vero ejus insurrexerunt et alii latrones, et secuti sunt priores, et iterum falsaverunt eam, quousque prædictus archiepiscopus Leodegarius venit in Italiam ad prædictam marchionissam domnam Adeleidam. Quæ similiter ut audivit, ne amplius fieret præcepit. Tamen ut omnibus notum fiat, trapezita a domno Leone papa excommunicatus, paralysi percussus, membris omnibus dissolutus, impiam vitam digna morte finivit. Modo autem ignorante supradicta domna Adeleida marchionissa, alii exorti sunt, et prædicta mala sequuntur; sed mediante domno Adraldo Bremetensium abbate, et Artaldo Ecclesiæ nostræ præposito, dimittuntur supradicta mala, et ne amplius fiant, promittit domna Adeleida marchionissa cum filiis suis Petro et Amedeo et Oddone, Deo et sancto Mauricio in manu Domni Leodegarii archiepiscopi Viennensis, ut in tota potestate sua Viennensis moneta amplius non falsetur, neque fiat, neque vero, neque falsa illa quæ in Vienna fuerit facta. Et hoc fecit pro amore Dei et sancti Mauricii cum sociis suis; de cujus beneficio honorata est, et pro anima senioris sui Oddonis marchionis et pro sua et filiorum suorum salute, qui hoc laudant et confirmant, videlicet Petrus primogenitus, et Amedeus et Oddo. Laudat hoc domnus Adraldus abbas Bremetensis, et Artaldus præpositus Ecclesiæ Viennensis cum ceteris fidelibus suis, quorum ista sunt nomina.

Data per manus Bosonis ad vicem domni cancellarii et primiscrinii ii Kal. Decembris, luna xvi, feria iv, Heinrico secundo rege, nondum imperatore, Cæsaris et imperatoris filio, hujus domnæ marchionissæ genero. Recepta per manus domni archiepiscopi Leodegarii.

(8) Id est ecclesiæ cathedralis quæ S. Mauricio sacra est.

ANNO DOMINI MLXVIII.

STEPHANUS

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud J. G. Eccs, *Purpura docta, seu Res gestæ S. R. E. cardinalium, desumpta ex Ciacon.o, Andrea Victorello, Augustino Oldoino*, etc., I, 15.)

St phenus, natione Gallus, vir suo tempore litteratissimus, a S. Leone IX ad purpuram evectus, inter

Digitized by Google

S. R. E. cardinales presbyteros merunt annumerari. Solitariam vitam ante purpuram professus scribitur sub Odilone abbate in cœnobio Cluniacensi, a Bennone cœnobiarcha condito ad Gornam fluvium, et a Guillelmo Aquitaniæ duce, Averniæque comite dotato.

Hunc Stephanus X, S. Leonis successor, una cum Desiderio et Maynardo, doctis monachis Cassinensibus, Constantinopolim pro exstinguendo Ecclesiæ Græcæ schismate legatum deputarat : jam viæ cum sociis accinctus, obitu papæ superveniente et annuntiato, omissa legatione, remeavit ad propria. Functus est tamen non multo post legatione in Gallia Nicolai II Pontificis jussu, cujus meminit Goffridus Vindocinensis. Quam sub Alexandro II continuans, Goffridum Barbatum, comitem Andegavensem, ob plurima scelera apud sanctam sedem delatum nec resipiscentem, anathemate percussit.

Missus deinde est a sacro cardinalium collegio in Germaniam ad Henricum regem, Henrici III, cognomento Nigri, Imperatoris filium, adhuc juvenem imberbem ; a quo tamen, licet apostolicas proferret litteras, non est auditus, quinque dierum spatio, non sine apostolicæ sedis injuria pro foribus manens, regiis ministris, hominem Gallicum perosis, obicem ponentibus. Legationis causa triplex fuit. Prima, ut Henricus rex Romanæ Ecclesiæ Northmannorum tyrannide extreme divexatæ opem ferret, ac præsulum Longobardorum insolentiam, qui Cadalaum, hominem laicum, ac famæ integritate laborantem, contra sacrorum canonum statuta in episcopum Parmensem elegerant, reprimeret. Altera, ut infame pseudosynodi decretum, quo Nicolaus II, Romanus pontifex, vita functus, synodali sententia damnatus fuerat omniaque ab eo gesta irrita declarata, regia auctoritate aboleretur. Re infecta Romam rediit Stephanus, ac non multo post, anno scilicet 1068, fatis concessit. Interfuit comitiis Nicolai II Senis, et Alexandri II Romæ habitis. Ob doctrinæ præstantiam a Petro Damiani cardinali *Decus et defensor Ecclesiæ Romanæ* jure appellatus. De quo etiam in epistola quadam hæc habet : *Stephanum cardinalem piis virtutum floribus, sanctis operibus et doctrinæ radiis fuisse insignitum, nemo, qui virum noverit, dubitat.* Alphanus episcopus Salernitanus, coætaneus Stephano, hoc eum epitaphio post obitum commendavit.

Stephane, qualis in æde Petri quantusque sacerdos
Exstiteris, novit Gallia cum Latio.
Nobilitas, gravitas, probitas et mentis acumen,
Et virtus animi magna, fuere tibi.
Quinque manere dies cum sol deberet, in urna
Clausus es hac. Requiem det tibi Christus. Amen.

Ejus meminere B. Petrus Damiani in epistolis. Alphanus, episcopus Salernitanus ; Ciaconius in Vita ; Augustinus Oldoinus in addit. ad Ciaconium.

CONCILIUM TURONENSE,

in quo multa de disciplina ecclesiastica a Stephano cardinale legato apostolico, et decem episcopis, constituta sunt anno Christi 1060, *indictione* XIII, *Kal. Martii.*

(Mansi, *Concil.*, t. XIX, col. 925.)

TITULI CAPITULORUM.

I. *Ut nemo pecunia vel alia conventione contra canones det vel accipiat beneficium.*

II. *Ut episcopo beneficium contra prædictam regulam conferenti contradicant clerici.*

III. *Ut nullus episcopus beneficium vendat aut det, nec alienet quæ sunt ecclesiæ.*

IV. *Ut nullus ecclesiam a laico accipiat sine consensu episcopi, neque venalem accipiat.*

V. *Ut nemo clericale officium accipiat nisi in unius civitatis ecclesiis.*

VI. *De episc. presbyter., diac., subdiac., qui mulieris carnali copula detenti ab officio non cessaverint.*

VII. *Ut clericus militans beneficium amittat.*

VIII. *De laicis qui oblationes ecclesiæ, sepulturam, tertiam decimarum partem, possident, aut vendunt, aut dant.*

IX. *Ut excommunicati sint incesti, et adulteri, et qui sua uxore dimissa, aliam ducunt.*

X. *Ut desertor monasticæ religionis sit excommunicatus ; similiter et abbas qui eum pœnitentem non receperit.*

PRÆFATIO.

Ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi anno 1060 indictione XIII, Kalend. Martii, luna XIII, IV feria, præsidente Stephano, catholicæ urbis Romæ cardinali presbytero, et apostolicæ sedis vicario, in basilica Sancti Mauritii sociorumque ejus, sancta synodus, quæ, ex præcepto domini nostri beatissimi summi pontificis et universalis papæ Nicolai, Turonis, quæ est metropolis Galliæ, convenit ; propositis sacrosanctis Evangeliis, et præmissis ad Deum intentissime precibus, diligenti consideratione retractatis iis in quibus ecclesiarum status in toto pene orbe, et maxime in Galliis, vacillare et pessumdare videbatur, quæ breviter infra placuit annecti, condigna sollicitudine definivit.

CAPITULA.

I. Sancti Spiritus auctoritate, ut credimus, in Chalcedonensi synodo sententia de Simoniacis prolata, sic ab omnibus observetur : quatenus quicunque deinceps pecunia aut aliqua inconveniente conventione sæculari, aut quolibet modo contra canonicam censuram, episcopatum aut abbatiam, aut archidiaconatum seu archipresbyteratum, aut aliquam dignitatem ecclesiasticam, sive aliquem gradum, aut ministerium, vel beneficium, quod non nisi clericis habere sanctorum Patrum sancivit auctoritas, dare, vel accipere, quolibet modo canonibus contrario, tentaverit : et dans, a proprio decidat

Digitized by Google

gradu et dignitate; et accipiens, ministerium seu beneficium male usurpatum, nunquam recuperaturus, amittat.

II. Si quis aut episcopus, aut prælatus quislibet, contra præfixam regulam aliquod ecclesiasticum ministerium, vel etiam ipsam præbendam, quæ canonica dicitur, ordinare aut dare voluerit : libere liceat clericis contradicere, et vicinorum episcoporum judicium, vel, si necesse fuerit, ipsam quoque sedem apostolicam appellare.

III. Item ut nullus episcoporum, vel prælatorum, aliquod novum beneficium de rebus ad jus Ecclesiæ pertinentibus ulterius præsumat contra canones alicui vendere aut dare. Quicunque vero aliquid ad jus Ecclesiæ pertinens, sub nomine beneficii, sive quolibet modo, ab ecclesia alienare hactenus præsumpsit : si adhuc superest, aut restituat Ecclesiæ quod male subtraxit, aut canonica mulctetur sententia.

IV. Nullus ecclesiam magnam vel parvam deinceps, sine consensu episcopi in cujus parochia est, a laicis præsumat accipere quolibet modo; sed neque a clerico, vel monacho, seu laico, sub pretii alicujus venalitate. Quod si fecerit, et vendens, et emens, ea careat.

V. Confirmamus etiam ut non nisi in unius civitatis ecclesiis quisquam amodo aliquod clericale officium accipiat. Quod qui prævaricatus fuerit, canonica ultione feriatur.

VI. Præterea si quis episcoporum, presbyterorum, diaconorum aut subdiaconorum, post cognitum interdictum domini nostri papæ Nicolai, mulieris cujuslibet carnali detentus copula, a ministerio et beneficio altaris non cessavit; sive deinceps, cognoscens prælibatum apostolicæ sedis interdictum, aut mulierem, aut ministerium Ecclesiæ cum beneficio non statim deseruerit, nullam restitutionis in primo gradu veniam sibi reservasse cognoscat.

VII. Quicunque autem clericorum deinceps in armis militaverint, et beneficium et consortium clericorum amittant.

VIII. Quicunque laicorum alicuid de iis quæ ad oblationem vel eleemosynam Ecclesiæ pertinent, sive sepulturam, sive saltem tertiam decimarum partem possidere, vendere, aut sub nomine beneficii alicui dare ulterius præsumpserit, anathematis gladio feriatur.

IX. Quicunque consanguineam suam, aut quam consanguineus suus prius cognoverat, aut cujus consanguineam carnaliter in conjugium accepit, vel deinceps acceperit; vel postquam cognovit, non statim dimisit, aut cognoscens non dimiserit; aut qui uxorem altérius rapuit, seu rapuerit; vel qui suam uxorem sine judicio episcopali dimittens, aliam duxit, vel duxerit : donec se fructuose tradat pœnitentiæ, a corpore et sanguine domini nostri Jesu, et a liminibus ecclesiæ se exclusum et alienatum, et omnimodis sicut putridum membrum a sano corpore præcisum gladio spiritus, quod est verbum Dei, agnoscat.

X. Quicunque monasticæ religionis desertor inventus fuerit, a regno Dei et a consortio Christianorum, sicut apostata, excludatur et alienus existat, donec resipiscens digne pœniteat. Similiter qui ejusmodi digne pœnitentes recipere noluerit, tertio admonitus, si non acquieverit, a communione fratrum suspendatur, sive sit abbas, sive abbatissa, donec acquiescat.

Ego Stephanus sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis sacerdos vocatus, vice domini mei papæ Nicolai præsidens synodo, his constitutionibus a nobis canonice promulgatis, parvitatis meæ assensum præbens subscripsi. Deinde subscripserunt decem tam archiepiscopi quam episcopi.

STEPHANI CARDINALIS

EPISTOLA AD JOANNEM DOLENSEM EPISCOPUM.

Ut adsit synodo Romanæ Nicolai II post pascha, vel Turonensi a se habendæ ante mediam Quadragesimam (1).

Stephanus, Petri apostolorum principis et sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, J....., Dolensis Ecclesiæ dicto archiepiscopo resipiscere, et ad viam salutis et emendationis redire consulit.

Dominus meus pontifex summus et universalis papa Nicolaus te, quamvis rebellem et monitis salutaribus aversum, nequaquam tamen paterna et consueta Romanæ Ecclesiæ misericordia indignum judicavit; sed missa, si tamen ad te pervenit, legatione, ad synodum quæ antiquo more Romæ post Pascha celebrabitur, adhuc tibi resipiscendi locum donans, evocavit. Sed et post datas ad te litteras, secundum consilii sui providentiam, et temporum eventorumque necessitatem, me ad has partes destinavit, et ut quæ possem in Ecclesia Gallicana, Deo juvante, conciliis cæterisque laboribus emendarem, vices suas mihi tradens, injunxit. Unde apud Turonum Dominica ante mediam Quadragesimam synodum indixi, ad quam, dominum meum sollicitudine, et mediocritatem tuam sumptibus et labore levans, sancti Petri ejusque vicarii mihique tradita auctoritate te convoco, et ab omni periculo quod tibi ex parte

(1) Missa ante synodum supra descriptum.

Digitized by Google

principis civitatis ejusdem evenire possit securum facio. Quod si nec ad nos nec ad dominum meum in dictis terminis venire volueris, vindictam absque misericordia senties ecclesiasticæ districtionis. Exemplar etiam mitto epistolæ hujus potestatis a domino meo mihi traditæ.

IN CONCILIO BURDEGALENSI

Stephanus cardinalis, sedis apostolicæ legatus, cellam S. Clementis de Credonio monachis Vindocinensibus asserit.

(Edidit dom. MARTENE *Thes. Anecd.*, t. IV, col. 635, ex chartario Vindocinensi.)

Licet monachorum S. Albani querela, quam erga monachos Vindocini de ecclesia Credonensi jure sibi habere videbantur, sæpius ventilata, injusta semper et de invidiæ orta radice legali judicio comprobata sit : semper tamen eos verbis lacessere, et placitis jam definitis iterum inquietare solita sua improbitate contendunt. Prima namque calumnia, quam eis de prædicta ecclesia intulerunt, audiente domno E [Eusebio], Andegavorum pontifice, et domno W. [Wlgrino, tunc abbate S. Sergii, postea facto episcopo Cenomanis, domno quoque A. abbate S. Vincentii ejusdem civitatis, multisque aliis probabilibus viris præsentibus coram Goffrido comite facta est, qui cum eos requisisset ut litteras vel testes exhiberent de donatione illa quam sibi a Suardo vetulo factam fuisse asserebant, et quod pater suus Fulco comes et ipse donum illud auctorisasset, responderunt se inde litteras nunquam habuisse; sed tamen utrum testes habere possent ex hominibus temporis illius, si spatium eis concederetur requirere. Comes vero Goffredus terminum illis annum integrum ponens, ut infra testes suos, et undecunque, etiamsi de hostibus suis essent, fiducialiter et absque metu aliquo sibi adducerent imperavit. Quod cum facere nequivissent (quia, quos nunquam habuerant, reperire testes alicubi non valebant), calumniam interim omittentes, x annis et amplius quibuscomes Goffredus vixit post ea siluerunt : statim vero post mortem illius aptum se calumniandi reperisse tempus existimantes, rursus nova decreta cudere, novos sibi judices adversus monachos Vindocini per manum Goffredi comitis junioris, Goffredi alterius successoris, ascire tentabant; nonnullos etiam potentium personarum viros, quos improvide contra jus et fas in hoc sibi maxime profuturos credebant, obærantes; ut videlicet quod justa ratione nequiverant, vel utcunque muneribus efficere prævalerent. Sed eorum spe in hac etiam parte, Deo disponente, frustrata, alia iterum adipiscendi quod cupiebant moliti sunt inferre machinamenta. Miserunt namque legatum Romæ G., unum de monachis suis, qui eorum super hac re domino papæ insinuaret querelam; sed longe aliter quam sperabant evenit, quia quanto ibi districtior tenetur censura justitiæ, tanto minus invenit quod corrumpat avaritia adinventrix justitiæ. Denique O. abbas, qui eodem pro necessitatibus monasterii sui Romam perrexerat, cum in concilio tunc coram Nicolao papa collecto cum cæteris astaret, et accusatori illi ratione congrua de dono ecclesiæ monasterio Vindocini facto, et de judicio Andegavis postea a sæpedicto comite G. aliisque supranominatis viris publice determinato, respondisset; commune domni papæ et episcoporum qui adfuere decreto sancitum est præfatam ecclesiam S. Clementis de Credonensi castro ad jus Sanctæ Trinitatis Vindocinensis cœnobii procul dubio legaliter pertinere. Tantis igitur tamque manifestis, et insuper tanta auctoritate definitis judiciis sæpe convicti, innocentiæ adhuc immemores, et tot injuriarum quas monachis Vindocini suis in Christo, velint nolint, fratribus fecerant, penitus non recordantes, rursum placita iterare, judices alios in alienis regionibus adhibere conati sunt. Quasi vero in aliam transcurrere patriam, examinatam rectitudinis possit exstinguere veritatem. Post longum itaque tempus, cum quidam Stephanus B. Petri cardinalis dictus Romani antistitis Alexandri papæ legatione in Galliis fungeretur; remorante illo in Andegavensi patria apud castrum Salmurum, ecce iterum monachi S. Albini, quasi noviter tunc inciperent, querimoniam de monachis Vindocini pro ecclesia Credonensi ad aures illius pertulerunt. At ille eis non statim ibi, sed apud civitatem (2) Burdigalam, ubi et concilium habiturus erat, præmonitis monachis Vindocini et illuc vocatis, responsurum se et causam diligenter spopondit examinaturum. Cumque ad concilium die Kalendas Aprilis convenissent, et monachi S. Albini clamorem suum cunctis qui aderant audientibus fecissent; quidam de fratribus Vindocini qui idcirco venerat, Vitalis nomine, respondit causam illam jam pridem in Romana synodo sub venerabilis memoriæ Nicolao papa publice determinatam fuisse, audientibus quibusdam episcopis de Gallia ad concilium profectis, Hugone videlicet Nivernensi, Gualterio Meldensi, itemque Hugone Trecensi, atque Wlgrino Cenomanensi, quorum trea H. scilicet W. et alius H. cum adhuc viverent, et monachi S. Albini sæpedictam calumniam iterassent, litteras suas B. Turonensi archiepiscopo et E. Andegavorum pontifici in testimonium monachis Vindocini transmiserunt, protestantes vidisse se et audisse

(2) Concilium Burdigalæ anno 1068 celebravit Stephanus legatus, de quo hic locus videtur intelligendus.

Digitized by Google

querelam illam justo examine libratam coram præfato papa Nicolao in communi concilio fuisse definitam. Hoc audito præfatus cardinalis Stephanus, recitatis prius episcoporum epistolis, respondit non esse conveniens, nec omnino licere, quod Romanus pontifex semel juste definierat, a quoquam alio rursus aliter discuti. Hoc solummodo illis reliquum esse ut, si verbis monachi et litteris episcoporum astipulationem præferentibus credere detrectarent, ipsi prædictos adirent episcopos, et utrum ita esset rei veritas eorum viva voce per semetipsos usque ad sequentem B. Petri festivitatem, quæ in Kalendas Julii celebratur, per semetipsos plenius addiscerent: A et si ita esse ut eorum epistolæ protestabantur agnoscerent, ulterius monachos Vindocini de hac re nullatenus præsumerent inquietare: sin autem, Romam sequenti anno ad tractandum in concilio querelæ istius judicium utrique pergerent. Hanc sententiam rationabiliter justeque prolatam tam episcopi quam abbates, aliique ecclesiastici ordinis qui adfuere viri religiosi, quorum subscripta sunt nomina testati sunt. Goscelinus Burdegalensis archiepiscopus, Goderannus Sanctonensis, Guillelmus Engolimensis, Isembertus Pictavensis, Ragomundus Valatensis, Quiriacus Nannetensis, Mengisus Venesensis, Iterius Lemovicensis, Guillelmus Agenensis.

ANNO DOMINI MLXXXIX.

LEO ATINENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Ughell, *Italia sacra*, t. VI, col. 426.)

Leo, summæ eruditionis et divinarum scientiarum egregius vir, Atinensis Ecclesiæ episcopus ordinatus est ab Adenulpho, Capuano archiepiscopo, anno 1044. Eximie sedit ann. 28, defunctusque est anno 1072. *Hujus tempore*, inquit sæpe Chronica Atinensis, *constructa est ecclesia S. Mariæ in templo Saturni; hujus etiam tempore inventum est corpus Christi martyris Marci, quod latuerat in episcopio Atinensi sub altare minore, quod postea dedicavit in honorem S. Bartholomæi juxta corpora SS. Nicandri et Marciani.* Annus Christi erat 1046, Kal. Augusti, quando Leo sancti martyris exuvias sacras invenit ac transtulit, cujus Historiam ipsemet egregius præsul scripsit, cujus exemplar ex ms. codice litteris Longobardis conscripto bibliothecæ Casinensis infra habes. Plura scripsisse Leonem ingenii sui documenta referunt, quæ pauca supersunt. Exstant sermones aliqui in D. Marci martyris prædecessoris sui apud me ms. Quos ne sicut cætera voret vetustas, hic exscribere non pigebit ad laudem tanti martyris asserendam, in cujus etiam laudem Petrus diaconus Casinensis aliquot sermones concinnavit; nec adhuc, quod sciam excusi sunt, latentque in celebri Casinensi bibliotheca.

INVENTIO SIVE TRANSLATIO

CORPORIS BEATISSIMI MARCI MARTYRIS ET PONTIFICIS,

EDITA

A DOMNO LEONE EPISCOPO ATINENSI.

Fratres charissimi, humiliter postulemus gratiam Spiritus sancti, quo, ejus repleti dulcedine, de beatissimi Marci corporis inventione non incongrue reddamus sermonem.

Beatissimus igitur Marcus, Domitiano Cæsare imperante, Atinensis fuit antistes, sub cujus temporibus, Maximo jubente proconsule, clavis capite duris fixus, demum gladii ictu cervice percussus, martyrii est palmam gloriose adeptus, atque in memoratæ civitatis confinio feliciter est tumulatus. Christiani vero qui tunc temporis aderant, magno studio in ejus honorem construxerunt basilicam, quæ longo post tempore, ut ejus antiqua mœnia monstrant, a pravis hominibus devastata et ad solum est redacta. Multo itaque tempore sic permanente, cœperunt ibi rustici suas bestias, equos et asinos nocturno tempore collocare; sed omnipotens Dominus Marci sui dilecti famuli injuriam mirabiliter B

Digitized by Google

vindicabat. Contigit autem ut pertransirent inde viatores, et in loco eodem juxta sepulcrum, nescientes illic requiescere sanctissimi Marci venerabile corpus, suos equos vellent locare. Quædam autem sanctimonialis femina clamosis obsistit vocibus, dicens : « Nolite, fratres, nolite in hoc sancto hospitari loco, ne forte aliquid vobis mali contingat; vidimus enim Dei magnalia sæpius in hoc fieri sanctissimo loco. » At illi, pro nihilo ducentes hæc verba, eadem nocte manserunt ibidem, et facto mane insultantes sermonibus ejus cœperunt iter arripere. Sed antequam longe procederent, ad modum sagittæ ictus cœperunt jam pœnitere de facto, quia unus eorum equus in terram corruit mortuus, alter vero, nondum peracto stadio, in ipso itinere periit, taliter Domino cunctipotente sui Marci dilecti martyris injuriam vindicante. Alio itaque tempore, sicut a quibusdam fidelibus mihi relatum est, cum quidam Calabrites onustis asellis mercibus ad prædictum locum sero venirent, et divertendi hospitium quærerent, quædam venerabilis mulier dixit illis : « Nolite, charissimi, in hoc loco vestros asinos collocare, quia locus sanctus est : nam si præsumitis, non absque damno hinc transire valebitis. » Qui sua inebriati vesania dixerunt ad eam : « Ergo et nos mortui sumus, si nostros asinos custodire non possumus; » et cum nox jam plenius advenisset, collocantes se, et in medio asinos eorum ponentes; et quamvis audacter fecerint, tamen suspecti, ne a lupis vel a latronibus raperentur, frustratam custodiam posuerunt : nescientes Scripturam, quæ dicit : « Quod timet impius, veniet super eum. » Arreptis itaque somno et velut mortuis effectis, lupus e diverso veniens, in medio eorum ingressus, asellum abstrahens interfecit. Consimili namque miraculum mihi ad memoriam venit, id ipsis referentibus qui priora. Nam die quadam, similiter eodem in loco, sole occidente, quidam cum suo asello veniens, hospitium quærens divertit, et, dum a femina supradicta repelleretur ne divertisset, continuo cum suo asino hospitatus est, et pedem aselli cum suo simul ligavit, atque se protinus in terram gratia quiescendi dedit. Tunc prætergressi latrones, invenerunt eum velut mortuum dormientem, et invicem se in malum concitantes, restim continuo concidentes, ei asinum abtulerunt; qui protinus a somno evigilans, damnum invenit, et a loco tristis abscessit. Cœperunt dicti homines metuere locum, et ab injuria reverenter cessare. Quapropter peracto cives concilio nisi sunt eamdem ecclesiam restaurare, et convocato episcopo qui tunc temporis aderat, altare ibi in honorem beatissimi apostoli Bartholomæi dedicare fecerunt, nescientes illic requiescere venerabilis Marci martyris corpus, in cujus honore, ut æstimo, prius fuerat benedicta.

Igitur tempore quo piissimus imperator Conradus regnabat, anno Dominicæ incarnationis millesimo quadragesimo quarto, divina favente gratia, quidam illic ordinatus episcopus sollicitus pro restaurandis sui episcopatus ecclesiis ab iniquis et pravis hominibus desolatis; et dum de loco in locum visendi gratia adfuisset, pervenit tandem ad episcopium antiquissimæ urbis Atinensis, et ingressus prædictam ecclesiam, quæ in suburbano prædictæ civitatis adest, perlustransque, invenit ante sanctum altare congeriem lapidum, quæ de fractura murorum acervum fecerat, et valde suis alienisque oculis displicebat. Tunc convocans ad se quemdam presbyterum, assignans ei locum præcepit, dicens : « Hunc accipe locum, fili, et diligenter emunda. » Presbyter autem sibi delegatum locum accipiens, devote cœpit emundare, et dum per gyrum altaris effoderet, invenit lapideum titulum scriptum, et, licet fractum, nomen Christi martyris Marci intimantem; quem videns episcopus exclamavit, dicens : « O martyr magne! ostende nobis indignis tua pignora sancta; » deinde conversus, Dominum his verbis cœpit toto corde devotissime supplicare : « Obsecro, Domine, obsecro ut digneris nobis peccatoribus dilecti tui Marci martyris tumulum demonstrare; spero etenim, et fideliter credo quod hic requiescit Marci martyris corpus, cujus iste titulus nobis nomen demonstrat. » His ita peractis, continuo ad propria repedavit, et ardentissimo desiderio noctem eamdem duxit insomnem. Mane itaque facto quasi divinitus præcepit duobus presbyteris ut irent, et ante altare foderent quousque ibidem ipse descenderet. Inerat enim sibi non parva dubitatio, eo quod multa corpora hominum inde jacebant, et quod dubietatis rancorem a se auferre non poterat : unde et Dominum pulsare precibus cœpit ut sibi ostendere dignaretur quod devote quærebat. Presbyteri autem pergentes in dexteram partem altaris S. Bartholomæi cœperunt fodere. Secutus autem eos episcopus, et invenit eos incassum laborantes, intuensque eos accepit fossorium, et ipse propria manu cœpit fodere, et dum labore esset fatigatus, reddidit illis, et factum est dum ipsi foderent, pervenerunt ad tumulum in quo sancti martyris Marci corpus requiescebat, et nimio repleti ardore, exclamaverunt dicentes : « Surge, benigne Pater, quod tu quæris, ecce tenetur. » Qui statim de loco surgens, humoque prostratus, his verbis omnipotentem Dominum collaudabat : « Gratia celsa tibi, regis qui munia mundi, qui quodcunque cupis, cum vis, sine mora patratur. » Gaudens quoque et vehementer exsultans de tanto sibi concesso patrono, collegit pignora sancta; sed non tam lætus de toto corpore quam tristis mansit de capite, eo quod non esset ibidem; erat enim Sabbatum quasi hora undecima, et, quamvis interdiceret ne alicui panderetur, tamen tota civitas subito de fama repletur. Cœpit autem sancta pignora suis manibus diligenter abluere, et in scrinio collocare, et eadem nocte deputatis clericis, in hymnis et spiritualibus canticis tota nocte pervigiles jussit manere, ut facto mane ad episcopium ejusdem urbis cum laude et gloria deportaret.

Presbyter autem, qui prius titulum lapideum scis-

Digitized by Google

ptum invenit, cujus et superius memoriam fecimus, erat tunc in infirmitate valde afflictus, ita ut de vita desperaret; qui ut hæc audivit, misit continuo ad eum ut dignaretur sibi aquam mittere de qua sacra abluerat pignora, quam medelam ab eo accipere mereretur. Mane itaque facto consurgens antistes admonuit populum ut pariter cum eo descenderet, et cum omni honorificentia ad supradictam ecclesiam Marci sanctissimum corpus transferret. Indutus autem sacris vestibus simul cum ministris qui secum aderant cum thuribus et ceraptatis, et cum omni apparatu ecclesiastico, viris et mulieribus, pueris et puellis, accensis cereis, impositaque litania, ad locum tetendit, et levato inde corpore, et in lectica composito, laudem Domini decantando, pervenit ad civitatem. Sed antequam episcopium ingrederetur, presbyter ille, quem superius pene mortuum memoravimus, incolumis cum accensis cereis obviam sancto advenit corpori, laudans et benedicens omnium Conditorem. Episcopus autem grates immensas referens omnium redemptori Domino Deo, episcopium ejusdem antiquissimæ ingreditur urbis, et venerabile corpus in confessione Dei Genitricis collocavit, exspectans ut sibi omnipotens Deus ostendere dignaretur locum quem sibi aptum placeret ad recondendas reliquias venerandas.

Eodem quoque die quo sanctum Marci levatum est corpus, accidit ut inde quædam sanctimonialis transiret, et dum longius ire satageret, ut audivit hoc factum, eumdem divertit in locum, et dum se prona prosterneret sanctum adorare sepulcrum, respexit, et ecce particula reliquiarum in medio jacens, furtim levavit, et gavisa gaudio magno, secum portare voluit; quæ dum non longe ab ecclesia esset, antequam perveniret ad vadum fluminis, tantus timor invasit eam, ut nec retro nec ante posset aliquando declinare. Recordata autem sancti martyris reliquiarum, continuo sericium velum quo caput tegebatur tulit, et involvens ibi sancta pignora remisit ad corpus, et mox quasi a vinculis absoluta, cœptum peregit iter. Cœpit dehinc antistes vehementer hæsitare quid inde faceret, vel in quo loco eum reponeret, aut si sibi propriam domum construeret; et dum hæc tractaret, adfuit dilectus Domini Marcus in somnis cuidam religiosæ feminæ, dicens: « Vade et dic episcopo, animadvertat diligenter, et nostrum evidenter perpendat honorem; quia domus de qua nostrum tulit nunc corpus, nostri honoris causa mirifice exstitit facta; quapropter ædem propriam quæro, quod si neglexerit facere, sciat se hoc anno periculo subjacere. » Hoc audito, episcopus expavit, et de visione nil dubitabat, quoniam mulier illa timorata nimis, quæ viderat, cum juramento terribili affirmabat. Collatione itaque facta cum suis, in loco quo sibi comparuit statim ad perficiendum opus cœpit fundamenta jactare. Sed non absque divino nutu citius ut æstimabat complevit. Nam si sibi Deus, ut optaverat, tribueret facultatem, fortitan hodie non caput membra haberent. Qualiter autem gloriosissimi Marci martyris caput inventum est, silentio non est prætereundum. Nam quadam nocte cuidam veterano presbytero dormienti, ut ipse hactenus narrat, vox facta est, dicens: « Surge, et noli dormire. » At ille exspergefactus, putabat se a suo socio qui secum morabatur in loco vocari, et dum sciscitaretur: « Quare? » et nemo sibi responderet, iterum obdormivit, et necdum aperte dormiens, denuo vox audita est, dicens ad eum: « Noli tam piger esse, surge et in angulo hujus basilicæ quære thesaurum. » Attonitus autem presbyter ille, et admirans secum de visione cœpit tractare; sed antequam de lectulo surgeret, consimilis tertia audita est vox præcipiens ut continuo surgeret, et ulterius de visione non dubitaret. Tunc presbyter lætus effectus, putansque pecuniam certius invenire, festinus surrexit, et ferramentum aptum ad vepres scindendas arripiens, quasi divinitus ad locum pervenit, et vepres quibus locus tegebatur, abscidit, atque in ipso angulo in modum capsulæ loculum factum invenit, quem statim aperuit, et invenit in eo caput gloriosissimi Marci martyris simul clavis affixis cum quibus impii cruciaverant illum, et quamvis quod putaverat minime inveniret, tamen gaudio magno gavisus, lætabundus ad episcopum venit, et cuncta quæ viderat enarravit. Magno itaque gaudio repletus est episcopus, ut si decem millia auri talenta invenisset, non tam lætus efficeretur quam de hoc capite sancti martyris, et licet hæc visio non certius nomen istius Domini athletæ declarasset, ille tamen affirmabat quia hoc est sanctissimi martyris caput, et Dei providentia reservatum; ne corpus absque capite conderetur. Anno itaque completo, consummata ecclesia in ejus honore, et capite juncto corpori summa cum reverentia est tertio Nonas Octobris solemniter dedicata; scripsit autem et titulum lapideum ut priorem, et juxta locum posuit continentem hoc modo:

Hic martyr magnus requiescit corpore Marcus,
Quod tribuente Deo condidit ecce Leo
Præsul Atinensis, lapis hic erit et sibi testis.

Inventum est autem sexto decimo Kalendas Augusti, anno Dominicæ incarnationis millesimo quadragesimo sexto. Erat autem tunc immensa siccitas super terram, ita ut plurimi ex populo crederent finem adesse mundi, eo quod incendia et caligo magna totum invaserant orbem. Nam herbæ campi defecerant, virentia cuncta ardebant. In ipso autem periculo apparuit dilectus Domini Marcus cuidam sanctimoniali feminæ, præclaro vultu, longo et pulchro corpore, barba et capite candido, dixitque ei: « Surge, et dic episcopo quare corpus nostrum tandiu retinet super terram? Ecce jam domus mihi parata est, quid moratur? Nunquid non cernit quod populus siccitate periclitatur? Sciat profecto quia si corpus meum redditur terris, statim aqua Domini beneficio tota terra rigatur. » Facto itaque mane surrexit femina, et quæ viderat intimavit. At ille hæsitare cœpit quid ageret; decreverat enim eo die

Digitized by Google

quo corpus inventum fuerat, basilicam dedicare. Nam fideliter populus irruerat super eum, dicens : « Nolumus jam tibi amplius credere, si hæc beneficia a Deo nobis promissa retardare volueris. » Sanctimonialis autem femina cum juramento affirmabat : « Me in custodia retinete, et sanctum corpus reddite sepulturæ, et si tertia die pluviam non habetis, sine mora meum caput detruncate. » Convictus autem tam mulieris assertionibus quam etiam et populi objurgationibus, quarta videlicet feria ipse cum aliquantis de populo jejunavit, et cum sero esset, ipsis solis locum scientibus, secretius corpus humavit, atque cuncto populo diem sacrationis denuntiavit. Factumque est ut die illo transiret, et sicut mulier repromisit, alia die tantam omnipotens Deus pro honore sui dilecti martyris concessit pluviam, ut subito tota terra aqua abundantissime repleretur. Ad hæc tota civitas lætatur, quia id quod optaverat, sine mora tenebat.

Prætermisimus autem magnum et stupendum miraculum quod omnipotens Deus eodem die, cum adhuc sanctas reliquias manibus versaret pontifex, operari dignatus est. Nam dum quidam juvenis aridam manum habens superveniret, et in medio circumstantium populi se objiciens, prospiciens quod episcopus languentibus aquam de qua sacræ ablue bantur reliquiæ ad potandum porrigeret, cœpit et ipse plena fide devotaque mente postulare quatenus ei pro remedio suæ salutis dignaretur sibi porrigere; qui statim accepto vasculo benedixit, eique ad potandum porrexit. Sed statim ut ad os illius exstitit propinatum, divina favente gratia, illico manus ejus incolumis reddita, haustum vasculum a proprio ore removit. Viso autem tanto miraculo admirati cœperunt omnes glorificare omnipotentiam Salvatoris qui tanta in his ultimis diebus ad confirmandum fidelium mentes miracula operari dignatus est.

Præsenti quoque anno, quid in hac urbe clemens Dominus apud illius venerabilissima pignora operari dignatus est, silentio prætereundum non est. Nam dum cujusdam fabri filia ab antiquo hoste demens efficeretur, ita ut in loco in quo consisteret, vel suam ipsam genitricem ignoraret : continuo mater ejus cum cognovisset, festina de agro in quo ad pascendum boves miserat, ad episcopium cum ea cucurrit, et præsenti episcopo indicavit. Qui statim ut cognovit eam ob invidiam antiqui hostis miserabiliter immutatam, dixit ad eam : « O mulier ! quid tibi faciam ignoro, sed tanquam misericordiam consecutus, consilium recuperandæ filiæ vestræ saluti præbeo. Suscipe ergo et continuo eam in nostri Salvatoris Jesu Christi fiducia ante sacrum ejus gloriosi martyris tumulum projice ; confido enim et fiducialiter credo, per ejus sacrum auxilium suo interveniente suffragio, ab ista infestatione filia tua sanabitur. » Quæ mox ut audivit, confortata illius oraculo, per manum eam apprehendens, et in ecclesiam plena fide devotaque fiducia introduxit, et eam ante sacrum tumulum flebiliter Dominum rogando projecit. Erat autem tunc hora tertia diei, et permansit in hac oratione fere hora quinta, atque pro ea sacrificium Deo oblatum, incolumis, auxiliante Domino, facta, cum sua simul genitrice, quæ cum gravi angustia et dolore ad episcopium venerant, cum gaudio et lætitia ad propria sunt reversæ.

Denique cum ad hoc miraculum ad laudem Domini nostri Jesu Christi et præconia sui dilecti martyris Marci scriberetur, et de his virtutibus stupenti anima miraretur, quidam monachus bonæ memoriæ S. Benedicti cœnobii adnotatum miraculum devote de manibus accipiens, sanctissimi hujus martyris prece deposcens, quo sibi dignaretur subvenire et dolorem sui capitis, quo sæpius cruciabatur, auferre, atque stylum per lectum in utraque parte sui capitis ponens, suppliciter se sustollens in prece agebat : « Eia, verende Martyr, mihi succurre precanti, atque pro tuo honore mei capitis tolle dolorem. » Et cum hæc devotissime diceret, continuo Domini largiente clementia, dolor capitis ab eo recessit : et mox lætabundus ad nos continuo repedavit, et quantam sibi Deus fecerit misericordiam meritis sui dilecti famuli enarrabat, humoque prostratus, et erectis in cœlum manibus, cœpit magna cum exsultatione Dominum et ejus martyrem collaudare. Lætemur itaque, fratres charissimi, et totis viribus jucundemur, exsultemus et delectemur in Domino, pro cujus amore hic gloriosissimus martyr Marcus supplicium pertulit mortis, et non tam de miraculis quam de ejus dulcissimo patrocinio gloriemur, in quo cum amore nostræ devotionis spem et fiduciam ponimus, absque dubio de magnis periculis ab ejus sancta intercessione protecti hic et in futuro liberati lætabimur. De signis videlicet atque prodigiis non semper quemque admirari oportet, quandoquidem non tantum sancti, sed etiam et peccatores in nomine Domini facere possunt ; unde in Evangelio in die judicii dicturi sunt : « Domine, nonne in nomine tuo dæmonio ejecimus, et multa signa fecimus? » Quibus dicturus est Dominus : « Discedite a me, operatores iniquitatis, quia non novi vos. » Nam et B. Gregorius in sacro eloquio signa quoque infidelibus data esse refert. Ergo si signa infidelibus conceduntur, cur nos fideles in signis et miraculis miramur, et non potius in sanctitate confidimus? Nam ubi desunt signa, adsunt et suffragia sanctitatis. Ideoque, charissimi, omni fiducia totaque mentis devotione solo prostrati, apud hunc sanctum martyrem Domino veniam postulemus, quatenus ejus sacris meritis impetrare mereamur. Nam si ex toto corde et fida mente rogamus quod pro salute nostra deposcimus, dicente Domino : « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabitur vobis. » Quæramus igitur auxilium ab eo qui potens est, et sanctum nomen ejus, et qui suos martyres in æternum glorificat, pro illorum meritis nos de periculis imminentibus assidue liberet. Scimus enim et indubitanter credimus quod, si quis cum non tepida mente pre-

Digitized by Google

eibus pulsat, quidquid pro sua salute rogitat, absque dubio obtinebit, ut ipse fidelibus suis polliceri est dignatus ; dicit enim : « Si habueritis fidem, ut granum sinapis, diceretis huic monti : Transi hinc, et transiet, et si in fide non hæsitaveritis, quidquid sine dubio quod petieritis, impetrabitis id ipsum. » Sunt quidem nonnulli qui petunt tepida fide, ideo non merentur quod quærunt accipere ; et sunt alii qui tam ardentissima fide petunt, ac si præsentes habeant, et os ad os loquantur. Hi idcirco exaudiri A merentur et effectum precis suæ adipiscuntur. Vos itaque adhortor, charissimi, ut hujus sancti martyris Marci auxilium imploremus, ut una nobiscum in suo patrocinio congratulemur, ut cui assidue præconia sanctitatis in terris attolimus, illius consortium mereamur habere in cœlis : auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

DOMNI LEONIS

ATINENSIS EPISCOPI

Donatio solemnis facta canonicis clericisque Atinensis Ecclesiæ.

(Apud Ughelli, *Italia sacra*, t. VI, p. 432.)

In nomine Domini nostri Jesu Christi.

Anno ab Incarnatione ejus millesimo quinquagesimo sexto, mense Julio, indict. IX, residente in urbe Roma summo et universali pontifice domino papa Victore, et imperante domino Conrado piissimo imperatore, et Capuanam Ecclesiam gubernante domino Adenulpho archiepiscopo. Nos Leo divina gratia dispensante, Eccles. Atinensis episcopus, recto considerationis oculo ea quæ ad utilitatem Ecclesiæ pertinent intuendo, ut ecclesiasticus ordo juste et pie in domo Domini vivere valeat, ordinantes in mente statuimus ut Atinenses clerici ad eccles. S. Mariæ sponte et voluntarie pariter convenirent, et divinum servitium unanimiter Domino exhiberent ; hoc nostræ voluntatis arbitrium placuit, et ipse, a quo omne bonum procedit, hoc sua clementia tribuit et concessit, quoniam ipse, qui bonam voluntatem largitur, præbet et operationis pium effectum. Convocatis igitur universis clericis una cum domino Lando illustrissimo comite, et nostro advocato Bernardo pariter cum omni populo civitatis, nostræ voluntatis arbitrium disserimus, et propositum in mente conceptum illis omnibus viva voce aperire curavimus, ut nihil in domo Domini absque digno consilio fiat, quia scriptum est : « Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis. » Patefacto denique consilio, dignum et justum visum est universis ne clerici per diversa vagantes, et sæculares curas atque sollicitudines semper gerentes, in divino se famulatu exercere prout condecet minime possent ; proinde clerici consilio habito, quidam ex ipsis non inviti neque coacti ad Ecclesiæ servitium gratuito pectore et sincera voluntate se contulerunt, videlicet Theoto, Angelus, Joannes, Almundus, Albertus, Joannes, Leo, Benedictus, Petrus et Joannes presbyteri, et Benedictus archidiaconus, et Gregorius, Marcus, primicerii, Dominicus et Atinus. B Hi omnes rationabile obsequium Domino repræsentantes ut ambularent in domo Domini cum consensu ad altare sanctæ Dei Genitricis sese cum omnibus suis rebus humiliter obtulerunt. His ita peractis memoratus comes omni populo sibi adjuncto una cum prædictis clericis supplices nobis preces deposuerunt, attentius exorantes ut tam illi qui se jam ad Ecclesiæ gremium contulerunt, quam et posteri qui eorum fuerint vestigia secuturi nostra discussarent ; quorum preces benigno pietatis intuitu attendentes, dignum eos duximus exaudiri. Unde accepto et deliberato consilio, eidem sanctæ Dei Genitricis ecclesiæ omnibus canonicis, sicut præsentibus, ita etiam et subsequentibus concedimus atque donamus ecclesiam S. Laurentii, S. Marciani, S. Blasii, S. Sylvestri, S. Petri, S. Stephani, et omnes ecclesias quæ in finibus Atinæ civitatis construi possunt, scilicet cum decimis, primitiis et oblationibus vivorum et mortuorum. Præterea ad honorem sanctæ Dei Genitricis, et ob reverentiam corporis beatissimi martyris Marci, hujus civitatis antistitis, concedimus vobis vestrisque successoribus omnium vestrarum ecclesiarum ordinationes pariter et canonicas sanctiones. Concedimus insuper vobis ut quoties nos vel nostros successores absentes fuerimus, ex nostræ auctoritatis officio potestatis plenitudinem habeatis ; ut episcopali jure clericorum judicium in vestro capitulo oltineatis, et de universis criminalibus, videlicet de matrimoniis dissolvendis vel conjungendis, et de oppressionibus canonice judicandis. Et ut hujus nostræ paginæ instrumentum, sicut et a nobis, ita etiam a successoribus nostris firmum et illibatum in perpetuum conservetur, obligamus nos et posteros nostros curiæ centum libras auri componere, et hoc simili modo eodemque tenore inviolabiliter conservetur. Quod si quis hujus nostræ constitutionis decretum aliqua ratione ausu temerario infrit-

Digitized by Google

gere vel removere tentaverit, ex parte Dei omnipotentis, et B. Mariæ semper virginis, beatique Michaelis archangeli, et ex parte sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et omnium apostolorum, et beati Marci martyris omniumque sanctorum, perpetuo eum anathematis vinculo innodamus, ut in die judicii non resurgat in dextera parte coronandus, sed cum Juda Domini traditore, et cum Datan et Abiron, quos terra vivos absorbuit, suam sedem accipiat. Amen, fiat, fiat.

Hoc ego Benedictus notarius per jussionem supradicti venerabilis episcopi scripsi.

Actum Atinæ feliciter.

Leo Dei gratia episcopus scripsi.
Ego Lando gratia Dei comes.
Ego Petrus Adoni judex.
Petrus Joanni Sergii judex.
Ego Jubone testis sum.

DOMNI LEONIS

SERMO

DE PASSIONE BEATI MARCI.

(Ughelli, *ubi supra*, col. 433.)

Ad matris Ecclesiæ gremium, fratres charissimi, harmoniæ tympanum per totum orbem plebs fidelium sumens, laudesque Regi magnifico super beatissimi Marci pontificis passionem canens recurrat. Hodie namque Marcus præsul sanctissimus, apostoli Petri discipulus coronatus ante Dominum pervenit; hodie laureatus cœlestibus infulis redimitus ante eum assistit, hodie, inquam, audire meruit : « Euge, bone serve et fidelis, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens supra multa; hodie pro Christo duobus clavis in capite est affixus; hodie bravium victoriæ perennis accepit; hodie sub cœlesti est ara locatus; hodie, cum his qui pro Christo passi sunt, canticum novum Deo decantans exsultat; hodie corpus suum urbi Atinæ tumulandum reliquit; hodie per totam Campaniam catholicam illustrat Ecclesiam. Adeo enim supereminens ejus excellentissima exstitit gloria, ut sua quidem passione non solum Atinensem Ecclesiam, verum etiam totam illustraret Campaniam; clarificavit nempe hic beatissimus martyr et pontifex Marcus sua passione Jesum Christum Dominum nostrum, cum pro ejus nomine clavis est in capite binis confixus; sua itaque passione et præsulatus officii dignitate illustravit Ecclesiam, cum, sicut a beato apostolo Petro ei fuerat traditum, alios verbis, alios corporis sui supplicio, alios miraculorum signis ad veri Dei culturam accendit; nam quis in sanctæ matris Ecclesiæ gremio consistens clavos in capite non libenter pro Christo cum Marco susciperet, ut a Christo Domino in perpetuum cum eo remunerari valeret? De hoc siquidem et aliis martyribus David propheta prædixerat : « Ure renes meos et cor meum. » Hujus itaque excellentissimi martyris fide Ecclesia Christi per orbem diffusa incitatur ad martyrii metam, provocatur ad prædicationem, instruitur ad pugnam. Incalescant ergo hodie fidelium mentes, et de tanto Ecclesiæ ariete congaudentes, odas Christo promant, melleaque famina laudis. Nam quis super tam immanissimam passionem non obstupescat? quis non admiretur tortoris sævam crudelitatem? Apprehenditur prædicator Trinitatis sanctissimus, et præsul magnificus catenis ferreis coarctatur, carceri mancipatur, suppliciis afficitur, proscribitur, damnatur, ad postremum clavis acutissimis in capite confoditur. Videte, fratres, videte Marci mysterium, videte tantam longanimitatem, videte tantam patientiam. Animadvertite quo calore urebatur, qui, dum intrepidus persecutoribus verbum vitæ annuntiat, acutos in capite suo pro Christi nomine suscipere clavos non formidavit. Urebatur martyr sanctissimus desiderio vitæ æternæ, et idcirco libenter sustinuit acumina sæva clavorum. Hinc Paulus ait : Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens etiam usque ad divisiones animæ ac spiritus, compagum quoque, et medullarum et discretor cogitationum Dei (*Hebr.* IV, 12). Clavorum igitur beatissimus Marcus afficiebatur supplicio, sed validius sancti Spiritus urebatur ardore; sed dum martyris mens in fidei amore succenditur, hinc amplius tortor nefandus ad ejus necem cum sævis lanistis urgetur. Clamat celerius, clamat instantius : « o mali milites, effeminatum qui animum fertis cum sceleratissimo Marco parcitis! » Atinensis civitas in Christi laude resultat; præparentur nova supplicia, gladius acuatur, necî Christianorum præsul et doctor tradatur, corpusque ejus lupis et canibus devorandum relinquatur. O sententia sæva tortoris! Heu, heu! phalanx iniqua, cur frustra in Christi martyrem sævis? Adest, adest, inquam, cuncti potentia celsa Tonantis; aderit clementia magnifica Dei de tuis qui manibus liberet beatissimum Marcum. Ca-

Digitized by Google

put ejus perforatur, sed firmissima constantia pectoris ejus a charitate non recedebat Omnipotentis. Corpus supplicia patitur, sed salutem vitæ æternæ acquirit. O felix constantia ! o spes inenarrabilis, quæ, dum clavorum non timuit sustinere cruciatus, ante omnipotentis Dei clementiam meruit pervenire laureatus! Laureatus, inquam, ante Dominum beatus Marcus advenit, et mox intersanctorum catervas a Domino est Jesu Christo locatus. Hic est martyr beatissimus, hic est præsul dignissimus, hic est principis apostolorum discipulus, hic est Jesu Christi Domini nostri prædicator testisque magnificus. Sed quoniam ipsius hodie veneranda natalitia celebramus, eum, tanquam patronum nostrum, flagitemus obnixius quatenus pro nobis assidue intercedat ad Dominum; decens siquidem est ut quem prædicatorem et doctorem veritatis habuimus in terris, adjutorem pariter habere mereamur in cœlis, quod Christus Jesus Rex regum omnium concedat æternus, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DOMNI LEONIS

SERMO

IN OCTAVA S. MARCI EPISCOPI ET MARTYRIS.

Hodie, dilectissimi, octavum diem sanctissimi martyris et pontificis Marci celebramus, in quo calcavit diabolum persequentem, vicit mundum blandientem, et sub pedibus suis conculcavit imperatorem frementem. Quanta enim gloria et quibus honoribus in hoc mundo claruit, et qualiter apostolorum principis factus auditor, qualiterque ad cœlestia regna migravit, cum ejus passio legeretur, audistis ; recte igitur sancti martyris et præsulis solemnia usque ad diem celebrantur octavum, qui septem tempora, id est, septem a sæculo leges per septem dies, quibus vita humana designatur, conservans, octavum diem, qui resurrectionis et judicii est, in cordis arcano retinens, pro fide Christi mori non timuit. Quod vero partes septem, necnon et octo, unusquisque fidelis dare debeat, Salomon declarat dicens : « Da partes septem nec non et octo. » Dies enim, fratres, in sancta Ecclesia declarantur tres, ante legem, sub lege, et sub gratia; declarantur et septem per septem a sæculo leges: sed jam, prout Dominus dederit, prædictum numerum qualiter intelligendus, et unicuique sit aptandus, et quid mystice signet, vestræ fraternitati promamus.

De primo die.

In primo namque numero intelligimus Deum Patrem omnipotentem. In secundo Jesum Christum Filium ejus Dominum nostrum. In tertio Spiritum sanctum, a Patre et Filio procedentem. Et hi tres unum sunt, unum in deitate, et tres in personis. Dies autem Deus Pater est, dies Filius est, dies Spiritus sanctus est. Dies diei, Filius de Patre est. Ipse et sol justitiæ est. De hoc die per prophetam dicitur: Timentibus Deum orietur sol justitiæ. Ergo si Pater et Filius dies sunt, et dies lux est, patet nimirum quia Spiritus sanctus vera illuminatio est, illuminans corda et fidelium mentes. Per primam vero diem accipiendum est unum Deum, unam fidem, unum baptisma ; similiter et per primam diem possumus intelligere ab Adam usque ad Noe, et uniuscujusque hominis infantiam, et correptionem, et insciorum prædicationem.

De secundo die.

In secundo vero numero intelligere debemus legem et gratiam, timorem et pœnitentiam. Pedes recti, juxta illud : « Recti diligunt te ; » et speciem electri, id est, Filii Dei incarnationem ; nec non et corpus et anima, vitam activam et contemplativam, practicam et theoricam, sensum historicum et allegoricum facere et docere, uniuscujusque pueritiam; ac juxta Domini præceptum esurientes reficere. Et tempus a Noe usque ad Abraham est delinquentium increpatio ; per legem namque homines a peccato coercentur, per gratiam peccatoribus ignoscitur, per timorem misericordia poscitur, per pœnitentiam peccatoribus venia datur, per pedes in viam mandatorum Dei curritur, per electrum Filii Dei incarnatio demonstratur.

De tertio die.

In trino numero intelligimus Trinitatis mysterium, et tres chordæ in cithara, Deum per artificis manum laudantes, ac tres dies ab origine mundi, ut ante jam dixi, usque ad consummationem sæculi. Sunt enim itinere trium dierum Pater ingenitus, Filius unigenitus, Spiritus sanctus ab utroque procedens, Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus sanctus in specie columbæ et ignis. In libro namque Ezechielis tria verba descripta ostendit illi Deus, lamentationes, carmen, et væ; per *lamentum* pœnitentia, per *carmen* gaudium æternæ beatitudinis, per *væ* supplicia æternæ damnationis figurantur. Tres etiam res sunt propter quas unusquisque fidelis ad Ecclesiam pergit ad baptismum et judicium percipiendum, et corpus ac sanguinem sumendum ; in vivifica quidem hostia tres colores conspiciuntur,

Digitized by Google

species formæ, candor et rubor. Unde David de ejus specie sic ait: « Speciosus forma præ filiis hominum; » in candore carnem virgineam, in rubore mysterium Dominicæ passionis. De hac vivifica hostia tres partes exinde facit sacerdos, primam in patena, secundam in calice ponit, tertiam ipse sacerdos sumit : prima pars, quæ in patena ponitur, significat Incarnationem Filii Dei; secunda, quæ in calice ponitur, corpus incorruptibile quod in sepulcro latuit; tertia, quam sacerdos accipit, Christi resurrectionem designat.

De quarto die.

In quarto vero numero accipimus figuram quatuor animalium, et quatuor rotarum, ac quatuor annulos arcæ; et quatuor principales virtutes, prudentiam scilicet et justitiam, fortitudinem et temperantiam; vel quatuor mundi partes; aut hominem ex quatuor elementis creatum; et quatuor flumina ex uno paradiso manantia. In quarto etiam loco scribitur illud quod Deus dixit : « Fiat lux, et facta est lux : » in quarto quoque loco hominis ponitur juventus, et tempus a Moyse usque ad transmigrationem Babylonis.

De quinto die.

In quinto numero intelligimus quinque libros Moysi, et tempus transmigrationis Babylonis usque ad David ; vel quinque sensus corporis, visus videlicet, auditus, gustus, odoratus et tactus ; similiter etiam et in hoc numero describuntur quinque plagæ corporis Christi in cruce pendentis, et quinque claves sapientiæ, quinque quoque panes hordeacei, de quibus Dominus satiavit quinque millia hominum.

De sexto die.

In senario numero accipiendum est infirmorum visitationem, necnon et hominum senectutem, atque perseverantem sub Evangelio famulatum, et tempus a transmigratione Babylonis usque ad Christum : simul etiam in senario numero Deus cuncta creavit et ordinavit, in sexto die hominem fecit, et in ea ætate mundum redempturus advenit. In sexta quoque hora pro nostra salute Deo Patri Christus semetipsum sacrificium obtulit. In nuptiis vero, quæ in Cana Galilææ factæ sunt, sex hydriæ positæ sunt; prima hydria est ab Adam usque ad Noe, secunda a Noe usque ad Abraham, tertia ab Abraham usque ad Moysen, quarta a Moyse usque ad David, quinta a David usque ad transmigrationem Babylonis, sexta a transmigratione Babylonis usque ad Christum; capientes singulæ metretas binas, id est Vetus et Novum Testamentum.

De septimo die.

Per septenarium namque numerum sanctos apostolos intelligimus, de quibus Dominus ait : « Vos estis lux mundi; » septem etiam invenimus esse dona Spiritus sancti, id est, sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, ac timoris Domini; in sancta quoque Ecclesia septem dona Spiritus sancti unusquisque fidelis accipit, id est pabulum salis, ecclesiæ introitum, sputum, oleum unctionis, baptismum Christi, chrisma sacerdotum, et chrisma pontificum. Septem quoque sigilla in Apocalypsi Joannis legimus, primum sigillum est annuntiatio Incarnationis Filii Dei; secundum, baptismus; tertium, passio; quartum, resurrectio; quintum, ascensio; sextum, judicium; septimum, meritorum retributio ; sunt et septem beatitudines : regnum cœlorum, possessio terræ viventium, consolatio, justitiæ societas, misericordia, visio Dei, et filiatio Dei.

De octavo die.

In octonario numero sanctam Scripturam intelligimus, et dilectionem Dei et proximi, ac speculantium vitam, et tempus generale resurrectionis, vel hominum decrepitam senectutem. Octavus dies apud unumquemque finis est vitæ præsentis et initium vitæ futuræ; octavum diem significabat cataclysmus factus sub Noe, in quo octo animæ salvæ factæ sunt; et in Ecclesiaste Salomon loquitur : « Da partes septem nec non et octo; » septem namque et octo quindecim faciunt, et quindecim sunt cantica graduum quæ filii Israel quando ad templum conveniebant, decantare soliti erant. Christus est dies primus, septimus et octavus; primus, ante quem nullus; septimus, quia in ipso septem dona Spiritus sancti requievere; octavus, quia æternus ac sempiternus est; octo etiam beatitudines Dominus in monte suis discipulis exposuit, quas martyr hic sanctissimus et pontifex almificus in se retinuit et excrevit. Nunc itaque enixius flagitemus hunc martyrem et pontificem Marcum ut pro nobis indignis omnipotenti Deo preces effundat, ut qui Pater, tutor et defensor nobis exstat in terris, eum socium mereamur habere in cœlis, ipse adjuvante qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

AVESGOTUS

SANCTI PETRI CULTURÆ CENOMANENSIS ABBAS.

NOTITIA HISTORICA.

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VIII, pag. 76.)

Avesgaud, ou Avesgot, était abbé de la Coulture à un des faubourgs de la ville du Mans. Il faut éviter de le confondre, comme l'a confondu un auteur célèbre (MAB. An. l. LXI, n. 41), avec un autre Avesgaud, abbé de Saint-Vincent, dans la même ville, qui en 1059 assista au sacre du roi Philippe. Celui qui fait le sujet de cet article, n'était encore alors que simple moine, et ne fut élevé à la dignité d'abbé qu'après 1061. C'est ce qui paraît par une lettre qu'il écrivit vers ce temps-là. Non-seulement il n'y prend point d'autre qualité que celle de moine, mais il n'en donne même aucune à S. Anselme, à qui elle est adressée, et qui fut prieur du Bec l'année suivante, ce qui prouve que la date de la lettre est antérieure. Quoique Avesgaud soit différent de l'abbé de Saint-Vincent de même nom, il pouvait néanmoins être de la même maison, qui était celle de Bellesme, dont était sorti un troisième Avesgaud, mort évêque du Mans en 1036. Il parle effectivement de sa famille comme étant puissante au pays du Maine. Il gouverna le monastère de la Coulture en qualité d'abbé jusqu'en 1079 inclusivement, et eut Jobel pour successeur dès la fin de la même année ou au commencement de l'année suivante.

Avesgaud n'écrivait pas mal, comme on le voit par sa lettre à S. Anselme, que Baluze a tirée de l'obscurité. C'est l'unique production de sa plume qui soit venue jusqu'à nous. L'objet que s'y proposait l'auteur était d'engager Anselme à se charger pour un temps de l'instruction d'un de ses neveux. Mais elle n'eut point d'autre effet que de lui attirer la belle réponse qui fait la seizième lettre du premier livre d'Anselme, et dans laquelle celui-ci répond d'une manière aussi modeste qu'ingénieuse à un vers de Perse qu'Avesgaud lui avait cité. Il est étonnant après tout de voir que le Bec, qui avait ouvert à la jeunesse une école publique, ait refusé en cette rencontre un jeune élève de condition. Mais l'étonnement cesse lorsqu'on fait réflexion qu'il s'agissait des premières instructions de la grammaire, qu'Anselme ne pouvait lui donner comme le souhaitaient ses parents, parce qu'il était occupé à enseigner les hautes sciences.

AVESGOTI ABBATIS

EPISTOLA

AD SANCTUM ANSELMUM POSTMODUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(BALUZ., *Miscell.*, t. II, p. 174.)

AVESGOTUS, cœnobii Sancti Petri Culturæ monachus ANSELMO salutem.

Hactenus amici atque familiares solummodo fuimus locutione, sed minime experti sumus nos, si necesse esset, operatione. Ego jamdudum opto ut quid jubeas mihi, tuncque videres quantum de me confidere potes. Crede mihi, aut per me aut per meos parentes jussioni tuæ obedirem libenter. Verum cum istud facere negligis, a te hoc donum primus exigo. Habeo quemdam meum nepotem jam juvenem, quem super omnia curo; et, si ferre valeres, desidero eum manere tecum, tuo ut grammate eruditur. Ad alios doctores ipsum mittere possum. Sed majorem fiduciam in te haberem quam in aliquo vivente. Valde securus ex eo fierem, si moraretur A in loco in quo es. Cur fama Lanfranci atque Guimundi volat per orbem plus tua? Cur tandiu lucernam recondis sub modio? Quid non recordaris poetæ dicentis :

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Ex te haud dubito quin annuas voluntati meæ. Verum deprecor te multum ut mihi dicas quod servitium abbati tuo congregationique subjectæ sibi offeram, ut hoc quod retuli permittant fieri saltem tres menses aut quatuor, si plus eis non libuerit. Igitur si verba mea, uti cupio, a vobis fuerint suscepta, manda mihi terminum quo te possim invenire; atque, si incolumis fuero, illuc abibo. Vale, charissime (1).

(1) Responsoria Anselmi exstat inter ejus opera, lib. I, epist. 16.

Digitized by Google

SS. ARIALDUS DIACONUS ET HERLEMBALDUS MARTYRES.

SANCTORUM MARTYRUM ARIALDI ET HERLEMBALDI ACTA.

DE VENERATIONE ANTIQUA SEPULCRORUM, ACTORUM SCRIPTORIBUS ET CERTAMINUM, SOCIO LUITPRANDO PRESBYTERO.

(Apud BOLLAND., *Acta sanctorum*, Junii, t. V, die 27, p. 280.)

1. Joannes Petrus Puricellus, Laurentianæ Mediolani collegiatæ archipresbyter, cum anno 1645 Ambrosianæ ibidem basilicæ ac monasterii monumenta evulgasset, ordine chronologico digesta, ubi haud parce delibantur acta prænominatorum sanctorum, biennio post proprium de his evulgavit opus, libris quatuor distinctum, quorum primus continet « Testimonia, pro ipsorum sanctitate collecta, » quæ quidem pleraque historicorum sunt, ordine ætatis a sæculo XI usque ad XVII propositorum per capita XXX, et eorum potiores suo indicabuntur loco. Præ istis huc potissimum spectat « archiepiscoporum Mediolanensium catalogus » anno 1310 collectus, ubi ad Guidonis archiepiscopi LXXII nomen, sic notatur : « Isto tempore passus est B. Arialdus, martyr et levita, scilicet millesimo sexagesimo sexto. Jacet in corpore ecclesiæ S. Dionysii. Beatus quoque Heriballus miles, qui amasias et filios sacerdotum persequebatur. » Fundatur autem hujusmodi testimonium in utriusque monumentis diu superstitibus, et epitaphiis in eorumdem erectione sculptis, atque infra producendis. Proximum illi catalogo locum meretur « Kalendarium Ambrosianum, » anno 1381 præfixum membraneo codici Epistolarum ad missas per annum legendarum; ubi ad 28 Junii sic habetur : « S. Arialdi levitæ et martyris. Jacet ad S. Dionysium. » Accedit liber ipsius Puricelli proprius annis præcise centum post illum codicem scriptus, « de indulgentiis quæ concessæ sunt Mediolani ecclesiis, deque corporibus sanctorum in eadem urbe atque ipsius diœcesi quiescentibus, » ubi folio 16 V, dicitur. « In S. Dionysio S. Dionysius, S. Arioldus, S. Aurilius, » alias « Arialdus » et « Aurelius » « scribendi.

2. Sed si ibi prætermittitur « S. Herlembaldus, » is alibi etiam absque « Arialdo » refertur ut « sanctus; » videlicet in tabula perantiqua collegiatæ ecclesiæ S. Babylæ, ex asseribus compacta, ad istud sacellum quod capellæ primariæ sinistrum est, ubi « medium locum tenet S. Ambrosius, indumentis archiepiscopalibus ornatus, flagellum minaciter elatum dextera manu gestans, sinistra vexillum : in quo pictæ sunt sanctissimæ Trinitatis personæ, nihil inter se forma vel ætate differentes. Ambrosio dexter assidet sanctus miles armatus, gentilitium familiæ Cottæ stemma præferens supra pectus in latere dextero, Cottam scilicet albam, et his litteris indicatus sanctus Arembaldus; sinistra quoque martyricam gestans palmam, dextra vero vexillum album rubra cruce interposita variatum. Simile porro vexillum et palmam similiter gestat alter ille, in sinistro assidens latere, ac sanctus Julianus appellatus. » Sed hic quis sit, hactenus non divino; habitus certe alium indicat ab istius nominis sancto diacono, qui cum fratre S. Julio Novariæ presbytero colitur 31 Januarii.

3. Secundus prælaudati operis liber « S. Arialdi Vitam » continet, quam Constantinus Caietanus Puricello communicavit, ex veteri codice acceptam, scriptam autem non a Syro sacerdote (cujus exstat ad calcem epistola, et cui ipsam perperam addixit Baronius ad an. 1066), sed a « B. Andrea, » primum S. Arialdi usque ad obitum discipulo, deinde monacho Valumbrosano atque abbate S. Fidelis de Strumis, cujus quædam acta colligere studui die 10 Martii. Scripsit quidem aliquid « Syrus » prædictus statim ac cædes patrata fuerat, « cum socio Herimberto, » uti in epistola ad eum ait ipse

Andreas; sed quod scripsit, non invenitur. Quia vero ille multa omiserat, plenius et accuratius scripsit Andreas, jussu abbatis sui Rudolfi, decimo post mortem sancti anno; incompleto scilicet, ut alibi ostendam, annos numerando, id est anno 1075, cum recenter obiisse, similis martyrii laurea coronatus, « S. Herlembardus, » cujus ille passionem « alteri tam volumini quam scriptori » relinquere se professus, num. 44, necessitatem nobis imposuit ejus acta colligendi ex auctorum coævorum, sed ferme adversariorum historiis seu annalibus, quos in lucem edendos promisit quidem Puricellus, sed morte præventus longum eorumdem desiderium adhuc post se reliquit.

4. Sunt autem illi primum « Arnulfus » quidam, quatuor libris historiam patriam complexus; et a libro II professus ea se deinceps scripturum, quæ ab Ariberti archiepiscopi electione facta anno 1019 ipsemet videndo cognovisset; sicut fecit usque ad 1077. Deinde « Landulfus, » respectu alterius infra nominandi, « Senior » appellandus, qui scribebat circa annum 1080, in his ob quæ « Arialdum et Herlembaldum » laudamus, quæque ad invidiam utrique conflandam ipse detorquet, tanto magis credendus, quoad rei gestæ substantiam, quanto iniquiori animo ea scripsit, etiamsi manifeste « mendax, dum asseruit et Arialdum et Alexandrum papam II pœnitenter indoluisse omnibus quæ contra Nicolaitas et Simoniacos Mediolani clericos ante egissent; dum etiam tria confinxit miracula; quæ Deus patravit in favorem causæ quam uxorati sacerdotes pertinaciter tutabantur, quamque toties Ecclesia catholica Romana damnavit. » Ita Puricellus in præfatione ad librum I, merito redarguens Tristanum Chalchum, Carolum Sigonium, Josephum Ripamontium, recentioris ævi historicos Mediolanenses, quod in explicandis turbis quibus, sæculo XI ultra medietatem procurrente, agitata Mediolanensis Ecclesia est, et quarum causa isti publice habiti sancti vitam amiserunt, martyrii titulo a Romanis pontificibus consecratam, maluerint auctores schismaticos sequi ipsosque sanctos inculpare, quam « Landulfum Juniorem, » qui sub annum 1515 scribebat qualia ex « venerabili Liprando, » avunculo suo, didicerat, pro eadem causa naso auribusque mutilato.

5. Damus hic primam « S. Arialdi » Vitam ex ista Puricelli editione, cum eaque mortem ascribimus anno 1066, et quidem hoc ipso quo Andreas passum « Arialdum » affirmat die, « quinto Kalendas Julii; » qui tamen dies cum esset celebranda S. Baptistæ octava occupatus, translatus sit in præcitato Kalendario ad IV « Kalendas. » Neque ad diem mutandam cum Puricello nos movet numerus 67, quod captivum abductum sanctum, « ante horam diei tertiam, in quo vigilia S. Petri celebrabatur, per totum Mediolanum est divulgatum. » Cum enim Lacus Major, ad quem ductus et in quo eadem die interfectus est sanctus, ad quinquaginta aut plura passuum millia distet Mediolano, nec ita procul inde captus ille sit, horarum paucarum intervallo; satis mirum fuit proditionem eam, per quam in hostium manus ipse venit, postridie mane personuisse in urbe, licet adhuc sine ulla de nece vel necis modo certitudine; quam primum die 29 consecutus est auctor, totam diem noctemque ambulando illuc progressus. Tunc siquidem consceleratus sacerdos ei obviam factus, dixit: « Ex[a] terna die vox lætifera, » id est lætitiæ plena, « loco nostro insonuit: Arialdus, clericorum adversarius, vinctus habetur in navi et in ripa laci, » eodemque die peractam cædem describit. Ubi non lego cum Puricello « externa, » ut videri posset, « hesterna; » sed « ex terna, » sive « ex tertia die, » id est, nudius tertius, tunc V Kal. Julii. Quoniam autem de « S. Herlembaldo » nihil distincte scitur quoad diem mortis, obitæ (ut satis probaturum me puto) anno 1075, non 1076, haud diu post Dominicam in Albis, tunc 12 Aprilis actam; congruum censui, quorum conjuncta fuerunt et viventium acta, et mortuorum monumenta cultusque, non dirimere historiam, sed Vitæ Arialdi subtexere reliqua usque ad « Herlembaldi » cædem acta.

6. Quoniam etiam extremi discriminis socius ille fuit « Luitprandus presbyter » prælaudatus, dictus etiam « Liprandus » et « Leoprandus, » anno 1513 die 6 Januarii, in senectute et confessione bona defunctus, in Pontidio S. Jacobi monasterio, sed sanctis necdum annumeratus; quæ de illo superant plane admiranda, et ad idem prorsus argumentum facientia, per modum appendicis historiæ sanctorum duorum placuit adjungere. De hujus aliquo cultu apud Pontidienses monachos, apud quos obiit et sepultus est, si quid invenisset Puricellus, fuisset haud dubie studiose expensurus. Attentis tamen iis quæ nepos istius Luitprandi narrat [de] viventis mortuique miraculis; atque in primis [de] animi fortitudine, divinitus inspirata, ad subeundem ultro ignis judicium; dubitare vix possum quin hunc beatis suis accensuerint, et ossa defuncti Pontidienses habuerint in honore, sed per bellicas aliasve calamitates, destructo aliquando vel incenso monasterio, suspicor periisse ipsius sepulcri memoriam, et quidquid facere posset ad eumdem sine scrupulo vocandum « beatum, » imo et « sanctum, » si constaret ejus esse ossa, quæ Papiæ inter alias reliquias nominantur. Talem de Pontidiensium erga Luitprandum affectu opinionem confirmat mihi memoria cultus a Vallumbrosanis monachis delati S. Petro, quem « Igneum » cognominant, ab eo eventu, quo simile ignis judicium subiit Florentiæ anno 1063, id est annis 38, antequem id subiret Luitprandus; siquidem Petri istius reliquias pridem honorifice conditas habent monachi sui in altari, pluribus ejusdem professionis beatis communi, et nunc etiam obtinuerunt a sacra Rituum congregatione, ut festum ejus possint cum Officio agere 8 Februarii.

7. Andreas Alciatus, jurisconsultus celeberrimus, qui anno 1550 florebat, in quodam suo Anti-

Digitized by Google

quario, per N. Fontanam in mss. allegato apud Puricellum pag. 15, « Arialdi ex Alciata gente sepulcrum » indicare dicitur; et addere, « cujus conciones, disputationes, necem, miracula, Arnulfus historicus Mediolanus descripsit. » Sed quoniam Arnulfus iste fuit, sicuti vidimus, periniquus « Arialdo, » non est verosimile quod ille seorsim a sua Historia, qualem diximus, Vitam sancti voluerit scribere, licet ad extremum emendatus et reconciliatus Ecclesiæ; cum ne tunc quidem dimoveri potuerit quin sentiret sanctos prælaudatos bonam causam minus bene discreteque egisse, adeoque nec in morte sic obita laudandos. Ut ut est, ejus non potest esse Vita, quæ Puricello facit librum tertium, et quo in adnotatis frequenter utemur. Præterquam enim quod ubique sanctorum acta probet vehementer, sese indicat auctor scripsisse post annum 1100, quando de « ecclesia Rozonis » loquens addit, « quæ nunc dicitur S. Sepulcri, » quod nomen illa primum assecuta tunc est. Plura in hanc rem congerit Puricellus in præfatione ad istum lib. III, censetque ex stylo eam esse « Landulfi, a S. Paulo » dicti, « Junioris » per nos appellandi, qui lecta accurate Vita per Andream scripta (hanc autem legisse Arnulfus vix potuit, nedum et tam contraria prius scripsisse quin postea distinctius retractaret) eamdem redegerit in compendium, quædam paulo mellus ordinans et supplens ex eadem scientia, et suos tunc etiam Annales scribens, in appendice nobis potissimum sequendos.

8. Idem Alciatus aliam Vitam « S. Arialdi » vel scripsit vel scribere inchoavit. Superest enim ejus initium, quod Puricello facit libri I caput 12, sicut illud hic habuit, suppeditatam sibi a Matthæo Valerio, Carthusiæ Papiensis priori, et simili prorsus exemplo vidit in musæo Aloysti ab Ecclesia, quondam secretarii Urbani. Hoc quoque fragmentum, adnotatis nostris insertum, lector inveniet : uti etiam quædam « Petri Azarii, » viri, ut apparet militaris, qui anno 1456 militiæ reformandæ adhibitus Annalium Mediolanensium opus, quale apud Carthusiæ priorem prælaudatum servabatur in mss. perduxit ad annum 1402 plane grandævus. Reliquos auctores, quorum loca ac testimonia implent librum I Puricelli, communem « SS. Arialdo et Herlembaldo » (quam aliqui « Arembaldum, Herenbaldum » et « Heribaldum » nominant) videsis apud ipsum. Vide etiam ejusdem librum quartum; qui unius quidem « Herlembaldi Vitam » profitetur dare, sed revera historiam continet totius schismatis quod sæculo XI Ecclesiam laceravit, Cadaloo et Guiberto in antipapas elevatis, per rebellem Ecclesiæ Henricum ejus nominis regem IV, imperatorem III.

SANCTI ARIALDI

VITA

Auctore B. Andrea Vallumbrosano, sancti discipulo.

PRÆFATIO.

1. Præcepisti, venerande Pater Rudolfe, ut beati martyris Arialdi passionem describerem. Quod licet facere conatus sim (in veritate, non pro humilitate sola, ut plerique sapientes solent, loquor), quidquid in ea est quod conveniens sit, etiam in ipsa verborum compositione, non meæ sapientiæ, quæ sic est parva ut pene sit nulla, sed soli Dei gratiæ, meritisque ipsius, atque tuæ orationi tribuo. In qua sciat, eam quicunque legerit, me prorsus nihil dixisse nisi quod viris certis narrantibus didicerim, a marchione videlicet, ipsius germano fideli, vel a Bonovisino ejusdem fidelissimo famulo, qui ei a cunabulis est famulatus similiter, imo de quibus tot existere possunt testes quot illo in loco cum ætate perfecta sanoque sensu sunt homines.

2. Verum, per totum hunc libellum, meum nomen celetur, qui talis sum ut magis conveniat nesciri quam sciri, cui jure congruit illud Isaiæ : « Claude, inquit, ostium tuum, et absconde te post illud, donec transeat ira Domini (*Isai* XXVI, 20); » tum vero nomen in ejus fronte habeatur; quoniam, velis nolis, super candelabrum, ut omnibus luceas, te posuit Christus; quatenus, is qui scripsit si ignoratur, ad quem scriptus est non ignoretur. Porro quia in hoc plura sunt in verbis et factis ædificationi utilia, duodecim monasteriis quibus te supernus Judex proposuit, oro ut ad legendum tribuas, quatenus, dum audierint, in defensione veritatis, quod alii nostro in tempore dixerunt et perpessi sunt, accendantur et ipsi ut talia dicant, et, si necesse fuerit, pro eadem veritate similia patiantur.

CAPUT PRIMUM.

Arialdi natales, institutio, prima contra clerum incestum concio.

3. Licet jam sic senex sit mundus ut jamjamque vicinus ejus cernatur occasus, tamen quia ab universis mortalibus ignoratur quando finiatur, libet novorum constantiam sanctorum, supparem antiquorum, sævitiamque perfidorum qui eos usque ad necem, nostris temporibus imoque nostris sub ocu-

Digitized by Google

lis, persecuti sunt, scriptis tradere atque posteris ad eorum ædificationem intimare.

4. Igitur in Cutiaco (1) quodam vico, inter Mediolanum Comumque sito, milliario vigesimo distante a majore, quinto vero a minore [civitate], ut vulgari fertur opinione, Bezo quidam cum Beza sua uxore exstitit, nobiles (2) utrique natione, sed nobiliores probitate. In quorum profecto laude parumper immorari ex sanctorum gestis quamplurimis instruimur, et cuncti scimus liberiorem fore laudem celsi ædificii, si certitudo manifesta habeatur firmi ipsius fundamenti. Hi namque causam reproborum, quæ est rapacitas, tam exosam habeant, ut inter cætera eorum bona, cum in servis equisque nimis abundarent, nullus erat audax ex ipsis servis qui manipulum quidem vi furtimve alienæ segetis raptum deferre auderet equis coram eisdem. Porro superbiam, quæ est causa diaboli, ita exsecrabantur ut, cum libere modis omnibus suis vicinis imminerent atque a nemine eorum si nollent, constringi possent; ceu essent ex illorum minimis, sic se ultro subdebant ipsorum omni justæ conventioni.

5. Verum quoniam unicuique parum est non agere prava nisi in bonis operibus exercitationem ponat, pauperum infirmorumque necessitati intendebant, ut ex vicinis nemo, infirmitate oppressus, in strato jaceret qui a Beza memoria digna non visitaretur, et suis, si egeret hujusmodi, substantiis non aleretur. Præterea in cæterorum orphanorum egenorumque beneficiis, quæ illis sedule impendebat, Deo et hominibus ejus vita sic erat grata ut ipsi pauperes invicem conferrent, dicentes : Si hæc obierit, profecto nobis vivere non expedit. Hoc quippe exercitium sanctæ actualis vitæ, per multorum curricula annorum, in venerabilis Bezæ natorumque ejus desudatione, viro ipsius jam defuncto, egomet vidi cæteraque perplura ædificationi congrua. Quæ ideo prætermitto, quia velociter ad ea quorum causa hoc opus assumpsi venire concupisco.

6. Huic utique, sicut illius relatione didici, nocte quadam dormienti, ejus adhuc vivente viro ex quo tunc in utero habebat filium, admirabile lumen in visione, ceu solis meridiani splendor, desuper illuxit; cujus claritas, omnibus tenebris ab ea expulsis, totam domum, ubi erat jacens, implevit. Mane autem facto, insolitam secum visionem admirans, antiquis matronis pandit; a quibus protinus audit habere se in utero infantem sexus masculini, meritique futurum celsi. Quem cum enixa est, apto præstolato tempore, Arialdum vocant, clericum faciunt, scholis diligenter eo usque tradunt quousque provinciales magistri qui eum possent instruere deficiunt. A quibus cum per tempora, ut scholaribus moris est, reverteretur (sicut a matre ejus jam sæpe dicta cognovit) et puellæ ipsius ornatiores more solito nitidioresque se ejus vultui præsentarent (3), quemadmodum esset videre, sic exterminabat a sua facie, dicens : Captio hæc est Satanæ. Indesinenter denique, in diversis terris, scholasticis se studiis tandiu tradidit, donec optime tam liberalium quam divinarum litterarum haberet scientiam simulque ætatem perfectam (4).

(1) Landulfus Junior, « loca » in « Cuzago, prope Canturium, » vulgo « Cantu, » quod notatur in tabulis, istud non item. Alciatus « Cucciacum » nominat « sub Canturiensi præfectura, » triplo propius Como quam Mediolano, inter Lambrum et Muram fluvios.

(2) « Nobilibus parentibus de Alzates, » quo nomine invenitur vicus 6, p. m. ultra Novariam; alii familiæ nomen faciunt, et « Alciatos » Latine reddunt; sed prælaudatus Alciatus in fragmento Vitæ, Andreæ verbis contentus, tacere id maluit, an quia gentilem suum « S. Arialdum » non audebat asserere? At postea id fecit in Antiquario suo, allegato num. 7 Comm. prævii, de « Alciata gente » eum fuisse, dicens : Verum hæc verba fortassis Fontanæ sunt; et oportet non admodum nobilem fuisse, de quo ait Senior Landulphus, quod « Landulfum, » majorem Canonicum « sibi prævidit applicare quasi generosiorem, » quia ipse « erat humiliter natus; » qua in re, credo, noluisset mentiri scriptor ille, licet subinde minime verax, cum agitur de causa clericorum quam tuetur contra sanctum. Igitur qui in prologo attribuitur sancto germanus « Marchio, » eum reor ita dictum proprio nomine a baptismate, non autem appellativo a dignitate æque ac alium, quem apud Puricellum pag. 237 ex Arnulfo legimus ab alta rupe præcipitatum. Diamans Marinonus, in mss. De originibus urbis et familiarum Mediolanensium, apud Puricellum lib. 1, cap. 12, nomen ab « Alcatho » regis Æoliæ filio, Hippodamiæ proco, vel ab « Aleeo, » Herculis avo petit, quæ pro deridiculis habuisset, credo, eruditissimus Alciatus, si legere potuisset; hic tamen, nescio ubi vel quo modo, dicitur « Alciato regiæ stirpis fidem facere. » Italice « Alzatus » idem est quod « elevatus; » unde « inalzare, » est « elevare, » quod satis esse ad verum nominis etymon reor. obligatis fabulis.

(3) Landulfus Junior : « Vidit sorores in lascivo habitu cum matre : » Quod hujus probitati non satis convenit; potuit tamen puellis suis, et, si quas habebat, filiabus plus ornatus indulgere mater, qui tamen lascivus non esset.

(4) Alciatus, « Prius, » inquit, « dedit operam omnibus liberalibus studiis, in quibus, ut tempora erant, multum profecit. Perierant enim ea tempestate, et assiduis bellorum tumultibus, et ira Dei, bonæ litteræ, nullaque gymnasia per omnem Italiam habebantur; quapropter in Galliam ad Parisiorum academiam se contulit; in eaque diutius versatus, magnum nomen consecutus est. » Sic etiam Landulfus Junior, in Monum. Ambros. pag. 530, dicit Olricum vice dominum Mediolanensem, et Anselmum de Pusterla « Leodunum i, » Laudunum Galliæ inisse, « ad præcipuum magistrum Anselmum de Monte, » audiendum, quibus gratum fuerit ipsummet Landulfum secum ducere. « Et tradunt, » inquit Alciatus de S. Arialdo, « in divinarum rerum professione, quam theologiam vocant, tantum profecisse ut omnes collegas post se reliqueret. Dialecticam vero, quam doctrinæ superficiem quamdam appellabat, contempsit magis quam ignoravit. » Landulfus Senior ei infensus, apud Puricellum quasi ingratitudinis sanctum arguit, dum ait, pag. 179, quod « penes Guidonem antistitem multis fotus deliciis, multisque cumulatus honoribus, dum litterarum vacaret studio, severissimus est divinæ legis factus interpres, dura exercens in clericos solus judicia. »

Digitized by Google

7. Erat enim tunc ordo ecclesiasticus in tot erroribus seductus, ut ex illo vix quispiam existeret qui in suo loco veraciter reperiri posset. Nam alii, cum canibus et accipitribus huc illucque pervagantes, suum venationi lubricæ famulatum tradebant, alii vero tabernarii, et nequam villici, alii impii usurarii existebant, cuncti fere cum publicis uxoribus sive scortis suam ignominiose ducebant vitam; omnesque, quæ sua erant, non quæ Christi, quærebant. Nam, quod sine gemitu dici vel audiri nec potest nec debet, universi sic sub Simoniaca hæresi tenebantur impliciti, quatenus a minimo usque ad maximum nullus ordo vel gradus haberi posset nisi sic emeretur quomodo emitur pecus. Et, quod est nequius, nemo tunc qui tantæ perversitati resisteret apparebat; sed, cum lupi essent rapaces, veri putabantur esse pastores.

8. Ad quorum nimirum perversitatem detegendam et corrigendam, Mediolanum, ubi hæc iniquitas tanto erat copiosior quanto urbibus cæteris ipsa est populosior, a Deo procul dubio præfatus missus est Arialdus, divinis, ut prædiximus, legibus bene eruditus. Qui ingressus urbem (5), populum pene universum, ad ejus verba confluentem, fari sic adorsus est : « Volo, dilectissimi, vobis dicere, in nostri sermonis exordio, quæ scire vos scio, ut paulatim sic vos introducam ad ea quæ nescitis et vobis scire magnopere necessaria sunt. Veraciter credo vos nosse humanum genus usque ad Christi Domini nostri adventum cæcum fuisse, non oculis corporis sed cordis. Quod ideo erat cæcum, quoniam quod erat falsum credebat verum, dicens lapidi lignoque et metallo : Deus meus es tu. Cujus cæcitati ut miseriæ in tantum summa Lux et æterna compassa est, per quam omnia facta sunt, et in qua universa consistunt, ut non ad hanc a cordibus hominum auferendam angelum mitteret, sed per semetipsam de cœlo descendit, carnem assumpsit, et, ut eam ab hominum cordibus penitus expelleret, usque ad crucis mortem libenter accessit. Qui in diebus carnis suæ homines tot de mundo elegit quot sufficere ad universitatis illuminationem ante sæcula posse prævidit. Quos, omnibus falsitatis tenebris ab eorum cordibus expulsis, æterna luce illuminavit eosque per mundum universum misit, et lucem, quam acceperat, ubique deferre præcepit sicque ad Patrem a quo venerat rediit.

9. Hæc quippe summa et æterna vivaque Lux duas in terra causas reliquit, in quibus omnes qui erant illuminandi illuminarentur, et usque in finem sæculi semper permanerent lucidi; tam isti qui adhuc erant illuminandi quam qui jam fuerant illuminati. Vultis nosse eæ res quæ fuerunt? Verbum scilicet Dei et doctorum vita. De Verbo autem Dei, quod lux sit, non meum, sed Psalmistæ audite testimonium : « Præceptum, inquit, Domini lucidum, illuminans oculos (*Psal.* XVIII, 9); » et item : « Lucerna pedibus meis verbum tuum (*Psal.* CXVIII, et 105.). » De vita vero doctorum, quod esse debeat lux in verbis suis, ipsa per se Veritas aperte manifestat : « Vos, inquit, estis lux mundi (*Matth.* V, 14), » et protinus addidit : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui est in cœlis (*Ibid.*, 16). » Ex his itaque unam idem Dominus posuit ante illos, aliam ante vos. Hi vero, quibus scientiam Scripturæ dedit, sibique ad ministrandum elegit, ut ad lumen verbi sui lucidi semper viverent, constituit; et, ut eorum vita esset vestra lectio, qui litteras nescitis, ordinavit. Sed, inimico humani generis insidiante, pariterque nostra negligentia et peccato operante, illi, se convertendo retrorsum, perdiderunt suam; vos autem lucem perdidistis vestram.

10. Verumtamen, ut securius vos idem inimicus deluderet, qui societatis ab eis abstulit veritatem, eis promisit in exteriori habitu sanctitatis habere similitudinem, quod gemens dico, non ad vestram ignominiam, sed ad cautelam. Nonne ad eamdem cæcitatem estis reversi, pro qua ab hominibus auferenda Christus de cœlo misericorditer descendit? Sic enim ideo humanum genus ante ipsius adventum, ut diximus, erat cæcum, quia sumebat pro vero mendacium; quicunque nunc opus simile facit, nonne causam eamdem incurrit? Nam sicut illi decepti lapides et ligna credebant deos, ita vos vestros sacerdotes putatis veros, quos incunctanter esse constat falsos. Unde hoc scire possumus? Vultis nosse unde? In tenebris sumus : ut hoc patenter cognoscamus, ad lucem eamus. Ad quam lucem? Ad Verbum videlicet Dei. Ecce Christus dicit : « Qui mihi ministrat, me sequatur (*Joan.* XII, 26). » Quod est aperte dicere : A nemine quippe mihi ministratur nisi ab eo qui me sequitur. Vestrorum vitam sacerdotum scio vos nosse : et quo Christus pergat, et quid dicat, audite, atque tunc plenius cognoscetis utrum isti sint ejus ministri, an ipsius potius adversarii. Ecce Christus clamat : « Discite a me quia mitis sum et hu-

(5) « Varisii, ubi morabatur » Arialdus, cœptam prædicationem, ait uterque Landulfus, neque id negat Syrus, infra num. 84. Est autem « Varisium, » inter Angleriam et Comum, ad 40 fere p. m. distans Mediolano, nostra ætate, a Dominicæ Passionis mysteriis, vicino in monte expressis, celebratissimus religione locus, Canturio propinquus intervallo 10 milliarium aut eo amplius. Alciatus ibi habitasse sanctum non dicit, sed eo « pro tempore sæcecisse, » quod imparem adhuc se crederet factioni improborum sacerdotum. Uterque Landulphus Arialdum » tunc ait « ex decumanis canonicis » fuisse. Tales autem nunc vocari « canonicos titulares, » docet Puricellus in monumentis Ambrosianis; alibi « canonici ei minores » seu « vicarii » vocantur, prout condistincti a «majoribus» seu «ordinariis.» In dissertationibus vero Mazarianis, pag. 444, idem Puricellus docet « decumanos » istos «numero centum» fuisse «distributos in undecim ecclesias collegiatas, et alias decem capellas. » Et sic ipse « Arialdus, » jurans in verba S. Petri Damiani, incipit : « Ego Arialdus, dictus Diaconus de capella Mediolanensis archiepiscopi; » ubi «S. Arialdum» intellige cæteris præire exemplo.

Digitized by Google

milis corde (*Matth.* II, 29). » Et iterum de se dicit : « Filius hominis non habet ubi caput reclinet (*Luc.* IX, 58). » Et item : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 3). »

11. E contra vero, ut inspicitis, vestri sacerdotes, qui effici possunt ditiores in terrenis rebus, excelsiores in ædificandis turribus et domibus superioribus, in honoribus, in mollibus delicatisque vestibus pulchriores, ipsi putantur beatiores. Et ipsi, ut cernitis, sicut laici, palam uxores ducunt; stuprum, quemadmodum scelesti laici, sequuntur, atque ad nefandum hoc opus patrandum tanto sunt validiores quanto a terreno labore minus oppressi; videlicet viventes de dono Dei. Christus autem in suis econtra ministris tantam munditiam quærit et exoptat ut non solum in opere, verum etiam stupri scelus damnet in corde, dicens : « Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* V, 28.) » Redite, dilectissimi, ad corda vestra, redite : et sumere verum, falsumque respuere discite. Nam conatus sum reos reducere ad suam lucem; sed nequivi. Ut enim vos ad vestram reducam, huc ideo veni; et hoc aut fecero, aut pro vestra salute paratus sum animam meam tradere gladio. Hæc et hujuscemodi complura vir Dei dum diceret, in verbis ejus plebs fere universa sic est accensa ut, quos eatenus venerata erat ut Christi ministros, damnans proclamaret Dei hostes, animarumque deceptores.

CAPUT II.

Arialdus, socium Landulfum nactus, Romam abit, et ambo injuriis impiorum vexantur.

12. Factum est autem, dum agerentur hæc, de medio multitudinis surgens quidam clericus, nomine Landulphus (6), de urbanis excellentibus tam ordine quam natione, nimis potens in voce et sermone, silentium petiit. Quo concesso, hujusmodi lætiferam vocem prompsit : Gratias, inquit, coram vobis omnipotenti Deo ago, qui nunc me ea audire permittit, unde meum cor per innumera tempora ignescit. Nam olim hæc sciens dolensque, ideo tacebam, quoniam cum quo ea dicerem non habebam. Nunc vero, domine Arialde charissime, quia Dei donum te dedit mihi, scito me ab ipso collatum tibi, et exinde quidquid hac de re dixeris fecerisve, me facere et dicere, et me meam animam, sicut tu professus es tuam, pro salute fratrum ponere esse paratum, incunctanter te nunc reddo securum. Populus jam fidelis hæc audiens, in Dei laudem crescens, hilarescit, pars adversa tabescens deficit ; Dei vero famulus Arialdus, oculis ac manibus sursum erectis, omnium bonorum Largitori immensas ac debitas reddit gratias.

13. Denique post hæc quidam laicus surrexit alius, nomine Nazarius, officio monetarius, cujus vita valde erat ab omnibus laudabilis, licet conjugalis, qui silentium petiit. Quo accepto, coram omnibus tale responsum dedit : Domine Arialde, ea quæ dicis esse vera et utilia, non solum advertere possunt sapientes, verum etiam et vecordes. Quis tam insipiens est, qui non lucide perpendere possit quod eorum vita esse altius debeat a mea dissimilis? quos ego in domum meam ad benedicendum eam voco, juxta meum posse reficio, et post hæc manus deosculans munus offero; et a quibus mysteria, pro quibus æternam vitam exspecto, omnia suscipio. Sed, ut omnes inspicimus, non solum non mundior, verum etiam sordidior perspicue cernitur. Verumtamen hoc scelus sic scito inter nos radicatum et inveteratum, quatenus aut vix aut cum grandi labore poterit evelli. Nunc autem, quia Largitor omnium bonorum mihi tanta contulit bona, quæ satis et mihi sufficere possunt et tibi, obsecro te, per eumdem omnipotentem Dominum, ut in domum meam ingredi digneris, et ex bonis omnibus meis, ut ego, ita et tu fruaris, quatenus tua exhortatione assidua ab hoc errore liberari, et in omni veritate confirmari possimus, tam ego quam hæc plebs universa. Cave ne ad sanguinem altum de quo ortus es, et ad opem multam qua polles, inspicas, ne forte, sacramento pro quo te adjuravi spreto, non quæ Dei, sed quæ tua sunt quærere videaris.

14. Vir autem Domini hæc audiens, et magnitudinem conjurationis, et famam viri optimam considerans, omnia terrena, quæ sibi resistere possent, conculcans, in domum se juste invitantis libenter intravit, et per plura tempora Marthæ opus ab eo fideliter sumpsit; et quod operatus est Petrus in Cornelio suisque amicis, operatus Arialdus est in Nazario ejusque vicinis. In quibus utique tunc arbustis, quæ se Dominus per prophetam pollicitus est in deserto simul positurum, scilicet vitem et ulmum (*Isai.* XLI, 19), procul dubio est completum, quatenus altera mentes debriaret, altera vero debriantem sustentaret. Exhortantibus denique Arialdo Landulphoque (7) populum fideli et assidua doctrina,

(6) Landulfus Junior, « Landulphum de Cottis, Levitam ordinarium Mediolanensis Ecclesiæ, » appellat. Alciatus primum utriusque congressum Varesio ascribit, latiusque sic deducit. « Vigebat tum in urbe magnæ existimationis vir Landulphus, primoris ecclesiæ ordinarius, et perquam eloquens in concionibus, populo gratissimus. Huic Arialdi vetere amicitia junctus fuerat, quapropter secum congressus, multa de Vidone [archiepiscopo,] plurima de sacri ordinis nimia licentia queritur, populorum etiam et omnium interesse ut meliores fierint. Landulfus causæ non defuturum spopondit, et ausurum, ubi rem ex voto succedere posse cognovisset. Interim Arialdus ipse per vicos et conciliabula concionetur, eosque sacerdotes, qui ab urbanis munditiis [*an* immunditiis?] separati, et idcirco antiquam probitatem retinentes, sibi aggregare studeat; tunc enim et se id in urbe facturum quod in pagis ipse fuerit aggressus. Ab hoc colloquio Arialdus Varesii celeberrimas orationes in corruptelam sacerdotum habere cœpit, in mores acerrime invehi, nullo metu arceri, omnia pro veritate exponere. Faciebat et id Landulfus, sed parcius, et non nisi cum se obtulisset occasio. »

(7) Landulfus Senior apud Puricellum, pag. 179, Arialdi socium Landulfum culpat, « quod nullis ecclesiasticis gradibus alte atus, usurpato sibi contra morem Ecclesiæ prædicationis officio, grave

Digitized by Google

stupra clericorum nefanda et execranda eorum connubia, sic ab eodem populo intra aliquanta tempora sunt persecuta et deleta, ut nullus existeret quin jugum sanctorum imponebat cervicibus; et inter alia quæ quotidie plebis auribus inculcabat, dic una taliter concionatus est in populo : Charissimi seniores, conceptum in corde sermonem ultra continere non valeo. Nolite, Domini mei, nolite adolescentis et imperiti verba contemnere, revelat enim sæpe Deus minori quod denegat majori. Dicite mihi : Creditis in Deum trinum et unum? Respondent omnes, Credimus. Et adjecit : Munite frontes signo crucis. Et factum est. Post hæc ait : Condelector vestræ devotioni, compatior tamen imminenti magnæ perditioni; multis enim retro temporibus non est agnitus hac in urbe Salvator; diu est quod erratis, cum nulla vobis sint vestigia veritatis. Pro luce palpatis tenebras, cæci omnes effecti, quoniam cæci sunt duces vestri, « Sed nunquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? (*Luc.* VI, 39.) » Abundant enim stupra multimode : hæresis quoque illa Simoniaca in Sacerdotibus levitis ac reliquis sacrorum ministris, qui, cum Nicolaitæ sint et Simoniaci, merito debent abjici, a quibus, si salutem a Salvatore speratis, deinceps omnino cavete, nulla eorum venerantes officia..... Et ego plectenda plura commisi; sed quod pejus fuit, indignis usque modo communicando Regem cœlorum offendi; nunc autem, propitia divinitate, ago pœnitentiam, talia provisurus in posterum. « Igitur imitatores mei estote, charissimi, et ita ambuletis, sicut habetis formam nostram (*Philip.* III, 17). » Hanc orationem Landulfo ascribit ille, præ studio in partem cleri, ipse Landulfo et Arialdo ubique iniquior; et huic impingens, quasi non solum dixisset, Nicolaitarum et Simoniacorum « Sacrificia idem esse ac si essent canina stercora, eorumque basilicæ fumentorum præsepia » (quod vero dici poterat quatenus talia sacrificia, vera licet et valida, quantum est ex parte sacramenti a talibus confecti, communicantes tamen coinquinat, quia notorie hæreticis et excommunicatis communicare est nefas); sed etiam quasi addidisset, ut « ipsis amodo reprobatis bona eorum omnia publicentur, sitque facultas omnibus diripiendi universa in urbe vel extra : » quod per meram calumniam vel exorbitantem auxesim pio zelatori affingi, extra dubium esse debet, cum nihil tale fuerit factum a populo, sed e contrario ejusmodi gravamina ab adversariis passi fideles sint, nec ultra progressi quam quod vim vi parati fuerint propulsare, ut ex sequentibus apparebit.

(8) Alciatus (cujus reliquum fragmentum hic juvat attexere (porro prosequitur hinc secutas calumnias, et quid inter hæc egerit archiepiscopus Guido sive Wido : « Fuere, qui existimaverint, Widonis exoramentum ejusque dignitatem ambientem Landulfum, Arialdo consensisse. Sed nulla certe fuit unquam innocentia quæ invidiam maledictaque vitaverit. Igitur improbi quidam, delationis magnam mercedem a se præstitum iri existimantes, utrumque apud Widonem accusant, crimina in eos congerunt, læsam contumeliis summi Sacerdotis majestatem exclamant, novis seditionibus quæsitam causam. Non audebat Wido tunc in eos animadvertere, quod summæ opinionis apud populum utrumque cognoverat. Quare in cubiculum ad se accitos, humaniter excipit, precibusque minas commiscet, suam sacerdotumque causam tuetur. Non decet, inquit, sacerdotem sacerdoti male dicere, sic enim suis se telis confoderent, expeditque etiam indigna facti perpeti, ne inconsulte dissidium aliquod oriatur. Nec enim fratrem suum damnare æquum est, cujus salutem Christus Deus redemit. Oportet prius qui in alium dicere paratus sit ab omni se labe vindicare, nisi quisquam credat eum, qui æger ipse sit, recte medicari aliis posse. An sine stomacho armatum militem aliquis de pace disserentem audit? Num Græcanice sapienter dictum illud quilibet potius probaverit? Quin tu prius, inquit, cum uxore et liberis in gratiam redis, tuo exemplo tum demum ad pacem nos vocaturus? Ejicienda prius oculo tuo trabs est, ut citra opprobrium festucam de alieno extrahas. Aperta et publica reprehensio non correctionem, sed odium vituperiumque ostendit. Condemnare aliquem velis, coramque populo objurgare; illud tibi primum ante oculos proponendum est, an tu simili culpa unquam laboraveris, vel, cum quandoque captus esses, abstinueris. Si delicto illi unquam obnoxius fuisti, est quod cogites te hominem esse, et ejus conditionis ut eo peccato potueris capi. Si, cum ei culpæ servires, in libertatem provocasti, communis infirmitatis te memoria subeat; neque hominem palam objurga, sed secreto admone, ut ad tui similitudinem et ipse curet resipiscere. Hæc cum Wido placide dixisset, eo finem orationis direxit, ut sacerdotibus fas esse diceret uxores ducere; interminareturque, si contraria profari ipsi auderent. » Videtur autem indicare ipsummet « Landulfum » antea concubinarium vixisse in clero, saltem uxoratum antequam tonsuram susciperet, ejusque rei causa secessisse a conjuge liberisque; ipsa verosimiliter consentiente, sed nihilominus idonea visa causa criminandi hominem, quasi propter dissidia domestica ab ea disjunctum. Pergit porro Alciatus : « Tum Arialdus Landulfusque : nihil, inquiunt, interest quo genere mortis et quo tempore occumbamus; pro veritate enim mori pugnantes juvat. Nobis sententia hæc insedit, ut, scelerum perpetui hostes, dum supererit vita, in facinorosos quotidie concionemur. Quid enim prædicandi istud oneris assumamus, si vera subticere, si prævaricari Christianorum omnium causa compellimur? Equidem si sacerdotes isti tui secreto delinquerent, nemo nostrum probasset ut publice castigarentur; sed cum ejusmodi sint scelera, ut non satis habuerint ea perpetrare, nisi etiam auctores ipsi divulgatoresque operum suorum forent; non est quod nos admoneas uti eos clam accusemus. Manifestæ enim noxæ reum, palam quoque pœnitere æquum est : et veluti, ubi morbus levioribus medicamentis non cedit, ferrum aut ignis adhibetur, sic obstinatis istorum animis, cum cætera remedia consumpta sint, publica animadversione opus est. Ab hoc sermone digressi, indignantem præsulem reliquerunt. Cæterum veriti ne iratus Vido quandoque aliquid in perniciem ipsorum moliretur, subsidia partibus quærunt. Erat tunc Mediolani summæ auctoritatis Anselmus, ex Badagiorum familia, quem innocentiæ virtutisque causa Lucensibus antistitem Cæsar dederat. Hunc Arialdus cum collega adiit. » Hactenus fragmentum istud. « Anselmus » autem hic laudatus, anno 1056 factus erat Lucensis episcopus, et hunc « Arialdo » potius auctorem fuisse suscipiendæ prædicationis docet cœvus, et in hoc fide dignior Landulfus Senior, capite 4 libri III Historiarum suarum hunc titulum ponens apud Puricellum, pag. 273. « Qualiter Anselmus de Badagio, ex Ordinario Ecclesiæ Mediolanensis, sollicitat Landulfum et Arialdum ut uxores a sacerdotibus separandas prædicarent, » et capite 5, « qualiter Arialdus cœpit suum propositum prædicationis reserare; » ac porro cap. 7, inquit, « Hac eadem tempestate horror nimius Ambrosianum invasit clerum..... cujus initium et seriem cum res nostris adhuc versetur sub oculis, prout possumus, enarremus. Finem ipse provideat qui, cum

Digitized by Google

ad synodum (9) Landulphum mittere; quoniam, ut eos mendaciter eorum æmuli accusarent, illo pergebant. Quem [ultra] urbem Placentinam progredi non licuit, quia ibi a quodam profano est in oppido percussus, et sic Mediolanum regressus. Sed Arialdus, Dei famulus, sumpto itinere, omnium adversariorum fraudem circumquaque positorum ad eum necandum scienter declinavit, atque Romam, Deo illum protegente, incolumis pervenit. Qui coram summo pontifice se offerens, cum causam jam cœptam ei retulisset, post multam honorificentiam, quam ipsi idem impendit, jussit, a quibus sacerdotibus divina mysteria dehinc sumeret, et sub inevitabili jussu ei præcepit ad opus cœptum regredi, et tandiu in eo vehementer insistere, donec nefanda opera, quæ tunc inerant in ecclesiastica familia, aut penitus deleret, aut sanguinem pro Christo proprium inimicis fundendum præberet (10). Qui in omnibus obediens regreditur, jam sæpe dictam causam competenter persequitur et constanter, cum suo socio divinitus sibi collato, habentes dehinc doctrinam tam plenam auctoritate quam veritate.

16. Hoc quippe impii civiles clerici perpendentes, quasi occulte in unum conveniunt; ideo, quia pro- A genie altior erat Landulphus, eum occidere disponunt, putantes timore perterritum sic silere posse Arialdum. Ad patrandum vero tam scelestum opus, quemdam audacem et impium conveniunt clericum, et nimio præmio reddunt securum, si jam dictum exstingueret virum. Qui acquisito grandi carnificis gladio, quem sæpe ego postea vidi, simulque toxico ad necandum citissimo, cœpit eum prosequi per Cœnam Domini, et Parasceven, Sabbatumque sanctum clanculum, nec non et sanctum diem Paschæ (11). Vera utique me dicere scio; utrum rei gestæ ordinem teneam, ignoro. Cumque ipsum in diebus his reperire minime potuerit absque turbis; in secunda tandem de Albis feria, ad impium et diu optatum pervenit votum. Nam in ipsius diei crepu- B sculo solum illum ante quoddam reperit altare orantem; misturam impiam, quam secum ferebat, permiscuit illico, scilicet gladium cum toxico; et post tergum clam veniens, cum in collo graviter percussit, et sic fugam protinus petiit. Sed, volente Deo, licet esset nimis velox ad fugiendum, in egressu basilicæ per quemdam captus est claudum (12).

17. Clamor igitur vehemens attollitur; ab omnibus concurritur; quæ esset causa tanti clamoris

sit Alpha et Omega, mirabiliter omnia dispensat: » atque ita ingreditur in materiam Landulfus hic ab Andrea tractatam.

(9) Anno 1057, Victor papa II, Kal. Maii, generale concilium Romæ celebravit in Constantiniana basilica, ut constat ex epistola 2 successoris Stephani; ubi verosimile est, non minus quam antea sub Leone IX anno 1051, de Nicolaitis et Simoniacis actum esse. Sed et « Stephanus » prædictus, eodem anno, 3 Augusti consecratus, laudatur in Vita sua quod, « habitis in urbe plurimis conciliis, contra concubinatum et alia cleri vitia plurima, mores Ecclesiæ reformavit; » utique eodem anno et initio sequentis, quo Florentiæ obiit 29 Martii. Legatur Baronius ad annum præfatum, num. 9, ubi dicuntur synodi illæ crebræ celebratæ intra 4 menses, quibus Romæ est commoratus papa, usque ad festum S. Andreæ; et iterum, num. 16. Ad hunc autem, non ad Victorem, qui obierat 28 Junii, accessisse « Arialdum » vult Landulphus Junior, qui ait quod « Arialdi » et « Landulfi » concionibus « clerus multiplicer afflictus primo cum provincialibus episcopis, demum cum Romano pontifice sit conquestus. Et præerat tunc Romæ, inquit, Stephanus papa, qui super hac re synodum provincialem congregari jubet. » Mihi verosimile est, causam sub Victore papa inchoatam, sub successore continuatam, utrique ascribi posse. Ex alterutrius autem mandato, « factus est synodalis præsulum conventus per Guidonem archiepiscopum Novariæ (alius addit in loco qui dicitur Fontanetum, » Novariensis diœcesis, pari quo Novaria, intervallo a Mediolano), ubi habitum a Guidone sermonem pathetice deductum lege apud Puricellum pag. 183, verbis scilicet Landulfi Senioris, plus æquo faventis clero vitiato. « Cumque, » ut Junior Landulfus prosequitur, « triduo prædictis vacarent negotiis, placuit pluribus Landulphum et Arialdum absentes excommunicandos; factumque ita est. Unde Landulphus, volens ire Romam, in Placentino oppido (abest id Mediolano p. m. *circiter* 36,) cæditur graviter, sicque Mediolanum rediit. »

(10) Rem eamdem idem Landulfus multo distinctius sic prosequitur: « Romam proficiscitur Arialdus, et coram papa Stephano adulteria Simoniamque clericorum Mediolanensium accusat, qualiterque ipsius prædicationibus sacerdotes ab uxoribus populus separaret, eosque asserit inobedientes Romanæ Ecclesiæ, se autem cum Landulfo devotum et pro veritate certantem. Iis auditis, multi ex fautoribus adversariorum surgunt stomachati; inter quos Dionysius cardinalis surgens, multa contra Arialdum dixit: deinde cum multi alii faventes adversariorum contra Arialdum clamarent; Stephanus papa silentium imperavit; qui pauca loquens, cardinalem non laudavit, nec Arialdum condemnavit; quinimo sententiam excommunicationis synodalis annullavit, hortaturque Arialdum ut probitatem prædicare non desinat, et super hujusmodi lites legatos Mediolanum mittit, scilicet Hildeprandum cardinalem, Petrum Ostiensem, Anselmum de Badagio, Lucanum episcopum, ut per ipsos in reorum præsentia veritas cognoscatur. Ii legati cum Mediolanum attigissent, congregato clericorum cœtu, ipsorum culpas cognoscunt, Guidonem Simoniacum vocant, ejusque clerum adulteriis malisque moribus inquinatum judicant; asseruntque Arialdum vera Romano pontifici retulisse, et eum ad perseverationem cœpti propositi cohortantur. » Fuerunt autem legati, sanctitate et auctoritate præcipui, « Hildeprandus, » postea Gregorius papa VII; S. Petrus Damiani; et Anselmus, postea Alexander II, ut jam dixi, tam noti omnes quam hactenus ignotus « Dionysius, » Ciacconio ejusque interpolatoribus præteritus. Puricellus pag. 187, ex Seniore Landulpho asserit « a pueritia nutritum» fuisse «in ecclesia Mediolanensi» et longam ejus contra « Arialdum » invectivam profert, ad quam, ut ille fingit, is « tremens et pallidus quasi mortuus obriguerit, cognoscens astantium animos omnium Ecclesiæ Mediolanensi compatientes. » Miratus sit credo Arialdus talia præter opinionem sibi dici Romæ, et quidem coram pontifice; sed hic eum statim recreavit, ut ipse Landulfus tandem agnosci

(11) Pascha anno 1050 celebratum fuit 19.

(12) Landulfus addit « mendicum. »

Digitized by Google

inquiritur. Cognita namque causa, nefandum clericum circumdedere, eumque cornu toxico plenum habentem reperiunt. Mœrentes ergo, percussum et eum qui percussit accipiunt, ac sic ad domum Landulphi pergunt; et ipsius obitum protinus præstolantur affuturum. Sed magni prodigii evidentiam tunc ostendit Deus omnipotens, ut servo suo nihil plus venenum officeret, quemadmodum si aqua esset. Nam isdem professus est clericus se illud in pluribus pecudibus probasse; quæ ut deglutivere, cunctæ post paululum vita caruerunt. O mira Domini potentia! Hunc virum postquam tetigit, etiam deglutitum nulli nocere quivit. Unde ipse reddens debitam Deo laudem, percussorem clericum dimisit incolumem, admonens ne ulterius tantam conaretur præsumptionem. Idem vero clericus, sua cernens molimina, nimio studio exquisita, a Dei evidenter virtute exinauita, sibique ab ejus famulo pro malis impensa bona, corde compunctus, veniam petiit, tanti sceleris incentores prodidit, se ulterius tale quid minime conari promisit, et postremo sic discessit

18. Per idem tempus clerici suburbani, in unum convenientes, ad invicem dicunt: Quid facimus? En Arialdus, qui nos nostrasque familias conturbavit et dispersit, in urbe conclusus, atque a populo circumdatus, inhabitat; ideoque, ut eum perimamus, nequaquam pertingere valemus. Si autem hoc nequimus, damnum dedecusque, quod possumus, illi saltem inferamus. In loca nostra nunc revertamur, et exquisitis gladiis bene acutis, rursum nocte alia conveniamus, una illuc, ubi idem est ortus, pergamus, et ubi adhuc cum suis magna pollet possessione parentibus, atque ad ignominiam ejus ecclesiam, quam olim impendio proprio construxit, violemus et dissipemus; arbores vero castaneas, quas habet innumeras, decorticemus, vineas autem, quibus nimis abundat, incidamus. Interim quidem ex nobis aliqui illuc pergant in die qui ipsius substantiæ plene habent notitiam, vineas ejus et silvas evidenter designent, ut non tunc quid appareat in quo quis errare debeat.

19. Nocte igitur conveniunt condicta, ecclesiam extra vicum (13) reperiunt, quam ruptis ostiis intrant. Altare frangunt et violant, cæteraque utensilia dissipant, et dedecus, quod infelices nequibant famulo, facere non sunt veriti Domino. Porro cum ad designatas arbores vineasque vellent accedere, sicut ipsi postea professi sunt morientes, cum ingenti terrore tanta a justo Dei judicio sunt perculsi cæcitate, ut neque ubi essent, neque rem designatam invenire possent. O mira Domini pietas! Suam demoliri casam permisit, servi vero sui optime tutari novit. Sed ne miseri illam noctem inanem ducerent, vineas et silvas introgressi, alienas incidunt et decorticant. Verumtamen Deo gratias agens profiteor postea me vidisse persæpe ipsas arbores suis cultoribus uberrimos fructus reddere easque adhuc similiter credo facere (14).

CAPUT III.

Acta S. Arialdi contra Simoniacos, quos tanquam hæreticos fugiendos docebat.

20. Per idem tempus Christi famuli, cernentes omnem populum ad sequendum quidquid dicerent esse promptissimum, de Simoniaca quam eatenus reticuerant, palam loqui incipiunt. Quorum primus in virtute scientiæ et sanctitatis, scilicet Arialdus, licet illo eloquentior esset Landulphus, de Simoniaca et contra ipsam tale exordium protulit ad populum. Gratias, inquit, dilectissimi, omnipotenti Deo reddere debemus, qui dedit vobis velle quæ vult ipse. Scire vos quidem volumus quod laborem non modicum, quem usque modo contra insolentiam conjugatorum adulterorumque sumpsimus sacerdotum, magis nos fecisse necessitate quam voluntate. Nam, utrum hæretici uxores habeant an non, parvi pendimus. Aspicientibus ergo ad invicem se turbis, et admirantibus cur hoc diceret, adjecit: Audistis, charissimi, dum legeretur liber Actuum apostolorum, venisse Simonem Magum ad B. apostolum Petrum, et postulasse per pecuniam Spiritus sancti gratiam. Lucas evangelista, qui hoc scripsit, quid beatus ei Petrus responderit, protinus adjunxit: « Pecunia (inquit) tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri (*Act.* VIII, 20). » Quid est hoc? Nonne iste ille Petrus, cui septuagies septies peccanti fratri dimittere jussit Dominus? (*Matth.* XVIII, 22.) Est utique. Sed hunc non prospexit in se nec in hominem peccare solummodo, sed in Deum. Nam nimis isdem B. Petrus peccasset, si auctorem tanti reatus silendo proficere sineret, et æstimationem tantæ nequitiæ in ipsa sua radice minime damnasset.

21. Quod lacrymabiliter validoque dolore profero. Ecce nefas, quod apostolorum princeps in ipsa æstimatione æternæ perditioni tradidit, per universum pene mundum sic obtinet principatum, quatenus nullus ad regimen pontificale vel abbaticum, sive ad officium qualecunque ecclesiasticum perveniat, nisi per ipsum. Quis, quæ dicturus sum audit, et dolens non obstupescit? En Christus, verus Dominus, Pastor bonus, suo gregi solemne et salutare bonumque dedit præceptum; quod oblivioni tantæ projectum est ut nemo appareat qui ejus jam reminisci audeat. Vultis audire quid est illud? « Gratis, inquit, accepistis, gratis date (*Matth.* X, 8). » Econtra vero impia cogitatio, quæ maligne semel est exorta in impii Simonis corde, et quæ illico est damnata a tanto rum. Quod audiens quidam sacerdos, nomine Anselmus, dixit: Ergo tu es ille qui nos sacerdotes inter populum diffamas? An in te solo remansit virtus? Quibus dictis Arialdum colapho percussit. Arialdus autem dixit: Non solum hoc, sed etiam mortem pro veritate pati paratus sum. »

(13) *Vicum* Cotiacum, *sancti patriam intelligo.*

(14) « Ad hunc eumdem annum 1056 referendum puto quod inter initia sic refert Landulfus Junior: » Cumque translatio B. Nazarii (10 *Maii*) a cunctis clericis et civibus devote celebraretur, cœpit Arialdus detrectare familiariter conjugia et stupra clerico-

Digitized by Google

apostolo cum suo auctore, ubique sic est sparsa solemniter, ut nemo fere ad altaris officium accedat, nisi prius agat opere quod idem cogitavit nequiter corde; et donec eidem maledictioni tanto profundius se subjiciat, quanto esse noscitur pejus malum facere quam cogitare.

22. Utinam hæc maledictio illos percuteret tantummodo qui Dei donum vendere aut emere præsumunt audaci corde et impio! Verumtamen hic tam noxius est reatus ut non solum qui faciunt et qui consentiunt, verum etiam eos qui facientibus non resistunt et oppugnant, sic pœnaliter obliget, quatenus maledictione quæ Simoni a Petro est illata minime procul dubio careant. Ne forte mentiri me arbitremini, quid de hac re noster patronus sentiat B. Ambrosius, audite : ait enim : « Nam et lepram cum Giezi a sancto suscepisse se credant Eliseo, qui gradum sacerdotalem se existimant pecuniis comparare. Nam sicut validioribus morbis capite vitiato, reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari, ita et ii qui caput videntur esse Ecclesiæ, morbo pestifero fraternum vitiant corpus, ut nihil ex totius corporis compage insauciatum possit evadere; quod negligentium sacerdotum vitiositatis morale non infecerit virus, ita ut videas in Ecclesia passim quos non merita, sed pecuniæ ad episcopatus ordinem provexerunt. Verumtamen, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum (*Deut.* XVII, 6), » audite quid super hac re beatus dicat Gregorius. « Cur (inquit) non videtur, C cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc, ut fiat hæreticus, ordinatur? » Et iterum : « Quisquis contra hanc Simoniacam et Neophytorum hæresim vehementer pro officii sui consideratione non exarserit, cum Simone Mago se non dubitet habere portionem qui prius commisit hoc piaculare flagitium. »

23. Quoniam locus ille hoc B. Gregorii sermone, ubi præcipitur unicuique pro sui officii consideratione contra Simoniacam ardere debere, non omnibus forsitan plene patet, vobis lucide nos explanare condecet. Tres quippe ordines in sancta Ecclesia habentur : unus prædicatorum, alter continentium, tertius conjugatorum. Primus namque debet contra hanc ardere, indefessa exhortatione; continentes autem, assidua oratione; vos vero, qui conjugati estis, et in vestrarum labore manuum vivitis, ut Deus omnipotens hanc ab Ecclesia sancta repellat et disperdat, quotidie ardenterque operibus eleemosynarum instare debetis. Quisquis igitur nunc ex his tribus ordinibus contra Simoniacam, cum his justitiæ operibus, ardenter minime pugnaverit, juxta dicta Spiritus sancti, qui hæc dixit per os B. Gregorii, pœnam, quam Simon Magus nunc habet, quod eamdem in fine effugere queat, nullo modo credat. Si enim hi, quibus est scientia officiumque prædicandi commissum, qualibet ex causa tacuerint, non solum continentes, quorum prædicatio tanto esse debet liberior et veracior, quanto constat quia sunt A ab omni re sæculari expediti, et sacræ legis meditatione assidua edocti, verum etiam vos, qui estis idiotæ ignarique Scripturæ, communibus verbis quibus valetis, invicem vos cautos ab hac nequitia reddere debetis. Unde Dominus dixit : « Si homines tacuerint, parietes loquentur (*Luc.* XIX, 40). » Nonne de hac re dicit propheta : « Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine? (*Jer.* XLVIII, 10.) » hoc est, ab interfectione hujus nequissimæ beliuæ.

24. Hæc quippe et hujuscemodi quamplura dicente B. Arialdo, in locum illum salutifer ille gladius est procul dubio missus, qui fideles dividit ab infidelibus, et de quo locutus est Dominus. Non veni, inquit, pacem mittere, sed gladium. Nam Guido, qui dicebatur archiepiscopus, et pars maxima clericorum et militum, nec non et multi de populo minore nequam viri, se cernentes, dixere ad invicem : Hæc namque doctrina, si ad profectum venerit, nobis nostrisque filiis profecto nullo modo vivere expedit. Quæ enim est nostra vita, nisi ecclesiarum beneficia, quæ assidue a nobis venduntur et emuntur? Quapropter utilius est nobis ut huic novæ doctrinæ resistentes moriamur, quam venire hanc ad profectum, ut diximus, sinamus. Econtra vero ad viros Dei fideles clamabant : Audivimus, inquiunt, ex vestra assertione Simoniacos hereticosque esse procul dubio qui noscuntur emisse ea quæ sunt sacra; quo scelere qui immunis de sacerdotibus inter nos sit sine dubio manifestum est, quia nemo est. Nos autem, quia Christiani dicimur, absque Christi sacramento vivere nullatenus valemus. Quod si ab istis sumpserimus, potius dicitis nos sumere damnationem quam salutem, et ideo his telis undique constringimur, et quid agamus profecto nescimus

25. Quibus B. Arialdus sic respondit : Videte, inquit, dilectissimi, dum hæc dicitis, ne super vos veniat quod Spiritus sanctus per B. Jacobum loquitur dicens : « Vir duplex animo, inconstans est in in omnibus viis suis (*Jac.* XIX, 8) : » ideoque qui veritatem cupit veraciter invenire, constanter omnem debet falsitatem respuere. Quapropter, ut veritate, quæ Deus est, perfrui perfecte valeatis, per ipsum vos obsecro, ut a falsorum consortio sacerdotum penitus vos segregetis, quoniam luci cum D tenebris, fidelibus cum infidelibus, Christo cum Belial nulla esse debet conventio, aut pars sive societas. Sic enim scriptum est : « Exite de medio eorum, et separamini, et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos, dicit Dominus (*II Cor.* VI, 17, 18). » Quomodo potest fieri, ut vobis petentibus minora non tribuat, id est, pastores qui vos juste regant, qui vobis adhuc non existentibus tribuit majora, hoc est semetipsum pro salute vestra? Propterea, omnium spreto hæreticorum consortio, pastores bonos et fideles ab eo fiducialiter petite, et, quia accipietis, procul dubio scitote. His namque verbis multi viri ac mulieres sic sunt accensi ut non solum deinceps Simoniacorum actus contemnerent, sed etiam cum eis nullo modo in uno oratorio orare vellent.

Digitized by Google

In his autem diebus si per illam urbem incederes, præter hujus rei contentionem undique vix aliquid audires. Alii siquidem Simoniacam excusantes, alii eam constanter damnantes. Nec mirum; quoniam una domus tota erat fidelis, altera vero tota infidelis; in tertia autem mater erat credula cum uno filio, pater incredulus cum altero, et hac quidem confusione et contentione civitas tota erat plena et permista.

26. In diebus illis quamplurimi clerici cœpere consortium clericorum pravorum relinquere, et B. Arialdo adhærere. Inter quos quidam ex illis sacerdotibus, ipsius exhortatione compunctus, ecclesiam quamdam, quam grandi pretio male emerat, dimittere disposuit. Sed Christo ordinante, Miles, in cujus jure hæc erat, jam de fidelibus, quippe per B. Arialdum edoctus, sicut ille eam deserere disposuerat, qui illam emerat; sic iste suo e jure elegit hanc amittere ut dominam, qui eatenus ipsam nequiter usurparat ut famulam. Convenientibus igitur cum B. Arialdo in unum multis fidelibus, Miles refutationem ab emptore accepit, eamque super altare viri Dei admonitione posuit, et eidem B. Arialdo jussit ut deinceps eam disponeret, secundum quod Deum velle sciret. Qui protinus tres clericos fideles et castos vocavit, et refutationem quam Miles in altare posuerat eos pariter jussit tollere.

27. Cumque idem a pluribus exhortaretur, ut eamdem cum ipsis una sumeret, quatenus ad multorum profectum ibidem manere deberet, ait: Cum C ipsis quidem ad eorum instructionem, et cæterorum salutem manebo; verumtamen, ne verbo Dei mihi credito impedimentum sit, sub jugo alicujus terrenæ rei, et ne huic Azoni, in cujus ditione hæc ecclesia est constructa, sub hac occasione aliquod possit damnum inferri, hujus rei sortem nequaquam sumo, quoniam tale tempus scitote procul dubio venturum, in quo nulli vivere liceat, nisi me a suis finibus expellat. Hic quippe sermo quomodo propheticus fuerit, in sequenti lectoris menti luce clarius patebit. Eo namque in eadem ecclesia manente, quanta beneficia, tam verbis quam factis, sive ipsis fratribus, sive cæteris tam fidelibus quam infidelibus impenderit, et quanta ab eis pro bonis mala per decem fere annos pertulerit, nemo nec omnia scribere, imo D nec valet profecto dicere. Nam protinus legationem in domum paternam misit, et ex ea viginti libras argenti sumpsit, atque juxta eamdem ecclesiam habitaculum mirabiliter aptum ædificavit (15).

28. Agitur denique res nova et pene ab eodem loco hactenus inscia. Chorus namque alti circumdatione muri concluditur, in quo ostium ponitur; visio clericorum, laicorum ac mulierum, quæ una erat et communis, dividitur; omnes de una arca vivere coguntur, fabulæ ad mensam compescuntur, pro quibus sancta lectio super eam assidue proA fertur. Cæteri autem clerici mane omnes diei Horas potius murmurabant, quam decantarent; hic vero in die, tacto septies signo, fratribus una congregatis, magna cum veneratione debitam omnipotenti Deo laudem decantabat, atque ad satisfactionem omnes in eodem officio, dum forte delinquerent, dicto et facto provocabat. Porro sicut B. Arialdus lætus nimis est effectus, eo quod ad votum diu nimisque optatum (videlicet, ut cum fratribus ad ecclesiam communiter vivere posset) pervenerat; sic fideles multi læti sunt effecti, pro eo quod aptum locum haberent, ubi Domini verba mente libera audire possent, et divina mysteria ac sacramenta percipere. Cœpit autem tanta illuc ibidem multitudo confluere, non solum de urbe, sed etiam de villis et B castellis, quatenus eos nullo modo valeret capere ipsa ecclesia, licet satis esset ampla. Quos tam constanti assiduaque doctrina vir Dei docebat ut plerumque vocem sic amitteret, quatenus ab aliquibus juxta se positis vix audiri posset.

29-30. Præterea, quia canes muti effecti erant et latrare nequibant, multa mala et detestanda populus tunc committebat, quæ ita idem ab exordio suæ prædicationis universa damnavit ut suum procul dubio illud dictum faceret, quod per B. Paulum prolatum est: « Mundus, inquit, a sanguine sum omnium vestrum: non enim subterfugi, quominus nuntiarem omne consilium Dei vobis (*Act.* xx, 26, 27). » Per totum namque Adventum absque contradictione illa eos reperit nuptias solemniter celebrare; uxores ducere, etiam in ipsa Domini Natalis vigilia, si fortassis eveniret in Dominica. Gui rei nefandæ tam ardenter constanterque verbo cœpit pariter et actibus obsistere, quatenus in ejus venerabili transitu nemo pene reperiri posset qui tam nefandum opus agere præsumeret. Nam in ipso nuptiali die, jam paratis omnibus quæ in nuptiis solent parari, illuc, ubi eædem nuptiæ agebantur, cum fratribus anxie occurrebat; et celebraturos omnium rerum Domini nuptias nitidos, suis minime reatibus esse debere sordidos occupatosque denuntiabat, et tali modo illos cogebat omnia jam tractata omittere, et in apto tempore servare.

31. Duo denique clerici, olim signum clericatus D in ecclesia quadam, quæ S. Maria Secreta nuncupatur, sumpserant; quorum tamen nemo ipsius beneficio perfrui posset, donec, sicut loco eodem mos erat, ejusdem ecclesiæ sacerdos minime obisset, quem per idem tempus obisse contigit. Sed cum jam dictam ecclesiam, pridem qui primus designatus fuerat, adipisci deberet, tantummodo si pro ea male usitatum præmium daret, viri Dei jam credulus verbis, distulit. Quem improbus suus minor anticipavit, et neque Dominum neque hominem erubuit, nec veritus est ut eamdem sibi cum pecunia non acquireret. Quod ut ad hominem Dei Arialdum

(15) Landulfus Junior: « Hic B. Arialdus ecclesiam quæ dicitur Canonica reparavit, extra muros portæ novæ Mediolani, » et cætera hinc sumpta.

Digitized by Google

fuisset perlatum, eum adscitum ad se sic allocutus est : Inique præsumptor, cur, postquam, me docente, esse hæreticum emptorem venditoremque sacri audisti, hanc iniquitatem committere non timuisti?

32. Quo obmutescente et nesciente quid responderet in excusatione, et quia jam pro hoc a vicinis nimis habebatur exsecrabilis, tandem sic respondit : Audita quidem manifesta ratione me male fecisse video, sed quid exhinc agam penitus ignoro, quoniam abbas S. Victoris, cui hac de causa pene quidquid habebam dedi, Deum non sic timet, ut mihi meam semel acceptam pecuniam reddat; et hanc si non habuero, unde meam vitam mediocriter sustentem minime habebo. Cui vir Dei : Quid, inquit, dedisti? Duodecim, inquit, libras argenti. Respondit autem vir Dei dicens : Et, si tibi reddantur, vis dimittere libenter quod comparasti nequiter? Qui respondit : Libentissime. At bonus discipulus, pium imitans magistrum, sequitur opere quod loquitur ore. De suo proprio patrimonio duodecim integre libras argenti sumpsit, ipsique universas tradidit; et sic jam fatam ecclesiam gratis alterum fecit habere, cui competebat jure (16).

CAPUT IV.

S. Herlembaldi ad Arialdum accessus, et munus defensoris ei ab Alexandro papa commissum.

33. Per idem tempus Landulfus obiens, superstitem germanum, nomine Herlembaldum, prudentem et fidelem virum, licet laicum, reliquit. Hic nuper Jerosolyma reversus, volebat tunc sæculum relinquere, et se tradere vitæ monasticæ. Cujus fidem et constantiam Arialdus agnoscens, cœpit ei promittere quod sibi potiorem apud Deum gradum acquireret, si monasterium ingredi differret, et fidem catholicam secum defenderet, atque cum ipso hæreticis et Christi hostibus resisteret. Qui volens probare utrum in his quæ a B. Arialdo sibi promittebantur veraciter auderet confidere, sumptis aliquantis fidelibus perrexit Romam, non per viam regiam gradiens, sed per Dei cultores, in eremo et in monasteriis circumquaque degentes, de re jam dicta omnes interrogans. Cumque cuncti, in vera et pura fide accensi, sententiam ei concordem una cum B. Arialdo promerent, tandem pervenit Romam; ubi sub inevitabili imperio ab Alexandro papa et a cardinalibus ei præceptum est redire, et Christi adversariis in defensione justitiæ, usque ad proprii sanguinis effusionem, viriliter cum B. Arialdo resistere; cui etiam ex B. Petri parte mirificum vexillum dedere, ut quoties hæreticorum vesania ultra modum insaniret, illud in manu tenens eos reprimeret. Quod quam constanter per decem et octo fere annos impleverit, nec lingua plene promere, nec stylus meus exprimere est profecto idoneus.

34. Erat enim nobilis Herlembaldus coram sæculo quasi dux, in vestibus pretiosis, et in abscondito coram Deo, sicut eremita agrestis, indutus

(16) Prioribus sex articulis narrata nulla insigniuntur nota temporis quo acta sint; sequentia ad Alexandri II pontificatum referuntur. Inter hunc autem et Stephanum IX, quem Baronio placuit X nominare, sedit medius per duos annos et menses fere quinque Nicolaus II usque ad 24 Junii an. 1061. Hic sui statim pontificatus initio mense Aprili synodum celebravit, ad quam Mediolanensis cleri pars sanior, Arialdi et Landulfi sermonibus mota, legatos misit, « suppliciter exorantes ut Mediolanensis Ecclesiæ contritionibus dignaretur misereri et compati, » uti in Actis Nicolai Vat canis apud Baronium legitur, additurque, quod « hujus rei gratia venerabilem virum Petrum Damiani Ostiensem episcopum Nicolaus papa illuc destinavit, et vices suas, in corrigendis ac statuendis quæ ad Ecclesiam illam pertinebant ei concessit. » Tum Baronius : « Hujus, » inquit, « legationis exstat plena relatio, in epistola quam tunc idem Petrus scripsit ad Hildebrandum, qui ex subdiacono ab eodem Nicolao nuper in archidiaconum S. R. E. fuerat exaltatus; » censeturque inter opuscula Petri quintum, inscriptum, « Actus Mediolani de privilegio Romanæ Ecclesiæ, » quo scilicet illa ibi probata fecit mater esse Ambrosianæ Ecclesiæ, a qua etiam ipse Ambrosius sub Siricio papa auxilium petierit contra Nicolaitarum sordes, legatosque postulavit, ex quorum sententia perniciem istam coerceret. Effectus autem is fuit, ut legatus dandam resipiscentibus veniam censuerit, et Guido cum suis, præteritos culpans excessus, promiserit Simoniacam et Nicolaiticam hæreses penitus abolere : quod cum jurasset, « illico in pavimentum, » inquit Petrus, « cum omni humilitate prosternitur, et injungi sibi pœnitentiam pro venalitatis nefandæ commercio deprecatur : cujus videlicet sceleris licet in illa Ecclesia non ipse primus exstiterit auctor, non tamen, ut debuit, fuerat exstirpator. Centum itaque annorum, » ait idem Petrus, « sibi pœnitentiam indidi, redemptionemque ejus, taxatam per unumquemque annum pecuniæ quantitate, præfixi. Mox majorem ecclesiam ingressi pulpitum ascendimus. Tunc coram copioso populo civitatis et clero, clericum suum, tactis Evangeliis, jurare fecit quod ipse archiepiscopus, quoad viveret, istas duas hæreses sinceriter ac fideliter exstirpare contenderet, ita ut neque presbytero, neque diacono, neque subdiacono feminam cum gradu simul habere permitteret; a conferendis etiam ecclesiasticis sacramentis venalitatis omne commercium funditus prohiberet. » Admissi deinde ad similiter jurandum sunt clerici omnes, quibus et præscripta pro qualitate reatus pœnitentia est. « His itaque tali modo reconciliatis, decretum est, ut non mox passim omnibus redderetur officium, sed his duntaxat, qui et litteris eruditi, et casti, et morum gravitate viderentur honesti; cæteris autem sufficeret, quod sanctæ Ecclesiæ per divinam gratiam essent inserti, per quam eatenus fuerant divinæ sententiæ falce præcisi. » Senior Landulfus, nihil horum approbans, apud Puricellum pag. 205, « Rude constitutum factum, » ait, « cui archiepiscopus cum ordinariis cogente populo subscripsit invitus. » Quomodo autem invitus, si mox ad Romanam evocatus synodum illuc abiit sponte? Quapropter etiam « decibiliter tractatus ab Apostolico Nicolao, cujus dextro positus est in synodo latere. » De hac synodo loquens apud Puricellum Arnulphus, pag. 211, « Arialdum » quoque illuc pariter abiisse ait atque archiepiscopum accusasse; sed ab Astensi, Novariensi ac Taurinensi episcopis confutatum : « cumque archiepiscopus domino papæ promitteret obedientiam, accepto ab eo annulo apostolicæ gratiæ ac totius dignitatis ecclesiasticæ, » rediisse Mediolanum. Utinam non etiam ad vomitum; ut infra apparebit! et hoc verosimiliter solum egit in ea synodo « Arialdus, » ut probaret, jure et ordine acta omnia a legato Petro Medio-

Digitized by Google

erat laneis. Hunc in pedum ablutione pauperum agere vidi, quod in alio nemine me reminiscor vidisse. Nam cum alicubi per urbem vallatus magna multitudine fidelium sibi gratis obsequentium incederet et horrendos pauperes et debiles inspiceret, clam alicui ex suis famulis innuebat persistere atque pauperem post ipsum ad domum secum ducere. Dimissis igitur extraneis, allata aqua, cinctusque linteo, egeni pedes nimia cum veneratione abluebat et extergebat. Post hæc autem, corpore in solo prostrato, sub ipsius pedibus caput ponebat, et tale modo mendicum et pauperem faciebat se modicum conculcare divitem, denique honorifice et abundanter ipsum reficiebat secum. Nam hoc opus sanctum interdum in numerum duodenum explere vidi pauperum. Verumtamen Dei zelo sic erat accensus ut de eo in ejus absentia plerumque vir Dei Arialdus suspirans diceret : Proh dolor ! præter Herlembaldum et Nazarium, clericum vix quemquam reperio, qui quoquomodo mihi sub falsa discretione tacere non suadeat quatenus Simoniaci et adulteri libere possint peragere opera diaboli. Multa namque bona de hoc viro familiariter cognovi, sed quia nuper in defensione justitiæ martyrio est coronatus, ea alteri tam volumini quam scriptori relinquo, quia B. Arialdi Vitam perficere velociter cupio.

EMBOLISMUS

De ejusdem Herlembaldi principiis et Landulfi obitu

35. Cum propositum sit S. Herlembaldi Vitam una cum Vita S. Arialdi prosequi, prætermittere non possum quin tali proposito importunam Andreæ brevitatem aliunde suppleam, secutus auctores a Puricello subministratos. Hic pag. 221, ex Annalibus Petri Aruzii, circa annum 1402 finitis, narrat, quomodo sede Mediolanensi vacante per mortem Ariberti laudatissimi præsulis (obiisse autem hic in suo epitaphio legitur « anno 1045, 17 die mensis Januarii, indictione XIII) et Lazone de curte exsulante, » qui scissa in factiones civitate contra nobilitatem partes plebis sustinebat cum titulo « Capitanei, pars populi ad nihilum redacta est. Tunc, » inquit, « capitanei sex portarum, cum suis vassallis, dominium civitatis usurpaverunt, et congregantes universos amicos in palatio communitatis, duo statuta fecerunt in odium populi. Primum statutum fuit istud, quod Ranzo de Curte, miles proscriptus, cum tota parentela illorum de Curte, nunquam habitare posset in civitate Mediolani, nec in comitatu, nec possessiones habere in æternum. Secundum statutum fuit istud, quod si aliquis nobilis interficeret aliquem popularem, solveret septem libras tertiolorum et duodecim denarios, quos cum solvisset, ab omni culpa et offensa liber esset; propter quod innumerabiles de populo infra paucos dies trucidati sunt. Hac de causa populares iterum alium capitaneum elegerunt quemdam virum ex numero nobilium, qui dictus est Herlembaldus Cotta. Hic fuit vir genere clarus nimis, in armis strenuus, gracilis corpore, leonino pectore fervens. Ejus domus quasi domus regalis (cum curte mirabili et viridario delectabili, » inquit Dacius, anno 1080 scribens) « fuit ex opposito ecclesiæ S. Victoris ad quadraginta Martyres. Contradicente igitur parte nobilium ne ipse Herlembaldus esset capitaneus, contra nobiles ipsos multum prævaluit. »

36. Ergo vacante (ut dixi) sede, Herebraldus (sic enim scribit præcitatus Dacius, cujus verba apud Puricellum pag. 215 recitata prosequor) « procuravit cum clero, quod eligerentur quatuor, et imperator, » Henricus Niger, seu potius rex (nam sequenti anno exeunte regni sui septimo coronatus primum imperator fuit « (quem vellet in archiepiscopum confirmaret. Et fuerunt electi Landulphus Cotta, sacri palatii notarius, frater carnalis ipsius Hernebraldi : alter dictus est Anselmus de Badagio, ecclesiæ Mediolanensis cardinalis, » id est canonicus ordinarius; « tertius dictus est Arialdus, ex capitaneis de Carimate, » plane diversus a nostro sancto; « quartus dictus est Atho, Ecclesiæ Mediolanensis cardinalis. Ex alia parte, pars nobilium elegit Guidonem de Velate, imperatoris secretarium. Facta relatione ad imperatorem, ipse, cæteris exclusis, Guidonem de Velate investivit per baculum et annulum de archiepiscopatu Mediolanensi, quem papa cum cardinalibus pallio archiepiscopali investivit, » Romam fortassis advectum anno 1046, in comitatu Henrici regis, imperialem coronam suscepturi in Natali Domini. Dacii brevitatem, in narranda Guidonis institutione, supplevit Alciatus in supralaudato fragmento, simul et occasionem indicavit subsecutarum cum S. Arialdo et sociis contentionum. Cum enim dixisset quod Henricus « actu et blanditiis, qui advenerant oratores Mediolanensium impulit ut suam electionem laudarent, » sic progreditur :

37. « Tulit id, æque ac debuit, ægerrime populus, vixque adduci potuit ut advenientem præsulem cum dedecore non repelleret : sed corruptis largitione sacerdotum primoribus, facillime deinde im

lani fuisse, non autem, ut nequaquam recipiendum in gratiam archiepiscopum suaderet. Tacent interim de eo « Arialdi » itinere auctores alii; uti et de omnibus supranotatis Andreas, ideoque ea fusius hic dicenda fuere.

Digitized by Google

petratum est ut plebs ipsa acquiesceret. Prætendebant illi religionem divinique cultus profanis non obnoxium arbitrium... Durabat et tunc summa caritas, et ejus comes pestis, quæ non nisi vicesimo tertio demum anno exstincta est. His calamitatibus conflictati Insubres omnia sacerdotibus permittebant. Hi igitur Widonem pro justo præsule agnoscentes, insignia dignitatis in eum contulerunt, honoribus augent, jussis obtemperant. Sed et comis natura liberalisque Wido, sibi ipsi non deerat. Sacerdotes et ministros quoslibetque initiatos libenter amplecti, delicta eorum dissimulare, æqua atque iniqua pati; quibus actibus omnes sibi non difficulter conciliavisset, nisi licentiam hanc tandem Arialdus repressisset. » Ea res quemadmodum se habuerit, hactenus vidimus, uti etiam Alciati verbis, quatenus servata ab injuriis temporum sunt. De Herlembaldo hic subjungimus, quod præsente jam archiepiscopo, penes quem ex more regimen civitatis erat, et sacerdotum opera, conciliata utcunque cum nobilibus plebe, minus huic necessarium esse se videns, Hierosolymam peregrinus abiit; fortassis ne immisceretur novis turbis, quas prospiciebat excitandas, occasione eorum quæ contra incestos Simoniacosque a S. Arialdo ac fratre suo Landulfo movebantur. Quomodo autem Alexandri II tempore inde reversus, iisdem se adjunxerit, fervente vel maxime contentione propter Stephani et Nicolai papæ judicia, placeat ex Landulfo juniore discere, apud Puricellum pag. 140, sic prosequente S. Arialdi Vitam.

38. « Iisdem temporibus Herlembaldus de Cotta frater Landulfi ab Hierosolymis redierat, miles factus. Vir equidem magnæ nobilitatis et consilio prudens magnanimusque semper fuit. Hic Arialdo et Landulfo visus est idoneus ad ipsos defendendum contra clericos arma moventes. Unde cum visitandi hortandique gratia ad eum venissent, talibus orsi sunt verbis · O Herlembalde, in omnibus venerande, pro tuo reditu nos Deum collaudantes, gratias ei referimus immensas; sic enim Deus, in mari et in terra multis quassatum procellis, te nobis redire sua benignitate disposuit. Vitiis modo sæculi miles fuisti, decens ratio est ut Dei ecclesiæque catholicæ miles efficiaris strenuissimus; et quod efficere non potuimus, tua dextera perficere valeamus. Esto nobis quasi Mathathias et filii ejus, qui pro templo Dei et populi libertate mortui sunt, et vitam habentes æternam in Christo sunt feliciter coronati. Liberemus Ecclesiam Dei, multis temporibus obsessam, et uxoratis sacerdotibus inquinatam, tu lege gladii, et nos Dei. Visitasti sepulcrum ejus, libera igitur Ecclesiam ejus. His auditis Herlembaldus aliquantulum supersedit, dubitans clericorum actionibus immisceri. Tandem hortatu Landulfi cum Arialdo Romam proficiscitur, promittens se id acturum, si papa Alexander, qui de Badagio erat, confirmaret. Ea namque tempestate, mortuo Nicolao papa, Anselmus, Mediolanensis civis de Badagio, Lucanus episcopus, ab omnibus cardinalibus in papam est electus, vocatusque Alexander secundus.

39. « Hic dum esset ordinarius Mediolanensis Ecclesiæ, scientiis et moribus laudabilis fuit, et in sermone potens, cujus facundia scientiaque plurimum civibus grata erat, cœpitque tunc in prædicationibus suis clericorum vitam vituperare, nec verbis archiepiscopi Guidonis, ipsum hortantis ad scandala clericorum minime publicanda, consentiebat. Unde archiepiscopus, dissimulans quid agere vellet, cum Anselmo ad imperatorem pergit; qui consilio archiepiscopi curiose satis ab urbe expulit Anselmum, nam ei Lucanum episcopatum dedit. Itaque Guido, se tutum putans absentia Anselmi, magis fallitur. Nam Anselmus, vocato Landulfo levita ordinario, familiariter hortatur ut in prædicationibus suis vitia exprobret clericorum; idem domestice satis facit Arialdo, ostendens eis modos quos tenebat antequam fieret episcopus. Sicque hæc proclamatio contra clericos lascivos et Simoniacos, per Arialdum et Landulfum diutius continuata, a præfato Anselmo de Badagio sumpsit exordium. Hac igitur familiaritate confisus Arialdus, ad Alexandrum papam cum Herlembaldo sese transtulit.

40. « Cum vero Alexandro papæ eorum foret nuntiatus adventus, eos ad se in cubiculari thalamo vocari jubet : ubi super eorum colla ruens, plurimum gavisus est; Arialdo antiquam ostendens familiaritatem, quam solent amici ad alta ascendentes negligere. At Arialdus, mutuo amore monstrato servataque debita reverentia, ita cœpit effari : Pater sanctissime, Creatori omnium gratias refero immensas, quod te in tanto honoris culmine, per Dei misericordiam, sublimare et exaltare disposuit. Nunc itaque animus meus, multis attenuatus angustiis, agnoscit quod olim mihi tua dilectio promittebat, et, ut omnia omitterem, sanctitatis tuæ clementiam reverenter exoro, ut hunc militem Herlembaldum, bello probum consilioque strenuissimum, in omnibus virtutibus confirmatum, Dei favore tuoque munitum, mihi tribuas defensorem, et a te vexillum accipiat, ut securius militans nos possit defendere, et tuos olim rebelles humiliare. Quibus auditis Alexander Hildebrandum cardinalem, olim legationis suæ collegam, vocari jussit, consentientibusque cæteris cardinalibus, annuente id Hildebrando, Alexander in publico consistorio vexillum sanctum, quod nominavit Vexillum S. Petri, Herlembaldo dedit, eumque Romanæ universalis Ecclesiæ vexilliferum fecit. Quibus feliciter completis, Arialdus cum Herlembaldo Mediolanum repedavit, factusque securus tali defensore, vitia clericorum exstirpavit acrius.

41. « Cum autem Herlembaldus vidisset clerum arma moventem, utramque partem ad diurnam disputationem convocat, eo pacto, ut quæcunque pars ratione convinceretur, alteri subjaceret. In medium prolatis doctorum sententiis maxime Ambrosii protectoris nostræ clarissimæ urbis, ibique per Guibertum archidiaconum, Antonium Bissum, Andream Decumanum, multa prolata sunt contra

Digitized by Google

Arialdum et Landulfum; qui prædictorum trium verba, Pauli apostoli et sanctorum auctoritate refellunt. » Hactenus Landulfus junior. Puricellus autem, lib. IV, cap. 92, prolixe expendit locum S. Ambrosii, sumptum ex libro I De officiis, capite ult., quem prædicti conjugiorum clericalium defensores corruperint, et corruptum pejus intellexerint; docens istis solum ventilari quæstionem tunc inter Patres controversam, utrum ante baptismum bis conjugatus, post illum deberet censeri ligatus, adeoque a sacris ordinibus arceri, et non arcendum existimante S. Hieronymo, contrarium tenuisse Ambrosium, Innocentium atque Augustinum.

42. Quando igitur Ambrosius dicit quod clericis « una tantum nec repetita permittitur copula, » quo sensu id dicat, mox explicat verbis : « Plerisque mirum videtur cur etiam ante baptismum iterato conjugio, ad electionem muneris et ordinationis prærogativam impedimenta generentur, cum etiam delicta obesse non soleant, si lavacri remissa sunt sacramento. Sed intelligere debemus quia in baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest; » ea scilicet, quæ non nisi unius uxoris virum ordinari permittit. Quod autem etiam unius uxoris viros ab uxoris commercio arceat castimonia in subdiaconatu suscipiendo promissa, nedum uxorem quantumvis virginem ducere prohibeat, ex aliis Ambrosii locis ostendit Puricellus; postquam docuisset primum fuisse Dacium qui scripto mandaverit fabulam passim deinde assumptam ab aliis de eodem Ambrosio, quasi is a Damaso papa missus Constantinopolim dixerit, quod « lex concedit sacerdotes semel virginem uxorem ducere, sed conjugium non iterare, » cum falsum sit aliquem ex Occidente episcopum concilio ulli Constantinopolitano tempore Damasi interfuisse; neque apud Græcos, quantumvis nupturientes, quid simile legatur; nec denique talis lex usquam inveniatur; sed ea solum quæ monogamos ordinari concedit, cum obligatione castimoniæ post ordinationem servandæ. Huic autem legi insistens Alexander II, ex Romano concilio anni 1063 ad Mediolanenses scripserat, et præcipiendo mandarat « ut nullus missam audiat presbyteri quem scit concubinam habere vel subintroductam mulierem; quicunque » autem « sacerdos vel diaconus, post constitutum papæ Leonis aut Nicolai, concubinam duxerit palam, vel ductam non reliquerit, non cantet missam neque Evangelium, neque Epistolam ad missam legat, neque in presbyterio ad divina officia maneat, neque partem ab ecclesia suscipiat. »

43. Atque hæc de Herlembaldo et Alexandro supplenda hic erant, de cujus cum Arialdo Romam profectione agit Andreas, dum refert mortem fratris ejus Landulfi, quamvis ea profectione posterior rem, obitam nempe an. 1065. Hoc sciens Landulfus historiographus junior, narratis quæ de Herlembaldo præmisimus, « cum hæc acta fuissent, » inquit, « clerusque arma moveret, moritur Landulfus Herlembaldi frater. Utriusque obtrectator Arnulfus, apud Puricellum pag. 223, sic de ea morte loquitur : « Cum placuit Altissimo, qui renes scrutatur et corda, ille qui alienam diu fuerat meditatus lassitudinem, inopinam subito doluit suam ipsius ægritudinem; cumque langueret biennio pulmonis vitio, linguæ privatur officio, ut in quo multos affecerat in eo quoque deficeret. » Ita ille divinorum judiciorum malignus explorator, pro quibus si dicendum per conjecturam sit aliquid, verosimilius dicetur eam mortem fuisse pœnam dilati monachatus, ad quem suscipiendum Deo se obstrinxerat Landulfus, multimodis prædictam a S. Petro Damiani, lib. V, epist. 16.

44. Conatur quidem Puricellus excusare cum exemplo fratris Herlembaldi, a monastica vita abstracti intuitu majoris boni publici; sed diversa plane utriusque est ratio. Consilium sive propositum Herlembaldus habebat, non votum, et Ecclesia egebat militis armati auxilio, quod monachus præstare non potuisset. Concionator autem Landulfus manere, et monachus fieri poterat, quales etiam in subsidium Mediolanensis ecclesiæ Vallumbrosa evocatos scribit Locatellus in Historia sui Ordinis, lib. I, cap. 68, ad quos etiam hortatoriam eam scripsit Petrus, quæ lib. V est epistola 14, directa « sanctis fratribus Roduifo, Vitali et Arialdo atque Herlembaldo et cæteris pro castris Christi invicta fide certantibus, » ubi is ordo servatus videtur, ut primo nominentur monachi, tum clericus Arialdus, deinde laicus Herlembaldus; tacetur autem Landulfus, quia vel jam mortuus, vel saltem inutilis propter morbum, de quo nolim cum Puricello dubitare, quia nihil obest si mors illa differatur ad annum usque 1064 vel etiam 1065. Prius ergo quam istam epistolam scriberet Alexander, rescripserat Landulfo et Arialdo clericis, id quod est apud Ivonem in decreto p. 12, c. 24 : « Possumus in perjurii aliquo crimine lapsis misericordiæ manum porrigere; sed non debemus, ad futuræ perditionis exemplum, licentiam dare : » quod credo respicere clericos post juratam emendationem receptos ad beneficium, ac deinde relapsos, iterum ad illud non recipiendos, absolutione tamen sacramentali donandos, si pœnitentiam obtulerint. His interjectis pro continuando historiæ filo regredior ad contextum Andreæ, qui sic porro habet.

45. « Per idem tempus, » quo scilicet Arialdus et Herlembaldus communi conatu rem catholicam promovebant Mediolani, post mortem Landulfi, puta anno 1064 vel 1065, « abbas cœnobii S. Celsi (16*) obiit; cujus locum quidam clericus, nomine Lanfrancus, protinus rapuit, refutato pro eo tiroci-

(16*) Puricellus in dissert. Nazar. cap. 86 et deinceps, pluribus agit de hac S. Gelsi abbatia extra urbem, inter Portam Romanam et Ticinensem, fundata a Landulfo II, incertum quo anno; affert autem altaris ornati monumentum pro anno 975, et cap. 90 tractat casum hic narratum; sed nihil addit quo locus hic illustretur.

Digitized by Google

nio (17) non modico, quod annuatim sumebat de pontificali domo. Cujus nefandæ præsumptioni tam constanter per tempora plurima vir domini Arialdus, cum Herlembaldo nobili socioque fideli, obstitit, donec eum facerent exulem, non solum male emptæ abbatiæ regimine, sed etiam pene finibus ejusdem parochiæ (18).

46. « In eodem denique tempore, defuncto monasterii S. Ambrosii abbate, alius clericus cancellarius, nomine Ariprandus (19), clericale birrum, eatenus ignominiose (20) delatum, reliquit, et hujus monasterii nomen abbaticum sibi nefande usurpavit. Qui cum tantæ esset celsitudinis, pro natura superbi sanguinis, ut violenter nequaquam posset expelli, ait Arialdus vir Dei : Si quod debemus in hoc improbo explere nequimus, quod valemus saltem faciamus. Protinus igitur sumptis fratribus, ad eum perrexit. Quo coram pervento, dixit : Quid est hoc? Heri clericus : hodie abbas. Magnum fecisti et velocem saltum. Et quare non timuisti contra sanctos canones, et contra jusjurandum, quod nuper in Ecclesia Romana jurasti, hoc usurpare? Qui respondit : Hoc, ut vides, actum est, et relinquere id ulterius minime possum. Cui vir Dei : Si vis, inquit, potes, et omnino ex Dei parte sanctæque Romanæ Ecclesiæ deprecor te, ut rem contra Dei voluntatem sumptam, et contra tuæ animæ salutem raptam, relinquas. At ille : Et ego, inquit, sub eodem juramento, quo adjurasti me, adjuro te ut tuis te vestibus nunc exuas, et hic coram me te scopari facias (21). Qui protinus cucurrit, virgas acquisivit, vestibus se exuit, et acriter se ab uno ex suis ibi coram omnibus scopari fecit. Hæc itaque falsus abbas perpendens, quid ultra diceret nescius, capite demisso inde surrexit, et induratus ut Pharao, aliorsum declinavit. »

CAPUT V.

Arialdi virtutes; jejunandi et psallendi accurata ratio.

47. Sicut enim tot testari possunt quot eum familiariter novere, hujus intentio et exercitium aliud assidue non erat quam ut opere impleret quidquid in divinis legebat voluminibus. Nam sic erat largus ut frequenter de ipso dicerent hi qui sedule cum eo morabantur : Si hic arcam aureis plenam haberet, et non defuissent petentes egentesque, uno in die omnia procul dubio expenderet. Cum enim alicubi incederet, et obviantes pauperes eum, ut eis aliquid largiretur, exorarent, argentum, quod nunquam peculiariter detinebat, a se sequentibus protinus commodabat, et sic eorum necessitati misericorditer subveniebat. Munditiam namque cordis corporisque sic diligebat ut contra diabolicas illusiones, quibus homines illudi solent nocturnis horis, universas ferme noctes medias insomnis et pervigil permaneret, et quamplurimas usque ad galli cantum protelaret, partim orando, partim legendo, partim ad destructionem Simoniacæ hæresis cum cæteris fidelibus in consilio consistendo.

48. Illum præterea usum gulosum, qui carnales, tam clericos quam laicos, in sabbato sancto ad nonam cogit missarum solemnia et baptismatum, quæ in eadem sancta nocte agenda sunt, anticipare valde damnabat. Sed quia aliis in hoc non valebat, sibi consulebat. Prandente namque universa urbe, ipse sanctam noctem jejunus cum fratribus aliquibus præstolabatur (22) ; atque cum eis ad quemdam exibat locum, qui dicitur Nemus, milliario a civitate secretum. Ibi enim adhuc est ecclesia, a B. Ambrosio (23) constructa et dedicata; ubi, sicut fertur, idem fugiens populi tumultum, solitus erat degere librosque dictare. In hac autem vir Dei sanctam eamdem noctem pernoctabat, et debitas omnipotenti Deo laudes cum fratribus competenter reddebat. Nunquam enim volebat solus bibere, nunquam sine pauperibus clericis comedere, nunquam sine sodalibus limitem forinsecum transire.

49. In diebus vero jejuniorum, solemnia nequa-

(17) Tirones dici Ephebos honorarios, virorum principum vidimus ex S. Eulogio et passione S. Pelagii martyris. Talium ergo stipendium « tirocinium » dicebatur; quod hic applicatur etiam clericis simile obsequium archiepiscopo deferentibus, in ejus ministerio familiari.

(18) Landulfus adjungit quod Arialdus « alium a cœnobio S. Vincentii eodem modo repulit. » Jo. Antonius Castilioneus integro opere scripsit Florilegium memorabilium antiquitatum basilicæ Vincentianæ, in decem fasciculos distributum; cui deinde ampliorem titulum Mediolanensium antiquitatum ex parœciis urbis collectarum, præfixit; sed nusquam seriem abbatum curavit texere. De eodem agit etiam Puricellus in Monumentis Ambrosianis, pag. 389, docetque postea ad moniales transiisse.

(19) Idem cum pag. 431 ostendisset an 1053 ibidem adhuc abbatem fuisse Landulfum, pag. 533 agit de hoc Ariprando; ac denique censet ipsum esse, qui « Ariprandus indignus diaconus » quarto loco subscripsit Widoni archiepiscopo, Simoniacam et concubinariam hæresim detestanti, an. 1059, fuisse autem adhuc abbatem anno 1064.

(20) Idem censet, « birrum clericale fuisse quoddam brevius atque exterius indumentum, quo brachia tantum et humeri tegerentur. »

(21) Vide eumdem curiose de hoc pœnitentiæ genere disserentem pag. 455, atque ex Petro Damiani docentem, « scopas » dici, non solum verberum infligendorum instrumentum, sed etiam ipsamet verbera scopis inflicta, ubi dicitur quod « decem psalmorum modulatio mille scopas admittit. »

(22) Landulfus Junior hic allegat Isidorum, lib. VI Etymolog., sic scribentem : « Nox Paschæ ideo pervigil ducitur, propter adventum Regis et Domini nostri, ut tempus resurrectionis ejus non nos dormientes, sed vigilantes inveniat. »

(23) S. August., lib. VIII. De civit. « Extra castra Mediolani jacet monasterium, plenum bonis fratribus, sub Ambrosio nutritore. » Sed inter hos fuisse tres illos, a quibus Ambrosinorum ibi ordo, et inde decerptus ordo apostolinorum, sumpserunt originem sub S. Augustini regula, nequaquam nobis verosimile videri diximus ad Vitam S. Placidi die 5 Junii; esto id scribant Morigia atque Maurolycus, hic in Oceano, iste in Historia originum religiosarum. Situm designat Morigia « in burgo Portæ Comensis. » Petrarcha in libro De vita solitaria, « Nunc quidem silva excisa, » inquit manet tamen Ambrosii nemus. »

Digitized by Google

quam celebrabat sanctorum; econtra autem in solennitatibus, nec genua flectebat, nec jejunabat, nec quemquam secum commorantem jejunare sinebat. Triduanum namque illud jejunium, quod inter sanctos dies paschales (24), contra antiquorum dicta sanctorum, noviter est peragi usitatum (25), sic vehementer horrebat, ut libenter diceret velle se tradere morti, si tantum exhortari posset populum quatenus in tempus mutaretur licitum et aptum. Quapropter in uno eorum dierum, una omni jam Ecclesia congregata, ut solito more ad litanias procederet; locum, e quo docere solebat, conscendit, eisque talia verba proferre cœpit. Debet, inquit, dilectissimi, juxta Apostoli dictum, esse Domino Deo nostro rationabile obsequium nostrum (*Rom.* XII, 1), quod competenter tunc agitur, quando cum sanctorum dictis noster actus consors invenitur. Hoc jejunium, quod nunc agitis, scitote me penitus ignorare cujus impulsione spiritus agatur. Si enim Dei sit, valde miror; quoniam per illorum dicta sanctorum, pro quibus Deum locutum non dubito, jejunare in his diebus Paschalibus interdictum reperio.

50. Est et res alia, quæ super hoc nimis me hæsitare cogit. Nam in istis diebus tam acriter vos affligere cerno, vestibus laneis induendo, nudis pedibus incedendo, in pane tantummodo et aqua jejunando, quomodo, quando hæc agere debite jussum est, vos nullo modo facere inspicio. Scitote, quia sicut unus ex diebus quadragesimalibus non debet frangi a jejunio, qui hanc significant vitam, sic procul dubio nec unus ex his diebus quinquaginta est jejunandus, qui significant futuram, præter Sabbatum [ante] Pentecosten; et hoc, non propter afflictionem, sicut cætera jejunia alterius temporis, jejunandum est, sed propter novorum fratrum exspectationem qui ad nonam regenerantur, quorum renovationem nos oportet jejunos præstolari. Verumtamen ut ea quæ dico plena esse auctoritate demonstrem, sanctæ synodo Nicenæ, cujus instituta sic sunt recipienda, quomodo sancta Evangelia, per hos dies nec genua flectere nec jejunia celebrare placuit. Nam ii dies qui non sunt jejunandi, oranti pro hoc quondam cuidam Patri venerando, nomine Apollonio, qui præerat monachis circiter quingentis, satis declaratum est. Hic enim, quadragesimali rigore transacto, cum fratribus omnipotentem Deum rogavit ut eis dignaretur ostendere si eos more solito dies vellet jejunare. Quibus ipse Dominus, per incognitos viros, ante eos illico tanta dona omnium rerum ad edendum congrua misit, quanta per hos omnes dies Paschales eis abundanter sufficere possent. Et ut evidenter hac ulterius ambiguitate careA rent eadem dona sic fuerunt mensurata ut, donec dies Pentecostes complerentur, ipsa non deficerent, et dum completi sunt, similiter consumpta universa sunt et illa. Quod B. Benedictus cernens, cum omni tempore alio monachis jejunium indixisset, hos jejunare eos nullo modo jussit.

51. Quid etiam B. Ambrosius noster patronus de his dixerit, commemorandum est. Ait enim (*serm.* 2 *in Pent.*) : « Hanc sanctam Pentecostes diem qua ratione curemus, vel cur istorum quinquaginta dierum numero sit jugis et continuata festivitas, ita ut hoc omni tempore neque observanda indicemus jejunia, neque ad exorandum Deum genibus incumbamus, sed, sicut Dominica facere solemus, erecti et feriati Resurrectionem Domini celebremus. Ad B instar enim Dominicæ tota quinquaginta dierum curricula celebrantur; et omnes isti dies velut Dominici deputantur. Sic enim disposuit Dominus, ut, sicut ejus passionem Quadragesimæ jejuniis mœrebamus, ita ejus Resurrectione in Quinquagesimæ feriis lætaremur. Non igitur jejunamus in Quinquagesima, quia in his diebus nobiscum Dominus commoratur. Non, inquam, jejunamus præsente Domino, quia ipse ait : « Nunquid possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus?» (*Marc.* II, 19.) Hæc cuncta beatus dixit Ambrosius : cujus dicta quomodo sint accipienda, non solum novimus nos, quorum est patronus, sed omnis etiam pene noscit mundus. Verumtamen hæc nunc tantummodo meC minisse vestræ charitati sufficiat. Cæterum, si vixerimus, hac de re, Christo auxiliante, plus dicemus.

52. Post hæc autem plebem dimisit, et ad S. Ambrosii corpus causa orandi perrexit. Quidam autem illico currentes ad ecclesiam majorem, ubi jam civitas erat omnis congregata, retulere hæc omnia. His itaque auditis, sacerdotum filii cæterique quamplurimi detestandi viri, accepta occasione diu præstolata, cœpere insanire et dicere : Modo aperte patet hunc, qui tam sanctum opus damnat, esse hæreticum Deique inimicum. Et his dictis, levaverunt pariter voces et fustes, omnique plebe commota, in ecclesiam beati viri, quæ canonica nuncupabatur, cum magno impetu irruunt; quidquid inveniunt, D diripiunt, domumque destruere incipiunt; servum vero Dei ideo non interfecere, quia non invenere. Hæc ut nobilis Herlembaldus cæterique fideles audiere, sumptis armis in audacem plebem et temerariam irruere, quos protinus sic exterminavere omnes, quasi essent vilissimæ pecudes. Imo cum virtute magna et potestate ad ecclesiam majorem venientes, violenter ab impiis abstulere quidquid de

(24) Scilicet dies « Litaniarum, minorum » ut vocant, sive « Rogationum, » quos triduo ante Ascensionem Domini jejunare, non quidem universalis Ecclesiæ usus obtinet, ut putant aliqui, cum Romæ totaque Italia id non fiat, sed transalpinarum omnium Ecclesiarum, sumpto a Gallis principio, institutore S. Mamerto Viennensi episcopo, circa annum 470; cujus in ea re zelum quantum laudent sancti Sidonius Apollinaris, Gregorius Turonensis, Avitus et Ado Viennenses episcopi, ad 11 Maii deduxit Henschenius; quibus addi potest B. Alcuinus, aliique plures, citati apud Cangium in Glossario.

(25) Auctore forsitan Guidone archiepiscopo, hujusmodi observationi apud imperatorem assueto, eoque religiositatis laudem apud populum captante.

Digitized by Google

domo Domini rapuerant, et sic ecclesiæ Dei pene cuncta sunt reddita, operante Christo per zelum piorum, quæ ab ea fuerant rapta, operante Satana per furorem impiorum.

53. Sicut Arialdus quotidie Christi causas erigere et exaltare contendebat, ita Christus de virtute in virtutem Arialdum assidue provehebat. Nam tam potentem in oratione nunquam reminiscor me vidisse alium quemquam; cujus qualitatem si dixero, gratum fore diligentibus Deum, profuturumque spero. Tot enim sanctorum nomina de ipsius ore non solum semel in die, sed etiam bis terque audiebam procedere, quot nunquam scripta in codice vidi, nec alium proferentem audivi. Nam licet divinis ac liberalibus litteris sic imbutus esset ut vix alicubi ejus par inveniri posset, nullatenus plus in sua scientia confidebat quam velut nec unam sciret litteram. Sed cum esset cum aliquo de fide altercaturus in publico, priusquam ipsa haberetur congressio studebat per se, sive per fratres directos, circumquaque corpora sanctorum requirere, atque eorum patrocinia, ubi omnem suam spem collocarat, obnixe flagitare. Nam quotidie, vallatus fraterna acie, sanctorum corpora circumibat atque coram eisdem Deo gemebundam fundebat precem.

54. Exeuntes enim a domo, singulatim privatimque orando incedebamus, donec populi tumultum transissemus. Quo transito, psalmos cantabamus reciproce, quos incipiebat ipse, et hoc agebamus, quousque ecclesiæ januis proximi essemus, ad quam pergebamus, ubi relicta psalmodia ejusque parte ultima memoriæ tradita, quos ad laudem illius sancti pertinere cantus vel hymnos sciebat, sumebat; sic quidem dicendo moderate lenique voce ut quod dicebat possemus audire, atque cum eo dicere, et cum hoc sancto canore ante sanctum veniebamus altare. Quo venerabiliter adorato, si dies solemnis vel Paschalis non esset, utraque genua in terram ponebat, manus expandebat, oculos in cœlum figebat, et sic in crucis modo ante altare stans, pro Romano summo pontifice, atque pro pace, pro salute universalis Ecclesiæ, ac pro ejus adversariorum conversione, et pro cæteris hujusmodi utilitatibus multis, Deum exorabat cum gemitibus et lacrymis. Nos vero post ipsum procumbentes, quod dicebat, audiebamus et respondebamus. Tunc demum silenter paululum orabat, idque unumquemque nostrum agere sinebat. Denique se erigebat, altare honorifice adorabat, et nobiscum jam regrediendo dicebat: Angelum pacis et gratiæ dona nobis, Domine Deus noster (26), et tunc ibi psalmos dicere in ecclesiæ exitu incipiebat, ubi eosdem in ingressu reliquerat: cumque ad aliam veniremus ecclesiam, hoc in ea agebamus, quod in alia feceramus. Et notandum quod in loco quo psalterium finiebat, in eodem protinus idem incipiebat; etiamsi præter psalmos tres (27) minime ei exordio (an *ex ordine?*) tunc dicere liceret. Clericum enim fatebatur semper debere inter psalmodiam esse.

CAPUT VI.

Archiepiscopus cum suis Arialdum et fideles armatus aggreditur vinciturque.

55. Peractis igitur novem annis in exercitio tam grandi atque admirabili, ventum est ad decimum, in quo pervenit ad votum diu nimis optatum. Nam sic pro Christo mori ardenter cupiebat, ut, cum quemlibet se Deumque cerneret pure diligentem, magna cum prece deposceret, dicens: Obsecro te per Christum, ut pro me precem fundas apud ipsum quatenus sanguine proprio testari merear verbum ejus, quod prædico, ad quod adipiscendum ei hæc occasio fuit. Juraverat illi omnis clerus, tam majoris quam minoris ordinis, necnon ipse Guido, qui Pontifex dicebatur, quatenus cum eo deberent hæresim Simoniacam ac Neophytanam damnare, et in catholica fide ulterius persistere. Sed cum ecclesiarum regimina eidem Guidoni sine rectoribus apparebant, illico quod juraverat oblivioni tradebat; et, ceu canis ad vomitum, sic revertebatur ad suum antiquum reatum. Quod vir Dei Arialdus cernens, litteras per manus Herlembaldi ad apostolicum direxit, quatenus ipse decerneret quid de Guidone adultero et Simoniaco atque perjuro fieri oporteret.

56. Tunc etiam duo clerici Modicenses (28) ad Christi famulum venere, spondentes velle se relinquere opera et consortium diaboli, et deinceps firmiter tenere et prædicare opera et fidem Christi, nam unus ex his tantæ fuerat audaciæ et perversitatis, ut quasi ductor existeret adversæ partis. Quibus vir Dei ait: Tot quippe sunt qui hoc dicunt mendaciter ut jam pene nemo sit cui possit credi veraciter. Vos vero, si vultis ut vestris credam sermonibus, ite, et operibus me firmum reddite. Regressi igitur domos, connubio illico a se repulso, cœpere palam et constanter profiteri B. Arialdi verba esse plena veritate, quæ hactenus erant professi fore plena falsitate. Hæc ut Guido audierat, sævos illuc protinus apparitores mittens, eos capere jussit, atque in Alpes ad Castrum, quod dicitur Leucum (29), deportari. Ibi namque in tam dirum carcerem sunt missi (sicut ipsi nobis sunt postea professi) ut nunquam eos contigerit audisse sanctos a paganis duriora perpessos. Quod Christi famulus dum audisset, convocata in unum civitatis multitudine, ait: Volo vos, dilectissimi, scire quod Christianus pro nulla causa gladium debeat ferre nisi pro fidei defensione. Si ita est, vos, qui Christiani estis, et arma fertis, cogitate quid nunc vos oporteat facere. Ecce enim

(26) Hanc orationem necdum potui in veteri missali vel breviario Mediolanensi invenire; libenter accipiam integram, et discam unde accepta sit.

(27) Id est, licet solum tres ultimi psalmi superessent.

(28) « Modoetia » antiquis, tunc « Modica » etiam dicebatur, nunc « Monza, » in Boream 10, p. m. distans ab urbe.

(29) « Leucum » videtur esse « Lecco, » ad cornu orientale lacus Comensis, 39 p. m. Mediolano.

Digitized by Google

duo clerici quandiu in perfidia persistentes, opera diabolica sunt secuti, honorifice ab eo qui pontifex Mediolanensis dicitur sunt habiti; cum vero eamdem perfidiam diabolicamque nequitiam decrevere contemnere et Christum sequi, tunc sunt capti, tunc in dirum carcerem trusi.

57. Hæc cum cives Christiani audissent, obstupefacti, tantam perfidiam cum magno clamore cœperunt damnare, ad arma currere, et ad vindicandum tantum scelus contra Guidonem exire. Christi vero famulus, timens ne ad fidei detrimentum pro absentia Herlembaldi populus præmio aut timore corrumperetur, eos præcessit, in manu portans vexillum sanctæ crucis. Guido autem, spe nimiæ multitudinis equitum, pugnaturus occurrit in ruribus Modicensibus, millibus fere decem ab urbe distantibus. Vociferantibus itaque partibus utrisque, infidelem aciem protinus tantus invasit timor quatenus ei nulla quidem remaneret spes fugiendi vel bellandi, sed dantes statim obsides, clericos spoponderunt captos quantocius se reddituros. Et sic in eodem die reversi sunt gaudentes, Deumque laudantes. Tertia etiam die post hæc ad ecclesiam viri Dei vox insonuit, dicens : En jam veniunt rudes martyres Christi, clerici scilicet, qui fuerant capti. Quibus Christi famulus cum multis fidelibus illico occurrit obvius, eosque deosculans, cum magno gaudio suscepit : et excelsa voce « Te Deum laudamus » cum fratribus cantare cœpit, illosque sic in ecclesiam introduxit. Quos tunc consterna..... (30)

58. Postquam autem Herlembaldus Roma rediit, litterasque excommunicationis detulit archiepiscopo, subito prædictus archiepiscopus per totam urbem nuntios misit in Sabbato (ante) Pentecosten nuntians universis civibus, ut si inaudita scire cuperent, in Pentecoste (31) summo diluculo venirent ad majorem ecclesiam. Hoc autem ideo fecit, ut contra sanctos Dei Arialdum et Herlembaldum populus insaniret. Mane fit concursus populi; Herlembaldus supra cancellos (32) sese contulit, ita ut ab omnibus videretur. Cœpit igitur Guido, tenens manu excommunicationis bullam, ad populum conqueri de Arialdo et Herlembaldo, dicens : Turbatio pestifera per hos disseminata est, ita ut videam in his scriptis omnium nostrum perniciem contineri. Hæc enim civitas ob reverentiam B. Ambrosii nunquam Romanæ paruit Ecclesiæ. Ergo tollantur de terra viventium hi seminatores verborum qui quotidie laborant ut hæc urbs pristinam et propriam perdat libertatem. Ad hæc cœpit populus exclamare : Occidantur velociter, occidantur. His dictis, Guido cum magna clericorum caterva cœpit descendere, ut sanctos Dei opprimeret. Sed cum nimia plebis densitate ad eos non pateret accessus, cœpit Guido exclamare : Omnes qui S. Ambrosii honorem diligunt ab ecclesia exeant, ut nostri adversarii evidentius cognoscantur, citiusque conterantur et opprimantur. Subitoque ecclesia evacuata est ita ut ex septem millibus virorum tantum duodecim remanserint in subsidium servorum Dei. Arialdus autem et Herlembaldus super cancellos stantes, flexibus genibus Dominum exorabant : in quos pars adversa clamore magno irruit, laici in Herlembaldum, clerici vero in Arialdum; quem percutientes deorsum præcipitant, et percussum credunt occisum. Tenebatur autem sceptrum militare ante Herlembaldum, super quo se appodiare soiebat; quo sibi propinquantes mirabiliter prosternebat, ita ut nullus auderet sibi propinquius accedere.

59. Cœpit igitur volare fama per urbem, mortem nuntians Arialdi, unde sequaces sui ira commoti arma capiunt; venientesque non ad ecclesiam, uli tumultus erat, sed pontificalem aulam ingrediuntur, quæquæ reperiunt, dissipant, et per aulæ ingressum intrant ecclesiam..... tos cruentosque. Cœperunt itaque Herlembaldum cohortari, ut descenderet et Christi adversarios cum eis prosterneret. Quibus nullo modo acquiescens, nec descendit, nec manus deposuit. Ipsi vero irruere protinus in adversarios, et, sicut ante validissimum ventum fumus, sic ante eos omnis illico infidelis evanuit populus. Guidonem vero ante januas in equo reperiunt; quem juste fustigantes spoliant, atque eorum manus vix evadere potuit, in cœnaculum quoddam tractus potius quam delatus. Tot namque ocius tunc apparuere pro veritate certantes quasi eisdem nulli essent in eadem urbe resistentes. Magno igitur cum trophæo ecclesiam intrantes, Herlembaldum descendere faciunt, imo læti valde sunt effecti, eo quod B. Arialdum quem credebant mortuum, reperiunt vivum. Quem tollentes in atrium ecclesiæ, quæ dicitur Rozzoni (33), deveniunt, ibique protinus tanta armatorum multitudo est congregata quatenus inimicorum non solum corpora prosternere, verum etiam ipsorum possent libere omnia ædificia subruere. Ad quod patrandum dum anxie anhelarent, Herlembaldus, jam vexillum in manu tenens erectum, ait : Oportet ut dominum Arialdum inquiramus, et cujus domum evertere primitus debeamus. Hæc vero ut Christi martyr audiit, in locum, unde a cunctis posset audiri, se

(30) Notat Puricellus, in suo ms. defuisse paginas duas; quæ dum aliunde restaurentur, jubet suppleri hiatum ex Vita per Landulfum juniorem scripta, quod facio.

(31) Pascha anni 1066, litt. Dominicali A, celebratum fuit 16 Aprilis, atque adeo festum Pentecostes 4 Junii.

(32) Etiam hodie sic composita cernitur cathedralis ecclesia, ut chorus seu presbyterium, reliquæ ecclesiæ pavimento altius ad octo vel decem pedes, pluribus conscendatur gradibus, per quos venitur ad cancellos ipsi choro prætensos.

(33) « Quæ nunc dicitur S. Sepulchri, » inquit Landulfus junior, adeoque post annum 1100, quando restaurata structura et dedicata iterum fuit. Vide Monumenta Ambrosiana pag. 477 et seqq. et quomodo primum nomen acceperit anno 1036, a « Benedicto, qui et Rozo, » primo ejus fundatore sub titulo « S. Trinitatis, » juxta instrumentum ibi productum.

Digitized by Google

jussit deferri; eoque innuente manu, silentium factum est magnum.

60. Charissimi, inquit, si in linguas verterentur nostra omnia membra, nullo modo valerent Dei laudare magnalia, vobis hodie cœlitus ostensa: Hodie enim, ut scitis, talis hora fuit, in qua nullus vestrum unum saltem pro veritate valebat verbum proferre, nunc autem nullus est qui vel etiam contra vos, ut inspicitis, audeat mutire. Ecquis vero est hæc operatus, nisi Christus? Si igitur Dominus hodie cognovit famulos ad tuendum, dignum est ut famuli noscant Dominum ad venerandum. Nam si inimici Dei et nostri hodiernam noscerent solemnitatem, quod egerunt, nullatenus essent conati. Nos vero et Dei scire solemnitatem venerando, et ejus audire præcepta obsequendo oportet. Ait enim « Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos (*Luc.* VI, 27). » Per ipsum ergo vos oro ut nunc arma deponatis, mecumque ad B. Ambrosii sacrum corpus veniatis, et ibi Deo grates debitas pariter reddamus, nostrosque æmulos diem hodiernum ducere lætiferum sinamus, nec non pro ipsis Deum suppliciter exoremus. Nam a quibus hæc aguntur, alta celsitudo acquiritur: quia de filiis hominum Dei filii, testante Christo, efficiuntur (*Joan.* 12). Hæc illa multitudo dum audisset, alii videlicet sapientiores, B. Arialdum totum cruentum et semineccm spectantes, pacem vitamque inimicorum poscere audientes, mirantes obstupescebant; alii vero ferventiores spiritu, his verbis nullo modo acquiescere volebant. Verumtamen licet diversi vellent diversa, cuncta tamen illico sunt completa martyris verba.

CAPUT VII.

S. Arialdi ab hospite presbytero proditi cædes crudelis.

61. Sequenti denique nocte iterum cum Guidone congregata est pars perversa, dicens: Non nos hæc adversa omnimodo dejiciant; popularis enim turba cito mutatur, et in diversas partes facile inclinat. Certi quidem sumus, quod in urbe Arialdum exstinguere nullo modo valemus. Tale igitur aliud consilium nostra sagacitas reperiat, quod ipse nullatenus evadere queat. Constituantur equidem per diversa urbis loca ex nobis viri prudentes, pecunias a nobis sibi collatas habentes copiose, quas per populum clam in noctibus tribuant; in diebus vero, omnibus omissis negotiis, assidue conveniamus, et hoc tandiu agamus, quousque nimis multiplicati ipsum violenter ab urbe pellere valeamus. Quod cum fuerit factum, positis undique insidiis capiatur, captusque illico necetur. Quæ cuncta si non impleverimus, pacem nunquam habebimus. Quid multa? Per dies quindecim duodecim duo populorum conventicula sunt in urbe vehementia assidue habita; unum scilicet fidelium ad ecclesiam Rozzoni, alterum vero in curia pontificali. Crescebat autem nimis pars vesana, pro pecunia sibi in noctibus data; qua nequiter crescente, fideles paulatim tædentes cœpere deficere. Quod perversa plebs cernens, cœpit elata in B. Arialdum cum nimiis clamoribus irruendi facere impetum, quatenus eum ibi necaret ejusque locum funditus desolaret. Erat enim Christi famulus inter adversa tam fortis et constans ut nullus e fratribus in die tribulationis inde auderet aufugere, nec quidquam asportare, sed cum fremitum impiorum supervenientem audirent, se ante altare prosternebant, ibique mortem exspectabant.

62. In uno horum dierum, cum jam clausis ostiis fratres ante altare jacebant mortem præstolantes, unus eorum rem quam maxime diligebat, latenter aperto ostio inde asportavit, eamque in domo cujusdam civilis amici commendavit, protinusque rediit. Quod vir Dei ut audivit, fratrem ad se accitum sic allocutus est: Arnulfe, inquit, nonne ecclesia hæc in ejus honorem et nomen dedicata est, cui assidue dicimus: « Sub tuum præsidium confugimus, Dei Genitrix? » Et nonne legisti: Maledictus homo qui spem suam ponit in homine (*Jer.* XVII, 5)? Et cur contra hæc nunc agere præsumpsisti? Qui pavens obmutuit. Ut autem tam idem quam cæteri amodo non præsumerent talia, hæc culpa acribus verberibus est protinus emendata. In his namque diebus ibidem tam gravis confusio vehemensque perturbatio erat, ut in hora constituta plerique fideles cibum capere desperarent, mortem ad futuram illico exspectantes. Sed licet impii frementes insanirent, nullo modo facere audebant quod minabantur, quoniam toties dolor in eorum capita vertebatur quoties contra Christi famulum surgere nitebantur.

63. Quapropter iniquum et publicum dant præceptum ut, donec Arialdus in urbe maneret, quicunque clericorum publice mysterium celebraret, vel tintinnabula sonaret, aut laicus quisquam qui hæc in sua agere ecclesia permitteret, non solum privaretur substantia, sed etiam vita. Hæc vero non solum alibi, verum etiam in ecclesia ubi idem manebat, præ nimio timore jubente milite, cujus ipsa juris fuerat, servari cœpere. Quod ipse super omnia, quæ ei hactenus acciderant, gravius existimans, ait: Absit ut mei ultra sint participes et fratres, qui nefandas hæreticorum observant pro mortis timore institutiones! Qua de re, etiam ipsis fratribus ignorantibus, assumpto tantum comite uno nomine Syro, nocte clam urbe exiit, et ad S. Victorem ad ulmum (34) biduo cum ipso perlatuit. Deniquè hinc Herlembaldus cum multis fidelibus militibus utrosque suscepit, et Papiam (35) cum eis perrexit. Et parte quidem militum remissa, parte vero secum retenta,

(34) Eo loco decollatum fuisse « S. Victorem » dixit Henschenius 8 Maii ad illius Acta; estque suburbanus locus, in eoque ecclesia etiamnum superest.

(35) Abest Mediolano « Papia 15 p. m. » sita ad fluvium Ticinum, unde vetus urbi nomen; is autem post pauca passuum millia infra urbem illabitur Pado.

Digitized by Google

per Padum navigio cœperunt descendere (36), quatenus Romam pergerent, et usque ad aliud tempus tantæ iræ cederent. In quo scilicet navigio sub quodam capti sunt oppido (37), et ex medio sodalium ineffabiliter mœrentium B. Arialdus violenter solus est raptus, et in arcem deductus. Ubi dum solitam in oratione et sermone teneret constantiam, miratus miles, qui ipsum ceperat, ait : Pontifex quippe Mediolanensis magnum quidem mihi se daturum promisit præmium, si te caperem, eique te darem. Namque mihi ab eo est intimatum te esse hæreticum, quod, ut cerno, omnino est falsum. Denique eum cum omni domo sua venerabiliter habere cœpit, et comitibus mœstis Papiam jam reversis reddere festinavit.

64. Post hæc, scientes loca undique obsessa, ad quoddam castrum (38) fidelis Herlembaldi sunt reversi. Tunc quidam fratres Canturienses ei mandarunt, dicentes : Nobis quidem hic pro nimia persecutione vivere non licet, nos vero ad te venire jube, si placet. Quibus et ipse : Quicunque, inquit, mecum pro Christo mori est paratus, venire ad me festinet, qui autem nondum est, aliorsum fugiens declinet. Hæc, me præsente, dicta sunt. Post hæc Herlembaldo, cæterisque qui secum aderant, sic locutus est : Ex hac, inquit, terra exire nequimus, quia mortiferis insidiis omnes aditus obsessos scimus. Et hic manere non possumus, quoniam populus vesanus hic me persequi jam minatur; et valde paveo ne insontes hujus loci incolæ sub hac occasione devastentur. Quapropter necesse est ut aliud reperiamus consilium, scilicet, ut quæramus quempiam virum, qui me per dies aliquot in suam occultet domum, quatenus interim aut populi furor deferveat, et in hac terra me vivere liceat, vel custodiæ in insidiis ubique positæ me desistant quærere pro nimia securitate, et sic me hinc forte licebit exire. Qui responderunt dicentes : Quæ autem dicis, cunctis placent, si inveniretur qui hoc fideliter faceret. Et ille : Est, inquit, loco huic quidam presbyter vicinus, nuper ex Hierosolyma regressus, qui hactenus mihi credere satis est visus, per quem, si placet, mittatur, et super hac re diligenter inquiratur. Omnibus itaque volentibus, per nefandum presbyterum tunc missum est.

65. Post hæc ecclesiam ingressus ipse est, in qua, quoniam vigilia (39) S. Joannis Baptistæ erat, a mane usque ad horam quasi nonam in oratione permansit indeficiens. Et ecce detestandus presbyter veniens, secrete diligenterque inquiritur, si locum haberet aptum ad ipsum per tres saltem menses occultandum. Qui cum promitteret se juxta ecclesiam locum sic habere secretum, ut in eo quempiam per multos annos tenere valeret celatum; media tandem nocte, libatis osculis, cum gemitibus et lacrymis multis, usque ad portam cum ambobus processimus. Nam ipsum multum deprecati sumus, ut unum (quemcunque ex nobis vellet) in suum obsequium sumens, duceret : Quibus et ipse : Nequaquam, inquit, quoniam, si una duo sunt, loquuntur et loquentes audiuntur. Quis fari potest quanta bona tunc Herlembaldus presbytero promisit, si ipse Christi famulum tractaret, bene, et quanta mala, si male? Mœrentes igitur, utrosque abire permisimus; mane vero ad urbem devenimus.

66. Presbyter ergo nequam, mox ut in suo conclavi illum concluserat, diabolico tactus spiritu, malo Guidoni nuntiare festinavit, dicens : Quid vis mihi dare, et ego tibi tradam Arialdum sine turba, sine Herlembaldo, imo absque viro aliquo? Cui ille, lætus nimis effectus, magnum præmium illico cum securitate promisit si ipse quod promittebat impleret. Tunc sibi quamplures dari petiit milites; quos sumptos inter duas macerias, ab habitatione secessas, nocte constituit, dicens : Unus, inquit, ex vobis tantummodo in media jaceat via, scuto coopertus; hunc enim, cum venero, percutiam calceamento. Tunc vos omnes velociter surgite, et tam me quam ipsum capite; ne forte quidem super alium surgatis incaute, vobis hoc fore signum scitote. Et post hæc in his verbis ad virum Dei ingressus est : Domine, inquit, Arialde, necesse est ut hinc velociter discedamus, et ad castrum, de quo te suscepi, revertamur, quoniam te hic esse omnibus notum est; nam si hic moram fecerimus, cras procul dubio capiemur. Cui vir Dei : Tibi, inquit, via est nota, præcede ergo, et ego sequar te. Traditore igitur præcedente, ad milites venere utrique. Et ex calceamento facto condicto signo, omnes pariter in Dei virum irruunt, eumque capiunt, captumque stricte vinciunt, et vinctum jumento superimponunt, ac tacite conciteque contra Lacum majorem (40) festinant pergere.

67. Hoc autem ante horam diei tertiam, in quo vigilia S. Petri celebratur, per totum Mediolanum est divulgatum; unde factum est ut ubique esset luctus et lamentum piorum, atque contra vesana exsultatio reproborum. Quod ego audiens, tumultuosam et confusam protinus reliqui urbem, eumque prosecutus sum. Die igitur eodem nocteque sequenti festine properans, die altero ad præfatum jam sole oriente perveni Lacum; supra cujus dum incederem

(36) In Æmiliam scilicet, ut per statum pontificium tutum iter tenerent.

(37) Landulfus, « sub quodam Placentino oppido, » primum autem Papia venientibus post 16 p. m. occurrit « Parpanesius, » nec procul inde longius a ripa « Castrum S. Joannis, » quo forte deductus sanctus est.

(38) « Legnanum » appellat Landulfus, ad Olanam fluvium, 14 p. m. Mediolano; Canturio autem 20, et a Lacu Majori solum 11.

(39) Scilicet 23 Junii.

(40) Major dicitur « Lacus, » olim « Verbanus, » quem Ticinus efficit evolutus ex Alpibus, initio sumpto circa S. Aurigii oppidum; ubi stagnare incipiens seque diffundere, per milliaria fere 50 deducitur usque Sextum, et rursus intra ripas coercetur, ipsum autem Sextum Mediolano distat p. m. 26.

Digitized by Google

l'ttus, et Stationæ (41), ubi parentela mali Guidonis habitabat, essem propinquus, obvium habui virum, nomine Martinum, qui se dicebat fore presbyterum. Hic me interrogavit unde essem, quove pergerem. Cui, ut veritatem securus ab eo inquirerem, ex parte mentitus sum, dicens : Ex illa plebe sum et compares mei huc me direxere, ut manifeste valeant scire utrum verum sit quod apud nos de Arialdo, clericorum inimico, noviter insonuit, scilicet, quod exstinctus sit, et si eis super hoc pleniter lætandum sit. At ille : Revertere, inquit, mecum; et, cum ad ecclesiam quam paululum post te reliquisti, redieris, optime de hoc instructus eris.

68-69. Et tunc mihi secum revertenti ait : Externa namque die (42) vox lætifera nostro insonuit loco, dicens : Arialdus, clericorum adversarius, vinctus habetur in nave, et in ripa Laci. Ad quem illico cum multis aliis decurri, et arrepto palo optime acuto, manuque erecta, in pectore ejus illum infigere volui; sed non sum permissus. Missi sunt quidem quinque protinus viri a domina nepote (43) archiepiscopi, de quorum ferocitate ipsa non dubitabat, qui eum a militibus dividerent, et in locum, quo ipsa eis jusserat, ducerent. Quod sine mora completum est, et in tantam illico est ductus solitudinem ut vix ibi sit aliquando accessus hominum (44), et tantummodo navigantium, sed silvestrium solummodo habitatio bestiarum. Quid te verbis longius protraham? Ibi cadaver ejus sine auribus, sine naribus, sine oculis, sine dextera manu, sine membro genitali esse fecere. Si absque omnibus his membris aliquando quemquam vidisti vivere, hunc esse mortuum noli credere, nam fere nullo modo quiescere quiveram, donec ii qui in eum hæc patrarant sic me securum fecere quatenus ultra non sit unde mea jam mens dubitare possit. Tu vero ad tuos revertere, hæc eis intimans, eosque redde securos lætosque. Et post hæc alterutro divisi sumus, et, donec ecclesiam est ingressus, me redire finxi; postea vero, nolens verbis confidere perfidi, regressus sum ad iter quod reliqueram. Cum autem in jam præfatum ingrederer vicum, juxta viam reperi ecclesiam, in honorem S. Petri dedicatam, ad quam tunc clericorum laicorumque multitudo cum processione exibat. Ibi quidem seorsum duas inveni mulieres, de his quæ acciderant conferentes et plorantes. Quibus appropinquans, inquisivi quid haberentet cur flerent. Quarum una ait : Vere tu ex illo es ordine qui, cum deberet suis bonis dictis factisque omnes levare in cœlum, econtra malis exemplis cunctos præcipitat in infernum. In hoc enim loco, machinante tuo ordine perverso, in his diebus tantum est perpetratum scelus quatenus pro hoc omnipotens Deus [omnes] in abyssum demergat anxie exspectemus; et tu dicis : Cur flemus? Videns igitur mulierum fidem, ipsis quod discipulus essem illius de quo flebant intimavi, easque, si vera essent quæ a prædicto audieram viro, inquisivi. Quæ statim, factæ apud me nimis gratæ, omnia testantur esse vera, præter hoc quod de ejus morte adhuc erant incertæ. Viam itaque mihi contra præfatam tendentem solitudinem ostendunt, multumque deposcunt, ut revertens eas facerem sciolas, unde eis adhuc inierat dubietas. Verum ingentium præpeditus obstaculis saxorum, illuc accedere eundo per terram nequivi, quique per navem illuc me transferre auderet, reperire non potui; ideoque, præter quæ dicta sunt, pleniter de illo tunc scire non valui.

70. Porro, secundum quod postea diligenter scrutatus sum, qualiter quibusque ex hac vita verbis migraverit, diligentibus Deum fore gratum credo, si id breviter intimavero. A loco igitur, quo captus est, psalmodiam decantavit. Ad Stationam enim a militibus, ut prædictum est, divisus et quinque ferocibus servulis est traditus. Qui cum ipsum ducerent ad mortem, allocuti sunt dicentes : Arialde, cur non recordaris, ut neges quæ hucusque dixisti, et profitearis dominum nostrum esse verum pontificem? Nam si hoc faceres, forte adhuc vivere posses. At ille : Absit, inquit, ut coronam, quam veram dicendo in mea acquisivi vita, in fine mentiendo amittam! Nam me utrum nunc ducatis ad mortem, ignoro; quod si facitis, scitote vestro domino meam mortem valde nocituram, non solum in futura vita, sed etiam in præsenti. Et illi : Videsne, inquiunt, illum magnum montem? Si ipse profecto esset aureus et tuus, totumque dares, ultra nullo modo vive-

(41) Exolevit « Stationæ » nomen, solis tunc forte eruditis notum; sic enim 31 Januarii in Vita, SS. Julius et Julianus dicuntur venisse « in diœcesim Novariensem ad insulam Verbani lacus, qui subjacet Stationæ, quo nomine Angeram observavimus appellatam. » alii « Angleriam » vocant; et sic vocat etiam Landulfus, estque oppidum in orientali lacus ripa 5 p. m. supra Sextum.

(42) Hoc est « nudius tertius; » nec enim placet corrigere legendo, ex Puricelli mente, « hesterna. »

(43) Landulfus Senior apud Puricellum pag. 11, « Olivam » nuncupat, et fatetur eam « omnium nequissimarum artium maximeque incantationum scientia fultam » fuisse, addens, quod Arialdus, « ejus vultui in arce Arona, » ex adverso Angleriæ posita, « repræsentatus, eadem illico imperante et patrui sui dolorem reminiscente, in insula quadam juxta Lacum Majorem quam secretissime ductus est. »

(44) Carolus a Basilica Petri, in sua Novaria pag. 154, describit « insulam S. Victoris, in medio fere lacu, in quo olim erat ecclesia S. Victoris, parochialis Isellarum, propius ripæ adjacentium, » quæ habitatoribus fere vacavit semper, eademque insulam in Actis SS. Julii et Juliani num. 7 putat indicari, potius quam alteram Isellarum « multis piscatoribus incolis » habitatam; atque a S. Julio reprobatam, ne ibi mori et condi vellet, ubi « lupus et vulpes accipient suem gallumque in prædam, quia, quod in eadem insula debuerat evenire in futurum, in præsenti cognoverat, » quod de scelere in « S. Arialdum » patrando, nescio quo modo, interpretatur prælaudatus Carolus.

Digitized by Google

res. Ille autem hæc audiens se erexit, et hymnum sanctorum apostolorum Petri et Pauli alta voce decantare cœpit; quo finito, ad solitudinem ad quam tendebant, pervenere. Quem tollentes de nave, supra quoddam saxum vinctum posuere ad sedendum. Seorsum denique paululum remoti hæc dicere cœperunt ad invicem : Quid faciemus? Si tantum occiderimus virum, nostræ animæ nullum ultra poterunt adipisci remedium, et hoc si non fecerimus, nihilominus moriemur. In his enim dum hæsitarent, aspexere naviculam concite venientem, duosque homines deferentem : Et aiunt ad invicem : Hos exspectemus, hi forsan boni nuntii bajuli sunt.

71. Prædicta vero mali Guidonis neptis, quæ exhinc Jezabel et Herodias est nuncupata, postquam quinque ad Dei famulum necandum direxerat servulos, duos clericos, quos in ejus mortem præcipue inhiare cognoverat, ad se vocatos sic allocuta est : Assumptis gladiis vestrum persequimini velociter inimicum, ne forte cæteros seducat, et ulterius vivat. Hi vero erant, qui cum nave tunc veniebant. Qui cum ad cæteros venissent, egressi de nave dicunt : Ubi est Arialdus? Qui responderunt dicentes : Mortuus est. At illi : Nobis, inquiunt, jussum est videre illum, sive vivum sive mortuum. Et aspicientes, viderunt illum eminus vinctum, sedentem super saxum. In quem sic anxie irruunt, quomodo leonum catuli super prædam famelici. Evaginatis igitur gladiis, ipsius unus unam, alter vero auriculam arripit alteram, dicentes : Dic, furcifer, si dominus noster verus est archiepiscopus (45). Qui respondit : Nec fuit unquam, quia opus archiepiscopi in ipso nec est nunc nec fuit unquam. Tunc immites ejus utrasque amputant aures. At ille, oculis in cœlum elevatis, ait : Gratias tibi ago, Christe, qui me hodie inter tuos martyres dignatus est connumerare. Interrogatur denique iterum si Guido verus esset archiepiscopus. Qui solitam constantiam animi tenens, ait : Non est. Quapropter nasus ipsius protinus cum labio superno est abscissus; deinde ambo oculi sunt effossi. Postea vero dexteram detruncant manum, dicentes : Hæc est quæ faciebat epistolas, Romam directas. Dehinc radicitus membrum amputant genitale, dicentes : Prædicator castitatis hactenus fuisti, exhinc et tu castus eris. Postea vero de sub gutture linguam extrahunt (46), dicentes : Modo sileat quæ clericorum familias conturbavit et dispersit. Et sic illa sancta anima carne est soluta; corpus vero ibi quoquomodo terræ traditum est.

CAPUT VIII.

Corporis per decem menses incorrupti deportatio Mediolanum.

72. Cœperunt denique illic post hæc luminaria præclara per noctes piscatoribus apparere; quod ut impia Jezabel audivit, protinus in aliam insulam (47) eum nocte transferri jussit. Sed cum eadem lux ibidem similiter crebro appareret, in locum tertium (48) eumdem asportari fecit. Videns igitur quod non posset sanctum occultare corpus, nec sub terra neque super terram, quia illud ubique lux eximia comitabatur, irata valde fecit saxa ingentia circa ipsum innecti, et in profundum laci dimergi. Verumtamen ibi, ubi est projectum, tanta est aquæ altitudo (sicut didici a viris illus loci) ut vix fune centum cubitorum quisquam possit fundum attingere; nam idem lacus pro sui magnitudine Major nuncupatur, et plus quinquaginta milliaribus in longum extenditur. In quo tam innumerabiles procul dubio immanesque sunt pisces ut per tres menses facile devorarent quot in eadem parochia sunt pecudes. Verum quia omnia hæc occulte fuerant peracta, de illo hæsitatio et altercatio ubique erat non parva. Alii dicebant quod esset mortuus, alii quod in vinculis clam detineretur. In cujus amorem tunc sic omnis populus est accensus ut cuncti se sub jurejurando constringerent quatenus illum aut essent vivum sive mortuum habituri, aut pro ipso ad mortem usque certaturi. Sed Deus omnipotens, cujus causam ipse patefecerat, nec illum passus est a pisce contaminari nec in lacu profundo occulte morari.

73. Transactis namque mensibus decem, quidam vir fidelis, nomine Algisius, per urbem cœpit discurrere, dicens : Nuper in die inventionis sanctæ crucis (49), mei causa negotii juxta littus transibam Laci Majoris. Et ecce aquila eadem supervolitabat littora, cætera expellens volucria. Quod ut viderunt pastores, qui ibi pascebant suas pecudes, illuc festine cœpere currere; cum quibus cucurri et ego. Et ecce beatissimus Arialdus, ex aqua projectus, ibi integer, præter octo membra, quæ ei erant cum ferro amputata, jacebat, mirifice candidus. Quem ego videns, optime illico agnovi, hisque qui aderant lacrymabi-

(45) Idem Carolus : « Interrogatus (Arialdus) si Guidonem teneret archiepiscopum, quem Ecclesia Romana pallio et cardinalibus firmaverat, respondens dixit : Donec linguam in ore portavero, et anima incolumis fuerit, ac mens mea serena, non tenebo ipsum pro archiepiscopo, nec habebo. »

(46) Idem : « Linguam ejus de sub mentone trahentes, in insula eum semimortuum reliquerunt. »

(47) Alteram fortassis Isellarum prædictarum, quas æque ac illam S. Victoris, comitis Borromæi, in jus deinde cessisse, tradit prædictus Carolus a Basilica Petri.

(48) Idem senior Landulfus : « Quin et altera die jubente eadem Oliva, ne a suis vel mortuus inveniretur, et ab Herlembaldo durissime ipsa obsideretur, in arce Trevali » (vulgo *di Val travaglia* inquit Puricellus) « in apotheca S. Ambrosii, cautissime humaverunt defunctum. Transactis vero diebus aliquantis, ejus cadaveris fetor castellum omne ita ut omnes nausearent fugientes occupavit. » Quod ultimum, si confictum non est, non cadaveri debuit imputari, sed alteri et altiori causæ in detestationem facinoris; nam cadaver ipsum, etiam post decem menses, suaveolentissimum inventum est, ut mox dicetur.

(49) Die 3 Maii, anno 1067. Sunt autem qui dicant eatenus dissimulasse « Herlembaldum, » quia Guidoni Mediolani præsenti favebat omnis populus; eo autem deinde digresso, incubuisse in ultionem sumendam. Sed calumnia hæc est; satis enim habuit recuperasse « Arialdi » corpus; eoque motus populus fuit miraculis.

Digitized by Google

iter omnibus dixi : Videte, inquam, ut hic salvus A sit, quia iste est B. Arialdus, quem mœstus universus quærit populus. Dum enim ibi aliquantulum moraremur, subito de arce Arona (50) missi sunt servi, qui inde nos ejecerunt; et in quamdam, quæ ibi erat, foveam leniter humavere. Hoc ego qui hæc scripsi, dum audissem, sumpto comite, illuc perrexi concite. Repertosque pastores, utrum nam vera essent quæ audieram, diligenter cauteque inquisivi. Qui, cuncta esse procul dubio vera, respondentes asseruerunt. Et ego : Si vera sunt, inquam, ubi ergo est ille? At illi : Ecce, inquiunt, locus, ubi videntibus sero est positus : mane vero revertentes, locum quidem invenimus; de eo autem nihil. Hoc tantum putamus quod nocte sursum delatus sit in arcem.

74. His auditis velociter reversus, Herlembaldo, viro prudenti, quæcunque audieram, per ordinem cuncta narravi. Qui festine omnibus convocatis civibus, jam in appetitu martyris, quem patefactum audierant, vehementer inhiantibus; ex illis viros elegit, atque ad sanctum requirendum corpus direxit. Qui post biduum reversi, professi sunt hostes veritatis dixisse : Mori potius parati sumus quam quod quæritis reddere corpus. Hoc autem ideo dicebant quia idem dissipare tentarant. Nam nocte qua ad se illud detulerant, cernentes ejus integritatem et decorem, dixere ad invicem : Si enim hic fuerit quæsitus, et ab omni populo tam decorus inspectus, semper quidem ipse erit in laude, nos vero C in opprobrio. Quapropter cutem cum capillis de ejus radamus capite; pellem vero corporis albescentem ferreis dilaceremus ungulis, pedes abscindamus utrosque, et in furno denique nimis candente illum aduramus, quatenus, si ad eum videndum missum fuerit, horridus et ignotus potius respuatur quam quæratur.

75. Verum, licet hæc diabolica machinamenta in eo cuncta complessent, in deteriorem quam putarant ignominiam ceciderunt, quia non missum est ad videndum, sed petendum. Nam auditis nuntiis, tintinnabulis tubisque concisius sonantibus, omnis civitas in unum convenit. Tunc dixit Herlembaldus : Quoniam inimici Dei et nostri gratis sanctum nolunt reddere corpus, decet ut ab eis per nos violenter D auferatur. Sed quia res, quam prosequimur, Dei creditur et dicitur esse, volo ut illuc juste et cum ipsius incedamus honore. Non enim cum raptu et pauperum detrimento innocentium pergamus, sed nobiscum feramus unde vivere debeamus. Discurrant itaque nuntii circumquaque velociter qui omnes, ad bella aptos, cum armis, rusticosque ut venire hortentur cum plaustris, quatenus illi nobis cum pugnent, isti vero nostra arma et victus deportent. Congregata igitur post paululum tanta sunt carra, ut per septem fere milliaria vix posset per publicam et communem viam turba pedestris vel equestris incedere. Confluebat autem undique quasi arena maris multitudo innumerabilis, arma ferens et victus supra dorsum famulorum sive jumentorum. Et sic incedentes, secundo tandem die ad vesperum reperimus pratum, quarto fere milliario (51) a loco quo incedebamus distans, bene humectum amplumque. Ibique, quia ad hoc aptum erat, castra metati sumus.

76. Hic Herlembaldus, vir prudens, iterum delegavit (52), blandeque sanctum corpus quæsivit. B Perterriti itaque hostes a sonitu pavendo frementis multitudinis super se venientis, prohibere quod petebatur ultra non ausi sunt. Et ecce die altero illucescente, vox lætifera per castra insonuit, dicens : In littore quidem Ticini directum est in navem corpus B. Arialdi. His auditis certatim omnes arripuerunt cursum; ille namque habebatur tunc beatior qui ad currendum erat promptior. Eo igitur levato in feretrum (53), cum tanta gloria et laude reverti cœpimus ut eas nullo modo exprimere possem, etiamsi vocem linguamque ferream haberem. Nam de castellis, quibus se concluserant pro civium timore, exibant senum, juvenum atque mulierum infinitæ multitudines, Cruces cereosque atque situlas aqua plenas (ut potarent æstuantes) deferentes, et unusquisque, prout valebat, voce excelsa immensas Deo gratias reddebat. Tintinnabula quippe personabant undique, arbores quoque quamplurimi scandebant, ut ipsum saltem videre possent.

77. At ubi Mediolano propinquavimus, totam pene urbem obviam habuimus; matronas, nobiles et ignobiles, cereos innumerabiles deferentes; infantes et senes, omnesque Deo laudem dantes; etiam ipsos, quos in vita sua habuit æmulos, scilicet clericos, invenimus paratos non officium cantantes mortuorum, sed (ut decebat) Martyrum. Et sic in sancto die Ascensionis (54) Domini posuimus illum in medio ecclesiæ S. Ambrosii. Tunc nobilis Herlembaldus in loco eminenti progressus, hæc omnibus audientibus est locutus : Videtis, inquit, dilectissimi, quantum valet fides, quam inter nos per decem annos docuit B. Arialdus. Certe, ut videtis, ipsa eum servavit defunctum incolumem in profundo Laci, inter innumerabiles immanesque pisces, per decem menses. Hæc autem coram vobis ipsum per decem hos dies æstivos conservet, videlicet usque ad sanctum diem Pentecosten, quatenus de longinquo

(50) « Arcem Trevali » nominari a Landulfo, jam vidimus.

(51) Media circiter via inter Aronam, et fauces lacus, in fluminis modum se denuo coarctantis.

(52) Landulfus junior, « ad Olivam » legatos directos, ait.

(53) Addit idem : « Tandem cunctis exspectantibus sacrum corpus per Ticinum ad littus dejectum est : » tacet autem de navi : sed fieri potest ut ad usque lacus fauces navigio devectum corpus, ejectum in ripam sit ab iis quibus commissum erat, non audentibus illis exspectare quemquam, cui ipsum traderent.

(54) Cum anno illo 1067 Pascha celebratum sit 8 Aprilis, Ascensio fuit 17 Maii, et Pentecoste, de quo mox 27 ejusdem.

Digitized by Google

et proximo sexus diversæ ætatis uterque huc venire, et nostram fidem, nostrorumque impietatem æmulorum evidenter possit contemplari. Clamabant tunc, nobis audientibus, ad illum dæmonia, dicentia : Quid contra nos latras? Non potes tantum latrare ut te non faciamus interimere, sicut tuum fecimus socium, et ut pingues et iniqui episcopi, abbates et presbyteri non sint nostri.

78. In his quidem diebus ibidem undique veniebat maxima multitudo, plurima munera offerens corpori sancto, quibus ad eum intuendum fas erat per dies; per noctes vero clericorum, monachorumque veniebat maxima multitudo, easque pervigiles ducebat psallendo. In una autem harum noctium, timens valde ne forte ad opprobrium Christi servorumque ipsius ibi per æstivum tempus diu permanens feteret, assumpto lumine, paucis admodum vigilantibus, ad ipsum accessi, et reperto foramine, quod ejus germanus ipsi sub ascella fecerat, ut sciret qualiter illius haberentur interiora, interius prospexi; et ecce ejus exta ut nix erant candida; jecur vero æreum habebat colorem. Quæ cum intromissis duobus digitis tetigissem et confricassem, eosque retractos naribus apposuissem, testor veritatem, quæ Deus est, tantam talemque odoris fragrantiam ex ipsis digitis emanare sensi, qualem quamtumve nunquam me alibi sensisse reminiscor. Et sicut mea conscientia tunc testabatur, et nunc testatur, si ipsi digiti gladii bis acuti acumen habuissent, nares absque vulnere nullo modo evaderent, quia odoris suavitas tam erat delectabilis ut nares valentiores essent ad odoriferos digitos intra se attrahendum quam brachii virtus ad retrahendum; nam quamplures dies, ut diu delectarer tanto odore, eo ab omni custodivi liquore.

79. Congregata igitur est iterum, in die sancto Pentecostes, tanta virorum ac mulierum diversæ ætatis multitudo de proximo et longinquo ut nunquam se tantam vidisse etiam senes dicerent; et sic cum magna gloria laudeque ineffabili, ad monasterium delatus est S. Celsi. Ibi in locum mirabiliter aptum traditus est sepulturæ, siquidem ex una parte habet ecclesiam, in qua S. Celsi venerabile nunc adoratur corpus; ex altera vero ecclesiam (55), ubi quondam (ut fertur) diu sanctus perlatuit Nazarius. Exhinc quippe ibi a multis fidelibus adoratur et colitur, ab infidelibus autem, nec Christus universorum Dominus, nec Arialdus ipsius famulus.

80. Decem igitur annos beatus Levita et martyr Arialdus duxit, pro Christi lege viriliter certando; decem membra eidem post hæc per manus obtulit iniquorum, octo, cum occideretur; decem vero menses in profundo laci incolumis jacuit : decem autem milliaria illum nobis proximiorem lacus projecit, quam acceperit. Per dies etiam decem æstivos ipsum in ecclesiam S. Ambrosii, videntibus cunctis, Christus conservavit, eique post hæc decimo anno (56) Herlembaldum fidelem socium associavit) ut veraciter credo) in regno cœlorum, peremptum scilicet per eorumdem manus iniquorum. In quo decimo anno hæc scripta sunt, ad laudem Christi ejusque famuli Arialdi. Passus ergo est beatus Levita et martyr Christi Arialdus quinto (57) Kalendas Junii, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo sexto, præsidente sedi apostolicæ secundo papa Alexandro, regnante Domino nostro Jesu Christo cum Patre et Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT IX.

Appendix litterarum auctoris ad Syrum, priorem scriptorem; et hujus ad illum, cum quibusdam miraculis.

81. Syro, venerando et fideli sacerdoti, Andreas. Legente me olim ea, quæ cum socio Herimberto (58) de venerabili Arialdo scripsisti, reperi vos multa præterisse quæ dici oportet. Unde factum est ut, jubente beatæ memoriæ Rodulpho Patre (59), cujus anima jam cum Christo gaudet, multa tam de his quæ omisistis quam quæ dixistis, exprimere conatus sim; quæ ad te mittens, obsecro per charitatem, ut diligenter inspicias, et, si vera sunt, testimonium feras. Nam sicut ipsum habui, ut hæc facerem, præceptorem, sic te habere volo, ut vera sint, assertorem, quatenus si jure pro inculto sermone ejus putredinis et vermis qui composuit contemnitur, pro reverentia duorum sanctorum sacerdotum, unius præcipientis, alterius asserentis, suscipiatur. Tu enim tanto tempore ejus esse frater familiaris meruisti, ut pene quid de eo dixerim proprio intuitu inspiceres; imo, quia sacerdos es, mentiri non vales, ideoque digne justeque te elegi fore testem hujus rei.

82. Presbyter Syrus, Andreæ Christi famulo. Miror, charissime, quod de illis requiras rebus unum testem (60), quam testari possunt non solum multa millia fidelium, sed etiam infidelium. Et si nullius superesset alius qui harum rerum existere posset testis idoneus, quis tam vecors inveniretur, qui diceret te scripsisse falsa? Si sciret te ideo reliquisse sæculum, ut non solum a verbis vacares mendacibus, sed etiam ab otiosis, præsertim cum non civilia monasteria et dissoluta petisti, sed famosum et celebre Vallisumbrosæ cœnobium, itinere

(55) « Parvam » hanc vocat Landulfus, dictamque ait, « ecclesiam S. Nazarii in campo. »

(56) Annos incompletos sumi, et « Herlembaldum » cæsum esse anno 1075, infra docebo.

(57) « Quarto » legendum censet Puricellus; agnoscit tamen etiam in altera Vita et alibi legi « quinto; » quod retinendum supra docui. Idem ait esse qui teneant 29 Junii mortuum sanctum, sed merito prævalet auctoritas utriusque Vitæ.

(58) Credibile est hunc quoque fuisse monachum Vallumbrosanum, nec non ipsummet Syrum.

(59) Ad Acta B. Andreæ, 10 Martii, dixi Rodulphum obiisse an. 1076, 12 Novembris.

(60) Imo et unicus socius assumptus, ad fugam ab urbe ineundam paulo ante mortem.

Digitized by Google

dierum quinque a naturali solo semotum? Porro de obitu ejus clam peracto quis te certior existit, qui pro hoc mortis periculo ter te dedisti? Etenim semel utcunque incaptus evasisti, alia vero vice quia dicebatur quod in Travallia arce (61) inexpugnabili occulte detineretur, ejus desiderio accensus, longo itinere confecto, multis montibus transactis, te ante ejusdem po tas obtulisti. In quam, quia inspicere es ausus, quis esses cognitus, ideoque captus atque in altissimam ejusdem turrem deductus, per foramen cum funibus in ipsius es depositus profundum, quod magis videbatur esse sepulcrum quam habitaculum. Nam lectuli fulcrum erat cœnum, capitale saxum. Nec enim ibi erat, unde digestio occultaretur, nec desuper tectum a quo pluvia pelleretur. Ibi quippe præ nimio horrore vultus tuus et stomachus sic elanguit et emarcuit ut cibum per funes tibi dimissum gustare minime posses : ideoque nocte media te subtraxere, et sic semivivum dimisere. Altera autem vice lacum transfretasti, iterum cognitus et captus, donec te pretio non emisti, evadere nullo modo potuisti. Quæ cum ita sint, quis tam crudelis erit et durus ut tuis sermonibus existat incredulus?

83. Verumtamen, licet multum læter super cuncta quæ dixisti, quia sunt vera et ædificationi utilia, tamen valde doleo, quia omisisti præcipua, tibique notissima, et cur hoc feceris sic admiror, ut velim ex his aliquantula coram te prodere, et quare dimiseris addiscere. Ante quippe quam introisset Mediolanum ad prædicandum, publice ad Varisiensem plebem clericorum multitudinem convocavit, eisque, sub quibus essent erroribus indicavit, et, ut ab eis recederent, benigne admonuit. Qui ejus verba sprevere, dicentes : Nobis ideo hæc loqueris, quia ineruditos cognoscis ; cæterum, si doctor haberi vis credibilis, vade, et in urbe hæc loqui noli timere. Quod si agere ausus fueris, quæ dicis, credenda comprobabis. Et tunc urbem ingressus, et populum, sicut tu dixisti, est allocutus. In ipso etiam exordio suæ prædicationis, tandiu, cum aliquantis fidelibus, per venerabilia loca, sanctorum flagitans suffragia, nudis incessit pedibus, donec sic intumescerent ut super eos nullo modo consistere posset.

84. Duo denique sapientissimi clerici, audita ejus fama, de longinquis regionibus ad eum venere, ut cognoscerent quomodo ipse scientia polleret. Quorum unus ei se in altercatione obtulit, et a mane usque ad horam fere nonam, altero penitus silente, utcunque restitit, et tunc sic est devictus ut nec quid insolubile objicere, nec posset objecta exsolvere. Alium vero, quia nimis eruditum reperit, die eodem devincere non potuit, sed in altero prostravit. Quos, licet devictos, quia valde doctos invenit, multum dilexit, eisque omnem benigne humanitatem impendit, et sic tandem abire permisit. Accidit etiam ut semel transiret per plateam quamdam, juxta domum pontificalem sitam; aliquantos autem viros, quos ibi reperit, admonere cœpit. Erant enim tunc Guido et ordinarii, multique alii clerici, in eadem domo pariter congregati. Quod cum audissent, sapientiorem omnibus elegere, eumque ad ipsum direxere, quatenus ei resisteret, et quæ dicebat fore vana diceret. Nam in paucis sic protinus verbis conclusus est ut retro turpiter rediret velociter. Quem cum sui interrogassent quid egisset, ait : Scitote, aut ipsum non esse hominem, aut alterum fore qui ab ejus loquitur ore. Hæc omnia, quamvis non interfuisti, Bonovicino (62) narrante, pleniter didicisti.

85. Illum præterea famosissimum zelum, quo hæreticum quemdam ab altari repulit, cur non dixisti? Timuisti forsitan ne in eo aliqui scandalizarentur. Scito, charissime, quia dicta factaque Arialdi, imo et Christi, incredulis et perversis plena scandalis, piis vero fomenta sunt ardoris et lucis. Ea igitur istis pandamus, de illis vero Salvatorem dicere audiamus : « Sinite, inquit, eos; quia cæci sunt, et duces cæcorum (*Matth.* xv, 14). » Transeunte ergo per majorem ecclesiam cum fratribus Arialdo Christi famulo, audivit quod in eadem hora quidam adulter et Simoniacus ad quoddam ipsius basilicæ altare accesserat, ut se simularet ibi canere missam : Eamus, inquit, illuc. Ad quem cum pervenisset, ait : Cum enim tu sis talis quali ecclesiæ valvæ patere minime deberent, cur sanctum altare præsumis pollutus contingere, et illa mysteria agere quæ solummodo innocuis et castis sunt commissa, te fingere? Aufer te hinc quantocius, putride. Qui cum inde se non amoveret, vir Dei manum ad planetam misit, eamque ab ejus tergo extraxit, et ipsum ab altari expulit; erant enim tunc in circuitu ejusdem ecclesiæ, causa negotiandi, tam civiles viri quam suburbani pariter congregati. Qui exiit et per forum querimoniam fecit. Commoto itaque populo, dimissisque negotiis, ac fustibus elevatis, per ostia irruunt, ut ipsum quærant et perimant. Ipse vero sciens quæ ventura erant, non fugerat, sed gradum ascenderat, ibique populum exspectabat. Videntes ergo eum in gradu stantem, sacraque manu innuentem, omnes deponebant fustes, et se ad audiendum parabant, super ipsos innitentes: facto denique silentio magno, prædicationem sic mellifluam composuit ut corda, quæ fuerant commota et conturbata per falsi verba sacerdotis, operante et instigante adversario, sedarentur et dulcorarentur per verba veri Christi famuli, operante et flante Spiritu sancto; et ora, quæ intrando vesane proclamaverant: Moriatur, moriatur; exeundo dicebant orando: Faciat te Christus per multa tempora vivere, qui huic loco te pro nostra salute est dignatus dirigere.

(61) Jam dixi, arcem Aronensem videri.
(62) Et hic et in prologo, per idiotismum Italicum, *Bonvisino* scribitur

Digitized by Google

86. Quis etiam laicorum, suam in conjugio habens consanguineam, audebat ecclesiam ingredi, in qua morabatur Arialdus, famulus Christi? nam tales ex ea personas pro hoc pepulit ut non solum fecisse, sed etiam æstimasse, obstupendum sit. Monachos autem, consortium Simoniacorum abbatum falsorumque fratrum fugientes, benigne suscipiebat; sed nunquid eorum aliquis in ejus præsentia erat ausus vacare? quatenus aut non legeret, vel non oraret, aut aliquid non ageret : nam si interdum in ejus vacarent absentia, sic pavide, illum sentientes venire, ad prædicta recurrebant opera; quemadmodum solent in scholis pueri vacantes ad lectionem recurrere, magistrum sentientes venire. Quis etiam, dum prædicaret, in eodem loco mutire audebat? nam qualiscunque persona esset, illico audiebat; Sive tu tacebis, sive ego, quia scriptum est : « Nolite mittere margaritas vestras ante porcos (*Matth.* VII, 6). » Sed licet tam severus esset contra delinquentes, quis mitior erat in suscipiendo pœnitentes? Cum enim viri, qui dicebantur presbyteri, in adulterio deprehenderentur, et a facie populi persequentis locus eis tutus minime pateret alibi, ad ipsum confugiebant. Quos si pure confessos cerneret, protinus eos in omnibus omnino locis, excepto altaris officio, suos faciebat participes, nec deinceps apparebat quisquam, qui dicere contra eos præsumeret quidquam. Dei vero Parasceve, in cubiculo clauso, nudus confitebatur coram cæteris fratribus, quidquid a cunabulis deliquerat, et pro culpa unaquaque se faciebat verberari acerrime. Nemo enim id facere cogebatur invitus; sed permittebatur, si quisquam hoc agere vellet spontaneus. Hæc quia tibi sunt nota, et ædificationi utilia, cur omisisti? obsecro, ne sileas, sed mihi super hoc nimis admiranti prodas.

87. ANDREAS SYRO.

Æstimas, venerande Syre, æstimas me dixisse quidquid me contigerit de B. Arialdo scisse? Audi adhuc, qualia tria prætermisi, ut ex his intelligas me multa alia evidenter de eo cognovisse, et scienter omisisse. Perrexerat enim aliquando invitatus ad ecclesiam Cumanæ civitatis, ut pacificaret dissidentes clericos ipsius urbis; erat quippe tunc tempus quadragesimale. Cumque ad unum altare convenissemus, ut officium vespertinale persolveremus, unum quid (non recordor modo, utrum fuisset de antiphonis vel responsoriis) sic elapsum est ab omnium memoria, ut penitus inveniri nequiverit. Salubri igitur consilio reperto, signum salutare sibi in fronte impressit, juxta altare se prostravit, rem perditam a Domino petiit; quam sic protinus invenit ac si in loco, quo posuit occultum, id quod petebatur, haberetur descriptum.

88. Aliud vero signum factum est, dum illum, ex aqua laci projectum, ad urbem duceremus. Erat enim in quodam vico quidam rusticus, per multa tempora morbo paralysi dissolutus, qui cum audisset quod Christi martyr per viam duceretur, fidem habens firmam, in eamdem fecit se viam ferri, ibique dimitti. Transeunte itaque turba, quæ feretrum præcedebat, martyrem infirmus exspectabat. Ad quem cum pervenissent qui ipsum portabant, ab infirmo eodem obnixe rogati perstiterunt, eumque coram ipso deposuere. Et (nescio utrum ex solo visu an tactu) sanitati sic est protinus redditus ut, qui vix aliorum manibus deferri valebat, statim suis firmiter incederet plantis. Nam ego tunc aderam inter subsequentem turbam; sed cum audissem hoc, fortiter firmavi gressum, ut veniens ante feretrum virum inspicerem firmiter incedentem, Deumque laudantem.

89. Tertium vero, quod narro miraculum, non quidem egomet vidi, sed, quadam persona valde fideli narrante, didici. Erant aliquanti viri ad portam Ticiniensem simul congregati : cœperunt itaque confabulationem habere tam de Arialdo Christi famulo quam de his qui ejus venerandum adorabant sepulcrum. Tum unus, superbo malignoque spiritu afflatus, tale exsecrandum protulit verbum : Majus, inquit, desiderium est mihi super ipsum mingere quam illum adorare. Quem tam sævus internorum viscerum illico dolor apprehendit ut neque quiescere neque mingere ei licuerit, donec, nimio dolore cogente, pariterque cohortatione virorum consiliante, munus ad B. Arialdi sepulcrum obtulerit, ibique adoraverit; et sic pristinam sospitatem adeptus est humiliatus quam juste amiserat superbus. Si autem bona omnia, quæ de eo noverim, scribere vellem, prius dies et charta deficeret quam sermo. Verum quia tanta de eo scripta sunt, in quibus satis potest dignosci quis vel unde fuerit, quidve docuerit, vel quid pro Christo perpessus sit, metam ponamus, Deumque trinum et unum benedicamus; cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ANALECTA DE S. HERLEMBALDO

Ex antiquis chronologis apud Puricellum.

CAPUT PRIMUM.

Pacem ægre constitutam turbat Guido, Gothofredo Simoniaco pro se substituto; contra hunc Mediolanenses educit Herlembaldus.

1. Desinente hic Andrea, Landulfus Junior unum adhuc addit : « De Arialdi, » inquiens, « morte doluit papa Alexander; unde anno sequenti, scilicet millesimo sexagesimo septimo, cum idem papa iret ad synodum, quam Mantuæ celebravit, Mediolanum venit, multaque fecit statuta de statu Mediolanensis

Digitized by Google

populi et cleri., beatumque Arialdum sanctorum martyrum catalogo adnotavit. » Quæ etiam verba ex autographo transcripta Joannes Mabilio digna censuit tomo I Analectorum suorum. De synodo ejus anni testis habetur Sigebertus Gemblacensis, non totis quinquaginta annis post, cum ait, « Romæ duobus de papatu contendentibus » (nam Cadolus Parmensis episcopus, ab Henrico rege petentibus Romanis submissus contra Alexandrum, anno 1061 inthronizatum 30 Septembris, non multis mensibus post scilicet 14 Aprilis, conatus frustra fuerat sedem occupare; seque, licet variis synodis condemnatus, pergebat gerere pro pontifice); « contendentibus ergo duobus, Mantuæ synodus colligitur; et, mediante Annone archiepiscopo Coloniensi, Alexander se jurejurando de Simonia expurgans, in sede apostolica subrogatur, » id est confirmatur, seu declaratur jure subrogatus. « Cadolus vero, ut Simoniacus repudiatur. » Eumdem synodi istius annum confirmat franciscus Maria Florentinius, inter Memorias comitissæ Mathildis pag. 88., ex ipsius Alexandri epistola ad Gervasium Remensem, affirmante, quod Cadolus « Romanam Ecclesiam per quinquennium, nunc callida tergiversatione, nunc hostili invasione, oppressit : » ut corrigendus omnino sit Ptolomeus Lucensis, ducentis annis Sigeberto posterior, et biennio serius rem actam referens; nec probandus Baronius, cum triennio citius factum statuit. Interim tamen ex Ptolomæo discimus, quod « concilium » prædictum « Alexander celebravit præsente imperatore » utique S. Annonis opera jam reconciliato, « omnesque episcopos schismaticos cum Cadolo ad gremium Ecclesiæ retulit, ipsosque sibi reconciliavit, totumque populum sibi faventem, contraxitque moram in toto spatio illius anni, pro majori firmitate pacis et unitate. »

2. His ita se habentibus, nihil mirum fuerit, si Mantua rediens Alexander, Mediolani substiterit diebus pauculis, et absque cæremonia ulla, ac solo forsitan vivæ vocis oraculo, approbavit venerationem quæ B. Arialdo a fidelibus deferebatur, tanquam martyri; idque ad instantiam Herlembaldi aliorumque Arialdo devotorum : quamvis etiam ante concilium, vel ibi vel alibi, in gratiam recepisset archiepiscopum Guidonem. Hic enim, quemadmodum in priori judicio coram Petro Damiani, « ut est professionis, » legatis deferendæ, « admonitus, » non solum acquievit Petro cardinali sinister assidere, Alexandro, tunc Anselmo Lucensi, dexteram obtinente; sed « impiger obtulit ultro etiam, ut, si » Petrus « præciperet, in scabello, quod ejus suberat pedibus, sine controversia resideret, » similique promptitudine admisit, signavit juravitque implere quidquid idem legatus tunc ordinavit, sicut ipse S. Petrus Damiani prolixe narrat : ita idem Guido nihilo nunc minori profitendæ vel simulandæ pœnitentiæ atque obedientiæ promptitudine, potuit videri meruisse a pontifice, pacis cupientissimo, indulgentiam; ut ab excommunicationis vinculo absolutus, Mantuano interesset conventui, et suum ibi gradum teneret. Quod autem ad statuta attinet, quæ Mediolani fecisse Alexandrum dicit Landulfus, ea non alia esse existimo quam quæ legati sui, post synodum ad res ordinandas missi composuerunt, quæque superveniens postea pontifex potuit confirmasse, nullo de Arialdi causa, deque cædis auctoribus instituto judicio, ne pax, noviter coalita, dissolveretur.

3. Ea quomodo composita tunc quadam tenus fuerit, breviter apud Puricellum pag. 248 tradit historiographus Arnulfus, his verbis : « Nulla interim erat requies prædonum in diripiendis substantiis clericorum. » Ita malevolus ille interpretatur zelum Herlembaldi in persequendis cædis reis pro suo defensoris munere, et in exigenda a clericis, quam se observaturos juraverunt S. Petro Damiani, vel continentia, vel cessatione a ministeriis, quæ non nisi per impollutos tractanda sunt. « Ad quod sedandum litigium tunc temporis » (Alexandro adhuc in Lombardia præsente et ordinante) dicit Arnulfus « Maynardum episcopum Sylvæ Candidæ et Minutium cardinalem episcopum » (ipse « Joannem cardinalem presbyterum » subscribendo se nominat) « Romanos legatos venisse Mediolanum. Qui dum præcepto apostolico Alexandri pacem evangelizarent omnibus, consulte satis provident de nece Arialdi fœdus componere; deinde inter clerum judicantes et populum, eleganti scripto constituunt quid fieri debeat in posterum. » In hoc illi : « Quia per confratrem nostrum, inquiunt, D. Petrum Ostiensem episcopum, reverendæ sanctitatis virum, quædam sunt olim in hac urbe correcta, non opus est ea, vel præteritas lites, omnibus notas, replicare, sed quæ nunc sunt canonica disciplina a nobis statuta, ad futurorum memoriam litteris exarare. » De Guidone etiam, ut vere archiepiscopo, adeoque ut reconciliato, loquuntur honorifice, dum art. 15 jubetur « Laicus quiscunque clericos » potestatis suæ, quos « sciverit feminam retinere vel in fornicationis crimen casu incidisse, indicare archiepiscopo et ecclesiæ ordinariis, quibus cura ista commissa fuerit; si vero archiepiscopus vel sui ordinarii, postquam audierint, hoc neglexerint, ipse laicus, nec officium facere, nec beneficium alicui ex illis permittat tenere, donec culpam deserat, et digne Domino per pœnitentiam satisfaciat. » Et rursum num. 18, jubetur « antistes, qui nunc est, vel quicunque deinceps fuerit, semel aut bis per omnes plebes circumire. » Totum statutum legi apud Baronium potest, aut ex eo in libris Conciliorum, ubi illud invenietur, factum « anno ab Incarnatione D. N. Jesu Christi 1067, pontificatus vero domini Alexandri II papæ VI, indict. V, die 1 mensis Augusti. »

4. « Nec tamen his contentus Herlembaldus » (inquit apud Puricellum pag. 257 prædictus Arnulfus) utpote jam experientia doctus, quam parum vel nihil esset fidendum Guidonis pœnitentiæ, vel simulatæ vel inconstanti; sed « pergens Romam » (anno, si non fallor, 1068,) « novum init cum Roma-

Digitized by Google

nis consilium. Vetus quippe fuit Italici regni conditio, perseverans usque in hodiernum, » (id est annum 1077,) « ut, defunctis ecclesiarum præsidibus, imperator vel rex provideat successores Italicos, a clero et populo decibiliter invitatus. Hoc Romani canonicum esse negant; sed instantius archidiaconus Hildeprandus, qui cum abolito veteri novum tentaret inducere constitutum, » (verius dixisset, abolito subreptitio, vetus reducere,) « palam fatebatur haud secus sedari posse Mediolanense dissidium, quam canonicum habendo pastorem, ad quem eligendum necessarium fore dicebat Romanum consensum. His instructus assertionibus Herlembaldus, Mediolanum veniens, quæ audierat festinanter exsequitur. Prius ergo secreto paucos convenit ex amicis; a quibus cum exigeret sponsionem celandi credita, caute subintulit juramento causam futuri eligendi pastoris, post decessum præsentis : deinde diu noctuque laborans, laicos quosque et clericos eidem juramento reddidit obnoxios. Interim tamen a persequendo præsulem Guidonem non destitit, omnesque suæ consanguinitatis affines. » Ita ille in Herlembaldum invidiose atque calumniose, porro tamen describendus, ut substantia historiæ habeatur, discreti lectoris judicio facile separanda a scoria sequioris erga Romanæ Ecclesiæ jurisdictionem affectus. Sic ergo progreditur :

5. « Archiepiscopus autem, cum tot nequiret imminentes tolerare pressuras, æternam maturus et diuturno languore membris omnibus dissolutus, arbitratus est forte conveniens ut, quod ille (Herlembaldus) faciendum præviderat, ipse quoque faciendum præveniret, scilicet ut dignitatem propriam alteri se vivente concederet. Per idem tempus fuerat quidam ordinarius Ecclesiæ subdiaconus, nomine Gothofredus, illius a secretis præ omnibus unicus; qui, ex quo domini sui penetraverat mentem, in se transferendum omnimodis satagebat honorem. Secreta igitur facta conventione cum eo, præsul, datis communis pacti ex alterutro sacramentis, dignitatem deponit abscas, virga cum annulo Cæsari per legatos directa. Gothofredus autem, cum jam pridem labore multo regis conciliasset affectum, recenti tamen pacto ab eodem Augusto gaudens adeptus est præsulatum. Verumtamen juxta Scripturæ veritatem, mistus est dolori risus, et extrema gaudii occupavit luctus (*Jac.* IV, 9) : reprobatus enim a civibus, nullis in locis episcopatus vel ad hospitandum suscipitur, ipsis etiam factus invisus agricolis. Hunc Romani domini cum apostolico jure statim condemnant canonico, judicii sui litteras Mediolanensibus super illo mittentes. » Si ejusmodi litteræ superessent, certius definiremus annum quo acta hæc sint : interim videmur, non multum aberraturi, si anno 70 currentis sæculi acta dicamus; pergit porro apud Puricellum pag. 259 et seqq. Arnulphus :

6. « Qua elatus Herlembaldus fiducia, acrius insurgit non solum in illum (Gothofredum), verum etiam in fautores omnes, universa ferro et flammis demoliens; contra quem etiam per vicos et castella multorum exegerat sacramenta. Unde fit ut, si quando de facultatibus ecclesiæ aliquod præsumere nititur, ab omnibus penitus interdicatur, quemadmodum factum est in aliquibus, de quibus enarrare per singula longum est, imo superfluum est indicare. Interea Guido fatebatur se Gothofredi delusum insidiis, communis pacti transgressorem illum appellans. Qui cum amissum vellet reparare honorem, cum Herlembaldo pacis fœdera sociavit. O mens cæca mortalium! Veniens enim illo duce Mediolanum, non ad urbem ut voluit, sed ad S. Celsi monasterium ducitur, de privato factus privatior; ibique commendatus custodibus multis diebus ibi vixit, gloriosius hac vice delusus, » qui multos deluserat. « Gothofredus autem pluribus jam coarctatus obstaculis, cum parte suorum aliquo suo se collegit in oppido, quod vulgo Castellio dicebatur, inexpugnabile revera præsidium, mœnibus ac loci natura munitum.

7. « Ex eo sæpius erumpens (Gothofredus) cum supra modum prædis inhiaret ac cædibus, indignati Mediolanenses proponunt arcem illam protinus expugnare. Nec mora, instructo exercitu, et iis quæ ad usum militiæ fuerant necessaria paratis, procedunt omnes; castra metati ad radicem montis (aberat enim ab urbe vigesimo paulo plus milliario) mox undique circulantes, incessanter oppugnant; ad hoc cunctos regionis illius instant congregare agricolas, diuturnam jurantes obsidionem. Constituunt ergo petrarias, et omnis generis bellici machinas; sciridas quoque, ballistas, milleque mortis parant insidia. Obsessis vero ad posse repugnantibus, multa quotidie cruoris fiebat effusio, adeo ut in ipsa quadragesimæ venerabilis observantia, nulla fuerit cædis humanæ abstinentia. Hac itaque tempestate, cum rarus in urbe populus sua frueretur securitate, repentina calamitas provisam invasit urbem. Horresco referens. Primo namque quadragesimæ Sabbato » (fuit id anno 1071 die 19 Martii, cum Pascha tunc fuerit celebrandum 24 Aprilis,) « magno civitas conflagravit incendio. Cumque vehemens tunc flaret turbo ventorum..... o quæ et qualia domorum ædificia, quamque decora combusta sunt mœnia!..... sed, quod est omni damno deterius, plures sanctorum crematæ sunt basilicæ, in urbe et extra..... » Distinctiora vide apud Puricellum in Monumentis Ambrosianis, pag. 461 : ego ad Herlembaldum festino

8. « Ubi autem rumor tam dirus castris insonuit, » inquit Arnulphus, « quamplures illico relicta obsidione eunt ad tenues ab igne reliquias, et miseram visitare familiam. Herlembaldus vero cum aliis retenta parte castrorum perseverat obnixius, quotidie belligerare non desinens. Gothofredus autem, tribus jam obsessus mensibus, ut vidit tenuem castrorum exercitum, clam vocare suos et caute

Digitized by Google

satis procurat amicos. Cumque paschales instarent feriæ, convenientes in unum, constructa acie protinus in castra consurgunt, impetu et clamore non modico; nec minus obsessi, ruptis claustris, undique prosiliunt. Herlembaldus autem, tanto positus in discrimine, arreptis armis, audet cum suis paucis juxta vires obsistere, signifer ipse factus; et nisi sua suorumque pugnasset audacia, dies illa sibi fuisset extrema. Videntes autem multi paucorum constantiam, ultro recedunt, educentes secum ab oppido Gothofredum. Hos longe prosecuti sunt Mediolanenses, conglobati repente similiter, et qui in castris fuerant, et qui in urbe remanserant; nec a prosequendo diebus aliquot cessarunt et noctibus, donec in summa constitutos necessitate coegerunt illos iterum Castellonem intrare. Post hæc redeuntes Mediolanenses ad urbem, jurejurando definiunt Gothofredum nunquam recipiendum, imo alterum de catalogo majoris ecclesiæ communiter eligendum. Jam enim migraverat a sæculo archiepiscopus ille Guido,» die 23 Augusti, « sepultus in loco qui vocatur Burguli vulgo, » (nunc Alexandria civitas ibi fundata creditur,) « ubi post urbis incendium » per ipsum elapsus vel abire permissus e custodia S. Celsi, « in amaritudine animæ diem clausit extremum.»

CAPUT II.

Canonicam electionem procurat Herlembaldus, Gothofredum intrusum et excommunicatum coercet; a Gregorio papa VII juvatur per litteras.

9. « Ab illo die Herlembaldus omni instat conamine, modo cum clero, modo cum populo, de eligendo agens episcopo, nova a Romanis accepta licentia, spreta vero regum veteri providentia. Verumtamen major civitatis portio ex clero ac sapienti populo, priscæ consuetudini ac regio intendebat honori. Ipse autem, neglectis omnibus et juramento communi, solum Romani illius Ildeprandi auscultabat consultum. Itaque dies appropinquabat, quam ad hoc agendum ipse præviderat, sancta scilicet Theophaniæ solemnitas. Studet ergo sollicite præsentes vocare, absentes [quoque] clericos ac laicos, abbates et monachos, amicam sibi [non] omittens agrestium turbam. Cumque dies instaret festus, factus est multorum in ecclesia hiemali conventus, illis tamen absentibus cum quibus istam se facturum electionem juraverat. Celebratis itaque missarum solemnibus, primo concionatus ad libitum, ac multa de eligendo pastore commemorans, astante quodam Bernardo legato Romano, elegit Athonem, adhuc tantummodo clericum, ac tenera ætate juvenculum, invito clero et multis ex populo, adeo ut stomachati redirent ab ecclesia. »

10. Hic merito interfatur Puricellus pag. 265, et quam amaro animo, ad invidiam Herlembaldo conciliandam, hæc scripserit Arnulfus, jubet vel ex eo æstimare, quod Athonem appellat « tenera ætate juvenculum. » Fuerit is juvenis respectu Gothofredi, forsan valde grandævi, pro certo tamen tenet Puricellus habuisse illum requisitam a sacris canonibus ætatem, adeoque tricenario majorem fuisse cum eligeretur. Movetur autem ad hoc sentiendum, attenta præsentia legati apostolici, et Hildeprandi ingenio; qui postea factus papa Gregorius VII, duabus ad Britanniæ episcopos epistolis recusavit ordinare Dolensi archiepiscopatui, ab illis ad se directum « juvenem quemdam, satis præclarum genere : Cui quidem petitioni, » inquit in una, « quoniam sacri canones contradicunt, assensum præbere nequaquam potuimus; » in altera : « Cujus causam sicut oportuit examinantes, honestos quidem mores, sed nondum satis maturos aut instructos ad portandum episcopale pondus, in eo probavimus. » Quod autem certius competentis in Athone ætatis possit optari indicium quam quod idem Gregorius, electum anno 1075 Theodaldum noluerit approbare, quia penes se habebat Athonem : « Quem, inquit, in eadem Ecclesia electum certo cognovimus, sed cur reprobari debeat, nulla adhuc deprehendere potuimus ratione; » qualis omnino fuisset minor quam canones patiantur ætas. Redeamus ad Arnulfum, qui libro suo III finem facit apud Puricellum, pag. 27, in hisce verbis :

11. « Cumque cum suis Atho ad convivandum episcopalem conscenderet aulam, (fuerant enim jam in mensis ampla parata convivia,) inflammati cives invadunt repente domum, anteriora, exteriora scrutantes. Ipse autem electus noviter, cum cameræ unius lateret in angulo, inventus, capitur, discerpitur, ac misere dilaniatur, demum per suras et brachia a summo ad ima pertrahitur. Qui cum staret in ecclesia metu mortis altari prostratus, clamante populo in pulpitum ascendit, ibique, facto in omnium auribus sacramento, abrenuntiavit sedi Ambrosianæ in præsens et in perpetuum. Interea quippe fautores sui diversas fugere per latebras; ipse quoque Romanus legatus vix, discerptis vestibus, laceratus evasit. Cæterum Gothofredus et Atho remanserunt privati pariter ambo, propriis tantum contenti laribus atque substantiis. » Post hæc librum IV sic orditur Arnulfus : « Igitur auditis his quæ Athoni contigerant, præfatus ille archidiaconus Hildeprandus, sua cum cardinalis esset auctoritate, illico juramentum illud violentiæ, omnimodis judicavit habendum invalidum..... Unde factum est ut collecto Romæ cœtu pontificum, instante ipso, Athonem juste prædicaret electum, prostrato anathemate Gothofredo. Quæ omnia Hildeprandus suis litteris sæpe jam dicto retulit Herlembaldo.....

12. « Interea suffraganei sedis Ambrosianæ pontifices, accepto a rege mandato, apud urbem convenientes Novariam, Gothofredo manum consecrationis imponunt, illum, prout quiverant, roborantes. Licet [autem] præceptio regia multis dicatur impetrata muneribus, constat tamen regem postea pœnituisse atque interventorem penitus odisse legatum..... Dum hæc taliter geruntur, defungitur apostolicus » Alexander II, anno 1073, die 20 Aprilis, « cui parvo dierum (19) intervallo succedit Hil-

Digitized by Google

deprandus mutato nomine dictus Gregorius VII in quo revixit Athonis illico spiritus, adeo ut Romam pergens, illius sese subderet contubernio. Ipse autem cum in priori radicitus inhæreret proposito, indicta Romæ generaliter synodo, cum suis sectatoribus Gothofredum excommunicavit. » Hic recitat Puricellus quas in eadem causa Gregorius scripsit epistolas, Tusciæ ac Liguriæ dominæ Beatrici ejusque filiæ Mathildi, ut a communione illorum abstineant episcoporum, a quibus Gothofredus fuit consecratus; Guilielmo Papiensi episcopo, Mediolanensem causam commendans, contra pseudoarchiepiscopum ejusque fautores; itemque omnibus S. Petri fidelibus in Longobardia commorantibus : quæ omnes epistolæ inveniuntur datæ « indictione XI, VIII Kal. Junii, III Kal. Julii, » et ipsis « Kal. Julii, » id est anno 1072. Sed iis hic prætermissis, propius ad rem nostram faciunt, quas Herlembaldo scripsit eodem anno « Capuæ, V Kal. Octobris, indictione XII, » recens scilicet inchoata, in hæc verba :

13. « GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HERLEMBALDO, Mediolanensi militi, salutem et apostolicam benedictionem. Sciat prudentia tua, nos, Deo miserante, sanos et lætos non sine magna Ecclesiæ Dei utilitate, apud Capuam commorari... Henricum regem præterea scias dulcedinis et obedientiæ plena verba nobis misisse... Quidam etiam ex majoribus fidelibus suis promittunt nobis ex parte sui, eum de causa Mediolanensis Ecclesiæ sine dubio consilio nostro obedire... Tu igitur omnino confidens in Domino et in matre tua Romana Ecclesia, viriliter age, confortatus in Domino et in potentia virtutis ejus, sciens quia quanto nobis nunc insurgit gravior perturbationis tempestas, tanto postmodum, Deo favente, jucundius arridebit serenitas. » Videsis apud Baronium, ad an. 1073, num. 43, Henrici pœnitentis ad Gregorium litteras, quibus se « criminosum et infelicem » confitetur, « partim pueritiæ blandientis instinctione, partim potestativæ et imperiosæ potentiæ libertate; partim eorum, quorum seductilis nimium secutus sit consilia, seductoria deceptione, » peccavisse in cœlum et coram pontifice. « Et nunc, inquit, imprimis pro Ecclesia Mediolanensi, quæ nostra culpa est in errore, rogamus ut vestra apostolica districtione canonice corrigatur, et exinde ad cæteras Ecclesias corrigendas auctoritatis vestræ sententia progrediatur. » Rursus autem Herlembaldo Gregorius, etiam Capuæ, « VII Idus Octobris, ita scribit, pluribus ejus quæsitis simul respondens : Piæ sollicitudinis studio, in defensione fidei factaque religionis restauratione, donec occupatus fueris, legationes tuas libenter audire teque adjuvare voluntas non deerit. Multiplici quidem vestræ interrogationi, aliis quia intenti sumus, paucis respondere disponimus.

14. « De sociis itaque illius excommunicati, qui accepta pecunia ad te redire volunt et de filiis quorum patres, aut de patribus quorum filii ipsi Gothofredo excommunicato adhærent, atque de iis, quorum correctionem absque pecuniæ attributione fieri non vultis (erga quos tamen clementes vos existere monemus, si qui vestræ parti se applicare cupiunt) vestræ prudentiæ, ut melius scitis et valetis, disponendum committimus. Quicunque autem horum, erroris sui pœnitentes, ad vos redire remedii gratia desideraverint, benigne se suscipi ac misericorditer tractari noverint. Episcopos præterea, inimicum vestrum fulcire conantes, non multum metuatis, cum Beatrix ac filia ejus Mathildis, cum quibusdam maximis regni proceribus, laborent nostrum atque regis animum firmiter unire, contra quem quidem nullum odium neque debemus neque volumus exercere; nisi (quod absit!) divinæ religioni contrarius voluerit existere. Quem regem omnino confidunt voluntati nostræ de cæteris negotiis ecclesiasticis satisfacere, præsertimque de vestro nostræ dispositioni assensum præbere. Denique Gregorium Vercellensem episcopum quoquo honesto pacto vales, stude tibi conciliare, quia nostræ ex toto jussioni se profitetur parere. De cætero itaque confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus, precibus et eleemosynis ac puritate cordis indulgentiam illius postulantes, quatenus votum nostrum ac vestrum ad perfectum perducere dignetur. »

15. Similiter « Capuæ III Idus Octobris, » scribens « Alberto Albensi episcopo, » ex Gothofredi quidem ordinatoribus uni, sed quem fideli relatione excusatum intellexerat, ad reparandum Mediolanensis Ecclesiæ honorem, habere zelum : « In nullo, inquit, magis debitorem S. Petrum et nos religio tua potest sibi facere quam si contra Simonem Magum, qui Ecclesiam B. Ambrosii venalitatis suæ miserabiliter veneno infecit, scuto fidei et galea salutis armatus, nobiscum prælieris, et si Herlembaldo, strenuissimo Christi militi, et his, quæ ad Dei cultum et ad religionem sanctæ Ecclesiæ pertinent, manum auxilii præstiteris. » Item « Guillielmo Papiensi episcopo, » die et loco eodem : « Litteræ fraternitatis tuæ nobis directæ simulque Herlembaldi Mediolanensis verba evidenter ostendunt, quod tu sanctæ apostolicæ sedi, eam quam debes, velis obedientiam fideliter exhibere, et exhortationibus nostris sicut decet parere. Sed nihil est quod fraternitati tuæ promptius injungamus, nihil est quod te libentius facere velimus quam si Ecclesiam tuam gregemque tibi commissum ab hæresibus, quæ in sancta Ecclesia pestifere videntur pullulare, pastorali vigilantia studeas defendere... et clericos a turpis vitæ conversatione ad castitatem revocare. Hoc etiam scias, te rem admodum matri tuæ Romanæ Ecclesiæ commendabilem facere, si præfato Herlembaldo, in his, quæ nostro consilio, imo omnipotentis Dei timore operatur, manu adjutorii præstiteris, et inimicis sanctæ Ecclesiæ, bellum Dei secum præliaturis, restiteris. »

CAPUT III.

S. Herlembald cædes, Liprandi presbyteri mutilatio, Tetaldi in episcopatum intrusio.

16. Talibus apostolicæ sedis judicii probata S.

Digitized by Google

Herlembaldi integritas, non recusat, quominus acta sua (quanto amicus nullus ea scripsit) vel inimici calamo scripta, maligne explicata, proponantur; facile ab æquo lectore in meliorem accipienda partem. Arnulfum ergo audiamus, post verba de electo ad pontificatum Hildebrando, superius prolata num. 101, res anni 1073 sic prosequentem apud Puricellum pag. 296 : « Dum Gothofredus Brelliæ solius immoraretur præsidio, Atho, propria neglecta domo ac patria, Romæ degebat, solius papæ mancipatus obsequiis; cui Herlembaldus apud Mediolanum totis favebat viribus, diu noctuque laborans, datis etiam ac promissis muneribus. Insuper omne collegium Gothofredi flammis ac ferro persequebatur, interdum nihil intentatum juxta posse relinquens, præsertim cum nec regiæ, nec suorum parium aliorumque multorum cederet voluntati, Romana tantum fretus atque contentus fiducia; ad hoc etiam prorumpens, ut Ambrosianæ consecrationis » (sic ille schismaticam ordinationem vocat) « episcopos blasphemaret, asserens apostolice excommunicatos, quorum omne reprobat officium. Unde fuit quod sancto Pentecostes die » (cadebat ille in 19 Maii) « prohibuit in urbe baptisma.

17. « Postea vero, » id est anno 1074, quando Pascha celebrandum erat die 20 Aprilis, « chrisma sacrum (quod unus illorum, Dominicæ cœnæ mysterio metropolitanæ direxit ecclesiæ, sicut mos est deficiente pontifice,) profusum humi coram omni populo calcibus conculcavit, suum producens in medium, a quo confectum vel unde, incognitum » (utique a catholico aliquo, puta Papiensi Guilielmo, de quo supra num. 101,) « ac sic postposita Sabbati illius authentici apparatibus tradita prærogativa, sexta in Albis feria suum fecit celebrari baptisma,... unde contigit ut paschale gaudium suum nesciret lavacrum, ac multo post tempore plures catechumeni baptismi carerent gratia. » Quam recte in his omnibus et ex theologorum sententia processerit Herlembaldus probare contendit Puricellus, cap. 48. Crescebat interim clericorum contumacia tanto magis quanto rex Henricus diutius differebat apostolicæ se li in negotio Mediolanensi satisfacere, sicut promiserat; ob quam rem Gregorius denique se coactum vidit acriori remedio uti. Itaque « habita Romæ, » sicut Arnulfus scribit, « synodo, » per quadragesimam anni 1075 « in qua palam interdixit regi jus deinde habere aliquod in dandis episcopatibus, omnesque laicas ab investituris submovit personas; insuper, facto anathemate, cunctos regis damnavit consiliarios, idipsum regi comminatus, nisi in proximo huic cedat constituto. »

18. Sed nihil synodi reverentia Mediolanenses schismaticos movit quominus de suscipiendo Gothofredo, vel quemcunque alium rex jussisset, consilia agitarent. Quod profecto eis impune non fuit. Nam « transactis quatuor a memorato superiori incendio annis, propinquante sanctissimo Paschæ festo, secunda videlicet hebdomadis authenticæ feria (in Kalendas Aprilis), miseranda iterum civitas divinam persensit iracundiam, experta quam sit « horrendum incidere in manus Dei viventis (*Hebr.* x, 31). » Celebratis namque missarum solemniis, vergente jam sole, in urbis apparuit medio densæ fumus caliginis, flante ventorum violentia nimia per aerem volitans. Siquidem plures velut fulmina faces, ab illo maximo et inexstinguibili erumpentes igneo globo, totam subito micuerunt per urbem ut quod civitatis residuum jam dictum illud evaserat incendium, totum fere flammis adureretur præsentibus..... Quid enim dici valet ulterius? quam quod ignis hic instar fuit alterius, hoc tamen crudelior, quod multo plures ac majores combussit ecclesias,..... quarum parietinæ annis apparebunt ut reor plus mille..... »

19. His inter Monumenta Ambrosiana pag. 462 ex Arnulfo relatis, nunc ubi de Herlembaldo agit Puricellus, pag. 300, prosequitur cœptam narrationem his verbis : « Inter tot angustias tantasque, cum tota foret in urbe luctus omnis ordinis et ætatis utriusque sexus, solius Herlembaldi intrepidus perseverabat et inflexibilis animus. Siquidem instantibus Albis Paschatis baptismi » (Pascha autem tunc recurrebat 5 Aprilis) « satagebat, sicut præterito fecerat anno, ignoto chrismate inchoare mysterium. Cumque cardinales ecclesiæ, quorum intererat sacrare fontes, nollent contra solitum agere, astat illico Luitprandus quidam, presbyter nuncupatus, a progenitoribus vernula, qui jussu ac virtute illius ordinariorum usurpavit officium, venientes inconsulte baptizans.

20. « Et hæc quidem violentia, recenti juncta incensæ civitatis memoriæ, quamplurimos offendit graviter cives, præcipue milites..... Unde factum est (pag. 325) ut simul diebus aliquot extra urbem exeuntes, suam sibi jurarent, magna plebis cum parte, justitiam et S. Ambrosii honorem, ac dono regis accepturos sese pastorem. Cumque ingrederentur communiter urbem, Herlembaldus, ut semper consortis impatiens, astantibus sibi concionabatur more suo. Ut vero cohibere furorem ultra non valuit, facto cum suis impetu et clamore, festinanter arripit arma, vexillum, quod S. Petri dicebat, dextra gerens, et contra cives, dum parte surgunt ab omni, armatus prorupit in medium; quem in momento ac prima fronte belli tanta adversariorum oppressit incursio ut nihil memorabile posset ab illo fieri. Ubi vero circumventus est undique, illico crebris configitur ictibus, dictoque citius moriens corruit, comitatu ejus exiguo circumquaque disperso. Cujus cadaver exanime, prostratum humi, discerptis exuitur indumentis, nudatumque fustibus undique tunditur ac petris, ut qui vivens multis terrori fuerat, multorum subjaceret lusibus moriens; et cum gestaretur humandus, nulla illum exsequiarum est prosecuta devotio. Posthac Luitprandus presbyter » (qui cum Herlembaldo in hostem processerat crucem præferens) « dum fugeret, auribus truncatur et

Digitized by Google

naso, ut qui alienum præsumpsit officium, quod habere videbatur, amitteret. Eadem hora, post hoc insigne tropæum, cives omnes triumphales personant hymnos, Deo et patrono suo Ambrosio, armati adeuntes ipsius ecclesiam. In crastinum vero simul cum clero laici, in litaniis et laudibus, ad sanctum denuo procedentes Ambrosium, reatus præteritos confitentur alterutrum, absolutione vero a sacerdotibus, qui præsto aderant, celebrata, reversus est in pace populus universus ad propria. »

21. Si tamen pax aliqua potest esse impiis, per magis impios sacerdotes magis magisque ad schisma fovendum obligatis; unde (verius quam intende it Arnulfus apud Puricellum pag. 315) ad porro secuta progredi se ait; « prædictis rebus, non plane compositis, sed involutis. » Quænam autem porro secuta? « Sæpe jam dicti Mediolanenses, inquit, pro petendo episcopo ultra montes Henrico regi legationem dirigunt, mandantes Herlembaldicæ interfectionis triumphum. Quo cognito, lætatus est rex ille supra modum, quemcunque vellent se daturum promittens episcopum. » Et paulo post : « Interea legatis Mediolanensium ex clero et populo super re præfata regem adeuntibus, Tedaldus quidam, Mediolanensis Ecclesiæ subdiaconus, capella militabat in regia. Cui rex, multa volvens ac revolvens consilia, proprio tandem indulgens arbitrio, Ambrosianum tradidit præsulatum, posthabita Gothofredi illius adhuc viventis investitura et unctione, Athonis quoque Romæ tunc degentis electione. Quid plura? Susceptus est præsul ille a clero et populo..... cui etiam suffraganei, iidem ipsi, qui Gothofredum consecraverant, manus imponunt, » die 4 Februarii 1076 (uti ostendi in Exegesi de episcopis Mediolanensibus), non obstante quod Gregorius papa, per datas VII Idus Septembris prægressi Tedaldo mandasset ut Romam veniret, electionis suæ rationem redditurus, interim vero sacros ordines ne susciperet; VI quoque Idus Octobris scribens Vercellensi, Taurinensi, Astensi, Iporediensi, Laudensi et cæteris suffraganeis sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, significaverat quid Tedaldo scripserit; eisque præceperat eum ad sacros ordines ne promoveant. Hic vero non se potest continere Arnulfus, quantumvis partis regiæ studiosus, quin exclamet : « Res mira, et cunctis retro temporibus inaudita, ut urbis unius uno electo antistite, sacrato altero, uno eodemque tempore tertius erumpat! »

22. Falli hic Arnulfum vult Puricellum, dum ipso incendii secundi anno, et ante Tedaldi electionem atque ordinationem schismaticam, interfectum Herlembaldum dicit, atque id factum contendit paulo post Pascha anni 1076, id est mense Aprilis. Sed quomodo falli potuit is qui tunc, cum res agebatur, scribebat, et scribendi finem fecit anno post sequenti 1077? Me certe ad id dicendum non cogunt verba Andreæ, dicentis, num. 80, quod martyrii palmam assecuto Arialdo, Deus, « decimo post anno Herlembaldum fidelem socium associavit in regno cælorum, in quo decimo anno ista scripta sunt ad laudem Dei ejusque famuli Arialdi. » Non, inquam, hæc me movent : quia ibi video sollicitum Andream, ut in iis quæ Arialdum spectant, inveniat denarium numerum; quem ut reperiret in annis utrique morti mediis, potuit incompletos eos sumere, primumque numerare ipsum quo cæsus Arialdus est, licet jam media ex parte decursum, et sic decimus post, erit ipse quem statuit Arnulfus, quemque ei disputare nequeo, annus 1075. Biennio autem post, Henrico rege ad communionem ecclesiasticam recepto, « Mediolanensis populus, Theodaldi societate culpabilis, (divina prohibente lege communicare cum excommunicato,) missis domino papæ legatis, solutionem imploravit. Cui legationi, » inquit Arnulfus, « etiam ipse interfui, de præteritis satisfaciens, in futuro castigari promittens; » adeoque ea quæ contra « sanctos Arialdum et Herlembaldum » acerbius scripserat correcturus, si denuo scribere eamdem historiam debuisset vel potuisset, nisi forte etiam tunc adhuc persistebat in priori opinione, quod illi, justum quidem, sed non juste fuerint prosecuti, modum et terminos suos cujusque ordini præfixos excedendo. Hanc certe opinionem retinebat, jam qualamtenus emendatus, cum scriberet apud Puricellum pag. 329 : « Si quæ sunt aliorum bene dicta vel acta, non improbamus, nec ullo modo dissentimus ab omnibus illis qui venales reprobant consecrationes et sacrorum incontinentias ordinum, ea tamen ratione ut a Paulo non discrepemus auctore; ait enim : « Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant (*I Cor.* XIV, 40). »

23. Nihil contra hanc legem, ne ab Herlembaldo quidem peccatum censuit Andreas, cum « in defensione justitiæ martyrio coronatum » pronuntiavit, num. 34; nihil etiam Gregorius papa, scribens « Wifredo Mediolani militi; quem, » post Herlembaldi cædem, « ad confortandos Christi milites animum et fortitudinem resumpsisse » intellexerat. Mentem autem suam manifestius luculentiusque declarat in epistola ad præfatum Liprandum, quam ex ejus nepote Landulfo a S. Paulo sic recitat Puricellus pag. 327:

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Liprando sacerdoti, salutem et apostolicam benedictionem.

« Si sanctorum memoriam veneramur, de quorum legimus morte et abscissione membrorum; si patientiam laudamus eorum, quos a Christi fide nec gladius nec ulla pœna divisit; tu quoque, abscisso naso et auribus pro Christi nomine, laudabilior es, qui ad eam gratiam pertingere meruisti, quæ ab omnibus desideranda est; qua a sanctis (si perseveraveris in finem) non discrepas. Integritas quidem corporis tui diminuta est; sed interior homo, qui renovatur de die in diem, magnum sanctitatis suscipit incrementum : forma visibilis turpior, sed imago Dei, quæ est forma justitiæ, facta est in diminutione jucundior, in turpitudine pulchrior ; unde

Digitized by Google

in Canticis canticorum gloriatur Ecclesia, dicens : « Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem (*Cant.* I, 54). » Quod si interior species nihil passa est detrimenti iis abscissionibus, non est abscissum a te sacerdotale officium, quod proprium est sanctitatis; et non tam consideratur in integritate membrorum quam in integritate virtutum. Unde imperator Constantinus Hierosolymitani episcopi cujusdam oculum » (S. Maximi scilicet, de quo actum 5 Maii) « pro Christi nomine erutum sæpe osculabatur; et exemplo Patrum atque documento majorum didicimus non auferre sacrum officium martyribus, pro hujusmodi cæsura membrorum.

24. « Proinde, martyr Christi, confortare in Domino. Magis credas in te nunc esse presbyteratus officium, quod prius olei unctione, nunc tui est sanguinis tinctione commissum; et quanto minus habes quod possit auferri, tanto minus timeas prædicare quæ vera sunt, seminare quæ centuplicata reddentur. Scimus quidem te ab inimicis sanctæ Ecclesiæ semper inimicari et affligi, sed ne eos timeas neque perterrearis, quia non tam te quam tua omnia, sub nostra et apostolicæ sedis tutela, cum magna charitate tenemus. Et si in aliquibus tibi necessarium fuerit apostolicam sedem appellare, concedimus; et si ad nos et si ad nostram sedem veneris, cum gaudio et magno honore suscipere parati sumus. » Utinam sic etiam haberentur litteræ, quas, intellecta Herlembaldi morte, ad eos qui ipsam significabant, dedisse Gregorium credibile est, plenas æstimationis et affectus, nec non comprobationis actorum ab eo, quibus obstrui similiter possent ora, de eo æque ac S. Arialdo loquentium iniqua. Nunc quod superest, quidquid ex Puricello colligere possumus, ad utriusque honorem pergamus decerpere, adductis auctorum, quæ repræsentat, verbis.

CAPUT IV.

SS. Herlembaldo et Arialdo erecta in S. Dionysio monumenta.

25. Obiit Gregorius papa VII anno 1075, decimo post Herlembaldi cædem anno; cujus ut sancti Vitam illustravit Henschenius 25 Maii. Obiit etiam eodem anno eodemque die, aut saltem sequenti, Aronæ Tedaldus, pseudoarchiepiscopus Mediolanensis. Huic suffectus Anselmus est, Romana sede per duos fere annos vacante. Non audet Puricellus liberare ejus institutionem a vitio electionum præcedentium; cum ipsa illa quam dixi apostolici culminis vacatio, Henrico, manutenendæ investituræ studiosissimo, commodam occasionem præberet usurpandi juris, a Gregorio VII abjudicati. Quomodo autem in ordinatione suscipienda sese gesserit Anselmus iste, a quibus, et quando illam susceperit, nihil hic attinet discutere; satis sit dicere quod Bertholdo Constantiensi, pontificiarum partium scriptore, dicatur obiisse anno 1093 « in causa S. Petri studiosissimus, » adeoque a Victore papa II, qui anno 1086 in Pentecoste ordinatus est, vel ab Urbano papa II, qui postea annis 11 et mensibus aliquot tenuit Ecclesiæ catholicæ gubernaculum, et receptus et agnitus fuit verus S. Ambrosii successor. Etenim illius ad hunc exstat apud Ivonem parte VI cap. 406, rescriptum hujusmodi : « Discretioni nostræ videtur quatenus, secundum præcepti nostri tenorem, quando secundum Ecclesiæ vestræ morem sacros daturus quibuslibet aliis ordines, benedicere cæperis, eos, quos tua duxerit solertia reconciliandos, inter benedicendum et manus imponendum facias interesse; quibus cætera omnia consecrationis instrumenta, præter unctionis, explebis, et sic ad sancta ministeria reconciliabis. »

26. Anno 1095 Placentiæ synodum celebravit Urbanus : « Huic, » teste Bertholdo Constantiensi « interfuerunt Saltzburgensis archiepiscopus, et Pataviensis episcopus de Bajoaria, de Alemannia vero Constantiensis, qui et Arnulfum Mediolanensem archiepiscopum, diu quidem electum, sed nondum consecratum, eodem tempore ex concessione domini papæ Mediolani consecravere. » Supervenit deinde illuc pontifex ipse, qui quid tunc egerit Mediolani, collegit Puricellus ex quadam ms. marginali additione, ad caput ult. libri III, Annalium Landulfi Senioris, nihil quam Arnulfus fuit æquioris ad memoriam Herlembaldi. Ibi post hæc scripta in margine verba, « Occiditur Herlembaldus ab Arnaldo de Raude; » sic insuper legitur : « Versus super sepulcro Herlembaldi in S. Dionysio, quem sanctorum martyrum catalogo adnotavit Urbanus II; qui cum Arnulpho archiepiscopo millesimo nonagesimo primo, corpus ejus tumulavit, » (ubi « nonagesimum quintum » annum legendum merito censet Puricellus,) quia ipse Herlembaldus, vexillifer Ecclesiæ ac tutor, ab adversariis Ecclesiæ occisus est.

Hic Herlembaldus, miles Christi reverendus,
Occisus legitur qui cœli sede potitur.
Incestus reprobat, Simonius et quia damnat,
Hunc Veneris servi perimunt Simonisque maligni :
Urbanus, summus præsul dictusque secundus,
Noster et Arnulfus, pastor pius atque benignus,
Hujus membra viri tumulant translata beati.

27. Quod autem primæ sepulturæ locus non fuerit alius, quam quo ipsum postea papa detulit, intelligendum nobis præbet Petrus Azarius apud Puricellum, pag. 22, ubi primum narrat, quod « audientes nobiles milites, de Mediolani proscripti, bona nova de dato sibi archiepiscopo, » (etsi revera necdum datus esset, sed solum promissus,) « confortati sunt valde; et congregantes amicos ex omnibus partibus civitatis Mediolani, ipsam civitatem aggressi sunt. Quod sentiens Herlembaldus Gotta, dominus populi primus, exivit obviam inimicis, cui occurrit in campo Herlembaldus » (aliis Arnaldus dictus) « de Raude, miles proscriptus, atque ipsum de equo dejecit et decapitavit. » Addit deinde Azarius : « Et sic in sancta confessione moriens sepultus fuit in ecclesia SS. Protasii et Aurelii, id est, S. Dionysii inter martyres. » Hieronymus Montius, Mediola-

Digitized by Google

nensis jurisconsultus et orator, postea etiam senator et præses sanitatis, in panegyrico quem recitavit anno 1547, cum Herlembaldum quoque ex eo laudasset, quod « legem in Ecclesia Mediolanensi promulgari procuravit, ne clerici uxores ducere, neve matrimonio jungi possent..... Ea causa, inquit, offensos clericos, » (melius dixisset eorum fautores nobiles,) « necem homini intulisse reperio apud auctores; a populo vero divinos illi honores, ob tam celebris facti memoriam exhibitos, inclusumque ferrea arca cadaver, divi Dionysii templo, in nostram usque diem servatum novimus. »

28. Bernardinus Corius, cap. 9, « arcam » appellat, « ferreis laminis circumdatam. » Paulus Morigia, in suo Sanctuario Mediolanensi anni 1605, inter corpora, tunc adhuc quiescentia in æde S. Dionysii, recenset quidem « corpus S. Herlembaldi martyris; » sed ex fide antiquorum chronicorum, potius quam ex præsenti conspectu; idque quia « anno 1549 Ferdinandus Gonzagua Mediolanensis gubernator, volens civitatem mœniis cingere ex artis militaris præscripto, cœpit ab exstruendo S. Dionysii propugnaculo, cujus licet noviter structam ecclesiam, bona tamen sui parte truncavit, tota scilicet tribuna cum sanctuario sive crypta sacra. » Ex qua occasione abolita fuisse « SS. Arialdi et Herlembaldi » monumenta, videtur agnoscere Puricellus pag. 384; sic enim loquitur : « Si quis tandem requirat utrum sanctorum corpora etiamnum in hac S. Dionysii, si non ædicula subterranea (quam utique dirutam fassi sumus) certe saltem ecclesia utcunque perseverent, nec alio translata unquam fuerint; ego quidem adhuc nihil habeo causæ, cur de corpore quiddam Herlembaldi ambigam. »

29. Ad S. Arialdum autem quod attinet, Landulfus senior, coævus illi, sed studio partium infensus historicus, apud Puricellum, pag. 12, post nescio quæ scripta de corporis inventione vel ostensione (nec enim placuit Puricello ea publicare) deinde « multis, inquit, dubitantibus, multisque congaudentibus, plurimisque credentibus, tandem pallio superimposito, lectica compositus est. Quo assumpto et quasi Levita cum stola ornato, summis cum litaniis magnisque exsultationibus plurimisque confrequentationibus, in monasterio S. Celsi humatum est. His itaque peractis, Herlembaldus suis cum omnibus magnisque cæremoniis, quasi novum martyrem celebrantes, phantastica delusi imagine (ut postea in tempore quarti Anselmi archiepiscopi apparuit) sedulo ac devote colebant. Cum enim post biennium suæ consecrationis » (id est anno 1099 secundum meum alibi calculum, etiam a Puricello pag. 382, probatum,) « cum, inquam, dominus Anselmus Arialdi ossa ac corpus, qualiter male olim in veritate fuissent humata, comperisset, curialiter cum paucis clericis ad locum tendens, ossa quæ habere potuit colligens, in ecclesia S. Dionysii humavit. » Quibus verbis videtur indicari, istud quod Herlembaldus transtulit, et apud Sanctum Celsum tumulavit corpus, non fuisse verum corpus sancti Arialdi.

30. Sed in hoc « splendide mentiri » Landulfum censet Puricellus æque ac ubi dixit quod, « transactis aliquantis » a prima « in arce Travali deportatione diebus, ejus cadaveris fetor castellum omne, ita ut omnes nausearent fugientes, occupavit. » Sane quam hoc certo falsum est, ut supra vidimus ex veraciori teste B. Andrea, tam illud quoque, de ablatis clam ex arce prædicta ossibus, debet conflictum ab inimicis censeri. Utrumque fortassis pedem, mortuo abscissum num. 74, ex prædicto loco requisivit archiepiscopus, vel ex loco carnificinæ dexteram auresque et cætera membra viventi amputata, eaque junxerit reliquo apud S. Celsum tumulato corpori, ac pariter ad Dionysii transtulerit, monumentum eis daturus prope monumentum S. Herlembaldi. Qui Landulfi istius ac deinde Arnulfi historias transcripsit librarius, apud Puricellum pag. 11, sic notavit in margine : « Nec mirandum, si iste historiographus, et sequens, non laudent istum Arialdum, quia ipsi erant fautores sacerdotum uxoratorum, concubinariorum et Simoniacorum, a quibus B. Arialdus passus est. » Deinde in eodem margine describit versus « super sepulcro S. Arialdi » repertos, sed veluti consequenter legendos ut infra, cum verosimile mihi sit, duplex, aut etiam triplex epigramma hic haberi, quorum alterum arcæ, alterum lavello seu absidi appictum vel insculptum fuerit; tertium, communis fuerit, et inter utrumque duorum monumentum scriptus titulus.

31. Indicasse hoc videtur scriptor cum addit : « Tres isti versus loquuntur de Arialdo et Herlembaldo, » scilicet tres ultimi, sic descripti :

Sanctos thesauros venerare per omnia charos,
Hos pugiles Christi, gens inclyta Mediolani,
De cujus sancti sunt isti sanguine nati.

Arcæ ipsi tres primos versus sic ascripserim, ut eis addere velim unum ex Herlembaldi epitaphio assumptum, et ad supplendum defectuosum sensum perquam utilem.

Martyr Levita jacet hac Arialdus in urna.
Truncatus moritur; sed vitæ dona meretur;
Hoc mausoleo reverenter condita digno;
Incestus reprobat, Simonias et quia damnat.

Similiter tribus aliis versibus super lavello locandis deesse videtur caput ; quod ex eodem Arialdi epitaphio sic mutuabor :

Dum veneris servos reprimit Simonisque maligni;

Deinde subjungam, sensum utcumque habituros tres :

His geminis causis Arialdus passus ab istis,
Martyr in ecclesia Levita reconditus ista.
Transtulit Anselmus pastor venerabile corpus.

32. Istæc utcunque se habeant, allegat, p. 14, Puricellus, commodatum sibi ms. « de archiepiscopis Mediolanensibus, a S. Barnaba usque ad Joannem Arcimboldum, » id est usque ad annum 1550, « quibus addita sunt quædam ex collectis per N. Fontanam : » hic vero « ex Andreæ Alciati Antiquario, » ad nomen Guidonis archiepiscopi, sic

Digitized by Google

notat : « Sub hoc Guidone de Velate Valvassorio, Arialdi ex Alciata gente sepulcrum. Relatus est inter divos ab Alexandro II, sepultus in D. Dionysii tumulo marmoreo ; sed millesimo quingentesimo octavo, a Ludovico duodecimo Francorum rege, Parisios pro corpore S. Dionysii translatum est. » Melius tamen fortassis notaretur annus 1509, quando in Insubria regem fuisse constat, Maximiliano imperatori pontificique Julio contra Venetos fœderatum ; ubi inito ad flumen Adduam prælio, victoriam ingentem retulit. Videtur autem rex petiisse corpus S. Dionysii Mediolanensis, ut ipsum jungeret duobus aliis SS. Dionysiis, Parisiensi scilicet, quem Areopagitam vulgus credebat, et Corinthiorum episcopo, de cujus corpore illuc sub annum 1215 translato egit Henschenius 8 Aprilis, sed deprecantibus ne illo tutelari suo privarentur Mediolanensibus, corpore S. Arialdi contentus abierit ; hoc vero quid porro factum sit, hactenus non potui invenire.

33. Aliud epitaphium, sed nescio an non ab ipsomet Alciato compositum, certe in prælaudato illius Antiquario a Fontana transcriptum, et forte nusquam positum, sic recitat Puricellus, pag. 15.

ARIALDO DIACONO.

Qui, nemo ut melius, divini mystica verbis
Tradidit, et populi solus in ore fuit ;
Qui lapsos mores disciplinamque cadenten
Et Thyasi errores corrigere ausus erat ;
Hic Arialdus adest. Heu noxia vita nocentum,
Quæ censorem ullum ferre molesta nequit !
Clam raptum, appensumque molæ, projecit in undas
Verbani, ut rapidis piscibus esca foret :
Deinde sed inventum, atque illæso corpore, templis
Est dignata novum martyra posteritas.

APPENDIX.

DE VENERABILI LIPRANDO PRESBYTERO CONFESSORE.

§ I. *Grossulanus Anselmi successor Simoniæ convincitur judicio ignis.*

1. Cum senior Landulfus « Leoprando sacerdoti, » Herlembaldum extremo discrimini se « cum paucis armatis » objicientem comitato, crimini ducat apud Puricellum, pag. 13, quod « et ipse crucem manu gestabat propria, non ut bellantes sedaret, sed ut bellantes suos potius incitaret, hostibus et ipse hostis ; » quem propterea naribus auribusque mutilatum vidimus, et martyribus a S. Gregorio papa VII comparatum, placet ejusdem acta, quatenus colligi ex Puricello poterunt, ad extremum prosequi, et Landulfi istius maledicentiam rebus ipsis coarguere ; ob quas et ob confessionis catholicæ meritum, primus fuit in æstimatione, apud omnes apostolicæ sedis fideles ; quod Landulfus junior pag. 388 apud Puricellum nobis testatur, ubi ita scribit : « Cono rex, qui dum Henricus pater ejus, » Ecclesiæ rebellis et excommunicatus, « viveret, » suadente Urbano papa II, « per contractationem Mathildis comitissæ, et officium Anselmi de Chode » Mediolanensis archiepiscopi, « et Armani Brixiensis, fuit coronatus Modoetiæ in ecclesia S. Ambrosii anno 1093, ad horum pontificum ordinationem non respexit ; sed regnans in loco, qui Burgus S. Domnini dicitur, » (oppidum est medium inter Placentiam et Parmam,) « vidit presbyterum Liprandum, propter Patariam naso et auribus truncatum, euntem ad Urbanum romanum pontificem ; cui presbytero rex ipse cum devotione inquit : Cum sis magister Patarinorum, quid sentis de pontificibus et sacerdotibus, regia jura possidentibus, et regi nulla alimenta præstantibus ? Et presbyter ipse absque ullo rancore in beneplacito Dei et ipsius regis respondit. »

2. In quibus verbis ante omnia notandum, ex Hugone Flaviacensi apud Cangium in Glossario, quod, « si quis esset, qui Gregorio communicaret, » (idemque de Urbano intellige, ejus post Victorem successore,) « hic hæreticus, destructor regni, et quodam adinventitio nomine Paterinus dicebatur. » Hoc deinde nomine ad Waldenses aliosque hæreticos transit, de quibus vide loco citato Cangium, opinantem, ita tunc primo dictos fideles, « quod papæ, quem patrem appellabant, adhærerent. » Et hoc in sensu pag. 300, Herlembaldum Landulfus senior inculpabat, quod per ejus potentiam, schismaticis regi adhærentibus exosam, « Patarinorum in tantum excrevit numerus atque virtus, in pagis et oppidis, ac quibusdam duce ipso in urbibus, ut suorum videretur omnium dominus concivium. » Ego seniorem Landulfum ita loqui non miror ; sed juniorem, scriptorem catholicum, et Liprandi nepotem uti Patariæ vocabulo : rex vero, inter excommunicatum patrem suum et Urbanum papam quasi medius, videtur suspectos habuisse dictos in patris aula Patarinos ; illoque nomine etiam usus in sua, quatenus per eos videbatur regia potestas imminui, atque pro parte in papam transferri. Et Liprandus quidem interroganti regi responsum haud ingratum visus erat reddidisse ; « verumtamen altera die faciens iter suum, cum presbytero Arnaldo magistro scholarum Mediolanensium, et Syro sacerdote ecclesiæ S. Mariæ Podoni, captus est ab hominibus Parmensis episcopi ; » quem hinc apparet schismaticum fuisse ut dolere magnopere non de-

Digitized by Google

luerit Ughellus, tom. II, col. 213, quod « nomen » ejus « delevit invidiosa vetustas. »

3. Ita interceptus ab hostibus Liprandus, ut porro ait Landulfus junior, « ducebatur, digerens pœnam ad locum qui dicebatur, ibique per quatuor dies retentus et exspoliatus, inde Mediolanum rediit. Rex vero ipse, prout audivi a raptoribus illis, emendam » (id est multam seu satisfactionem pro facta sacerdoti injuria) « et mulam ipsius presbyteri suscepit, » eoque se complicem facinoris fecit, quod debuisset severe ulcisci. Neque id etiam impune tulit : « mox enim in Tusciam adire tentavit, et cum Florentiam pervenisset rex, ipse alias prudens et sapiens atque decorus specie adolescens... vitam finivit. » Id cum Domnizo in Vita Mathildis dicat factum anno « tertio, ex quo Urbanus papa transierat, » oportet ut injuria ista Liprando sit illata anno 1101, cunti, non ad Urbanum, qui anno 1099 obierat, sed ad successorem ejus Paschalem II. Verum hic facile fuit et ignoscendus Landulfo isti memoriæ lapsus; sicuti etiam quod famæ credidit regem obiisse « accepta potione ab Aviano Mathildis medico : » cum Domnizo dicat quod, « post pacem » cum Mathilde reformatam, « febre tactus (Julius autem mensis erat) moritur Chonradus. » Si quid tamen in Liprando non vindicando is peccavit, oportet ipsum finali pœnitentia eluisse; si (uti scribit Urspergensis) vere « testati » sunt, qui morienti « aderant, in brachio corporis exanimi crucis signaculum subito exortum se vidisse, ipsasque ejus exsequias miraculis quibusdam honorificatas fuisse. » Nec immerito, quandoquidem debitam pontifici obedientiam paterno affectui et reverentiæ prætulit, ideoque « plena fide et bona confessione, a regno transitorio, ad æternum creditur regnum transisse. »

4. Interim contigerat Anselmum archiepiscopum suscipere peregrinationem Hierosolymitanam, sibique vicarium substituere quemdam Grossulanum, Electum Saonensem; qui « commonuit gentem, ut per singulas hebdomades in secunda feria ad S. Ambrosii convenirent, et pro archiepiscopo illo Anselmo ejusque exercitu litanias facerent. Ipse vero non solum in ipsis feriis, sed per singulas festivitates, magnæ civitatis genti luculente sermocinabatur, et sermocinando non magis affectabat ipsam sibi, quam asperitate vestitus et sibi... » et sic « per duos annos laboravit, » donec « certitudinem accepit de morte prædicti Anselmi, » Constantinopoli obita anno 1011, die 30 Septembris. Accepta autem certitudine, præcepit « primicerio et ordinariis, inquit, majoris ecclesiæ, ut præsente se eligerent sibi et populo archiepiscopum convenientem, priusquam rediret ad episcopatum Saonensem. Tunc primicerius, habito consilio cum nobilibus clericis et viris Mediolani, coram populo et ipso, alterum de Landulfis Mediolanensis Ecclesiæ ordinariis, ab Hierosolymis redeuntibus, elegit; sed Grossulanus de absente persona electionem fieri prohibuit. Pars itaque cleri et populi, ad nutum Arialdi, abbatis monasterii S. Dionysii, clamavit et laudavit Grossulanum sibi in archiepiscopum. Ipse vero, statim ut vidit se a quadam magna vulgi et nobilium multitudine conclamatum, et ab abbate illo plaudatum, archiepiscopalem sedem ascendit et sedit; et illum abbatem, de abbatia in abbatiam, majorem videlicet Clavatensem, transtulit.

5. « Sed ante hujus translationem contigit quod quidam qui videbantur in vita et moribus [præstantiores] viri et clerici Mediolanenses, quædam turpia de Grossulano et ejus electione presbytero Liprando notificaverunt. Quibus viris et clericis presbyter ipse consilium dedit ut litteras et duos idoneos clericos mitterent Romam, rogando papam, quatenus Grossulanum in archiepiscopatu non firmaret, donec scipsos mittentes litteras in proximo tempore videret et audiret. Bernardus autem abbas Umbrosævallis et cardinalis Romanus, ad has litteras et nuntios, coram apostolico et curia Romana non respexit; sed accepta stola curiam comitissæ Mathildis intravit; ibique inito consilio, in beneplacito Arderici de Carimate, qui pro Grossulano et stola Romam iverat, abbas ille Bernardus Romam adire festinavit. Et cum procul vidisset Mediolanum Ardericus, idem [stolam] in protensi virga » (umbellæ forsitan genus « protensum » est) « usque ad majorem ecclesiam civitatis portavit clamans : « Hecco la stola, hecco la stola; » et in hoc clamore plenitudo vulgi fuit et acclamavit : « Moriatur quicunque contradixerit. » Clamor iste ingens et continuus fuit, donec abbas ille cardinalis, et Grossulanus pulpitum majoris ecclesiæ Mediolani ascendit. Et cum uterque ibi videbantur in victu afflicti, in vultu demissi, in sermone præclari, tantum plausum audierunt sibi, veluti si pure forent angeli Dei. Ibique Grossulanus stola indutus, et abbas in suo tempore remuneratus, quievit et recessit, et post paucos dies in gratiam prædictæ comitissæ Mathildis, idem abbas Parmensem episcopatum suscepit; » vir plane sanctus uti docebit Vita danda 4 Decembris; quare ex ipsius parte nullus hic possumus Simoniæ vitium suspicari.

6. Non acquiescebat interim Liprandus Grossulanum suscipere; hic vero, « quoscunque non potuit sibi blandiri, tentavit minis terrere, presbyterum Liprandum præcipue, » ut legitur in Monum. Ambros. pag. 493. Cumque compescendis tumultibus contra se invalescentibus, synodum convocasset Grossulanus, accito in concionem populo, dixit : « Si quis adversum me vult dicere aliquid, nunc dicat; quod si modo tacuerit, amplius adversum me audientiam non habebit. Hoc cum presbytero Liprando renuntiatum fuit, et ipse plures cives ad ecclesiam S. Pauli vocavit in die, quibus dixit : Videtis me abscissum naso et auribus pro nomine Christi, unde mihi magna retributio est promissa, si in finem perseveravero. Pro amore itaque Christi vestraque salute et pace rogo vos, ut ad me et ea quæ vobis dixero intendatis. Et cum hæc et plura, benedicta beneque sonantia, præsertim adversus

Digitized by Google

Simoniam dixisset, proposuit dicens : Grossulanus, qui pro archiepiscopo tenetur, est Simoniacus de archiepiscopatu Mediolanensi, per munus a manu, per munus a lingua, per munus ab obsequio. Et cum in suo proposito procederet, sæpissime hortabatur omnes ut convenirent ad veram cognitionem hujus propositi per divinum judicium, approbatum in vita vel morte sua, manifestata per ipsum. Sed Grossulani turba hoc perturbabat auctoritate pontificum, qui Mediolanum venerant ad celebrandam synodum cum Grossulano. Verumtamen presbyter ipse, adversus episcopos disputans rationibus et exemplis suam sententiam sustinuit nec dimisit. Grossulanus vero, parvipendens hujus presbyteri verba, velut in præsentia ejus non essent prolata, synodum suam in ecclesia S. Mariæ per duos dies tractavit....

7. « Attamen Grossulani turba, dimicans adversus primicerium Landulfum, ejusdem primicerii clericum lapide occidit; deinde, quasi in consensu totius civitatis, dictum fuit presbytero, ut ad faciendum judicium multa ligna congregaret in prato, quod clauditur in muro juxta S. Ambrosii monasterium. Et presbyter ipse, plenus magno spiritu, annonam et vinum quæ ad edendum habebat, suamque de lupi pelle tunicam pro lignis pignoravit; cætera vero quæ possidebat in libris et aliis rebus, statuit ut conservarentur Landulfo nepoti suo et alumno » (hæc ipsa deinde scripturo) « qui tunc temporis discebat Aureliani, ab egregio magistro Alfredo et nobili Jacobo. Statuit etiam, si contigerit illum mori in illo judicio, si quid corporis ejus residuum fuerit, portaretur ad ecclesiam S. Trinitatis, quam ipse in alodio suo fundavit, et B. Petro tradidit. His ita statutis et ordinatis, idem [presbyter ab S.] Ambrosii ecclesiam ivit. Et cum ipse facturus judicium [esset], manus Grossulani prævaluit, ab ipsa ligna in prato disposita dispersit, ipsumque presbyterum separavit ab illa dispositione ignominiose. Deinde ipse presbyter in domo sua et S. Pauli ecclesia siluit et quievit, donec pueri et puellæ, mares et feminæ, in proximo tempore clamaverunt : Foras, foras, Grossulane.

8. « Hunc clamorem Grossulanus cupiens compescere, habuit consilium cum satellitibus suis, quibus dixit : Ite et vos, et publice eligite viros de populo, qui dicant illi Liprando, aut ad satisfactionem meam veniat, aut de terra ista exeat, aut judicium quod se facturum promisit, faciat. Consiliarii itaque de latere ejus venientes ad concionem populi, in vespertina hora Dominicæ diei de ramis palmarum seu olivarum, » (id est 30 Martii : annus enim erat 1102 et Pascha celebrandum 6 Aprilis,) « publicaverunt quæ audierant a domino suo Grossulano. Quapropter non solum viri, in concione electi, venerunt ad presbyterum hanc legationem dicere; sed innumera multitudo hominum venit hanc legationem confirmare. Ad quorum clamorem, clamantem : Veniat presbyter ipse Liprandus, ipse humilis exivit, et ut legationem audivit et intellexit, manus ad cœlum levavit, et Deo gratias egit, et interrogando legatos, inquit : Vult et mandat ipse quod mihi dicitis? Qui omnes respondentes, dixerunt : Utique vult et mandat. Et Presbyter ad eos : Terram non exeo, sed in istis duobus diebus jejunium ago, et in quarta feria faciam judicium, præstante Deo; sed unde ligna emam, non habeo.

9. « Tunc Grossulani et reipublicæ ministri quercina ligna, ad flammam et calorem aptissima, triginta solidis denariorum emerunt; quæ in campo ante atrium ecclesiæ S. Ambrosii in duabus congeriebus, respicientibus se, composuerunt; longitudo quarum decem cubitorum fuit, et altitudo et latitudo major statura hominis cubitorum quatuor; via vero inter ipsas congeries unius et semis cubiti. Iis ita dispositis, et quibusdam lignis in via interpositis, in quarta feria presbyter indutus cilicio, camisio atque casula, more sacerdotis, ab ecclesia S. Pauli usque ad ecclesiam SS. Martyrum Gervasii et Protasii et beatissimi Ambrosii, nudis pedibus crucem portavit; super quorum altare, cæteris sacerdotibus deficientibus, ipse sibi missam cantavit. Et missa cantata Grossulanus quoque gerendo crucem, eamdem ecclesiam intravit; et pulpitum, cum Arialdo de Meregnano et Berardo judice Astensi, ascendit. Et facto silentio in populo, et presbytero stante nudis pedibus super lapidem marmoreum, qui in introitu chori continet Herculis simulacrum, idem Grossulanus ait ad populum : Attendite, quia in tribus verbis hunc hominem vincam, et ejus confusionem ostendam. Et ad presbyterum inquit : Proposuisti quod ego sum Simoniacus per munus a manu. Modo dic cui dedi.

10. « Tunc presbyter super populum oculos aperuit, et digitum ad eos, qui stabant in pulpito, extendit, dicens : Videte tres grandissimos diabolos qui per ingenium et pecuniam suam putant me confundere. Et nonne diabolus ille, qui suasit illum fieri Simoniacum per pecuniam, suadere potest ut adhuc majorem pecuniam daret, et veritatem occultaret, et testes et judices mundanos mihi auferret? Et nonne scitis quia propter vitandam astutiam diaboli et pravorum hominum, ego elegi Deum judicem, qui neque per pecuniam corrumpi, neque aliquo modo potest falli in judicio? Ad cujus judicium si vultis venire, paratus sum quod promisi facere. Et Grossulanus ad eum : Modo dic : de qua Simonia dicis? Et presbyter ad illum : Modo dic tu, quæ est bona? Et Grossulanus aliquantum subsiluit. et ait : Est Simonia, quæ Simoniacum non deponit. Et presbyter ait : Ego dico de illa, quæ deponit abbatem de abbatia, episcopum de episcopatu, archiepiscopum de archiepiscopatu, in quo est. Et cum his verbis satisfecisset omnibus, audivit populum clamantem : Exito foras ad judicium; exito foras ad judicium. Et presbyter in hoc multiplicato clamore, licet senex, desuper lapide continente Herculis simulacrum prosilivit, et una cum populo in campo, in quo erant lignorum congeries, venit : ibique, dum ignis lignis

Digitized by Google

accendebatur, dixit : Vos præter me non cernitis sacerdotem, qui hunc ignem benedicat; sed cernitis chartam hanc quam teneo, in qua sancta verba et signa sanctæ crucis continentur. Et ego minister hæc signa inferius dicam et faciam, et Deus, qui est Dominus meus, desuper ignem benedicat. Et audientes et bene intelligentes dixerunt : Amen.

11. « Atque cum in circuitu ignis hæc verba dixisset, et signa fecisset, et aquam benedictam et incensum super ignem, astante ibi Grossulano, aspersisset, dubitabatur de ordinando sacramento apud Grossulanum et Arialdum de Meregnano qui erat quasi potentissimus princeps Grossulani et procurator judicii, et exspectans presbyterum per ignem morte finiri, vel per nimium terrorem ad Dominum suum converti. Ipse namque Berardo judici Astensi, hanc legem non solum per mortem, sed etiam per quamlibet ignitam læsuram in presbytero factam condemnanti, dixerat : Absit quod læsura : sed ignem adeo magnificabo, quod procul oculos ignis de capite ejus eruet, et ipse igne ardens cinis putrefiet. Attamen presbyter, cum vidisset eos de ordinando sacramento dubitare, dixit ad eos : Sinite me, quod ego bene ordinabo; nec finiam sacramentum, donec dixero tantum quantum vobis satisfecerit. Et illico consensu eorum apprehendit cappam Grossulani, ipsamque quassavit, dicens : Iste Grossulanus, qui est sub ista cappa, et non de alio dico, est Simoniacus de archiepiscopatu Mediolani, per munus a manu, per munus a lingua, per munus ab obsequio. Et cum illis videbatur sufficere, addidit : Et ego, ad fiduciam maleficii aut incantationis vel carminis, non intro hoc judicium.

12. « Facto hoc sacramento, Grossulanus concorditer equum ascendit, et ad ecclesiam S. Joannis quæ dicitur ad Concham venit; Arialdus vero prædictus de Meregnano, inquirens et exspectans plenitudinem ignis, presbyterum tenuit; et tenendo, manum suam læsam ab ipso calore ignis sensit; et tamen ad presbyterum inquit : Presbyter Liprande, vidi mortem tuam in igne; convertere ad dominum meum archiepiscopum, habita securitate vitæ tuæ, alioqui vade et ardeto cum Dei maledictione. Et presbyter ad illum : Satana, retro vade. Illo retrocedente, presbyter prostratus a terra se levavit; et signo crucis sibi apposito, ingens flamma ignis in meridiem et septentrionem se divisit, et via apparuit quam presbyter intravit. Et transiens per ipsos carbones ignis, ceu arenam calcaret, sensit; et dum per ipsam viam transibat, flamma post ipsum coibat. Et ipse mihi dixit, et bene intellexi donec in via hujus igni fui, hanc orationem Deo protuli : « Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua libera me; Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua libera me : Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua libera me (*Psal.* LIII, 3). » Et dum tertio proferret hoc verbum *fac;* se extra ignem vidit; nec in se, nec in suis sacerdotalibus vestibus lineis ac sericis, quibus erat indutus, sive in cilicio, læsionem ullam sensit. Tunc populus plene, quasi ex uno ore, laudem Deo et huic presbytero, extra et infra civitatem, contulit : Grossulanus vero intrepidus sedem archiepiscopatus deseruit et civitatem; quia aperto communi civitatis ore juratum erat, quod neutri eorum, nec alicui de parte illorum, pro hac actione malum fieret, nisi quod Dominus sibi faceret. » Hactenus Puricellus pag. 399 et seqq.

§ II. *Reliqua Liprandi vita et mors miraculis illustrata.*

13. Tam luculentum miraculum non habuit continuo omnem qui sperabatur effectum : « sed quia præsentia episcoporum suffraganeorum huic legi et triumpho favorem integre non præbuit; et quia ignis manum presbyteri, in projiciendo aquam et incensum super ignem, læsit; et quia pes equi Joannis de Rode nudum presbyteri pedem, de igne exeuntis, dure calcavit; turba, tristis de casu et ruina Grossulani, in presbyterum et ejus legem post pauca scandalizavit, et scandalizando, hortatu quorumdam sacerdotum, prælia et homicidia multa commisit. Interea Grossulanus dominum papam Paschalem gratum sibi invenit. Landulphus vero de Vareglate, » unus de supradictis electis, sed rejectis propter absentiam, « rediens ab Hierosolymis Romam pervenit; atque de Grossulano jam inde regresso didicit » (uti legere est in Monumentis Ambrosianis pag. 596) « non solum quod actum fuerat Mediolani propter concertationem presbyteri et Grossulani; sed et quam solemniter Romanus pontifex post alia facta Grossulanum susceperat..... Sed tamen Landulfus ille Vareglate veniens Mediolanum, non presbyterum nec ejus legem directe contempsit; sed clero et populo Mediolanensi promittens deponere Grossulanum ab omni ecclesiastico officio, juxta canonum rationem, inquit : Cur de lege presbyteri Liprandi et Grossulani contenditis, et prælia et homicidia in vobis facitis? Et vobis certissime dico, et per Joannem Vicomercatensem Grossulano mando, quod ego apud domnum papam Paschalem, ejusque curiam vel synodum, certis cum rationibus et justis et sanctis canonibus comprobabo illum non posse subsistere in numero episcoporum vel presbyterorum, aut etiam in aliquo ordine clericorum. Clerus vero et populus huic authentico, et secundum quamdam novitatem canonice S. Nazarii præposito, et majoris ecclesiæ Mediolanensi ordinario credulus, una cum Grossulano ad Romanam synodum pervenire studet. Unde rigidus et sapiens capitaneus Mediolanensium Amizo de Landriano, ait : Vos ludriam, » (id est lutram, amphibium animal,) « in aqua negare » (seu mergere) « vultis, » id est, frustra laboratis.

14. « Sed Grossulanus, ad pedes apostolici provolutus, sibi et suis iterum refugium suscepit. Presbyter vero Liprandus, cum jam senex esset, et duo anni post legem ab ipso factam transissent, » adeoque anno 1103, « provocatus et quasi compulsus Romam ad synodum venit; in qua prædictus Lan-

Digitized by Google

dulphus de Vareglate, qui post ipsam synodum fuit Astensis episcopus, » prece fortassis vel pretio in favorem rei corruptus, « neque ante papam vel ejus curiam seu synodum adversus Grossulanum verbum ullum ignominiosum protulit; » contra quam Mediolani promiserat; « sed presbyter Liprandus causam, quam adversus Grossulanum habuit, pure notificavit; et apostolicus non legem, per ipsum presbyterum datam, et sacramento et igne notatam, laudavit, sed gratiam et officium presbyteratus in illo firmavit, et dixit : Si hic presbyter juraret et duodecim sacerdotes cum illo jurejurando affirmarent, quod Grossulanus coegit ipsum presbyterum ire per ignem, sustineret Grossulanus depositionem; atque super hoc spatium consulendi per unam noctem dedit. Nocte autem illa transacta, apostolicus coram synodo a Grossulano suscepit sacramentum, in quo sacramento Grossulanus sic ait : Ego Grossulanus gratia Dei archiepiscopus, non coegi dictum Liprandum presbyterum ire ad ignem. Tunc et Ardericus, Laudensis episcopus, jurejurando firmavit id ipsum; Azoni vero Aquensi episcopo, proferenti id ipsum jurare ex parte Grossulani, ab apostolico fuit condonatum. Grossulanus itaque accessit ut acciperet gratiam restitutionis; et cum ad accipiendam restitutionem accederet, gabuta et pastoralis virga, quam idem Grossulanus sua tenebat manu, coram synodo ad terram corruit : quod signum quampluribus fuit indicium quod sacramentum ejus fuit sacramentum mortis. Verumtamen nec papa, nec ejus synodus ad hoc tunc respexit : sed ipsum Grossulanum Azoni Aquensi et Arderico Laudensi, atque Jordano de Clivi, et cæteris Mediolanensibus tam clericis quam laicis, verum etiam episcopis ejusdem Ecclesiæ suffraganeis, volentibus eum habere in archiepiscopum, licet otiose, restituit.

15. « Presbyter ille Landulfus, licet occasione hujus restitutionis foret suspectus Grossulano restituto et restitutum suscipientibus, tamen in ecclesia S. Pauli suaque domo, fuit sacerdos idoneus in suo officio per septem annos post ipsam restitutionem » usque post annum 1115. « Cum » autem sic « alter alterum suspectum haberet, contigit quod Heribertus de Bruzano, valde aggravatus febribus, venit ad dictum presbyterum, supplicando ut adversus infirmitatem daret sibi remedium. Ministri vero presbyteri ministraverunt cibum et lectum convenientem illi ægrotanti, donec Dominus virtutum, per impositionem manuum ejus presbyteri, præbuit salutiferum remedium ægrotanti. Unde Grossulanus stimulatus, ait ad presbyterum : Quia participasti Heriberto, meo excommunicato, præcipio tibi ut missam non cantes, quousque pœnitentiam inde susceperis, mihique satisfeceris. Et presbyter ad illum : Quod feci in Heriberto, bonum fuit, et a Deo venit; atque de bono et Dei opere non novi pœnitere. Etsi non habes super me potestatem, tamen propter scandalum vitandum, tibi obtemperabo. »

16. Porro « Grossulanus, gratia Guilielmi abbatis S. Ambrosii, et Andreæ Mediolanensis primicerii, et aliorum multorum prudentum tam clericorum quam laicorum, nec sedem, nec aliquam munitionem archiepiscopatus, post legem primam a presbytero factam, sive restitutionem a synodo celebratam, habuit. Meus vero sæpe dictus avunculus, infra unius anni et dimidii spatium, homines, qui non pro amore divinæ legis et ecclesiasticæ disciplinæ litigabant, dimisit, et eorum civitatem exivit, atque Valtellinam vallem, a Mediolano ultra septuaginta milliaria distantem, habitavit. » Quid autem hinc post aliquantum tempus revertenti acciderit pag. 417 sic narrat apud Puricellum Landulfus. « Assumpto equo Anselmi » fratris « et meo, una cum » dicto « fratre meo ad ipsum meum patronum festinavi. Et cum processissem viginti quinque milliariis, mihi angelus occurrit, dicens : Presbyter Liprandus rediens a Valtellina, infirmus jacet ad monasterium de Clivate. Citius igitur quam sperassem, inveni illum in lecto sedentem et lac comedentem. Qui cum me vidit, ambas levavit manus, et gratias Deo dixit. Arialdus vero illius monasterii abbas, postquam audivit me advenisse, consolationemque ipsi ægroto dedisse; me meumque fratrem extra cameram vocavit; et per plura verba se trepidare fidelitatem, quam juraverat Grossulano, nobis notavit : atque nescientibus monachis, nos admonuit ut ipsum deportaremus ægrotum a monasterio, saltem duobus milliaribus.

17. « Infirmus autem ut sensit, me meumque fratrem sollicitari super sua infirmitate et portatione ait : Nolite turbari, quia per gratiam Dei nunc mihi multo est melius, et in crastino, Deo annuente, in civitatem iter habebimus. Et mane facto ocrudatas quasdam suas vestes induit et cibum sumpsit, et quasi sanus factus super mulam sedit. Puer quoque ejus, habens suum asinum oneratum pellibus, licet de solito bis aut ter in die torqueretur caduco morbo, tamen presbytero sedente super mulam, puer idem venit nobiscum in una die usque ad S. Damianum de Baraza, absque ullo illius infirmitatis impedimento. Ibi gratia Dei et beatissimi Ambrosii, cujus locus iste cella est, bene recepti pernoctavimus; et alteram diem dimidiavimus; et ante solis occasum ecclesiam S. Pauli domumque nostram intravimus, atque familiam, quæ ibi aderat nostram, lætam fecimus. » Bellum tunc contra Laudenses Mediolanensibus erat; de quo agens Landulfus apud Puricellum in Monumentis pag. 528, « innumera mala quæ operata sunt per quatuor annos in ipsa guerra non enumero, inquit, sed mortem Anselmi germani mei, et aliorum multorum propinquorum meorum ac civium, per illam guerram manifestatam lugeo; nec cœptum iter penitus desero. Quia dum civitas illa Laudensis adhuc staret, et resisteret, Mediolanensibus conantibus eam destruere, Grossulanus a Mediolano exsulabat, et Laudensis ille Ardericus suam civitatem perraro intrabat, sed Mediolanum frequentabat : presbyter

Digitized by Google

vero Liprandus, in sua domo suaque ecclesia [vicina] S. Pauli ecclesiæ, consolationem regni et Ecclesiæ exspectabat. »

18. Nec frustra exspectavit : anno siquidem 1111 Octobri mense occasione sic excrescentium per continuam pluviam fluminum, « quod non solum villas, sed et ipsam civitatem mirum in modum perturbarent; » et quidam dicerent, « discordiam de Grossulano esse malitiam altero diluvio dignam; » ad eam finiendam electi octodecim viri, omnes sic jurarunt : « Usque adistas Kalendas proximi Januarii concorditer dabimus justam et rectam sententiam secundum canones, de discordia Grossulani si possit esse archiepiscopus Mediolani, sive non; et si non poterit esse, de alia persona faciemus concorditer catholicam electionem in eodem die : » eamque « sententiam tenere » similiter jurarunt, qui uerunt ab eis nominatim ad hoc petiti, sacerdotes, milites. « Sed cum in ultimo die Decembris, » inquit Landulfus in Monum. p. 541, « Ardericus ille» relictus a Grossulano, Hierosolymam profecto, in civitate vicarius, « et septemdecim alii essent in concordia eligendi Jordanum; ego jussu Andreæ, primicerii presbyterorum Decumanorum et clericorum Mediolanensium, ad eos veni; et ut ipse primicerius mihi præcepit, eis dixi, quod male consiliati erant. Verumtamen ipsi consilium non mutaverunt; sed mane facto, videlicet Kalendis Januarii » anni 1112, uti porro legitur apud Puricellum ex Landulfo in Vita Herlembaldi pag. 412. « Ardericus idem cum vicedomino et cæteris sibi conjuratis... pulpitum ascendit; et facto silentio in populo, coram illa maxima multitudine loquens, dixit : Nos, salva reverentia papæ, secundum auctoritatem et justitiam canonum, dicimus quod Grossulanus non potest esse archiepiscopus Mediolani. Isto dicto et confirmato, illico presbyterum Jordanum de Clivi elegit in archiepiscopum.

19. « Hoc cum presbyter Liprandus audivit, ægrotus e lecto surrexit, et in altera die illi electo piscem obtulit, dicens : Gratias Deo, quod nunc mihi testimonium perhibetis. Sed hi qui te elegerunt in archiepiscopum, male fecerunt, et Deus illis misereatur; quia tu posses esse unus bonus presbyter de claustro, nunc autem masculus (*sic*) esto. Cum autem electus ille, nec aliquis ex tot circumstantibus, ipsi presbytero respondisset, presbyter ipse propinquius accessit, et osculatus Jordanum, sicut unum de cæteris sacerdotibus, reliquit. » Februario deinde mense, Jordanus a suffraganeis Landulpho Astensi, Arialdo Januensi et Mamardo Taurinensi consecratus fuit, utique assentiente *Paschale* papa, et tandem in *Grossulani* depositionem consentiente per sententiam, qua « prohibuit Grossulanum Mediolanensem Ecclesiam inquietare, et ad episcopum » Saonensem, cujus olim sumpserat possessionem, « dixit eum redire; » addita ratione, quod cum « translationes episcoporum duobus fieri modis » possint, appareret manifeste Grossulani « translationis utilitatem quæ videbatur, in animarum et corporum damna conversam. » Peracta igitur consecratione Jordani, « Mamardus Taurinensis illico Romam adivit, et stolam petiit; et rediens inde stolam et chartam, continentem sacramentum quod papa poscebat a Jordano, attulit; alioqui stolam dari Jordano papa prohibuit, sicut idem Mamardus notavit. At Jordanus per sex menses jejunus fuit, et stolam non habuit. »

20. Tunc, ut refertur pag. 145, « presbyter Liprandus, in summa sua senectute positus, » inquit ejus nepos Landulfus, « mihi ait : Video te aliquantulum super me erubescere propter ea quæ adversum Grossulanum dixi et feci. Sed ut minus idem erubescas, vero dico tibi, quod ego illam causam reservo soli Deo omnipotenti, et dum superest spes, multum desidero hujus mundi vitam meam finire in manibus eorum, quorum protectione corpus et anima, præstante divina gratia, protegatur a manibus eorum, qui protegendo Grossulanum, voluntatem Dei occultare voluerunt et volunt. De ecclesia autem ista Mediolanensi, in qua consulis mihi manere et vitam finire, dico, quod illa est mihi, cupienti Hierosolymam adire, ceu navis sine nauta et remige in portu putrescens; quod si vixeris secundum ætatem tuam, eam talem experieris. Hujus mei magistri consilium sequens, cum vellem prorsus dimittere Jordani administrationem delatus est ipse presbyter ad Pontidii monasterium, me nesciente. » Est illud, teste Puricelio pag. 419, trans Adduam fluvium, S. Jacobo nuncupatum, cujus sellus nomine notatur in mappis ad 30 m. p. Mediolano. Fundator ejus Albertus anno 1095 obierat, adeoque recens ibi adhuc disciplina erat. « Presbytero autem Liprando posito in Pontidii monasterio, fama de Grossulano, redeunte ab Hierosolymis, aures Jordani et ordinariorum ejus implevit; et Mamardus Taurinensis episcopus iterum Mediolanum venit; atque stolam, quam in præcedenti Junio » (ita legendum, non autem ut habet ms. res ipsa loquitur) « sine sacramento Jordano dare noluit, neque dedit; nunc, videlicet in festo S. Nicolai, quando presbyter Liprandus Pontidium intravit, super altare S. Ambrosii posuit : et Jordanus, osculans eam de ipso altari sumpsit : quæ positio et assumptio, absentibus ordinariis et primiceriis, facta fuit.

21. « Presbyter » autem « Liprandus, in » isto « monasterio, coram monachis et fratribus, a festo S. Nicolai usque ad festum Epiphaniæ Domini, » anno 1113, « splendide, » id est cum magna ædificatione, « vixit, atque in ejusdem festivitatis nocte, quando spiritum emisit, magnus et suavis splendor domum in qua jacebat, admirantibus circumstantibus, illustravit, et sic ipse prædixerat fratribus. In illa hora, quando corpus ejus efferebatur ad sepulcrum, solis splendor aerem illuminavit; et nubes cum nive cessavit. Ipso quoque presbytero existente in vita, cum Grossulanus et cæteri Grossulanistæ

Digitized by Google

calumniabantur cum et suam legem ; nobilis miles Placentinus de faucibus mortis, ad laudem ejus ereptus est. Quia, cum miles ille esset quasi in somno, sensit hunc presbyterum palpare guttur suum; et statim evomuit os piscis, quod suffocabat eum. Eodem etiam tempore cum domus cujusdam affinis et sibi attingentis, arderet, repente imber fuit, et paleam et domum ipsius presbyteri integre servavit. Quod si currerem per singula quæ fecit, ad laudem ejus, deficeret spiritus meus... Sed Deus, qui per omnia sæcula vivit et regnat, nunc et semper, animæ ejus benedicat. Amen. »

22. Hactenus Landulfus « Liprandi presbyteri » ex sorore nepos, a Puricello transcriptus, partim in Monumentis Ambrosianæ basilicæ, partim ac præcipue in lib. IV De SS. Arialdo et Herlembaldo, quorum librorum citavi paginas, quoniam ipse auctor hactenus ineditus manet, æque ac Historiæ Senioris Landulfi et Arnulfi, a Puricello promissæ quidem et luci paratæ, sed nunquam editæ, quod equidem sciam. Cæterum nec ipse nec alius quisquam meminit ullius cultus Liprando ut beato post mortem impensi ; sed neque superesse videtur in ecclesia Pontidiensi intra vel juxta quam sepultum opinari licet, monumentum defuncti ullum; quando nihil hujusmodi adducit Puricellus, omnia huc spectantia studiosissime scrutatus. Mihi tamen ad diem præcedentem, ubi actum de S. Davide solitario Thessalonicensi, Papiam verosimiliter translato, conjectura venit, illuc Pontidio translatum etiam corpus aut ossa quædam « Liprandi presbyteri ; » siquidem inter reliquias, istic repertas apud sepulcrum regis Luitprandi, anno 1514 die 24 Julii, præter « ossa et cineres ipsius S. David, » censetur etiam aliqua « S. Thomæ martyris et S. Liprandi, » nec facile est alium hujus nominis invenire, cui potuerit datus fuisse titulus sancti.

SANCTI ARIALDI

CONCIONES II

AD CLERICOS MEDIOLANENSES.

De continentia sacerdotum.

CONCIO I.

(Exstat cap. 1, num. 8, Vitæ Arialdi supra editæ.)

CONCIO II.

(Vide in Chronico Landulfi Senioris, Patrologiæ tom. CXLVII, col. 935.)

CONCIO

Ad Alexandrum papam, natione Mediolanensem, ut Herlembaldum Vexilliferum Ecclesiæ faciat.

(Vide ubi supra, col. 917.)

Digitized by Google

ANNO DOMINI MLXXII.

SANCTUS ANNO

COLONIENSIS ARCHIEPISCOPUS.

VITA SANCTI ANNONIS

Scripta graviter jussu Reginhardi, Sigebergensis cœnobii abbatis, a quodam, qui tamen nomen suppressit suum : satis autem indicat se Sigebergensis cœnobii monachum fuisse.

(Surius, *Acta sanctorum*, 4 decemb.).

PROLOGUS.

Fides historiæ hujus. Cum nonnullis id consuetudinis sit, reprehensioni magis, quam emendationi fraternæ operam dare; cumque sint et alii, partim invidi, partim rerum ignari, qui contraria sentiant de iis, quæ propositi operis series pollicetur : ea nobis utique consolatio est in descriptione vitæ sancti Patris Annonis, quod obedientiæ non levis necessitas ad hoc nos impulit : et quod is laudes ejus declamaturus in medio testis habetur, quem et devotionis puritas, et rerum notitia urgent in idipsum : quem et auctoritas tanta roborat, ut etiam sit idoneus per se fidem facere eorum, quæ aliunde testibus vacant. Hic est, inquam, Pater Reginhardus, cœnobii Sigebergensis venerabilis procurator, [*i. e.* abbas], qui formam scribendorum tradens, ita me suorum ultimum huic operi subjugavit, ut cum verbis propriis utar, ejus omnino sensum sequar : sicuti moris est puerilis, elementa prima tentantibus, id sonare, quod prius vox monitoris præmiserit. A Ejus est impositi laboris merces, ipse legentium profectibus singulariter coronabitur : nobis nihil hic debetur, præter quod dum obedientiæ voto præcipienti concordavimus, suis participari præmiis, aliquod spei patrocinium habemus. Quisquis ergo non immemor animalis bruti (*Num.* xxii), quondam in nostra verba divinitus prorumpentis, hanc vel auribus dignatus fuerit historiam, credo, non valde personæ, vel verborum vilitate movebitur, dummodo narratio tota illi serviat, quem in sanctis suis laudare « juvenes et virgines, senes cum junioribus (*Psal.* cxlviii) » per Psalmistam et monemur, et præcipimur. Cæterum de prolixitate nemo causetur. Quem diligimus et veneramur, cujus eleemosynis et patrociniis die noctuque sustentamur et regimur, honore digno nunquam a nobis recompensabitur. Quod et ipsum de suo quemque patrono, si devotus est, sentire non dubitamus.

LIBER PRIMUS.

I. *S. Annonis parentes. S. Anno puer studiis militaribus adhibetur. Avunculus ejus persuadet ei ut fiat clericus. Mire proficit in litteris.* Anno generis et patriæ suæ decus, sideribus ipsis meritis altior, ex Alemannorum populis duxit originem. Pater ejus Uvalterus, mater Engela dicebatur : ambo studio religionis insignes, illamque, qua sæcundum sæculum non adeo celebrabantur, claritatem, cum essent tamen ex ingenuis ingenui, nobilitate quæ est ad Deum, valde transcendentes. Horum in filios et filias fusa fecunditas, posteritatis suæ satis inclytam produxit familiam, aliis eorum in ecclesiasticas, aliis in sæculares sublimiter transeuntibus disciplinas. Amplius autem bonæ suæ indolis generositatem Anno moribus, ingenio formaque commendans, cunctorum oculis gratiosus, omnium animis amabilis cœpit haberi. Unde pater magnis exhilaratus gaudiis, licet admodum religiosus esset, dum tamen, ut vir sæcularis animi, pro terreno nomine satagit, eum per exercitia militaria mundo nutrire cœpit. Datusque puer ad hujusmodi studia, didicit hinc interim fortitudinem moralium disciplinarum nobilissimam, dum crebras asperitates patitur algoris, dum inedia, sitique, super hæc et vigiliis æstuat : quæ cuncta in eo fu- B turæ constructioni necessario parabantur. Sed cœlestis pater, qui « quos prædestinat, hos et vocat (*Rom.* viii), » quod ante tempora sæcularia misericorditer in Annone disposuit, in fine temporum immutabiliter adimplevit. De illo quippe veridica voce dicitur : « Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum (*Prov.* xxi). » Eo itaque aspirante, avunculus præfati pueri, Babinbergensis Ecclesiæ canonicus, patriam, propinquos et notos invisere veniens, ubi conscius esse cœpit erga Annonem deliberati patris consilii, protinus indoluit, ægre ferens tam egregiæ indolis infantiam mundanis primitus conficiendam negotiis, ac non potius, quod futurum erat ad [ob] multorum profectum, ecclesiasticis informandum disciplinis. Quapropter explorata opportunitate, secretius conveniens puerum, et blande complexans, sic interrogat : Quibus studiis, quibusve occupationibus, Anno fili, inservis? Eo dulciter et innocenter arridente, C avunculus sermone, tantillo satis congruo puerulo, de cœlestis regni gloria, vel pœnis inferorum breviter præmisso, subsequenter intulit : Placetne tibi servitus Omnipotentis, et clericalis ordinis disciplina vel habitus? Quod cum ille libenter annueret, avun-

Digitized by Google

culus ex abundanti lætitia gratiarum vota corde et ore Deo persolvens, sic demum conversus ad eum, ait : En ego proxima luce recessurus, professionis et ordinis mei locum, Deo prosperante, quantocius adibo : tu vero, fili, domesticis abjectis impedimentis, clam patre tuo discedens, in itinere me transcuntem præstolare, hoc certum mente habens, nunquam te ab illo descrendum, sub cujus protectionis alas nunc confugis, quoadusque in spem et gloriam tutius generis tui, non modo temporalibus, sed et æternis in cœlo commodis et dignitatibus amplificeris. Quid plura? Anno puer non pueriliter aufugiens, ut præmonitus fuerat, inter fruteta salicum delituit, donec a prætereunte furtim sublatus avunculo in schola Babinbergensium, qui tunc temporis disciplinæ, religionis ac studii fervore cunctis in Germania præpollebant, succiduis temporibus magnum Ecclesiæ documentum futurus, ad litteras positus est. In quo studio per incrementa temporum, accrescente simul ardore discendi, ope et gratia comite illius intimi magistri, de quo Veritas testatur, « Spiritus ubi vult spirat (*Joan.* III) : » maximas humanorum divinorumque voluminum acris ingenii adolescens hausit divitias, unde postea suo tempore creditis sibi populis eructaret nova et vetera. Quidquid ad exercendum ingenium, quidquid ad nobilitandos mores competens, et jucundum auribus vel oculis sese offerebat, statim ut apis prudentissima ingeniose perlustrans, alveolo cordis intulit, et suis quandoque armis Goliath infandissimum jugulaturus (*I Reg.* XVII), jugi meditatione torrentes eloquentiæ sæcularis, quasi per naturam victor obtinuit.

II (1). *Mire proficit in litteris. Ab Henrico imperatore in palatium asciscitur. Forma corporis ejus.* His et hujusmodi profectibus in altum velut cedrus Libani succrescens, ubi robur virilis ætatis ingressus est, magister scholarum inibi effectus, probitatis suæ et virtutum ramos longe lateque per ora multorum cœpit extendere. Episcopos accersitus adiit, nec latuit principes : a quibus pro sua reverentia in amicitiam admissus, Henrico tertio Romanorum Augusto facile innotuit. A quo in palatium assumptus, brevi apud eum præ omnibus clericis, qui in foribus palatii excubabant, primum gratiæ et familiaritatis locum obtinuit : hoc præcipue diligentibus in eo omnibus bonis, quod justi ac recti admodum tenax esset, atque in causis omnibus pro suo tum statu, non adulando, ut cæteri, sed cum magna libertate obloquendo, justitiæ patrocinabatur. Erat autem præter virtutes animi et morum gloriam, corporis quoque bonis ornatissimus, statura procerus, vultu venerandus, lingua promptus, vigiliarum et inediæ patientissimus, postremo ad omne boni operis exercitium naturæ muneribus affatim instructus. Cui de virtute in virtutem, instar auroræ in ascensu suo, procedenti, sicut apud Deum crevit sanctitas, sic item de gloria in gloriam, de honore ad honorem in dies proficienti, apud homines accessit auctoritas. Actum est hoc non humano arbitratu [libitu], sed consueta Dei providentia, qui sciens lucernam suam celeberrimo in candelabro ponendam, ut luceret (*Matth.* V) omnibus Ecclesiæ filiis, ne repentina exaltationis ejus novitas miraculum duntaxat gigneret, non lætitiam, meritorum ejus lucem ante voluit mundo declarare, quatenus eo fructuosior ejus fieret promotio, quo et gratior : quod et factum est.

III. *Anno* 1055 (2) *fit Coloniensis episcopus.* Denique exactis in palatio haud multis annis, magna imperatoris, magna omnium, qui eum noverant, exspectatione adeptus est Agrippinæ, quæ et Colonia, nobilem sedem, Hermanno, nominis hujus præsule secundo, ante paucos dies ex hac luce subtracto. Ad quem in lecto mortis jacentem cum idem venerabilis vir imperatoria legatione transmissus, post salutationem mandata regis absolvisset, et jam ad hospitium remeasset, testantibus qui aderant, idem pontifex dixisse fertur, et se ocius mortis jura subiturum, et Annonem vice sua Coloniam suscepturum. Atque illo post hæc verba obeunte, tametsi jam Annonem velocius regredi necessitas regalis negotii perurgeret, non immemor ille tamen bonæ suæ consuetudinis, funeri ejus, quousque terræ mandaretur, magna cordis contritione obsequebatur. Legerat enim, et opere, quoad vixit, semper implevit : « Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii (*Eccle.* VII) » : laudabile satis, imo necessarium cunctis inculcans exemplum : quoniam, sicut illic scriptum est, « in illa finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit (*Ibid.*). »

IV. *Colonienses ægre eum suscipiunt. Coloniensis Ecclesia quantum sub illo creverit.* Per id tempus imperator apud Confluentiam morabatur, e ecce adsunt optimates et capita populi Coloniensis, baculum episcopalem regi restituentes, inque locum defuncti idoneum successorem supplici prece unanimiter postulantes. Tunc, ut in his rebus fieri certum est, aliis atque aliis hac vel illac pro libitu suo vel commodo, promissis, consiliis, seu precibus regem sollicitantibus, Deus arbiter summus in cujus manu cor regis est, et quocunque voluerit, vertit illud (*Prov.* XXI), non in alium, quam in solum Annonem, sententiam regis et voluntatem deduxit, laudantibus aliis, aliis non sine felle reclamantibus. Suscepit itaque regiis ex manibus virgam pastoralem, patris et magistri figuram prætendentem : suscepit et annulum in dotem fidei conservandæ ad Deum et ad sponsam suam sanctam Ecclesiam. Nec mora, in similitudinem Moysi, dux salvandorum populorum Coloniam ingressus, protinus caninis rictibus oblatrantes audivit : « Quis iste est, vel quis eum constituit principem et judicem super nos? » (*Exod.* II.) Simulque pollutis et nefariis labiis clarum nomen divæ memoriæ Brunonis archiepiscopi præferentes, ejusque facta quasi in ipsius laudem, re autem vera in derogationem Annonis sinistro corde jactantes, iterum iterumque tumultuose vociferabantur : Quis iste est, et ubi sunt illa, quibus amplificaturus est Coloniam? Hoc illi dixerunt, genimina et sequaces eorum, qui viperea lingua Dominum Salvatorem fabri filium conviciabantur (*Matth.* XII, XIII) : nobis autem et cunctis deinceps sæculis luce clarius constat, ex quo Colonia fundata est, unius nunquam episcopi studio (salvo Brunonis, ut ita dixerim, privilegio) tantum opes et gloriam crevisse Coloniensis Ecclesiæ. Sed his in locis suis plenius dicendis, nos historiæ vestigia insequentes, cœptæ narrationi operam demus.

V. *Anno* 1055, *quinto Nonas Martii, ordinatur episcopus.* Igitur auctoritate simul et metu regiæ majestatis pressi, qui quasi contra montem seu impetum fluminis niti frustra proposuerant, tandem necessitatem in voluntatem vertentes, in consecrationem electi pontificis communiter consenserunt. Fit conventus episcoporum, ac totius ecclesiastici ordinis virorum, procerum quoque frequentia cum ambitione nimia, diversi etiam sexus et ætatis ingens populositas : quos omnes sua benedictione, sua gratia per servum suum Annonem Christus Dominus ea die relevaturus, cum angelis advenerat, sanctis omnibus pro concive cœlitus destinato congaudentibus. Producitur interea ordinandus ante altare, vestibus sacris induitur, olei sacri liquore perfunditur, et vere larga sancti Spiritus infusione repente mutatus in virum alium, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo quinto, quinto No-

(1) In hoc capite quædam ad verbum accepta sunt ex Lamberto Schafnaburgensi.

(2) Bar., Marian. Scotus et Sigeb. hoc anno. Lamb. Schaf. et Herm. Contract. anno 1056.

Digitized by Google

nas Martii, ponitur cathedra episcopali, ad regendam sanctam Ecclesiam et plebem universam. Jamque instabat hora sacrificii singularis, cum ecce pontificalibus insignitus ornamentis, accessit ad altare pontifex summus, vere sacerdos et hostia Christi. Ubi quanta compunctione, quanta cordis contritione ministerium illud peregerit, quis sufficiat explicare? Totus enim in lacrymas fusus, tanti sacramenti vim in seipsum excepit, mirantibus nonnullis immensitatem lacrymarum, et cum gemitu quodam et suspirio, simulque pectoris tunsione, cordis illius secreta per hoc rimantibus. Ad cujus preces cœlum tunc patuisse nulli dubium, cum et ob hoc ipsum misericors et miserator Dominus eum posuerit, ut pro sui gregis excessibus intercedens, in tempore iracundiæ fieret reconciliatio. Postquam vero missarum solemniis cum benedictione pontificali finitis, conventus ille solutus est, ipse deinceps in omnibus tam ecclesiasticis, quam reipublicæ negotiis haud imparem se acceptæ dignitati gerebat, et sicut editioris loci insignitus, ita cunctis virtutum generibus inter cæteros regni principes conspicuus incedebat. Reddebat sollicitus, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo (*Matth.* XXII): quia Coloniensis nominis majestatem et sæcularem pompam ambitiosius pene, quam aliquis ex præcessoribus ejus, ostentabat ad populum : nec propterea tamen invictum inter tantas occupationum procellas spiritum, unquam relaxabat a studio divinarum rerum. Jejuniis non adeo, quam legitimis, se macerabat, sciens scriptum : « Omnia munda mundis (*Tit.* I) : — et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur (*I Tim.* IV). » Pernoctabat plerumque in orationibus, et per ecclesias, paucis ac certis comitibus, interdum uno tantum puero contentus, discurrens nudis pedibus, nonnunquam etiam cilicio ad carnem indutus, flens procedebat. Et diem quidem in disponendis privatis seu publicis negotiis, noctem vero totam in Dei opere expendebat. Nam tunc pœnitentiam agere, errata confiteri, commissa deflere, ob corporalis quoque flagelli castigationem, inferioris personæ manibus tantus pontifex humiliare se non erubuit. Multa illius in pauperes, in peregrinos, in clericos, in monachos beneficentia, mira liberalitas erat. Nullam intra diœcesim suam congregationem prætermisit, quam non aut prædiis, aut ædificiis, aut stipendiis sua specialiter donatione auctam vita decedens reliquerit. In judicandis causis subditorum nec odio, nec gratia cujusquam a vero abducebatur : sed semper in omnibus propositam indeclinabiliter sequens æquitatis lineam, ad evertendum judicium nec considerabat personam pauperis, nec honorabat vultum potentis (*Levit.* XIX). Cujus rei idoneum satis et evidens subjicimus exemplum.

VI. *Præclarum eximiæ humilitatis et virtutis in imperatore exemplum.* Rex Heinricus, Romanorum patritius, sceptra regalia moribus, prudentia et gloria regaliter obtinens, ac justissimis legibus tam in divinis, quam in humanis administrans, ita se exterius agebat ad populum, ut sui tamen non oblivisceretur interius. Considerans enim tanti nominis majestatem longe suis præcellere meritis, nunquam insignia regalia sibi præsumpsit imponere, nisi clam confessionis ac pœnitentiæ, verberum insuper satisfactione, licentiam a quolibet sacerdotum suppliciter mereretur (3). Ergo tempore quodam magna imminente festivitate, cum pontifices, duces ac comites, cujuscunque alius dignitatis seu ordinis viri, regiam undique properarent ad curiam, cum et ipsum mos et honor impositus trabeatum exigeret procedere, non inscius sanctitatis et vitæ probatissimi inter præsules Annonis, ut suæ consuetudinis servaret institutum, supplex et pœnitens eum cœpit adire. Mox sacer antistes auctoritate plenus, tali in negotio imperialem parvipendens magnificentiam, sicut parcere solitus erat inopi et pauperi, sic opportunitatem adeptus, misericors sine misericordia sævire cœpit in principem. Nam vehementissimis illum invalens correptionibus, quidquid animo pro justitia concitato se obtulit, libere et constanter effabatur illumque durissimis verberum plagis affli ctum, non aliter ea die coronatum incedere consensit, quam prius manibus suis triginta tres argenti libras in pauperes expendisset. Nec abnuit imperator, sed cuncta eo ordine, quo dicta sunt, superni Judicis respectu et passus est, et fecit : sicque demum more suo indutus processit. Miranda sane constantia præsulis, nec minus laudanda humilitas principis : porro in utroque timoris Dei imitanda perfectio. Et quia se occasio præbuit, licet per digressionem, de ejusdem regis morte, in qua omnis injustitiæ frena laxata sunt, inferre libet mentionem, ob id præcipue, quoniam virtus non minima hic occurrit Annonis, quem prophetiæ spiritu subinde floruisse veritas ipsa diffamavit.

VII. *S. Anno prævidet regis mortem. Victor pontifex venit Goslariam, quæ est Saxoniæ urbs. Obitus Henrici imperatoris. S. Anno nutrit filium ejus.* Quibusdam simultatibus inter ipsum et regem fraude malignantium obortis, cum rex mentem, quam conceperat in archiepiscopum, mandatis solito durioribus detexisset, præsul ad audientiam veniens, ratione et justitia pro causa sua agere laboravit. Cui facultate erepta hac progrediendi via, tandem in hæc verba prorupit : Rex excellentissime, cœlestis Regis intuitu, cujuscunque discordiæ aut odii malum vel hoc anno non prævaleat inter nos, quandoquidem anno proximo quid nos maneat, mentium nostrarum nunc penetralia latet. Quæ dicens, regem, quem præsciebat hoc ipso anno moriturum, emendationis vitæ nisus est ad semitam reducere. Sed crescentibus per dies aliis atque aliis ex causis discordiarum spinis, iterum curiam adiit in Goslaria, quo per idem tempus, magna totius regni principum expectatione, venerabilis papa Victor, qui et Gebehardus, convenerat. Illic compositis utrorumque animis in prioris amicitiæ statum, discessurus archipræsul, sic scisciatus est regem : Nunquid dilectionis et gratiæ vestræ recedens amodo certus ero? Id rege haud aliter se habere testante, subjunxit atque ait : Scio, scio non nos mutuis in hoc corpore deinceps fruituros aspectibus, quorum alter in mortem cito rapietur, alter adhuc in certamine relinquetur. Idcirco valere vos optans, quia satis fructuose satisque salubriter animæ vestræ Coloniam disposueritis, ipse qualiscunque pastor ejus hoc in Deo præsumens polliceor. Rex protinus metum, quem conceperat, pallore vultus insinuans, in quem ista dicerentur, vehemens perquisitor fuit. Vos, ait, hæc tam tristis exspectatio manet. Quod utique rex ipse, velociter finiens vitam, verum fuisse declaravit. Eo autem viam universæ carnis ingresso, fidei et devotionis affectu non minus defuncto, quam viventi, sacer præsul assistens, jejuniis, vigiliis, orationibus et eleemosynis, spiritualibus videlicet remediis, animam divinæ bonitati reconciliare non cessavit. Instituit præterea annualem ejus memoriam agi Coloniæ ipse quandiu vixit, nunquam illius specialiter immemor. Ejus quoque filium, nominis et regni hæredem, ad honorem imperii et ecclesiæ provectum suscepit nutriendum, multorum propter hoc invidiam contra se accendens. Sed non destitit in laborando spe fructus percipiendi, regaliter puerum nutriens, sublimiter erudiens, adeo ut ipsius postea testimonio, vir in toto regno profundioris animi illo non inveniretur. Fecit et hoc olim Joiada pontifex sanctus in rege Joas (*II Paral.* XXIV) : sed non

(3) Hujusmodi piam imperatoris consuetudinem cum improbarit quidam, pro ea scripsit Petr. Damiani epistolam apologeticam.

Digitized by Google

dissimilem bonitatis suæ retributionem, ut ille, sic et hic proh dolor! consecutus est. Verum his sepositis, ad vitæ ejus instituta describenda stylum vertamus.

VIII. *Crebro concionatur. Multi confluunt ad audiendas conciones ejus.* A primis ordinationis suæ temporibus, congruum et vere dignum officio suo opus arripiens, juxta docentis Apostoli monita : « In omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple (*II Tim.* IV) : » omnem episcopatus sui parochiam perlustravit, homines fidei ac pene totius religionis ignaros, solo autem nomine Christianos, assiduis prædicationibus ad catholicæ pietatis cultum informans, breviter et aperte complexus, quid credi, quid sperari, quidve amari oporteat. Imperavit dein auctoritate pontificali, suasitque pietate paterna, singulos auditores hæc eadem domi suæ evangelizare, bonam illis pro hoc a Deo vicissitudinem pollicens. In quo eousque profecit, ut pueri quoque teneros infantiæ annos necdum egressi, fidem, ut asserunt, beati Annonis invicem discerent, invicem docerent et ex ipsa boni studii assiduitate, singulis eorum eam mane vel vespere coram Deo pronuntiandi quasi lex inoleverit. Habebat autem hoc insigne meritorum suorum apud homines indicium, quod quoties prædicaturus in publicum processisset, tantis subito lacrymis immaduit, ut omnium corda ad miserationem commovisset : tum melliflua, et compunctione plena verba profundere, clementiam Dei propouere, justitiam non tacere : hortari bonos, ut ad meliora proficerent : malos, ut ad perpetrata cessarent, omnes in commune, ut se reos clamarent, ac pro totius mundi necessitatibus communem Dominum invocarent. Quis unquam vel saxei cordis Annonem in ecclesia loquentem audiens, a lacrymis valuit temperare? Denique ab exteris etiam et remotioribus provinciis, ob solam indulgentiæ et doctrinæ ejus famam, plurimi confluxerunt, omnibus deliciis præferentes Annonem audire, divitias incomparabiles æstimantes, ejus indulgentia relaxari, ejus benedictione præmuniri. Præterea pietate et misericordiæ operibus nullo erat inferior. Nam agricolas et debitores redditiuum, antecessorum suorum nimietate vel superfluitate gravatos et prope nudatos intelligens, exactoribus ut parcerent jussit, singulis vel totum, vel ex parte, prout opus erat, remittens. Pauperum, peregrinorum et infirmorum prima illi et perpes erat sollicitudo, imitanti eum, qui dixit : « Estote misericordes, sicut et pater cœlestis misericors est (*Luc.* VI). » Illucescente enim primo surgentis diei crepusculo, ecce velut examen apum, turba egenorum undecunque convolans, ejus quotidie fores obsedit, sufficientia alimenta hora statuta singuli percepturi. Inter quos omnes miserrimi quique numero viginti quatuor perscrutati, seorsum congregabantur. Ante quorum pedes humillime procumbens pontifex summus (1), postquam lavit ac tersit, osculum quoque cordis et oris impressit, necnon manibus aquam infudit. Consummato ministerio humilitatis, versus est ad opus charitatis, cum cibo et potu unicuique nummum porrigens. Jam vero imminente hora et necessitate, ubi et ipse consedit ad mensam, more solito, quotquot supervenerant, introducebantur ante eum ad convescendum peregrini. Tum ex singulis, quæ mensæ erant imposita, partem prope deciman colligens, pro reficiendis hac et illac per urbem ægrotis in locum unum separavit. Postremo mensa submota, surrexit vere pater orphanorum, vere judex viduarum, et tanquam diceret : « Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum (*Matth.* XIX) : » acclinans se, manu propria cibavit pupillos, refecit orphanos, aluit filios pauperum, delicatioribus escis ex mensa per seipsum in hoc reservatis ; præterea matribus eorum, familiarius suas illi miserias conquerentibus, necessaria misericorditer impendens. Cum enim esset erga cunctos inopes misericors et compatiens, erga pauperculas tamen et earum infantulos speciali quadam miseratione ducebatur. Quod hujusmodi feminæ experimento cognoscentes, explorato nonnunquam tempore, in plateis sese gregatim obtulerunt, parvulos ei suos cum clamore supplices objicientes. Interdum transiens, et præ lassitudine diutinæ expectationis in soporem versos conspiciens ejusmodi puerulos exesos et seminudos, aliquem eorum, quem nec dignum oculis quis arbitraretur, pie ad se adhibens, materna vice exosculari cœpit. Quædam etiam proprios non habentes, alienos infantulos expetierunt, in dubium habentes Annonem erga ipsas misericordiæ motum iri, si talibus onustæ sarcinulis, ejus conspectui præsentarentur. Inter hæc solemnis ei mos erat, vertente semper anno, a vigilia natalis Domini usque ad intactæ genetricis ejus purificationem, per continuos quadraginta dies quamlibet lactantem habere, cujus manibus aquam præbens, ipsemet pedes ac manus parvuli lavit, moxque datis alimentis, solidum unum porrexit. Super hæc et xenodochium Coloniæ construxit, languidos, et debiles, et omni destitutos solatio illuc inferens, deputatis ad eorum subsidia quotidianis stipendiis. Nunquam pauperem se inclamantem absque misericordia præterivit, nunquam veniens ad invisendum egenos, monachos vel canonicos, absque charitatis larga manu remeavit. Sane in Cœna Dominica quam prodigus fuerit, superfluum est memorare, cum nec parcus quilibet ea die manum retrahat ab eleemosyna. Iis omnibus antecellunt numero et admiratione, quæ per nocturnas tenebras, solo Deo teste, rarissimis secretalium suorum duntaxat exceptis, operatus est, cum quibus, ut dictum est, noctu sanctorum limina circuiens, peregrinos et quibus non erat tectum, in porticibus, in angulis vasisque vinariis per plateas expositis, scrutatus est : quos inventos pavit atque vestivit, allato secum pro hoc ipso victu et vestitu.

IX. *Lamentabile cujusdam parturientis spectaculum.* Cumque more consueto per cujusdam noctis silentia pro negotio simili esset egressus, lamentabile et omni miseratione plenum in itinere offendit spectaculum, mulierem, quam ob inopiam nullus hospitio dignabatur, recentis et ipsæ horæ editi infantis partu periclitatam, super nudam humum sese lacrymabiliter volutantem. Erat ergo videre miseriam. Nox tenebris densis vagantem occupaverat, fatigatam tellus cœnosa ac petrosa seminudam exceperat, fame et siti confectam frigus amplius vexabat, nullus mortalium aderat, et ecce, urgente natura, cœpit cruciari, voces emittere, suspiria crebra trahere : tandemque enixam prolem in pulverem fundens, ipsa disjectis hac et illac miserabiliter membris, nil ultra præter mortem exspectabat. Hac ergo miseria quid miserius? Supervenit igitur, ut dictum est, sacer præsul, ac protinus velut ictu sagittæ transverberatus, represso gradu, præ horrore et miseria substitit attonitus : cum ecce gravitate pontificali postposita, instar velocissimi cursoris reproperavit, impositoque humeris suis grabato cum stramentis, celeritate qua venerat, recurrit. Mox abjecto a cervicibus onere, incurvavit se quantocius ad jacentem, puerulum pannis obvolvit, ipsam a terra sublatam in lectulum collocavit, ac propriis extractis vestibus, utrosque diligenter contexit. In eodem loco dispositis pro sustentatione ejus, quousque convalesceret, necessariis, processit vere precum suarum consecuturus effectum, qui tam humili et pio ministerio per horrorem cæcæ noctis in minimis membris suis illi obsecutus est, quem quondam pro nobis incarnatum, Virgo Mater vilibus « obvolutum pannis, reclinavit in præsepium (*Luc.* II). »

X. *S. Ursulam et socias virgines inrisit.* Alia quædam subierat nox, et vir Deo devotus, æstimationis

(1) Observa lector : hic pontifex summus, pro archiepiscopo dicitur

Digitized by Google

humanæ fugiens oculos, venerandos sanctarum virginum cineres supplex cœpit adire. Quod una ex consuetis mulierculis sollicite prævidens, necessitate simul et arte instructa, nescienti hac fraude obviavit. Scilicet præter mendicitatem nil ad indigentiam corpoream certi habens, filiolum suum in facte recenti positum, ante venientis vestigia clam media deposuit in via, seseque inde proripiens, cum festinatione in latebras immersit. Nec mora, sacerdos approximans, ubi primam vagientis infantuli vocem aure percepit, præ dolore totus intremuit, varias animo gerens passiones, unde puer hujusmodi ea hora noctis illic haberetur. Interea velut ad obsequium Christi, sub feno cubantis, impiger accurrens, flexo corpore puerulum a terra suscepit, memor sancti Simonis, qualiter olim infantiam Salvatoris piis ulnis amplexus (*Luc.* II), pacem et salutem sibimet imprecaretur et populo. A cujus devotione in re dissimili et dissimilia sentiens, tali gratulabundus onere ibat cubiculum repetens : illum imitatus, qui relictam piis humeris ad ovilia reportavit oviculam (*Luc.* XV). Confestim autem paterna sollicitudine nutricem parvulo procurans, quem carne non genuit, spiritali regeneratione per baptismum melius regeneravit : quem et a fonte sacro suscipiens, Annonem post se nominavit, singularis patrocinii spem ante Deum in illo sibi providens.

XI. *Quidam ei necem moliuntur.* Hæc igitur quotidiana viro Dei institutio, hæc incessabilis sollicitudo, hic labor, hoc studium. Cumque talis esset, qui verbis beati Job dicere posset, « Oculus fui cæco, et pes claudo : pater eram pauperum (*Job* XXIX)—et cor viduæ consolatus sum : et cum sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator : quia ab infantia crevit mecum miseratio, et de utero egressa est mecum (*Job* XXXI) : » conspirantibus quibusdam æmulis justitiæ, quorum nequitiæ complices hodieque fidem derogant Annonis sanctitati, quadam nocte ad similia devotionis suæ opera progressus, insidias perpessus est. Furioso enim impetu venientem invadentes, furem criminabantur, objicientes et alia, quorum ipsi sibimet conscii, et alienam sugillationem sine difficultate poterant erumpere. At sociis episcopi hæc refellentibus, et sacrilegium esse dicentibus, clericum orationis gratia transeuntem his conviciis agi : illi procacissimo responso fictum arguentes, ac prioribus pejora subjicientes, linguis venenatis manus sanguine plenas mox adjunxerunt : non sine retractione seu bestiæ ferocissimæ in innocentem sævientes, cum eum birro violenter spoliassent, correptum crinibus in cœnum protraxerunt, pugnis graviter insistentes. Ejus quoque comites cum insania simili non minus affecissent, furore satiati alacres recesserunt, illorum participes effecti, de quibus scriptum est : « Qui lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis (*Prov.* II). » Sed concepta semel invidia, modum nescit imponere malitiæ. Unde supradicti maleflci majorem vesaniam spirantes, horreo dicere, necem archiepiscopo moliebantur, insidiis ei non semel, nec bis compositis, facinus exsecrabile, nec minus lamentabile, si copia daretur, perfecturi : quippe qui nec ipsi bonorum omnium capiti parcerent. Quod cum familiaribus et amicis episcopi certius innotuisset, nunc quidem gaudium de ejus adhuc ereptione gerentes, nunc vero horrorem consideratione tanti periculi non ferentes, cum sacramento testati sunt se minime sinere illum amplius taliter egredi, ne forte exstingueret lucernam Israel. Eorum vero consiliis et precibus persuasus, numerum orationum singulis in locis habendarum, deinceps in lecto recubans, vel in unaqualibet ecclesia consistens, nihilominus persolvebat. Abhinc quoque tale quid excogitavit, unde non injuriæ suæ, sed justi zeli sollicitis pastoribus esset imitatio.

XII. *Animadvertit in homines flagitiosos.* Sciens quorumdam profanos et incestuosos opera libidinis per noctem discursus, zelo justitiæ inflammatus, nefariæ commistionis homines deprehensos, ad exemplum omnium decalvari ac decoriari publice mandavit, presbytero cuidam ex familiaribus suis hujuscemodi potestate concessa : cui jugis imminebat ex obedientia necessitas, ab incipientibus noctis tenebris ad sequentis exordia lucis tales excursus observare. Nonnullas tamen illarum, quibus proh pudor! castitas venalis erat, ad se accersitas verbis castigans, donis quoque demulcens, vel ad continentiæ propositum, vel ad honestæ copulæ conjunctionem deduxit, animas earum a morte salvans (*Prov.* X) per charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum (*I Petr.* IV).

XIII. *Ædem undecim millium Virginum adit. Confessio sacramentalis quid præstet. Tuetur mira humanitate famam lapsæ cujusdam.* Sunt quamplurimi sepulcris dealbatis simillimi, qui Pharisæorum more de sanctitatis munditia foris tumentes, cum sint ossibus mortuorum intus pleni (*Matth.* XXV), erga peccantes vel infirmiores quoslibet non compassione, sed conviciosa quadam dedignatione feruntur ; qua profecto peste Anno, suis in oculis humilis, nunquam laboravit. Siquidem nocte quadam, profundis tenebris omnia circumdantibus, ipse more suo sanctarum virginum limen ingressus, aliquem secessit in angulum, quo secretius stans, precibus obnoxius inserviret. Illic una ex consororibus in facie jacens, crebris singultuum et internorum gemituum vocibus, divinæ miserationis aures ferichat, amarissimis lacrymis ac pectoris tunsione, perpetratam nuper carnis delectationem graviter deplorans. Cumque immanitas piaculi stimulos compunctionis ei excitasset, acriores tamen reddidit jam jamque intumescentis uteri conceptus : quoniam etsi per emendationem vitæ sequentis, de benignitate pii Salvatoris præsumebat, humani tamen improperii confusionem per sæcula se habituram, querelis miserrimis non tacebat. Hac itaque gemina tribulatione inenarrabiliter angustata, spe collecta, viribusque resumptis, solum humanæ miseriæ perfugium, eum scilicet, quem et offenderat, misericordem Dominum nostrum corde et ore, lacrymis instar rivi currentibus, pulsabat : ut qui quondam pro peccatoribus natus, et pro peccatoribus mori dignatus fuerat, etiam suæ solita bonitate succurrens infelicitati, sic facinus admissum remitteret, ut ignominiæ publicæ derisionem evaderet. O bonitas auctoris, o clementia Salvatoris : qui natura bonus, et potestate immensus, cum nunquam humani cordis lacrymas absque misericordia valeat intueri, consolationem quoque juxta suam magnificentiam desperatis subministrat ! Cum enim talibus incumberet mulier afflicta clamoribus, ea inscia, pius sacerdos, quasi missus a Deo, retro consistens, aure diligentius adhibita, omnia plangentis ac deprecantis verba percepit : nec erat difficile, tantæ contritionis causam conjicere. Tandem signorum pulsatione nocturnales ad hymnos invitata, surrexit e terra, chorumque petiit : quam divinæ bonitatis minister clam e vestigio insecutus, ex ordine loci, quem in choro adiit, ejus personam sollicitus investigavit, moxque recessit. Ut vero dies redditus est, volens comprobare, quoniam « juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde (*Psal.* XXXIII) : » qui etiam se per seipsum obligavit, dicens : « Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vivat (*Ezech.* XXXIII) : » mittens ad consorores, evocavit eamdem, illa metum, quem conscientia suggerebat, præ oculis habente. Sed venientem præter spem filius misericordiæ blande suscipiens, juxta se sedere fecit, de vitæ ejus qualitate inter alia colloquia quasi per ambages conquirens, ac causam mœroris, quem vultu prætendebat, quasi nescius scisciians. At ea vulnus lethale spiritualis medici manibus, ne feriret, offerre detrectante, ille non inscius morbi, ferrum apposuit, asserens se scire causam tristitiæ,

Digitized by Google

nec ignorare, quas, admissi pœnitens, illo in loco nocte proxima preces emisisset : eam confiteri tantum debere reatum, cæterum ex divina miseratione in promptu esse et veniam, et evadendi opprobrii possibilitatem. Sed ut rem fine concludam, illa confessionis viam flebiliter ingrediens, divinæ bonitatis beneficium in suorum casuum ærumnis inopinato experta est. Denique mœrentium consolator, et suæ memor fragilitatis, secundum Apostolum præmonentem, « Considerans teipsum, ne et tu tenteris (*Galat.* VI) : » eam postquam in spiritu lenitatis sufficienter instruxit, militi cuidam e Saxonia, gratiæ ejus largitate præ cæteris domesticis uso, sub sacramentis fidei debitæ commendavit, imponens illi, ut sub prætextu familiaritatis eam secum abducens, donec illicito conceptu liberaretur, ad quascunque necessitates ei diligenter assisteret, nec unquam, si sua gratia privari nollet, hujus rei cognitio domatis ejus limen excederet. Expletis vero diebus partus, cum et ipsa jam incolumis priorem recuperasset statum, eam itidem cum parvulo suæ præsentiæ reconsignaret, is protinus imperatis obediens, negotium hoc, præter se et episcopum, nulli cognitum, fideliter exsecutus est, post omnia mulierem cum infantulo ipsi repræsentans. Mox pius pastor alibi delegato parvulo, ovem quæ erraverat, alacriter ad consororum suarum domicilia destinavit, laudis transitoriæ nil appetens, ut cœlesti mercede dignus inveniretur.

XIV. *Degustata semel carnis delectatio, post fletum vehementius mentem incendit. Admirandum sane miraculum.* Huic historiæ res non valde dispar Coloniæ similiter accidit, quam exempli causa venerabilis pontifex referre solitus erat : res plane memoria digna, et omnium bonorum ore celebranda et frequentanda. Cum enim lapsos magno desperationis malo liberare queat, non minus stantibus ingerit formidinem, ne præsumptione sanctioris vitæ, ruinæ pateant irreparabili. Omnes igitur hæc audientes, aures cordis arrigamus, et quam sit « terribilis in consiliis super filios hominum misericors et justus Dominus noster (*Psal.* LXV), » cum spe et metu consideremus. In monasterio Dominæ nostræ piissimæ Dei genitricis Mariæ quædam sanctimonialis, omni morum honestate, omnique vitæ sanctitate inter consodales suas a primo succreverat tempore, eique speciale munus omnipotens gloriam virginitatis, velut quoddam diadema capitis concesserat. Sed cum instinctu superbientis angeli quædam de castitate ei subreperet elatio, aliasque jam delignaretur consorores, virorumque consortia, quasi nunquam casura, incautius admitteret, juxta quod scriptum est : « Ante ruinam exaltatur cor (*Prov.* XVI) : » magno blandientis inimici plausu proh dolor! in foveam corruptionis incidit. Sed miseræ commistionis opere perfecto, in se rediens, ingentis tristitiæ fluctibus pene in amentiam versa est, reputans et quasi per somni ludificationem hæsitans, quæ esset, vel quid fecisset. Inter hæc ubi anterioris vitæ puritas animum ejus tetigit, velut ictu fulminis in corde perculsa, gemitus et suspiria traxit amarissima, et instar repentini imbris cum ejulatu miserrimæ vocis tota ruit in lacrymas. Verum cum degustata semel mortifera carnis delectatio, conquiescente parum fletu, vehementioribus incendiis ejus mentem stimularet, metuens ne post, etiam ruptis publicæ verecundiæ frenis, in omnem præceps raperetur impudicitiam, cœlum suspiciens, alte ingemuit, orans, ut quia jam confusionem animæ clam induerat, in apertam quoque ignominiam per conceptum partumque criminosæ prolis veniret, quatenus publicis subjacens opprobriis, superbiam cum luxuria humilis et pœnitens deinceps effugeret. Id cum exorasset, alvusque intumescens indicia violatæ castitatis oculis proderet alienis, illa omnis consilii expers, quid faceret, quo se verteret, ignorans, omnium præ confusione declinabat aspectus : non somno, non esca, non potu, denique non ipsa vita delectabatur, quoniam incomparabilis tristitiæ profunditatibus operta erat. Nihil jam de peccati satisfactione meditabatur, nil de pœnis inferni cogitabat : solo, quo tabescebat, rubore liberari votis omnibus exoptabat. Hinc factum est ut, cum nullum consolationis occurreret suffragium, secundum illum propheticum præsagium ; « Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine (*Psal.* LXXXII), » de Christi clementia spem tota mente conciperet. Ante ergo ejus imaginem pro nobis crucifixi corruens, templum sanctæ genitricis ejus ingresso, his precum querimoniis flebiliter usa est : Domine clementissime, mearum miseriarum calamitas tuæ pietatis penetret aures, nec meis offensus pravitatibus, tui plasmatis conditor pius immemor existas. Heu me coinquinatam, heu me professæ castitatis prævaricatricem, heu me confusionis æternæ inventricem ! Merito nunc me cum maximo salutis meæ detrimento infra omnes conspicio, quæ dudum meipsam nesciens, cum sim pulvis et cinis, supra omnes in immensum gloriata sum. Quid congruentius tantam decebat præsumptionem, quam hujus turpissimi volutabri detestabilis impuritas? Nihil mihi jam adversus tuam bonitatem, Deus, querelæ remansit justæ, cum hæc omnia propria patiar voluntate, cœno me tradens libidinis incestuosæ, dein ore proprio imminentem publicam exprobationem petens, et quidem audientia indigna, sed utinam in hac parte. Ut audirer, non indicium sanctitatis, sed pœna flagitii præcedentis fuit. Væ miseræ mihi, quæ cœlestis Agni perdidi sectatum (*Apoc.* XIV), quæ virginei cantici gloriam jam amplius non sperabo. Sufficiat mihi vel sola indulgentiæ via, et his, te miserante, Jesu benignissime, confusionem erui. Ecce pia genitricis tuæ pedibus rea et gemens advoluta, per ejus suffragia tuæ consolationis gratiam humiliter quæro, conversionis omnimodæ veritatem promittens, et perpetrati sceleris amodo continentiam et pœnitentiam. Hæc ea fletu maximo prosequente, qui respexit Petrum flentem (*Luc.* XXII), respexit et illam misericors Dominus noster, et quantum miseriis condoleat nostris, evidentissimo majestatis suæ dignatus est monstrare miraculo. Nam postquam clamare desiit, et a terra surrexit, uterus illius detumuit, male conceptus fœtus evanuit, ipsa præ gaudio largius flens, debitam convertendi sponsionem implere non distulit. Annis siquidem non paucis jugiter in pœnitentia perseverans, corpus vigiliis et orationibus attenuatum, panis et aquæ tantum sustentabat edulio, sine cessatione lacrymas in humilitate tundens, et ex occasione sceleris admissi, priori vitæ sequentem longe anteponens. Quantæ vero fuerit contritionis, hinc datur intelligi, quod, exceptis aliis intrinsecus orationibus, Psalterium inter diem et noctem ter semper percurrebat, primo humi strata, secundo genibus affixa, tertio stans : ut merito deficiente spiritu, membra quoque lassarentur. Faciem cum macie pallor obduxerat, et diuturnitas inediæ atque vigiliarum, viribus pene exhaustis, miraculum cæteris sororibus ingerebat, nil extra suspicantibus, quam desiderio sponsi cœlestis sponsam suam charitatis languore tabescentem : quippe quibus culpæ ejus nullum patebat vestigium. Non enim tanti reatus confessionem humanæ committebat fidei (5), quæ interdum nulla est, ubi maxime speratur, soli Domino fiducialiter clamans : Miserere mei, Deus, miserere mei : quoniam in te confidit anima mea. Talibus cum, sicut dictum est, annis aliquantis insistens operibus divinam quereret propitiationem, ubi jam de spe veniæ quid hausisset, ecce pestis an-

(5) Non sunt hæc accipienda de sacramentali confessione quæ fit sacerdoti, sed quod non fuerit ausa extra hanc confessionem cuiquam aperire ei men suum.

Digitized by Google

tiqua superbiæ sub pedibus jacens, contra eam denuo caput attollere cœpit. Quod illa caute prævidens, et hanc esse causam ruinæ prioris animadvertens, quamvis lapsa, salubriter tamen edocta, suggestionis hujus initia non, ut ante, negligenda duxit : sed festina sancti Patris Annonis præsentiam adiens, omnem suorum casuum ordinem subtiliter enarravit, consilii et precum ejus juvamina magno cordis mœrore petens, ne ea rursus in similia proruente, tanti temporis pœnitentia deperisset. Tunc sanctus pontifex secundum datam sibi sapientiam consolationis verbum multipliciter proferens, eam non in propriis viribus, sed in Deo confidere docuit secundum illud : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv) : » nil ita dæmones atterere, quam in humilitatis fundamento consistere, nulli se vel in cogitatione præferre, præ omnibus humilia de se sentire : cæterum peccati transacti noxa non teneri, si lugenda non præsumat iterare. Mentis quoque ejus qualitate intima consideratione perspecta, cum didicisset in elationis arma verti, quidquid præ cæteris quasi sanctior specialius attentasset, salutarem sanctamque dixit esse viam, communis vitæ limitem non excedere, sed mandare, si nollet in interitum ire, ne consororibus contraria, singularis vitæ aliquid usurparet, cum comedentibus comederet, cum dormientibus dormiret, itemque cum abstinentibus abstinens, cum vigilantibus quoque vigilaret. Hanc prorsus esse regiam viam, quæ nullam declinans in partem, per se gradientes in æternæ salutis patriam inducat. His doctrinæ fluentis ancilla Dei salubriter infusa, benedictione percepta, monasterium repetiit, matremque virtutum temperantiam (6) mox ingrediens, totius honestatis et religionis prorupit in fructus, communis vitæ legis contenta : nec ullam se virtutibus superiorem, ita decedens, in illa congregatione reliquit. Hactenus nobis in descriptione vitæ vel morum Deo dilecti pontificis occupatis, jam tempus est aperire, qualiter quantumque per eum profecerit in augmento divinæ servitutis Ecclesia Coloniensis. Id cum ingenii nostri tarditas utcunque præsumat attentare, quis tamen ipso quoque carnis intuitu non videat, omnem hic eloquentiam magnitudini rerum imparem inveniri ? Et primo quidem mentis ejus erga Deum et proximum ardorem plene prosequi, laboris est non minimi. Quod ne falso jactitare videamur, hinc historiæ sequentis sumamus exordia.

XV. *S. Anno reformat monasteria.* Cum per omnes curæ suæ congregationes, cujuscunque professionis essent, regularis disciplinæ tramitem licentia deperisse doleret, aliis pro vitæ necessitatibus, aliis pro mundi cupiditatibus extra vagantibus : universorum præbendas pro supputatione annualium reddituum large disposuit, nonnullas ex suis adaugens : ut occasione libertatis crepta, necessitatem jugi claustralis cunctis induceret. In his exsequendis apostolicis utebatur præceptis (*II Tim.* iv), obsecrans ut pater, increpans ut magister : interdum stimulos exorbitantibus ac recalcitrantibus addens, et eatenus neglectam disciplinæ cœlestis scholam temporibus suis mundo reformans. Quibus studiis quo plus charitate fervebat, eo sollicitius insistens, ad majora divinæ laudis opera magis inflammatus accessit, quinque monasteriorum structuras, ab ipsis fundamentorum initiis ad perfectum deductas, non animam tantum, sed et corpus omne, quinis a conditore sensibus institutum, ipsius addicens servitiis.

XVI. *Monasterium S. Mariæ ad Gradus construit.* Itaque quod primum erat monasterium, quod dicitur, ad Gradus, in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, jactis fundamentis erexit, omnique varii decoris elegantia pulchre distinctum consecravit, prædiis ad triginta canonicorum sufficientiam copiose delegatis : quos undique scientia, vita vel moribus exquisitos, illuc adunaverat. Ipse vero speciali devotione dilectæ sibi Dominæ totus inhærens, cum ejus patrociniis animam credidisset, etiam sepulturam in eodem sibi monasterio, adhuc futurorum nescius exstruxit, et quasi jamjamque migraturus, locum frequentabat, pernox in orationibus, sua suorumque peccata lacrymarum fluminibus expians. Cumque noctem totam sæpe duxisset insomnem, sub ipso lucis exortu super mattulam, vel super nudam humum, aliquoties super gradus in ingressu capitolii (6*) se reclinans, vix puncto temporis oculis in soporem clausis, surrexit. Cujus contritionis et abjectionis virtus non facile credebatur in eo, quandoquidem familiarissimis suis non semper innotuerit, et ipse publicis obsequiis vallatus incedens, aspectu ipso tremendus et gloriosus sæculi dignitatibus fuerit; qui tamen inter pauperes Christi degens, mitis et humilis semper exstitit. Nam ut a fratribus nostris accepimus, cum eis residens, nonnunquam subridendo intulit : Quam magnum, quamque terribilem omnibus aulicis, veniens ad eos, me ingero ? quomodo caput erecto collo circumducens, sævos oculos in unumquemque retorqueo, totum me componens illi, sub cujus vestigia sint omnia ruitura ? cum tamen inter hæc pavidus atque timidus, longe dejectior intus incedam, quam ulli patescat fidei. Hæc suis ipse de se confessus est. Cæterum quoties curiæ necdum præsens adesse nuntiabatur, non laicus, non clericus, non comes, non alius quis potens, non episcopus, non ipse denique rex exceptus est, qui non habitum suum aliter excoleret, comam æquaret, gestus quoque suos eo præsente temperaret.

XVII. Prosperis igitur successibus in consummatione templi, quod cœperat, usus, ubi magis magisque desiderio supernæ jucunditatis æstuabat, exiguos deputans præteriti temporis labores, eminentioris meriti arcem cupiebat apprehendere. Unde secundo copiis contractis, S. Georgii martyris ecclesiam extra murum construxit, annuis redditibus abundantem, juxta quod exigebat illic congregatio facta clericorum. Ad cujus dedicationem votis omnibus inhians, reliquiis beati martyris adhuc acquirendis præpediebatur : et ecce, sicut ipso referente compertum est, nocte quadam sopore pressus, eumdem martyrem ex interioribus oratoriis S. Pantaleonis cum ingenti luminis frequentia procedere conspexit. Quem in amictu splendidissimo vultu roseo perfusum, cum mirantibus oculis ad novam suæ devotionis fabricam gradum direxisse specularetur, illo jam ingresso, mox evigilavit. Illico divinæ inspirationis gratia tactus, aliquid suis votis consonum in illo persensit somno : tenebrisque finitis, omnis impatiens moræ, sancti Pantaleonis adiens sacrarium, auspice Deo, brachium præclari martyris Georgii, sibi præsentatum, maxima cum veneratione suscepit : idque comitante multitudine, cum et processio solemnis fieret per vestigia, quæ noctu martyr calcare visus est, ad locum ubi ingressus est (7), bajulavit. Tunc secundum consecrationis ritum insistente clero cum pontifice, opportunitatem sermonis habendi tempus et locus expetiit. Repente igitur tumultu concitato, discursus hinc inde fiebat, nemine alium exspectante, sed singulis præoccupantibus locum, qui voci prædicantis episcopi vicinior æstimaretur. Aliis vero parietes, aliis domos et arbores conscendentibus, plurimi duas per grandes trabes, per quas ad ædificium muri dispositus erat ascensus, circumjacebant, innumeris subtus eas conglobatis. Igitur omnibus arrectis auribus et oculis in ora loquentis episcopi defixis, trabes pressuræ nimietatem non ferentes, cum fragore magno

(6) Temperantiam hic dicit quam alii discretionem vocant.

(6*) Capitolium dicit domum capitularem ut vocant vulgo.

(7) Ingressus est, nos addidimus : videtur enim in exemplari deesse.

Digitized by Google

corruerunt, iis qui super eas erant, pariter ad inferiora labentibus. Cumque molem ruentium turba subtus stans excepisset, clamor et concursus ingens exortus est, nullo dubitante magnitudinem periculi mortes plurimorum peregisse. Sed postquam facto silentio, nullius læsionis vestigium in aliquo repertum est, major laudis et admirationum vox ab omnibus insonuit : quibus divinæ virtutis potentia meritum martyris sacerdotis tanto gloriosius, quanto jucundius patefecit. Hujus itaque lætitiæ suavitate perfusus sacer antistes, brachium sanctum manibus sumens, ecclesiam ingressus est, resonantibus in hymnis et supplicationum vocibus hinc clero, illinc populo. Interea splendor igneus cœlitus advenions, ingredientem cum sanctis sanctum pontificem prosecutus est, visibiliter in templum descendens, perpaucis eorum, qui foris erant, et prope nullis ab hac exceptis visione. Qua de re plus in exsultationis voce cunctis perstrepentibus, ipse tot divinæ præsentiæ signis exhilaratus, magna cum securitate, magna cum devotione totius ecclesiastici ministerii cultum peregit.

XVIII. *Ignotus quidam senex hortatur eum, ut condat Sigebergense cœnobium.* Deinde cum totus in anteriora respiceret, eorum quæ retro sunt oblitus, in secreto cujusdam noctis profunda quiete resolutis omnibus, more suo cœnobium S. Martini transiens, vigiliis nocturnis monachos insistentes aure cordis et corporis audivit, graviterque suspirans, ad presbyterum quemdam occultorum suorum scientissimum ait : Nunquid cordis tui januam non pulsat, quod in tota Colonia sopitis omnibus, hi soli divinæ servitutis sollicitudinem habentes, hoc tempore noctis ad psallendum Deo consistunt? Et me quidem nihil dignum ministris ejus exhibentem, cum in omnibus negligentem mea tulerit infelicitas, quam maxime monachis hactenus inutilis vixi. Et cum pectus feriens hæc dixisset, oculis ad sidera levatis cum expansione manuum, corde et ore subjunxit : Te precor, vitæ mortisque dominator, et summe pater, te precor, ut hujus lucis inducias mihi concedas, donec tuo munere proficuum quid et in hujus religionis viros elaborem. Qua voce cœlos penetrante, domum regressus, primo mane limen beati Petri adiit : ubi residens in crypta secretius et psallens, a quodam superveniente sene his verbis est admonitus : Ne mora sit, venerande præsul, in exstruendo requici tuæ loco, quem Deo prædestinante in monte, qui a præterfluente fluvio Sigeberg cognominatur, habebis. Dixerat, et ab astantibus quasi delusor citius repulsus est, episcopo vim verbi profundius, quam dici possit, excipiente. Cujus ab hinc intentio non aliud, quam id, die noctuque volvens, qualiter ad finem pervenerit, expediendum est.

XIX. *Palatinus comes dat S. Petro montem Sigebergensem.* Palatinus comes Heinricus, vir potentiæ sæcularis et gloriæ tunc temporis inimicitias adversus innocentiam Deo dilecti pontificis exercens, cædibus, rapinis et incendiis per omne ferebatur episcopium, ad devastationem patriæ præsidio fretus in prædicti montis vertice. Hunc justis exigentibus causis, anathematis sententia feriens archiepiscopus, tandem ad satisfactionem coactum captivumque traxit. Qui Coloniam veniens, ad ejus vestigia ruit supplex et pœnitens, et accepto communionis et indulgentiæ loco, pro grata se reconciliantis episcopi, beato Petro montem Sigebergensem dono contradidit. Tunc diu desideratum cernens sibi præsul patere negocium, portentis quibusdam, quæ de monte rumor invexerat, quasi jam currens, accepto stimulo reddebatur incitatior. E quibus hoc, multis astipulantibus, non improbabiliter fertur.

XX. *Signum crucis in aere conspicitur.* Interjacente prope milliario, vicus quidam Stieldorp dictus, memorato distat a monte. Hujus incolæ Dominicæ diei festo tracti sub iisdem diebus ecclesiam petentes, cum licentia populari varia conferentes liberum quaquaversum dirigerent intuitum, contra montem prospicientes, repente signum crucis cœlo contiguum, quasi dependens vertici ejus imminere cernebant. Quod dum pulchre ceu colorum varietate distinctum singuli mirarentur, qui prudentiores erant, ingens dicebant esse ostentum, per quod portenderetur, triumphum crucis inibi digna veneratione frequentandum, cultoribus loci fide crucis, non armis visibilibus, semper triumphantibus

XXI. *Visio duorum peregrinorum e Græcia. Anno* 1066 *templum Sigebergensis cœnobii consecratur.* Duobus quoque peregrinis ex Græcia per idem tempus apud Neronam, quæ etiam Bonna dicitur, hospitantibus, apparuit in visu magnæ claritatis scala, a vertice montis in cœlum usque subrecta, per quam miri candoris agniculi lætis gestibus ascendentes, ætheris alta penetrabant. Et hoc in bonam partem cunctis interpretantibus, ad ædificium montis, diversis vallatus artificibus, pontifex accessit : quorum alii arbores succidentes, alii succisas abigentes, alii terram effodientes, alii lapides advehentes, omnes vero variis in artibus pari studio ferventes, opus accelerabant, instante desuper episcopo et exactoribus ejus. Quid multa? De cœlis auxilio præstito, consummatio templi prosperata est : quod anno Dominicæ incarnationis millesimo sexagesimo sexto, decimo Kalendas Octobris, nomini S. Michaelis archangeli specialiter assignans, in honore omnium cœlestium Virtutum sub patrocinio gloriosi ducis Mauricii sociorumque ejus consecravit. Cumque sanctæ Crucis aram sanctificaret, et in eam reliquias imponeret, lux igneo cœlitus radians fulgore, pariter introire visa est.

XXII. *Visio S. Annonis sub missæ sacrificio.* Ex quo lætum sumens auspicium, cum in occidentali plaga monasterii versus Septentrionem, S. Martini dedicaret sacellum [capellam], post peractum consecrationis officium ad altaris ministerium palliatus stetit. Ubi cum in contritione spiritus et compunctione cordis seipsum mactans, corporis et sanguinis Christi conficeret sacramentum, inter oculos et manus repente globus igneus emicans, tremenda volvebatur visione. Isque paulatim se colligens, totus est illapsus calici. Expavit sacerdos, et ut ipse retulit, præ timore extra se pene factus, hærebat quid ageret. Temerarium judicabat ultra manus ad benedictionem calicis extendere, quem tantæ majestatis præsentia repleverat : et e diverso culpam formidabat, si desistens, universalis Ecclesiæ ritum infringeret. Tandem occurrit animo, Spiritu sancto revelante, quod sui erat officii, benedictiones solitas percurrere : cæterum divinæ dignationis fuisse, quod visum est, quæ etiam invisibiliter id quotidie operaretur. His et similibus electionem supernam suis arridere cœptis gratanter accipiens, locum augustissimis ædificiis excoluit, et exquisitissimis ecclesiæ ornamentis illustravit, et amplissimis atque in multorum fratrum usus sufficientibus prædiis locupletavit.

XXIII. *Ex Italia adducit monachos in Sigebergense monasterium. Quam reverenter eos habuerit. Silentium servat ut monachus, et cæteras monasterii consuetudines.* (8) Cum autem in omnibus Teutonici regni monasteriis cerneret antiquum illum regularis disciplinæ fervorem admodum refrixisse, et monachos a vita communi ad rem familiarem curam omnem studiumque convertisse, gravi tædio angebatur animus ejus, quod ingentibus expensis nihil Deo dignum confecturus putaretur. Interea contigit, ut pro causa reipublicæ Romam proficisceretur : cumque nonnullas Italiæ regiones peragraret, principes ejus regni, ne a rege deficerent, suis exhortationibus confortaturus, ad monasterium quoddam, cui

(8) Hæc ex Schafnaburgensi pene ad verbum.

Digitized by Google

Fructuaria nomen est, causa orationis divertit. Ibi admiratus monachorum arctissimam, et secundum Regulæ instituta conversationem, duodecim ex eis in opere Dei probatissimos secum rediens abduxit, et eos ad tradendum Galliis ejusdem disciplinæ formulam, in Sigeberg constituit, prioribus monachis, quos aliunde asciverat, honorifice in locum suum remissis. Quod ejus factum imitati cæteri Galliarum episcopi, alii ex Gorzia, alii ex Cluniaco, alii ex Sigeberg, alii ex aliis monasteriis monachos evocantes, divini servitii scholam in suis singuli monasteriis instituerunt : adeoque brevi convaluit felicis hujus facti æmulatio, ut pauca intra Galliam monasteria videamus, quæ non jam novæ hujus institutionis jugum subacta receperint. Ipse vero monachos suos, juxta quod in Fructuaria compererat, cernens arctissimis vivere disciplinis, et conversationis eorum opinione longe lateque vulgata, multos ad mundi contemptum inflammari, et eorum magisterio se in via Dei erudiendos tradere, magnas Deo gratias referebat, quod non confudisset eum ab exspectatione sua. Omnem quoque diligentiam adhibebat, ne quam earum rerum, quibus corporis imbecillitati consulendum sit, penuriam sustinerent. Honorabat ac venerabatur eos, ut dominos suos : nec solum abbati, sed decanis etiam monasterii ita subditus dictoque obtemperans erat, ut ad primum eorum imperium, quantumlibet gravibus publicæ sub privatæ rei negotiis implicitus teneretur, illico ex occupatis manibus surgeret, et omne quod jussissent, instar vilis mancipi exsequeretur. Cibos summa industria confectos quotidie, dum adesse potuisset, ipse eis inferebat, ipse apponebat, ipse potum miscebat, ipse quasi divinas inter hæc singulorum exosculabatur manus, ipse reficientibus ad omne obsequium quolibet famulo promptior paratiorque assistebat : intentusque lectori, postquam omne ministerium peregisset, in ascensu graduum, satis humili contentus sede, quiescebat. Silentium quoque ac cæteras monasterii consuetudines, dum inter eos versaretur, ita attentus sollicitusque servabat, ac si pro excessibus suis ipse quoque quotidie in capitulo eorum causam dicturus, et sententiam accepturus foret. Nullus unquam pater tali erga filios ducebatur affectu, nulla mater. Omnes ut se diligens, singulis compatiebatur, et animam suam pro unoquoque paratus impendere. Hoc enim in Sigeberg, hoc in Salevel, hoc in Grascaf, locis scilicet post ab eo constructis, studium erat, hic mos, hæc institutio.

XXIV. *Modo charissimus, modo plane invisus est imperatori. In periculis ad monachorum preces recurrit.* Porro a rege gravissimis sæpe numero dissidens inimicitiis, nunc quidem in summam familiaritatem pene in regni consortium ab illo assumebatur : nunc vero, quoniam ea quæ in regno præter æquum et bonum perperam gerebantur, vehementer detestaretur, et acerrime impugnaret, cum contumelia de palatio ejiciebatur, et ad exstinguendum nomen ejus, totum regni robur concitabatur. Hic vicissitudinibus per plures annos cum rege concertationem habens, semper velut ad turrim fortitudinis recurrens, Sigebergensium fratrum preces in auxilium ascivit. Unde quodam tempore rege pessimis adversum se consiliis inflammato, pergens ad curiam, fratribus in horti cultura generaliter repertis, ait : Commotionis et indignationis regiæ non inscius, iturus ad palatium, Deo me vobisque commendo. Vos clypeus meus estis : vos præsidium meum estis : vos, inquam, filii dilectissimi, omnia mea estis. Nulla mihi spes in militibus meis, nil præsumptionis est in armis eorum. In fide loquor : major mihi fiducia est in vobis, quam in omnibus illis. Itaque sit in benignitate Salvatoris, et in potestate vestræ dilectionis, quemadmodum a rege vel a suis excipiar. His dictis, profectus est, et plerumque per imperium ejus « qui ponit terminum mari (*Jer.* v), » rex a fervore cordis sui desistens, cum paulo ante necem, ultimumque, si copia fieret, exterminium Annoni et omnibus, quæ ejus essent, minaretur, eo veniente, quasi divinitus impulsus surgens, osculum pacis ei cum magna dilectione porrexit. Quapropter in stuporem versi quique circumstantes, inter se susurrabant : Ubi nunc iræ? ubi nunc minæ? ubi tot insultationes paulo ante habitæ? In his omnibus Dominica vox consideranda est, quæ sic promittit : « Ego me glorificantes glorificabo (*I Reg.* II). » Et revera non modo nostris, sed et retro temporibus difficile inventus est, qui tantam præ se ferret majestatem ad sæculum tantam humilitatem erga Deum.

XXV. *De Sigebergensibus quæ statuerit.* Igitur postquam voti sui compos, monachos suos in divinis rebus ad omnium imitationem singulariter florere conspexit, omnem pro eis sollicitudinem in futurum extendens, publicæ excommunicationis et æternæ damnationis vindictam protulit in omnem hominem, quicunque eis ad nocendum pertinax et malitiosus incumberet. Deinde auctoritatis suæ sigillo roboratam paginam fecit, in qua sub eadem contestatione decrevit, ne quis primam monachorum illorum consuetudinem immutare præsumat : ne quis abbatem ad aliquod curiale servitium, aut non regulare officium constringat : ne quis episcopus, vel suorum quisquam eo loco standi potestatem habeat sine licentia abbatis : ne quis advocatus aut subdefensor, nisi quem voluerit abbas, eidem monasterio vel bonis ejus constituatur. Et ut major his constitutionibus in esset auctoritas, privilegium apostolicæ sedis Romam pergens expetiit, quod adhuc in pace et concordia agente Ecclesia, in hæc verba rescriptum accepit :

XXVI. « Alexander episcopus, servus servorum Dei, Annoni archiepiscopo sanctæ Coloniensis Ecclesiæ, in Christo Jesu fratri charissimo. Quod a nobis, Deo dilecte frater, expetis, ex officio suscepto et auctoritate apostolica universis debemus ecclesiis. At mihi tecum, in Deo dilecte frater, aliter agendum est, quippe apud virum religiosum, et revera tam operibus, quam nomine episcopum. Itaque ex parte Domini nostri Jesu Christi, et sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, omniumque sanctorum et electorum Dei confirmamus et corroboramus abbatiam illam in perpetuum : ne qua persona magna vel parva, non aliquis successorum tuorum, non rex aut comes, nullus, inquam, hominum ex ea quidquam ad destructionem loci demoliri audeat : verum omnibus inibi collatis atque conferendis, pax sit permanens et inconvulsa : et prima ista, quo modo instituuntur, apud monachos permaneat consuetudo, sitque illis de abbate libera electio. Si quis hujus nostri privilegii temere violator exstiterit, perpetui anathematis vinculis se innodandum noverit, nisi forte resipiscens, digne satisfecerit. Qui vero pia devotione observator esse studuerit, peccatorum suorum omnium consequatur veniam, et æternæ beatitudinis gloriam mereatur. » In quibus papæ dictis facile datur advertere, quantæ sanctitatis et venerationis iste nostrorum temporum (9) singularis præsul in pectore tanti pontificis habitus sit, quem virum religiosum, et revera tam operibus quam nomine episcopum, sic vigilanter appellavit. Exemplar quoque regalis decreti ponimus ex parte, ne lateat lectorem, legitima præfati cœnobii non leviter infringenda :

XXVII. « Henricus divina favente clementia rex. Cunctis Christi cultoribus, nostrique fidelibus, tam gignendis, quam modernis innotescat, qualiter charissimus nobis Anno archiepiscopus monasterium, quod in monte Sigeberg construxit, nostræ tutelæ et defensioni subdidit, et mercatum, telonium, mo-

(9) Habes hic ætatem auctoris hujus historiæ.

Digitized by Google

netam atque prædia, cum omnigenis ad hoc quæsitis et datis, sive quærendis et dandis utilitatibus, nostra regali auctoritate firmari et corroborari, postulavit. » Et post aliqua : « Itaque monasterium et omnia ad hoc pertinentia, in nostram accipimus defensionem, et regio more hanc inde conscriptam chartam propria manu corroboravimus, et sigilli nostri impressione insigniri jussimus. »

XXVIII. *S. Anno alia duo exstruit monasteria.* Post hæc prudentissimus pontifex, adhuc hujus vitæ dies sibi concessos videns, ob id, quod scriptum est: « Justus justificetur adhuc (*Apoc.* XXII), » duas monachorum congregationes addidit : unam in regione Uvestfalorum, loco qui dicitur Grascaf; aliam in confinio Turingorum et Sclavorum, loco qui dicitur Salvelt. Quarum prior in honorem S. Alexandri martyris et sex fratrum ejus : sequens, in honorem principis apostolorum ab ipso consecrata est. Has structuris et prædiorum sumptibus abunde ditatas, ad normam Sigebergensium vivere instituit, adductis illuc ejusdem cœnobii fratribus. Tunc demum numero quinque virginum prudentium (*Matth.* XXV) perfecte admissus, non in visu, non in auditu, non in gustu, non in odoratu, non in tactu sponsi venientis offendere dignus erat vultum, per singulos sensus deputatis, qui perpetuis orationibus, vigiliis et eleemosynis, digno cœlestis Regis conspectibus ornatu, et viventem eum mortuum excolerent. O vere felix, nimiumque felix, qui tantorum fultus intercessionibus, si quid per quinque sensus deliquisset, venia poterat aboleri facili. Cujus dilectioni quam vicem debeant sui alumni, magnopere singulis curandum est : qui totus in ipsis, ut unica mater unico pendens in filio, nonnunquam corporis debilitatem sustinuit ex compassione, qua erga illos afficiebatur, quod uno satis elucebit exemplo.

XXIX. *Nundinæ Coloniences. Ardenti febre laborat vir sanctissimus. Subito mirabiliter revalescit.* Instabat aliquando Paschalis festi singularis et jucunda celebritas, et confluentibus Coloniam non solum ex omnibus prope Rhenum civitatibus, sed et de transmarinis, et adhuc remotioribus provinciis absque numero populis ad nundinas toto orbe celeberrimas, fiebat ut ex ipsa frequentia geminum Coloniensibus immineret tripudium. Verum, quod hujus lætitiæ pulchritudinem magna poterat ex parte fuscare, vehemens febrium ignis invasit episcopum : qui et decidit in lectum. Cumque Dominicæ cœnæ dies illuxisset, et ipse membris omnibus defatigatus, ministerium sacri mandati se desperaret implere posse, quod speciali semper devotione suo tempore frequentare solebat, major ex tristitia morbus cordis ejus intima penetravit. Cœpit enim variis intus æstuare cogitationibus, qui foris æstuabat febribus : et nunc quidem, ne fructu tam pii privaretur obsequii, ad id exsequendum modis omnibus surgere definivit : nunc vero perpensis imbecillitatis suæ viribus, vix ad primum motum sufficientibus, stultitiæ proximum judicavit id conari velle, quod, nullo dubitante, facultatem excederet. Hoc gemino cordis conflictu die consumpto, aderat hora, qua Rex summus, trementibus angelis, servorum vestigia petens, humilitatis suæ exemplum factis et dictis (*Joan.* XIII.) fidelibus suis ingessit. Quod pius vir intimo mentis oculo considerans, in maximam afflictionem incidit, dum timuit ab ejus excludi consortio, quem in hoc facto imitaretur et infirmus. Tum vero totus versus ad preces, petiit ut omnium Dominus, cui præsto est, cum voluerit, posse, suis adesse dignaretur desideriis, concessis viribus quas intentio pia supplex exigeret : præmissoque puero, fratribus mandatum direxit, ubi brevissimo temporis intervallo, se, sine dubio venturum, sustinerent. Illis inopinato nuntio retentis ab officio sacro, postquam cunctantius episcopi præsentia offerri cœpit, priores exspectationis tædio exacerbati, miserunt ad eum, dicentes : Nobis quid exspectemus ignorantibus, hora pertransiit, et jam nocte vicina, hodierni diei reverentiæ imminutione divini cultus, non sine dolore plus justo certe detrahemus. Mox igne charitatis, febrium ignes mitigantes, lectum relinquens pontifex, fratres adiit, et ex more linteo præcinctus, ad ablutionis mysticæ ministerium præter spem omnium processit. Hic quam humiliter, quam pie, quam devote velut ad ipsius Domini vestigia procubuerit, quomodo per singulorum pedes lacrymans, eos capillis venerandi capitis sui terserit, et osculo suppliciter honoraverit, illam quondam pœnitentem Mariam in oculis cordis semper habens (*Luc.* VII), lectoris prudentiæ derelinquo. Sedentibus autem singulis in ordine suo, congregatio beatæ Mariæ semper Virginis, ipsius olim studiis elaborata, juxta suam dispositionem una nihilominus tenebatur in parte. Ad quam, consummato in cæteris charitatis suæ et devotionis opere, veniens, intimo dilectionis oculo defixus in illam, recordabatur et aliarum in Christo per se congregatarum. Interim et prior ad animum rediit infirmitas. Hinc factum est, ut suorum quandoque desolatio cor ejus pulsans, tanta subito miseratione eum commoverit, ut dolore correptus, in terram rueret, jamque moribundus, et omni membrorum officio destitutus, gestantium manibus ad lectum reportaretur. In eadem infirmitate triduo jacens, respiciente Domino piam ejus sollicitudinem, qua timebat ne grex suus sacri verbi pabulo per sancta solemnia careret, in ipsis Dominicæ resurrectionis vigiliis mirabiliter sanatus est. Cum enim matutinalia signa insonuissent, repente quasi divino tractus instinctu, prosiliit e lecto, et a reclamante puero cubicolario, qui eum doloris insania suspicabatur agitari, calceamenta cum vestimentis vix extorquens, ad ecclesiam lætus processit. Porro cunctis in admirationem versis, ipse cum aliis cantans, et psalmum dicens ei, « qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi (*Psal.* LXVII) ; » ad tertiæ quoque lectionis enunciationem accessit, solito jucundius et hilarius eam perlegens. Ex hoc pastor bonus ovium, pulchris et paschali cultui condignis alludens tripudiis, generale gaudium suis extulit et cumulavit gaudiis, totam solemnitatis illius instantiam tam jucunde, tam devote, tamque studiose peragens, ut nulli dubium esset, quin ad hæc peragenda, dextera Christi resurgentis eum a lecto doloris erexerit.

XXX. *Exteri quoque reges eum venerantur. Componit hymnos quosdam.* Præterea cujus famæ vel nominis vir tantarum inter suos virtutum, apud exteras quoque nationes fuerit, hinc æstimari potest, quod Anglorum Danorumque regibus amicitia junctus, donis et legationibus eorum crebro honoratus est : quod Henricum imperatorem in Pannoniam persecutus cum regno patriaque pulsum, et ad se profugum Hungarorum regem reduceret, ipse per industriam suam in subjugandis hostium castris, cunctis illis armis plus præstitit et effecit : quod cum epistolis legatos suos ad Græciæ regem direxit : qui reversi Dominici ligni partem non modicam, aliaque regalium donorum insignia rege transmittente, ipsi præsentarunt : quodque regina Polonorum, ex Teutonicis oriunda gente nominis ejus ducta, ad invisendum eum properavit, ejusque ditioni Salevelt, et quæque cohærentia concessit, acceptis ab eo variarum specierum et precarii condignis pretiis. In quo loco, sicut paulo superius commemoratum est, cœnobium construxit, quod speciali quadam veneratione semper dilexit, tum propter expertam inibi cœlestis gratiæ præsentiam, tum etiam ob lucrum paganæ gentis, in circuitu commorantis. Nam frequenter tumultum Coloniæ declinans, illic secessit, ubi spiritualibus studiis occupatus, quædam divinæ laudis carmina vel hymnos composuit, quibusdam etiam revelationibus interfuit, et contemplationi vacans, futuræ quietis dulcedinem prægustavit.

XXXI. *Omnia sua ecclesiarum ministris et pau-*

Digitized by Google

peribus elargitur. Cum autem divitiis et gloria cunctos in regno præcederet, quod forsitan fidem excedit, sæpe nec nummum et prope nec nummi pretium sub sui juris custodia reperit. Quidquid enim ab hujus mundi divitibus vel emendo, vel in precariam accipiendo, vel aliter acquisierat, mox in pauperes, vel ecclesiarum ministros expendit : hoc propositum habens, ne minimam saltem rem in omni proprietatis suæ jure moriens post se relinqueret. Denique nunc multis, nunc paucioribus, aut certe singulis e fratribus nostris, coram eo positis : Quid, inquit, hominum æstimatio me quasi magnum divitemque celebrat? En exceptis utensilibus capellulæ, ministeriique pontificalis et hoc annulo nescio me saltem unum hodie possidere denarium. Nec enim inexplebilis avaritiæ thesauros meis congrego claustris, unde vel regis, vel suorum vita periclitetur, aut ingluvies satietur, eorum edacitati me satis in hoc obviante, ut nec assem unum oculos claudens, inter illorum ungues relinquam. Cujus verbi quis finis fuerit, patet ex eo quod in ægritudine, qua mortuus est, alienis fovebatur operimentis, quotiesque manibus ferebatur in occursum sanctorum, quos jam infirmus in suis liminibus ipse visitare non prævalens, ad se visitandum plerumque deferri voluit, habitu proprio carens, interim ab aliquo canonicorum contegi necesse habuit. O quantus ecclesiarum defensor ille exstitit, quam impenetrabilis inimicis Christi murus : non ex illis, in quos prophetia dirigitur : « Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini (*Ezech.* XIII) : » qui summi Pastoris imitator bonus, animam suam pro ovibus suis obtulit (*Joan.* X), dum nunquam more mercenarii lupis ingruentibus cessit : sed semper eos aut verbo severissimæ increpationis, aut gladio justissimæ excommunicationis insecutus est, interdum etiam impudentiores quasi militari manu deterrens, porro contra omnes orationis invictæ scutum arripiens. Exstant ejus innumerabiles pro Ecclesia sudores, nec possent commemorari omnia, quæ pertulit ab impiis. Unum duntaxat, in quo potissimum orationis ejus vis et efficacia cognoscitur, ad terrorem eorum, qui nunc quoque cœlis invecto impudenter obloquuntur, inferimus : ut vel sero resipiscentes, quid cum Christo vivens, possit, attendant, quem carne tectum, tantum potuisse forsitan mirabuntur.

XXXII. *Comes Palatinus fit monachus. Deserit monasterium. Vastat ditionem S. Annonis. Palatinus mente capitur.* Postquam mons Sigebergensis (10), qui vertitur in victoriam, victor utique vitiorum, tradente Palatino comite, ditioni S. Petri cessit, idem magnæ tyrannidis vir, quasi sopito perversitatis igne, Gorziam venit : ubi deposito pompæ sæcularis cingulo, monachicæ paupertatis habitum sumpsit. Egit hoc arte sua diabolus, qui substantiæ spiritualis et angelicæ dignitatis creatura, per subtilitatem naturæ suæ nonnunquam ex anterioribus futura perpendit, et semel obnoxios gehennæ, mille circumveniens dolis, dupliciter filios ejus effecit. Hac usus fraude circa virum hunc, cum post aliquod tempus a professione fallaciter usurpata deturbans, amplexus conjugales resque familiares repetere suasit, et conjunctis sibi nequitiæ suæ septem spiritibus, cor ejus intrans, in omnem deinceps flagitiorum voraginem præcipitavit. Is exosos habens omnes Dei servos, utpote refuga, bella movit, seditiones concitavit, et ad suæ perditionis cumulum, ad exstinguendum nomen celeberrimi tunc pontificis Annonis, Agrippinensem urbem post rapinas et incendia, post cædes et detruncationes plurimorum, hostiliter aggressus est. Ibi cominus cum armatorum multitudine sedens, omnia per circuitum quasi sævus aper devastavit, ignem pariter et ferrum miscens. Interim sacer pontifex intrinsecus cilicio tectus, minori pro se, maxima vero pro commisso sibi grege sollicitudine æstuans, die quadam cum processisset ad murum, vidit procul ignem micantem, et vicorum nuper incensorum flammam fumumque in sublime conscendere, incolis ex uno latere fugientibus hostes, ex altero ignes. Ad quod spectaculum pastor pius intimo dolore trajectus, non aliter, quam si gladiis omnium confoderetur hostium, ingemuit, et miserabilem emittens vocem : O me miserum, inquit, o me peccatorem, et o nimis infelicem, quem tanti mali, tanti doloris, proh dolor! inspectorem ætas ingrata protraxit in hanc horam. Moxque loco cedens, intra matricis ecclesiæ limen sese recepit, et ante protectoris sui sancti Petri memoriam ruens, has lugens et ejulans edidit voces : Heu, heu! Domine, quid commeruit grex et ovile tuum, ut sic rabidis luporum dentibus expositus, eorum morsibus attrectetur, eorum faucibus devoretur? Se lædentes non læserunt : læsi vicem non rependunt, gratis jugulantur, sine causa sedibus pelluntur, et quidquid pœnarum pessimus quisque dictante justitia luit, hi, sola imperante crudelitate, longe durius exsolvunt. Ecce qualis clamor viduarum, quantæ pupillorum et orphanorum miseriæ, quot pauperum contritiones te susceptorem eorum, te judicem eorum, jamjam necessario provocant ad judicium. Miserere, pacisque nobis serenum adspira diem, in cum, cujuscunque causa talis Ecclesiæ tuæ tempestas imminet, tuæ vindictæ determinans sententiam. At vero Coloniensibus ad arma conclamantibus, ac pro defensione civitatis hostiles impetus bellicis apparatibus hac illac per murum observantibus, tyrannus quidem velut dissimulans, in castrum suum, quod Cochomo dicunt, se contulit : magis autem, ut viribus et multitudine se sequentium illic adunatis, judicium sanguinis cum episcopo ejusque administris publice committeret. Contra quem cum episcopi milites nihilominus omnibus armarentur viribus, et studio partium quidam consanguinei cum Palatino, quidam cum episcopo ordinarentur, esset-que civilis belli periculosissima cunctis suspicio, sanctus pontifex gravi pressus angustia mentis, quod e duobus tolerabilius eligeret, ignorabat. Si superbiam hostis armis humiliare decerneret, occurrebat inhumana crudelitas, et miserabile scelus, cum frater fratrem, gener socerum, socer generum hostiliter prosternerent. Si vero aliter vellet, imaginariis oculis expugnandæ urbis miserias, ecclesiarum destructiones, clericorum vel monachorum contumelias, viduarum pauperumque necessitates, postremo juvenum et senum indiscretas cædes attendebat. In hujus articulo necessitatis quod primum, quod maximum, quodque certissimum erat solatium, totum se contulit ad Dominum, cum jejuniis litanias ordinans, et diversa sanctorum oratoria lustrans. Jamque futurus quasi præsens timebatur hostis, et sacerdos cum populo circumiens, tristes meditabatur causas, nec tamen a psalmorum modulatione cessabat. Cumque ordine venisset ad tricesimum quintum psalmum, cujus est initium, Judica, Domine, nocentes me, atque in eum altius intenderet, ex ipsa psalmi convenientia dolor cordis ejus increscebat. Ubi autem ad versiculum illum, Veniat illi laqueus, quem ignorat, ventum est, quasi præsagio quodam de adversario tactus, infremuit spiritu, lacrymisque cum voce prorumpentibus, eumdem, diacono stupente, denuo repetivit dicens : Veniat illi laqueus, quem ignorat, et captio quam abscondit, apprehendat eum. Hoc quomodo protulerit, orantisne affectu, an potius spiritu prophetantis, vel, ut melius reor, utroque modo, historiæ nil obest : quandoquidem paucis evolutis diebus, laqueus, quem prædixit, incomprehensibili superni arbitri judicio tam terribiliter hostem ipsum irre-

(10) Sigeberg, Latine Victorius vel Victoriæ mons.

Digitized by Google

tivit, ut inaudito sæculis furore, uxorem suam, propter cujus mortiferam dulcedinem apostataverat, propriis manibus interficeret. Nam militum præfectis bellantium acies foris instruentibus ad futuram, quæ sperabatur, cum episcopo congressionem, ipse residens in cubiculo juxta suæ cupidinis sociam, irascente Domino, nec diutius calamitates innocentium sustinente, in amentiam versus est, ac mox dependentem arripiens bipennem, dilectæ conjugis Adelheidis caput feriens amputavit, cursuque fores egressus, plausu manuum et cachinno, quid egisset, insanientis, ut erat, more exposuit. Exhorruit ad tam triste piaculum omnis ætas, omnisque conditio, cessavitque tam operosa bellicæ conventionis apparatio, singulis ad propria recedentibus. Ipse vero princeps et auctor seditionis captus, vinculisque a suis injectus, quandiu supervixit, furiosus et impos sui mansit, propriisque calamitatibus contentus, in alienam cladem amplius grassandi nec copiam, nec voluntatem habuit. Tunc pius sacerdos, unicum cœlestis magisterii suis temporibus exemplar, opere complens illud Dominicum: « Orate pro persequentibus vos, et benefacite his, qui oderunt vos (*Matth.* v), » mulierem miserabiliter interemptam, officiose ac nimis flebiliter terræ commendavit, filium ejus in sua suscipiens, affectu benignissimo nutrivit, multisque beneficiis indulgentissime remuneravit. Exinde Colonia pace repleta, pastoris sui jucundabatur in operibus : qui non solum diversis misericordiæ deditus erat officiis, alens egentes, vestiens nudos : sed et ecclesiasticæ religionis decus amplificavit, monasteria construens, ministris Dei necessaria procurans, et semper in perquirendis et honorandis sanctorum cineribus infatigabili satagens studio.

XXXIII. *S. Anno infert in Sigebergense monasterium corpus S. Innocentii martyris.* (11) Cujus rei desiderio tempore quodam Romam ingressus est, Romanorum archicancellarius, suæ devotioni pariter et ecclesiæ consulturus utilitatibus. In quo negotio non parvo illic tempore insumpto, Apostolicæ benedictionis impetrato commeatu, se cum suis ad regrediendum ocius absolvit. In eo autem positus itinere, precibus contendit ab Adelheida, tunc Alpium Cotiarum marchionissa, ut Thebææ regionis reliquias, ejus auctoritatis jussu mereretur ab Agaunensibus, ejus quippe ditionis erat locus ille. Quo perveniens, licet splendide ac populariter, ut non solum archiepiscopum Coloniensium, sed et Archicancellarium totius Italiæ decebat, exciperetur, consilio tamen et prudentia magis, quam potestate, sibi censuit illic agendum. Proin de donis et promissionibus ad voluntatem suam flexum habens sacrarum ædium custodem, remotis aliarum personarum impedimentis, in secreto noctis paucis suorum admissis, ecclesiam ingressus est : ubi sacratissimum beati martyris Innocentii corpus una cum capite S. Vitalis, reverenter extulit, et tam sui voti prosperitate, quam etiam suspicione alicujus in populo perturbationis actus, profectionem maturius imperavit. Christo ergo viæ præduce, post emensum peregrinationis suæ pelagus, mœnia Sigebergensis cœnobii contingens, sanctarum reliquiarum thesaurum auro pretiosiorem cum magno populorum tripudio, qui eo die confluxerant, illuc intulit tertio Idus Maii, qui dies Dominicæ ascensionis tunc gaudiis illustrabatur, ab Incarnatione Domini post millesimum sexagesimum nonum anno septuagesimo vertente, fratribus cunctis de patrocinio cœlitus collato, et de præsentia diu desiderati patris pio gaudio solemniter sese agentibus.

XXXIV. *Sententia memorabilis. Ignis miro modo exstinguitur.* Hoc rumore Colonienses quoque tacti, frequentia magna cleri simulque plebis, cum civitatem sanctum post hæc ingredientem, susceperunt.

(11) Vide Baron. Anno 1070.

A At ille, ne quas ex Italiæ divitiis opes advexerat, suæ sedis concivibus minus communicasset, elegantis artificii sacellum [capellam], templo S. Georgii contiguum, instruxit, reponens in eo, quod a Roma detulerat, dignum veneratione martyris Cæsarii brachium. Quod ut apostolici nominis dignitas celebrius redderet, in honorem S. Jacobi sacraturus illud venerabilis pontifex, cum populo processit : et ecce vorax incendium eo jam, ut mos exigit, infulato, repente civitatem versus orientem invasit minaciter. Tunc turbis ad ejus exstinctionem sese certatim subtrahentibus, et episcopum vix paucis ex tam nimia, quæ confluxerat, multitudine septum relinquentibus, ille tanto mœrens impedimento, cum caput intra manus deponens, paululum resedisset, quasi responso divinitus accepto : Nec, inquit, suæ virtutis vim ignis, qui fraude malitiosi serpentis emersit, in periculum aliquod hujus urbis hodie exeret : tantum plebs de hoc secura B redeat, ut in consecratione filiæ matris nostræ, sanctæ scilicet Ecclesiæ, beneplacitum Domino ministerii nostri persolvamus obsequium. Protinus reverso populo flamma nihilominus emoriens defecit. Itaque juxta ritum institutionis ecclesiasticæ, cunctis in dedicando sacerdotem prosequentibus alacriter, ubi tempus expetiit, eminentioris loci petens apicem, mellifluis et compunctione plenis exhortationibus circumstantes alloqui cœpit : cum repente per insidias invidiosi hostis, edax denuo consurgens ignis, turbationem non minimam sacri verbi auditoribus incussit. Quos forti commonitione, ne loco moverentur, retinens episcopus omnibus in periculis primum asseruit præsidium, laudibus Christi nullum præponere periculum : ipsos oculis inspecturos, si tantum stare deliberassent, quam velox, nemine obsistente, furentis incendii fieret interitus. Adhuc eo talia prosequente, cum nonnullis contra facientibus, cæteri pro verbi Dei reverentia gradum fixissent, aspicientibus cunctis, velut inundatione C desuper fusa, momento temporis totus oppressus est ignis, et ad majorem Christi gloriam, regnante non minimum super eos incendio, quos ardor avaritiæ non passus est in audiendo sacerdote perdurare, ii, qui verbis ejus assensi fuerant, ne levis quidem scintillæ vestigium in omni supellectili sua repererunt. Unde materiam dicendi sumens episcopus, in longum protraxit sermonem, multa de dæmonum insidiis, multa de Dei clementia disserens : finem, non initia, in Christianis quæri ; cæterum cœpisse bonum, nec perfecisse, non modo nulli mercedi, sed et suppliciis obnoxium affirmans. Postremo in extollendis sanctorum laudibus immorans, hoc relatione dignum, cunctis suspirantibus, annexuit.

XXXV. *Homo mortuus reviviscit. Quid conferant sanctorum patrocinia* (12). In urbe Roma vir quidam Andræas nomine, non opere, divitiis et vitæ deliciis affluens, laxæ conversationis amplam terebat viam, D animam oneri, corpus habens voluptati : cui præter nomen Christianitatis et emortuam fidem, Christianæ religionis nihil videbatur inesse, excepto, quod beato Cæsario martyri devotus, ecclesiam ejus cum cereis frequentare solebat. Hic generali mortis conditione præventus, sero sui pœnitens, ultimum efflavit spiritum. Nec mora, corpus in feretro compositum, flentium et plangentium amicorum tristi ambiebatur obsequio, sepulturam ejus ob quædam impedimenta in diem alterum differentium. Itaque protractis ad medium noctis excubiis, altoque stupore perfusis, repente feretrum moveri cœpit : elevansque caput, qui jacebat exanimis, cum undique circumspiciens, ampliorem videntibus terrorem incussisset, fugæ præsidium nonnullis arripientibus, omnibus vero pariter mente consternatis, in feretro resedit. Interim prudentiores fiducia nonnihil re-

(12) Baron. *ibid.*

Digitized by Google

sumpta, procul quibusdam subsistentibus, propius accesserunt, et inspecto diligenter homine, quid rei contigisset, sciscitati sunt, utrum phantasiis diaboli luderentur, an insueta mortalibus lege ab inferis redivivus emersisset, vel, quod magis erat in suspicione, languoris immanitate pro mortuo habitus, oculos tantum intuentium fefellisset, cæterum vitam non plane amisisset. Ad hæc ille graviter suspirans : Non, inquit, simulate, sed vere mortis incidi sortem, at vero perpetuæ mortis sententiam et in anima et in corpore, proh dolor ! luerem, si Cæsarii martyris Deo digna non intercessisset supplicatio. Subjungensque secundum tenorem interrogantium, ubi fuisset, quid vidisset, et ut rediisset, ita ait : E corpore violenter ejectus, ad terribile nimisque pavendum Christi solium ducebar. Ibi circumstantibus cum tremore millibus angelorum, ego miserrimus conscientiæ reus, nec oculos in quemquam illorum supplex attollere præsumebam : solummodo districti judicis tristem sententiam accipiens, a terrimis et horrore plenis dæmonibus ad æternæ damnationis loca trahebar absque misericordia. Pectusque feriens, ac nimis flebiliter ingemiscens : Illius, inquit, horæ miseria nullis digne exponenda verbis, mei cordis memoria nunquam elabitur. Cumque me flentem procacissimi dæmones cachinnantes, meisque casibus insultantes, ac perditionem atrociter impellerent, pretiosus martyr Cæsarius, meis calamitatibus pie commotus, cum favore sanctæ Dei genitricis, sanctorumque apostolorum et martyrum, procidit ante Dominum, vulnerum suorum stigmata demonstrans, et dicens : O clementissime Domine, tremendi nominis tui causa hæc quondam libenter excepi, nec erat in his perferendis, licet caro gemeret, ulla reluctatio mentis : dummodo temporalium tormentorum asperitate corpus semel enecatum, nullis deinceps tristitiæ stimulis vel animam, vel carnem, te præside, afficeret. Quid itaque te, qui pius es, inspiciente, novis in corde doloribus denuo premor ? Ecce qui meo credulus patrocinio, vitam suam mihi commisit ex integro, præceps impellitur ad inferos, jamque merito stultitiæ arguitur, qui vana spe seductus, me coluerit ut vitæ suæ gubernatorem, quem in allevandis saltem suppliciis habere non possit intercessorem. In his vocibus eo coram Christo rege jacente, piissima Dei genitrix Virgo Maria, cum reliquis sanctis se adjungens, filium et Dominum suum ad voluntatem martyris sui flexit : per cujus imperium pessimis dæmonibus ereptus, jam veniæ securus et vitæ, corpus ad hoc rei induere jussus sum, ut his cognitis, unusquisque suæ salutis sollicitior reddatur. Hæc homine perorante, cum adstantes stupor invaderet, collegit se super feretrum, et obiit. Tali conclusione rem doctor egregius finiens, omnes suspiriis et compunctione, quod audierant, commendantes, mox allocutus est : Et vos, fratres, vosque, sorores, hujus considerationem facti in cordium vestrorum secreta admittentes, ad quemcunque devotionis et servitii cultum vosipsos sanctis Dei offerte, ut extremæ tribulationis angustiis arctati, quemlibet sanctorum tanto lætior quisque vestrum illic patronum experiatur, quanto devotior hic in ejus vixit obsequio. His ab eo dictis, nos ob id, quod paulo ante attigimus, docuisse scilicet eum, omnibus in periculis primum esse præsidium, laudibus Christi nullum præponere periculum, memorabile quiddam, ipsius ore celebratum, subjicimus, unde possit adstrui, quod eum proposuisse non falso testati sumus.

XXXVI. *Monasterium S. Cæciliæ perantiquum Coloniæ.* Antiquæ structuræ monasterium, titulo S. Cæciliæ virginis et martyris, Coloniæ frequens habetur, in quo sacrarum feminarum exemplo, puellaris innocentiæ et ætatis infans quædam dulcissimo nutriebatur affectu, omnibus, et præcipue matri congregationis, unice chara. Verum immatura superveniens mors, tam læta principia simplicis et jucundæ indolis, amarissima sorte turbavit, jacebatque jam omnium oculis onerosa, quæ fuerat ante gratissima. Lugenda sane conditio nostra, quæ non solum nos in nobisipsis ultimæ separationis inevitabilem necessitatem cogit pati, sed et in amissione charorum quotidiana, proh dolor ! strage mortificat. Sic omnes homines quotidie patimur : sic et tunc prædictæ sorores passæ, puellam in extremo spiritu constitutam ocius amissuræ, post vespertinos hymnos hora Completorii jam instante, chorum petierunt, ut sua Domino redderent, mœstæ de suis. Necdum vero primorum modulatio psalmorum inchoatione sequentium plene perfecta est, cum subito tactu signi notissimi sorores ad egressionem animæ migrantis evocatæ, non sine magnæ prævaricationis audacia, singulæ quorum relinquentes, divinæ laudis opere neglecto, ad morientem quasi suffragium, magis autem periculum ex hoc allaturæ, concurrebant. Ad quarum introitum oculos, mortis sopore clausos, puella violenter aperiens, impetu magno, quasi nil adversi passa, prosiliit e lecto, cursu petens abbatissam, ejusque apprehensa regiminis parte stridens dentibus et toto corpore tremens illa se tenaciter obvolvit, clamans et dicens : Fer præsidium, domina mi, fer præsidium. At cunctis insolitæ rei novitate non minus, quam clamoribus puellæ, more feminarum, cum emissione confusæ vocis angustatis, mater tremebunda : Quid habes, inquit, filia ? Illa respondit : Monstrosorum dæmonum ingens et horrenda multitudo cum sororibus fores ingredientibus irrumpens, ad inferos me secum abducere velle minantur. Cumque causam hujus mali mater infusa lacrymis scisceretur : Nulla, inquit illa, alias ob culpas id patior, nisi quod propter me detrimentum servitii sui Christus habet : cujus laudes, si mihi sorores aliquid conferre vellent, oportebat prius debito fine concludi. Protinus ad imperium matris cunctæ sorores ad monasterium regressæ, tanto devotius, tantoque obnixius divinis cœperunt laudibus insistere, quanto manifestius intellexerunt, propter illas neglectas et puellam esse periclitatam, et se non contemnendæ transgressionis offensam incurrisse. Quibus cubiculi limen excedentibus, puella lectulum repetens, ibi se stravit, et sororibus ad psallendum Deo chorum tenentibus, ipsa nullius horroris gestus præ se ferens, paulatim, ut solent morientes, deficiens, vita functa est.

XXXVII. *S. Agilolfum episcopum Colonensem transfert et SS. Evaldos elevat.* Sed ut ad priora redeamus, Anno beatissimus in terris excolens, quibus in cœlis associari totis nisibus festinabat, Coloniensem urbem diu fraudatam corpore martyris et episcopi sui Agilolfi, membrorum ejus restitutione lætificavit : quæ Malmundariensibus præripiens, in monasterium suum, quod est ad Gradus, cum magna civitatis exsultantis ambitione transtulit. Inter hæc et duorum Evaldorum pretiosa corpora, revelatione eorumdem martyrum instructus, de tumulis sublevavit : quos olim in Saxonia, Rhenus amne refluo Coloniam sepeliendos advexerat.

XXXVIII. *S. Benigni martyris corpus invenitur.* Restat nunc commemorare, quemadmodum corpus beatissimi martyris et sacerdotis Benigni temporibus ejus ad perpetuam Sigebergensium gloriam et salutem vel inventum sit, vel translatum. In Sueviæ loco, qui dicitur Cella S. Viti, quidam Alemannorum atque Burgundiorum dux olim ecclesiam constituens, suis eam bonis hæreditariis ad sustentationem monachorum illic Deo militantium abundare fecit. Qui devotione pariter et fide instructus, cum sanctarum reliquiarum studio Divionem venisset, inde rediens, corpus Deo dilectissimi martyris Benigni secum exportavit : qui divinitus ab Oriente Galliis destinatus, post multos agones tandem sub Aureliano Cæsare lancea militis percussus, in specie niveæ columbæ cœlos penetravit. Illos quoque tergeminos fratres Speusippum, Eleusippum et Meleu-

Digitized by Google

sippum, a prædicto martyre baptizatos, et apud Lingones egregie coronatos, una cum corpore S. Mamerti, civitatis illius episcopi, dux idem concedente Christo emeruit, lætusque cum tanto cœlestis patrocinii pignore fines Alemanniæ repetens, ecclesiæ quam construxit, desiderabilem consignavit thesaurum, sanctis corporibus, ob metum futurorum, in sacrario cum attitulatione nominum, terræ altius immersis. Post multos annos omnibus generationis illius hinc sublatis, cum locus idem regali cœnobio, quod Eleuvange nuncupant, in proprietatem cessisset, et tantarum lucernarum fulgor incognitus mundo, pulvere vilis sepulturæ tegeretur, ordinante Deo, qui producit Luciferum in tempore suo (*Job* xxxviii), cujusdam operis intentione pavimentum sanctis corporibus imminens, a fossoribus apertum est. Proscindentibus autem illis humum, eamque certatim egerentibus, ex improviso sanctarum reliquiarum sarcophagi discretis nominibus reperti sunt. Illic magni meriti martyr et sacerdos vere meritis et nomine Benignus, cæteris nominatior inventus ac sublevatus est, per idem tempus abbate Renigero, qui B. Annonis consanguineus fuit, cœnobium illud administrante. Proxime dehinc Dominici natalis gaudia rex Babinbergæ celebravit : ubi cum multorum procerum et dignitate pollentium conventus esset, etiam abbas idem advenit. Propinquus ergo cum esset Annonis archiepiscopi, quasi gratulaturo Benignum, qui mittente S. Polycarpo discipulo B. Joannis evangelistæ, venit ex Asia, se testatus est invenisse. Rapiens autem pontifex nomen ipsum ex ore ejus : Benignum, inquit, te affirmas habere? Illic meorum specialis intercessor est monachorum : hunc meis petitionibus oportet ut indulgeas, si te delectat ex hoc jam ullum dilectionis meæ beneficium. Ille, ut qui in persolvendo non parvi ponderis argento regi obnoxius esset, ita respondit : Ecce ut pecuniæ, quam debeo, cura me leves, desideriis tuis, ut vis, satisfaciam, mittens tibi non alium, sed C eumdem revera Benignum, qui in Divionensi castro sub Aureliano martyrium duxit. Huic sponsioni præsul gratanter annuens, quippe qui nullas opes haberet, quas non libenter in hujuscemodi commercium insumeret (13), cum sibi mutuo fidem dantes, utrique recessissent ad propria, post mensem et dimidium monachos pretiosi corporis glebam ferentes, Coloniæ cum gaudio suscepit. Quibus fidem adstruere nitentibus publicis sacramentis, quod non alius, quam qui rogabatur, Benignus esset, non permisit, dicens in ejus veneratione, de quo agebatur, hunc se indubitanter habiturum. Præmissoque A in Sigeberg hujus lætitiæ nuntio, ipse cum suis conscensis equis, comitantibus pariter ex Colonia non exiguæ multitudinis viris et feminis, in ipso vespere Dominicæ noctis, quæ jejunii Quadragesima initium erat, ad radices montis applicuit et descendentibus ad eum debita cum reverentia processionibus fratrum, ossa sacra cum laudibus recepta sunt per noctem in ecclesia, quæ adjacet monti. Mane vero Dominici diei, quod tertio decimo Kalendas Martii exspectatione omnium illuxit, omni conventu solemniter induto, diversis etiam ornamentis, multisque luminaribus templo resplendente, sacer antistes se sanctæ memoriæ Erpho abbas, pios humeros sanctarum reliquiarum feretro subjicientes, resonante populo, signisque concrepantibus, cum magnæ devotionis carmine præcedentium monachorum, martyrem et sacerdotem suum Christo in odorem suavitatis ad altare præsentarunt. Inde sermonem ad populum habiturus, altiora præsul conscendit, et totus præ gaudio lacrymis fluens, nunquam sibi B jucundiorem illuxisse diem testatus est. Exponensque quis vel cujus meriti esset, qui portabatur, quod Benignus appellaretur, indicavit, dicens : Benignus, inquit, benevolus dicitur, et merito : apertas enim aures ad omnium nostrum preces habet, et libentissime exaudiens, per seipsum accedit ad Deum ad interpellandum pro nobis. Nunc igitur, dilectissimi, tanti patroni præsentiam habentes, erigite corda, et singuli, quid vobis expediat, illi suppliciter intimate. Mihi credite, si tantum fides non desit, quia Benignus est et nominatur, benignissime quodcunque petitis, annuens accelerabit. Annus Dominicæ Incarnationis, quo hæc translatio celebrata est, millesimus septuagesimus tertius erat. Post hæc duobus loculis novis altrinsecus post altare compositis, medio inter eos vacante loco, in dextero beatum Innocentium, in sinistro vero beatum Benignum pontifex collocavit, et lætitia perfusus, quasi ludens, ut plerumque solebat, loquebatur : erit ad libitum meum rei processus, si quandoque dignus altario, medius inter vos recipiat. Alioqui ex me speranda vobis gratiarum actio profecto non erit. Quæ vox quamvis leviter dicta, quam serio sit ab eis accepta, nos oculi fidei jam contemplamur : qui etsi corpore necdum viderimus, merito tamen credimus eum inter eos locum jam accepisse. De cujus Vita et operibus pauca pro numero, non ut debuimus, sed ut potuimus, auxiliante Deo, hoc fine terminantes, ocio interim indulgemus, ut iis, quæ de virtutibus ejus prædicantur, elucidandis, leviores assurgamus.

(13) Hæc pie accipienda sunt. Non enim licet vendere sacras reliquias.

LIBER SECUNDUS.

1. *Quid vir tantus senserit de sacris reliquiis. Sine clave thecam, in qua S. Gregorii brachium, aperuit.* Intentionem hujus operis divinæ laudis intuitu præ manibus habens, fictis narrationibus incumbere vehementer et ipse detestor : quandoquidem unde mihi spes est aliquantulum exhauriendi peccata, inde gravior accederet iniquitas, si præterquam veritas est, vel a me veritas est, vel a me verum affirmatur, quicquam impudenter exprimerem. Deus enim nostro mendacio non eget (*Job* xiii) : nihilominus et is, quem hoc opere mundo declarare voluimus, ad hoc devotionis nostræ benevolentia non delectatur, ut falsis laudibus per nos coleretur, qui veris, etiam nobis tacentibus, quousque mundus volvitur, semper adornabitur. Hæc diximus, ut conveniremus eos, qui juxta voluntatem cordis sui metientes sanctum virum, non credunt eum hujus meriti, per quem talia, qualia dicuntur, possent D fieri : quippe quibus in signum contradictionis (*Luc.* ii) et ipse Salvator positus est. At nos scientes sanctitatem hominis Dei, nec potentiæ Christi quicquam detrahentes, ad ea, quæ vel auditu, vel scripto probabilia de eo reperimus in signis et revelationibus, atque iis, quæ prophetice locutus est, Spiritus sancti gratia sensum et linguam regente, ob posterorum notitiam hoc exordio colligenda accedamus. In cœnobio suo, quod in monte situm est, frater quidam accedente molestia, in morbum aliquando incidit, nec ullum occurrebat remedium, unde spes esset meliorationis ægroto. Quod eum auribus viri Dei, qui tunc præsens aderat, insonuisset, cursorem velocissimum cum mandatis Coloniam direxit, ut brachium sancti martyris Georgii sibi quam celerrime mitteretur, asserens in hoc ægroto certissime subveniendum, si liquorem, quo perfunderetur os sacratissimum, fide plenus in potum sumpsisset lan-

Digitized by Google

guldus. Cumque ita, ut jusserat, brachium in capsula delatum sibi præsentaretur, clavim ad reserandum petiit : tuncque primum reminiscens nuntius, eam se, nemine illius mentionem faciente, Coloniæ reliquisse conquestus est. Pontifex vero, cum quasi tentans aperire, duobus digitulis seram leviter concussisset, testantibus nobis qui aderant, ad primam digitorum ejus appulsionem resiliente propagulo, sonitus tinniens, ut ex violentis clavibus fieri solet, exortus est intantum, ut præsentium aures acutissime feriens, stuporem non minimum eis ingereret, cernentibus hominem Dei clavis officium absque clave in apertione capsulæ paratissime peregisse.

II. *Cæcus tactu vestis ejus illuminatur. Moleste fert se laudari.* Quidam oculorum lumine destitutus, in sacrario beati Petri die quadam suppliciter eum interpellans, cum ad ejus vestigia quasi spe cujuscunque consolationis se industrie inclinasset, a parte lateris sancti viri vestem manu colligens, uno duntaxat ex officialibus episcopi rem considerante, oculorum loca fideliter defricavit, et mox extersa caligine, quantum fides valeat, in exortu novæ lucis, se non ferens ipse præ gaudio et admiratione, salubriter expertus est. Quæsitor ergo stipis exiguæ, nullis terrenis pretiis adæquandas divitias in restitutione luminum adeptus, dissimulans quod acciderat, ad accipiendum quodlibet eleemosynæ munusculum de cætero pietatem episcopi nec imploravit, nec exspectavit : sed recedens uti meminimus, facti cognitionem uni ministrorum ejus dereliquit. Is ad mensam pontifice cum non parva virorum frequentia recumbente pariter recumbens, sciscitante illo, ubi cæcus idem haberetur, respondit eum impetrato illo, quod optaverat, illico recessisse. Quid hoc esset, viro Dei ut ediceret imperante : Satis, inquit, et ultra consuetam mortalibus largitatem homini revera contulistis. Nam ad vestræ sanctitatis genua cæcus proruit, inde surgens, abscessit videns. Quid hoc munere præstantius? Merito magnus tanti largitor doni, merito beatus et ad ista munera vocatus, qui profecto, tametsi concessis non similia petere videretur ad promerenda sola, quæ et accepit, fidei gressus creditur attulisse, cum post acceptos oculos aliud quid accipere non quæsivit. Expalluit ad ista sacerdos, et totus subito exsanguis effectus, evidens ex se præsentibus indicium dedit, quam invitus hæc audiens, existimationis hujus in populo libenter aura careret. Imitator etenim ejus, qui potentia sua signa faciens (*Matth.* VIII), quibusdam hæc occultandi præceptum imposuit : ad eum, in quem peccatum cadere non potuit, fecisse non ignorabat, multo magis sibi faciendum necessario censebat, qui purus homo tanto proclivior esset ad ruinam, quanto contra hoc, quod Deus et homo suasit exemplo, ipse improvidus aliquando vel leviter animo peccasset. Hinc accidit, ut quamvis divinæ gratiæ donum expertus, non adeo tamen infirmitatis suæ mensuram in his rebus transgrederetur : sed etsi quid horum forte eo nescio, vel occasione magnæ necessitatis contigisset, modis omnibus id humanis auribus subtrahere, quantum in ipso fuit, non negligebat. Quæ res et materiam nobis hanc rationem effecit, et invidis illi obloquendi fomitem præstitit, quasi qui de mortuo finxerimus, quæ de vivo nec in suspicione versabantur. Sed hoc ideo, quia secundum viri sæcularis sententiam, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit : supra ea, veluti ficta, pro falsis ducit. Non tamen his territi, ab reliquis aliquatenus devocabimur.

III. *Fert indignissime a se exspectari miraculum idque modestiæ causa. Cæco redditur lumen.* Venerabilis pontifex die quadam missarum solemnia celebraturus, cryptam Sigebergensis ecclesiæ, ministris prosequentibus, adire cœpit. Et hic homo, luminis æque carens officio, suis votis opportunum tempus et locum ratus, ejus conspectibus se suppliciter exhibuit, fidem ex visione se collegisse testatus, quod ea, qua damnatus erat, cæcitate liberari posset, si quam usui manuum suarum exhibitam projecisset aquam, hanc duntaxat ipse mereretur, unde male vacantes humidos redderet orbes. Non hæc æquanimiter humilitatis custos accipiens, magis præsentium existimationem veritus, quam divinæ bonitati diffisus, hominem asperrima abjecit invectione, fallacem eum et impostorem causatus, qui respectu parvissimæ stipis, odiosæ fraudulentiæ, quæ necat animam, se subdidisset : revera fictæ visionis eum ex corde suo verba protulisse, cum si quid de beneficio divinæ miserationis ejus miseria exegisset, potius hoc illis patrocinantibus agendum foret, quorum probata sanctitas omni muudo jam olim enituisset : non ejus, qui quotidianis sordens piaculis, futuræ discussionis metu et ipse pro quolibet reperiendo suffragio anxius staret. Sic pauperem confusione plenum ad januas relinquens, cryptam intravit. Ab ejus vero facie miser declinans, in angulum cryptæ sese contulit, supernæ pietatis ares crebris feriens precibus, non incredulus visioni suæ, nec minus arrogans fidem evangelicis dictis : « Omnis qui petit, accipit : et qui quærit, invenit : et pulsanti aperietur (*Luc.* XI). » Diu igitur gemitus et suspiria suppliciter eo trahente, quidam ministrantium clericorum, hæc ipsa postea testatus, miserationis intuitu pelvim cum aqua desideranti clam porrexit, quam a manibus sacerdotis ad sacrificium accedentis suscipiens, non sine divinæ voluntatis instinctu pro hoc ipso reservaverat. Qua mox faciem totam cæcus fideliter abluens, exspectationis suæ moras jam nulli amplius conquestus est : quippe qui, fugatis tenebris, serenissimæ lucis diem sibi tunc primum illuxisse magnis plausibus exsultaret. Æstimans præterea mentis acrimoniam in episcopo tandem leniendam, si is, qui cæcus ante, jam videns ejus præsentiæ redderetur, post missas exeunti quasi congratulaturo prosternitur, voces gratiarum congeminans, et celeritatem salutis impensæ palam, et ut erat, ab initio recitans. Ad quæ verba præsul, quasi totus jam commotus, quod ratione minime convincere quibat, saltem procaciori inflammati pectoris impetu circumstantibus ingratum efficere visus est, frequenti iteratione minaciter inquirens. Unde præsumptionis hujus vanissimus attentator emersit, qui reverentiam auctoritatis nostræ vilipendens, huic injussus [invisus] aquam illam administravit, et quid vel ego, nil hac in re habens, mererer, vel divina dignatio concedere vellet, ausu improbissimo explorare veritus non est, cum lex dicat : « Non tentabis Dominum Deum tuum? » (*Deut.* VI.) Tremefactus his inquisitionibus clericus, cominus stans, quod dissimulare non poterat, se simpliciter egisse verbis utcunque collectis satisfecit, simul et veniam admissi non segniter petens. Cui pontifex leniter alapam dans : Hunc, inquit, de me rumorem per populum disseminare vis, ut levitate vulgari novorum mirabilium effector passim celebrer, et instar antiquorum Patrum ego quoque meis temporibus, longe meritis infra jacens, operum eorum specimen in signis et prodigiis mundo repræsentasse dicat? Hac ne vanæ laudis aura transitorie tumens, inter eos novissime reperiar, quibus ad Deum dicentibus : « Nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? » respondebitur ; « Nescio vos, discedite a me operarii iniquitatis (*Matth.* VII). » Tremenda sane comminatio, nec secundum multitudinem doloris illius hæc consolatio temporalis. Idcirco te, vosque præsentes omnes, et te quammaxime, non nostris, sed divinis illuminatum beneficiis, invocatione cuncta cernentis semel atque iterum iterumque obtestor, ne me mortalitatis hujus tenebris adhuc circumdato, res hæc alienis auribus aliquod sui vestigium, vobis prodentibus, unquam generet. Factum est hoc, et quod interim silentio tectum latuit, episcopo claustra carnis egresso, relatione clerici memorati, tam nobis, quam et aliorum fidelium cordibus commendatum est.

Digitized by Google

IV. *Mire vitat omnem ostentationem.* Sed et mulier egestate pariter et cæcitate divinis obnoxia flagellis, per relationem directis ad idem cœnobium gressibus, procedenti post missas ab ecclesia summo sacerdoti prona advolvitur, supplex et gemebunda. Qui suspenso gradu, sicut semper infirmiori sexui solebat, et huic pie condescendens blandis appellationibus causas querimoniarum ejus percontatus est. Illa respondente, se præmonitam in visu, nec ullo dubietatis scrupulo teneri, si suæ dignationis manus oculos ejus lavando contrectaret, tenebras pellendas, propter astantes se commotum simulans, ut custodiæ traderetur, mox imperavit, in suspicione relinquens, verbera quidem se ei multiplicaturum : alias autem ostentationem fugiens, curam in secretis adhibiturus. Cumque sedens ad mensam prandium inisset, lautiora quæque ciborum ex suis manibus ad refectionem ejus transmisit, eamque, finitis epulis, in cubiculum suum latenter jussit adduci. Quo intrans, duobus clericis et uno duntaxat puero cubiculario arbitris, cæteris hac illac defluentibus, non, ut illa petierat, oculos ejus tanquam præsumptor miraculi, sed humilis magistri et Domini exemplo, poplite flexo, pedes ejus lavit, manibus aquam infudit (*Joan.* XIII) : post hæc et alimentorum copiam administrans, nimirum per hanc humilitatis viam et sibi et mulieri plus apud Deum profuturus. Nec hæsitandum, inter hæc pietatis et abjectionis officia eum in superna animum levasse, et opem cœlestis medici pro ea implorasse. Nam residens, obsequio peracto, velut qui responsum orationis admissæ cœlitus meruerit, monuit eam benedictionis oblatæ perparum degustare. Quæ ubi vix ejuscemodi edulio palatum imbuisset, cœleste sensit antidotum, et restitutis plene luminibus, cum immensis gratiarum actionibus humi prostrata, Deum in servo suo Annone suppliciter venerata est. Tum oculis ejus, experimenti gratia, hæc et illa proponebantur : cumque absolutissime singula quæque discrevisse visa est, quinque solidos ei pro eleemosyna vir beatus impendens, ut sibi non charam harum rerum opinionem de se ne circumferret obtestatus est. At tamen minus ei credulus, abeuntem ad propria, donec villa digrederetur, ab uno clerico comite deducendam curavit.

V. *Aqua benedicta et crucis signo pellit hydropem.* Inter hæc adolescens quidam, vicinorum locorum indigena, toto ventre deformiter intumescens, sibi suisque factus erat inutilis. Hic meritis beati Annonis ex fama cognitis, vehiculo ductus, montem in quo Deo placitum est habitare, conscendit, præsentiam ejus adiit, aliquod tanti doloris remedium miserabiliter quæsivit : quod, etsi lingua cessaret, ipsa fœditas et miseria hominis oculis objecta, facile extorsisset. Exhorruit languoris immanitatem pontifex sanctus, juvenemque miseratus, aquam benedixit, et ipsa moribundum potavit et aspersit. Inde crucis signo ventri impresso eum ad propria celeriter remeare jussit, spem integerrimæ sanitatis abeunti cum fiducia promittens : ejus usus exemplo, qui leprosos mundaturus, ad sacerdotes eos direxit (*Matth.* VIII). Siquidem in ipsa, quæ jam imminebat, nocte humor ille subcutaneus, in perniciem longo tempore male congestus, fluxu ventris (*Luc.* VII) salubriter ad plenum est egestus : homoque pristinæ sanitati restitutus, proxima luce pedibus suis ad montem recurrit, Deo ejusque servo Annoni, gratiarum voces magnis lætitiæ laudibus persolvens.

VI. *Commiseratio ejus in debiles et claudos. Miraculum illustre.* Exigentibus aliquando negotiis publicæ administrationis, sua cuique principum regni parabatur in Saxoniam profectio, tendentibus singulis ad curiam imperatoris, quæ per id tempus Goslariæ habebatur. Necessario itaque summus hic Coloniensium præsul idem carpebat iter, Mansiones autem, prout opportunitas viæ poscebat, diversas habens, ex itineris et horæ declivioris necessitate quadam die Corbeiense monasterium adiit, illic pernoctaturus. Necdum vero mœnibus ipsis successerat, tantum proximus habebatur : et ecce conspicit ex adverso duos pauperes carrum vice jumentorum trahentes, in quo mulier membris omnibus debilis decumbens, causa stipis emendicandæ, hoc ductu, circumquaque ferebatur. Hæc famosi nominis antistitem Coloniensem transit, comperiens, elevata voce petiit, ut in Christi nomine respectu S. Viti martyris, suis succurreret ærumnis, datis subsidiis ad coemptionem asini quo subvecta, conviatorum suorum injurioso labori consulere posset. Piissimus sacerdos ad ejus vocem, retentis habenis, quinque solidos uni e clericis et cubiculario tradidit, mandans ut dilatione prorsus remota, dignum tantis pretiis animal ubivis inventum mulieri festinato adducerent : atque iis dictis, quod supererat viæ, celeriter percurrit. Porro ministris ad imperata satagentibus, asinus tandem votis eorum aptus obvenit : quem illi pauperculæ præsentantes, miraculi sequentis testes postmodum exstiterunt. Nam illa cum in gratiarum vocibus jumentum suscipiens, nomen Annonis Deo digni pontificis ore frequentaret, mercedem illi pro beneficiis imprecans, nullius ante roboris, subito conquiescentibus dolorum stimulis, tantæ se sensit fortitudinis, ut prosiliens ad terram, solidis gressibus sanissima, quomodo vellet, uteretur. Eam currentem, vocesque dantem exsultationis, sed et obviis quibusque exponentem, hæc se meritis et pietate Annonis episcopi percepisse, iidem memorati duo stupentes, concitatis equis, post vestigia sociorum dominum suum Corbeiam persecuti sunt : sed certi commotionis ejus et indignationis in talium rerum semper objectu, nullis ausibus eo ducti sunt, ut hinc quidquam ejus auribus intimarent, cum tamen eis interdum mutuo inde colloquentibus, aperte claruerit, eum isthuc minime ignorare, et merito : ex illis enim maximis Ecclesiæ luminaribus erat, quibus per spiritum datur vel sermo sapientiæ, vel gratia sanitatum, vel operatio virtutum, sive prophetia, vel aliud quid cœlestium charismatum : quæ singula singulis dividens Spiritus sanctus, prout vult (*I Cor.* XII), in hunc prope generaliter mirifice contulit. Quorum omnium mentionem locis suis pro viribus nostris exaratam lector habens, hic, quomodo præscius futurorum, per spiritum nonnulla prædixerit, paucis relationibus accipiet, tametsi totum voluminis hujus corpus idem sparsim loquatur.

VII. *Prædicit Hildulphum sibi successurum.* Ergo sicut ad nos usque veris assertionibus propagatum est, omni veneratione plenus Anno beatissimus, cum in Goslaria, villa scilicet regia, publicis majorum conventibus interesset, quidam ex latere regis clericus, Hildulphus nomine, pro famil aritate petiit, ut codicem sacramentorum, qui vulgo Missalis dicitur, quem pontifex non parvi decoris habebat, sibi dono daret. At præsul : Hac, inquit, interim postulatione carebis, donec juri tuo conferatur omne ministerium, quod capellulæ meæ claustris debetur.

VIII. *Benno episcopus Osnaburgensis.* Nec minori reverentia excipiendum reor, quod in Gradibus, qui Coloniæ insignes habentur, quodam die cum venerabili viro Bennone, Osnaburgensis ecclesiæ præsule residens, de archidiacono suo Sigewino cominus veniente, dixisse fertur : Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Quod ex ore tanti viri non leviter erupisse prædictas episcopus reputans, ausu dilectionis et amicitiæ immineabat, ut vim prælati sermonis ejus participaret negotiæ. Quem ille respiciens, primo, qua super eum existimatione moveretur, inquit, ac deinde subjunxit : Hunc profecto noveris in sede Coloniensium, meo jure quandoque recipiendum. Sed cum et hoc, sicut et illud superius, humano sensu dictum crederetur, et ob id negligentia quadam præteriretur, ipso tenebras has

Digitized by Google

egresso, successit in cathedram ejus primus Hildulphus, secundus Sigewinus : quorum testimonio sanctissimus prædecessor eorum, vera de eis prænuntiasse agnitus est.

IX. *Egilberto episcopo Mindensi futura scriptis significat. Prophetia S. Annonis.* At vero quibus exemplar epistolæ præ manibus est, quam olim dilectionis indicem Egilberto magistro suo direxerat eo tempore, quo Mindonensi præficiendus ecclesiæ, annulum et insignia reliqua, rege transmittente, susceperat, in hanc facile fidem adducentur, ne dubitent eum in multis futurorum scientia claruisse. Nam finem scriptorum faciens, in hæc ultima verba digressus est : Et tu me terræ commendes. Hoc Egilbertus legens, sed invitus accipiens, cum post tempus ambo convenissent, in medium litteras illas proferens, quam earum conclusioni fidem deberet, ne sine difficultate dixit invenire non posse : maxime, inquiens, cum progressior ætas vires mihi jam denegans, hoc quod posuisti, me a te sperare cogat. Ad hæc Anno beatissimus : Minime, inquit, verbis enim tuis rei finis, te superstite, refragabitur : et quod tibi littera sonuit, viva vox denuo confirmat. Tu me terræ commendes.

X. *Quidam ejus ministri, Judæ proditoris more, ab illo deficiunt. Alia ejus prophetia.* Nunc Judæ proditoris exemplo, de ministris ejus nonnulli, quos copiosissimus ad omnem libitum eorum ornavit beneficiis, pro bonis mala nequiter reddentes, prorsus ab illo defecerunt. Horum unus hodieque, quando hæc scribuntur, solis hujus particeps, in ejus contemptum vehementius insaniens, quasi liber, nec ullis cuiquam obnoxius servitiis, ab illo prope milliari remotus, minaciter residebat, fretus firmitate munitionis suæ, quam pridem sacer præsul eidem temerario, pii patris indulgentia construxerat. Eam vero ejus præsumptionem multis indigne ferentibus, die quadam procedens ab Ecclesia Christi sacerdos, in partes, unde hujus mali superbia sese erexerat, oculorum aciem direxit, movensque caput, ita locutus est : En ille meus, ut sibi jam videtur, dominus regaliter tumens, suis securus fovetur tectis, nec ulla futurorum formidine compungitur. Sed ego per illam, quam in sancto Petro possideo, fiduciam juro, totum illud præsidium, quo nunc superbe gloriatur, non arietibus, non hasta, non clypeo brachiorum virilium : quin potius ab ignavis et nullius constantiæ turbis expugnabitur ac destruetur. Idem post hæc animositate plenus, in necem militis cujusdam Coloniensis devolutus est. Unde concitati Colonienses, ex agris et villis plebeia contracta manu, munitiunculam illam circumdederunt, captamque subverterunt, juxta præsagium Annonis episcopi, hæc ipsa prædicentis.

XI. *Plurimum fidit Sigebergensibus. Vir sanctus multa de se ipso verissime prædicit.* Quis autem hujus infidelitatis invenietur, qui neget eum spiritu prophetico sermones, quos subjungimus, habuisse, cum opere completos in sequentibus audierit? Quos in Sigeberg ad fratres familiariter habitos, auctoritate narrantium inducti, nefas credimus subducere. Cum illis enim in hilaritate sedens, quasi pater cum filiis, secretorum suorum conscios eos semper habebat, nec erat aliquod cordis ejus arcanum, quod non eis credidisset. Quæ res, secundum illud apostoli, « Charitas foras mittit timorem (*I Joan.* IV), » ausum eis subministrabat et respondendi, et quælibet ex ipso percontandi. In hunc ergo modum, quasi postpositis seriis, frequenter eos allocutus est : Simeon ille nominatissimus, pro Treveris inclyto gloriatur patrono, sed et Bardo sanctissimus, urbis Moguntinæ decus, revera sanctitatis suæ meritum plurimis indiciis commendantes, omni quidem reverentia jure sunt colendi : verum quia magni prædicantur et sunt, donariis amplis honorari satagunt. At mihi meritis eorum non æque consociando, post depositionem hujus corporalis sarcinæ, non erit ingrata quantumlibet parvi xenii devotio, suscipiamque brevissimæ ceræ linique munusculum. Ad quod ejus dictum arridentibus, qui assederant, senioribus, et an etiam ipse post mortem signis crebrescere vellet insistentibus, cum magna fiducia respondit Voluntatis hujus magnitudinem profecto verbis aperire non sufficio : tamen ne secretorum meorum aliquid vestris inquisitionibus negetur, hujus me desiderii semper et esse sciatis, et fuisse, ut in eorum oculis, qui me vitamque meam insectantur, adhuc aliqua signa per me dignetur exhibere Christus, tum et pro sui nominis augenda gloria, tum et pro meo auferendo opprobrio, dum illi placens apparuero, qui nunc in omnium reprehensione sum positus. Id vero signorum meorum erit initium. Ad littus Rheni fluminis, flentium et plangentium humeris exanimis adductus, ante memoriam sanctæ martyris Afræ luctuosis obsequiis in navim exponat : quæ circumacta, nil ultra solitum agente remigum instantia, recto cursu contra sanctum Heribertum applicabitur, altiorem in ulterioribus, quam in anterioribus ripis stationem habens. Vos autem unici filii mei et fratres dilectissimi, cum me semper lætis gestibus susceperitis, adite quo ordine mihi tunc occurretis. Pro cantu fletus incomparabiles offeretis, ad psalmos et hymnos ora aperientes, planctuum et singultuum voces potius emittetis, quotiesque repressis virtute lacrymis immanissimi doloris psallere tentaveritis, toties in ipso conatu novis fletibus deficientes, imperfecta saltem verba vix exprimere sufficietis. Inter hæc omnes et juniores et provectiores circa feretrum meum cum ejulatu miserabili ruentes, horrorem et miseriam maximam, non hominibus tantum, sed et angelis ingeretis. Ille mihi sepeliendi cultus a vobis exhibebitur, hæc dilectionis, vicissitudo, hæc erunt exsequiarum mearum insignia. Post hæc membris terræ matri consignatis, vos operti tristitia, tumulum relinquetis : ingredientur vero cuncti milites mei, vocesque cum gemitu dantes, orationis Dominicæ supplicem precem ob requiem meam singuli Deo fundent. Quibus recedentibus, universi ministri mei et mihi servientes, in januam irrumpentes, clamores et suspiria congeminabunt, et ipsi quoque simili modo Deo me commendantes, ad sua quique convertentur, vobis in tristitia et luctu perseverantibus. At ego præsentiæ cœlestis regis exhibitus, primo quidem conspectu tremebundus, nimiumque timidus astabo : sed accepta paululum fiducia, qua mox importunitate, qua scilicet precum instantia pro meis monachis agere contendam, vobis jam exprimere potero? Nec deerunt minæ terroresque venenatarum linguarum, quibus tristitia vobis inducatur. Destructio loci, vobisque dispersio prædicabitur : passim quisque, prout animo collibuerit, de loco, de rebus ejus, et de vobis sermones agitabit : quæ cuncta dæmonum instinctu fient, ut fervor studii vestri hac occasione quoquo modo infirmetur. Sed nihil horum vos pertimescatis. Patris vestri dictis fidem adhibete : cuncta vobis ad abundantiam et omne commodum, amplius me mortuo, quam vivo, servient, ita duntaxat, si vos Domino servientes, cœptæ conversationis tramitem infatigabiliter curratis. Quod si subterfugientes, regularis disciplinæ jugum excusseritis, animumque levitati subjugantes, jocos et otia sectati fueritis, pigritiam et vitæ delicias amaveritis, contentionibus, murmurationibus, et detractioni operam dederitis, jam nunc scitote, quot monachi estis, malle me tot ethnicos eleemosynæ meæ devoratores existere. Hæc dicta beatissimi præsulis Annonis equidem omnibus generaliter admiranda, quia rerum veritate jam præcesserunt : specialiter autem nobis non minus metuenda, quam amplectenda, quia nos potissimum respicit, quidquid in eis vel dulce sonat, vel amarum. Eo autem hic inserta sunt, ut sciatur gratia viri sancti in præscientia futurorum, et ne contemnenda videantur, quæ quasi leviter interdum

Digitized by Google

dixisse perhibetur. Nam ut sciamus pondus et vim eorum, quædam subjungenda sunt, e quibus idem adhuc probari possit.

XII. S. *Bardo claret miraculis. Præclarum miraculum in paralytici curatione.* Apud Moguntiam, Germaniæ nobilissimam et populosam civitatem, magnam cujusdam nominatæ festivitatis celebritatem regni principibus, et ecclesiarum præsulibus jussio regalis effecerat, qui diversis ex provinciis illic adunati, curiæ præsidebant. In eo conventu sicut meritis intus, sic et auctoritate foris singularis præeminens Anno, summus Coloniensium præsul, quadam die populorum frequentia densissime circumfusus, ad immolationem immortalium sacramentorum ex more stetit in atrio principalis ecclesiæ, prope tumulum Bardonis archiepiscopi, ejus nimirum sanctitate delectatus, quæ recentibus interim miraculis commendabatur. Cumque multam cordis contritionem habens, totus lacrymis flueret, (nam quoties idem exsequebatur ministerium, non, ut plerique, coactis, sed sponte currentibus infundebatur lacrymis, ut crederes ex aliquo fonte venas vivas prosilire) mundissimis labiis orationes solitas complens, ab altari descendit. Cernens autem quemdam toto corpore miserabiliter contractum, adhærere tumbæ beati præsulis, isque esset non ignorans (fuerat enim a progenitoribus mancipium, super hæc et eleemosynarius illius, cujus cineribus ob custodiam assidebat) suo more usus, contra sepulcrum stans loquebatur : Ignotos, et prope nullius devotionis, ope celerrima respicis : hunc vero tuis inniten tem semper obsequiis, tui juris famulum, te diligentem, te precibus assiduis inquietantem, tanta hactenus obstinatione contemnere potuisti? Si nos tuis meritis ascribere vis, quod in aliorum curationibus hic actum esse fama confirmat, in hujus reparatione contracti, nobis cernentibus, declara tuæ virtutis efficaciam. Hæc multis audientibus cum dixisset, nulla intercipiente mora, æger in pedes repente constitit, incolumitatem suam et alio memorabili signo comitante, quod absque fluore sanguinis, absque dolore nervorum, integræ sospitati momento redditus est. Quod factum Anno Dei servus mira lætitia suscipiens, magnoque præconio S. Bardonis nomen et meritum extollens, hymnum Te Deum laudamus, altæ vocis modulatione inchoavit, tam populo quam clero pariter eadem devotione consonante, signisque solemniter concrepantibus. Rumor totam mox civitatem pervolavit, ædes regias intravit : unum proceres, unum reliquæ multitudines personabant, Annonis fide, virtutem Bardonis emicuisse, meritis utrorumque sanitatem homini applausisse : quam tamen si lingua conticuisset Annonis, nec tunc quoque sanctitas annuisset Bardonis.

XIII. S. *Annonis singulare studium et devotio erga S. Severinum.* Non inferiora dicturi sumus. Sanctissimus vir multa devotione cœlestes patronos excolens, speciali dilectione B. Severinum, suæ sedis antistitem, semper in ore, semper in corde tenebat, id habenas studii, ut qui sibi dulcis et charus ex animo constabat, is et in veneratione non a suis tantum, sed ab exteris quoque populis haberetur. Qua fervens intentione, tempore quodam gratum sibi viæ laborem cum suis assumpsit ad illam opibus, omnique probitate tunc insignem Babinbergensium civitatem, ut sui juris donum, in qua puer olim nutritus fuerat, filiam matris Ecclesiæ constituens, ejus eam nomini consecraret et honori. Hoc per oppidum cum innotuisset, die qua sperabatur ipsa dedicatio, tantis pluviis ab hora prima surgentis auroræ tota cœli facies obducta est, ut vehementiam imbrium nullius tecturæ operimentum arcere sufficeret. Cunctis itaque, quibus animo erat accurrere, tectis suis se tuentibus, pontifex a proposito suo violenter impeditus, tacitis precibus intra cubiculum cordis incubuit, ut imminens vel ad modicum intercipetur elementum, quantum in his negotiis exigeret mora ecclesiastici instituti. Sed ultra mentis suæ placitum hac prece nil proficiente, velut ex magna jam commotione vocem concipiens, ipsi B. Severino charitatis minas intulit, dicens : Si me tuis auxiliis in hac pellenda inundatione quam celerrime prosecutus non fueris, certe tantis irritatus adversitatibus, ad tui nominis reverentiam Ecclesiam prorsus refugio consecrare. Mira res. Adhuc fragili carne pressus, sudabat in terris, qui talia loquebatur : alter vero cui minæ intentabantur, unum cum Deo jam effectus erat, cuncti terroris expers, æternæ autem securitatis hæres : et tamen ad motum ejus, qui videbatur inferior, quoniam et infirmior, expavit eminentior. Nam ut putaretur irato velle reconciliari, mox ut dictorum finem Anno fecit, conquieverunt venti, disparuerunt nubes, cessaverunt imbres, repentini solis radii, roseo lumine micantes, oculos subitam aeris immutationem stupentes crebris ictibus reverberabant, et regnante serenissimi diei luce, omnis qui vel devotione, vel curiositate illectus erat, cursu prosequebatur antistitem, ad novæ dedicationis gaudia procedentem. Igitur arridente votis suis serenitate cœlitus præstita, cum exsultatione universorum, qui advenerant, tanto lætius consummavit illam, quam conceperat, consecrationem, quanto liquidius intellexit in hoc se nutui deservire divino, quandoquidem testimoniis elementorum idem vellet et Severinus.

XIV. *Miraculum admiratione dignissimum de musca. Testis hujus miraculi P. Reginhardus.* Post hæc omnia frustra quæritur, ejus ori quam propinquus fuerit ipse Dominus, cujus « oculi super justos, cujus aures in preces eorum (*Psal.* XXXIII), » « qui prope est omnibus invocantibus eum in veritate (*Psal.* CXLIV). » Non deerit tamen huic inquisitioni documentum satis egregium. Astabat quandoque sacro circumdans amictu conspectibus Omnipotentis, offerens nostræ redemptionis singularem hostiam super altare, quod attitulatione S. Michaelis præcipuum habetur in monte, qui nunc pretiosi corporis ejus gloria illustratur. Oculi cordis in illam cœlestium secretorum speculationem intendebant, exteriores lacrymarum rivos emanabant, et cum visibilis rei substantiam manibus contrectaret, hunc fidei complexibus dulciter astringebat, qui crucem pro nobis ascendit, ipsemet sacerdos, ipsemet et hostia : cui preces suppliciter fundens, pro episcopis, pro regibus, et omnibus in sublimitate positis, ac pro cunctis Ecclesiæ catholicæ cultoribus, ejusque pace instanter laborabat. Foris silentium agebatur, sed magnos clamores interior homo dabat, qui cœlos penetrantes, ad summæ majestatis throuum admittebantur. Interea toto sacramentorum ritu consummato, quod adhuc restabat, fractio panis fiebat. Pars in calicem mittebatur, residuum digitis sacerdos venerabiliter tenebat : in quod intendens, ab initio lacrymis replebatur, se protestatus indignum ejus perceptione, quod nullus unquam sanctorum sine metu sumere præsumpsisset. Currebant lacrymæ super lacrymas, crescebant gemitus, augebantur et suspiria : nihil aliud in corde, nihil in ore volvebatur præter hoc solum : « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum (*Matth.* VIII). » Nec vero quasi novæ compunctionis tunc in eum subierant stimuli : quotidianus iste mos ejus erat ad sacrificium stantis. Interim oratione longius protracta, imago dæmoniorum, musca videlicet spurcissima, visu quoque nauseam generans, impetu super Dominicum corpus ruit, ereptamque morsu particulam, cum maximo dolore sacerdotis avolans exportavit. Cerneres eum subito colore mutato mortui similitudinem expressisse. Horruit ausum animalis immundissimi, nec minus pro se pavidus, ob augendas culpas id sibi reputabat evenisse. Sed ex maxima tristitia, maxima mox lætitia creata est, et unde credebatur Satanas insulturus, inde quammaxime

Digitized by Google

confusus est, ordinante clementia Salvatoris : ut quod esset ignobilius in creaturis, quod viro sancto tantum intulit luctum, eo gloriosius esset miraculum, per quod ad meritorum ejus declarationem de eodem triumpharet. Siquidem venerabilis pontifex his angustiis ultra stili nostri facultatem gravitor obstrictus, tandem cor et oculos in Deum fixit, nullis quidem indiciis rem alicui circumstantium prodens, auxilium vero non labiorum motu, sed animi contritione et humilitate lacrymarum ab Omnipotente instantissime flagitans. Quid multa? Omnis impuritatis amica, quasi violenter impulsa, præcipiti volatu rediit, murmure suo et sibilo quodammodo vim, quam patiebatur, aperiens, illudque quod raptu nefandissimo fragmen sustulerat, in oculis sacerdotis paternæ restituit. Inde se velut avolatura levans, seorsum super altare ruit exanimis, dignam tanti flagitii pœnam luens. Tum vero mœror, qui pectus sancti viri sauciaverat, totus in gaudium versus est, nec puto quemquam tantæ facundiæ, qui plene possit exprimere illas gratiarum voces, illudque divinæ laudis jubilum, quod omnia personabant interiora, tantam Domini pietatem admirante sacerdote, quod ejus lacrymis, qui pulvis futurus erat, adeo fluxus est ad misericordiam, ut in tam vili animante suæ potentiæ non dedignaretur exercere magnalia, quodque non minori prudentiæ suæ miraculo res tam exigua, quamvis pretiosa, per illas moras, ne periret, reservata sit, quam utique præscierat modis omnibus restituendam. Ad clericum deinde conversus, qui sibi proximus assistebat, innuit ut incendio musca consumeretur : ipse vero sanctam communionem magna cum securitate suscipiens, Sancti spiritus gaudio comitante, ministerium illud debito fine terminavit. Hoc ne in dubium alicui veniat, sciat qui ejusmodi est, Patris Reginhardi relatione nobis id innotuisse, cui ore suo sanctus pontifex idem affirmavit : nisi forte tantæ perfidiæ sit, ut conetur astruere, beatum virum de seipso non vera finxisse.

XV. *Conventus principum Moguntiæ. Duo innocentes juvenes sententiam mortis excipiunt. Dominus in forma Annonis eos a suspendio conservat et liberat. Non suis meritis ascribit hoc miraculum, sed misericordiæ Dei.* Quidquid tamen eorum, quæ dicuntur, in dubium venit, cum non dubia, sed certa certis fulta testibus ediderimus, facile sui fidem capit ex uno, quod ad ejus comprobanda merita, « mirabilis in sanctis suis Dominus (*Psal.* LXVII), » mirabiliter operari dignatus est. Res vero tali teste defenditur, ut veritatem ejus gravitas morum verborumque ipsaque canities hominis, etiam incredulis loquantur, hoc principio editi miraculi tenorem exsequentis. Erat regalium obsequiorum in urbe Moguntia tempore quodam celebritas agenda, primisque de regno juxta morem ad curiam evocatis, Anno venerabilis, et famosi inter omnes nominis, a rege curam et administrationem hujusce tripudii tunc acceperat. Cumque, ut jusserat rex, festinaretur a cunctis ad metropolim jam dictam, et ipse nihilominus idem cum suis iter accelerans, in quasdam terræ partes pernocturus devenit, ubi sermone celebri rumor circumquaque ferebatur, et regem cum suis inibi nocte proxima mansiones accepturum. Ea die concilio provincialium facto, duo juvenes, ut ex consequentibus intelligi datur, sententiam damnationis innocentes exceperant, furentibusque crudelitate bestiarum exactoribus, statim ad cervicem positis restibus, ad suspendium urgebantur. Non erat eis excusationis vel veniæ locus, nulla contra eos defensio, qui « justificant impium pro muneribus, et justitiam justi auferunt ab eo (*Isa.* v) : » solummodo cor et oculos ad eum habebant, « cujus omnia judicia justa sunt, cujus universæ viæ misericordia et veritas (*Dan.* III; *Psal.* XXIV). » Jam gelidus per ossa pavor fundebatur, jam exspectatione sola mortis examines stabant, cum inter angustias ipsas ad exorandum Dominum animati, clamores validos ab intimis dabant, ejus omnipotentiam, ejus invocando clementiam, ut per interventum cujuscunque servi sui, quomodo vellet, fieret eis a morte liberatio : quandoquidem a cunctis exclusa pietate, nemo de præsentibus parceret, nec esset, quem naturæ propinquitas ad misericordiam traheret. Audivit Dominus, et misertus est, invisibilemque visibiliter adesse jubens potestatem, ad declarandum mortalibus suæ divinitatis de Annone testimonium, in ejus eam effigie potissimum apparere voluit. Nam illi cum ad patibulum manibus retro ligatis traherentur, in ipso mortis eorum articulo, quando duello sævo mors vitaque confligunt, circumstantes omnes juxta famam superiorem de rege mentionem inferentes, eorum auribus ejusmodi confabulationis strepitum ingerebant. Protinus ambo tracti corporalibus oculis ad similitudinem quamdam percepti sermonis, sicut eis post referentibus innotuit, quasi regem ipsum imperiali comitatu circumfusum adventare conspexerunt, magnæ dignitatis clericum quemdam in illa frequentia secum habentem, cujus habitudo faciei totam, in qua pius agnitus Anno est, effigiem exprimeret. Isque universis prætereuntibus, solus in miseros pios defigens obtutus, locum ocius adiit, seque medium utrisque supponens, hac manu dextrum, altera vero sinistrum ad medias noctis tenebras singulis in pedibus sustentabat. Nulla deinde in liberandis illis morarum obluctatio : pariter ab eo depositi, pariter manuum et vitæ libertati ab eo redditi, hac hortantis eos ad fugam voce sunt commoniti : Cursu, qua placet, viam arripientes, hinc miserandi secedite : liberator veser, Deus potens et clemens. Eo cum his verbis evanescente, manifestam divinæ bonitatis virtutem in se juvenes admirati, quamlibet e villis adjacentibus, effugiendi spe petere statuerunt : secutique jam non tam sui cordis, quam cœlitus propositum callem, in eam, ubi minister gratiæ cœlestis Anno stationem ea nocte metatus erat, ingressi sunt : et mirum in modum, cum ubique numerosæ ædes se offerrent obvias, solam Annone hospite tunc insignem, ceu eorum animis inscriptam, tecto itinere domum petierunt, cum tamen nulla ad eos vel nominis, vel præsentiæ ejus notitia pervenisset : illo nimirum ducente eos, qui se viam testatur et vitam (*Joan.* XIV). At ubi primum insperatam viri Dei faciem inter curiosorum orbium species offenderunt, membris omnibus concussi, ad ejus vestigia velociter proruerunt, illum lacrymis, illum gratiarum actionibus summæ majestatis servum et amicum clamantes, per quem Christus se diem cum nocte facientes in ligno, per tot moras, ne suffocarentur, ad vitam servaverit. Credendi maximum inde sumebatur argumentum, quod fœda totam faciem operiente macie, nodorum ad colla adhibitorum vestigia cernerentur. Sed præsul ab humilitate sua prorsus animum non mutans, homines a se injuriose repulit, dicens eos cupiditate lucri nequiter illectos, hanc fallaciæ plenam excogitasse fabulam. Nonnullis tamen ex clericis innuit, ut seorsum illis assumptis, rem inquisitione subtili plenius investigarent, mandans et de causis, undo damnati essent, quæstionem movere : ut innocentia sua vel defenderent, vel improbarent, quod actum erga se cœlitus affirmabant. Sicque factum est, ut cum nullis instructi fraudibus, ad omnem interrogationem simplicibus responsis occurrerent, et divinitus operata per pontificem virtus innotesceret, et culpa vacantes juvenes, injuste damnati invenirentur. Tum vero mox in laudem Creatoris brachia sacer antistes et oculos attollens : Non, inquit, hæc meritis meis ascribere fas est : tua, Christe, sunt hæc opera, tuæ profecto benignitatis in his declarantur exempla : qui verus innocentiæ restitutor et amator, quomodo voluisti, ne perirent, misertus es innocentibus. Aliquantis dein ex eleemosyna sua solidis in viros expensis, ipse cœptæ viæ se cum

Digitized by Google

suis dans, ibat, sicut dicitur, de « virtute in virtutem (*Psal.* LXXXIII), » habens et gratiam revelationum multam. Hinc jam aliqua dicturum, copia per singula non patitur ire : paucis tantum partim hic, partim in posterioribus, lectoris erunt studia conciliandæ.

XVI. *Visio ejus. Non est consecranda ecclesia sine dote.* Accidit ut ecclesiolam quamdam novæ constructionis, intra partes regiminis sui sitam, die quadam sanctificaturus, cum suis conveniret. Dos autem, unde legitima nominis ecclesiæ fieret articulatio, nusquam reperiebatur ad manus, prædiis, quæ acquisierat, aliis ecclesiis in eleemosynam ab eo distributis. Hac pro re multis æstuans cogitationibus, diem ad noctis ingressum protraxit. ecclesiastica sanctione sciens inhiberi, sine dotis privilegio talibus inservire negotiis. Porro divinum officium qualibet dilatione deinceps illic postponeretur, tunc quidem deliberabat insistendum consecrationi, post autem et pro dote sollicitius satagendum. Hujusmodi definitionem post varias retractiones animo concipiens, in somnum resolutus est : et ecce per visum contemplabatur se prope quoddam altare consedisse, pontificali cultu splendide circumdatum : eam vero speciem prætendentem, ut putaretur jam jamque processurus ad quamdam dedicationis celebritatem. Cui protinus assistens vir canitie angelicus, vultu roseus, claritate simul et auctoritate suspiciendus, cum se Petrum esse dixisset, quærere cœpit, quid illic exspectaret. Sanctus vir, tanquam notissimam cerneret personam, manens imperterritus, se respondit ad ædiculæ cujusdam consecrationem eo venisse, statimque subjunxit apostolus : Dotem, quæ competit, assignatam habens, id quod cupis, legitime poteris exsequi? Quia præsul inquisitione conscientiam suam conventam intelligens, id se dixit ex animi deliberatione proposuisse, licet ad præsens dotis suffragio destitueretur, ne benedictionem, pro qua venerat, diutius suppenderet : quandoquidem in procrastinatione dotis divinis nil obesset servitiis, quam se, vita comite, sciret brevi reperturum, et ex more traditurum. Hoc, inquit apostolus, ecclesiastica jura non habent, ut sine dotis commendatione, sponsa Christi thalamis admisceatur. Unde ne transgressionis hujus occasione gravius peccetur, ex nostræ potestatis auctoritate tibi concedimus, ut quoties necessitas exegerit, ab his, quæ matris Ecclesiæ sunt, dos filiæ præstetur. Evigilavit continuo pontifex, ordinemque visionis suæ, rationis oculo crebrius examinans, ne forte deceptionis ministra fuerit, a Deo se præmonitum evidenter agnovit. Sic tenebris ad ingressum diei recedentibus, ipse certus ex visione quid faceret ad consecrationis officium lætus processit, ex prædio metropolitanæ sedis eam, quam sine damno matris invenit, filiæ dotem tradens.

XVII. *Multæ antiquæ structuræ Coloniæ. Mauri martyres* 360 *Coloniæ cæsi. Visio alia S. Annonis. A sanctis Mauris flagellatur. Crypta apud S. Gereonem fit auctior.* Ut autem antecedenti narratione comprehensum est, ejus in divinis rebus studium omnis etiamnum Colonia testatur : quæ multis sanctorum congregationibus repleta, habet in singulis, quod monumentorum ejus posteris reservet. Verum inter multas antiquitatis structuras, quibus ipsa civitas nobiliter excellit, beati Gereonis olim eximia celebrabatur fabrica, quam Helena Christianissima matrona, Constantini mater, regiis sumptibus in rotundum erexit, ita marmorea pulchritudine, aurique luce foris et intus resplendentem, ut ad Aureos sanctos appellaretur. In hoc sanctorum ambitu, sicut fama loquitur, post beati Gereonis et sociorum ejus interfectionem, milites ex Mauritania numero trecenti sexaginta, pro fide pariter trucidati, eamdem cum beato Gereone, sicut animarum, ita et corporum requiem meruerunt : sed in negligentiori veneratione habebantur a populo, eo quod in Australi latere templi, suæ memoriæ cryptam satis humilem, et paucorum receptioni propter angustias habilem, obtinentes, ex accessu rariori per ætatum successiones e memoria pene sublati essent. Quæ negligentia multis increscens annis, sic et Annonis sancti durabat temporibus, donec nocte quadam eo quiescente, revelationis hujusmodi salutari correptus est verbere. Sublatus in excessum mentis eorumdem Christi martyrum, sanctorum scilicet Maurorum, multitudinem cum magna luminis gloria velut ad concilium uno in loco congregari videbat. In quos cum mirantibus defixus oculis, quem visio ipsa finem esset habitura, summa sustineret exspectatione, raptus continuo, locum qui congregatæ multitudinis medius erat, ut examinandus accepit, torvis aspectibus in eum cunctis respicientibus. Cumque discussio subtilis ageretur, vel operum illius, vel meritorum, ab illa sancta concione magnarum querimoniarum generalis clamor exortus est, conquerentibus eis, antecessorum ejus incuria se tanti temporis contemptum pertulisse, nec ullius venerationis cultum a concivibus urbis suæ eatenus accepisse : in hoc se amplius permoveri, quod qualitercunque a superioribus episcopis erga ipsos actum sit, ejus, de quo spes melioris studii habebatur, non minor in eos neglectus existeret. Post has sanctorum interpellationes, ubi per increpationem districte requisitus est, quia temeritate tot veritatis testes in tanta vilitate habuisset, non invento excusationis loco, cunctorum sententia justæ ultionis flagellum subire jussus est. Itaque veste spoliatus, verberibus graviter attrectatus est. Suspiriis autem, et omnis emendationis sponsione suppliciter in tormentis, ut parceretur, laborans, hac eadem conditione tandem dimissus a somno gravissimo, magno pavore æstuans, evigilavit, ita tremens, et totius corporis habitu ita se gerens, quasi sub flagellis etiamnum palpitaret. Mox in se reversus, intelligentiam somni non aliunde, sed ex illatis plagis in ipso corpore sensibiliter habens, necessario placendos dixit, quibus iratus tantæ acerbitatis animus inesset : satisque metuendum, ne denuo concitatis eis, non ut ante, aliqua respirandi copia sibi concederetur. Collectis ergo viris industriis et ingeniosis, ad eamdem rotundi schematis basilicam, ab orientali parte rupto muro veteri novum continuavit ædificium, quod dispositis in longum parietibus, per ascensus aspectu decentissimos in chorum spectabilem, turresque geminas operose superius consurgens, cryptam in inferioribus magnæ capacitatis explicabat. Addens præterea hunc vel illum ex coloribus sive metallis ornatum, egregiæ laudis titulum, in eisdem picturis versibus appositis, ita promeruit :

Ex Domini monito compunctus episcopus Anno,
Quidquid habere potest, divinis cultibus offert,
Jussit et astantes appingier ordine patres
Urbis Agrippinæ, sanctæ virtutis amicæ.
Pro quibus in cœlis lætabitur ipse fidelis.

XVIII. *S. Georgius Maurus martyr invenitur.* His omnibus, ut hodie cernitur, pulchre perfectis, deinceps in exquirendis sanctarum reliquiarum corporibus immorabatur. Hujus autem intentione spei stratam marmoribus terram intra templi septa detegens, principem sanctæ sodalitatis illius, beatorum scilicet Maurorum, Georgium nomine, sociis in circuitu quiescentibus accuratius præ cæteris humatum reperit, chlamyde purpurea circumdatum, orarum ejus extremitatibus in insignem auri texturam desinentibus. Hunc cum nonnullis aliis de sepulcro super altare debita reverentia exaltans, in ejus laudem, qui talium thesaurorum auctor et largitor erat,

Digitized by Google

erupit : et exinde nomen et memoria sanctorum Maurorum, per omnes Coloniæ angulos celebrior inolevit.

XIX. *S. Eliphius apparet S. Annoni.* Eliphius quoque magni meriti martyr, qui post abcissionem capitis, cum eodem viæ longissimæ spatium percurrit, in visione beato assistens, ejus erga se negligentiam redarguit, improperans quod eam, quam ut religiosus in cæteros urbis suæ patronos mentis devotionem ostentabat, in eo multum offuscaret, quod sciens ipsum nulli meritis secundum, hac extremitate post omnes habuerit, ut ne minimis quidem indiciis suam unquam benevolentiam in ejus ecclesiæ amplificatione prodiderit. Eo respondente, jactis quibuslibet novis fundamentis, inundationem Rheni fluminis in subversionem totius monasterii sine dubio mox incubituram : perstitit ille, quamlibet vel parvam ejus devotionis exigens operam, sicque disparuit. At sacerdos a toro se post quietem excutiens, cœnobium S. Martini, in quo martyr idem patrocinabatur, adiit inspecturus loci situm, habitoque consilio, duas turres, a fronte sanctuarii consurgentes, in aerem suberigi præcipit, laudem meritumque viduæ, duo minuta offerentis (*Luc.* XXI), procul dubio obtinens.

XX. *Negligentia diaconi in decantatione psalmorum. Visio S. Annonis.* Multis in hunc modum revelationibus proficiens, ad meliora in dies incitabatur, Diaconum boni magistri æmulatorem secum habens : cum quo jugis illi erat consuetudo, cessante strepitu publicæ dispositionis, ad psalmos et orationes recurrere semper. Porro sicut per imbecillitatis humanæ defectum nonnunquam accidere solet, idem clericus in decantatione psalmorum cum episcopo per vices tædio superatus, ex negligentioribus et præproperis alternorum versuum enuntiationibus in eam decidit consuetudinem, ut in iis canticis, quæ Patris et Filii et Spiritus sancti gloriam per discretas personarum appellationes resonant, mediam semper, id est Filii, transiliret personam. Quam fidei contrariam, et omnino fugiendam negligentiam cum nemine attendente nulla per longum tempus corrigeret emendatio, venerabilis pontifex in secretissimo noctis cujusdam silentio quiescendi gratia jacens in lecto, palpebris necdum plene sopore depressis, ex ea desuper parte, quam vertice respiciebat, sonum aure percepit negligenter et corrupte percurrentis, Gloria Patri et Spiritui sancto, ac denuo repetentis idipsum, media per celeritatem intermissione dictione : factusque repente tanquam in exstasi, quemdam, cujus claritas et habitus humanum excedebat modum, in majestate, qua Filium Dei decebat, contra se stantem aspexit : qui radiantibus oculis in ora stupentis comem et placidum se ingerens, protensis coram eo tribus sinistræ manus digitis, primum eorum dextro tetigit indice, dicens : Ecce Pater : moxque secundum, Ecce Filius : post hæc et tertium, Ecce Spiritus sanctus, et vocem intra voces paululum cohibens, Ecce tres, ait, in una Deitate similiter adorandæ personæ, quibus gloria par dicitur ab universali semper Ecclesia. Mediam inter Patris et Spiritus sancti personam Filius habet, nec ullam recipit divisionem a duobus in ulla diminutione majestatis ejusdem et gloriæ. His ita catholica veritate se habentibus, ut quid clerici tui blasphemias sine correptione præteris ? Eam, quam cum Patre et Spiritu sancto communem possideo, gloriam mihi subtrahit, in duarum vocabulis personarum me, qui media Trinitatis persona sum, ad omnem gloriæ decantationem transiliens. Protinus excitato sacerdote, imago quæ videbatur, evanuit. Admirans autem in consideratione visionis tam perspicuæ, moras quas interim patiebatur, donec ad consuetos hymnos veniretur, annorum instar putabat, summopere festinans corporis auribus discernere, quod intelligibili sensu per excessum jam acceperat. Observans itaque diligentissime psallentis diaconi os, solito festinantius ultimum psalmi versiculum ipse terminavit. Mox gloriam trini numinis clericus adjungens, mediam solita acceleratione intercepit personam, duas tantum dicens. Nec ultra sequentium psalmorum modulatio processit, donec ab episcopo reprehensus ex ordine visionis jam dictæ, negligendam tanto tempore se contraxisse didicit offensam, habens de cætero non emendationis tantum, sed et proficiendi salubrem occasionem. Sed jam stilum mutare rerum Dominus jubet : plena sunt lacrymis, plena miseriis et ærumnis, quæ sequuntur : et forsitan eo digniora tanto viro, quo et graviora : quoniam ubi durior pugna, ibi gloriosior et victoria. Si Job recipitur flagellatus (*Job* I, II), et hinc Annonem beatificabimus, qui post multas tribulationes meruit introire in regnum Dei (*Act.* XIV).

XXI. Pius enim Dominus, qui, quos amat, arguit et castigat (*Apoc.* III), hanc quoque dilectam sibi animam ante diem vocationis ejus multis tentari permisit incommodis : ut scilicet ab ea omnem scoriam terrenæ conversationis excoqueret caminus transitoriæ tribulationis. Primum moto Saxonico bello, fratrem ejus Wesselum Magdeburgensem archiepiscopum, et consobrinum ejus Bucconem Halberstadensem episcopum, tempestas involvit gravissimæ persecutionis. Contra hos cum regi, totius Saxonicæ gentis exterminium anhelanti, opem non satis impigre ferret, naturæ profecto legibus et carnali affectione inhibitus, invisus ei suspectusque efficitur, perjurii ac perfidiæ insimulatur.

XXII. *Ministri episcopi male accipiuntur a quodam mercatore. Seditio Coloniæ* (14). Hinc inter eum et regem quotidie discordiis incrementa accipientibus, cives quoque Colonienses, quibus paulo ante unice charus acceptusque fuerat, ad interficiendum eum proh dolor! sollicitantur : quibus ad patrandum, quod nefarie machinabantur, casus idoneam attulit occasionem. Archiepiscopus Pascha Coloniæ celebravit, eratque cum eo episcopus Mimigardevordensis [*id est* Monasteriensis], ad communicanda tantæ solemnitatis gaudia, familiaris amicitiæ obtentu evocatus. Cumque exactis ex parte feriis Paschalibus, abscedere pararet, ii qui archiepiscopi domestica negotia curabant, jubentur ad evectionem ejus navim idoneam providere. Qui lustratis perspectisque omnibus, unam mercatoris cujusdam prædivitis navim, quia in eos usus competens videbatur, occupant, eamque in ministerium archiepiscopi, ejectis mercibus quas habebat, ocius expediri jubent. Negantibus famulis, qui navim servandam susceperant, vim, nisi mature jussa capessant, minitantur. Illi vero, quantum poterant, citato cursu ad dominum navis rem deferunt : quid facto opus sit, consulunt. Habebat ille filium adulta ætate, non minus audacia quam viribus excellentem, et cum propter generis affinitatem, tum ob merita sua primoribus civitatis maxime charum et acceptum. Is assumptis famulis suis, et juvenibus ex civitate, quantos in ea trepidatione in auxilium suum conscisceré potuit, concitus ad navem evolat, et ministros archiepiscopi acriter, ut navis exoccuparetur, insistentes, cum injuria proturbat. Dehinc advocatum urbis in idem opus succedentem, tumultusque instaurantem similiter repellit, fundit et fugat. Jamque et his et illis, sui singulis amici armati subsidio accurrunt, et ad magnum discrimen pugnamque ancipitem res spectare videbatur. Perlato mox nuncio ad archiepiscopum, quod atrocissima seditione confunderetur civitas, misit festinanter ad sedandos motus populi, irarumque plenus minabatur se pro-

(14) Hoc caput fere ad verbum descriptum est ex Chronico Lamberti Schafnaburgensis.

Digitized by Google

xima sessione seditiosos juvenes merita pœna coerciturum. Erat quippe vir omni genere virtutum florentissimus, et in causis tam reipublicæ quam Ecclesiæ, spectatæ sæpius probitatis. Vix ad modicum dirempta est concertatio : sed ferox animis, et elatus primo successu juvenis, non cessabat interturbare omnia : percurrensque civitatem, varios sermones per populum serebat de insolentia et austeritate archiepiscopi, qui toties innocentibus sua alimeret, toties honestissimos cives procacissimis verbis incesseret (15). Nec difficile fuit, id hominum genus in omne, quod velles, tanquam folium quod vento rapiatur, transformare. Præterea in mentem veniebat Wormatiensium insigne præclarumque facinus, quod episcopum suum insolentius agere incipientem, urbe expulissent, et cum ipsi multitudine opibus armisque instructiores sint, dedignantur quod inferiores æstimentur audacia, et archiepiscopum tyrannico sibi fastu imperitantem, tandiu muliebriter patiantur. Conferunt primores inepta consilia, sævit vulgus intemperans novarum rerum studio, et per totam civitatem spiritu diabolico raptatum, ad arma conclamat : nec iam archiepiscopum urbe expellere, sicut Wormatienses, sed per omnes cruciatus trucidare, si copia detur, conspirant. Natalis erat B. Georgii martyris, qui eo anno feria quarta hebdomadæ Paschalis obvenerat, et archiepiscopus celebrata missarum solemnitate apud B. Georgium, cum sermonem faceret ad populum, præsagio quodam futurorum, nescius ipse mali quod imminebat, contestatus fuerat audientibus, quod civitas diabolo in potestatem tradita esset, et propediem peritura, nisi jamjam impendentem iram Dei per pœnitentiam inflectere maturarent. Auxit hujusmodi suspicionem omnibus quædam in hunc modum visio celebris : Quidam bonæ vitæ vir ante dies aliquot hujus turbulentiæ, vidit per somnum corvum quemdam horrendæ magnitudinis per totam volitare Coloniam, et terribiliter crocitando, populum tali spectaculo attonitum huc et illuc agitare : supervenire post hæc virum, tam veste quam forma præcellentem, qui et corvum horrifico sonitu perstrepentem urbe expelleret, et populum mente consternatum, jamque extrema omnia formidantem, cassa formidine absolveret. Cumque a circumstantibus interpretationem somnii horrore concussus quæreret, audivit quod civitas propter peccata populi diabolo in potestatem tradita fuisset, sed interventu Georgii martyris liberata, instantis jam atque a Deo prædestinati interitus necessitatem evasisset. Igitur post meridiem, inclinata jam die in vesperum, cum igni oleum, iracundiæ accessisset ebrietas, subito civium conjurata manus erupit : ac primo portæ civitatis omnes custodiis vallatæ sunt : dein ex omnibus urbis partibus ruunt ad curtim [chortem] archiepiscopi, et eum celebri quodam loco cum episcopo Monasteriensi cœnantem adorti, tela contorquent, saxa jaciunt, nonnullos ex assistentibus interficiunt, cæteros plagis et vulneribus confectos, in fugam vertunt. Inter hæc conspicantur quamplurimi, ipsum talium furiarum incentorem dæmonem præcurrere insanienti populo galeatam, loricatum, igneo mucrone terribiliter fulgurantem, nec ulli, quam sibi, similiorem. Cumque militari quodam classico cunctantes, ut se in pugnam sequerentur, concitaret, in ipso impetu, quo portarum seras effracturus vociferando irruebat, repente ab oculis sequentium disparuit. Tunc archiepiscopum sui inter cuneos hostium, nubemque jaculorum vix et ægre, expeditum, in templum S. Petri abripiunt, ipsique non modo seris et vectibus, sed admotis etiam magnis molibus obfirmant. Sæviunt foris, et instar inundantis aquæ rugiunt vasa diaboli, plena vino furoris Dei, et per omnia episcopii penetralia discurrentes, fores infringunt, thesauros diripiunt, vasa vinaria concidunt, et dum vina in diuturnos usus summa ope congesta, præcipitantius effundunt, repletum subito cellarium, ipsos, quod dictu quoque ridiculum sit, inopinis fluctibus periclitatos pene suffocaverat. Alii capellam archiepiscopi irrumpentes, altare spoliant, sacra vasa pollutis manibus contrectant, vestimenta pontificalia diripiunt : dumque omnem supellectilem sacri ministerii curiosa, immo furiosa diligentia evertunt, reperientes illic quemdam clericum, præ timore se in angulo altaris occultantem, et putantes quod archiepiscopus esset, interficiunt, non sine gratulabunda exprobratione, quod petulantissimæ linguæ tandem aliquando modum imposuerint. Sed cognito, quod decepti similitudine essent, et episcopus intra templum S Petri et loci religione, et murorum firmitate se tutaretur, undique conglobati ipsum templum obsident, muros perfringere dedita opera moliuntur : postremo, nisi ocius sibi tradatur archiepiscopus, ignem quoque se adhibituros minitantur. Tum ii, qui intus erant, videntes obstinatos esse omnes ad necem ejus animos populi, nec ebrietate sola, quæ tempore digeri solet, sed etiam odiis et phrenetico quodam furore homines agitari, suadent ei ut, mutato habitu, effugere conetur de ecclesia, et fallere obsidentes, hoc facto, et sacras ædes incendio, et se mortis periculo liberaturus. Opportunum fugæ patrocinium tempus pollicebatur. Nam seditione in mediam noctem protracta, horrebant omnia tenebris et caligine, ut haud facile cuiquam esset, vultus occursantium discernere. Angustus aditus patebat de templo in dormitorium, itemque de dormitorio in atrium domumque canonici cujusdam adhærentem muro civitatis : isque ante paucos dies ortæ seditionis impetraverat ab archiepiscopo, Deo ad salutem archiepiscopi hoc ipsum misericorditer providente, ut, rupto muro civitatis, parvulum sibi posticum facere sineretur. Ibi eductus archiepiscopus, applicitis in evectionem ejus et comitum ejus quatuor equis, abiit, opacæ noctis tenebris, ne ab obviantibus agnosceretur, commodissime usus : repertoque post modicum episcopo Mimigardevordensi, sociis jam pulchre pro ea tum calamitate constipatus, in locum, cui Nussia nomen est, pervenit. Interim ii, qui circa templum erant crebris arietum ictibus muros quatiebant, eratque confusa vox tumultuantium, et fidem omnipotentis Dei testantium, quod non evasurus esset manus suas, non decepturus obsidentium diligentiam, etiamsi in minima terræ reptilia se transfiguraret. Econtra ii, qui obsidebantur, nunc supplicando, nunc pollicendo, quod diligentissime quæsitum, si inveniretur, ipsis tradituri essent, callide ludebant operam perurgentium, usquequo archiepiscopum longius evectum, atque in tuta loca progressum esse arbitrarentur. Tum demum reclusis foribus, ipsos ingredi, et pro libitu suo quærere sinunt : adjiciuntque frustra eum quæri intra septa templi, quem certo comperissent primo incursu concitatæ multitudinis, clara adhuc die urbe egressum, jam in longinquas partes transire potuisse : idque magis suspicandum, quod contractis undique per moram nocturni temporis copiis, primo mane ad occupandam armis civitatem sit adventurus. Igitur ingressi, cum omnia templi penetralia diligentius investigando evertissent, vix tandem admissa fide, quod falli potuissent, deinceps ab inquisitionis studio ad tuendam urbem animos vertunt, armatamque multitudinem circumquaque per propugnacula dispertiunt. Inter hæc arreptum quemdam de turba, super portam urbis ad ignominiam episcopi suspendunt, magis in hoc furori suo, quo præcipites raptabantur, satisfacientes, quam quod crimen ullum suspendio dignum, misero obtendere possent. Alteri crura succiderunt. Mulierem etiam quamdam de summitate murorum præcipitant, fla-

(15) Ironia est.

Digitized by Google

ctisque cervicibus interficiunt, hoc ei crimini dantes, quod homines plerumque magicis artibus dementare infamata fuisset. Sed hoc scelus commodiori tempore, et pacatiore animo vindicare debuerant. Induxerant etiam in animum si non fuga vix evasisset. Abbatissam perimere de S. Cæcilia, solam mortis ejus causam habentes, quod archiepiscopo consanguinitate jungebatur : adhuc et sceleratiora aggredi statuentes, nisi Deus Coloniæ misertus, breviasset dies amentiæ eorum. Præterea juvenes impigros citato, quantum possent, gradu ad regem ire jubent, nuntiare ei quæ gesta fuerant, et suggerere ut quantocius veniat, vacantem expulso archiepiscopo, civitatem occupare : in eo verti salutem civitatis, et ipsius utilitatem maximam, ut grandia molientem de vindicanda injuria archiepiscopum anticipare conetur. Talibus furiis toto triduo agitabantur. Postquam auditum est per provinciam, et celebri rumore vulgatum, quod Colonienses sua archiepiscopum probris et contumeliis affectum, urbe fugassent, exhorruit omnis populus novitatem rei, atrocitatem sceleris, spectaculum humanarum rerum, quod vir tantarum rerum, quod vir tantarum in Christo virtutum, tam indigna perpeti, Deo aspiciente, potuisset. Magna ejus in pauperes liberalitas, multa in humanis moderatio, vehemens in corrigendis legibus studium, libera in corrigendis qui male agerent severitas, omnium ore celebrabantur, earumque rerum commemoratio non minimum ei gratiæ apud populares conciliabat. Exclamant omnes, ad suam magis injuriam pertinere violatam pontificalis nominis majestatem, et mori sibi satius esse, quam ut tantum flagitium suorum temporum inultum patiantur. Igitur per quatuor vel quinque milliaria circumquaque ad arma conclamant, multa hominum millia dicto citius concurrunt, nullo qui per ætatem arma ferre posset, tam religiosam militiam detractante : conglobatique in unum, rogant archiepiscopum, et cunctantem vi impellunt, ut ad recuperandam civitatem quantocius festinet : se pro eo dimicaturos, et si ea necessitas incumbat, oves pro pastore, filios pro patre libenter mortem excepturos : ac nisi Colonienses maturent venientem suscipere, et pro ipsius arbitratu satisfacere offenso, se aut ingesto igne populum cum civitate consumpturos, aut dissipato muro, eum super congeriem occisorum in cathedram pontificalem reducturos. Ita archiepiscopus quarto die post, quam exierat, magna vallatus agmine, ad urbem accessit. Quod ubi Coloniensibus compertum est, et se tantæ tamque efferatæ multitudinis impetum nec muro, nec acie sustinere posse animadvertunt, tum primum furor deflagrare, ebrietas evanescere cœpit : magnoque terrore concussi, obviam legatos de pace miserunt, se reos confitentes, et omnem, quam vita incolumi juberentur, pœnam pendere paratos. At archiepiscopus digne pœnitentibus se veniam non negaturum respondit. Tum celebrata missarum solemnitate apud S. Georgium, eos, qui pontificem sede propria expulissent, qui ecclesiam homicidio polluissent, qui templum S. Petri hostiliter impetissent, qui cætera religionis jura ausu barbaro temerassent, episcopali banno ad satisfactionem vocavit. Protinus omnes nudis pedibus, laneis ad carnem induti processerunt, vix et ægre impetrata pace multitudinis, quæ circa episcopum erat, ut hoc tuto facere sinerentur. Nam et vehementer ei succensebant, quod dum immoderatius clementiam ostentando, popularis fieri vellet, nefarios homines ad audenda nequiora, hujus sceleris impunitate, animaret. At vero archiepiscopus eos postero die ad suscipiendam secundum canonum scita pœnitentiam tam immanis flagitii, ad S. Petrum præsto esse jubet : ipse progressus ad S. Gereonem, ibi extra urbem pernoctare statuit : veritusque quod tradita civitate, vis concitatæ multitudinis inhiberi non posset, sed partim injuria, partim cupidine prædæ accensi, acerbius sævirent in populum, obnixe rogat provinciales, qui secum erant, ut singuli in sua cum pace recederent : satis se opera eorum usum, et evidens tulisse documentum, quid animi oves erga pastorem, filii erga patrem gererent : asperrimam partem negotii multa eorum virtute exactam esse : cætera quæ restent, facile jam privata ac domestica manu posse confici. Proinde quod bonum felix faustumque esset, abirent in domos suas, hanc reportantes spem, quod hujus beneficii gratia apud eum, seu vivum seu defunctum, perpetuo mansura foret. Hoc vix impetrato, milites suos, quantos ad comprimendos urbanos motus, si qui forte levitate vulgi instaurarentur, sufficere putabat, præcedere in civitatem jubet, secuturus ipse proxima luce, cum eorum, qui præcessissent, diligentia, ne quid forte insidiarum lateret in civitate, præcavisset. Ea nocte sexcenti, aut eo amplius mercatores opulentissimi ex urbe profugi, ad regem se contulerunt, intercessionis ejus opem adversus episcopi sævitiam imploraturi. Cæteri ingresso archiepiscopo civitatem, et toto triduo juxta condictum exspectanti, minime se præsentarunt ad proponendum aliquod satisfactionis genus. Unde indignitatem rei non ferentes episcopi milites, inscio, ut plurimi asserunt, atque inconsulto archiepiscopo, arma rapiunt, domos incursant, possessiones diripiunt, occursantes partim sternunt, partim captos in vincula conjiciunt, et prorsus, ut veritati vel coacti assentiantur, multo ferocius, quam tanti pontificis existimationi competeret, justæ ultionis negotium exsequuntur. Sed gravior morbus acriori indigebat antidoto. Filius supra memorati mercatoris, qui primus seditione inflammaverat populum, et pauci alii luminibus sunt orbati, nonnulli virgis cæsi ac detonsi, omnes gravissimo rei familiaris damno multati, atque jusjurandum dare compulsi, quod deinceps archiepiscopo civitatem contra omnium hominum violentiam, quantum consilio et armis possent, vindicaturi essent, et eos, qui ex urbe profugerant, quoad digne archiepiscopo satisfecissent, semper pro infestissimis hostibus habituri. (16) Ita civitatem pro diversitate partium, et luctus pariter et lætitia tenuerunt, aliis in regressu pontificis ejecti justas audaciæ suæ pœnas luentibus, aliis dignos consolationis suæ choros instituentibus. Siquidem non in urbe tantum, sed et ubicunque locus exhibendæ processionis offerebatur, ibi post istam famam Christi confessor in hymnis et canticis velut angelus exceptus est, nec immerito : quis namque neget eum unum ex illis angelis fuisse, de quibus per Malachiam dicitur : « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus : quia angelus Domini exercituum est? » (*Malac.* II.) Cujus post hæc lacrymas in ascensu vel descensu dilecti sibi montis effusas, illi, quibus ibi servitur, et viderunt, et miserati sunt sancti : quorum pietati conquestus eam, quam a suis tulerat, contumeliam, omnes ad fletum traxit, quos vel ex clero, vel ex populo contigit adesse. Levaverunt autem et monachi pariter voces suas, et ut redivivam desiderabilem faciem ejus contemplantes, universi personabant : Te nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta : tu factus es spes desperatis, magna consolatio in tormentis. Audiebantur hæc in excelsis, et utique credendum est tam eorum, quæ canebantur, dulcedine, quam sacrificio lacrymarum oblectatum, revera ibi Christum adfuisse, sicut et ipse promisit, cum ait : « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (*Matth.* XVIII). » Cæterum quia nonnullis etiam bonis scandalum ingeritis, quod ultionem tanti viri, tam sæva dicitur redundasse castigatio, a gravissimis fideque dignis

(16) Hucusque fere ex Lamberto Schafnaburgensi.

Digitized by Google

personis testimonium habemus, eum cum sacramentis multoties affirmasse, suam conscientiam ab hac tyrannide prorsus immunem : quippe cujus nec officii, nec voluntatis esset unquam, ultra legis ecclesiasticæ jura vindictam suarum injuriarum extendere (*Exod.* II). Qua de re contrahat os suum invidus : cui cum sermo fit, ab ejus tumulo cæcos plerumque redire cum lumine, solet objicere, magis ereptos, quam redditos per eum oculos. Nec mirum, cum et Moysen sanctum, homicidam nonnulli blasphement (*Num.* XVI).

XXIII. *Imperator venit Coloniam. Præclarum S. Annonis encomium. Constantia ejus.* (17) Post hæc cum imperator celebrata Paschali solemnitate in Babinberg, Ratisponam ire disposuisset, a nuntio fictæ legationis audivit, Wilhelmum cognomento Bastardum, regem Anglorum, ab archiepiscopo Coloniensi vana pollicitatione illectum, cum magno exercitu adventare, regni sedem Aquisgrani occupare paratum. Tunc rex territus tam atroci nuntio, ad Rhenum concitus remeavit, celebritatem Pentecostes in Moguntia civitate splendide peragens. Inde cum Coloniam ire instituisset, multum spirans irarum et comminationis in archiepiscopum Coloniensem, ille missis in occursum ejus nuntiis, mandavit falsam omnino, ac scenicis figmentis similem esse fabulam, quam in eum æmuli sui composuissent : ii nimirum, qui eum paulo ante urbe expulissent, et nunc ad opprimendum eum, quoniam armis non possent, mendaciis grassarentur : se non ita rationis expertem, vel communis commodi negligentem esse, ut in ultionem privatæ injuriæ, patriam suam barbaris prodere velit : nec ea levitate vitam a puero instituisse, ut quisquam sanum aliquid sapiens, tam inepta de se suspicari possit. Impetrata dein per legatos coram veniendi copia, in Andernaco villa regi occurrit : cumque rex de iis, quæ compererat, severissime quæstionem promulgaret, proditæ quidem reipublicæ crimen; quod objiciebatur, sacramento purgavit : cætera quæ delata fuerant, ait rex se veteri amicitiæ ac pontificali nomini condonare, nec pro jure suo expostulare velle. Ita non exstincto, sed interim cohibito furore, Coloniam processit. Ibi postero die ad judicandum populo assedit, sperans per accusationem sibi futuram, ut eum seditione concitata rursus civitate exturbaret, vel propter oppressos per calumniam innocentes, saltem reum majestatis faceret. Sed ille omnes accusationum strophas, responsi veritate ac sententiarum gravitate, tanquam aranearum telas dirupit. Postquam autem rex innocentia ejus ac vitæ integritate, consiliis quoque omnia septa vidit, nec ullum patere locum calumniæ, ad aliud se vertit genus injuriarum. Exegit ab eo, non precibus quidem, ut oportuit, sed imperiosa quadam auctoritate, ut Coloniensibus admissæ in se temeritatis veniam daret, excommunicatosque Ecclesiæ reconciliaret : præterea ut ad firmamentum conservandæ erga se in perpetuum fidei, sex sibi ex militibus suis obsides daret. Utrumque illum cum magna constantia negavit : obsides quidem, quod nullus regum priorum tale quid ab aliquo præcessore suo postulasset : excommunicatorum autem reconciliationem, quod sine digna pœnitentiæ satisfactione excommunicatos in Ecclesiam recipi, leges ecclesiasticæ vetarent. Imminebat ille vehementer, comminans omnia incommoda se illaturum, et cuncta quæ illius sint, ferro et igne demoliturum. Perstabat hic fixus in proposito, dicens se mori quidem paratum, si ipse cum Coloniensibus conspirassent ad eum interficiendum : sed nunquam retinendæ vitæ studio, ab jure ad injuriam declinaturum. Diu anceps erat pugna, et utrorumque milites magna concusserat sollicitudo, exspectatione tam tristis spectaculi. Tandem A evictus rex ab iis, quorum consiliis plurimum tribuebat, flexit sententiam, et ait malle se cum eo beneficiis certare, quam damnis aut inimicitiis : et si eum fidum sibi devotumque in causis reipublicæ experiretur, primum deinceps inter amicos habiturum. Hoc modo reconciliatus archiepiscopo, Aquasgrani [Aquisgranum] perrexit, et adversus ea, quæ de irruptione barbarorum fama vulgaverat, eam regni partem, quantum poterat, communivit.

XXIV. *Multa patitur adversa vir sanctissimus. Franci et Saxones inter se digladiantur.* (18) Interim insurgente Satana contra virum Dei, duo ministri ejus, qui in laribus ejus familiarissime observabantur, insidias ei tendunt, et nisi Dei misericordia malum hoc prævertisset, nihil tale suspicantem trucidassent. Alii quidam, quem beneficiis suis maxime fidum sibi obnoxiumque fecerat, familiares litteras a se ipso in tabulis, propter majorem secreti cautelam, conscriptas dedit episcopo Halberstadiensi B perferendas, quibus nepotem suum (19), tantis undique adversatum procellis jactatum, et pene naufragantem, consolaretur et instrueret. At ille ex ipsa tam operosa secreti communitione conjiciens aliquid regi, reique publicæ adversum, iis litteris contineri, regi eas detulit. Quas ille contra spem suam nulla videns infidelitatis indicia dare, tamen ad terrendum eum, exemplar earum archiepiscopo misit : ut experimento colligeret, non raram apud se suorum secretorum proditionem. Item alius quidam ex ministris ejus, quem Coloniensi ecclesiæ propria industria ipse acquisierat, quemque ob hoc indulgentissimo semper affectu coluerat, et bonis omnibus etiam supra natales suos locupletaverat, repente insolentia servili elatus, jugum ecclesiasticæ servitutis cœpit detrectare, seque in libertatem violento quodam jure fori, cum magna archiepiscopi contumelia, velut equus effrenis excussit. Tum vero crebris mortibus charorum suorum ita amaricatus est, et C vulnere concisus super vulnus, ut saxeum quoque pectus, et supra petram fundatum ædificium concutere posset tam vehemens ille turbo tentationis. Ad omnem autem doloris et mœroris plenitudinem, illa novæ confusionis miseria, quæ per omnes angulos regni se dilatare jam incipiebat, tanto acerbius cordis ejus intima tetigit, quanto res ad generale totius Ecclesiæ discrimen spectabat. Nam feritate barbarica confligentibus inter se Francis et Saxonibus, immiscebant se fide dubia nunc his, nunc illis Suevi, gensque Bajoariorum : fiebantque cædes, incendia simul et rapinæ per omne regnum Teutonicum. Harum calamitatum incentrix, et quoddam in præsens durandi solidamentum exsurrexit interea illa lugenda semper omnibus Ecclesiæ membris inter regem et dominum apostolicum controversia, quæ schismatis horrendi lue sanctam mirabiliter confundens Ecclesiam, multorum millium animas inferis, proh dolor! destinavit, pacis unanimitatem e terris prorsus exD turbavit, fœda monachos altercatione dissolvit, clericos in contemptum adduxit, ecclesiastica judicia laicis subjugavit, omnem æquitatis regulam subvertit : nec cessat hodie tanti mali lacrymosa pernicies. His angoribus vir, cui nil Deo charius, adeo coarctatus et excoctus est undique, ut etiam tæderet eum vivere. Itaque voces hujusmodi cum Psalmista dabat ad cœlos : « Heu me! quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar : multum incola fuit anima mea (*Psal.* CXIX). » « Cupiensque dissolvi, et esse cum Christo (*Phil.* I), » dicebat : « Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? » (*Psal.* XLI.) Grave jam ei erat terrenorum omne : necessitate, non voluntate, sub onere carnis adhuc æstuabat. Tabescebat corpus, nihilominus et animus infirmabatur. More turturis viduatæ, solo luctu pascebatur, publicas frequentationes declina-

(17) In hoc quoque capite multa ad verbum fere descripta sunt ex Schafnaburgensi.

(18) Hic quoque multa sunt Schafnaburgensis.

(19) Superius vocatur consobrinus.

Digitized by Google

bat, singularitate delectabatur, assidue flens, assidue mœrens. Nec diu militis sui sudores bonus Dominus irremuneratos prætcrivit, neque passus est eum tentari supra id, quod sufferre poterat (*I Cor.* x) : verum hinc eum crepturus, ante per altam contemplationis vim, futurorum malorum inspectorem esse voluit : ne ignoraret quantis a Deo beneficiis donaretur, si necessitatem talibus communicandi moriens evaderet. Id subjecta pagina loquitur, sola sufficiens meritum viri declarare, qui in hac mortalitatis adhuc degens substantia secretorum cœlestium particeps fuit.

XXV. *Stupenda S. Annonis visio. Gravissimo morbo corripitur. Exponit quibusdam generatim visionem suam.* Post eam superius descriptam Coloniensium nefariam conspirationem, hiberni temporis aderant dies, et beatus antistes pro quodam levamine sauciati cordis urbem egrediens, Salevelt devenit : ut visis illic filiorum suorum spiritualibus exercitils, quasi salutaris antidoti haustu recreatus, sui mœroris amaritudinem temperaret. Inde exacto visitationis officio discedens, festum illud, quod Hypapante Domini dicitur, in Heresfeldia solemniter egit : imperataque profectione, viam quæ tendentibus in Sigeberg pervia est, curru subvectus, cum suis incessit. Cumque die quadam psalmis et orationibus vacans, animum in superna levasset, instante jam hora nona, non in exstasi, nec in visione somni, sed sicut carneis oculis aspici solet, cœlos super se aperiri vidit : et ut olim prophetarum eximius Daniel, horrore concussus ac tremore, membris omnibus dissolutus est (*Dan.* x) : animi quoque robur omne concidit. Transmissis viæ propositæ intervallis, per biduum nil incommodi pertulit, in monte degens, præter quod nonnullis, quasi qui sese excessisset, in verbis subinde admirationi esset. Tertia vero post hoc die cœnantem valida infirmitas tam atrociter invasit, ut spes omnis auferretur, noctem illam eum supervicturum. Erat autem crepusculum vespertinum, fratresque, finitis Completoriis, sese receperant in dormitorium. Mox igitur ut hujusmodi nuntius abbatis aures perculit, eo perturbatione concusso, res per omnes angulos cœnobii diffundebatur, fiebatque concursus hinc inde fratrum, signo, quo colligerentur, vehementius perurgente. Angebat omnes pavor intolerabilis, et tanquam universorum vita penderet in ancipiti, monasterium petierunt, illud corde meditantes, illud ore ruminantes : « Domine, salva nos : perimus (*Matth.* VIII). » His vero, quibus egrediendi claustrum undecunque licentia offerebatur, cubiculum episcopi certatim adeuntibus, cæteri chorum irrumpentes, septem psalmos cum litaniis luctuose prosequebantur, omnes pectora tundentes, omnes fletus et suspiria emittentes, et quanta charitate erga patrem amantissimum filii afficerentur, sibi ipsis singuli testimonium existentes. Inter hæc ille dolore gravi laborantes, clamores insolitos magis ac magis edebat. Sed cum postera die doloris vehementia non adeo jacentem crucians, recuperandi vires mentis aliquantulam ei facultatem indulsisset. Abbas tres probæ vitæ fratres ad eum misit, qui, sicut in ea necessitate expedit, ad confessionem, et ad rerum suarum dispositionem eum hortarentur, utque novellæ suæ constructioni, inquantum tunc licuisset, prospicere non negligeret. Quibus juxta sensum hunc, cum lectulo assiderent, hortamentis suis eum mulcentibus, idque quærentibus unice, cur filiis suis, quibus alia post Deum præter eum spes non esset, minime loqueretur : ille tenuissimam vocem, ut poterat, exprimens ait : Unde loquendi sumam exordia fratres, vel quas mœstitiam vestram relevaturas triste cor meum dictabit sententias? Væ misero mundo : væ cunctis humanæ sortis angulis ab iis, qui dicuntur episcopi, mei, peccatoris utique, similitudinem præferentibus, quibus nomen, non vita, sacerdotum est. Et grave suspirium a pectore trahens, attonitis et ardentius hujus verbi radicem investigantibus, respondit : Sol in nonam jamjamque vergebat horam, et ego in curru meo residens, it r accelerabam. In aerem me visum expandente, scissis ex improviso cœlis, omnia desuper aperta, oculisque meis non modo mentis, sed et corporis, pervia remanserunt. expavitque cor meum, et dissolutus sum, nec remansit in me quidquam virium : certusque sum, languoris hujus immanitatem inde me collegisse. At vero non aliter illam terribilem visionem intuitus sum, quam vos modo contemplor, corporales in vos dirigens acies : nec reor quidquam eorum malorum, quæ terris imminent per omnes secuturas ætates, et per ipsum ævum, oculorum meorum acumina latuisse, præcordiisque palpitantibus, altius ingemiscens, denuo replicabat : Væ misero mundo : væ cunctis humanæ sortis angulis ab iis, qui dicuntur episcopi. Nec poterat ulla precantium importunitate ad hoc adduci, ut eorum quæ viderat, vel minimum eis communicaret. Hoc solum ad omnem inquisitionem eorum dolens protulit : Væ, væ misero mundo. Porro crescente per dies infirmitate, cum esset sibi mortis suspicio quotidiana, primates cleri Coloniensis ad se accersiens, postulavit, et sub testificatione divini nominis terribiliter adjuravit ne consensum suum iis unquam accommodarent, quibus conveniret alibi, quam in Sigeberg corporis ejus repositio, dicens : Si desiderii mei vobis insistentibus processerit effectus, hicque mihi sepultura cesserit, tametsi meritorum meorum pensa reluctetur, per misericordiam nostri Redemptoris excedentem omnia, vestræ, ut spero, de me haurient adhuc aures, quod in magnæ consolationis, in magnæ spei patrocinium vobis et Coloniæ vestræ ante Deum proficiat. Fidei suæ sponsionem super hac re singulis ei dantibus, discesserunt. Ille vero sensim recolligens vires, debilitatem illam corporis evasit, memoriam autem mentis non eam quam ante, per longum tempus assequi valuit : ita ad visionis illius majestatem exterritus, et extra se factus erat. Id ex eo innuitur, quod cum olim ab Egilberto Mindonensium episcopo quamdam perpetuo dicendam confessor ei factus accepisset orationem, ad ejus notitiam nullo poterat ingenio pertingere, donec directis ad eum litteris, ordinem ejus ex rescriptorum annotatione colligeret.

XXVI. *Visionem cuidam suo familiari exponit. Expositio ejus.* (20) Jam Septuagesimæ diebus, in quibus hæc obtigit revelatio, Quadragesimales feriæ successerant, et dilectus Domini præteritæ valetudinis defectum necdum plene superaverat : cum ecce positus in quiete noctis cujusdam, somnium suæ felicissimæ dissolutionis præsagum, in hunc modum aspexit : Visus est sibi domum quamdam, omni decore intus et foris resplendentem, intrare : et ecce in subselliis judicialibus, tanquam ad concilium solemniter evocati, residebant Heribertus Coloniensis archiepiscopus, Bardo Moguntinus archiepiscopus, Boppo et Everhardus Trevirenses archiepiscopi, Arnulphus Wormatiensis episcopus, et alii quamplures Galliarum episcopi, quorum alios ipse in carne noverat, alios fama tantum vel lectione compererat : amicti omnes stolis pontificalibus, et habentes vestem instar nivis candidam. Ipse quoque candidis admodum atque pretiosis vestibus indutus sibi videbatur : sed partem candentis vestimenti, eam scilicet, qua pectus tegebatur, sordida quædam ac fœda caligo obduxerat, ac cæterum cultus ejus splendorem sua fœditate plurimum offuscabat : quam tamen ipse nimio rubore perfusus, objecta manu regere ac celare, ne inspicientium offenderet obtutum, conabatur. Vidit præterea inter eos sibi quoque sedem miri decoris paratam : quam cum occupare, gaudio et exsultatione æstuans, properaret,

(20) Hæc vere ad verbum ex Schafnaburgensi.

Digitized by Google

surgens Arnoldus [Arnulphus] Wormatiensis episcopus, modesta voce cum prohibuit, dicens reverendos Patres, qui assiderent, nolle eum in suum admittere consessum, propterea quod vestem ejus hæc turpis macula fœdaret. Cumque jussus loco cedere, flens confectoque nimium animo egrederetur, insecutus eum idem episcopus : Æquo animo, ait, esto pater. Maculam tantum hanc, quæ vestem tuam infecit, maturius ablui præcipe : quia non post multos dies beatæ hujus mansionis consortium, et sanctorum Patrum, quos aspexisti, consessum, voti compos percipies. Mane facto, cum familiari cuidam suo visionem retulisset, ille sapienter rem conjiciens : Macula, inquit, hæc vesti tuæ illita, nihil aliud est, ut existimo, quam memoria injuriæ civium tuorum, qui te anno superiore Colonia expulerunt, quibus te divinæ pietatis respecta jam olim oportuerat admissi hujus veniam dedisse. A Hæc, quod bona venia dixerim, pectori tuo tenacius, quam æquum sit, residens, amarissimo mœrore contra fas mentem tuam decoquens, cæteram sanctissimæ conversationis tuæ claritatem molesta quadam caligine obducit et obscurat. Archiepiscopus conscientiæ suæ testimonio convictus, ne inficiaretur quod audiebat, reatum suum humiliter agnovit : statimque destinatis circumquaque nuntiis, cives omnes Coloniæ, qui ejus injuriæ participes, urbe cesserant, ad se revocavit, eisque proxima festivitate Paschali omnia sua, quæ direpta fuerant, benignissime restituit. Sic gravis illa tempestas, quæ, spiritu diabolico suscitata, totam concusserat Coloniam, conquievit : pater filios, filii patrem recognoverunt : archiepiscopus amaritudine, populus metu et sollicitudine, civitas liberata est solitudine.

LIBER TERTIUS.

I. Igitur dilectissimus Deo præsul ultimum agens annum, dilectum sibi montem plus solito frequentabat, singulis diebus, singulisque noctibus frequentans altaria singula, se prosternens in faciem coram singulis flens et orans pro statu periclitantis Ecclesiæ, suamque animam Creatori commendans. Et Septuagesimam quidem partemque Quadragesimæ infirmus ibi peregit. Cum autem Pentecosten festivo celebraturus gaudio, denuo advenisset, Anno puer, filius sororis ejus, unice dilectus ab eo, immaturæ mortis violentia repente prostratus, novum ei dolorem, novum intulit luctum. Intererat tamen communis festi publicis conventibus, præcedentes in lætitia carminibus et vestium decore monachorum choros lugubri vultu prosequebatur, memorans illud, quod et sanctus Tobias, « Dies festi vestri convertentur in luctum (*Tob.* II). » Vulnerabatur autem mente omni, qui in faciem ejus intendisset. Demigrata enim erat valde, coloremque pristinum prorsus immutaverat (*Amos* VIII), horrorem quemdam præferens, per quem interni doloris ejus aspicientes testimonium caperent. B nem generalem in pauca conferens, speciatim meos acerbos casus perstringam. En, proh dolor! Anno puer, quo nemo mihi in hac vita charior fuit, ante dies decem abiit e vita : et cum dolor ille, quem inde accepi, necdum vel ad momentum quieverit, ecce illi hodie funus celebro, qui mihi longe aliter, quam cæteri amici, plangendus est. Majorem vir iste lacrymarum mearum vim reposcit : quando quidem talis ipse est, ut locus hic non immerito luctu perpetuo eum prosequi debeat. Quæ vero spes conservandi status loci hujus deinceps reliqua esse potest, quando exanimis hic jacet, cujus industria disciplina monastica hactenus hic suos habuit progressus? Erat aliquo modo tolerabile, quidquid hactenus, Deo permittente, me infestavit : at quæ nunc patior, prorsus intima sunt, nec potest manus Domini durius me attrectare, quam dum offertur occasio inimico grassandi in locum hunc meum. Restat igitur ut me quoque omnibus debita absumat mors, potestque ex me scire, quisquis hodie adest hic, antistitem Annonem non multos supervicturum dies, ad eam vocem multis lacrymantibus, corpus ex more humatum est. C

II. (21) Paucis post diebus Hermannus cœnobii Sigebergensis prior, vir strenuus, et regularis disciplinæ observantissimus, vita functus est : cujus obitus tantum animi mœrorem beato episcopo attulit, ut multa illa acerba, quæ antea perpessus erat, hujus comparatione pro nihilo putarentur. Valde enim amaverat virum illum, tantaque eum veneratione prosecutus fuerat, ut quidquid ille amoris fiducia non tam rogare, quam præcipere voluisset, id minime negligendum sibi existimaret : haud secus ejus dicta accipiens, quam si Spiritus sanctus ejus ore ea expressisset. Illo ergo viro mortis sævitia destitutum se sentiens, cum ejus sobrietatem et vitæ integritatem mœstissimo animo commemoraret, sumptis sacramentis, stans post feretrum, hanc orationem admodum luctuose habuit.

III. *Hermanni prioris commendatio. Prædicit obitum suum S. Anno.* Miseriarum nostrarum negotium præ manibus habemus, et quis sit finis conditionis humanæ, oculis ipsis hic jam contemplari licet. Admonemur hoc exemplo verissime dixisse Apostolum, Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint, « Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugient (*I Thess.* V). » Quidquid hinc vel animo cogitari, vel verbis dici potest, totum hic nostris obtutibus expositum est. Itaque sermo- D tantæ devotionis instantiam merito cœli patescere crederentur. Tandem sancta illis cruce consignatis, dum vult exire ostium, catenula quædam ferrea ei oblata est non absque nutu divino. Nam etsi ea jussu illius confecta erat, non tamen nisi Deo disponente ea hora exhibita est. Eodem enim momento præsul intro revertens, locum sepulchri sui baculo designavit eo loco, ubi nunc est, et catenulam illam jussit per tabulata submitti ad lucernam suspendendam. Porro Suithardo mihte non sine admiratione

IV. *Salutifera oratio ejus. Designat locum sepulturæ suæ. Cur noluerit in choro sepeliri.* Cum deinde dedicationis ecclesiæ et beatissimi Michaelis agerentur solemnia, postremo ad Sigebergenses venit. Quæ duo sibi cohærentia festa tanto majori animi pietate et devotione illic celebravit, quod spiritu jam cognoverat se ad illum locum in corpore minime rediturum. Recessurus, fratribus paterno affectu valedixit, petensque monasterium, intentissimis precibus, adjunctis præsentium illic sanctorum patrociniis, Deum obsecrabat pro defensione corporis et animæ suæ, pro Ecclesiæ pace, pro loci conservatione. Precabatur illis filiis suis animarum salutem, ad singulas preces humi se prosternens, tum genua flectens, tum in cœlum manus et oculos attollens, lacrymis perpetim manantibus, ut ad

(21) Ab hoc capite usque ad finem libri F. Laur. Surius suo stilo pleraque contraxit ob vitandam nimiam prolixitatem.

Digitized by Google

sciscitante ex eo, quid tam accurata dimensione sepulcri sibi vellet, respondit se suam illic designare sepulturam. Illo rursus inquirente, quænam corporis necessitas eum, id ut faceret, perurgeret. Ea, ait beatus vir, quæ utique summa est, nempe mors inevitabilis : non enim posthac vivum me locus hic recipiet. Tum mox expalluit miles, crebroque se cruce signavit : iterumque percontari ex episcopo cœpit, cur non in choro, sacratiori templi loco, humari potius vellet. Respondit episcopus : Id ego ea causa nolo, ne tu, tuique similes ad sepulcrum meum orandi causa venturi, fratribus divina officia persolventibus molestiam exhibeatis. Tum etiam, ut pateat ad sepulcrum meum aditus pauperculis feminis, ex rure pro devotione sua poma vel ova, aut quodlibet aliud sanctæ simplicitatis munusculum allaturis : quarum cum devotio tanto sit gratior Deo, quanto vita simplicior, non parum detraheretur honori meo, si illarum rejectis lacrymis et querimoniis, solis nubibus pateret accessus ad monumentum meum. Igitur exemplo Domini mei, duo viduæ minuta accipientis (*Luc.* XXI), ego quoque harum et munuscula complexurus, et preces admissurus, omnibus expositum habere volo sepulturæ meæ locum. Ita ille more suo quasi per jocum militi aperiens secreta pectoris sui, foras egressus est. Inde conscenso equo, mœstus identidem animo ne libat ad monasterium illud; multum id deplorans, quod ultra non visurus locum illum unice sibi charum, filiis suis copiosissimam lugendi materiam præberet. Ecquis autem tanti viri mortem, etiamsi saxeo esset pectore, siccis posset ferre oculis? Merito eum et posteritas lugebit, qui, ut Scriptura ait, « in diebus suis non pertimuit principem, nec superavit eum verbum aliquod (*Eccli.* XLVIII) : » « qui in omni opere suo dedit confessionem Deo (*Eccli.* XLVII) : » « qui curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione (*Eccli.* L) : » cujus « bona stabilita sunt in Domino, et eleemosynas ejus enarrabit omnis Ecclesia sanctorum (*Eccli.* XXXI). » Vir magnus, vir catholicus, Ecclesiæ propugnator, tyrannorum persecutor, verbo, opere et moribus dignus summo sacerdotio : post quem non exstitit pastor illi similis in finibus nostris. Nec illi tamen pepercit ultrix primæ prævaricationis : imo solito crudelior, vitam ejus longo cruciatu cæteris inclementius attrivit, ut non dubitarint insipientes quidam etiam illi objicere illud ex Tobia : « Manifeste vana facta est spes tua et eleemosynæ tuæ modo paruerunt (*Tob.* II). »

V. *Podagra dire cruciatur vir sanctissimus. Multa in spiritu prævidet et vaticinatur.* Nam cum esset Coloniam reversus, dolor podagræ dextrum ejus pedem invasit, quo novem plus minus hebdomadibus miserabiliter discruciatus, tandem ad extrema perductus est. Sed enim initio quadam animi constantia dolores illos hebdomatam unam utcunque dissimulare visus est, donec in feriis sancti Gereonis martyris missarum solemnia in ejus ecclesia celebrans, intantum viribus fractus est, ut omissa, quam habiturus erat, concione, vix sacramentis consummandis sufficeret. Atque illud extremum fuit ejus sacrificium : quo peracto, decidit in lectum mortis, omnibus suis dolorem et mœrorem afferens. Longum esset persequi, quas miserias, quæ tormenta toto illo tempore ægritudinis tum a medicis, tum a morbo ipso perpessus sit : nec minus difficile perscribere, quæ spiritu prædixerit, quæ in exstasi viderit : e quibus vel pauca afferemus, quatenus historiæ opportunitas admittet.

VI. *Visio ejus.* Cum jam exesis carnibus, pellis ossibus adhæreret, quandoque somno correptus, atque inde expergefactus, in has fere voces lacrymabundus prorupit : O Ewalde martyr, qua ego injuria te affeci, aut quid in te admisi, miser! Sciscitantibus aliis, quid in his verbis sibi vellet, respondit : Equidem vidi sanctissimum martyrem Ewaldum, quem nigrum vocant, sanctis assistentem altaribus; cumque ego sacrificanti administrarem, ille absoluto sacrificio, in casula purpurea, veste candidissima speciosus valde, ecu nuper ex lavacro veniens, in cœlos receptus est. Ego vero sequebar abeuntem, et ubi ad foras cœli ventum est, sperabam me pariter ingressurum : sed ab eo, heu! violenter repulsus, video me in hanc caliginem revolutum. Hæc dicens, tantas fudit lacrymas, ut qui aderant, miseratione permoti, simul cum illo flerent.

VII. *Multa prædicit futura S. Anno.* Habuit in illa adversa valetudine, quoad vixit, quosdam apud se fratres Sigebergenses, interdum etiam abbatem ipsum : qui per vices adventantes, et recedentes, præsentia sua nonnullam ei recreationem afferebant. Cumque recessuri alii, aliis succedentibus, ab eo benedictionem peterent, ille magno eos ejulatu prosequebatur, tanquam nunquam reversuros. Venit autem ad eum etiam Reginhardus prior (22), unus ex senioribus, qui inter cætera cum illo secretius colloquens, ita ait : Eheu! pater et domine, quæ nobis deinceps spes relicta erit? quæ nostrarum consolatio lacrymarum? Quis instaurabit futuram desolationem loci nostri? Ecce jam solum tibi præmortuo sepulcrum superest, nec immerito formidamus, ne qui vivum te retinere indigni fuimus, vita functo quoque privemur. Unde id consecuturum creditur, ut nostra ædificia omnia veniant in desolationem; et nos, qui Dei et tua causa montem illum incolimus, rebus omnibus nudati, miserandum in modum dispergamur. Ad hæc vir Dei, collecto spiritu, celeriter respondit : Facessat prorsus timor iste. Testor ego veritatem illam, quæ Deus est, corpus meum exanime, uti optaram, ad vos allatum iri : tametsi multis contra nitentibus, sed nihil tamen effecturis, magnam adhuc videtur habere difficultatem, quemadmodum et quando id fiat. Sit interim modus dolori vestro : certa prorsus spes est, me apud vos sepulturam habiturum. Aderit bonus Dominus, aderit gratia ejus : veniamque locum conservaturus, et per locum ipse quoque conservandus. Vos tantum in iis quæ bene cœpistis, perseverate, imo inchoata melioribus studiis augete, laboris vestri fructum et hic, et in futura vita centuplum habituri. Nihil vos terreat suspicio de successoribus meis : paucis in iis erunt, qui non ad aspectum tumuli mei, pro mei reverentia caput inclinent, cum etiam bruta animantia, si cominus transeant, sensu quodam honoris exhibendi prædita videri queant. Si quis autem ea fuerit perversitate, ut me contemptu et contumelia afficiat, illum ejusmodi manebit interitus, ut satius fuerit, nunquam illum natum fuisse. His dictis, abiturus pater Reginhardus, rogavit, ecquidnam filiis suis per se mandari vellet. Ille mox sublata voce cum multis lacrymis dixit : Animam et corpus meum. Jamque Reginhardo foras egredi volente, ita eum compellavit : Ut tu ipse jam vidisti, res meæ finem habent. Itaque ego te, dilecte frater, per Christum oro, ne singulare spei meæ præsidium, montem illum meum deseras, sed me defuncto, integritate et constantia tua foveas atque sustentes. Magnorum illi periculorum materiam subtraxeris si peccandi licentiam, quæ religionem omnem evertit, in fratribus regulari severitate coerceas, convenienter illi sententiæ sapientis cujusdam : « Filiæ tibi sunt : serva corpus earum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad eas (*Eccli.* VII). » Noveris autem non deesse jam illic, posthac vero etiam plures futuros, quorum animi et actiones spectabunt ad loci destructionem, si tu, quod absit! cœperis esse remissior. Vide igitur, ut regulæ auctoritate constanter armatus, pravorum cœptis occurras, ne tua negligentia locus ille meus collabatur.

(22) Is postea factus est abbas.

Digitized by Google

Hæc tum quidem senior ille Reginhardus, quid sibi vellent, non assequebatur : sed paucis post beati viri obitum mensibus, electus a fratribus, coactus est totius Sigebergensis monasterii curam suscipere, quam hodieque, memor B. Annonis singularis intercessoris sui, multa fide et sollicitudine gerit, annis jam viginti novem non suis, sed Christi, viribus sustentatus.

VIII. *Valde urget, ut apud Sigebergenses sepeliatur.* Paucis post hæc diebus primarios viros, quorum sententiam reliquos e clero et populo sequi certum erat, ad se accivit : sedensque in lecto, ut majus accederet dictis ejus pondus, stolam pontificiam ad collum adhibuit, ac deinde terribiliter eos adjurans, simul etiam excommunicationis minas intentans omnibus, qui vel consilio, vel facto secus facerent, impense illos rogavit, ne corporis sui in Sigebergense cœnobium translationem impediri paterentur. Quarta autem ante decessum suum hebdomada, Erphonem Sigebergensem abbatem, quem pro canitie veneranda patrem semper appellabat, aliorumque monasteriorum Patres et fratres non minus duodecim juxta se assidere voluit, et cordis oculis perlustrare omnem vitæ suæ decursus, confessione publica se reum, se peccatorem proclamabat, indignum plane, qui hactenus tanti sacerdotii titulis ornaretur, moxque stolam pontificiam a cervice removens, eis offerebat cum his fere verbis: Ab hac ego meritis longe alienus, vobis eam pœnitens et confitens restituo : non enim elata cervix mea illa diutius abutetur, qua meo judicio nunquam digne usus sum. Reclamantibus vero universis, tandem Erpho abbas victus ab offerente eam recepit ; auctoritatem autem ex fiducia usurpans, ita ait. Magna est humilitas tua, non possunt non commendare boni omnes hoc factum tuum : quod causa timoris Dei nobis, et meritis et ordine longe inferioribus, intantum te submisisti, ut excellentiæ episcopalis nos præceptores habere velis. Nos igitur per Filii Dei sanctam obedientiam tibi mandamus, ut stolæ tuæ auctoritatem et privilegium incunctanter recipias. Nam tametsi proprio judicio indignum te fateris ejus eminentia, non tamen idcirco periit apud Deum, si quid boni, et quod episcopo dignum sit, in summi judicis oculis obtines : imo, « cum sit justus in principio accusator sui (*Prov.* XVIII), » et per prophetam Dominus loquatur: Die tu iniquitates tuas prior, ut justificeris (*Isa.* XLIII) : non mediocriter illud cumulasti et auxisti. Non ausus resistere illi sanctus episcopus, id solum agebat, ut certus missarum aliarumque precum numerus designaretur, quem singuli pro peccatis, quæ confessus esset, persolverent. Factumque est ita, et « oratio humiliantis se, ut ait Scriptura, nubes penetravit, et non discedet, donec aspiciat Altissimus (*Eccli.* XXXV). »

IX. *Sancti viri multam reverentiam erga sacras reliquias.* Cum jam autem acrioribus ad finem doloribus urgeretur, non immemor quibus jam olim patronis cœlestis obtinendæ patriæ spem hausisset, eos ad matrem Ecclesiam voluit deportari, seque sellæ impositum obviam eis perferri, habitu sane eleganti primarii decani indutus, cum proprium non haberet. Valde tum madebat humus recentibus pluviis, locusque quem sub divo æger occuparat, sustinens reliquiarum transitum, lutulentus et humidus erat ex aquis hinc inde collectis. Ad singulas autem reliquias prætereuntes caput reverenter inclinans, ubi postremo sanctum Severinum cominus adesse vidit, in lacrymas ingentes prorupit coram venerabili theca ejus, et de sella pronum se dejecit in cœnum, ut vestis illa candida et magni pretii maxima ex parte luto fœdaretur. Id vero cernens populus frequens utriusque sexus, qui sacras reliquias sequebatur, rugitus quosdam edidit miserabiles, tantisque eum lacrymis prosequebatur, ut hodieque plerique ex eis testentur, ejusmodi luctum se nunquam sensisse. Movebat enim omnes, quod tantus antistes, tam in imperio celebris, in eas se luti sordes præ devotione et humilitate abjiceret flens et ejulans, etiam splendide vestitus, quas despectissimus quisque etiam vilissimo habitu contingere nollet. Facile autem inde conjiciebant, quanta esset erga B. Severinum animi devotione, et plerique minime diffidendum censebant, pares illos futuros in gloria, quorum essent, merita tam præclara. Postquam autem sacræ reliquiæ in summam B. Petri principis apostolorum ædem importatæ sunt, nox illa ad cœlestes thesauros cum laudibus exacta est, et vir Dei eo perductus, ob expianda peccata rogavit accelerari missarum celebrationem. Deinde cum honorem multum sacris reliquiis impendisset, et illæ jam in sua loca reducendæ essent, cum lacrymis eis valedicens : Scio, scio, inquit, quidquid hactenus in hac lacrymarum valle de vestris auxiliis mihi pollicebar, id jam finem habere, quod ad hanc vitam conservandam attinet, sed certa mihi de vobis spes est et consolatio, tametsi corpori succurrere non vultis, semper vos salutem animæ meæ curaturos.

X. *Aqua benedicta abigit dæmonem.* Porro autem dolor pedis omne crus et partem femoris occupans, crebro vitalia ipsa infestabat, cumque ad vicinam mortem jaceret anxius, quandoque vidit ex adverso diabolum stantem, aitque ad eum : Quid tu hic agis scelestissime? quanquam non mirum est, si nos exiguos et nullis fretos meritis attentes, quando nec beatissimi Martini sanctitate absterritus es, quo minus ejus quoque extremis tu insidiareris. Deinde exclamans, num quis opem sibi ferre vellet, ubi omnes paratissimos comperit, aquam benedictam petiit. Qua celerrime adhibita, aspergillo eam cum impetu conjecit in dæmonem, isque continuo disparuit.

XI. *Contemnit divitias, pauperibus omnia distribuens.* Ad extremum stolam suam accipiens, quascunque ob causas quemquam ligasset, absolvit, et ab omnibus humiliter veniam petiit, omnes contestans, ne se celarent, si quid in his ab ipso esset prætermissum. Accitis quoque rerum episcopalium procuratoribus, ea fide, quam ipsi dedissent, eos obstrinxit, ut in persolvendo ære suo alieno, quod non exiguum contraxerat, sine personarum acceptione suas vices implerent, et tam Judæis quam christianis juste omnia redderent, certam eis pecuniam assignans, quam in hos usus et eleemosynas mensæ suæ caute prudenterque subtraxerat. Et potuisset ille sane auri et argenti immensa pondera inferre in thesauros suos, unde aliis et corporum et animarum pericula crearentur : sed non id illi studio aut curæ fuit. « Dispersit autem, » sicut scriptum est, « et dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi (*Psal.* CXI). » Denique eo defuncto, nec teruncius unus repertus est, qui illius esset, et neque rex, neque ullus avarus ejus satelles gloriari potuit, ex Annonis amplis marsupiis hæc vel illa sibi post ejus obitum obtigisse. Nec tamen quisquam ex iis, a quibus mutuo pecuniam acceperat, solutione frustratus est, nec tam largas eleemosynas nostra vel vidit, vel audivit ætas, quales octiduo in ejus exsequiis præstitæ fuere : Deo id agente, ne quid ab iis, quibus harum curam demandarat, aut negligentia, aut dolo malo prætermitteretur.

XII. *Iterum prædicit obitum suum. Quid tribuat sanctorum patrociniis. Prædicit obitum ducis Godefridi.* Tertio ante obitum suum die, quem ipse non ignorabat, comitem Gerlacum, dominum castri Wichinrodensis, ad se accersivit, eique dixit : In hoc jam certum dabis tuæ erga me fidei documentum, si extremis domini tui jussis obsecundans, strenue in id incubueris, ut ante crastini solis occasum dux Godefridus mihi locuturus, Coloniam adducatur. Comite autem respondente, nulla id ratione fieri posse, ut intra biduum ille adsit, qui tum procul ab-

Digitized by Google

esse ferebatur : magnum fore, si vel ad diem tertium possit adesse ; sanctus pontifex illico adjecit : Frustra tertius quæritur dies, quando ante illum diem finem habebunt sermones mei, spiritu redeunte ad Creatorem, qui dedit illum. Iis verbis territus comes, Facessat, inquit, domine, hæc oratio : Deo propitio, certa aderit salus. Recte ais, respondit episcopus, stabilem brevi salutem adfuturam mihi, quem B. Severini cingant merita, pro quo Coloniensium patroni comiter intercedunt, in quos ego semper totis viribus suspensus, jamjam ingrediar requiem sempiternam, ab illis mihi provisam. Tu vero, quem a priori mandato excusat impossibilitas, fidem fefellisse censeberis, si me defuncto, neglexeris mandata mea perferre ad ducem Godefridum. Jurante comite, se id diligenter curaturum, episcopus bene confidens, ait : Quæ pro Saxonum pace et venia apud regis efferatum animum mandata persequatur, ea tuæ fidei committo. Tu ea duci perferes ex me, ille porro apud regem ea conficiet. Admonebis autem ad singula ducem ejus amoris et fidei, quæ me et illum arctissime conjunxerit : tum quoque addes, etiam ipsum intra annum e vita decessurum. Sic quidem sanctus episcopus : at vero eodem anno per insidias dux Godefridus occisus est. Altera ab hinc die vir sanctus circa nonam ad extrema deductus, repentina desperatione Coloniam universam consternavit. Aderant mox primi e clero, in exsequias ejus toto pectore incumbentes : atque cum clero communicatis consiliis tractantes, quidnam ei honoris et devotionis migranti posset impendi, ad cuncta Coloniensis urbis monasteria celeres mittendos nuntios designarunt, qui dato signo obitus ejus, cursim adirent singuli singula ipsis assignata monasteria, et quæ illis obviæ essent, parochias, juberentque in animæ ejus obsequium signa et omnia compulsari. Illo interim in extremis agente, aderant ei lectores quatuor, duo a dextris, et a sinistris totidem : qui per vices legentes, si inter legendum nonnihil errassent, ab illo manum agitante illico corrigebantur : et, si vel parum a legendo cessassent, oculos ille vi quadam aperiens, cogebat eos progredi. Ita usque ad extrema sensus illi mansit vivax et incolumis.

XIII. *Visio ejus in extremis. Multum orat pro Colonia. Anno* 1075 *feliciter migrat ad Dominum.* Cumque in agone noctem cum die continuaret, illam pestem, quam nos jam cernimus, qua miser mundus, omnis honestatis et religionis expers, jacet oppressus, spiritualibus ille oculis intuens, repente manus, ut poterat, in alta sustulit, et miserandum in modum exclamavit : Sancta Maria, succurre miseris, succurre Coloniæ, succurre civitati jamjam perituræ ; fessaque brachia paululum deponens, rursus ad sidera sublatis illis : Quænam sunt, inquit, o Domina, quæ se meis offerunt oculis, horrenda spectacula? Per singularem misericordiam tuam te obsecro, ut mihi janua fias, per quam hinc emigrem, ne tanta mala cogar videre oculis meis ; deficientemque spiritum brevi silentio recreans, ad succurrendum Coloniæ etiam S. Petrum invocavit, interdum etiam alios sanctos appellans. Tandem cum multo gemitu in hanc prorupit vocem : O amici omnes summi regis, in ejus notitiam admissi, subvenite Coloniæ intercessionibus vestris. Iis dictis, ultimum trahens spiritum, die illucescente, ad ipsum lucis fontem feliciter emigravit, mundo luctum, cœlis gaudium morte sua afferens. Ita post diuturnum morbum, quo illum Dominus tanquam in camino ad purum excoxit, anno Salvatoris millesimo septuagesimo quinto, episcopatus sui vicesimo primo, pridie Nonas Decembris, illucescente sexta sabbati, ab hominibus ad angelos profectus est.

XIV. *Multum ejus decessu mœrent Colonienses. Etiam Judæi lugent. Celeberrimæ ejus exsequiæ.* Quidam tum monasterii ejus frater in hospitio quiescens, ejusmodi audivit vocem : Quid tu ita nunc A stertis, quando ad obitum archiepiscopi domos omnes luctus occupat? Illico expergefactus frater, cum multo tremore surgit, et dum se induit, audit crebra campanarum signa, mortem episcopi significantia, ut erat antea constitutum. Paulo post, concrepantibus passim campanis, dici non queat, quantus urbem universam luctus et mœror occuparit. Omnis ætas, et sexus omnis e lecto exsiliens, complodendo, pectus tundendo, diversis edendis vocibus se plangere declarabat : tantusque tota urbe clamor exstitit, quantus ad alicujus exsequias nec antea illic compertus est, nec facile deinceps comperietur. Mire plorabant permulti e populo homines pii, clericorum dolorem testabantur immutati vultus : monachis, viduis et virginibus una erat plangendi ratio : specialis autem luctus nostra obtinebat hospitia, qui Annoni similem nunquam sumus habituri. Videre licebat omni ex parte ruere pauperum, orphanorum, ægrorum miseranda profecto examina, atque in iis B mulierculas parvulos suos gestantes, præcurrere, ferire pectus, lacerare crines. Quo spectaculo nihil possit gloriosius videri illi, qui non ignoret illud dictum Salvatoris : « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis (*Matth.* xxv). » In horum enim sinibus absconderat eleemosynas suas, iique cum ramusculis olivarum et precibus præcedentes et subsequentes in ejus obsequium, ad ipsam majestatis sedem cum illo appropinquarunt. Felicem sane, qui sibi tales paravit amicos de mammona iniquitatis, qui eum reciperent in æterna tabernacula (*Luc.* xvi). Parva autem sunt hæc. In ipsis etiam hostium Christi Judæorum synagogis, primo mane tumultus, et clamor ortus est, Annonis nomen, Annonis probitatem et integritatem prædicantium, mortemque ejus complorantium. Interim tamen non sumus nescii, plures ejus obitu partim palam, partim occulte lætatos, in quos recte quadret illud : « Omnis qui mala agit, odit lucem (*Joan.* III) : » de C quibus etiam Apostolus dicit : « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem (*Galat.* I). » Facit hoc potius ad laudem beati viri, ut qui talibus displicere voluerit, quibus nulla placet ecclesiastica disciplina. Satisque mirum videri queat, quod cum plerique Colonienses, qui eum urbe ejecerant, eum odio habuerint, ita tamen ad exsequias ejus civitas omnis propensa fuit, ut in ea civitate nullæ unquam similes vel fuerint, vel futuræ sint exsequiæ. Non enim vel ipse totius Ecclesiæ pastor Petrus apostolus, si urbem illam corporali præsentia inviseret, majori posset gloria et celebritate excipi, quam funus illud diebus septem frequentatum est : si tamen funus dici debeat, et non potius cœleste munus, quod Colonia in protectionem sui, filiorumque suorum sanctificationem, diebus sex circumduxit, et septimo tandem die cum ingenti comitatu tam honorifice quam luctuose, ad montem Sigebergensem transmisit.

D XV. *Exsequiarum ejus descriptio. Mirabilis luctus omnium. Plurimi conantur ejus sacrum corpus Coloniæ retinere. Gerlacus comes acerrime se opponit.* Corpus exanime lotum, et ut episcopum decebat, in feretro compositum, adhuc ab horum ministris tractabatur, et ecce necdum orto sole clerus totius Coloniæ cum crucibus adventans in curiam regiam, cum frequentissima tam urbana, quam suburbana plebe, ædes episcopi circumstiterunt, non ut mortuum excepturi, sed tanquam viventem ad insignem aliquam celebritatem cum triumpho prosecuturi. Mox in humeros receperunt onus sacratissimum quidam viri venerabiles, clerici et monachi, plangentibus ministris, qui eos sequebantur, exportaruntque illud ad episcopum Mindonensem et cleri frequentiam, duobus cum pedo episcopi et crucis vexillo præeuntibus. Ubi autem in conspectum hominum venit, dictu incredibile est, quæ tum illic lacrymæ et gemitus exstiterint. Inde cum psalmis et canticis, cum magno campanarum fragore et clan-

Digitized by Google

gore in summæ ædis atrium illatum est, depositumque sub corona qualam magni operis illic pendente, multis in ea cereis ardentibus. Adfuere mox frequentes monachi, et Deo sacratæ feminæ : celebratum est defunctorum officium, quod vigilias vocant, templum omne cantantium vocibus complebatur. Hora sacrificii cunctis congregatis, im primis reverenter et devote Mindensis episcopus cum sacris ministris accessit ad aram, eumque omnes secuti sunt, permistim psallentes atque lacrymantes. Peracto sacrificio, sacerdotes omnes cum stolis suis post feretrum steterunt. Ibi tum luctus et gemitus, dolor et lacrymæ increverunt, magisque affectu, quam voce, dicebant omnes : In paradisum deducant te angeli, in tuo adventu suscipiant te martyres, et perducant te in civitatem sanctam Hierusalem. Cui vel tenuis pietatis scintilla inesset, non poterat non compungi, si vidisset officia, quæ illo die beato viro persolvebantur. Ipsæ canentium voces, ipsæ carminum suavitates, ipsi verborum sensus, atque adeo ipsi offerentium ordines et multitudo testari videbantur, jam in cœlis ejus festa celebrari. Omnia compunctionis plena erant, digna tali funere. Interim totius ecclesiæ Colonensis magistratus una animi sententia in id summopere incubuit, ut sacrum corpus Coloniæ suam haberet sepulturam. Et aliis quidem bona animi voluntate, aliis ex invidia id conitentibus, clerici illi, qui olim a beato viro in ecclesia ad Gradus in honorem matris Dei constituti fuerant, publicæ justitiæ detractum iri aiebant, si præter illud sepulcrum, quod ipse apud eos sibi mensus esset, aliud, quamvis ab eodem ipso, tamen posterius designatum, jam mortuus obtineret. Huic sententiæ cum etiam proceres plerique omnes subscriberent, soli tres, Sigewinus decanus summæ ædis, Hermannus vicedominus, qui ambo postea ei successere, et Gerlacus comes, acerrime sese opposuere, et nunc conviciis cum aliis agebant, præter perfidiæ crimen, quo se obstringerent, qui eam sententiam sequerentur, etiam anathemate plexos eos asserentes. Et triduo quidem nihil impetratum est. Quarto autem die obstinatioribus animis utraque parte suum propositum urgente, tandem Gerlacus comes in medio conventu stans, ita ait : Esset merito tantorum virorum sententiæ cedendum, si non publica justitia staret a nobis, quæ, si scire vultis, æque vos atque nos, dominos, domino nostro adhuc liberam habente sepulturæ deligendæ facultatem, obstringit, ita ut sine magno salutis nostræ discrimine secus, quam ille jusserit, hac in parte facere nequeamus. Nostis quæ ille, vestræ pertinaciæ præscius, vobis dira imprecatus sit, ut quisquis sapit, vitam hanc perdere malit, quam eam excipere maledictionem. Et tamen appetitur tanta animarum pernicies. Etsi vero nihil isthæc vos permoveant, non mihi certe integrum est vestro exemplo adjurationem domini mei, cui fidem obstrinxi meam, negligere, cum certum sit, eo ipso in excommunicationis mucronem me ruiturum. Quod si etiam divina ultio non urgeret, at certe leges humanæ eam a me fidem reposcerent, ut prius velim nobiliter occumbere, quam injuriam cujuscunque domini mei, cui sacramento obligatus sim, ignobiliter negligere. Quod si ea fides cuilibet domino debetur, quanta illi præstanda est, qui a cœlesti senatu jam medio consessu receptus est, cujus dignitas et urbis hujus nobilitate, et summi sacerdotii culmine illustris est? Cujus tanta fuit vitæ sanctitas, ut beatus merito prædicetur, qui pro ejus defensione vel afficiatur contumeliis, vel sanguinem fundere cogatur. Id igitur omnibus vobis notum sit, hac me esse sententia, ob conservandam domino meo fidem, ut, si aliter non liceat, opera commilitonum meorum ejus corpus constanter tollam, et armata manu mihi vindicem, donec jus cuique suum victorum mortes asserant. Hæc illo comite magno animo prosequente, cæteri metu absterriti siluerunt : solus Rudolphus præpositus Graduum, cum suis necdum destitit suam tueri sententiam : sed eum comes coram omnibus ita compellavit : Ridiculum sane fuerit, si putes nos impudenti oratione tua adeo frangi posse, ut ignavia victi, imbelles vos patiamur occupare depositum nostrum, pro quo etiam ferro dimicare velimus? Itaque plane id tibi persuadeas, nunquam fore ut quavis arte id, quod cupis, assequaris. Nam etiamsi, dubio adhuc rei hujus eventu, necessitas eo nos adigat, ut absque nostra quidem culpa in hac urbe corpus hoc sepeliendum sit, tamen etiam nunc pudebit vos inutilem suscepisse laborem, quandoquidem necesse erit humari illud in ipso B. Petri choro sive adyto, ubi nullus antehac, quamvis sanctissimus, terra conditus est. Ita præposito illo cum suis quoque remoto, controversia omnis sopita est, respiciente Deo pauperes suos, qui in preces, vigilias et jejunia non cessarunt incumbere, donec optato illo thesauro potirentur. Porro autem exactis primæ noctis excubiis ad corpus beati viri, altera luce apparente, rursus populus et clerus frequens ad beati Petri ædem convenit, novusque planctus, nova lamenta exstitere, et salutaris hostiæ fervebat ministerium. Inde quidam sacrum corpus tanquam divinæ propitiationis arcam in suos humeros sustollentes cum lacrymis et ejulatu multo, ad portam illam contendebant, quæ meridiem respiciens, ituris ad S. Martinum per cohortem regiam iter præbet. Concrepuerunt mox signa campanarum, psallensque chorus antecedebat sacrum corpus, magistratu cum populo a tergo sequente. Incredibilis etiam tunc dolor et planctus fuit, nec minor devotio, mireque alii alios excludebant a ferendo feretro, dum singuli illud onus sibi imponi peroptarent : omnes vero certatim vel ad solum feretri contactum inhiabant, magnæ cujusdam benedictionis opes inde sibi pollicentes. Stabant in ostiis domorum suarum pudicæ matronæ, qua transiturus erat, et passim videre licebat homines manus in cœlum tollentes, caput moventes, oculis prosequentes illud sacrum corpus. Ubi autem in monasteria quoque introductum est, eximii sane illi habiti sunt honores. Templa enim cereorum et lampadarum illustrabant lumina, auro gemmisque radiabant altaria, parietes tapetis multicoloribus ornabantur, sanctorum quoque corpora suis locis mota, quod nunquam antea in exsequiis visum fuerat, cum processionibus educebantur. Neque id absque occultioris cujusdam inspirationis vi factum arbitror : sed quemadmodum B. Anno, dum esset in humanis, quidquid potuit animo, ore et manibus atque pedibus, beatis illis cœli civibus honoris impendere, haudquaquam prætermisit : ita ei quoque id specialiter collatum est, ut ad tumulum deportandus, sacrarum reliquiarum comitatu frueretur. Ecquis autem parem illi se in sanctorum veneratione existimare ausus erit? Quis unquam tanto flagravit studio et amore, quanto ille vel minimis sacrarum reliquiarum portiunculis delectabatur? Fervebant interim studia omnium erga beatas reliquias, et tanto se quisque gloriosiorem arbitrabatur, si novi quidpiam aut præ cæteris amplius aliquid in earum apparatum expendisset. Ubique offerebantur sacrificia, et alia religionis officia præstabantur, nec in iis aliquid unquam occurrit impedimenti, ut ipsi quoque prosperi successus, Annonis sanctitati gratulari viderentur. Et primo e summa æde deportatum est ejus corpus ad beati Martini cœnobium, inde ad Sanctæ Mariæ monasterium, quod Novum vocant : tum ad beatam Cæciliam, postremo ad Sanctum Georgium, ubi ea nocte ad illud vigiliæ celebratæ sunt. Tertio die post oblatum sacrificium, ad jucundissimi intercessoris ejus Severini templum pastor exanimis adductus est : ubi singulari privilegio obviam ei prolatæ sunt tanti pontificis sacræ reliquiæ. Postquam autem ibi quoque oblatum est

Digitized by Google

sacrificium, ad S. Pantaleonis religione et censu præstantissimum cœnobium itum est, inde ad ecclesiam apostolorum, post ad sancti Gereonis. Excipiebatur autem apud sanctum Gereonem honorificentissime. Nam extra fores basilicæ, sancti cum multa reverentia obviam proferebantur, micabant intus luminaria, resplendebant diversæ metallorum species, campanarum permistus clangor perstrepebat, totiusque templi facies non alia erat, quam solet esse in solemnitate præcipua. Atque ea quidem nocte ibi cum psalmis vigilatum est ad sacrum funus. Quarto die post missas celebratas, deportatus est vir sanctus ad monasterium Sancti Andreæ, ad sacras virgines, ad Sanctum Cunibertum, ubi inter duos Evaldos medius est collocatus. Tandem ad Gradus ventum est, ubi innovatus est dolor, increverunt lacrymæ, nec admittebatur consolatio, quod in omnium oculis exstinctum jaceret Coloniæ decus et ornamentum. Ibi deliberatum est a proceribus de majoribus impendendis honoribus beato antistiti, tanquam nihil dignum hactenus præstitum esset. Statutum est igitur, ut proxima luce generalis illic celebraretur conventus, sanctorum reliquiæ ex omnibus ecclesiis eo adducerentur, singulis congregationibus suos patronos honorifice sequentibus. Factumque est ita, non sine multorum summa admiratione. Prædicanda sane omnibus seculis Coloniensium fides et devotio, qui sui pastoris funus tam splendide cohonestarunt. Postquam autem sacræ illæ reliquiæ in templum allatæ sunt, in medio earum positum est corpus exanime beati viri, ut quasi illis antecellere videretur, quibus vel æquari non nisi summorum sit. Equidem quid alii sentiant, ignoro : me quidem præ admiratione vix capio, dum non memini ulli unquam funeri illos exhibitos, quibus præ timore sanctitatis eorum, vix quisquam propinquare ausus est. Quinto die levati sunt sacrorum corporum æterni magnique thesauri, beatissimum funus tanquam singulare patrocinium fertur in eorum medio, commistim lacrymæ et cantus immolantur, itur ad ædem Sancti Petri, atque in eam tanta celebritate et gloria infertur sacrum corpus, ut vix unquam clarior illic regum triumphus celebratus sit. Innumeræ illic splendebant lampades et cerei, amplissimum templum præ nimia hominum multitudine angustum videbatur, baculus sancti Petri, ornamentum insigne, obviam proferebatur, cum multis reliquiis et crucibus. Et ut paucis expediamus, quod multis comprehendi non potest, nihil neque dignius, neque celebrius excogitari potuit, quam sit illic præstitum. Sequenti inde die ad solis ortum dici non potest, quanta vi in januas sese intulerint, et clerus et populus, quantoque studio sacrificium et commendationes peractæ sint, aut quemadmodum deinde ad Rhenum sit instituta processio. Cantabatur responsorium illud inprimis lugubriter : Aspice, Domine, quia facta est desolata, civitas plena divitiis, etc., unde utcunque colligi licet, quo animi mœrore pastorem illum suum Colonia tum prosecuta sit. Cum autem jam navi impositum esset beati viri corpus, et littora Rheni plangentium luctu personarent, adessent etiam illic quidam ex iis, qui virum Dei odissent, evidentissimo miraculo declaratum est, cujus apud Deum meriti ille esset. Navis enim in alteram Rheni ripam transmissura, contra fluminis impetum ascendens, instar sagittæ littus aliud feliciter occupavit, fortassis etiam eadem vi contra nautarum conatum altius itura, nisi sancti Heriberti ædes impedivisset. Eratque ea res tanto admirabilior, quod nautæ præ frigore vix manus movere viderentur, Rhenusque et pluviis et glacie plus solito intumuisset. Jam ante, ut supra meminimus, ad ita fore prædixerat vir sanctus, cum adhuc esset in humanis. Ubi autem id conspicati sunt, qui in citeriori littore stabant, navem scilicet illam contra naturæ vim, altiorem in ripa ulteriori attigisse locum, quam quo ipsi starent, valde attoniti laudabant Deum : alii, qui odio beati viri conflagrarant, suspirantes tundebant pectora, domumque abierunt. Completum est tum, quod in psalmo dicitur : « Videbunt recti, et lætabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum (*Psal.* cvi). » Illatum deinde est sacrum corpus in templum matris Dei, ubi sanctus Heribertus miraculis coruscat, et nox illa cum hymnis et psalmis exacta est. Postridie mane, ut septimo quoque die Colonienses suam et fidem et devotionem sæculis omnibus testatam efficerent, frequentes clerici, monachi, sanctimoniales et cives transmisso Rheno, ante lucem eo pervenerunt. Multis autem in templo ardentibus cereis, sacrificium et commendationes celebratæ sunt, idque ea, qua par erat, reverentia. Aderant episcopi duo, Fridericus Monasteriensis et Egilbertus Mindensis, uterque decus sui temporis, et tanti funeris procuratione dignus. Aderant etiam primores Colonienses, permulti nobiles, monachorum greges, populus innumerus, parati omnes prosequi cœleste pignus ad montem usque Sigebergensem. Per hoc omnes medium ducebatur funus venerabile, psallentium choris vallatum : ferentibus illud vicissim manibus, modo humeris suis per quatuor fere milliaria non nisi nobilissimis viris pedestri itinere, quod tum resoluta glacie admodum lutosum et permolestum erat : nec quisquam servilis conditionis, aut qui equo veheretur, permissus est ad jactum lapidis feretro propinquare. Interim donec conspici posset, Coloniæ signa campanarum omnia aerem sono complebant. Postquam ad montis conspectum ventum est, rursus tantus ortus est omnium planctus et luctus, ut nullis verbis explicari queat. Irruebant super feretrum monachi, et miserandum in modum plorabant obitum tanti viri, donec deficerent in eis lacrymæ : nec poterant absolvere inchoatam antiphoniam illam : In paradisum, etc. Miri quiddam ibi tum accidit. Ab occidente advolabant aves frequentissimæ, novi cujusdam generis, montem operientes, et sua densitate plerumque cœli conspectum intercipientes, illicque permanentes, donec humato corpore, homines inde recederent. Eas vel angelos, vel animas sanctas existimabant, qui eas cernerent. Rectius autem fortassis interpretabimur, significasse eas concursus futuros hominum. Tandem sepulturæ mandatum est corpus sancti episcopi, volensque hominum lacrymas et ejulatus sedare Hermannus vicedominus : Facessant jam, inquit, dolores omnes. Habet jam pater et pontifex noster, quod optavit : psallitque et dicit : « Ecce quod concupivi, jam video ; quod speravi, jam teneo. Illi sum junctus in cœlis, quem in terris positus tota devotione dilexi : » audivitque illam jucundissimam vocem Domini sui : « Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui (*Matth.* xxv). » Nonnihil tum cessatum est a lacrymis. At non diu post, primum nobiles omnes, inde ministri episcopi, postremo pauperes intro ingressi, luctum instaurarunt tota die. Conferat jam qui potest, harum exsequiarum gloriam et celebritatem, cum quibuslibet regum et principum pompis atque triumphis. Cœpit autem Dominus illustrare servum suum etiam miraculorum signis ad confutandam illorum impudentiam, qui paulo ante sanctissimam ejus vitam dente rodebant canino, et preciosam margaritam, cœlestis regis diademati destinatam, falsis rumoribus offuscare nitebantur.

XVI. *Visio fratris cujusdam. Non sunt mortui sancti, sed vivunt. Alterius fratris visio.* Post obitum beati viri abbas Sigebergensis, veritus ne deessent fratribus res necessariæ, parcius administrare cœpit alimenta. Qui tum legumina coquebat, quodam hebdomadæ suæ die in somnis vidit seanxium et fessum stare in culina, mox vero ad se ingredi beatum Annonem, et more suo degustare cibum qui coquebatur : sciscitari quoque, cur tam parce, tamque utiliter tot fratribus cibus administraretur : se vero

Digitized by Google

respondere : Te mortuo, Pater, nobis alumnis tuis et mendicis spes nulla est, cogitque metus futuræ inopiæ hac uti parcimonia. Tum autem sic, non absque reprehensione, dicere episcopum : Itaue mortuum tu me arbitraris ? Facessat hæc opinio. Illa enim vita ego nunc fruor felicissime, quæ summæ beatitudinis æternitate tota fluit : ad quam si conferat, qualis eram, cum a vobis dicerer vivere, quasi qui non essem, merito putari deberem. Ocius igitur ex me dicito abbati, ut certus de rerum copia, non sit ausus fratrum minuere portiones. Nam paucos post dies efficiam, ut tanta vos rerum abundantia affluatis, ut præ admiratione nec ipsi capere id possitis. Magna tum illic quoque cereorum penuria erat, ita ut ad missas privatas vix, et ne vix quidem interdum sufficerent fratribus. Apparuit igitur sanctus episcopus alteri cuidam fratri quiescenti, aitque ad eum : Demiror custodis vestri tenaciam, tam parce cereos fratribus suppeditantis. Velim hujus ex te causam nosse. Respondit frater : Non est culpa custodis, amantissime Pater, quippe quem penuria cogit ita facere. Tum arridens beatus vir : Si non alia, inquit, hujus ratio est, tu mihi jam eris promissionis meæ nuncius ad fratres, dicesque eis, intra paucos dies tantam ipsos ceræ copiam habituros, ut etiam colligere sine fastidio non possint.

XVII. *Arida feminæ manus sanatur. Multum augetur Sigebergense monasterium.* Cum itaque his et id genus aliis fratres animati essent ad quædam magna de beato viro speranda, femina quædam contractos habens digitos, ceram palmæ effigie ad tumulum ejus attulit, flexis genibus oravit, ceram cum manu debili protulit, et simul atque sepulcrum attigit, illico sanata est, primum miraculum in sanctitatis ejus testimonium inde reportans. Factum est hoc octavo Kalendas Aprilis, quo die tum fuit Parasceve et Dominica Annunciatio. Mox circumcirca res divulgata est : stupebant omnes, et difficulter volebant credere ob rei novitatem, sed mulier et genere et nomine notissima, vel invitis fidem fecit. Abiit autem fama miraculi etiam in exteras regiones, turbisque undique confluentibus, copia quam promiserat vir sanctus, adesse cœpit. Memor autem futurorum Reginhardus, sciensque assiduitate sæpe vilescere, quod tam splendida ex vulgi concursu initia haberet, construendis ædificiis, acquirendis prædiis, templo ornando operam dedit. Denique ex iis rebus, quibus tum ille sacri corporis locus die noctuque plenus inveniebatur, tanta effecit, ut cum vix quadraginta illic monachi essent, ipso abbate primum creato, brevi amplius septuaginta vel octoginta inventi sint. Condidit etiam mausoleum beati viri, in cujus vertice litteris aureis hoc scriptum est Epitaphium.

Patribus egregiis ornata Colonia multis,
Ecclesiæ speculum misit in hunc tumulum.
Emicuit mundo nova lux Annone secundo,
Qui per cuncta suo par erat officio.
Mensibus hoc denis, annis octoque vicenis.
Quarta Decembris eum lux tulit e medio.

XVIII. *Cæcus videt. Plurimi ad ejus sepulcrum confluunt.* Interea populo magis magisque eo adventante, faber quidam Coloniensis ex candente ferro cæcatus, itidem accessit, ad tumulum ejus preces fudit, et antequam surgeret, curatus, coegit omnes sublatis vocibus tam repentinum beneficium laude et prædictione efferre. Adducta est puella parvula, arido brachio misera, et ipsa quoque sanata est. Placuit tum omnibus circumcirca commorantibus, ut pridie Nonas Maii cum crucibus et reliquiis ecclesiarum suarum eo se conferrent, et novi patroni suffragia communi supplicatione ambirent. Aderat dies, accurrit populus infinitus, curatus est in medio turbæ claudus, incredibili vocum strepitu miraculum ab omnibus celebratum est. Quintus deinceps illo in monte hominum concursus fuerit, vel inde satis constare potest, quod Sigefridus archiepiscopus Moguntinus per id tempus devotionis studio eo adveniens, nec dignitate functionis, nec famulorum satellite impetrare aditum potuit ad sepulcrum, diu a turbis irruentibus exclusus donec abbatis opera, per loca clandestina introductus est. Singula commemorare miracula neque nobis possibile est, neque lectori gratum fuerit. Præcipua quædam, optima fide annotabimus.

XVIII*. *Per jocum futura prædicit S. Anno. Sanatur frater claudus.* Vivente etiamnum beato Annone, quidam monachus Sigebergensis ab excelso templi loco corruens, dissolutis et confractis membris, in linteo sullatus est, propemodum animam exspirans. Postquam vero in lectulo repositus est, diu decubuit, multisque adhibitis curationibus, contra spem omnium eousque perductus est, ut cum scipione posset, licet claudicans, utcunque ingredi. Ei jam ætate et religione provecto, quandoque more suo jocose dixit beatus episcopus : Tantisper huic inniteris scipioni, donec a me curatus, illum abjicias. Id quidem nemo tum nisi facete dictum, interpretabatur. At ubi cœpit ille jam vivere in cœlis, et crebrescentibus ad tumulum ejus miraculis, ei custodiendo hic frater invigilaret, quodam die vis invisibilis eum e sede expellens, totum humi coram tumulo stravit. Scire ille volens, cujus impulsu id pateretur, dum circumfert oculos, conaturque surgere, toto corpore se sentit incolumem, nervis laxatis membrorumque juncturis diu confusis, suo loco restitutis. Itaque e templo properat ad domum capitularem, abjicit scipionem, flectit genua, iterum atque iterum tentat num possit porrecto corpore osculari humum, sive venias capere, quod antea impossibile fuerat, nec ullam sentit difficultatem. Currit avidissime ad abbatem Reginhardum, tradit illi scipionem in testimonium curationis suæ servandum. Abit cito tanti miraculi fama per omne monasterium locaque vicina, conveniunt ad ecclesiam monachi et populus frequens, promuntur Deo laudes et carmina, festum imprimis celebre ab omnibus peragitur.

XIX. *Homo miserrimus mire restituitur.* Fuit Bonnæ homo quidam usque adeo calamitosus et miser, ut credi non possit, nisi coram intuitus sit. Toto tremebat corpore, idque perpetuo : stridebat dentibus, voces edebat horridissimas, et quas nemo crederet humano ore effici posse. Ad hujusmodi autem edendos clamores vires ei addente dolore, cæterum adeo vi morbi frangebatur, ut prorsus nihil loqui posset. Nec jacere poterat, nec sedere, multo minus stare. Quoties movebat pedem ultra progressurus, mox retrorsum agebatur : hominemque videre, miseria erat. Aiebant ei quidam, recte eum consulturum sibi, si in Sigeberg proficisceretur, ubi nova jactitarentur miracula. Sic illi loquebantur, non homini consulentes, sed beato Annoni suo more insultantes. Et tamen quia præpotens Deus etiam malis novit bene uti, eis insistentibus adducitur asinus : eo vectus miser, venit in Sigebergense monasterium : prosternit se miserandum in modum coram sacro corpore : omnes eum et mirantur, et miserantur. Paulo post tanquam ad se reversus, vertit crebro oculos, appellabat circumstantes, surgit a terra, ruit in ipsam pretiosi corporis thecam sive loculum, identidem osculatur, vota nuncupat, et abit sanissimus, angelis hominibusque lætantibus. Subjicimus nunc aliud insigne, soliusque Dei miraculum, quod quamvis difficile sit credere, tamen tanta ejus veritas est, ut ultro velim divino esse judicio obnoxius, si secus est, quam a me referetur. Legant et credant, qui norunt omnia posse Deum (*Matth.* XIX) : et, si quidem pii et religiosi sunt, gaudeant se in beato Annone magnum habere patronum sin aliter, timeant obtrectatorum suorum potentissimum persecutorem.

XX. *Homo nequam mendacio jungit blasphemiam.*

Digitized by Google

Diabolus ei apparet. Impie conviciatur S. Annoni. Item alia ultio hominis blasphemi. Arnoldus vir strenuus et dives, Dollendorpensis castri dominus, cum aliquando sederet ad audiendas suorum causas et lites, iram quidem præ se ferre videbatur in noxios homines, at tamen mitius agebat, si non criminis gravitas obsisteret. Erat enim pro suo instituto pius, et magna prorsus in Deum fide. Accusabatur tum coram illo Volbertus homo nequissimus, quod non persolvisset æs alienum. At ille animo ferox et lingua procacissimus, nihil modestum aut sanum respondit, imo ipsum quoque judicem criminari cœpit. Querebatur se ab illo et ab omnibus præter meritum opprimi, absque ulla noxa rapi ad tribunal, prorumpensque in voces impias. Quandoquidem, inquit, frustra a Deo speravi justam sententiam, alius mihi judex et patronus quærendus est. Horrebant omnes, et miser ille diabolum invocans : Tu, inquit, mihi præsidio sis : ego vero tibi me servum utraque manu trado et addico. Ulciscere injurias meas, quod a Deo non obtinui. Ferebat Deus impii hominis blasphemiam : sed ubi ille nequam etiam in sanctos ejus injurius esse cœpit ultio inaudita consecuta est, ut perspicue liceret animadverti, verissime dixisse eum. « Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei (*Zach.* II). » Surgebat judex et cum eo majores omnes, tantam non ferentes blasphemiam : agebant cum insano nunc minis, nunc blandimentis, ut ad sanitatem rediret, sed ille tanto furebat magis. Jam sol ibat ad occasum, et malignus ille in pascuis quærebat equum suum : veniensque ad silvam propinquam, inter umbras arborum vidit hominis horrendam speciem, sicque prior appellat eum : Quisnam es tu, aut qua causa hic subsistis? Respondit diabolus : Equidem huc veni misertus tui. Scis enim, quem plenus amaritudine paulo ante invocaveris, cuique te servum devoveris. Ego ille ipse sum diabolus. Me ergo protectore felix semper futurus, redi domum, sic tamen, ut a meo famulatu minime te subducas. Abscedit miser, et altera luce sedens equo cum commilitonibus suis sequitur judicem alio tendentem. Rursus judex cum suis tanquam nocturna cogitatione mutatum invitat ad satisfactionem : promittit veniam pridie perperam gestorum, modo persolvat debitum. Ille redit ad contumelias et convicia, ait se jam invenisse meliorem patronum, qui et possit tueri suos, et adversarios opprimere : cui non sit alius similis. Percontantibus aliis, ecquisnam ille sit, incunctanter respondet diabolum esse, nec dubitat in Christum et sanctos ejus blasphemias et nefanda multa jactare. Tum judex religioso mœrore affectus : O miser, inquit, o præda Satanæ, itane insanis in Creatorem tuum? Nisi plenus esses eo, quem jactitas, nunquam tot probra conjiceres in mundi Dominum et sanctos ejus. Impietate etiam dæmones vincere videris. « Illi credunt, et contremiscunt (*Jac.* II) : » tu vero totus amens, nihil metuis Dei potestatem, nec credis miraculis, quibus terra marique sancti illustrantur. Et ut alios omittam, de beatissimo Annone, præter alia ejus miracula, constat, magnam ejus in cæcis illuminandis esse efficaciam : nec dubium, quin possit etiam videntes luminibus privare. Vide ergo, ne percussus cæcitate, vel sero cogaris cum deprecari. Ad hæc ille erecta cervice, cachinnans et subsannans : Istum vero, inquit, signis clarescere credere quisquam, nisi delirus, potest? Novi ego hominem adhuc viventem, et certe alienum a fide est, mortuum eum jam facere miracula, quæ vivus non potuerit. Si vanus sum, quid ita ille cunctatur ulcisci opprobrium suum? Si ille quemquam unquam cæcum sanavit, radicitus excidat mihi oculus uterque. Vix elocutus erat hæc, cum ecce repente sinister oculus ejus sensim instar aquæ totus diffluere cœpit, foramine ad horrendum spectaculum vacuo relicto. Accurrunt illico milites, certatim cupiunt inspicere virum, nec possunt admirari satis, celebrant omnes beati Annonis nomen ; solus miser ille manet incredulus. Hortantur eum omnes, ut vel experientia cautus fiat, et beatum Annonem precibus sibi conciliet. Ille vero seipso deterior, rursus exclamat : Donec ulla mihi luminis portio relicta erit, absit ut ei supplex fieri velim. Sit erroris vestri, sanctum eum dicere : mihi, si potest, prius etiam alterum excutiet oculum, quam hoc ego fateri velim. Dixit, et cunctis cernentibus, tanquam fulminis jaculum in caput ejus vibrari visum est, cujus ictu reliquus oculus radicitus evulsus est. Mox equo fugam capessente, infelix ab illo excussus, humi corruit : sed pede altero inhærente uni stapedibus, longius ab equo misere raptatus est. Secuti illum equites velocissimi, moribundum, equo comprehenso, solverunt. Confluebant ad eum omnes horrore concussi : ille vero præ dolore clamitabat et ejulabat, in pulvere sese volutans. Tum omnes pavore et stupore correpti, appellabant sanctum Annonem; sese in terram prosternentes, identidem clamabant Kyrie eleison. Iis clamoribus per nemora et agros sese diffundentibus, ex locis propinquis magna hominum turba cum sacerdotibus advolavit : qui cum rem totam didicissent, non mediocriter obstupuere. Sustinebant vero omnes, quid porro eventurum esset misero illi. Propius autem ad eum accedens judex et quidam religiosi viri, sciscitabantur ex eo, quidnam haberet. Respondit ille tantis se discruciari doloribus, ut spem vivendi omnem abjecerit. Hortabantur eum illi, ut dum adhuc tempus pœnitentiæ adesset, colligeret sese : quod si faceret, et beatum Annonem ex animo deprecaretur, et veniam et sanitatem ei pollicebantur. Tum ille dolore urgente exclamavit : Fateor sanctum Annonem posse, si velit, mihi restituere oculos ablatos : manuque tremulas in cœlum porrigens, cunctis audientibus, lacrymabundus oravit : Parce, sacratissime pontifex, parce misero mihi jure castigato, nec neges converso misericordiam, quam Dominus cunctis resipiscere volentibus offert, ubi ait : « Vivo ego : nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vivat (*Ezech.* XXXIII). » Si reddideris mihi lumina, quod te posse credo, toto corde tibi semper subditus ero, et quod hactenus impie negavi per totum orbem annuntiabo, te prioribus sanctis æquatum esse meritis et factis. Hæc cum ille diceret, et omnes miseratione afficerentur, Arnoldus judex hortabatur eos, ut communibus votis et precibus homini misero divinam misericordiam conciliarent, sublatisque manibus, Kyrie eleison una voce clamitarent. Impietatis enim notam se non posse effugere dicebat, si naturæ consortem in ea clamitate desererent. Itaque primus ipse humi se abjiciens, omnes ut idem facerent permovit. Postquam autem a terra surrexerunt, sanctum Annonem iteratis vocibus invocantes, inaudito miraculo novi in hominis capite oculi repente exstiterunt, solito clariores : et tanquam nihil passus esset, sanus et incolumis homo surrexit : populus circumstans præ gaudio lacrymas fundens, immensis vocibus ita ut par erat laudes diutissime depromebat. Postea ille ad beati Annonis tumulum venit, exposuitque quid ipsi accidisset. Sed cum nemo crederet, abbas Reginhardus curavit eum adducendum ad synodum, quæ tum, Hildulpho archiepiscopo præsidente, Coloniæ habebatur. Ibi ille coram omnibus totam hujus rei pertexuit historiam, multis ejus dicta suis verbis confirmantibus. Tandem etiam, cum missis nuntiis id exigeret episcopus Hildulphus, ut fide dignissimus Arnoldus ille, cujus crebro jam meminimus, gravissimum dixit testimonium, juramento illud confirmans.

XXI. *Peregrinatio ad Sanctum Petrum. Clericus quidam proscindit S. Annonem. Punitur maledicus sancti viri obtrectator. Curatur invocans S. Annonem* Quidam ex diœcesi Trevirensi Romam ad beati Petri apostolorum principis limina, usitata jam sæculis devotione proficiscentes, Confluentinum quemdam cle

Digitized by Google

ricum itineris comitem habuere cum quo varia conferentes, ut fit, levandi laboris, animosque oblectandi causa, tandem in mentionem beatissimi Annonis inciderunt, omissisque aliis sermonibus, multum et diu de vitæ ejus sanctitate et virtutum præstantia loquebantur, ejusque res gestas vicissim alii post alios commemorabant. Jam in vesperam prope perductus erat dies id genus sermonibus, cum ecce clericus ille incredulum pectus suum prodens : Vos, inquit, perditum illum vanis in cœlum usque laudibus effertis, quem ego nihil extra communiter mortuos habere existimo : quippe virum, ut aiunt, suis malum, sibi ipsi pessimum. Hæc ille exsecrabilis effutiens, sociis suis et pallorem et silentium præ horrore attulit. Cumque paululum substitissent, cœpto pergentes itinere, ita aiunt ad eum : Ecquis vel amentissimus ejusmodi ausus sit proferre sermonem! quem cum a nemine magis, quam a clerico pro auctoritate officii coerceri oporteret, ex clerici ore proficiscitur. At ille pejora evomens : Si me, inquit, etsi a vestra fide, non tamen a veritate aliena dicentem, idcirco reprehendendum putatis, quod e clero sim, audite hominis finem, cui sanctitatem arrogare vultis. Vehementissimus dolor pedum, et hactenus incognitus podagræ morbus animam ei, ut audistis, infeliciter extorsit. Crudelissimum autem fuerit, ullius bonitatis hominem ea pœna divinitus consumi, quam nec sceleratissimus facile meretur. Non bene eum vixisse, ultio testis est : imo quam male obierit, et vita et vitæ testis ultio docet. O linguam merito præcidendam, cum Scriptura divina tam multis testetur locis, quem diligit Deus, eum quoque arguere et castigare (*Apoc.* III). Quanta vero et quam indigna et immania passus est etiam ipse Filius Dei? quanta apostoli et martyres? quorum fuit quo vita celsior, eo mors preciosior. « Preciosa enim in conspectu Domini, mors sanctorum ejus (*Psal.* CXV). » Absit ergo a fidelium animis, ut putent beatum Annonem ullam meritorum suorum jacturam mortis acerbitate fecisse. Imo ut norint potius inde illi auctam gloriam : audiant, quæ blasphemum hunc ultio consecuta sit. Monebant illum satis superque comites ejus, ut finem faceret tam perverse loquendi, nec tamen cessabat miser. Itaque cunctis jam acerbitatis, et tantæ temeritatis vindictam expetentibus, repente aliis libere progredientibus, immotus ille substitit, et qui Christi confessori dolores pedum improperavit, tanquam ferreis ad talos constrictus vinculis, loco hæsit, interim graves pedum sentiens cruciatus. Mox igitur tremere, pallescere, misere quietari et ejulare cœpit. Respiciunt alii, mirantur clamantem, aspernantur subsistentem, iratis vultibus perquirunt, quid ita hæreat ipsis properantibus. Aperit ille cum multo gemitu quid patiatur, non ambigant illi id accidere meritis ejus, cui detraxerat : dolent quidem præ commiseratione, at tamen lætantur evenisse. Tandem communes pro eo preces fundunt, ille veneratur in eis fidem, quam ante culpaverat : valde pœnitet eum temere esse locutum, preces et vota offert beato Annoni pro sui liberatione. Tamdiu oratum est ab omnibus, donec laxatus, susceptum A incolumis expleret iter. Inde domum reversus, nihil habuit antiquius, quam ut sacratissimi præsulis venerabiles cineres inviseret. Hoc enim et voti necessitas, et amicorum consilia hortabantur. Ubi autem eo venit, cum multis lacrymis totam historiam verissime enarravit, nobisque scribendam reliquit.

XXII. *Contracta sanatur.* Contracta quædam femina, ad beati viri tumulum cereum parvum attulit. Inde recessura, mira velocitate se sentit erigi. Turbata igitur exclamat : O summe sacerdos Anno, quid mihi infelicissimæ nec opinanti accidit? Tanto enim fragore spina dorsi et costæ adhærentes restitutæ sunt, ut quercus frangi videretur. Advolabant multi, et feminæ clamore, et ossium strepitu invitati : videbantque erectam stantem ad illam felicis thesauri arcam, gratiusque agentem, quam hactenus curvam semper viderant. Referunt rem ad alios, multique utriusque sexus in ecclesiam irruentes, una voce summæ Trinitati laudes gratesque agunt.

B XXIII. *Festum Assumptionis S. Mariæ toto orbe celebre. Puer contractus curatur.* Totius orbis commune celebrabatur festum, in cœlos assumptæ beatissimæ Virginis et matris Dei : qui dies est venerabilis, dies sanctus, dies præclarus, cui comparari non possint ullæ sanctorum solemnitates : fratribusque nocturnas vigilias hymnis et psalmis solemniter agentibus, puerulus quidam, et nomine et facie omnibus notus (quippe quem pater reginhardus misere contractum, studio misericordiæ alendum, a Rheno adduxerat), ad beati Annonis sepulcrum manibus reptans venit. Aderant tunc ibi quidam, pro honore sacratissimæ Virginis, reginæ cœlestis vigiliis intenti. Viderunt illi puerum semel atque iterum apprehendentem tumuli summitatem, conantemque surgere, sed toties relabentem, tertio tandem idem tentantem, in pedes erigi. Et stabat ille quidem, sed ruinam minare videbatur. Obtinuit tamen, ut aliquandiu seipsi innixus posset ambulare. Sed illo tandem rejecto, salvus et incolumis, C integram gradiendi facultatem adeptus est. Multam ea res illa die lætitiam peperit, ad tam præclaram illustrissimæ Virginis solemnitatem, tam insigni accedente miraculo. Sunt vero etiam permulta alia lectu dignissima beati Annonis miracula, quæ tamen cuncta prætermittens, ita paucissimis istis ad optatum laboris mei perveni portum, ut et clarissimum meritis et sanctitate virum (ut reor) expresserim, et necessariam propter fastidiosos brevitatem non valde tamen excesserim. Præstet omnipotens Deus, ut in illa vita prosit animæ, si quid in hoc opere dignum suis laudibus elaboravi : sitque migranti patronus, qui scribenti materia fuit, Anno terque quaterque beatus, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

In pedo seu baculo pastorali S. Annonis ligneo, qui adhuc in monasterio Sigebergensi religiose asservatur, in superiori parte in cupro, incisi sunt versus sequentes : D

Tityre coge pecus, cæcus ne ducito cæcos.
Moribus esto gravis, rector fore disce suavis.
Astu serpentis, volucris tege simpla gementis.

SANCTI ANNONIS
COLONIENSIS ARCHIEPISCOPI
DIPLOMATA DUO.

I.

De castello Saleveldoini ecclesiæ S. Petri Coloniensis a Richisa regina concesso, et de villis quas eidem reginæ ipse Anno in precariam dedit.

(Anno 1057.)

A [MARTENE, *ampliss. Collect.* t. III, col. 445, ex ms. Brunwillariensi monasterii.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Anno secundus, divina præstante misericordia Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopus.

Digitized by Google

Consideramus ergo quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, et anxius factus sum pro eo quod vix invenirem quid retribuerem Domino pro omnibus quæ retribuit mihi. His curis æstuanti mihi divina pietas viam aperuit, quo pergens, eo quo desiderabam attingere posse speraverim, scilicet ut amplificando Ecclesiam dono Dei mihi commissam, his qui me præcesserunt viris, toto pene orbe terrarum tum sanctitate, tum patrimonio, tum generis claritate conspicuis, et ut pace illorum dicam, me studiosius operantem, parem illis factum esse dicere non formidem. Inde occasione data dominam Richezam reginam super quibusdam prædiis Salevelt-kobins, quatenus de his precariam consentiens eo Sancto Petro Coloniæ traderet, convenimus. Quod cum in aditu primo parum ad votum respondere, voluntas Dei fuit ut non longo post tempore quod quærebamus prosperum ac felicem haberet exitum.

Unde notum esse volumus cunctis tam præsentibus quam futuris Domini Dei et sancti Petri fidelibus, qualiter Starckhare quidam vir ingenuus et comes, miles ipsius reginæ, præcepto atque petitione dominæ suæ Saleveldoin castellum cum universis ad hoc pertinentibus, terris ac silvis, forestis atque piscationibus, pratis, pascuis, familiis, et quidquid ipsa in Orla proprietatis habere visa est, exceptis servientibus, Sancto Petro Coloniensi ad usum archiepiscopi Christiani advocati tradidit jure perpetuo possidendum, eo videlicet tenore ut ipsius prædii usus fructum domina regina usque in finem vitæ suæ teneat, ea quoque ratione ac firmissimo interdicto, ne unquam aliquis archiepiscoporum per concanbium, vel cuiquam in beneficium dando Salavelt, vel ad hoc pertinentia ab dominicato suo faciat aliena, nisi forte quantum nos cum ejusdem reginæ consilio pro anima nostra, nec non ipsius suorumque parentum per monasteria Coloniæ distribuendum ex ipso statuerimus. Sed et decimam vestimentorum sive cujusque generis pannorum, nec non et lodicum, mellis quoque et ceræ in usum monachorum in Brunwilre regina disposuit. Nos quoque pro devotione Christianissimæ reginæ non multa quidem a nobis quærenti, quantum tamen ipsa proposuerat, in precariam ejus concessimus, has videlicet villas nostri dominicatus ei tradentes usque in finem vitæ suæ, cum omni utilitate possidendas, Sedekeback, Brezenheim, Vickolo, Moffendorp, Muoteresheim, Blasheim, Znonoro. Insuper annis singulis centum marcas argenti de camera nostra, quæ omnia eo tempore facta sunt. Et si quis, vel rex, vel episcopus, sive ipse ego, vel aliquis successorum meorum, de his omnibus ei aliquod minuere, vel aliquo modo mutare, nisi ipsa petente, tentaverit, odium Dei et sancti Petri incurrat. Ipsaque sit potens Salavelt et omnia ei pertinentia recipere, eisque ut propriis uti.

Tradidit quoque domina regina, imo supradictus comes Starkhare servientes quos supra excepimus omnes utriusque generis ad hæc prædia pertinentia, præcepto atque petitione dominæ suæ, ad altare S. Petri, sub censu duorum denariorum annis singulis, quatenus ipsi et omnis posteritas eorum sub ea lege permaneant, quod omnes similem censum ad altare solvant; illud quoque firma ratione constituens, ut liberis vel sinordis venatoribus, sive cujuscunque generis hominibus ad hanc dominationem pertinentibus, quæ suis temporibus jura et optimas consuetudines habuisse probare potuerint.

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1057, indictione x, VII Kal. Julii, facta est hæc traditio in Salaveldon, secundum legem et ritum gentis illius; cujus rei testes sunt hi astantes quidem et videntes traditionem: Otto comes, Otlogh, Wetego, Romzezo, Herman, ejusdem filius Herman, et iterum Herman, Reguhart, Gerwart, Aldeger, et iterum Aldeger, Gunthore, Rathere, Mazzo, Ruodolf, Herman, Adelart, Adelbert, Gerbort, Usito, Helinbolth, Ruozelin, Adeleich, Morlog, Vincho, et iterum Vincho, Hebo, Bubo, Gadelher, Starkhare, quando domina regina stans in domo S. Petri traditionem hanc recognovit: et Starkhare comes ita ut in Salevelt tradidit, sanctum Petrum ita vestivit. Testis est Coloniensis clerus et populus, tum hi quos subter notabimus, Berthold, Sicco, Ruotgher, Adolff, Christian, Ingram, Beringher, Adelger, Burghart, Thiemart, Herman, Arnolt, Godefrid, Berung, Sigebodo, Waltare, Nug, Goswin, Wecho, Cuno, Wigman, Herman, Herwart, Bertholt.

II.

Charta fundationis monasterii Sancti Alexandri in Graffshap diœcesis Coloniensis ab Annone archiepiscopo.

(Anno 1072.)

B [Martene *ubi supra*, col. 490, ex autographo.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.

Notum sit omnibus Christi fidelibus tam futuris quam præsentibus, quod ego Anno, Dei gratia Coloniensis archiepiscopus, quemdam locum in Saxonia Grafcaft vocatum, a quadam matrona nomine Chuniza et filio ejus Thiemone acquisivi. Post hæc cum licentia papæ Alexandri et imperatoris Heinrici, anno autem Dominicæ Incarnationis 1072, indictione x, cum totius familiæ consilio in eodem loco regulares monachos (23) Sigebergensis ordinis constitui, et omni pace et justitia qua cæteræ Colonienses abbatiæ utuntur, confirmando stabilivi, et omnibus archiepiscopis successoribus meis aliquod sæculare servitium ab abbate illo exigere sub anathematis vinculo constringens interdixi. Advocatum sibi abbas eligat, qui placitum bis tantum in anno habeat, et non plus quam XII caballos afferat. In autumno et hieme sit ejus servitium duo maldra panis,

C duæ victimæ porcinæ et unus porcellus, quatuor pulli, et unus anser, quatuor casei et viginti ova, una ama cervisiæ et medonis quantum fit de quadra unius urnæ mellis. Pabulum caballorum tria maldra avenæ. In æstate et vere tres victimæ, et unus agnus, et pabulum quatuor equorum, etc., ut supra. Si in sequenti die rursum vult placitum habere, in abbatis sit arbitrio, si prandium sibi velit exhibere. Ut autem hæc dispositio stabilis et inconvulsa in æternum perseveret, sub invocatione sanctæ et individuæ Trinitatis, et sub auctoritate S. Petri apostoli, et sub judiciaria omnium sanctorum districtione et meo pontificali banno, et sub interminatione perpetui anathematis confirmavi, et mei sigilli impressione signavi.

Hæc sunt nomina ecclesiarum et locorum quæ ad victum et vestitum monachorum Deo et sancto Alexandro juste et legitime acquisita contradidi. Worumbach, Attandarra, Luidolffescheide, Fale-

D breht, Hertseido, Heslipho, Hademare, Hostervelden, Felmedo, Buodevelden, Brunscapellum, Ruothino. Istæ sunt curtes: Nuzlare, Clintfelden, Hademare; item: Hademare, Amelinchusun, Pretinholo. Decem mansi quos dedit Heinricus, Luidolfessceinde, Attandarra, et Smerlecco, Alerenen, Holzhusun, Ruodenveldum, Felmedo, Leno, Beigenchusun, Brunes-apella. Ad Dietrinchegovan mansus I, Berendorff Fatena, Suropo, Lannichofon, Gledorf, Harhincdorf, Werdincdorf, Wedirichueldem. De decimatione ad Sucfacen libræ tres et dimidia, Badelecche octo libræ, de beneficio Luitbizonis decem solidi, de beneficio Arnoldi XXV solidi Gensingen, Allinchusun, Nescelestein. Ad Thietbach vinea una, ad Erpelle vinea una, ad Erbinchusun una domus, Hasichenbruchum, decimæ Warsten, Badelicke, Mulnheim, Anlagen, Bergheim, in Hare, Wlede, Usne, Hivenchusen, Thiedtvardinhusen, Hiddinchusen. Feliciter.

Locus sigilli.

(23) Sigebergense, *Sibourg*, monasterium duabus horis a Bunna distans ab eodem Annone archiepiscopo fundatum hactenus perstat, in quo idem Anno humari voluit

Digitized by Google

INDEX ONOMASTICUS

PERSONARUM ET LOCORUM

IN CHRONICON HERMANNI CONTRACTI ET CHRONICON PERTHUSIANUM.

Revocatur Lector ad ciffras crassiores textui intermistas.

I.

ELENCHUS PERSONARUM ECCLESIASTICARUM ET SÆCULARIUM.

I.

PERSONALE ECCLESIASTICUM.

SUMMI PONTIFICES.

S. Gregorii M. reliquiæ 310 seq.
Gregorius II 114, 115.
Zacharias 119, 121.
Stephanus II, 121.
Adrianus 124.
Leo III 129, 132.
Stephanus IV 133.
Nicolaus I 149, 152.
Adrianus II 153.
Joannes VIII 156, 164
Martinus seu Marinus 164, 165.
Adrianus III 165.
Formosus 170, 171.
Stephanus VI 171, 172.
Joannes XII 186, 187.
Leo VIII 187, 184.
Benedictus V 187.
Joannes XIII 188, 189.
Joannes XVI 310 seq.
Gregorius V 194, 324 seq.
Silvester II 195.
Benedictus VIII 199, 200,
Joannes XIX 203, 204
Clemens II 216, 219.
Damasus II 221.
Leo IX 222 usque 235.
Victor II 252, 254.
Stephanus IX 254.
Nicolaus II 255.
Alexander II 256.
Gregorius VII 334 seq, 340, 342.
Wipertus antipapa 335, 342.
Paschalis II 357, 365.
Gelasius II 365.
Alexander III 387.

ARCHIEPISCOPI

Moguntini.

Lennisius 90.
S. Bonifacius 114, 121.
Lullus 121, 127.
Richulfus 127.
Heistolfus 136.
Otgarius 143.
Rabanus 145, 148.
Carolus 148.
Luitbertus 151, 168.
Sunderolt 168, 169.
Hatto 169, 176.
Herigerus 176, 179.
Hildebertus 179.
Fridericus 183, 185.
Willehelmus 185.
Hatto 185.
Willigisus 198.
Erchenbaldus 198, 200.
Aribo 200, 204.
Bardo 204, 225.
Luitpaldus 225, 255.
Sigifridus 255, 258.
Adalbertus 361, 367.

Trevirenses.

Maximinus 29.
Paulinus 31.
Richboto 132.
Amalarius 133, 134.
Theodgaudus 150, 151.
Ratboto 173.
Luitolfus 197.
Megingaudus 197, 199.
Adalbero intrusus 197.
Poppo 199, 217.
Eberhardus 217, 258.
Conradus 258.

Colonienses.

Chunibertus 94, 95.
Hildigarius 121.
Guntharius 150, 151.
Willibertus 154.
Bruno 188.
Heribertus 200.
Piligrinus 200, 206.
Hermannus 206, 253.
Anno 253, 257.
Fridericus 361.
Xantum. Gebehardus præpositus 342.

Lugdunenses.

Etherius 87.
Secundinus 87.
Aridius 87, 88.
Burchardus intrusus 205, 207.

Magdeburgenses.

Engelhardus 257.
Werinharius 257.

Salzburgensis.

Thiemo 334.

Vesontionenses.

Bertholdus intrusus 223.
Hugo 223.

Aquileienses.

Paulinus 131.
Poppo 207, 211.
Eberhardus 211, 221.
Gotebaldus 221.
Udalricus 354 seq.

Mediolanenses.

Heribertus 207, 213.
Wido 214.

Ravennatenses.

Gerbertus 195.
Gebehardus 214.
Wideger 214, 215.
Hunfridus 218, 224.
Heinricus 228.

EPISCOPI.

Aichstettenses.

S. Willibaldus 119.
Gebehardus 251.

Argentinenses.

Etto seu Hetto 116, 118.
Otpertus 176.
Wideroldus 195.
Alawicus 195.
Werinharius 200, 203.
Wilhelmus 205, 219.
Herrandus 218.
Eberhardus præpositus 180.

Augustenses.

Adalbero 158, 175.
Hiltine 175.
S. Udalricus 178, 190, 315, 379.
Adalbero designatus 189.
Heinricus 190, 192.
Ettico 192.
Bruno 202, 203.
Eberhardus 203, 218.
Heinricus 219, 257.
Imbricho 257, 336.
Sigifridus 310.

Bambergenses.

Eberhardus 197, 201, 320, 326.
Suidegerus 209, 219.
Hazelinus 234.
Adalbero 234.
Guntharius 258.
Ricimannus seu Hermannus 258.
Luitpaldus præpositus 225.

Basileenses.

Walus seu Walanus 394.
Baldebertus 394.
Hetto 132, 141.
Theodoricus præpositus 218.

Brixinensis.

Poppo 221.

Constantienses.

Audoinus 118.
Radoltus 118, 120.
Ernfredus 118.
Sidonius 120, 122.
Joannes 122, 126.
Egino 126, 134.
Wolfleoz 134.
Salomon I 146, 155
Salomon II 169.
Salomon III 169, 178.
Notingus 178, 179.
S. Conradus 179, 190.
Gaminolfus 191.
S. Gebehardus II 191, 285 seqq. passim usque 323, it. 377 seqq.
Lambertus 194, 199, 324 seqq.
Ruodhardus 199, 200.
Heimo 200, 202.
Warmannus 202, 205, 580.
Eberhardus 205, 216, 328, 380.
Theodericus 217, 228.
Rumaldus 225, 330, 334, 366.
Carolus 334.
Otto 287, 331, 343.
Gebhardus III 342 seqq. 359.
Arnoldus intrusus 355 seqq.
Udalricus I 290, 359, 372.
Udalricus II 294, 373, 378.
Hermannus I 382 seqq.
Hugo præpositus 381 seq.

Curienses.

Hardbertus 183, 184.
Egino 294.
Cuonradus 311.
Wito 365, 369.
Conradus 369, 378.

Frisingenses.

Nizo seu Nitkerus 228.

Leodienses.

Franco 161.
Wolbodo 200.
Durandus 200.
Wazo seu Waso 221.
Dietwinus 221, 222.

Metenses.

S. Arnulfus 92, 94.
S. Chrodegangus 123.
Wala 163.
Theodericus 197, 219.
Adelbero 219, 222.
Godebaldus præpositus 221.

Mindenses.

Eberisus 182.

Digitized by Google

Novarienses.
Cadoltus 167.
Otto 252.
Patavienses.
Engilbertus 258.
Altmannus 258.
Placentinus.
Addo 362.
Ratisbonenses.
Embrico 155, 169.
S. Wolfgangus, 190.
Gebehardus I 201.
Gebehardus II 201, 206.
Gebehardus III 206, 256.
Otto 256, 258.
Spirenses.
Einhardus seu Eberhardus 176.
Reginbaldus 209.
Sibicho 209.
Arnoldus 253.
Conradus 253, 255.
Einhardus 255.
Herrandus præpositus 218.
Collegiata S. Guidonis 219.
Trajectini.
S. Willibrordus 110.
Bernulfus 222.
Wilhelmus 258.
Tullensis.
Bruno 222.
Vercellensis.
Luitwardus 165, 167.
Veronenses.
Egino 130, 157.
Ratoldus 130, 157.
Aginus 157.
Petrus 158.
Walthurius 227.
Virdunensis.
Theodericus 218.
Wormatiæ.
Eberhardus præpositus 219.
Wurzburgenses.
Burchardus 119.
Berwelfus 273.
Gozbaldus 148.
Arnus 148.
Megenhardus 206.
Bruno 206, 214.
Adalbero 214.
Conradus I 393.
MONASTERIA.
Abbates, Monachi.
S. Afræ Augustæ 109, 345.
Agaunum 61, 160, 180, 193.
Altaha 117.
Andlau 167.
Augia Leporis 346.
Augia Dives. S. Pirminius 115, 117.
Etto 117, 118.
Keba 118.
Ernfridus 118.
Sidonius 120, 122.
Joannes 122, 126.
Petrus 126, 127.
Waldo 227, 132.
Egino Veron. episc. 130, 131.
Heito 132, 141.
Erlebaldus 137, 141.
Wetinus mon. 138.
Ratoldus Veron. episc. 139, 236.
Ruodhelmus 141.
Walafridus Strabo 138, 146.
Folcwinus 146, 159.
Waltherius 149, 151.
S. Meginradus mon. 130.
Heito 151, 155.
Ruodho 155, 168.
Hatto 168, 176.
Hugo 176.
Thietingus 176.
Heribrat 177, 178.
Wulthardus 178, 180.
Alawicus 180, 186, 304.
Eggehardus 186, 189.
Ruodmannus 189, 192.
Witegovo 192, 194.
Alawicus II 194, 195.
Werinharius 195, 196.
Immo intrusus 196, 197.
Ruodpertus mon. 197.
Berno 197, 220.
Hermannus Contractus 199.
Werinharius mon. 220, 233.
Udalricus 220, 222.
Sanguis Domini in Augia 178.
Ecclesia dedicata 220.
S. Blasii 187.
Uto 354.
Theopertus 393.
Buchau 174, 203.
Adelinda 139, 174.
Irmentrudis 200.
Abarhild 200.
Hiltigart 203.
Tuta 226.
Campidona 225, 202.
Audogarius 121.
Burchardus 202.
Gebehardus 223.
S. Udalricus 379.
Castellense 356, 358.
Altmannus 358.
Cella S. Mariæ 372.
Creuzlingen 372.
Donawerth 204.
Duellii 319.
Walfredus 319 seq.
Wazemannus, Trudewingus 320
Edelstetten Hedwigis abbat 291
Einsidlen 306.
Capella 182, 188.
Eberhardus 180, 186.
S. Meginradus 150, etc.
Thietlandus, 186.
Gregorius 186, 194.
Wern seu Wirandus 195, 202.
Hermannus 287 seqq.
S. Emmerami 159, 173.
Burchardus 204.
Epternacum 255.
Erlach. Eckehardus ab. 370.
Ettenheim 118.
Fabaria 117.
Friensperg, Aurora 388.
Fulda 119, 180, 250.
Sturmius 126.
Baugulfus 126, 131.
Ratgarius 131, 135.
Eigil 136, 137.
Rabanus 137, 148.
Hatto 148.
Thioto 148.
Rudolfus mon. 151.
Ebehardus 253.
Sigifridus 255.
S. Columbanus 88, 90.
S. Gallus 88, 92.
S. Othmarus 115, 121.
Joannes 322, 126.
Rupertus 126.
Waldo 126.
Werdo 127.
Wolfleoz 133.
Gozpertus 134, 141.
Bernwicus 141.
Grimaldus 143, 155.
Iso magister 155.
Hartmuot 155, 164.
Bernardus 157, 169.
Salomon 169, 178.
Notkerus Balbulus 176.
S. Wiborada 177, 178.
Rachildis inclusa 178, 182.
Hartmannus 178.
Engilbertus 178.
Thieto 179, 180.
Cralo 182.
Anno 186.
Burchardus 186.
Notkerus 189.
Immo 191
Udalricus 192, 193.
Eggehardus magister 193.
Gerhardus 195
Foillanus mon. 195.
Burchardus 195, 200.
Theodebaldus 201, 206.
Notkerus Labeo 201
Nordpertus 206.
Udalricus III 354 seqq.
S. Georgii in Silva Nigra 385.
Gorzia 125.
Immo 196.
Hirsaugia 342, 386.
Wilhelmus 343 seqq.
Otto mon. 344.
Indense 162.
Kaysersheim 337.
Laurishalm 123, 163.
Lindau 182, 285.
Tuta 226.
Malmundarium 162.
Mererau, Augia Brigantina 293, 350, 353.
Conradus 389.
Murbach 117.
Romanus. Baldebertus 394.
Haribertus *ib.* et seq.
Amicho 394.
Simpertus *ibid.*
Nereshaim 358.
Bernoldus prior 358.
Sigiboto, Wernharius abbates 339, 369.
Heinricus 376.
Neuenburg Hadamuta 255.
Nova cella 125.
Otinga 166.
Ottobura 190.
Petershausen 191, 304 seqq., per totum.
Bericherus vel Beringerus ab. 314, 322 seqq.
Ellimboldus 327.
Waltharius 327.
Sigifridus 327.
Erchinboldus 327.
Folmarus 328.
Adalbertus 329, 372.
Siggo, Arnoldus 330, 372.
Meginradus 330. 372.
Luitoldus 332, 375.
Rupertus, Bernhardus, Wernharius Scholastici 344, 348.
Theodoricus 345 seqq., usque 364, 389.
Cuono, Gozhalmus, Eberhardus, Heinricus scriptor, monachi 348.
Wernherus intrusus 356 seqq.
Gebino mon. 358.
Bertolfus abb. 364, 372.
Conradus ab. 371, 389 seqq.
Gebehardus 390, 393.
S. Petri 386.
Prumiense 162, 161.
Quedlinburg 180
Rhenaugia Burchardus 202.
Pirtilo 202.
Richardus 233.
Gerungus 348.
Cuono ab. 348 seqq. Similem fere casum ibi descriptum, anteriorem tamen, legimus in epistola Alexandri II ad Rumoldum Constant. episcopum. Labb. T. IX, p. 1136.
S. Salvatoris in Schafhausen 227, 353.
Adalbertus abbas 354.
Stabulaus 162.
Stein ad Rhenum 320, 370.
Pezelinus abb. 305 seqq.
Otto 320.
Turicense Hildegardis 148.
Vischingen 376.
Gebino. Waltramnus 376 seq., 384.
Conradus 388.
Wagenhausen 353, 370.
Folchnandus 370.
Uto 370, 376.
Gebino 376, 384.
Weingarten 20', 253.
Cuono abbas 364.

Digitized by Google

Wessenbrunn: Adalbero 336.
Wiblingen 166.
Zorzach cœnobium 304.
Zwifaltein Adelheid monialis 291.
Hedwigis mon. *ibid.*
Udalricus abb. 371, 386.

SANCTI.

Secundus seu Secundinus 85.
Ursus et Victor 85.
Gertrudis Nivialensis 98.
Begga ejus soror 98.
Gorgonius 123.
Ewaldi duo 109.
Nabor et Nazarius 123.
Gordianus et Epimachus 125.
Marcellinus et Petrus 138, 139.
Marcus evangel. Valens et Geuesius 139.
Probus 150.
Guntherus eremita 209, 214.
Guido abbas 218.
Zeno 230.
Philippus apost. 313 seq.
Thebæi martyres 331 seq.
Ratperonius 360, 379 seqq.

CONCILIA.

Aquileiense 110.
Ratisponense 128.
Francofurtense 128.
Aquisgranensia 133, 193.
Moguntina 134, 223.
Metense 150, 151
Romana 151, 225.
Wormatiense 152.
Coloniense 154.
Triburiensia 170, 206.
Altheimense 177.
Ingelheimensia 182, 189.
Augustanum 183.
Constantiense 211.
Papiensia 216, 222.
Sutrinum 216.
Remense 223.
Vercellense 224.
Florentinum 252.
Basileense 256.
Salernitanum 310, 342.

SECTARII.

Elipandus et Felix 128.
Prædestinatiani 116.
Gotescalcus 146.
Manichæi in Saxonia 226.

II.

PERSONALE SÆCULARE.

IMPERATORES OCCIDENTIS ET REGES GERMANIÆ.

Carolus M. a pag. 124 usque 134
Bertha mater 124, 126.
Hiltigart regina 126, 268 seqq.
Ludovicus I, Germaniæ rex 139, 159.
Hemma regina 158, 159.
Ludovicus II, Germ. rex 146, 163.
Hugo filius nothus 161.
Hiltigard filia 170.
Carolomannus rex 150, 162.
Carolus Crassus 153, 168.
Richarda uxor 162, 167.
Arnulfus 164, 173.
Vota seu Uta uxor 170, 172.
Ludovicus III, infans 170, 175
Conradus I 175, 282.
Heinricus I. Auceps 178, 232.
Otto I Magnus 180, 190.
Adelheida uxor 183, 186.
Otto II 188, 192.
Theophania uxor 103, 314.
Otto III 192, 314, 320 seqq.
Heinricus II 193, 201, 320, 326.
Chunegundis uxor 197.
Gisela soror 193.
Conradus II 199, 209.
Gisela uxor 199, 211.
Heinricus III 205 et deinceps usque 334.
Agnes uxor 212, 258.
Mathilda filia 214, 235.
Judith filia 218, 255.
Conradus filius 229.
Heinricus IV 224, 334 seqq. 337.
Rudolfus anticæsar 335 seqq. 338.
Hermannus anticæsar 339, 341.
Conradus filius Henrici IV 341.
Heinricus V 357 seqq.
Conradus III 382 seqq
Fredericus I 387 seqq
Philippus 393.

ALEMANNIÆ ET SUEVIÆ DUCES.

Godefridus 116, 268.
Bertholdus et Nebi 115, 268.
Theodebaldus 116, 119.
Lantfridus 116, 117.
Lantfridus alius 120.
Warinus et Ruthardus 122.
Houchingus, Hildebrandus 130.
Richarius, Rudolphus.
Burchardus I 176.
Erchanger et Bertholdus 176, 177.
Burchardus II 177, 179.
Hermannus I 179, 182.
Luitolfus 182, 186.
Ita uxor 182.
Burchardus III 185, 319.
Hadewigis uxor 281, 319 seqq.
Otto 190, 194.
Conradus 192, 194.
Hermannus II 194, 196.
Hermannus III 196, 198.
Ernestus I 199.
Ernestus II 199, 203.
Hermannus IV 203, 208.
Otto Palatinus 214, 219.
Otto de Swinfurt 220, 234.
Rudolphus de Rhinfelden 254 seqq. 332.
Bertholdus I, Zaringius 333, 343.
Fridericus de Staufen 337, 339.
Bertholdus II 355.
Conradus de Zaringin 384.

AUSTRIÆ MARCHIONES.

Luitpoldus 172, 173. Aribo 173, 199.
Isanricus 173.
Ernestus 195.
Adalbertus 210, 226.
Luipoldus 211, 212.
Ernestus 336.

BAVARIÆ REGES ET DUCES.

Garibaldus 82.
Tassilo rex 83.
Theodebertus 111.
Odilo 119.
Tassilo 120, 127.
Geroldus præfectus 129.
Welf 136.
Ludovicus I 135.
Carolomannus 159, 161
Luitboldus 175.
Arnulfus 180, 181.
Arnulfus fil 181, 184.
Bertolfus 180, 142.
Heinricus Ottonis M. frat 182, 185.
Heinricus fil. 185, 193.
Otto 191, 292.
Heinricus S. 193, 195.
Heinricus 197, 219.
Heinricus 234.
Otto 335.
Welfo dux 235, 352.
Heinricus Leo 288.
Heinricus Palatinus 255.
Ezo seu Ehrnfridus Palatinus 221.
Cuono Palat. de Vohburg 339, 340.

BOHEMIÆ DUCES ET REGES.

Lecho 132, 145.
Slavitag 148, 153.
Brezislaus 209, 223.

BURGUNDIÆ REGES, DUCES, ET COMITES.

Boso 161, 162.
Ludovicus 166, 167.
Rudolfus 167, 176.
Rudolfus II 176, 180.
Richardus dux, et Hugo Niger filius. 181.
Conradus 180, 193.
Gisela filia 195.
Rudolfus III 193, 204.
Odo sororis filius Campaniæ dux 204, 207.
Otto Guillelmus 218.
Adelbertus de Rabenberg 174, 175.
Adalbertus de Marthale 184.
Otto dux 194.
Theobaldus ejus filius 234.
Conradus II imp. 204, 208.
Heinricus III imp. 210, 229.
Reginoldus seu Renaldus dux 213, 214.
Gerolt dux 214.

CARINTHIÆ DUCES.

Carolomannus 150, 155.
Guntpoldus miles 152.
Gundacarus rebellis 153.
Arnulfus 164, 165.
Zuentiba'dus 168.
Ratoldus 168.
Heinricus 191.
Otto 194, 199.
Conradus 198, 199.
Mathildis uxor 201.
Conradus fil. 198, 209.
Adalbero 198, 209.
Welf 219, 253.
Conradus 256.
Bertholdus de Zaringen 256.

FRANCONIÆ DUCES ET COMITES.

Conradus 173.
Conradus rex 175, 201.
Eberhardus frater 181.
Heinricus dux 199.
Joannes de Seinsheim, baro de Schwarzenberg 333.

FRISONUM REGULI.

Ratbodus 113.
Poppo 117.

LOTHARINGIÆ REGES ET DUCES.

Lotharius imp. 144.
Lotharius filius rex 148, 150, 158
Thietburga uxor 150, 152.
Waltrada concub. 150 153.
Carolus Calvus 153.
Ludovicus Germanicus 154.
Ludovicus II 160.
Carolus Crassus 160.
Zuentibaldus 171, 173.
Giselbertus dux 181.
Conradus 185.
Theodericus 198.
Godefridus 199.
Gozilo I 207, 212.
Godefridus 212, 233, 251.
Gozilo II 212 215.
Albertus 215.
Fridericus 215, 339.
Adalbertus 220, 221.
Gerardus 221.
Fridericus comes Mosell. 197.
Gerardus comes Metensis 197
Sigefridus comes Luxemburgensis 197.
Giselbertus Luxemb. 339.

MARAHENSES SEU MORAVIÆ DUCES.

Rastizes 145, 154.
Zuentibaldus 154, 168, 172.
Schlagamarus 155.
Moymirus 172, 173.

OBOTRITARUM DUCES.

Witza 128.
Trasico 133.
Schlomir 135, 136.
Ceadragus 136.

SAXONIÆ DUCES.

Witechindus 126, 127.
Heinricus Auceps 178.
Otto I 180. *Vid.* imperatores.
Heinricus frater 181, 182.
Heinricus Sweinfurtensis marchio 193.
Eggehardus Misnensis marchio 215
Wilhelmus marchio 254.

THURINGIÆ DUCES.

Ratolfus seu Radulfus 95.
Poppo marchio 161, 170.
Heinricus marchio 164.

Digitized by Google

ALEMANNIÆ COMITES.
Adalbertus 143.
Ato et uxor Adelinda 174.
Beringer, Reginolf, Gerhard filii 174.
Piligrinus, Bertrada uxor 198, 242.
Adalbertus et Werin 204.
Lantpertus 225.
Cuono 296.
Luitoldus et Marquadus filii *ibid.*
ACHALM.
Adelbertus 291, 301.
Luitoldus, Cuono 367.
ARGENGEVE.
Udalricus 268 seqq. *Vide* Brigantini.
BRIGANTINI.
Udalricus 284 seqq., 299.
Utzo 285-300.
Dietpurga uxor 285, 299, 302.
Udalricus 286, 300, 332.
Marquardus 287.
Otto, *ibid.* 292, 295, 329.
Udalricus 287, 292, 349-351.
Hunc supra p. 295 Ottonis filium et Udalrici senioris nepotem suspicati sumus, perperam tamen, cum p. 351 Udalricus iste, qui Biginhusin donavit (p. 332) senior et pater Udalrici junioris dicatur. Amplıore igitur disquisitione opus est.
Bertha uxor 292 seqq., 352.
Rudolfus et Udalricus filii 292 seqq., 353, 373.
Elisabeth, Rudolfi Pfullendorf uxor 293.
Rudolfus de Pfullendorf filius 293 seqq.
TUOCHORN.
Udalricus 280 seqq.
Wendilgarda uxor *ibid.*
Adalardus, *ibid.* 318 seq.
Otto 292.
BUSSEN.
Geroldus 129, 130.
Bertholdus filius 130
Udalricus frater 209.
CASTELBERG.
Fridericus comes 356.
Otto filius *ibid.*
DILLINGEN.
Theobaldus 104, 183.
Reginbaldus 183.
Richwinus 189.
Manegoldus 204.
Hughaldus 290.
Harmannus senior 290.
Hartmannus junior *ibid.*
GAMERTINGEN.
Arnoldus. Udalricus 291, 301.
GIENGEN.
Diepoldus marchio 337.
GOLDINISHUNDERE.
Marquardus 286, 300, 314.
HABSBURG.
Wernherus 352.
HEILIGENBERG.
Ebbo, 333.
Heinricus 355, 360, 382.
Conradus 382, 388, 391.
LINZGEVE. *Vid.* Brigant.
Udalricus 263, 269.
Otto 368.
Hartmannus 368.
Heinricus 368, 374.
MONTIS BELLIGARDI.
Ludovicus 213.
MORISBERG.
Adelbertus 354.
NELLENBURG.
Ebbo, Hepawig uxor 198.
Eberhardus 227, 329, 336.
Heinricus, Eberhardus 336.
Conradus 333.
Cunigunda, filia *ibid.*
PARA
Hiltibaldus 321.
PFULLENDORF.
Gero 332.
Ludewicus 351.
Rudolfus 291 seqq.
Rudolfus heres Brigantii 294, 336.
POTAMI.
Eberhardus 332. *Vid.* Nellenburg.
RAMMISPERG.
Rudolfus 391.
Aruoldus 392.
RAVENSPURG SEU ALTORF.
Welfo 202 207.
Irmingarda uxor 287. *Vid.* Bavariæ duces.
RHÆTIA CURIENSIS.
Marquardus 286
Otto 329.
VERINGEN.
Wolferadus senior 198.
Bertha uxor 185, 203 seq.
Wolferadus junior 198. 215.
Hiltrudis uxor 198, 227.
Manegoldus 204.
WINTERTHUR ET KILURG.
Luitfridus 287, 300 seq.
Wernherus 203, 204, 288
Marquardus 288.
Adelberjus 288, 289, 301
Adelheida filia 289, 296, 301.
Hartmannus de Dilingen maritus 289 seq., 338, 359.
Adelbertus filius, *ibid.* 296.
ALEMANNIÆ NOBILES.
Arbon Nakko, Rudolphus 316
Arnanc Berngarius 380.
Bollingen Hacho 316.
Frickingen Conradus, Burchardus, Albertus 367.
Gutingen Rudolfus, Heinricus Diethalmus 392.
Hirzisegga seu Hirschegg. Herimannus 331, 333, 367, 390.
Marstettin Adilgoz 316.
Pruwangen Cuno, Meguizo, Wezil, Gebino, Azala 366, 368.
Speichin Benno 366.
Turingin Gisilfridus, Rupertus 375-392.
Wilare Wolferadus, Sigifridus 331.
ALSACIÆ DUCES ET COMITES.
Gerardus 199.
Eberhardus 199.
HOLLANDIÆ COMITES.
Theodericus 215, 219, 222.
Balduinus, 219. 223.
Eberhardus comes Cisonensis 271 usque 282.

II.

ELENCHUS ONOMASTICUS LOCALIS GERMANIÆ.

I.

PROVINCIÆ POPULI.

Abotritæ seu Obotritæ 132, 144, 151, 168, 179.
Alemannia, Alemanni 2130, 57, 89, 115-180.
Alsatia 89, 140, 177-180, 181.
Bajoria 115. 142, 153, 159-164, 172-184, 210, 234.
Bohemia 132, 146, 148, 153, 155-161, 172, 179, 193, 209, 210.
Burgundia, Burgundiones 35, 40, 45, 77, 92, 117, 143, 170, 180, 205, 210.
Carentani, Carinthia 103.
Daleminoii in Misnia 148, 161.
Francia, Franconia 29, 50, 127, 132, 141, 158, 175, 178, 180, 184.
Frisones 110, 133, 141, 145, 156, 159.
Gallia 12, 21, 23, 39, 40, 44.
Germania 2, 7, 13, 21, 31, 111, 159.
Linones in Brandenburgico 132, 133, 160.
Liutici vel Luticii in Pomerania 206, 214, 254.
Lotharingia 160. 161, 180, 181.
Marahenses, Moravi 145. *Vide* Duces.
Rhætia 143, 296, 329.
Saxones 33, 71, 72, 93, 109, 118 seqq., 158, 175, 181, 336, 340 seqq.
Siusli 151, 166, 160.
Smeldingi 132.
Sorabi 132, 135, 147, 155-161, 179.
Suevi 39, 40, 50, 77, 310, 341.
Thuringia 50-63, 71, 95, 136 142, 161-175.
Westphalia 127.
Wilzi 127, 133.

II.

PAGI GERMANIÆ.

Albegove 166.
Argengewe 174, 268 seqq.
Aventicus 89.
Eichgewe 174, 306
Ereggou 306.
Goldinishundere 386, 314.
Hasbanicus 162.
Hegovia 306.
Hargove 184, 280, 318.
Linzgovia 268 seqq., 329, 368.
Lebodunensis 166.
Nibelgovia 328.
Niddigowe seu Nitensis 158.
Ostphalia 328, 360.
Para 306, 167, 321.
Rhætiensis 177.
Ripuarius 154, 159, 162.
Turgovia 269, 325.
Westphalia 127.
Wormatiensis 178.

III.

URBES, CASTRA, LOCA INSIGNIORA.

Altheim 177.
Antwerpia 141.
Aquileia 18-29, 36, 49.
Aquisgranum 134, 159, 162, 159,
Argentina, Argentarium 30, 113, 195, 221.
Augusta Vindelicorum 140, 183, 184, 203, 224, 231, etc.
Babenberg 174, 175, 197, 200, 219.
Basilea 177.
Bonne 162.
Brigantium 89, 90, 264-269. Ejus comites 264 seqq.
Brisach 181.
Buchorn 281.
Cameracum 162.
Colonia 90, 149, 154, 162, 222, 225, 257.
Confluentia 150.
Constantia 169, 211, 230, 368, 388.
Curia 188.
Dilinga 189.
Eresburg 124.
Forcheim 169, 335 seq.
Francofurtum 128, 156, 159.
Frisinga 221.
Friteslaria 125.
Geneva 205.
Gosslar 211, 215, 224, 226, 252, 258.
Ingelheim 142, 182, 189, 212.
Kiburg 203, 287 seqq.
Lintova 263.
Lustenova 263, 392.
Maguntia 18, 125, 134, 142-149, 202, 223, 234, 251.
Martala castrum 184.
Martiana seu Nigra Silva 203 seq.
Merseburg 232, 338.
Mirmidona 182.
Mons Piligardi 213.
Murtena 205.

Digitized by Google

Nidinga 167.
Noviomagum 140, 141, 162, 206.
Ochsenfurt 339.
Otinga pala ium 162, 234.
Paderbrunna 253.
Potamum 142, 263, 298.
Praga 214.
Reganesburg, Ratispona 128, 150, 153, 165, 169, 172, 173, 175, 203, 221, 234, 254.
Rottsee 361, 379 seqq.
Sigmaringin 336.
Solo lorum 85, 208, 214, 220, 229.
Spira 200, 211, 217 seqq., 225, 228, 234, 246.
Tharisia arx 175.
Theodonis villa 141.
Trajectum 162, 209, 215, 223, 257.
Treviris 35, 163, 212, 219.
Triburia 170, 206, 214, 233.
Tullum 90.
Turegum 220, 229, 234, 253.
Veringen 239 seq.
Viridunum 220.
Ulma 166, 169, 203, 220, 221, 227, 230, 388.
Urania 118.
Wintertur, Vitodurum 178, 287 seqq.
Wormatia 127, 139, 142, 155, 165, 179, 250, 257.
Wurtzburg 147, 148, 340 seqq.

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

HERMANNUS CONTRACTUS MONACHUS AUGIÆ DIVITIS.

Notitia historica. 9
Notitia litteraria 19
Hermanni Contracti Vita seu Elogium. 23
Ussermanni dissertatio prævia de Chronico Hermanni Contracti. 31
§ I. Editiones chronici Hermanni. 33
§ II. Codices manuscripti. 34
§ III. Novæ editionis consilium et fontes. 42
§ IV. Novæ editionis ratio. 51
§ V. De Bertholdo, Hermanni continuatore et discipulo. 52
HERMANNI CONTRACTI CHRONICON. 55
Chronici Hermanni continuatio. 263
Chronicon seu Annales monasterii Petershusani. 271
Præfatio. 271
De Brigantinorum comitum prosapia Disquisitio. 276
Chronicon Petershusanum. 301
DE MENSURA ASTROLABII LIBER. 380
Monitum. 380
Hermanni præfatio. 381
CAP. I. — Quomodo circuli æquinoctialis, colurorum solstitiorumque in astrolabio inveniendi sint. 381
CAP. II. — De Almucanturath 382
CAP. III. — De lineis horarum inveniendis. 384
CAP. IV. — Descriptio Alhancabuth. 384
CAP. V. — De spatiis signorum inveniendis. 385
CAP. VI. — De positione stellarum. 385
CAP. VII. — De partitione Umbonis. 387
CAP. VIII. — De partitione signorum, mensium et dierum. 387
CAP. IX. — De quadrato. 388
DE UTILITATIBUS ASTROLABII. 389
LIBER PRIMUS. 389
CAP. I. — De utilitatibus Astrolabii 389
CAP. II. — Descriptio perigraphiarum. 391
CAP. III. — De colligendo signo et gradu solis. 394
CAP. IV. — Ad inveniendum Nadair solis. 395
CAP. V. — De concipienda solis altitudine et cæteris horis diei. 397
CAP. VI. — De altitudine stellarum et horis noctis. 397
CAP. VII. — De distinctione horarum per quatuor plagas. 398
CAP. VIII. — De horis æquinoctialibus et inæqualibus. 399
CAP. IX. — De partibus inæqualium horarum diei. 399
CAP. X. — De partibus inæqualium horarum noctis. 399
CAP. XI. — De indaganda quantitate orbis diei. 400
CAP. XII. — De quantitate orbis noctis. 400
CAP. XIII. — Quos sint horæ æquinoctiales. 400
CAP. XIV. — De percipienda vicinitate auroræ. 400
CAP. XV. — De percipiendo quolibet tempore cujusque signi ortu et occasu. 401
CAP. XVI. — In quo signo sint stellæ. 401
CAP. XVII. — De vocabulis stellarum latinis et arabicis. 401
CAP. XVIII. — De descriptione climatum, et eorum invenienda latitudine. 402
CAP. XIX. — Quomodo orbis in septena partitus sit climata, et ubi initium et finis eorum. 403
CAP. XX. — Ut scias si sit ante vel post meridiem. 404
CAP. XXI. — De inveniendis in dorso astrolabii horis. 404
LIBER SECUNDUS. 405
CAP. I. — Demonstratio componendi cum convertibili sciothero horologici viatorum instrumenti. 405
CAP. II. — De magnitudine ambitus universi orbis. 408
CAP. III. — De Eratosthenis de eadem re sententia. 408
CAP. IV. — Idem aliis verbis. 409
CAP. V. — De distributione quadrantis ita ut certas diei horas possis invenire. 409
CAP. VI. — Ad mensurandam quamlibet in plano stantem altitudinem per suam ipsius umbram cum quadrato astrolabii. 410
CAP. VII. — Alius modus altitudinem rerum metiendi. 414
HERMANNI OPUSCULA MUSICA. 413
Monitum. 413
Musica clarissimi viri Herimanni. 413
Sequentia de Beata Maria Virgine 443
CARMEN DE CONFLICTU OVIS ET LINI. 445

S. LEO IX PONTIFEX ROMANUS.

SANCTI LEONIS IX VITA. 457
Observationes præviæ. 457
LIBER PRIMUS. 467
I. — Brunonis parentes et genus. 467
II. — Nascitur anno 1011. 467
III. — Ejus educatio. Adalberonis episcopi Metensis elogium. 468
IV. — Simul cum eo Bruno studiis vacat. 469
V. — A bufone sauciatur. Ex quo graviter laborans a S. Benedicto sanatur. 470
VI. — Hermanno episcopo Tullensi paret. Afflictis monachis S. Apri compatitur. Degit in aula imperatoris. Pauperem episcopatum pinguioribus præferre statuit. 471
VII. — In Longobardiam milites ducit. 472
VIII. — Fit episcopus Tullensis. 473
IX. — Imperator electioni obsistit ob episcopatus paupertatem. Illius assensum Bruno obtinet. 474
X. — Ex Italia discedit. Longobardorum insidias condit. 477
XI. — Tullum advenit. Monasteriis reformandis incumbit. 478
XII. — Ejus ordinatio dilata. Ordinatur. 479
XIII. — Monasteriis præficit Gnidricum abbatem. Morum ejus comitas. Musicum callet. Ejus patientia. 480
XIV. — Invidias patitur. In morbum incidit; a sancto Blasio sanatur. 481
XV. — Brunonis matris pietas. Quæ in morbum incidit. Petit ut sine ornatu sepeliatur. Obit. 483
LIBER SECUNDUS. 483
I. — Bruno quotannis Romam visitat. Itineris comites a lue sanat. S. Petrum in somnio videt Alia visio. 484
II. — In conventu Wormatiæ papa eligitur. Sub peregrini habitu Romam petit. Fluvii exuberantiam comprimit. Romam advenit. Canonice in pontificem eligitur. 487
III. — Leonis nomen suscipit. Mire ditatur. Fama ejus pervolat. 489
IV. — Canis loquitur. Leo oblata sibi pauperibus dat. Concilia cogit. Coloniam venit. Tum Remos, ubi ecclesiam S. Remigii consecrat, concilium celebrat. 490
V. — Concilium Maguntiæ. Leo Angiæ dæmoniacum liberat. 493
VI. — Romam reversus. Scyphum fractum restituit. In Apuliam vadit. Cluiicam sanat. Concilium Sipontinum. Romam revertitur. 495
VII. — Episcopus ipsi contradicens punitur. Item et Ravennensis. 495
VIII. — Leo dæmoniacam liberat. Udonem sibi Tulli substituit. Hungaros imperatori reconciliare tentat. Futura mala prævidit. Concilium Mantuæ. Mortui loca sacra visitantes. 495
IX. — Hæresis Fermentaciorum. Contra eam Leo scribit. Niceias pectoratus resipiscit. Michael episcopos C. P. excommunicatur. 498
X. — Expeditio in Nortmannos. Nortmannorum sævitia. 499
XI. — Per medios hostes papa transit illæsus. Occisorum funera curat. 500
XII. — Ejus pia exercitia. Scripturam sacram græce addiscit. 501
XIII. — Leprosum in suo lecto collocat. Dæmonia casu liberat. 501

Digitized by Google

XIV. — Incidit in morbum Beneventi. Romam venit. Deducitur ad oratorium Sancti Petri. Oleo sacro et Eucharistia munitur. Obit. Sepelitur. 502
De obitu S. Leonis papæ IX. 505
I. — Auctoris ætas. 505
II. — Leo æger clerum adhortatur. Mortem sibi imminere prævidet. 505
III. — In ecclesiam defertur. Deum precatur. Humanam miseriam exponit. Se monachum fuisse declarat. 506
IV. — Invisitur a SS. Petro et Paulo. Obit. 507
V. — Dæmoniacam liberat. 508
VI. — Item aliam. 508
VII. — Ecclesia in ejus honorem Beneventi. 509
Sancti Leonis IX Acta. 509
§ I. — Acta, varia scripta, veneratio sacra : reliquiæ. 509
§ II. — Ratio temporis. Acta primo anno in pontificatu Romano. Controversiæ nonnullæ decisæ. 513
§ III. — Rex gestæ anno 1040 et 1041. 517
§ IV. — Res gestæ anno 1042 et 1043, felix obitus anno 1414. 521
Historia mortis et miraculorum S. Leonis IX. 525
Prologus. 526
Cap. I. — Extrema S. Leonis acta et monita : pissimus obitus. 531
Cap. II. — Miracula post mortem usque ad vigiliam Ascensionis. 531
Cap. III. — Miracula patrata a Vigilia Ascensionis usque ad ultra Octavam Pentecostes. 536
In S. Leonem Notitia ex Gallia Christ. 547
Notitia Altera. 551
De schismate Græcorum per Michaelem Cerularium in Romanam Ecclesiam excitato. 553
DE CONFLICTU VITIORUM ATQUE VIRTUTUM LIBELLUS. 559
ORATIO AD ADELBERTUM COMITEM. 577
NOTITIA DE CŒNOBIO S. APRI. 581
S. LEONIS IX DIPLOMATA data cum adhuc episcopus Tullensis ageret. 583
I. — S. Apri possessiones confirmat. 583
II. Consecrat oratorium Bertiniacæ curtis. 585
III. Prioratus de Daguliaco (*de Deuilly*) confirmat. 587
S. LEONIS IX EPISTOLÆ ET DECRETA PONTIFICALIA. 591
I. Leonis IX papæ bulla qua Bernardo I, Farfensi abbati, ejusque monasterio, bona, jura ac privilegia omnia confirmat. 591
II. — Leonis IX papæ bulla, per quam monasterium Perusinum Sanctæ Mariæ Vallis Pontis eripit Perusinis episcopis. 593
III. — S. Leonis IX privilegium pro Ecclesia Trevirensi. 594
IV. — Leo papa ad Cawallonem Rettonensem abbatem. 596
V. S. Leo IX Eberhardo archiepiscopo Trevirensi asserit cellam Quatuor Coronatorum, archiepiscopis Trevirensibus a Benedicto VII olim collatam. 597
VI. — S. Leo monasterii S. Salvatoris Septimiani libertatem et privilegia confirmat. 597
VII. — S. Leo IX Joannem ex Tuscanensi factum episcopum Portuensem testatur a synodo in ecclesia S. Salvatoris sanctum esse. Ecclesiæ Portuensis privilegia confirmat. 598
VIII. — Privilegium S. Leonis IX pro Richerio abbate cœnobio Montis Casini. 601
IX. — S. Leo IX Richerio abbati Casinensi ejusque successoribus monasterium S. Crucis, Romæ situm, subjicit. 605
X. — S. Leo IX canonicorum Ecclesiæ Veronensis possessiones et privilegia confirmat. 606
XI. — S. Leo IX monasterii Cluniacensis, petente Hugone abbate, privilegia confirmat. 607
XII. — S. Leo IX monasterii Fuldensis possessiones et privilegia confirmat. 609
XIII. — S. Leo IX privilegia a prædecessore suo Clemente VI. Nivellensis Ecclesiæ concessa confirmat. 611
XIV. — Diploma S. Leonis IX Theodorico abbati concessum. Regum et imperatorum privilegia confirmat et jus eligendi abbatis. 611
XV — S. Leo IX, petente Milone, monasterii S. Berchari Dervensis abbate, ecclesiæ in vico Villa libertatem tribuit. 615
XVI. — S. Leo IX Parthenonis S. Mariæ Portus suavis, a Bertoldo quondam episcopo Tullensi construi cœptis ab ipsoque perfecti, possessiones et privilegia confirmat. 614
XVII. — S. Leo IX dedicatæ ecclesiæ S. Remigii, celebrem esse præcipit per Remensis episcopi, confinia. 616
XVIII. — S. Leo IX in synodo monasterium S. Remigii Remense privilegiis ornat. 617
XIX. — Bulla Leonis IX Cedulfo Stabulensis Ecclesiæ thesaurario concessa, qua omnes possessiones ad dotem altaris concessas aliaque privilegia Stabulensis thesaurarii confirmat. 618
XX. — S. Leonis IX privilegium de immunitate prioratus S. Marculfi, seu ecclesiæ de Corbiniano, a monasterio S. Remigii dependentis. 619
XXI. — S. Leo IX confirmat privilegia abbatiæ S. Dionysii. 620
XXII. — S. Leo IX in Synodo Moguntina quadraginta episcoporum præsente Heinrico imperatore, Simoniacam hæresim damnat, repudiatoque Bertoldo, Ecclesiæ Vesontionensis invasore, Hugonem archiepiscopum sancit, eique crucis palliique usum concedit. 621
XXIII. — S. Leo IX monasterium Laureshamense, petente Heinrico imperatore tuendum suscipit, bonaque ejus confirmat. 624
XXIV. — S. Leo parthenonis S. Mauri Virdunensis possessiones et privilegia confirmat. 626
XXV. — S. Leonis IX privilegium quo canonicis Ecclesiæ Virdunensis omnes eorum possessiones confirmantur 628
XXVI. — S. Leo IX Veteris Monasterii S. Mariæ Virdunensis, a se consecrati possessiones confirmat. 630
XXVII. — S. Leo IX Ecclesiam SS. Simeonis et Judæ Goslariensem, in synodo Moguntina concessam sibi ab Heinrico imperatore, tuendam suscipit ejusque bona confirmat, advocatiamque et præpositorum instituendorum potestatem imperatori tribuit. 631
XXVIII. — Bulla S. Leonis IX pro S. Deodato in Vosago. — Redux a concilio Moguntino, varia sancti Deodati canonicis concedit privilegia. 633
XXIX. — Bulla S. Leonis IX, ad Mathildem abbatissam monasterii S. Fabiani et Felicitatis, qua confirmat monasterii ipsius privilegia, cujus ecclesiam consecraverat, translato in illud corpore S. Richardis. 635
XXX. — S. Leo IX Parthenonem S. Crucis Wolfenheimensem ab Hugone, suo patre, Helwigdique matre conditum, sedi apostolicæ subjicit privilegiisque ornat. 635
XXXI. — S. Leo monasterii Altorfiensis in Alsatia inferiori, a suis parentibus conditi, bona juraque corroborat, ibique altare S. Stephani memorat a se dedicatum esse. 637
XXXII. — S. Leo IX confirmat fundationem et advocatiam monasterii S. Crucis in Werden. 637
XXXIII. — S. Leonis IX epistola ad Edwardum Anglorum regem pro monasterio Exoniensi. 639
XXXIV. — Bulla S. Leonis IX pro abbatia Electensi. 639
XXXV. — Approbat prædecessorum privilegia monasterio Corbeiensi concessa. 641
XXXVI. — Privilegium S. Leonis IX pro monasterio Vizeliacensi. 642
XXXVII. — S. Leo IX Willelmo comiti Nivernensi sub excommunicationis pœna præcipit ut monasterio S. Bescarii Dervensi ablata restituat. 644
XXXVIII. — S. Leo IX, in synodo quinquaginta quinque episcoporum, Gerardum, quondam episcopum Tullensem, numinibus ascribit, dieque 23 mensis Aprilis coli jubet. 644
XXXIX. — Privilegium Leonis IX pro Ecclesia Carrofensi. 648
XL. — S. Leonis IX epistola ad principes Britanniæ. — Sententiam pro Turonensi Ecclesia adversus Dolensem pronuntiat, resistentes et Simoniacos atque ab eis ordinatos excommunicat. 648
XLI. — S. Leonis IX Bulla qua monasterio S. Mariæ in Gradibus Arretinæ Diœcesis omnia illius jura confirmat. 649
XLII. — S. Leo IX monasterii S. Salvatoris, in monte Amiato siti, possessiones et privilegia confirmat. 650
XLIII. — S. Leo monasterium S. Victoris Massiliense, Petro abbate in synodo Vercellense petente, tuendum suscipit, eique abbatiam S. Victoris Valentinensem concedit. 652
XLIV. — Heinrico imperatori Romanorum et regi Burgundionum, episcopis et principibus regionis illius Romanum monasterium commendat. 653
XLV. — S. Leo IX monasterii S. Mansueti possessiones et privilegia confirmat. 654
XLVI. — S. Leo IX canonicorum ecclesiæ S. Stephani Tullensis privilegia confirmat. 656
XLVII. — Privilegium S. Leonis IX ad Sanctum Hugonem de Ecclesia de Ranngis. 658
XLVIII. — S. Leo IX monasterii S. Vincentii Metensis possessiones juraque, petente Adalberone episcopo, con-

Digitized by Google

firmat. 659
XLIX. — S. Leonis IX bulla pro monasterio sanctorum Bertarii et Ataleni. 661
L. — Bulla S. Leonis IX de consecratione ecclesiæ Hohemburgensis ab ipso facta. 663
LI. — Privilegium S. Leonis IX Agaunensibus canonicis tributum. 665
LII. — S. Leo IX ecclesiæ SS. Martini et Agerici Virdunensis possessiones, petente Theoderico episcopo, confirmat 667
LIII. — S. Leo IX ecclesiæ Vesontionensis bona, rogante Hugone archiepiscopo, confirmat, eique privilegia quædam concedit. 668
LIV. — S. Leo IX rogatu Heinrici imperatoris monasterii S. Maximi Trevirensis possessiones et privilegia confirmat 669
LV. — S. Leo IX majoris ecclesiæ Lucensis canonicorum bona confirmat. 671
LVI. — S. Leo IX ecclesiæ Tullensis possessiones quasdam, petente Udone episcopo, confirmat. 672
LVII. — S. Leo IX Edwardum, Anglorum regem, ob seditiosum regni statum voto liberat Romam eunot, et ei præcipit ut pecunias a li ita decretas pauperibus dividat et in novum B. P. monasterium condendum aut vetustum reficiendum consumat. 674
LVIII. — S. Leo ecclesiæ S. Trinitatis Piscariensis bona confirmat. 674
LIX — S. Leo ecclesiæ Salernitanæ jura metropolitana, petente Joanne archiepiscopo, confirmat. 676
LX. — S. Leo IX monasterii S. Mariæ in Gorgona insula siti privilegia confirmat et auget. 677
LXI. — S. Leo IX monasterii Sublacensis possessiones confirmat. 678
LXII. — S. Leonis IX bulla confirmatoria privilegiorum ac jurium Farfensis cœnobii. 678
LXIII. — Bulla S. Leonis IX, qua Stephano Aniciensi episcopo ejusque successoribus usum pallii concedit, ea lege ut a pontifice Romano ordinentur. 681
LXIV. — S. Leo IX monasterii S. P. Perusini possessiones privilegiaque confirmat. 681
LXV. — Leonis papæ bulla, qua monasterio S. Mariæ de Pomposia confirmat varia illius jura et bona. 683
LXVI. — S. Leonis epistola ad omnes per Italiam episcopos. — Ne possessiones omnes suas quisquam donet monasterio, sed earum saltem medietatem ecclesiæ ad quam pertine'. 685
LXVII. — Bulla S. Leonis IX pro monasterio Casæ-Dei apud Arvernos. 686
LXVIII. — S. Leo IX privilegia metropolitanæ ecclesiæ Coloniensis confirmat, Hermanno archiepiscopo ejusque successoribus concedit titulum cancellarii S. R. E. et cardinalis S. Joannis ad Portam Latinam; in ecclesia vero Coloniensi creat septem presbyteros cardinales totitemque diaconos et subdiaconos. 687
LXIX.— Bulla S. Leonis IX pro cœnobio Altorfiensi 689
LXX. — S. Leonis IX privilegium pro monasterio Casinensi. 690
LXXI. — S. Leo IX Joanni episcopo et omnibus Terracinæ positis ecclesiam et monasterium S. Stephani monasterio Casinensi a sese restituta nuntiat. 691
LXXII. — S. Leo IX monasterii S. Sophiæ Beneventani possessiones et privilegia confirmat. 692
LXXIII. — S. Leo IX ecclesiæ Asculanæ possessiones et privilegia, petente Bernardo episcopo, confirmat. 693
LXXIV. — S. Leo IX Liuthbaldo, archiepiscopo Moguntino, pallii usum concedit.
LXXV. — S. Leo Hartwigi Bambergensis et Adalberonis Wirzeburgensis episcoporum lite, præsente Henrico imperatore, Bambergæ composita, ecclesiæ Bambergensis possessiones et privilegia confirmat. 697
LXXVI. — S. Leo Hartwigo, episcopo Bambergensi, rogatu Heinrici imperatoris, pallium mittit ter in anno utendum. 700
LXXVII. — S. Leo IX ecclesiæ Hamburgensis privilegia confirmat et Adalberto archiepiscopo pallii mittæque usum concedit. 701
LXXVIII. — S. Leo ecclesiæ Olivolensis et Dominici episcopi possessiones libertatemque confirmat 704
LXXIX. — S. Leo ecclesias monasterio S. Martini subditas, una cum prædiis ac juribus enumerat, et S. Petri canonicis confirmat. 704
LXXX. — S. Leo IX bona, jura et ecclesias monasterii Stephani majoris recenset, et B. P. canonicis confirmat. 717
LXXXI. — S. Leo IX Vaticano S. P. templo inservientium bona, ecclesias ac jura enumerat et confirmat. 723
LXXXII. — S. Leo IX episcopis Venetiæ et Istriæ præcipit ut patriarchæ Gradensis, cujus primatum ab apostolica sede concessum synodo confirmarat, obedientiam præbeant. 727
LXXXIII. — S. Leonis IX epistola ad Thomam episcopum Africanum. — Ostendit Carthaginem archiepiscopum totius Africæ esse primatem; Gummitanum vero episcopum sine illius consensu nec episcopos consecrare, nec provinciale concilium convocare posse; solius autem Romani pontificis esse et episcopos deponere et generalia concilia indicere. 727
LXXXIV. — S. Leo IX Petrum et Joannem episcopos laudat quod jussu suo concilium de rebus ecclesiasticis celebraverint et jura archiepiscopi Carthaginensis contra Gummitanum episcopum defenderint. 729
LXXXV. — S. Leo IX navem pro usu monasterii Casinensis, cum nauclero et sociis, liberam et exemptam ab omni teloneo et solutione concedit. 731
LXXXVI. — S. Leo IX Udalricum, archiepiscopum Beneventanum, pallio donat, ejusque privilegia confirmat 732
LXXXVII. — Bulla S. Leonis IX, qua monasterio Barensi Sanctæ Trinitatis confirmat ecclesiam Sancti Nicolai, a Nicolao Barensi episcopo eidem concessam. 733
LXXXVIII. — S. Leo, Dominicum ex monacho episcopum Valvensem a sese factum confirmat. 734
LXXXIX. — Epistola S. Leonis IX ad Heinricum Francorum regem. 736
XC. — S. Leo IX Vaticano S. Petri templo decimam oblationum partem elargitur. 736
XCI. — S. Leo IX Wiberto episcopo Mutinensi mandat ut ecclesiæ B. Simeonis Padilironensis ab episco Mantuano consecrandæ intersit. 339
XCII. — S. Leo clerum et populum Auximanum docet anathematizandos eos esse qui sequantur illam perversam et prorsus exsecrabilem quarumdam plebium consuetudinem, ut videlicet, suo defuncto episcopo, domum episcopi hostiliter irrumpentes invadant, facultates ejus diripiant, prædiorum domos incendant, vites insuper et arbusta, bestiali immaniores feritate succidant. 739
XCIII. — S. Leo Petri Damiani librum (Gomorrhianum), contra quadrimodum cardinalis contagionis pollutionem, collaudat. 740
XCIV. — S. Leo Petri Damiani eremum « quæ dicitur Ocri, in Fuxena videlicet territorio constitutam, privilegiis ornat. » 740
XCV. — S. Leo IX facultatem dat Berardo abbati Farfensi advocandi quemcunque episcopum voluerit ad consecrandum Farfense templum. 740
XCVI. — S. Leonis bulla pro parthenone S. Laurentii in Alsatia. 740
XCVII. — S. Leo IX confirmat fundationem abbatiæ S. Joannis Baptistæ Florinensis pro monachis Benedictinis in diœcesi Leodiensi, hunc pridem institutæ per Gerardum Florinensem toparcham, dein Cameracensem episcopum. 742
XCVIII. — Epistola seu breve S. Leonis IX, pro cœmeterio prioratus sancti Orientii Cluniacensis ordinis. 743
XCIX. — S. Leo IX confirmat fundationem percelebis abbatiæ S. Mariæ apud Santones. 745
C. — S. Leonis IX epistola ad Michaelem Constantinopolitanum patriarcha m, adversus ejus et Leonis Acridani episcopi inauditas præsumptiones et nimias vanitates. 744
CI. — S. Leonis epistola ad Petrum episcopum Antiochenum. — Gratulatur de ejus erga sedem apostolicam observantia. Confirmat ejus ordinationem, si secundum canones fuerit promotus. Hortatur ut suæ Ecclesiæ dignitatem tueatur. Probat fidem vel se ab eo scriptam eamdem esse quam tenet Romana ecclesia, cujus fidei summa capita ad eum mittit. 769
CII. — S. Leonis epistola ad Michaelem Constantinopolitanum patriarcham. — Gratulatur ei quod Græcos Latinis conciliare studeret. Arguit eum, tum quod patriarchas Alexandrinum et Antiochenum suæ potestati subjicere conaretur, tum quod universalis patriarchæ nomen sibi usurparet, et Romanam Ecclesiam quæ in azymis sanctum Eucharistiæ sacrum conficiat, damnaret. Probat Christum in azymo consecrasse. 773
CIII. — S. Leonis epistola ad Constantinum monomachum. — Laudat eum quod pacem inter Latinos et Græcos conciliare curet. Hortatur ut Romanam Ecclesiam defendat. De arrogantia Michaelis Constantinopolitani conqueritur, legatosque commendat. 777
CIV. — S. Leo monasterii S. Salvatoris et S. Mariæ Nienburgensis possessiones et privilegia, rogante Albuino abbate, pro Dei amore et petitione fidelis sui Richerii, abbatis (Casinensis), atque interventione Egberti fuldensis abbatis, confirmat. 781
CV. — S. Leo Albuvino abbati S. Mariæ Nienburgensis et ejus successoribus, pro petitione Richerii Casinensis

Digitized by Google

Montis abbatis concedit in procurandis sacris utantur dalmaticis et sandalis. 781
CV *bis*. — S. Leo IX de clericorum castimonia scribit contra epistolam Nicetæ abbatis monasterii Studii. 781
SPURIA.
CVI. — Bulla S. Leonis IX in qua declarat se dedicasse ecclesiam S. Arnulphi et multa privilegia contulisse abbati et fratribus ejusdem monasterii. 781
CVII. —S. Leo IX in synodo parthenonis S. Gratæ possessiones et privilegia, petente Conrado imperatore confirmat. 785
CVIII. — S. Leonis IX epistola ad Leodegarium sanctæ Viennensis Ecclesiæ episcopum.
CIX. — S. Leonis IX diploma quo Joanni abb. S. Justinæ Patav. usum pontificalium ornamentorum indulget. 787
CX. — S. Leo IX monasterio Besuenci privilegia tribuit. 788
In fictitium de corpore S. Dionysii diploma monitum. 789
CXI.— Diploma S. Leonis IX de corpore S. Dionysii. 791
APPENDIX.
I. — Michaelis Cærularii, patriarchæ Constantinopolitani et Leonis Acridani archiepiscopi Bulgarorum. 793
Epistola ad Joannem.
II. — Epistola Joannis abbatis Fiscanensis ad S. Leonem IX. 797
III. — Epistola S. Petri Damiani ad S. Leonem IX. 799

VICTOR II PONTIFEX ROMANUS.

Notitia historica. 799
Notitia altera. 801
Notitia diplomatica. 803
VICTORIS II PAPÆ EPISTOLÆ ET DIPLOMATA PONTIFICIA. 803
I. — Privilegium Victoris papæ II ad sanctum Hugonem abbatem Cluniacensem, cui confirmat omnia monasteria, bona et jura cœnobio Cluniacensi concessa. 803
II. — Victor II canonicos Ferrarienses tuendos suscipit eorumque bona confirmat. 808
III. — Victoris II papæ privilegium pro Ecclesia Bononiensi. 809
IV. — Victor II confirmat præceptum de possessionibus Molianensis monasterii non invadendis. 810
V. — Victor II Adalberto, archiepiscopo Hamburgensi, pallii mitræque usum tribuit et privilegia Ecclesiæ ejus corroborat. 811
VI. — Victor II canonicos ecclesiæ S. Mariæ Pisanæ tuendos suscipit et eorum bona confirmat. 812
VII. — Victor II Ecclesiæ Asculanæ possessiones et privilegia, petente Bernardo episcopo, confirmat. 813
VIII. — Victor II abbatiæ Andlaviensi jura et privilegia confirmat. 815
IX. — Victoris II privilegium pro libertate monasterii Eliensis. 816
X. — Bulla Victoris II, qua Rolando episcopo Ferrariensi, ejusque Ecclesiæ, omnia jura ac privilegia confirmat. 817
XI. — Victor II Brunonem, abbatem Dervensem, Teobaldo comiti commendat. 818
XII. — Bulla Victoris II pro Vindocinense monasterio. 819
XIII. — Bulla Victoris papæ II pro ecclesia SS. Simonis et Judæ. 822
XIV. — Privilegium Victoris II pro monasterio Fuldensi. 824
XV. —Victoris II privilegium pro Ecclesia Trevirensi. 826
XVI. — Victoris papæ II litteræ, quibus ecclesiæ Sylvæ Candidæ privilegia Humberti episcopi gratia amplificat 828
XVII.—Privilegium pro monasterio Sancti Bertini. 829
XVIII. — Victoris II bulla pro monasterio Casinensi. 831
XIX. — Privilegium Victoris II Winimanno archiepiscopo Ebredunensi concessum. 834
XX. — Epistola S. Petri Damiani S. E. R. Cardinalis ad Victorem II papam. 838

BERENGARIUS VICECOMES NARBONENSIS.

QUERIMONIA BERENGARII adversus Guidfredum archiepiscopum Narbonensem, proposita in concilio apud Tolosam habito sub Raimbaldo Arelatensi, et Pontio Aquensi, archiepiscopis, Victoris secundi papæ legatis, anno Christi 1056. 837

THEUZO EREMITA ET MONACHUS S. MARIÆ DE FLORENTIA.

Notitia historica. 843
PROLOGUS EXPOSITIONIS REGULÆ S. P. N. BENEDICTI ABBATIS, Scriptus a Teuzone monacho. 845

ODO MONACHUS FOSSATENSIS.

Notitia historica. 845
VITA DOMINI BURCHARDI venerabilis comitis, qui sub regibus Ugone Capeto et ejus filio Roberto floruit 847
Incipit prologus. 847
Incipit Vita. 847

ANSELMUS CANONICUS LEODIENSIS.

HISTORIA EPISCOPORUM LEODIENSIUM. 861

DROGO BELLOVACENSIS EPISCOPUS.

Notitia historica. 861
DROGONIS EPISTOLA AD W. COEPISCOPUM SUUM. 863
Litaniæ veteres ecclesiæ Bellovacensis. 865

STEPHANUS X (Corr. IX.) PAPA.

Notitia historica. 865
Notitia altera. 867
Notitia diplomatica. 869
EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA. 869
I. — Epistola Stephani X ad Gervasium archiepiscopum Remensem. — Pro religione fortiter agenti auxilium pollicetur; Bituricensis archiepiscopi causam in aliud tempus differt; in urbem ad synodum cum suffraganeis suis eum evocat. 869
II. — Stephani X bulla per quam confirmat cleri sæcularis immunitatem a sæcularium potestatem judiciis et oneribus. 871
III. — Stephano X concessionum, aliorumque indultorum sacri cœnobii sancti Petri Perusini confirmatio. 871
IV. — Stephanus X canonicorum Aretinorum bona, petente Arnoldo episcopo, confirmat. 874
V. — Stephanus X ep scopus Marsorum, a Victore II in pristinum statum restituti, fines possessionesque, petente Pandulpho episcopo, confirmat. 875
VI. — Constitutio Stephani papæ X pro monasterio S. Prosperi Regini. 876
VII. — Epistola Stephani X papæ ad fratres Cluniacensis monasterii. 879
VIII. — Privilegium Stephani X papæ per quod confirmat omnia monasteria, bona, jura et privilegia monasterio Cluniacensi antea concessa. 879

GOZECHINUS SCHOLASTICUS.

Monitum. 885
GOZECHINI EPISTOLA AD VALCHERUM. 885

JOANNES SABINENSIS EPISCOPUS.

Notitia historica. 907
QUERIMONIA JOANNIS contra Farfenses monachos in synodo Romana anni 1051. 909

HUMBERTUS S. E. R. CARDINALIS, EPISCOPUS SYLVÆ CANDIDÆ.

Notitia historica. 911
Notitia altera. 913
Notitia historica et litteraria. 915
Notitia alia ex Gallando. 927
HUMBERTUS CONTRA GRÆCORUM CALUMNIAS. 929
Textus præfatorum sycophantarum explicatur. 931
Incipit cujusdam Nicetæ presbyteri et monachi monasterii studii libellus contra Latinos editus. 973
Incipit responsio sive contradictio in eumdem libellum a fratre Humberto episcopo Sylvæ Candidæ. 983
Incipit brevis et succincta commemoratio eorum quæ gesserunt apocrisiarii sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis in regia urbe et qualiter anathematizati sunt Michael cum sequacibus suis. 1001
Item alia excommunicatio ibidem facta in præsentia Imperatoris et optimatum ejus, viva voce. 1004
HUMBERTI S. R. E. CARDINALIS ADVERSUS SIMONIACOS LIBRI TRES. 1005
Admonitio prævia. 1005
Incipit præfatio Humberti cardinalis episcopi sanctæ Romanæ Ecclesiæ. 1007
INCIPIT LIBELLUS PRIMUS contra hæreticos et maxime Simoniacos, instar dialogi sub nomine Corruptoris et Correptoris, editus ab Humberto, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali episcopo. 1011
CAP. I. — Invectio adversus corruptorem arguens eum mendacii. 1011
CAP. II. — De pseudoepiscopis, quos notat decretale capitulum Leonis papæ. 1012
CAP. III. — Quod Simoniaci pejores Arianis et ipso suo magistro Simone sint. 1014
CAP. IV. — Ira Spiritus sancti in Simonem et comparatio ejus et suorum sequacium, et quid accipiant. 1015
CAP. V. — Quod capitulum illud sancti Leonis non de hæreticis, sed catholicis sit intelligendum. 1017
CAP. VI. — De differentia pseudoepiscoporum et ordinationibus eorum. 1018
CAP. VII. — De capitulo sancti Gregorii prohibenti reordinari; ubi etiam concedit Simoniacos saltem Arianis æquiparari. 1020

Digitized by Google

Cap. VIII. — De canonibus apostolorum et secunda manus impositione. 1022
Cap. IX. — Qualiter baptisma hæreticorum permittatur, et quid sit permissio. 1024
Cap. X. — De imperfectione baptismatis hæreticorum sententiæ sanctorum Patrum. 1026
Cap. XI. — Ubi sanctorum Patrum sententiæ promuntur, in quibus sint hæretici vitandi. 1028
Cap. XII. — De ordinationibus hæreticorum juxta beatum Innocentium. 1029
Cap. XIII. — Unde supra, secundum beatum Gregorium. 1031
Cap. XIV. — Recapitulatio superiorum sententiarum beati Gregorii contra falsos argumentatores. 1033
Cap. XV. — De propriis et impropriis dictionibus, et vanitate Simoniacorum. 1038
Cap. XVI. — Sententia sancti Ambrosii de ordinationibus Simoniacorum. 1040
Cap. XVII. — Recapitulatio unde supra. Deinde beati Augustini sententia. 1043
Cap. XVIII. — De mercantibus ecclesiasticam dignitatem sanctorum Patrum sententiæ. 1045
Cap. XIX. — Repulsio eorum qui dicunt Simoniacos gratiam habere a qua deponantur 1046
Cap. XX. — Quod Simoniaci sine fide sint, quodque sibi consentientes fide privent. 1049
Cap. XXI. — Repulsio eorum qui dicunt haberi et juste posse dari Spiritum sanctum ab eo qui injuste accepit. 1051
Incipit liber secundus. 1055
Cap. I. — Quid beatus Petrus apostolus suique coapostoli de hæreticis senserint. 1055
Cap. II. — De pietate et impietate, et de Cham et Balaam præsumptione. 1059
Cap. III. — De peccato Chore et fautorum ejus atque pœna eorum. 1061
Cap. IV. — De vulgo sequaci præsumptorum, et de differentia veri et falsi sacerdotii. 1064
Cap. V. — De Jamne et Mambre, quibus pejores sunt Simoniani. 1065
Cap. VI. — Ubi admonentur Christiani vitare supplantationem hæreticorum, quorum inibi malum atque pœna eorum ostenditur. 1066
Cap. VII. — De damnatione ficte quærentium Deum sub exemplo Ananiæ et Saphiræ. 1068
Cap. VIII. — De eo quod non solum vovendum, sed et reddendum sit Domino. 1070
Cap. IX. — Quod Spiritus sanctus fidelibus appareat, infideles autem lateat, a quibus nec quæritur. 1071
Cap. X. — De excessus eorum differentia qui super fundamentum Christi excedunt et eorum qui sine ejus fundamento. 1072
Cap. XI. — Quod vitandi sint hæretici exemplo viperarum et malæ arboris. 1074
Cap. XII. — Quod plusquam viperæ cavendi sint hæretici, et de natura et typo earum. 1075
Cap. XIII. — Qualiter viperæ conveniant Simoniacis. 1077
Cap. XIV. — Quod unius modi sint subversores sacramentorum et verborum Christi et quod nec petant nec impetrant ab eo. 1079
Cap. XV. — Qualiter a quibusdam juxta quædam non audiatur, et juxta quædam audiatur Dominus. 1081
Cap. XVI. — Ubi contradicitur hæreticos nec sicut criminosos intra ecclesiam Deum audire. 1083
Cap. XVII. — De differentia negotiatorum sæculi et eorum qui dicuntur Simoniaci. 1084
Cap. XVIII. — De eo quod carnales Ecclesiæ sine fide non sint instar Ruben et Gad, et dimidiæ tribus Manasse. 1086
Cap. XIX. — De eo quod Simoniaci a Satana pervadantur exemplo Judæ proditionem Domini aggredientis. 1088
Cap. XX. — Quot maledictionibus cum Juda Simoniaci subjaceant, et qualiter omnem Ecclesiam vendant. 1091
Cap. XXI. — De eo quod non prosit Simoniacis quibuscunque eorum eleemosyna. 1093
Cap. XXII. — Quid vulpes Simonianæ faciant vel patiantur. 1095
Cap. XXIII. — Allegoria de vulpibus a Samsone captis. 1096
Cap. XXIV. — Collatio actuum Judæ et Simonianorum. 1098
Cap. XXV. — De eo quod Judas sine fide pœnituit, et quod consentientes principibus sacerdotum fide privati sunt. 1100
Cap. XXVI. — Quod nil nisi damnationem a Simoniacis accipiant etiam gratis ordinati, et quod idola faciant pro Christo adorari. 1102
Cap. XXVII. — Sententia sancti Augustini qua omnes hæretici convincuntur negare Jesum Christum in carne venisse. 1104
Cap. XXVIII. — Item cujus supra, de eo quod hæretici Spiritum sanctum non habent, quamvis visibilia sacramenta habeant. 1106
Cap. XXIX. — Item cujus et unde supra in quo cognoscitur Spiritus Dei. 1108
Cap. XXX. — Recapitulatio præmissorum verborum sancti Augustini. 1112
Cap. XXXI. — De malitia Simonianorum, et quod pejores sint latronibus, et sine aliqua fide Dei. 1114
Cap. XXXII. — Qualiter hæretici a Deo fornicantes faciant et alios fornicari. 1115
Cap. XXXIII. — De diminutione Ecclesiæ et hæreticorum multiplicatione. 1116
Cap. XXXIV. — Quanto perniciosiores omnibus hæreticis sint Simoniaci. 1118
Cap. XXXV. — De nativitate et incremento Simoniacæ hæreseos. 1119
Cap. XXXVI. — Qualiter Simoniaci non solum res Ecclesiæ, sed ipsos quoque principes cum populis diabolo vendunt. 1120
Cap. XXXVII. — De inæstimabili nequitia hæreseos, et quali bestiæ in Apocalypsi comparetur. 1122
Cap. XXXVIII. — Recapitulatio præmissæ sententiæ ex Apocalypsi. 1124
Cap. XXXIX.—Quæ sint signa et prodigia catholicorum. 1125.
Cap. XL. — Quæ sint signa et prodigia hæreticorum. 1127
Cap. XLI. — De sævitia hujus bestiæ et de charactere Christi et Antichristi. 1128
Cap. XLII. — De negotiatoribus Christi et Antichristi. 1129
Cap. XLIII. — Quo charactere Simoniani noscantur esse Antichristi. 1130
Cap. XLIV. — Quantum sint rei Ecclesiæ Simoniani et de numero nominis Christi. 1132
Cap. XLV. — De numero nominis Antechristi. 1133
Cap. XLVI. — Qualiter Satanas profanam Trinitatem contra divinam exstruat. 1134
Cap. XLVII. — Quod nihil prosit hæreticis nec ad fidei nec ad salutis effectum, etiamsi grandis vocibus catholicum decantent symbolum. 1136
Incipit liber tertius. 1140
Cap. I. — Contra eos qui dicunt se non consecrationem, sed res Ecclesiæ comparasse. 1140
Cap. II. — Comprobatio nil prodesse possessionem sine privilegio ejus. 1141
Cap III. — De sententia Chalcedonensis concilii contra supradictos. 1142
Cap. IV. — De sanctificatione sanctificante res ecclesiasticas, subsequentibus inde sanctorum Patrum testimoniis. 1144
Cap. V. — Qualiter Simoniaci suo negotio expugnent Ecclesiam Dei, et quod pene omnes laici et clerici de Ecclesia quærant jugiter negotiari. 1146
Cap. VI. — De baculis et annulis per manus sæcularium potestatem datis. 1148
Cap VII. — De tempore Otthonum et studio Henrici imperatoris, et de malitia regis Francorum. 1150
Cap. VIII. — De quadripartita venditione apud Latinos, et de magni Constantini devotione erga clericos. 1151
Cap. IX. — De differentia clericorum et laicorum, et de studio divi Gregorii in talibus. 1153
Cap. X. — Quanto liberior sit Græcorum Ecclesia, quam Latinorum a potestate laicorum. 1154
Cap. XI. — Qualiter et per quos Ecclesiæ suis privilegiis privatæ sint. 1156
Cap. XII. — De præsumptione feminarum, et dignitate sacratarum rerum. 1158
Cap. XIII. — De dignitate sacerdotii veteris legis, et de præsumptione et pœna regum Juda et Israel. 1160
Cap. XIV. — De præsumptione Saulis et pœna. 1162
Cap. XV. — Quanta flagella premant principes cum populis pro præsumptione sacerdotalis officii. 1163
Cap. XVI. — De studio sanctorum regum erga divinum cultum, et remuneratione, et peccato, et vindicta plebium. 1164
Cap. XVII. — De meritis Israelis et Judæ in typo hæreticorum et catholicorum. 1166
Cap. XVIII. — De differentia sacerdotii catholicorum et hæreticorum, et de primitiis Simoniacorum. 1168
Cap. XIX. — Qualiter et ipsi sacerdotes sub lege communionem impiorum vitaverint, et ab eis contaminata qualiter purificaverint. 1170
Cap. XX. — De periculo sacerdotum, et indisciplinata

Digitized by Google

ambitione clericorum nostri temporis. 1172
Cap. XXI. — De præcipuo malo Italiæ, et de quodam vano episcopo, et ollicio sacerdotum, et principum et plebium. 1174
Cap. XXII. — De nociva taciturnitate sacerdotum, vel loquacitate adulatorum. 1176
Cap. XXIII. — De periculo male tacentium sacerdotum, et male loquentium, et de individua unitate Divinitatis, et suorum. 1177
Cap. XVIV. — De exemplari individuæ Trinitatis in omnibus creaturis. 1179
Cap. XXV. — Quod individua sit sanctificatio ab his quæ sanctificat, et qualiter sanctificentur. 1181
Cap. XXVI. — De pœna divisorum, et quod Spiritum sanctum non accipiant, nisi sequaces fidei apostolorum. 1182
Cap. XXVII. — De Spiritus sancti gratia post Resurrectionem, et vindicta in Ananiam. 1184
Cap. XXVIII. — Quanta operatus sit, vel operetur idem Spiritus in Ecclesia usque in finem sæculi. 1186
Cap. XXIX — Sententia sancti Augustini de animæ potentia, et retractatio ex ea, et quales sint promoti a laicis et metropolitani eorum. 1188
Cap. XXX — Recapitulatio de depositione hæreticorum, et sententia Ezechielis in eos. 1190
Cap. XXXI. — De impropriis dictionibus in superadictis prophetæ, et beati Gregorii verbis subjunctis. 1191
Cap. XXXII. — De criminosis catholicis promotis, vel post lapsis, et de ministerio et depositione eorum. 1193
Cap. XXXIII. — De qualibuscunque promotis a Simoniacis, et repulsione objectionis adversariorum. 1195
Cap. XXXIV. — Argumenta ex mundanis legibus contra promoventes, vel promotos Simoniacos. 1196
Cap. XXXV. — Replicatio sententiæ Domini de bonis pastoribus, et mercenariis. 1198
Cap. XXXVI. — De mercede mercenariorum, et promotione eorum. 1199
Cap. XXXVII. — De eo quod catholici nullum pro crimine promoveant, et quod Simoniaci pro solo crimine omnem. 1200
Cap. XXXVIII. — In quo audiendi sunt mercenarii, et in quo non attendendi. 1201
Cap. XXXIX. — De malis scienter et nescienter promeritis, et de ministerio eorum sententia Paschasii. 1205
Cap. XL. — De furibus Simoniacis, et qualiter ovile intrent. 1203
Cap. XLI. — Qualiter Simoniaci imitentur sæculi fures, et quæ sit eorum vox, quam non audiunt oves. 1205
Cap. XLII. — Quanta vigilantia oves furibus debeant obsistere ingressis ovile. 1207
Cap. XLIII. — De differentia mercenariorum et furum, et quod hæretici non sint a catholicis tolerandi, sicut male viventes catholici. 1208
Cap. XLIV. — Exemplis propositis ostenditur hæreticos, nec ad horam a catholicis antiquis toleratos, et mercenarios toleratos. 1210
Cap. XLV. — De eo quod sanctus Gregorius adhuc diaconus Euticium devitavit, et quod sanctus Hyeronimus non exspectandum in eis publicum judicium asserit. 1212
Cap. XLVI. — De synodis consentibus qualiter hæretici sint reconciliandi, et de quarto decimanorum aliqua excusatione. 1213
Cap. XLVII. — De libellis protestationum, et potestate eorum.
Cap. XLVIII. — De constantia aliquorum catholicorum ne cederent vel acquiescerent hæreticis.
Cap. XLIX. — De beato Joanne episcopo tentato quidem, sed custodito, ne venderet gratiam, et de admonitione ejus contra hæreticos.
Cap. L. — De cautela B. Antonii et visione ejus, et de vigilantia B. Hieronymi.
Cap. LI. — De duabus generationibus Cain et Abel usque in finem mundi, secundum dicta Chrysostomi.
Cap. LII. — De reprobatione communionis et baptismatis, et ordinationis eorum, et de non retractanda damnatione eorum secundum sententiam papæ Felicis ad Zenonem et Acacium.
Cap. LIII. — Compendiosa retractatio superiorum et quod hæretici jure malis comparentur.
Appendix ad opera Humberti. 1211
Fragmentum disputationis contra Græcos. 1213
Domni Joannis Mabillonii presbyteri et monachi ordinis S. Benedicti, e congregatione S. Mauri Dissertatio de pane Eucharistico azymo ac fermentato ad eminentissimum cardinalem Bona. 1219
Dissertationis occasio et argumentum. 1223
Cap. I. — Eucharistiam in azymis a Christo Domino institutam fuisse. 1228
Cap. II. — Exemplo Christi non imponi necessitatem consecrandi in azymis. 1235
Cap. III. — An Græci initio Ecclesiæ fermento usi sint. 1237
Cap. IV. — Quali pane utantur aliæ societates Christianæ. 1240
Cap. V. — Variæ sententiæ de azymo Latinorum. 1242
Cap. VI. — Quædam testimonia dubiæ fidei pro azymo Latinorum expenduntur. 1245
Cap. VII. — Proponuntur conjecturæ et argumenta quædam pro antiquo usu azymorum apud Latinos. 1248
Cap. VIII. — Aliæ probationes ex forma et conditionibus hostiarum. Ubi explicantur canones duo, unus concilii Turonensis secundi, alter Toletani XVI. 1250
Cap. IX. — Morem hunc generali usu apud Latinos viguisse ante Photii discidium. 1263
Cap. X. — Expenduntur argumenta pro usu fermenti apud Latinos. 1268
Cap. XI. — Epilogus et conclusio præmissorum. 1277
ADELMANNUS BRIXIENSIS EPISCOPUS.
Notitia historica. 1279
AD BERENGARIUM EPISTOLA. 1289
RHYTHMI ALPHABETICI de viris illustribus sui temporis. 1295
NICOLAUS II PAPA.
Notitia historica. 1299
Notitia diplomatica. 1301
EPISTOLÆ ET DIPLOMATA. 1301
I. — Nicolaus II papa confirmat bona et possessiones monasterii Sancti Petri Perusini. 1301
II. — Nicolai II summi pontificis bulla qua monasterio Sancti Vincentii ad Vulturnum, et Joanni IV, ejus abbati, omnia illius bona et jura confirmat. 1304
III. — Nicolaus II papa confirmat bona ac privilegia omnia a Leone PP. IX Casinensi monasterio concessa. 1305
IV. — Nicolaus II pontifex confirmat erectionem capituli B. Mariæ Virg. ad Gradus, Coloniæ Agrippinæ, quod est XX canonicorum collegium, a S. Annone Coloniensi archiepiscopo fundatum, multisque prædiis a B. Richeza Poloniæ regina dotatum. 1309
V. — Nicolaus II Ecclesiæ Pennensis bona, petente Joanne episcopo, confirmat. 1311
VI. — Nicolaus II Ecclesiæ Teatinæ possessiones finesque, rogatu Actonis episcopi, confirmat. 1312
VII. — Nicolai II epistola ad episcopos Galliæ, Aquitaniæ, Vasconiæ. — Decreta promulgata in Romana synodo ann. 1059 nonnulla continet. 1314
VIII. — Nicolaus II omnibus episcopis cunctoque clero et populo decreta synod. Romanæ prescribit. 1315
IX. — Nicolaus II omnibus episcopis Amalphitanæ Ecclesiæ suffraganis cunctoque clero et populo decreta synodi significat. 1317
X. — Nicolaus II Gervasio archiepiscopo Remensi mandat ut (Guilbertum) episcopum Bellovacensem, invito eo consecratum, ab administrando munere removeat donec ad synodum venerit. 1323
XI. — Nicolaus II decimas castrorum Arni, Civitellæ et Pilonici confirmat monasterio Sancti Petri Perusin. 1324
XII. — Bulla Nicolai II pro ecclesia S. Andreæ Empulensis. 1325
XIII. — Nicolai II privilegium pro monasterio S. Martini Augustodunensis. 1327
XIV. — Privilegium monasterio Sanctæ Felicitatis concessum a Nicolao II. 1328
XV. — Privilegium Nicolai II papæ pro ecclesia S. Michaelis et S. Eusebii Poiensis. 1330
XVI. — Nicolaus II ecclesiæ S. Andreæ Mussianensis bona ac privilegia confirmat. 1332
XVII. — Bulla Nicolai II papæ de consecratione basilicæ S. Laurentii de Florentia, cui subscripsit S. Petrus Damianus. 1334
XVIII. — Bulla Nicolai II papæ pro canonicis Pisaurensibus. 1336
XIX. — Nicolaus II confirmat fundationem abbatiæ S. Petri in urbe Agerensi, et privilegia nonnulla ad ejusdem libertatem concedit. 1337
XX. — Bulla Nicolai II pro confirmatione jurium et bonorum monasterii S. Thomæ de Aposella, in quo obiit Clemens II papa. 1339
XXI. — Nicolai papæ II privilegium pro monasterio monialium Sanctæ Juliæ Brixiensis. 1341
XXII. — Privilegium Nicolai II papæ pro regali monasterio SS. Salvatoris, et Juliæ Brixiensis. 1343
XXIII. — Consecratio altarium basilicæ Farfensis a Nicolao II Romano pontifice facta, et monasterii illius libertas ab eodem pontifice confirmata. 1345

Digitized by Google

XXIV. — Nicolai II epistola ad R.... comitem Rutunensem. — Hortatur ut ecclesiarum et pauperum sit defensor, et monasterio Virdunensi possessiones aliquas, quas injuste detinet, restituat. 1346
XXV. — Epistola Nicolai II ad clerum Sistaricensem qua commendat Gerardum episcopum, et quædam ei præscribit. 1346
XXVI. — Nicolai II epistola ad Gervasium Remensem archiepiscopum. 1347
XXVII. — Nicolaus II Annam reginam Galliæ hortatur ut regem ad pietatis æquitatisque gubernacula moderanda statumque Ecclesiæ retinendum incitet. 1348
XXVIII.— Nicolaus II Gervasio archiepiscopo Remensi, præcipit ut damna Ecclesiæ Virdunensi illata reconcinnet. *ibid.*
XXIX. — Nicolai II epistola ad Gervasium Remensem archiepiscopum. 1349
XXX. — Nicolai II epistola ad Lanfrancum. *ibid.*
XXXI. — Bulla Nicolai II papæ ad Grimaldum Joannem presbyterum, etc. 1350
XXXII. — Bulla Nicolai II papæ pro monasterio S. Dionysii. 1351
XXXIII. — Nicolai II papæ privivilegium pro monasterio S. Trinitatis Vindocinensis. 1352
XXXIV. — Nicolai II bulla confirmantis privilegia capitulo canonicorum Suanensium. 1355
XXXV. — Nicolaus II Ecclesiæ Dorcastrensis possessiones et privilegia confirmat. 1356
XXXVI. — Epistola Nicolai II ad Edwardum Anglorum regem. Ejus pietatem in B. Petrum laudat, monasteriique B. Petri Westmonasteriensis privilegia et possessiones confirmat. 1358
XXXVII. — Nicolai II papæ privilegium pro Aldredo Eboracensi archiepiscopo. 1359
XXXVIII. — Decreta Nicolai II papæ. *ibid.*
XXXIX — Gervasii Remorum archiepiscopi epistola ad Nicolaum II papam. — Gratias agit de benegnitate legatis suis exhibitia. De obitu Heinrici regis dolore se ostendit, ac pontificem; si in Galliam venerit, debito cum honore susceplurum. 1360
XL. — Epistolæ S. Petri Damiani ad Nicolaum II. 1362

HUGO II NIVERNENSIS EPISCOPUS.

Notitia. 1365
EPISTOLA AD BARTHOLOMÆUM TURON. 1367

BOVO ABBAS S. BERTINI.

Notitia. 1367
DE ELEVATIONE CORPORIS S. BERTINI. 1369

FROLLANDUS SILVANECTENSIS EPISCOPUS.

Notitia. 1369
EPISTOLA AD BERENGARIUM. 1369

WIDRICUS ABBAS S. GHISLENI.

EPISTOLA AD HENRICUM NIGRUM. 1371

FRANCO SCHOLASTICUS LEODIENSIS.

DE QUADRATURA CIRCULI. 1373

B. MAURILIUS ARCHIEPISCOPUS ROTHOMAGENSIS.

Vita B. Maurilii. 1377
EPISTOLA MAURILII et Joannis abbatis Fiscamnensis epistola ad episcopum Ebroicensem. 1387
MAURILII PROFESSIO FIDEI de sacramento corporis et sanguinis Christi. *ibid.*
EPITAPHIA ROLLONIS ET GUILLELMI LONGÆ SPATHÆ. 1389

RAIMBALDUS ARELATENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS.

Notitia historica. *ibid.*
RAIMBALDI DIPLOMATA. 1393
I. — Privilegium pro monasterio S. Victoris. *ibid.*
II. — Absolutio a pœnitentiis impertitur in consecratione ecclesiæ sanctæ Mariæ de Correno quæ dotatur. 1394
III. — Charta pro Sancto Victore a Raimbaldo Arelatensi archiepiscopo confirmata. *ibid.*
IV. — Sermo et confirmatio sanctorum Patrum sanctæ treuvæ Dei. 1395
V. — Charta Raimbaldi, qua ecclesiam Sancti Genesii et Sancti Honorati dat Victorinis monachis. 1396

GERVASIUS REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Notitia historica. *ibid.*
GERVASII EPISTOLÆ ad Nicolaum II et Alexandrum II Pontificis Romanos. 1399
GERVASII DIPLOMATA. 1401
I. — Charta fundationis seu restitutionis duodecim canonicorum in ecclesia SS. Thimothei et Apollinaris. 1401
II. — Pro fundatione abbatiæ S. Dionysii Remensis. 1402

LEODEGARIUS VIENNENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS.

Notitia historica. 1403
LEODEGARII CHARTÆ. *ibid.*
I. — Ecclesiam S. Ferreoli in plena synodo S. Victori concedit. *ibid.*
II. — Charta Leodegarii archiepiscopi Viennensis ecclesiam Sancti Symphoriani cœnobio Sancti Ferreoli donat. 1406
III. — De moneta Viennensi corrupta. 1407

STEPHANUS S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS.

Notitia historica. *ibid.*
CANONES CONCILII TURONENSIS. 1409
EPISTOLA AD JOANNEM DOLENSEM EPISCOPUM. 1411
DIPLOMA PRO MONACHIS VINDOCINENSIBUS. 1413

LEO ALINENSIS EPISCOPUS.

Notitia historica. *ibid.*
INVENTIO SIVE TRANSLATIO CORPORIS B. MARCI MARTYRIS ET PONTIFICIS. 1415
DONATIO SOLEMNIS FACTA CANONICIS CLERICISQUE ATINENSIS ECCLESIÆ. 1423
SERMO DE PASSIONE B. MARCI. 1425
SERMO IN OCTAVA EJUSDEM. 1427

AVESGOTUS CENOMANENSIS ABBAS.

Notitia historica. *ibid.*
EPISTOLA AD S. ANSELMUM. 1431

SS. ARIALDUS ET HERLEMBALDUS.

SS. Arialdi et Herlembaldi Acta. 1433
S. Arialdi Vita. 1437
Præfatio. *ibid.*
Cap. I. — Arialdi natales, institutio, prima contra clerum incestum concio. 1438
Cap. II. — Arialdus, socium Landulfum nactus, Romam adit et ambo injuriis impiorum vexantur. 1443
Cap. III. — Acta S. Arialdi contra Simoniacos, quos tanquam hæreticos fugiendos docebat. 1450
Cap. IV. — S. Herlembaldi ad Arialdum accessus, et munus defensoris ei ab Alexandro papa commissum. 1455
Embolismus de ejusdem Herlembaldi principiis et Landulfi obitu. 1457
Cap V. — Arialdi virtutes; jejunandi et psallendi accurata ratio. 1463
Cap. VI. — Archiepiscopus cum suis Arialdum et fideles armatus aggreditur vinciturque. 1468
Cap. VII. — S. Arialdi ab hospite presbytero proditi cædes crudelis. 1471
Cap. VIII. — Corporis per decem menses incorrupti deportatio Mediolanum. 1478
Cap. IX. — Appendix litterarum auctoris ad Syrum, priorem scriptorem; et hujus ad illum, cum quibusdam miraculis. 1482
Analecta de S. Herlembaldo, ex antiquis chronologis apud Puricellum. 1485
Cap. I. — Pacem ægre constitutam turbat Guido, Gothofredo Simoniaco pro se substituto; contra hunc Mediolanenses educit Herlembaldus. 1487
Cap. II. — Canonicam electionem procurat Herlembaldus, Gothofredum intrusum et excommunicatum coercet; a Gregorio papa VII juvatur per litteras. 1491
Cap. III. — S. Herlembaldi cædes, Liprandi presbyteri mutilatio, Tetaldi in episcopatum intrusio. 1495
Cap IV. — SS. Herlembaldo et Arialdo erecta in S. Dionysio monumenta. 1499
Appendix de venerabili Liprando presbytero confessore. 1503
§ I. Grassulanus Anselmi successor Simoniæ convincitur judicio ignis. *ibid.*
§ II. — Reliqua Liprandi vita et mors miraculis illustrata. 1510
S ARIALDI CONCIONES TRES. 1515

S. ANNO COLONIENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Vita sancti Annonis. 1517
S. ANNONIS DIPLOMATA. 1583
Index in Chronicon Hermanni Contracti. 1587

FINIS TOMI CENTESIMI QUADRAGESIMI TERTII.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google